R.P. RODERICI DE ARRIAGA, E' SOCIETATE IESU, ...

Rodrigo : de Arriaga, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
19 F
8

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. RODERICI

DE ARRIAGA,

E SOCIETATE IESV,

LVCRONIENSIS HISPANI, S. THEOLOGIÆ

Doctoris, & in Cæsarea, Regiáque Pragensi Vniuersitate olim Professoris, nunc eiusdem Vniuersitatis Cancellarij;

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

in tertiam Partem Diui THOMÆ. Vniuersi Cursus Theologici,

TOMVS OCTAVVS,

COMPLECTENS TRACTATVM DE SACRAMENTO Pœnitentiæ, Extremæ-Vnctionis & Ordinis.

EDITIO NOVISSIMA.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

FACVLTAS

R. P. PROVINCIALIS BOHEMIÆ SOCIETATIS IESV.

EGo Rodericus de Arriaga, Prouinciæ Bohemiæ Societatis Iesv Præpositus Vice-Prouincialis, iuxta potestatem ad id mihi factam ab admodum Reuerendo Patre nostro Francisco Piccolomineo, Præposito Generali, facultatem do, vt Tomus *de Pœnitentia* à Reuerendo Patre RODERICO DE ARRIAGA Societatis nostræ Presbytero, ac S. Theologiæ Doctore, conscriptus, & ab aliquot Theologis nostris ritè examinatus, & probatus, in lucem edatur. Crumlovvuij xx. Octob. anno M. DC. XLVIII.

RODER. DE ARRIAGA.

APPROBATIO CENSORIS.

TRactatvs hic de *Sacramentis R.P. Roderici de Arriaga* è Societate Iesv S. Theologiæ Doctoris, & Cæsareæ, Regiæque Pragensis Vniuersitatis Cancellarij, duobus constans Tomis, Catholicæ Fidei ac bonis moribus consonis, luce publica dignissimus est ob doctrinam quam continet, perutilem, exactam, profundam atque perspicuam. Actùm xx. Decembris M. DC. LIV.

Guil. Bolognino S. Th. Lic. Eccl. Cath.
Can. & Lib. Censor Antuerp.

CENSV

CENSVRA OPERIS.

NOs infrascripti testamur, nihil nobis in his Operibus Theologicis *R.P. Roderici de Arriaga*, è Societate IESV S. Theologiæ Professoris, prorsus occurrisse à bonis moribus, & Catholica fide, Theologorúmque placitis alienum. In cuius rei fidem hoc testimonium manu nostra subscriptum dedimus. Lugduni die 10. Aprilis, 1642.

IOSEPHVS GIBALINVS. CAROLVS DV LIEV.

Facultas R. P. Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunensi.*

IOANNES GAYETVS, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611 concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societ. hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant: Permitto LAVRENTIO ANISSON, Bibliopolæ Lugdunensi, vt *Opera Theologica R.P. Roderici de Arriaga*, nostræ Societatis, à duobus Patribus eiusdem Societatis recognita, imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 11. Aprilis. 1642.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ, & Nauarræ Regis authoritate sancitum est, ac præsentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet, *Opera Theologica R P Roderici de Arriaga*, è Societ. IESV S. Theologiæ Professoris, præter LAVRENTIVM ANISSON, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem authoritate Regis omnibus suis subditis, eadem Opera extra Regni sui limites imprimenda curare, vel quenquam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lugduni, die 31. Augustini, 1642.

De mandato Regis.

Signatum,

FAVVRE.

Prima editio finem sortita est die 15. Iulij 1669.

R.P. RODE

Digitized by Google

R. P. RODERICI

DE ARRIAGA,

E SOCIETATE IESV

TRACTATVS DE POENITENTIA.

TRACTATVS PRIMVS, DE POENITENTIA VIRTVTE.

PROOEMIVM.

ETIAMSI Disputationum ordo nihil amplius videretur in præsenti exigere, quàm vt de Pœnitentiæ Sacramento ageremus; sumus enim nunc in quarto Sacramento: vt verò Pœnitentia sortitur rationem virtutis, potiùs ad secundam secundæ quàm huc videatur spectare; hæc eadem virtus est intrinseca & essentialis pars Sacramenti, commodissimè Scholastici omnes de illa etiam in præsenti disputant: quia Verò priùs est notitia partis quàm ipsius totius: (hoc enim dicit ipsam partem & aliquid amplius:) ideò primo loco de virtute agere debebimus, deinde de cæteris partibus Pœnitentiæ vt Sacramentum est. Aliqua circa vocem pœnitentiæ, circa eius laudes, ac varios titulos, sub quibus commendatur à Patribus, maximè circa illud dictum Hieronymi, Quòd sit secunda tabula post naufragium, omitto, quia sunt leuioris momenti pro intento nostro, & passim nota: qui tamen ea videre voluerit, legat Suarium *Tom.* 4. quia est de Pœnitentia, statim ad initium. Multa enim habet Cardinalis Bellarminus sparsa hinc inde in quatuor libris de Pœnitentia. Nos ad ea quæ controuersa sunt accedamus.

DISPVTATIO PRIMA.

Quadam faciliora explicatur.

SECTIO PRIMA.

In quo conueniat Pœnitentia virtus cum Sacramento; & quos actus proprie Pœnitentia includat.

1 CIRCA primum in quo conueniant inter se Pœnitentia vt est virtus, & Pœnitentia vt est Sacramentum, fusè discurrit Pater Suarez disp. 1 per totam. Mihi res videtur facilior & clarior quam vt vllâ egeat disputatione. Duobus enim verbis dicimus, Pœnitentiam, vt est virtus posse esse solam, hoc est sine Sacramento posse esse item partem Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde ea duo conuenire inter se vt partem & totum; conuenire item voce, seu nomine, quia ambo vocantur Pœnitentia; item quia in vtraque remittitur peccatum. In quo puncto ea inuenitur differentia quòd Pœnitentia virtus aliquando sola remittere potest peccata; mortalia quidem, si ea pœnitentia sit contritio; venialia verò, etiamsi non sit nisi attritio: de quo fusiùs infrà. Sacramentum autem Pœnitentiæ numquam remittit peccatum sine Pœnitentiâ virtute. Hæc tamen in toto rigore non est differentia propria, sed consistit in eo, quòd Sacramentum Pœnitentiæ (vt dixi) est totum includens tanquam partem essentialem ipsam Pœnitentiam virtutem; ideoque non potest reperiri sine illâ: totum enim non potest esse sine suis partibus essentialibus: si autem sine illa esse non potest, quid mirum, si sine illâ non remittat peccatum? Denique (vt vno verbo dicam) Sacramentum ideo dicitur Pœnitentia, quia in suo conceptu includit virtutem Pœnitentiæ; quidquid verò addit supra hanc partem, non est nisi efficacia maior in ordine ad remissionem peccatorum tum quoad culpam, quia non omnis virtus Pœnitentiæ se solâ potest illam remittere, tum quoad pœnas in Purgatorio debitas, vt fusiùs sequentibus disputationibus explicabitur. Vnde vlterius dico,

Pœnitentia virtus differt à Pœnitentiâ Sacramẽto vt pars à toto.

2 Omnes eas conuenientias, quæ assignantur inter hæc duo; vt quòd ambo respiciant peccata tanquam id quòd ambo dicantur medicina vtilis ad salutem; ambo secunda tabula post naufragium; quòd ambo requirant hominem adultum & rationis capacem; quod ambo iterari possint, &c. colligo inquam has omnes quæ conuenientiæ communiter dicuntur, non tam esse propriè conuenientias duarum rerum inter se, quam quod Pœnitentia vt est virtus habet intra Sacramentum, quidquid habet positiuè quando est separata; ac proinde de eâ vt est Sacramentum dicitur quidquid de eâ vt separata.

Differentia inter Sacramentum Pœnitentiæ & cõtritionem.

Illud tamen aduerto, Si Pœnitentiæ Sacramentum consideretur vt includens non contritionem, sed attritionem, & Pœnitentia virtus consideretur vt includens contritionem, tunc propriè esse duo entia totalia adæquare inter se distincta, & vt sic commodiùs posse habere locum eas conuenientias enumeratas, quia tunc sibi æquiualent ferè quoad omnes effectus, nisi quòd contritio iustificat in virtute Sacramenti, vt infrà dicetur; Sacramentum autem id habet per se. Vbi noto à Suario ex Magistro dist. 14. poni aliam differentiam in eâ causatione gratiæ, quod scilicet contritio non nisi vt dispositio eam causet, Sacramentum verò vt causa: quæ tamen differentia mihi non placet; nam si de causatione physicâ sermo sit, dixi alibi eam non conuenire nostris Sacramentis; licet autem concedatur, est per accidens ad rem nostram; vt patet in aliis Sacramentis quando reuiuiscunt: tunc enim gratiam non causant nisi moraliter: & idem dici deberet in hoc Sacramento, si posset reuiuiscere. Quòd si sermo sit de causalitate in gratiam solùm morali, tunc non minùs contritio quàm Sacramentum eam habent: solùm ergo est differentia, quod (vt ostendimus præcedenti Tomo) Sacramentum, quia includit merita Christi, causat de condigno eam remissionem mortalis & gratiam habitualem, contritio verò non nisi de congruo: quid sit autem causare de condigno, quid de congruo, alibi est dictum.

Differentia à Suario assignata reiicitur.

3 Aliam differentiam assignat ratione antiquitatis, quæ maior est in virtute Pœnitentiæ? nam hæc semper fuit necessaria, & in vsu? at sacramentum pœnitentiæ à Christo primum institutum est. Vnde oritur alia differentia, quod Sacramentum difficiliùs adhibeatur, quatenus requirit Ministrum, & quidem dignè ordinatum? Pœnitentia verò potest à solo ipso peccatore exerceri. Est è contrario in alio sensu Sacramentum facilius, quia ad remissionem mortalis non requirit tam perfectum actum; sufficit enim attritio: de quo infrà: extra Sacramentum verò necessaria est contritio aut amor Dei super omnia: qui sunt actus valdè difficiles. Hæ & fortè aliæ minoris momenti, differentiæ & conuenientiæ possunt inter ea duo excogitari, quæ sunt omnibus ferè notæ, ac proinde in illis non est diu hærendum sat est eas insinuasse breuiter.

Alia differentia.

Quos actus includat Pœnitentia.

Secunda difficultas in titulo posita est; Quos actus dicatur Pœnitentia includere, an solum propositum vitæ melioris; an verò etiam debeat interuenire aliquod odium seu dolor circa priorem vitam. In quo puncto quidam huius temporis hæretici putant pœnitentiam hoc vnicum dicere, quòd homo corrigat quæ malè fecit; conanturque id deducere ex deriuatione ipsa vocis, vt videre est apud Bellarminum suprà, qui eum errorem fusè reiicit lib. 1. de Pœnitentiâ cap. 7. Ego in hoc puncto duo distinguenda iudico? vnum est parui momenti circa deriuationem vocis *Pœnitentia*? non enim iam ago Latinum, sed Theologum; breuiter tamen dicendum videtur, cum vox *pœna* significet aliquam afflictionem aut dolorem, procul dubio debere plus significari quàm solam cessationem à peccatis præcedentibus: nihil autem commodius potest significari quàm odium præcedentium peccatorum & dolor, qui nasci solet, quando quis nosci se graue aliquod malum passum esse.

4 Quidquid verò de hoc sit, secunda quæstio de re, quæ hic misceri potest, est, An, siue vox *Pœnitentia* ex suo conceptu id significet, siue non, debeant tamen in pœnitentiâ, quam homo coram Deo agit, vt sit fructuosa, interuenire odium & dolor de commissis peccatis. In quâ quæstione etsi iudicem hæreticos huic dolori non tribuere vllam

vim

vim nec per modum dispositionis ad peccati remissionem; quia illi omnem efficaciam solis actibus Fidei tribuere conantur; vix tamen possum induci, vt credam eos negasse, possibilem esse talem dolorem, aut etiam illum esse bonum moraliter. Etenim adeò est lumine naturæ notum, posse hominem dolere de male factis, quod verbi gratiâ, amicum, Regem, Imperatorem offenderit; adeo item frequentes solent esse dolores huiusmodi, vt iudicari omnino debeat stultus, qui negauerit hominem posse dolere, quòd Deum suum offenderit; quod seipsum exposuerit periculo damnationis æternæ, &c. Negare ergo possibilem dolorem de malè factis, non solum propriis, sed etiam alienis, non cadit in hominem qui vsum habeat rationis. Non est ergo credibile negatam ab hæreticis eam possibilitatem.

Dolor de peccatis est honestus.

Secundum verò, quòd etiam tale odium sit honestum, adeò etiam clarum est lumine naturæ, vt vix potuerit homo rationis capax id negare; & verò cùm hæretici ipsi dicant honestum esse, velle emendare in futurum vitam: profectò non scio quomodo possint dicere, non esse honestum odio habere eandem præteritam vitam malè transactam: omne enim malum morale potest iustissimè & sanctissimè odio haberi. Vnde & Deo ipsi odio est impius & impietas eius: vti enim amor honesti est honestus: ita è contrario odium mali moralis est honestum: non ergo crediderim ab illis negari, odium præteritiæ vitæ esse honestum. Neque item, quatenus illud odium habet in nobis adiunctam 5 anxietatem, seu afflictionem aliquam, qua completur in esse doloris, potest negari quòd sit bonum: supposito enim quòd homo sit capax doloris in communi ob mala sibi aut alteri illata: (de qua capacitate nullus dubitare potest, vt paulò antè dix:) profectò ipso lumine naturæ notum est, esse etiam valdè decens, valdè honestum, vt homo longè amplius doleat, quòd Deum offenderit, quia per hoc grauissimum etiam sibi intulit malum, quàm quòd amiserit fortunas, filios, honorem, &c. quo sensu etiam dolere honestissimè possumus, quòd alij peccent. Et sanè ipsi hæretici frequentissimè dolent, & putant se sanctissimè dolere, quòd non teneamus eorum fidem: quia putant nos in hoc puncto errare. Honestatem autem huius doloris possumus præterea infinitis exemplis ex sacra Scriptura probare: & quidem quoad peccata propria, quid luculentius esse potest quàm Dauidis lacrymæ, dolores, gemitus, quòd Deum offenderit? id quod vix non per omnes Psalmos & eorum versiculos declarat: quid manifestius quàm Petri & Magdalenæ lacrymæ, in quibus & anxietatem, & dolores, & cordis contritiones expertos fuisse quis negabit? Omitto iam ea loca, quibus Deus nos passim per Prophetas ad dolendum de peccatis, & ad agendam pro illis pœnitentiam hortatur. Quoad dolorem item pro peccatis alienis, Dauid ipse de se testatur, se adeò doluisse, quòd homines alij mandata Dei transgrederentur, vt vix non eo dolore contabuerit: quid de Phinees & Mathathia, quibus pro sanctissimo zelo (quique Deo gratissimus fuit) ad rerum ipsorum commotionem accensi sunt? Non ergo est credendum hæreticos huius temporis ausos negare talem dolorem esse honestum, quantumuis dixerint necessarium non esse ad iustificationem; quia, vt notaui, omnia volunt in sola Fide collocare: id quod aliò spectat. De necessitate autem & vtilitate eius doloris ad remissionem peccatorum dicemus infrà fusiùs. Et satis ratione hæreticorum ex voce *Pœnitentia* de more delirantium.

SECTIO SECVNDA.

Quis ex eis actibus sit propriè Pœnitentia.

DIXIMVS obiter intercedere voluntatem emendationis in futurum, odium præteritorum malefactorum dolorem, & quòd ea homo admiserit: iam potest in dubium verti, Quis ex his actibus sit propriè Pœnitentia. Pater Gaspar Hurtadus Tractatu de Pœnitentiæ disput. 1. disputationis primæ obiter insinuat, solam tristitiam, seu dolorem ortum ex odio peccati esse propriè Pœnitentiam; quia sola illa est Pœnitudo: dolorem verò tantum esse radicaliter Pœnitentiam: nam si Pœnitentia dicunitur à pœna, ergo ille solus actus, qui est formaliter pœna, dici potest Pœnitentia. Quæstio est de nomine, cui ex duobus his actibus ea vox debeat applicari. Et sanè si Pœnitentiam à pœna deriuamus, conclusio Patris Hurtadi verosimilis est, & potest suaderi valdè probabiliter Primò; quia Beati esto habeant graue odium eorum peccatorum, quæ in hac vita commiserunt, non dicuntur tamen habere Pœnitentiam; eò quòd ratione status non habeant afflictionem aut dolorem vllum. Secundò, quia ipse Deus esto possit habere odium, non tamen potest habere Pœnitentiam; quia non potest habere dolorem vllum: est quidem in Deo alia ratio, quòd Pœnitentia sit de malo proprio, vt statim dicam. Nihilominùs tamen putarem meliùs nos locuturos, si dixerimus Pœnitentiam includere formaliter vtrumque illum actum, ita vt neuter solus sit Pœnitentia. Per quam doctrinam in primis satisfit propositis instantiis de Deo & Beatis; quia cùm in illis desit actus ille secundus requisitus partialiter ad Pœnitentiam, eo ipso deest illis Pœnitentia: etiamsi non dicamus totam huius rationem in eo secundo actu consistere: ad hoc enim, vt deficiente anima rationali non maneat essentia hominis, sufficit quòd anima sit pars hominis: nec requiritur, vt ipsa sola sit homo. Addo præterea, eam secundam instantiam de Deo non videri ad rem præsentem, quia Deus quantumuis odio habeat aliorum peccata, suas tamen actiones non potest odio habere: Pœnitentia autem sub hac voce omnino essentialiter requirit odium propriarum actionum. Nam etiamsi de alienis possit quis contristari, & vehementer affligi, non tamen tunc dicitur habere Pœnitentiam: ergo ex defectu afflictionis &, doloris, præcisè loquendo, non est Deus incapax Pœnitentiæ, sed aliunde id ei prouenit. Et hæc quoad instantias.

6 *Sententia P. Hurtadi.*

Nostra sententia.

Soluuntur instantiæ.

Quòd verò meliùs dicamus tam odium esse partem formalem Pœnitentiæ quam ipsam afflictionem, patet Primò: quia si præcisè consideretur anxietas illa & afflictio, seu (vt sic dicam) dolor ille sensibilis, nequaquam sufficit ad Pœnitentiam, nisi sit detestatio præcedentis, imò & propositum nouæ vitæ: quia anxietas, afflictio & dolor ille sæpissimè reperitur in multis ob peccata commissa: qui tamen non ideò habent

7 *Probatur assertio.*

bent propriam rationem Pœnitentiæ: nam licet gemant sub onere, non tamen detestantur absolutè quod fecerunt; nec cogitant illud deserere: id quod maximè ad Pœnitentiam videtur esse necessarium. Secundò id ipsum suadetur, nam detestari peccatum, & habere illud odio videtur esse quasi substantia Pœnitentiæ, ex quâ deinde reliqua in subiecto capaci sequuntur; vti suo modo dicimus è contrario visionem solam beatam, ex quâ deinde gaudium, lætitia, &c. resultant, esse beatitudinem essentialem: ex quo capite fortasse potiùs è contrario solum illud odium videretur vocandum Pœnitentia, nisi in hac quæstione de nomine obesset communis modus loquendi negans Beatis Pœnitentiam, esto ibi sit illud odium; negans inquam, eò quòd illis desit afflictio & dolor: vnde colligimus homines voluisse per eam vocem significare vtrumque illum actum simul sumptum, hoc est, & illum qui est radix reliquorum, & alios ex illo ortos.

8. Deriuatio vocis Pœnitentia.

Et hinc etiam respondetur ad fundamentum ex deriuatione vocis; fatemur ergo nunc vocem illam deriuari à pœnâ; (quod fortasse aliquis in dubium verteret;) dicimus tamen non ideo sequi, omnes actus, qui constituunt Pœnitentiam formaliter, debere esse pœnales: sufficit enim, si aliquis ex illis sit. Adde, iure merito illud odium dici posse pœnale tanquam radicem pœnæ. Pro quo aduerto hanc vocem *Pœnitentia*, si deriuatur a voce *pœna* (vt iam supponimus) non deriuari à pœnâ prout purè putè significat illum dolorem, & eam afflictionem, quæ reperi i potest in actibus ipsis voluntatis vt purè interioribus; quia hi actus in Latinâ linguâ propriè non dicuntur pœna: hoc enim nomen ad exteriorem dolorem, & ad obiecta ipsa, quæ ab homine exteriùs tolerantur ordinariè & primariò applicatur; certum est autem sine ciusmodi doloribus saluari posse totam essentiam perfectissimæ Pœnitentiæ, quæ vt sic, etiam Theologicè loquendo, insolis actibus liberis voluntatis consistit; & ex eo capite potest per se in Angelis & in animabus separatis reperiri; ergo argumentum à deriuatione vocis nimis multum probat, scilicet nec ipsius voluntatis dolorem esse formaliter & propriè Pœnitentiam, sed summum causam illius: ergo illud odium, etiamsi in se non sit pœna, potest tamen dici Pœnitentia; quia est causa, vt huiusmodi pœnæ exteriores in compensationem culpæ assumantur. Pro intento tandem nostro addo, supposito illo odio peccati ob motiuum honestum, siue hoc sit ipsa honestas virtutis, cui peccatum opponitur, siue infinita Dei bonitas, dolorem & afflictionem illam ferè necessariò sequi sine vllâ nouâ libertate, si subiectum sit capax doloris & afflictionis; ac proinde non posse in eâ afflictione & tristitiâ propriè consistere rationem Pœnitentiæ de quâ nunc disputamus; quia hæc debet esse actus omnino liber & meritorius. Et de hac quæstione, quæ ferè tota est de nomine, satis.

Quid sit propriè pœna.

Pœnitentia non est propriè pœna, sed causa pœnæ.

SECTIO TERTIA.

Quo pacto Pœnitentia supponens peccatum possit esse virtus: vbi de pudoris honestate.

RAtio dubitandi desumitur ex Aristotele 2. Ethicorum cap. 7. & libro. 4. cap. vlt. vbi docet, verecundiam non esse virtutem, quia culpam supponit; esse tamen passionem laudabilem: hinc enim infertur, Pœnitentiam, quæ etiam supponit culpam, non esse virtutem. Occasione huius obiectionis valdè multa dicuntur circa honestatem verecundiæ, quæ à nobis sunt breuiter examinanda non tam ratione ipsius verecundiæ & pudoris, non enim est hic locus de pudore disputandi, quàm quia occasionem nobis præbent examinandi aliqua principia ad genus moris pertinentia, quæ sunt scitu dignissima.

SVBSECTIO PRIMA.

Respondetur Aristotelis testimonio, & examinantur rationes Vasquez & Diui Thomæ circa honestatem pudoris.

IGitur ad Aristotelem dicimus, Eum videri solum locutum de passione partis inferioris, ita vt actus verecundiæ non sit formaliter liber: & in eo sensu non est contra nos, etiamsi reiiciat verecundiam à ratione virtutis; quia virtus omnis debet esse actus voluntatis propriè & formaliter liber; qualis est actus Pœnitentiæ, de quo nunc loquimur: in substantiâ ergo doctrinæ non est nobis contrarius: adhuc tamen ratio, quâ id probat, habet difficultatem; de quâ statim. Quod si loquatur Aristoteles de actu libero voluntatis, & illum dicat non esse virtutem, esse tamen laudabilem; profectò loquitur minùs consequenter. Nam omnis actus voluntatis liber & laudabilis est eo ipso honestus: vnde enim haberet eam laudabilitatem, nisi honestum obiectum respiceret? ergo est actus virtutis.

Sensus Aristotelis.

10. Ratio Aristotelis retunditur.

Fatendum ergo est cum Patre Vasquez, Aristotelem male argumentatum esse. Nam supponere culpam non probat actum sequentem non posse esse honestum; certè detestari male facta lumine naturæ apparet honestum, vti & velle se emendare, vt diximus paulò antè. Et potest ad hominem id vrgeri. Nam iustitia punitiua etiam in Aristotelis doctrinâ est virtus vera & propria; & tamen supponit culpam; ergo.

Potest actus honestus supponere culpam.

Respondebis forte Iustitiam supponere culpam non ex parte eam habentis, sed ex parte illorum qui puniuntur; hoc autem non esse contra rationem virtutis. Sed contrà, quia hæc differentia nulla omnino est. Nam si semel admittamus non esse contra rationem virtutis, quòd supponat culpam; per accidens profectò erit, quòd hæc præcedat ex parte operantis, aut ex parte alterius: fateri enim debet Aristoteles, etiam illum qui peccauit posse deinde habere actus bonos & virtutes; hoc autem, admisso, cur quæso impedietur actus ille, quò minùs sit bonus, ex eo quòd ex parte subiecti proprij potius quàm ex parte alterius præsupponat culpam? non est ergo multùm de Aristotele curandum in materiâ virtutum.

11. An verecundia sit virtus. Sententia P. Vasquez reijcitur.

Quoad pudorem verò, Vtrùm ille sit actus virtutis nécne, est, vt dixi, maxima dissensio inter Auctores; inter quos Pater Vasquez Tomo 4. quæst. 85. d. vnicâ omnino censet pudorem non esse virtutem, quia habet pro motiuo fugam infamiæ ex affectu æstimationis & honoris proprij; hoc autem motiuum, quia aliquando abstrahit à peccato, aliquando etiam ad illud impellit, non est laudabile; ac proinde ait nec verecundiam illud respicientem esse virtutem.

tem. Hæc ratio mihi nullo modo probatur, quia (vt fusè ostendi Tomo 5. dum de virtute humilitatis disputaui) honor proprius & bona æstimatio sunt obiecta honesta, possuntque per se terminare actum virtutis non minùs quàm sanitas & conseruatio vitæ; neque est necesse eum honorem ad vlteriorem alium honestum finem ordinare. Videtur Pater Vasquez loco citato aliquo modo præsensisse difficultatem, & non satis consequenter locutus; nam post tres aut quatuor lineas addit, timorem infamiæ non esse virtutem, nisi forsan illam dicamus ad virtutem magnanimitatis pertinere, quæ etiam curat propriam dignitatem & honorem secundùm debitam mensuram, &c. Hæc ille: quibus iam fatetur timorem infamiæ esse virtutis actum, siue illa virtus sit magnanimitas, siue quæcumque alia: (id quod ego iam non curo:) ergo, eò quòd verecundia fugiat infamiam, & velit conseruare suum honorem, non debet reiici à ratione virtutis. Quod autem obiiciebatur, illud motiuum, etsi aliquando hominem retrahat à peccato, etiam posse è contrario inducere in peccatum: ergo non est honestum: hoc inquam non habet difficultatem vllam, quia suo modo de omnibus motiuis reliquarum virtutum dici potest. Nam affectus abstinentiæ v. g. potest etiam hominem inducere in peccatum, vt cùm quis cum detrimento sanitatis abstinet: aut si contra voluntatem Superioris abstineat: & idem suo modo dici potest de cæteris virtutibus, sola excepta charitate, quæ non habet medium: imò ipsum propositum vniuersale numquam peccandi ob pœnas inferni inducere eo sensu posset ad peccandum, si alicui proponeretur: *Tu damnaberis ad inferos, si non feceris peccatum hoc*: solum ergo charitatis motiuum est tale, quod nunquam possit admittere vllum peccatum; ergo ex eo capite non debet motiuum verecundiæ à vera ratione virtutis reiici. Absolutè ergo respondemus: Quòd motiuum aliquod virtutis possit in vno aut altero casu ad peccandum inducere, non oriri ex ipso motiuo, sed ex nimio affectu illius, & quia non amatur sub debitis circumstantiis: vt cùm vult quis orare, dum videt se teneri proximo periclitanti de vita accurrere. Ideò dici communiter solet, prudentiam ponere medium seu modum in virtutibus. Amor ergo proprij honoris, sicut amor propriæ vitæ, propriæ sanitatis, &c. in se est honestus, quando sub regulis prudentiæ fit: ergo adhuc non ostenditur, cur verecundia, dum honorem eum amat, non sit virtuosa ex se, nisi probetur, quòd non habeat debitas circumstantias. Diuus Thomas eo art. quæst. 85. pudorem & verecundiam etiam reiicit à ratione virtutis, non tamen Pœnitentiam: quia hæc necessariò est de malo præterito: pudor verè potest esse de præsenti: non est autem contra rationem virtutis respicere malum vt præteritum, secùs vt præsens. Hanc explicationem etiam defendit Pater Suarez disputatione 7. sect. 1. num. 9. eam verò reiicit Vasquez, eò quòd non minùs Pœnitentia potest esse de malo immediatè antè commissio quàm pudor. Ergo ex hoc capite non assignatur disparitas inter Pœnitentiam & pudorem. Arbitror tamen Diuum Thomam plus voluisse quàm hîc putet Vasquez. Et verò Pater Suarez expressè Diuum Thomam explicat ita, vt senserit Pœnitentiam supponere essentialiter, saltem vno instanti antè fuisse peccatum, & non esse ipso momento, in quo illa est; verecundiam verò optimè posse esse de peccato adhuc durante eo instanti, quo ipsa verecundia existit. Id quod duobus modis potest explicari; Primo, vt loquatur D. Thomas non de peccato, quod est occasio remota verecundiæ, sed de infamia illa quæ ex peccato sequitur, & de qua proximè est verecundia: est enim dolor de ignominia. Certum autem est ignominiam hanc posse esse de præsenti, quando est pudor: imò maximum tunc esse pudorem, quando ignominia est præsens: quando enim iam ignominia præteriit, non ita homo pudebit, seu verecundatur. In hoc sensu aliquis putaret Diuum Thomam locutum fuisse, dum dixit verecundiam esse de malo præsenti, Pœnitentiam verò necessariò de præterito: & ita illum intellexit Pater Suarez eo loco citato. Mihi tamen non satisfacit hæc explicatio vllo modo, neque est ad mentem Diui Thomæ: nam hîc nomine *mali* expressè intelligit turpe factum: mala autem fama in se non est turpe factum, esto oriatur ex illo: hoc ergo turpe factum dicit Diuus Thomas esse posse præsens dum est verecundia. Deinde in Pœnitentia possemus aliquid simile euenire. nam post peccatum manet displicentia actualis Dei in peccatorem, manet in hoc dignitas ad odium & pœnam quæ omnia ex natura rei possunt esse præsentia, etiam quando homo perfectissimam exercet pœnitentiam supernaturalem, etiam actus contritionis & amoris Dei super omnia; quia (vt suppono) contritio ex natura rei non sufficit ad expellendum peccatum, sed id purè putè prouenit de facto ex liberalitate Dei. Præterea etiam de facto potest cohærere peccatum habituale cum actibus reliquis Pœnitentiæ supernaturalibus & honestis, qui non sunt actus contritionis: ergo ex hoc capite non saluatur benè ea differentia inter Pœnitentiam & verecundiam, quam Diuus Thomas intendit. Id ergo aliter explicandum, vt videatur Sanctus Doctor locutus. Primò de præsentia quasi morali: nam sæpè contingit hominem deprehendi ab aliis in ipsa planè actione turpi: vnde quasi eodem momento vix dato loco ad cessandum ab illa incipit pudor seu verecundia: & licet eo ipso iam homo ille cesset à continuatione peccati aut facti illius turpis: nihilominùs respectu eius exercitij actualis, in quo deprehensus est, rectè dicuntur eodem instanti & culpa & verecundia fuisse. Secundò, vt in toto rigore physico dicamus id aliquando euenire: fieri enim potest vt duo se inuicem in eodem instanti physico primò videant, quia sibi occurrunt: contingere ergo potest, vt eo instanti, quo quis furatur, videatur ab alio, & ipse illum alterum videat: ecce in eodem instanti reali est peccatum ipsum & verecundia. Et verò ad hoc non est necessum, vt simul primò se videant; nam si ego occultè videbam alterum furantem, aut aliud turpe facientem, & ipse non mutata aut voluntate aut actione exteriori me aspicientem se videat, eo ipso momento verecundabitur, antequam volitionem interiorem & exteriorem actionem possit reuocare: id quod experientia quotidiana compertum est. In Pœnitentia id locum habere non potest, quia hæc necessariò debet esse saltem vno instanti post peccatum: in casu autem posito illa vehemens displicentia non tam est dolor de ipso turpi facto, quàm quòd homo sit deprehensus: ac proinde tunc immediatè, & proximè non est de culpa, sed de infa-

12 *Non obest virtuti, quòd eius motiuum aliquando inclinet ad malum.*

13 *Sententia D. Thomæ.*

Reficitur à P. Vasquez.

Suarez explicat Diuum Thomam.

14 *Reficitur hæc explicatio.*

Aliter explicatur. D. Thomas contra Vasquez.

15

miâ ; ideóque tunc non habet rationem virtutis, vt ait Diuus Thomas : contra quem sic explicatum nihil valent argumenta Patris Vasquez, quia reuerà non ostendunt, pudorem non posse esse de præsenti turpi facto.

Aliter oppugnatur D. Thom à quibusdam.

Secundò ergo posset ex Recentioribus impugnari Diuus Thomas; quia etiam si verecundia possit esse de turpi facto præsenti, non ideo excluditur à ratione actus virtutis. Etenim si quis haberet actum aliquem Fidei diuinæ, quo ipso instanti, quo peccat, nosceret se peccare, actus ille necessariò & essentialiter supponeret peccatum eodem omnino instanti, quo ipse est; & tamen non idcò excluderetur à ratione honesti ac supernaturalis ; ergo idem de verecundiâ dicere possumus, etiamsi supponat præsens factum turpe, ob quod verecundatur homo. Respondeo,

16 *Hæc oppugnatio resistitur.*

Neque hanc rationem esse vrgentem, quia aliud est loqui de actu voluntatis, de quo solùm agit Diuus Thomas, aliud verò de actibus intellectus, qui suam supernaturalitatem non ab obiecti honestate accipiunt, neque à præsentiâ vel absentiâ obiecti, sed ex eo, quòd illud re ipsâ noscant prout in se est ; & quòd per auxilium supernaturale fiant innitantúrque Deo loquenti : quæ omnia fieri possunt, etiamsi obiectum in se sit malum. At actus voluntatis displicentiæ, qui suam bonitatem solùm habere potest ex retractatione mali operis, certè eo ipso quod cohæreat cum illo malo opere, non potest, habere rationem virtutis : qualis enim alia virtus est, quæ eam frigidè malum reiicit, vt cum illo omnino cohæreat?

Dixi, *Eum actum voluntatis non posse esse honestum, qui ex retractione mali operis habere deberet bonitatem*, vt occurrerem replicæ quæ fieri posset, si diceretur etiam ad actum ipsum Fidei debere concurrere actum voluntatis honestum, scilicet piam affectionem ; ac proinde posse etiam actum voluntatis honestum supponere in eodem instanti actum alium voluntatis malum. Vt ergo huic obiectioni occurrerem, locutus sum de actibus illi voluntatis, qui solùm possunt habere honestatem ex eo, quòd reiiciant actum aliquem malum : ibi enim apparet, si ita illum reiicunt, vt simul cum eo cohæreant, non posse esse absolute virtuosum. Contra quam rationem non facit instantia è piâ affectione supernaturali ; nam hæc non habet honestatem ex eo quòd reiiciat illum actum, cuius existentiam credit, sed ex eo, quòd determinet intellectum ad assentiendum Deo dicenti, id quod re ipsâ tunc præstat; ergo adhuc ratio Diui Tomæ videtur subsistere.

17 *Reijcitur efficaciter D. Thoma sententia.*

Facilius ergo reiici potest, quia non soli actus efficaces voluntatis sunt virtuosi & honesti, sed etiam simplices complacentiæ, si sint circa obiectum honestum ; nam & simplex complacentia circa Deum est honesta, & simplex amor castitatis est honestus ; & sic de reliquis complacentijs circa obiecta honesta dicendum est. Fateor quidem illas non esse sufficientes vt denominet hominem absolutè virtuosum, quia huiusmodi denominationes ab actibus efficacibus præcisè desumantur ; & verò nec quidem ab vno aut altero efficaci, cùm tamen certissimum sit illum esse honestum, sed à multis simul, quique sufficiant ad constituendum hominem affectum habitualiter virtuti. Hinc autem non colligitur eas complacentias non esse in se honestas : de quo solo puncto nunc disputamus. Hinc argumentor : Ratio Diui Thomæ ex eo desumpta, quòd verecundia esse possit de turpi malo præsenti, nihil aliud putè putè probat, quàm quòd verecundia seu pudor non sit efficax retractatio mali moralis ; nam hæc non cohæret simul in eodem instanti cum ipso malo retractato : nullo autem modo probat non posse esse aliquam inefficacem displicentiam honestam in malitiâ ipsâ morali ; ergo adhuc non redditur ratio sufficiens, cur actus pudoris non sit in suo conceptu honestus.

SVBSECTIO SECVNDA.

Examinantur rationes quorumdam Recentiorum.

18 *Prima ratio.*

PRIMA sit eorum, qui arbitrantes se à Diui Thomæ examinatâ ratione discedere, aliam adducunt ad excludendum pudorem à ratione virtutis : quæ meo iudicio in eamdem, quam reiecerunt, Diui Tomæ relabitur : dicunt ergo hi, Pudorem non esse efficacem detestationem mali moralis, ac proinde non esse virtutem. Hanc rationem dixi relabi in sententiam Diui Thomæ, quia hic (vt ostendimus immediatè antè) non videtur aliâ ratione pudorem illum excludere à ratione virtutis, quàm quòd eo ipso non sit efficax detestatio peccati ; virtus autem non cohæret cum peccato; relabitur ergo ea ratio in rationem Diui Thomæ.

Reijcitur Primò.

Quidquid verò sit, Vtrùm in se coincidant hæ rationes, sic contra hanc secundam argumentor Primò ? quia sine vllo fundamento dicitur ab his, pudorem non esse detestationem efficacem mali moralis. Etenim motiuum illud infamiæ ex se sufficentissimum est ad detestationem efficacissimam, fortè non minùs quàm motiua aliarum virtutum, quæ aut odio prosequuntur, aut amant efficaciter sua obiecta. Sicut enim, qui peccatum potest esse causa vt damnet in perpetuum, possum ex timore damnationis efficaciter detestari illud peccatum ; ita eodem modo, quia peccatum causare potest infamiam, possum illud efficaciter detestari, ne eam infamiam incurram : ergo ex se potest pudor esse affectus efficax non minùs quàm in alijs virtutibus.

19

Dixi *posse esse sufficiens motiuum ad efficacem detestationem*, quia non intendo semper esse efficax odium peccati, seu turpis facti ex quo oritur : hoc enim nec alijs motiuis conuenit, nec quidem ipsi Deo ; qui tamen est nobilissimum motiuum, & non cogit vt ametur efficacitet semper ; potest enim amari per solam simplicem complacentiam : & idem est de fugâ inferni, quæ non semper efficaciter amatur. Ratio autem à prioti est ; nam voluntas non tenetur ferri efficaciter in quodlibet motiuum honestum, sed potest aliquando efficaciter, aliquando inefficaciter illud amare, aut odio habere ; vti in ipsâ Pœnitentiâ constat ; nam possum etiam habere inefficacem tantùm affectum deserendi peccata ob timorem inferni, ergo verecundia quâ talis non magis est inefficax quàm reliquæ virtutes, vnde non debet ex hoc capite ab earum numero reiici.

Occurritur replicæ.

Replicabis fortè : Pudor non potest habere vim ad vitandam culpam, nisi quando est periculum ne homo deprehendatur ; ergo neque est motiuum ad vitandum interiorem affectum, neque

neque ad exteriorem actum, si sit planè occultus; hoc tamen habent reliquæ virtutes. Respondeo, Ad hoc, vt motiuum sit honestum, non esse necessum illud extendi ad omnia, & ad omnes casus; sufficit enim, si vi illius possint multa peccata vitari: vt patet in fugâ inferni; nam si Deus non apposuisset peccatis eam pœnam, non sufficere tunc ea fuga ad vitada peccata; & tamen quia nunc sufficit, est honestissimum motiuum: & vt etiam de statu præsenti loquamur, certum est non omnia peccata mortalia causare re ipsâ
20 infernum, sed ea sola, quæ cum impœnitentia finali sunt coniuncta; & tamen illud motiuum non solùm sufficit vt ego dicam, *Nolo mori sine pœnitentiâ*, sed vt omnia omnino peccata vitem, esto sit fere certa spes, quòd possim deinde agere pœnitentiam. Item, etiamsi sciam nullum hic & nunc ex meo mendacio secuturum planè damnum Reipublicæ rationali? nihilominùs possum ex eo motiuo detestari mendacium illud. Vnde dum agitur de Legibus, dici solet eas obligare, etiamsi in hoc aut illo casu non videatur habere locum eius Legis ratio. Hinc ego argumentor: Si potest Lex obligare vt fugiam aliquam actionem, esto tunc temporis non videatur per accidens motiuum Legis vrgere? profectò etiam potero tunc illud obiectum odio habere vi illius motiui vt per se annexi ei actioni, etiamsi hic & nunc in eo actu non reperiatur; quia ex se semper potest reperiri. Respondeo Secundò, Etiam motiuum speciale turpitudinis, quæ reperitur in bestialitate v. g. sufficere vt homo honestè ratione illius fugiat eam bestialitatem; etiamsi illud motiuum nullo modo sufficiat non solùm ad omnia peccata vitanda absolutè) sed nec ad omnia intra ipsam materiam luxuriæ, sed aliqua tantùm. Ratio à priori est facilis, quia non solum est honestum omnia simul peccata vitare, sed etiam vnicum fugere est honestum; ergo licet pudor, seu verecundia non vitet nisi peccata, quæ scandalum adferre possunt, adhuc erit verè & propriè virtus. Quod verò dicebatur, per illam solùm vitari actionem externam, falsum est; nam eo ipso quod vitet actionem externam, vitat volitionem efficacem illius; in volitione autem efficaci tantùm consistit malitia ordinariè loquendo. Et (vt verum fatear) ego non video difficultatem maiorem quoad hoc punctum in verecundiâ præ iustitiâ, temperantiâ, & multis alijs virtutibus: etenim sicut obiectio dicit, pudorem solum coërcere actum exteriorem, quia hic solus est qui potest causare infamiam? ita dicam, Virtutem temperantiæ non compescere nisi solam actionem exteriorem comedendi aut bibendi nimium; quia sola hæc actio potest nocere sanitati, potest inebriare; &c. & idem est de virtute, quæ prohibet, ne occidam alterum; dicam enim illam solam prohibere occisionem, externam, non verò volitionem interiorem; quia volitio interior non nocet Reipublicæ, neque alterum priuat vitâ.
21 Vti ergo omnes, & bene respondebunt; Eo ipso quòd prohibeatur actio exterior, prohiberi etiam interiorem volitionem efficacem, quæ ordinariè sola est peccatum, vt dixi; ita de verecundiâ nos dicimus, Si illa frænat hominem ab actione exteriori, eo ipso frænare debere à volitione efficaci interiori.

Dixi, *Ordinariè solam volitionem efficacem esse peccatum*; quia iam non disputo, An aliquando possint simplices complacentiæ aliquæ esse etiam peccatum, id quod locum maximè habet in materiâ carnis; ad meum enim intentum omnino hoc est per accidens. Nam sicut si quis diceret, *Ego occiderem, aut fornicarer, si non timerem ab alijs deprehendi in ipso facto*, tunc peccaret; ita si etiam quis diceret, *Occiderem Petrum, si non esset infernus*, eodem modo peccaret: vti item è contrario per hoc non sequitur fugam inferni non esse honestum motiuum quando sine eis voli ionibus conditionalibus deseritur re ipsâ peccatum; ita eodem modo dicere debemus verecundiam esse honestam, quando ob timorem infamiæ absolutè deseritur peccatum sine volitione illâ conditionali, *Facerem hoc, si non timerem videri*. Hæc enim non sunt connexa vllo prorsus modo cum eo motiuo. Adhuc ergo non reiicitur sufficienter verecundia a ratione virtutis.

Reiicitur Secundò.

Secundo impugno eam solutionem de affectu inefficaci quia licet concederemus verecundiam nunquam esse nisi simplicem displicentiam circa peccatum; non ideo deberet dici illam non esse actum honestum ac virtuosum. Nam ipsæ similes complacentiæ in obiectis honestis sub motiuo honesto sunt honestæ & meritoriæ; licet non sufficiant ad denominandum hominem absolutè v. g. misericordem, &c. vt contra rationem D. Thomæ dixi paulò antè.

Sufficit ad motiuum honestum, si aliqua peccata ex eo caueri possint.

Verecundia tollit nō tantùm actum externum, sed etiam internum affectum.

Secunda ergo aliorum Recentiorum ratio ad excludendum pudorem à ratione virtutis ea est, quòd pudor non fugiat malitiam ipsam actionis turpis, sed infamiam inde ortam; quod vel inde videtur optimè probari: Nam si quis posset occultè peccare, ita vt nullo modo esset periculum infamiæ, non curaret planè culpam admittere. Hæc solutio mihi maximè placuit, dum hanc materiam bis docui, nunc tamen iudico illam iudicio maiori examine: Etenim si ea fundetur in hoc, quòd motiuum illud non possit, quantum est ex se, hominem auocare à culpâ, nisi quando hæc habet per se modo suprà explicato adiunctum periculum infamiæ, verissimam doctrinam supponit: at hoc ipsum inuenire possumus in virtute Pœnitentiæ, prout est detestatio peccati ob pœnas inferni, aut ob beatitudinem æternam? nam si poneremus Deum nec voluisse hominem peccatorem punire pœnâ æternâ, nec eam ad gloriam eleuare, sine dubio eo casu illa virtus non posset retrahere hominem à peccato; non tamen propterea nunc est reiicienda à conceptu virtutis, vt & suprà insinuaui. Ratio est manifesta, quia non est de essentia virtutis cuiuslibet omnia peccata ia omni occasione vitare; alioquin neque castitas, quia non vitat alia peccata extra suam materiam, neque misericordia, &c. deberet esse virtus: id quod apertè est falsum. Secundò ergo potest ea solutio ita intelligi, vt dicat pudorem non solùm non habere eam vim retrahendi à peccato, casu quo non esset periculum infamiæ, sed vt positiuè planè afficiatur ipsi malitiæ, dicátque quasi reflexe; *Non vitarem hanc culpam si non timerem infamiam.* In hoc sensu fatemur quidem (vt paulò superiùs notaui) talem volitionem conditionatam esse peccatum; addimus tamen id non esse proprium verecundiæ; potest enim inueniri in motiuo pœnitentiæ. Nam si quis dicat, *Si non esset infernus peccarem*; item *Si non timerem gloriam amittere, hunc ego occiderem, esto id esset peccatum*, haud dubiè peccaret; nondum ergo adstruitur differentia inter pudorem

Examinatur. Proponitur primus eius sensus.

Et reijcitur;

Proponitur secundus sensus.

23 *Et reijcitur.*

& Pœnitentiam : quod si ideo dicatur pudorem semper habere annexum affectum huiusmodi conditionatum, ideoque semper esse malum, profectò non video, quo probabili argumento possit id persuaderi : cur enim non poterit esse talis pudor qui dicat, *Nolo malum hoc morale committere, ne ob illud incurram infamiam*, nihil amplius de ea violatione conditionata cogitando : sicut possum dicere, *Nolo peccare, ne infernum incurram ?* Et vero id suppositi Aristoteles frequenter contingere, dum dixit iuuenibus pudorem esse bonum, quia illos remouet à peccato : non posset autem remouere, si esset malus in se : in senibus autem ideò Aristoteles censuit illum non esse bonum, quia iudicauit senes, vt boni sint, debere in nulla omnino materia minùs bene operari, seu, non debere mali aliquid committere, vnde teneantur deinde erubescere : fortè putauit ita virtutes connexas esse debere inter se, vt si vna desit, aliæ non habeant rationem virtutis. Sed de Aristotele iam dixi curandum non esse.

24 *Proponitur tertius sensus.* Tertiò denique ea solutio potest ita intelligi, vt homo deprehensus in peccato & erubescens non doleat vllo modo quòd peccauerit, sed purè pute quòd sit deprehensus : ita vt ea infamia, quam tunc incurrit, sit non solùm motiuum formale adæquatum, sed etiam totum obiectum materiale doloris, etiamsi alioquin motiuum illud ex se sit sufficientissimum ad detestandum præterea ipsum peccatum, si voluntas vellet eo vti pro tali detestatione. *Et reijcitur.* Hæc solutio est valdè probabilis, quatenus ait homines aliquando eo solo modo dolere dum deprehenduntur male operantes : non tamen est vniuersaliter vera : quia frequentissimè dolor ille etiam transit ad ipsa peccata, vt ad materiale obiectum quod detestatur, & quod proponit non admittere ampliùs, ne in eam incidat : & saltem tunc verecundia deberet dici virtus.

Refutatur absolutè hæc secunda ratio. Secundò ea solutio habet difficultatem, quia etiam admisso eo dolore cum tali limitatione videtur adhuc dicendum eum, esse honestum. Nam (vt ostendi Tomo 5.) honestum est, supposito quòd homo peccet, nolle illud facere coram aliis, ne diffametur. Vti enim honestum est me nolle publicare delictum alterius etiam verum : ita est honestum, si ego ipse de meo delicto id cupiam : nam licet velle peccatum illud haud dubiè sit malum, velle tamen vt illud lateat honestum est : ergo è contrario dolere quòd fuerit detectum, etiamsi de illo ipso non doleat, tunc per talem actum, dummodò per illum non amet peccatum erit actus honestus, perinde ac si dolerem quòd peccatum à proximo commissum iam detegeretur, & ille infamaretur. Id enim quod potest Petrus circa me honestè velle, possum ego etiam velle honestè vt ab eo fiat : ergo si ille potest honestè velle ne meum peccatum publicetur, possum ego id ipsum etiam honestè amare : ergo etiam sic conceptus ille pudor erit honestus.

25 *Reijcitur P. Suarez.* Vnde à fortiori reiiciendus est Pater Suarez suprà num. 9. vbi ait, etiamsi ob vitandum dedecus homo fugiat ipsum peccatum, actum tamen adhuc non futurum honestum, quia motiuum illud fugiendi dedecus non est honestum, sed ad summum indifferens. Vbi mitor à Patre Suario dici *ad summum indifferens* : quasi dubitaret, verùm non esse malum : ex quo enim quæsò capite fugere dedecus, ibi sistendo, potest habere malitiam : aut contrà, quod quæso præceptum naturale potest vel probabiliter dici esse eam fugam? Secundò dico minùs bene id doceri : quia, vt ex loco citato constat, fugere infamiam est ex se positiuè honestum.

SVBSECTIO TERTIA.

Concluditur quæstio, & aliquæ aliæ obiectiones contra honestatem Pœnitentiæ soluuntur.

EX his omnibus CONCLVDO PRIMÒ, Pudorem, si sumatur pro actu interiori voluntatis, quo quis, ne infamiam incurrat, vult omittere actionem malam, ex qua ea infamia sequitur, esse actum virtutis, non minùs quam volitionem non bibendi nimium : eo quod ex illo nimio haustu sequi potest infirmitas aut turbatio capitis : non enim est ex se minus honestum motiuum cauere infamiam, & curam habere de bono nomine, quàm curam sanitatis : imò ex se videtur esse longè excellentius motiuum, & magis dignum homine. 26 *Verecundia vt est actus liber voluntatis est virtus.*

Dixi *per se esse honestum* : quia quod aliquando per accidens detur excessus in eius amore, aut quòd voluntas habeat eos actus conditionatos, *Si non esset infamia*, &c. non derogat neque in minimo honestati eius motiui, vti neque aliis motiuis, in quibus, vt ostensum est possunt reperiri similes excessus.

Dixi item, *Si pudor accipiatur pro actu libero voluntatis* : nam (vt statim initio ostendi) si sumatur pro passione illa corporis, qua homo deprehensus in aliquo facto reprehensibili, imò sæpè etiam laudabili, erubescit, cùm actus ille non sit liber, non potest esse formaliter virtuosus : arguit tamen indolem bonam.

SECVNDÒ DICO, Etiamsi pudor ille non sit vniuersaliter sufficiens ad vitandum semper illud peccatum, sed quando est periculum, ne deprehendatur, posse esse actum bonum, dummodo nihil planè dicat, *Facerem, si non viderer* : sed præcisè ille dicat, *Nolo in aliorum præsentia, aut quando possum deprehendi, peccare* : hoc enim obiectum secundùm se etiam est bonum, sicut qui vult alios non scandalizare, vt fusè deductum est. *Non obest virtuti verecundiæ, quod non habeat motiuum vniuersale.*

Iam ad lineam de Pœnitentiæ honestate : contra quam adhuc obiici potest : Pœnitentia non habet obiectum bonum, sed potiùs malum, scilicet peccatum : ergo non est honesta, nec virtuosa. Huic obiectioni satisfactum est initio disputationi, vbi diximus, licet actus persecutionis & amoris, vt boni sint requirant obiectum bonum, actus tamen odij & fugæ contrarium petere : sicut enim ratio naturalis dictat bonum esse amandum : ita etiam dictat malum esse fugiendum, & odio habendum : vti etiam in intellectu vt assensus sit bonus debet esse circa verum : è contrario verò dissensus debet esse circa falsum. Secundò dicimus, Odio habere peccata, saltem virtualiter, esse amare carentiam peccati : sicut odio habere lucem est amare tenebras : quæ sunt priuatio lucis. Carentia verò peccati bona est, licet ipsum peccatum sit malum : imò ideò, quia hoc est malum, illa est bona. Tertiò tandem respondetur : Etsi Pœnitentia tendat in obiectum malum, tendere tamen sub ratione honesta, quam infrà explicaturi sumus. Vti qui mortem optat Amico in occasione qua 27 *Secunda obiectio : Quod Pœnitentia habeat obiectum malum : Soluitur.*

iudicat

indicat probabiliter illum saluandum, periturum verò si diutiùs viuat; optat quidem rem immediatè malam amico, quia tamen sub honestissimo motiuo actus ille honestus est. Hæc tamen tertia solutio non potest subsistere in præsenti; nam licet obiecta, quæ physicè tantùm sunt mala, vt mors amici, morbus, &c. possint aliquando licitè optari sub honesto motiuo; si tamen sint inhonesta moraliter, non possunt sub vlla alia ratione formali quantumuis honesta amari licitè; ergo peccatum, quod in se est inhonestum, non potest amari honestè sub vlla formali ratione: quòd si ideò dicatur illud per Pœnitentiam non amari, sed odio haberi, iam tunc hæc tertia solutio relabetur omnino in primam; quæ sine dubio bona est.

Potest malum physicum honestè amari sub aliquâ ratione honestâ; non tamen malum morale.

28 *Obiectio tertia:*

Tertiò obiicitur: Pœnitentia non est bona nisi supposito peccato; ergo non est per se expetibilis, ergo nec virtus: omnis enim virtus est haud dubiè per se amabilis. Respondeo, Non esse de ratione virtutis, vt ante omnem suppositionem sit expetibilis; sufficit enim vt facta aliqua suppositione sit bona & amabilis, sicut misericordia, quæ non est expetibilis nisi post malum proximi, iustitia punitiua post alterius delictum: de quo etiam suprà diximus. *Soluitur.*

Obiectio quarta: Qua tò tandem obiicitur: Virtus operatur cum delectatione, sed Pœnitentia non operatur nisi cum tristitia & dolore; ergo non est virtus. Nego maiorem vniuersaliter; nam etiam misericordia non operatur cum delectatione, sed cum dolore & condolentia de malo proximi, & similiter iustitia punitiua: est ergo de ratione virtutis operari cum facilitate; & quidem hoc ipsum solum est de ratione virtutis perfectè possessæ. Hoc autem habet Pœnitentia, quæ si intensa, & perfectè possessa sit, inclinat faciliter ad dolorem de peccato habendum. *Soluitur.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De *obiecto formali Pœnitentiæ.*

1 SÆPE diximus virtutes non meliùs posse cognosci quam ex obiecto tam materiali quàm formali quod respiciunt, præcipuè autem ex formali, quod est quasi distinctiuum vnius virtutis ab alia. Ideò ad cognoscendam exactè virtutem Pœnitentiæ, hac disputatione secunda ipsius obiectum formale explicabimus. Oritur autem præsens difficultas ex eo, quòd peccata possint odio haberi ob varias rationes formales, propter varias malitias & contrarietates ad Legem, quas in se includunt, verbi gratia quia sunt contra Deum; vel quia priuant gloria; vel quia ducunt ad inferos; vel quia in se sunt turpia, &c. Suppono autem, licet quælibet virtus possit odio habere peccatum sibi oppositum, castitas verbi gratia turpitudinem, Fides hæresim, &c. ideóque ex omnibus omnino virtutibus collectiuè sumptis resultare queat detestatio quædam vniuersalis omnium peccatorum, hoc tamen non obstante etiam esse possibilem, & de facto dari virtutem aliam distinctam, quæ ob motiuum peccatis omnibus commune detestetur omnia peccata: id quod suadetur experientia manifesta; qui enim conteruntur de multis & diuersis peccatis, certè vnico actu ea omnia complectuntur, nec faciunt tot actus distinctos diuersarum virtutum aut vnum respicientem indiuisibiliter tot obiecta formalia, quot habuerunt diuersa peccata illis opposita. Si enim hoc esset necessarium, vix esset moraliter possibile, vt magni peccatores, nisi post longam instructionem, & cum difficillimis reflexionibus, se ad pœnitentiam disponerent; vti benè Suarez & Lugo notarunt.

Supponitur Pœnitentiam non esse aggregatum omnium virtutum.

SECTIO PRIMA.

Examinatur sententia quorundam Recentiorum de bono compensationis.

2. *Prima sententia.* CArdinalis Lugo disputat. 2. sectione. 2. & 3. fusissimè examinat; ex parte autem reiicit, & ex parte approbat sententiam quandam Recentiorum, quos ibi non nominat; qui censent obiectum formale Pœnitentiæ esse bonum compensationis pro peccato commisso; vnde illi inferunt, Hanc virtutem non posse dolere quòd fecerit peccatum commissum, quia illud necessarium omnino est ad ponendum hoc bonum compensationis: is: si enim peccatum non præcessisset, non posset vllo modo ea virtus obtinere finem suum. Inferunt etiam Secundò, Neque eam virtutem posse detestari peccatum in futurum; quia hoc ipsum esset impedire illud bonum, seu præcludere sibi viam ad amandam eam compensationem: nulla autem virtus videtur posse efficere, ne detur locus pro suo obiecto. Explicari autem potest hoc totum instantia virtutis grantudinis, quæ non habet locum ante beneficium acceptum, nec potest illud impedire, nec de eo accepto dolet; sed eo supposito vult homo se ostendere gratum benefactori ob honestatem quæ in ea compensatione seu gratitudine reperitur. Hanc sententiam meo iudicio tradidit Pater Vasquez, licet non cum iis illationibus: etenim Tomo de Pœnitentia quæst. 85. art. 3. dubio vnico, n. 25. declarans obiectum Pœnitentiæ specialis virtutis, ait esse compensationem eius generis iniustitiæ, quæ in peccato reperitur: aitque eam esse reflexam supra actus charitatis, quibus Deo eam damus compensationem. Numero verò 29. cùm ex proposito tractasset, An odium peccati, quatenus est contra Deum, pertineat ad Pœnitentiam, ait: Si aliquod odium peccati ad pœnitentiam pertineat, illud non debere respicere peccatum quatenus est malum Dei, sed quatenus ipsum malum Dei est nobis malum. Concludit autem ad initium numeri 31. se iam probasse duas esse operationes distinctas, velle satisfacere, & odio habere peccatum, odiúmque peccati semper esse charitatis, solam verò expressam voluntatem satisfaciendi esse à virtute speciali Pœnitentiæ: quam Diuus Thomas & alij dicunt esse specialem virtutem. Et consequenter passim in hoc articulo docet

Inferunt. Pœnitentiam non posse dolere de peccato commisso.

Nec detestari futurum.

Consentit illis Pater Vasquez.

Pœniten

Pœnitentiam non habere vllum propositum non peccandi de cætero, sed hoc vel ad charitatem vel ad cæteras virtutes in sua materia pertinere. Quæ videtur esse doctrina Recentiorum immediatè posita.

SVBSECTIO PRIMA.

Vtrùm Pœnitentia, qua de facto datur, habeat pro motiuo eam honestatem compensationis.

3 *Possibile est talem virtutem.*

QVia in hac Vasquez & Recentiorum sententia varia includuntur, oportet claritatis gratia, distinctè omnia tractare; Primò ergo, supponendo quòd illud bonum compensationis sit per aliquam virtutem amabile (de quo paulò pòst) quærimus, Vtrùm possit ad Pœnitentiam, quæ de facto datur, spectare.

De facto talem esse Pœnitentiam negat Cardinalis Lugo: Ratio eius prima.

Cardinalis Lugo, qui, vt dixi, multus est in examinanda ea sententia, omnino negat posse pertinere: quia Patres, vt Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, quos citat ibi, asserunt passim, proprium munus Pœnitentiæ esse plangere peccata præterita, & ea fletibus diluere, & mala commissa cum emendationis proposito odio habere: ergo ea virtus, quæ (iuxta dicta ex illis Recentioribus) non potest dolere de peccatis, nec proponere ea non ampliùs committere; non potest esse ea Pœnitentia quæ de facto datur. Quòd si illi dixerint eam virtutem ex eo capite posse dolere de commissis, imò fugere futura, quòd hos ipsos actus potest illa iudicare maximè necessarios ad ipsam compensationem obtinendam: Contrà argumentatur hic Auctor, quia neque hoc videtur sufficere: dari enim potest casus, in quo tales actus non essent necessarij ad illud bonum; vt si Deus pro remissione peccati non petiisset vllum dolorem de præteritis, sed vel ingressum in Religionem vel eleemosynam aliquam, &c. eo enim tempore non esset necessarius vllus dolor ad eam compensationem procurandam. Imò de facto videntur multi rustici censere ad Pœnitentiam non esse necessarium dolorem de peccatis, sed sufficere ea confiteri: ergo tales possunt habere veram Pœnitentiam sine vllo dolore: hoc autem videtur planè absurdum & contra sensum omnium.

4 *Ratio Cardinalis Lugo reycitur primò.*

Ego tamen (vt verum fatear) non capio, quomodo hoc argumentum non sit contra hunc Auctorem, eodem planè modo quo ipse illud obiicit his Recentioribus. Etenim hic Auctor ponit pro obiecto formali Pœnitentiæ bonum quod relucet in bono pacis cum Deo, seu in hoc, quòd Deus non habeat vllum ius, vt possit mihi esse iustè offensus: hoc posito sic argumentor: Totum hoc potest de facto amari, intendi, & obtineri sine vllo dolore de peccatis commissis: ergo etiam hic Auctor assignat vnam virtutem Pœnitentiæ, quæ non necessariò elicit dolorem de peccato: ac proinde etiam ipse relabitur in idem absurdum. Vtraque consequentia est bona: antecedens autem videtur eodem planè argumento suaderi quo hîc vtitur. Nam fieri, potest vt Deus ad eam pacem obtinendam non requirat vllum dolorem de commissis peccatis, sed purè purè actum eleemosynæ, vel humilitatis, &c. Item rustici, qui de facto censent non esse necessarium eum dolorem possunt optare habere pacem cum Deo sine vllo dolore. Denique vti hic Auctor discurrit de amore compensationis sine vllo prorsus dolore, ita possumus discurrere de bono pacis.

5. *Replico.*

Dices fortè, illa virtus quæ amat bonum pacis, necessariò amat illud etiam in futurum: ac proinde saltem debet habere detestationem aliquam peccati; imò eo ipso potest & debet dolere, quòd de præterito fuerit illa pax per peccatum turbata: nam qui amat sanitatem, necessariò dolet se eam amisisse, & optat eam recuperare, ac deinde numquam amittere: at qui amat bonum compensationis quà tale, non habet vnde moueatur ad dolendum, quòd habeat occasionem, aut eam habiturus sit ponendi à parte rei suum obiectum, seu id quod vnicè amat. Sed contra, quia ex hoc capite ostenditur quidem posse eam Pœnitentiam, quam hic Auctor ponit, dolere de peccato præterito, & proponere in futurum non peccare: at nequaquam ostenditur teneri hominem vi eius Pœnitentiæ ad tales dolores habendos: quam necessitatem videtur hic Auctor maximè vrgere ex citatis Doctoribus. Probatur autem subsumptum eo ipso argumento quo ille vtitur: Nam virtus amans pacem, & agnoscens se eam rupisse, non tenetur aliud hîc & nunc amare quàm ea quæ iudicat necessaria ad reparandam eam pacem vt ex terminis apparet: ergo si rusticus putat hîc & nunc ad reparandam pacem non requiri dolorem de præteritis peccatis (vti diximus hunc argumentari:) profectò rusticus non obligabitur vi eius Pœnitentiæ ad dolendum de peccatis: ergo est eadem difficultas in sententia huius Auctoris. *Soluitur.*

6. *Reycitur Secundò.*

Secundò argumentor: Nam etiam eo casu quo pro satisfactione non requireret Deus dolorem de præteritis, adhuc tamen dolor ille esset valdè Deo gratus, & aptus ad aliqualem compensationem: ergo etiam tunc posset illum Pœnitentia amare, sicut de facto in omnium sententia amare potest alios actus aliarum virtutum, qui non sunt à Deo requisiti pro satisfactione.

Secunda ratio Cardinalis Lugo.

Secundò argumentatur contra eam sententiam, quia quodcunque sit motiuum Pœnitentiæ, debet tamen habere connexionem cum eo dolore: quis enim dicit illum agere Pœnitentiam, qui nullum de peccatis habet dolorem? Respondeo, hoc argumentum reduci ad primum, cui satisfactum est iam sufficienter. Fortasse Secundò responderet quis ei argumento, licet aliquantulùm recedendo ab illationibus eorum Auctorum, Non esse difficultatem vllam in eo, quod homo habeat pro obiecto honestatem, quæ est in compensatione quà tali; & quòd simul doleat fuisse peccatum non ea solùm ratione, qua ipse dolor de peccato potest esse, vt diximus, vtilis ad compensationem, sed etiam quia directè potest de peccato dolere. id quod primò multis exemplis, deinde ratione declarari potest: Etenim etiam ille qui vult esse gratus benefactori, & amat honestatem gratitudinis quà talem, potest dolere seriò, quòd sibi sit collatum beneficium, quo obligetur ad alienandam à se rem aliquam sibi charam; supposito tamen beneficio iam accepto vult libentissimè esse gratus. Item Medicus qui appetit bonitatem quæ est in curatione, potest simul dolere de morbo infirmi; item qui amat honestatem eleemosynæ qua talis potest dolere de paupertate: imò omnibus his virtutibus, quæ versantur circa propulsationem mali, videtur id conuenire, vt simul doleant de malo illato, & velint pro illo compensationem exhibere, aut illud curare. *Reiicitur. Ostenditur, Pœnitentiam sufficientem bonum compensationis posse dolere de peccatis.*

Dices;

7 *Replica contra nos.*

Dices; Id solùm potest habere locum quando virtutes illæ amant bonum, quod est in carentiâ eius mali, quæ tunc est obiectum fugæ. Vnde si Pœnitentia amaret bonum, quod est in carentiâ peccati, rectissimè posset saluari ea doctrina, vti in Medicinâ, quæ directè habet pro obiecto intento bonum, quod relucet in sanitate: eleëmosyna etiam habet pro obiecto bonum, quod est in carentiâ paupertatis aut miseriæ proximi. At si obiectum Pœnitentiæ est bonum compensationis quà tale, non censetur respicere bonum quod reperitur in carentiâ peccati, ac proinde non potest directè peccatum detestari? quia in carentiâ illius non reperitur honestas amata, nisi, vt diximus, accipiatur illud odium tanquam medium ad compensationem: de quo puncto iam non agimus. Illud autem quod de gratitudine dicitur non videtur esse ad rem; quia eo casu non ipsa virtus gratitudinis doleret de beneficio accepto, sed homo ille ob alias rationes distinctas, seu ob alios habitus, v.g ex affectu nimio ad rem quam in signum gratitudinis offerre deberet: vel quia benefactorem odio habet, & non libenter cogitur se illi humiliare, aut gratias agere, &c. In præsenti ergo non dubitamus quin possit aliquis dolere de peccato commisso ob alia motiua: dicimus tamen fore vt tunc id non pertineret vllo modo ad eam virtutem de quâ nunc agimus: quæ solùm haberet pro motiuo bonum compensationis. Etenim si ea virtus se extenderet ad honestatem, quæ reperitur in hoc, quod non sit peccatum, ac proinde de illo doleret; profectò eo ipso obiectum adæquatum illius non esset bonum compensationis: nam quâ parte doleret de peccati existentiâ, deberet aliud habere obiectum formale seu motiuum quam sit amor compensationis; ergo hæc solutio non cohæret cum ea sententia.

Expeditur. Huic replicæ satisfiet paulò pòst, vbi ostendemus bonum compensationis moraliter loquendo esse idem quod reperitur in carentiâ peccati; ac proinde probabiliter optimè posse etiam eam virtutem detestari directè peccatum.

8 *Obiectio.*

Priùs verò quàm id discutiam expedienda est quædam obiectio, quæ contra dicta statim occurrit. Si Pœnitentia dolet quod fuerit peccatum; ergo dolet se existere; quia si peccatum non extitisset non potuisset ipsa amare bonum compensationis; ac proinde neque ipsa posset suos actus exercere. Quomodo autem concipi potest, aliquam virtutem optare sui ipsius non existentiam? id enim videtur in terminis repugnare. Respondeo, Si res bene perpendatur, id adeò non repugnare, vt potiùs debeat ab omnibus admitti. Nam quilibet actus doloris de re præteritâ implicitè vult sui non existentiam: ille enim idem actus quo dico *O si nunquam peccassem*, ex quocumque planè motiuo id dicam, implicitè optat sui non existentiam. Etenim si peccatum non fuisset, non posset esse hic dolor de illo? ergo dum hic optat non fuisse peccatum, optat se non existere: & idem est dum doleo quòd amiserim aliquid, quòd factus sim infirmus, &c Etenim ille dolor semper essentialiter vt existat, exigit præcessisse malum illud? ergo quando vult non fuisse illud malum; vult non fuisse occasionem vt ipse existeret, est ergo difficultas communis omnibus; cui respondendum est, Optimè posse actum aliquem reflexè de se dicere (si alioquin reflexio actus supra se concedatur possibilis) *Doleo quòd ego existam*; ergo faciliùs poterit id dicere implicitè tantùm. Ratio est; Nam licet innato appetitu quælibet res optet sui existentiam, elicitus tamen appetitus potest directè etiam optare carentiam illius, quando ea carentia ei proponitur vt maius bonum subiecti; quod bonum præcipuè solent amare voluntatis actus: cùm ergo in carentiâ præcedentis peccati ea virtus, quæ amat bonum compensationi, deprehendat maius bonum subiecti quàm in ipsâ compensatione, quia homini melius est non peccasse, quàm deinde pro peccato compensare; sicut melius est non infirmari quàm sanari; inde fit vt optimè possit ea virtus optare, ne fuerit peccatum, ac proinde optare etiam, ne sit commoditas compensationis, &c tandem, ne ipse actus potuisset exiri: ergo non est ex eo capite difficultas, quin à virtute, quæ circa bonum compensationis qua tale versatur, possit amari ipsa carentia peccati.

Potest aliquis actus implicitè dolere de sui existentiâ.

SVBSECTIO SECVNDA.

An bonum compensationis differat moraliter a carentia peccati.

9 *Discursus Cardinalis Lugo.*

Circa hoc punctum Cardinalis Lugo suprà ait non posse negari, quin illud bonum compensationis qua tale potuit esse obiectum alicuius actus honesti; & licet contra hoc obiecerit, quòd vix videatur conceptibile, in quo possit consistere ea bonitas compensationis, nisi tandem dicatur, quòd consistat in ponendâ æqualitate inter Deum & hominem, ac proinde videatur ea virtus debere respicere eam æqualitatem, etiam antequam homo peccet, & eam in futurum procurare non peccando; vti iustitia, quia respicit æqualitatem, eo ipso non solùm vult reparare illam postquam est læsa, sed etiam impedire ne lædatur; vti etiam Medicina cupit sanare, & impedire ne sit morbus: licet inquam hæc ibi obiiciat, absolutè tamen omnibus pensati, dicit posse talem honestatem eo modo considerari quo diximus de gratitudine. ait enim, Præter honestatem quæ reperitur in hoc, quod est seruare æqualitatem, reperiri etiam aliam in hoc quod est compensare; vt scilicet si aliquid alter a me passus est, etiam ego aliquod ei exhibeam seruitium, quo ei satisfaciam. Id quod vlteriùs explicat in ipsâ virtute iustitiæ; nam licet hæc eadem obliget ad non accipiendam rem alienam, & ad eam restituendam, possumus tamen concipere, quòd ex ipso furto resultet nouus titulus compensationis, qui non pertineat ad iustitiam. Nam si postquam ego alterum læsi in pecuniâ, aut honore, &c. ille mihi omnia condonet, iam cessat sine dubio omni titulus iustitiæ; ad nihil enim amplius teneor ex iustitiâ; nihilominùs tamen locus est adhuc, vt possim ego pro meâ libertate honestè dicere; Quandoquidem te læsi, esto tu iam id mihi condonaueris, æquum est vt ego aliquod modo id ex meâ parte compensem; igitur hæc & hæc tibi in compensationem offero: idem planè dici potest compensationem offero: idem planà dici potest in offensâ; nam si Deum offendi, & ille mihi liberaliter id condonat; iam ampliùs ego non sum vllo modo obligatus ad satisfactionem; si tamen velim tunc considerata honestate, quæ reperitur in hoc, quòd Deo, quem offendi, aliquam faciam compensationem possum ei eam offerre; ergo ea honestas est distincta ab illâ

quæ

quæ reperitur in non offendendo Deo. Vtrùm autem talis virtus debeat aliquo modo amare peccatum illud, quod occasionem dat ei compensationi fusiùs discutit idem Auctor; & nos etiam aliquid ea de re dicemus statim.

10 *Examinatur & ostenditur duplex virtus possibilis.*

Licet hæc probabilissimè dicta sint, mihi tamen aliter discurrendum videtur circa punctum hoc, iudico enim distinctione opus esse: aliud enim est quærere, Vtrùm possit vna virtus esse, quæ sit determinata ad solam amandam eam honestatem compensationis suppositio peccato, ita vt ante peccatum non possit elicere vllum actum; & hoc libentissimè concedo his Auctoribus, quia nec minima repugnantia est in eo, quòd aliquis habitus pendeat essentialiter in suâ operatione à cognitione peccati iam commissi, vt possit elicere actum doloris de præterito & volitionem compensationis: potest enim esse determinatus ad vnum actum; qualis est ille dolor, qui essentialiter supponit cognitionem peccati commissi: in hoc ergo non videtur esse posse aliqua difficultas. Aliud verò est quærere, Vtrùm, si res perfectè discutiatur, inueniatur eadem omnino in specie honestas in ratione honestatis in optandâ ea carentiâ peccati antecedenter ad hoc quod ipsum committatur, quæ reperitur in eâdem carentiâ postquam peccatum est commissum; & per compensationem tollitur. Hæc secunda quæstio mihi videtur longè difficilior; in qua iudico eiusdem omnino speciei esse eas duas honestates moraliter loquendo; vti bonitas physica, quæ est in ablatione morbi, eadem est cum impedimento morbi imminentis; vtraque enim formalissimè consistit in carentiâ morbi dissoni naturæ. Non loquor iam de speciali aliquo gaudio, quod per accidens solet esse in infirmo, dum postquam expertus est morbi molestias, ab eis se liberum agnoscit. Vti etiam Christus Dominus dixit Lucæ 15. *Maius esse gaudium in cœlo super vno peccatore Pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent Pœnitentiâ.* De hoc ergo gaudio non loquor; quia non tenet se ex parte illius motiui compensationis; & est per accidens ad punctum præsens.

11 *Conclusio: Velle compensare, & velle impedire peccata, est idem moraliter. Probatur.*

Veniamus ergo ad honestatem intrinsecam compensationis; & hanc dico esse eiusdem rationis cum hoc, quod est impedire peccatum. Etenim quomodocumque illa compensatio accipiatur, non aliud significat, quàm quòd ponatur quædam quasi æqualitas inter offendentem & inter læsum: hoc enim verbum ipsum *compenso* denotat: ea autem æqualitas in ordine ad prudentum æstimationem & in genere moris eiusdem rationis est, siue accipiatur positiuè, siue negatiuè; hoc est, siue fiat per duas actiones contrarias positiuas, vnam bonam, alteram malam, quæ sibi inuicem præponderent; siue fiat per priuatiuas actiones, nec ponendo pondus, nec ponendo contra pondus: vti in bilance moraliter loquendo, in genere compensationis bilancis cum bilance eadem penitus bonitas, vt sic dicam, reperitur in hoc; quod si vna bilanx habet pondus libræ, ego ponam in altera aliam libram; & in hoc, quod vtramque bilancem relinquam sine vllo pondere; siue id fiat, quia ab initio impediui ne vllum in vlla poneretur; siue quia positum in vna abstuli, ne haberet plus; siue quia relicto antiquo in ea bilance positi æquale in altera: eadem est enim moraliter compensatio consistens in hoc quod (vt sic dicam) vna bilanx non possit præ altera aut gloriari, aut conqueri, aut laborare; totum hoc idem omnino est, quocumque ex illis modis res fiat, licet physicè loquendo intercueniant ibi diuersæ valdè actiones. Idem ergo eodem omnino modo reperitur in nostro casu: etenim bonitas illius compensationis non potest in vllo alio formalissimè consistere (quibuscumque terminis ea declaretur*) quàm in hoc, quòd faciat æquale, id est tantum & tantum: atqui ad hanc æqualitatem per accidens omnino est quòd ea fiat peccatum impediendo, & nihil deinde loco ipsius compensando; vel quòd fiat supposito iam peccato dando aliud æquiualens: vtroque enim modo non intenditur nisi par pari, æquale æquali, &c. siue æqualitas illa fiat, quia nihil ponitur, vt dixi, ex vtraque parte: siue quia ex vna ponitur vnum, ex altera vnum, vel ex vna mille, & ex altera mille; ergo ratione honestatis præcise consideratæ non est disparitas inter eos duos casus. 12

Respondetur replica subsectione præcedenti proposita.

Iam hinc facilè erit respondere ad instantias supra alla as. Et quidem illa de iustitia, quando creditor condonat debitum, eadem est omnino cum nostra, debetque eodem planè modo circa eam discurri: nam adhuc post condonationem est verum me aliquid fecisse contra illum, & nihil pro illo: ac proinde licet iustitiæ titulus cesset, ea tamen inæqualitas moralis manet: & hanc volo ego tollere, licet non ex obligatione iustitiæ, ex alia tamen virtute, scilicet ex æqualitate, possum tunc velle compensationem facere: dico tamen hanc eandem honestatem potuisse amari efficaciter etiam ante commissum furtum: vnde etiam tunc fuit illud quale quale ius, non quidem vt positiuum aliquid datem, seu vt positiuè compensarem, sed tamen vt negatiuè compensarem, poneremque totum bonum, quod in compensatione possum quærere, nempè æqualitatem, vt non plus contra illum quam pro illo fiat, nec ille pro me plus quàm ego pro illo: hoc enim sit impediendo furtum illud. Vides non posse aliter discurri de honestate post peccatum quam ante illud.

13 *Instantia de gratitudine subsectione precedenti posita soluitur.*

Secunda instantia de gratitudine videtur esse difficilior, nihilominùs tamen non vrget nos ex duplici capite. Primum est, quod cùm datio beneficij non fiat ab eo qui est gratus, sed ab alio, non potest ea virtus, quæ respicit gratitudinem, etiam respicere non positionem beneficij: per quam negationem poneretur priuatiuè ea quam diximus æqualitas, & quæ potest esse obiectum formale gratitudinis. At in nostro casu idem qui compensat reddendo bonum posuit peccatum seu malum: poterat ergo antecedenter velle non peccare eo fine, vt semper esset illa æqualitas, quam habet compensatio pro obiecto. Secunda & melior disparitas inter gratitudinem & nostrum casum ea est, quod vti ipsa collatio beneficij habet pro motiuo formali non puram negationem, sed vel affectum suum in alterum ostendere, vel suam munificentiam & liberalitatem, &c. quæ honestas nullo prorsus modo potest reperiri in cessatione beneficij: ita gratitudo essentialiter habet motiuum non constituendi æqualitatem vtcumque, sed vel similem protestationem ei quam benefactor intendit, scilicet vel redditionem amoris, vel ostensionem liberalitatis, vel æstimationem beneficij, &c. horum autem nihil penitus potest obtineri, si impediendo beneficium etiam deinde impediatur gratitudo. Nam licet tunc obtineretur æqualitas,

quod

Explicatur similitudo bilancis.

quod non plus ille pro me quam ego pro illo feciſſet, quia neuter quidquam pro altero fecit; ac proinde eſſet compenſatio, non tamen eſſet honeſtas poſitiua, quam & benefactor intendit, & quam etiam beneficiatus intendit, nempe ingenuitatis, liberalitatis, amoris, memoriæ, 14 æſtimationiſque beneficij, oſtendere. Quid ergo mirum, quòd ea virtus non habeat ſuum locum in ordine ad impediendum beneficium, ſed ſolùm eo iam ſuppoſito? Contrario plane modo in noſtro caſu contingit: nam cum in commiſſione peccati non ſit vlla honeſtas, ſed pura malitia qua Deus offenſus quodammodò grauatur, non aliud ſane affectus compenſationis poteſt habere motiuum, quam vel illam malitiam auferre, & ſic reducere rem ad priorem ſtatum, vel ex parte ſua dare quod poteſt, vt iam non cenſeatur ipſe grauare Deum ſuo peccato, plusquam (ſic liceat dicere) cum è contrario ſubleuet; hæc autem omnia eodem modo, imò multo meliori poſſunt præſtari impediendo antecedenter peccatum: quo caſu moraliter eadem plane erit bonitas compenſationis, licet vna per poſitiuum, altera per negatiuum ſit cauſata; ſi in ſanitate conſtat: quia enim morbus ex ſe non eſt bonum, ſed malum, non poſſumus concipere in curatione aliud bonum quàm ablationem morbi; ac proinde eſto per diuerſas vias id procuremus, idem erit bonum quod infirmo afferetur eum curando, quod fuiſſet allatum impediendo ne infirmaretur; & in ipsâ curatione ſi quis ebibiſſet venenum, idem omnino eſſet bonum illud venenum omnino extrahere foras, nulla læſione relicta in vs, ac relicto veneno, dare tale antidotum quod relinqueret hominem in eodem plane ſtatu quo fuiſſet, ſi non illud bibiſſet. Eſſent quidem hæ curationes quoad ſcientiam Medici valde diuerſæ; quia aliud eſt ſcire dare purgationem, aliud dare antidotum; at in ordine ad bonitatem phyſicam infirmi, quam poteſt Medicus quærere, ea omnia in idem recciderent. Idem ergo erit in præſenti. Hæc autem ratio habet contra Patrem Vaſquez maiorem vim; nam expreſsè eo citato num. 25. ait Pœnitentiam conſiderare vniuerſum peccatorum genus tamquam Dei offenſam, qua conſtituitur homo in ſtatu quodam iniuſtitiæ coram Deo; affectum verò compenſandi genus hoc iniuſtitiæ tollendo peccatum dicit eſſe actum pœnitentiæ. Hinc ego argumentor: Ea virtus vult tollere peccatum, ergo habet diſplicentiam in illo; nam ea ſolùm ratione vult illud tollere quà malum eſt, & conſequenter quà odio haberur. Malè ergo ibi dixit, Ad Pœnitentiam non pertinere odium peccati commiſſi & propoſitum non peccandi de cetero: hæc enim duo maximè ſpectant ad illam honeſtatem quæ in ablatione illius iniuſti reperitur. Quod autem addit. Non eſſe vllum habitum Pœnitentiæ naturali quæ proponat in futurum non peccare, eò quòd hoc propoſitum pertineat ad ſingulas virtutes naturales in ſuis materijs; hoc inquam etiam facilè reiicitur: nam idem obiectum quod poteſt amari per virtutem ſupernaturalem, poteſt per naturalem: ergo ex hoc capite non eſt ſpecialiter negandum propoſitum non peccandi pertinens ad Pœnitentiam naturalem, quàm negetur ſupernaturale. Adde etiam, intra terminos naturæ poſſe peccatum conſiderari abſtrahendo ab hac & illa materia malum eſſe, vt ſic poterit eſſe vniuerſale propoſitum naturale illud non admittendi in futurum.

Magis explicatur & roboratur concluſio.

Declaratur ſimilitudine morbi curandi.

15 *Reijcitur P. Vaſquez.*

Poteſt dari Pœnitentia naturalis deteſtans omnia peccata.

Obiicies tamen contra ſuperiùs dicta: Si ea duplex honeſtas eſt moraliter planè eadem, quo ſenſu diximus poſſe vnam virtutem eſſe determinatam ad vnam, ita non poſſit circa alteram quidpiam efficere: id enim videtur repugnare: quia virtutes ſolum diſtinguuntur per honeſtates obiectiuas, quas habent pro motiuo. Reſpondeo, Actus virtutum non ſolùm diſtingui ex obiecto formali, ſed ſæpè ex materiali ſæpè ex conditionibus aliquibus, quas ſupponunt. Id quod in hac eadem materia manifeſtè apparet; nam ſi ponamus obiectum formale Pœnitentiæ eſſe honeſtatem aliquam quæ poſſit reperiri non ſolùm in abolitione peccati commiſſi, ſed etiam in nouo non committendo (vt fere omnium ſententia fert) ſiue illud ſit motiuum iuſtitiæ, ſiue pacis cum Deo, &c. nihilominus, etiam in hac ſententia, actus dolens de peccato commiſſo ob illius motiui amore diuerſus omnino etiam ſpecie erit ab actu, quo ob idem motiuum proponeret quis numquam amplius peccare; ergo actus illi ex ſua eſſentia ſunt diuerſi non ex motiuo, ſed aliunde. Supponta autem ea diuerſitate ſpecifica actuum, dico nullo modo repugnare aliquem habitum natura ſua determinatum ad vnum ex illis actibus in ſpecie, v.g. vnum habitum qui non poſſit elicere niſi deteſtationem præteriti, alterum qui non poſſit niſi propoſitum non peccandi in futurum; quia in ea determinatione & limitatione ego non video vllam prorſus repugnantiam in ordine ad pœnitentiam abſolutam? & in hoc ſenſu locutus ſum ego ſupra: per quod tamen nullo modo oſtendo eam honeſtatem eſſe quoad ſe diuerſam ſpecie in duobus eis caſibus. 16 *Obiectio.* *Soluitur.* *Poſſibile eſt habitus ad eliciendum ſolum dolorem de præterito determinatus*

Dices rurſus: Si eſt eadem malitia peccati commiſſi & committendi, repugnat vt habitus, qui dolet eam ſe admiſiſſe, non etiam eandem deteſtetur in futurum: & e contrario qui eam deteſtatur in futurum, non doleat etiam ſe eam admiſiſſe. Reſpondeo: Licet ſtante eo dolore de præterito peccato non poſſit ſimul & ſemel voluntas habere propoſitum illud iterùm admittendi, non tamen eſſe neceſſarium, vt ſimul ſit poſitiuus actus quo dicat, *Non ampliùs ita faciam*: poteſt enim ſe habere tunc voluntas præciſiue circa illum actum. Et verò id fateri omnes debent, etiamſi dicamus eumdem eſſe habitum ad eos duos actus: non enim eſt neceſſum, vt ſemper, quando vnus ex illis ſit, alter etiam fiat: ſi ergo poteſt vnus ſine altero exiſtere, cur quæſo etiam non poterit eſſe vnus habitus ex ſua natura limitatus ad vnum, alter ad alterum? Non eſt ergo vlla difficultas in ea limitatione: non eſt ergo vlla repugnantiæ vmbra inter eas duas concluſiones. Vtrùm autem de facto pro eis duobus actibus ſint ponendæ duæ virtutes diſtinctæ, an verò vnica, diſcutiam infe jùs. 17 *Vrgetur adhuc obiectio.* *Soluitur.*

SVBSECTIO TERTIA.

Proponitur ſententia Cardinalis Lugo circa tertium punctum, vtrùm ſcilicet poſſit Pœnitentia odio habere peccatum, ex cuius præteritione compenſatio conſtituitur in eſſe honeſta.

18 *Diſcurſus Card. Lugo, Vnde deſumatur bonitas compenſationis.*

DE hac difficultate fusè agit hic Auctor ea diſputatione ſecunda à num. 25. vbi rationem dubitandi fortiter vrget. Nam qui vult eam compenſationem, vel vult ſolum obſequium & tunc

tunc non vult bonum compensationis, quia hoc solum & in se sumptum non est compensatio; vel vult vtrumque, id est & obsequium & peccatum præcedens, & tunc iam omnino repugnabit eam virtutem detestari peccatum præteritum; imò deberet de illo gaudere: id quod repugnat conceptui virtutis. Quòd si dicatur eam virtutem vnum supponere, nempe peccatum, alterum velle, nempe obsequium, vrgetur ampliùs difficultas; quia adhuc manet tota ratio dubitandi. Quidquid enim sit de obiecto volito, motiuum certè eius volitionis est bonitas compensationis; ea autem non sumitur ex solo obsequio, sed etiam ex peccati præteritione; nam si hæc non esset, ea obsequia non haberent illam bonitatem compensationis.

Si Secundò respondeas, Esto bonum illud compensationis includat partialiter peccatum præteritum, non ideò inferri, illud debere amari; quia non omne quod mouet ad amorem, terminat ipsum amorem: sicut votum & promissio mouent me ad explendum quod promisi, non tamen ideò necessum est volitionem illam ferri in votum ipsum aut in promissionem. Contra hoc obiicit, quia licet extrinsecè aliquid non amatum possit me mouere ad amorem alterius rei; repugnat tamen vt id, quod sic mouet, sit motiuum; quia motiuum amoris debet necessariò amari; sicut motiuum odij debet necessariò odio haberi, imò multò magis ob infrà dicenda. Instantia de voto & promissione non vrget; nam si ex illis constituitur etiam bonitas, quæ in opere ex voto facto reperitur, erit eadem difficultas quam iam vrgemus; si verò non constituitur, non erit ad rem ea instantia.

19 *Ostendit, bonitatem compensationis non desumi à conscientia peccati.*

Si Tertiò respondeas, Bonitatem compensationis non includere intrinsecè peccatum præcedens; sed illud purè connotare, includere verò intrinsecè conscientiam peccati; si enim quis putat se peccasse, esto re ipsa non peccauerit, potest amare eam honestatem: id quod etiam vlteriùs ego vrgeo in Legibus; nam esto Lex re ipsa in se non existat, si tamen inuincibiliter homo putet eam esse, & illam transgrediatur, idem omnino peccatum committet; sicut è contrario si velit orare rosarium, ex eo quòd putet esse imperatum, licet re ipsa non sit, habebit tamen honestatem totam obedientiæ, & eamdem quidem quam habuisset, si re ipsa illud præceptum existeret: si ita inquam respondeas, variè in contrarium insurget; Primo, quia licet ipsa conscientia peccati præteriti constituat aliquam bonitatem proximam, negari tamen non potest quin in ipso obiecto sit radicalis bonitas, quæ potest honestè amari: ideò enim posita conscientia peccati præteriti est bonum amare compensationem: quia re ipsa in se est bonum compensare pro peccato: sicut licet notitia alienæ paupertatis necessaria sit vt ego circa illum exerceam actum aliquem eleëmosynæ: nihilominùs tamen quòd ipsemet proximus indigens eleëmosynâ accipiat aliquid à me, est in se honestum & amabile. Vrget Secundo: nam si quis ignorans se peccasse, cùm tamen re ipsa peccauerit, exerceret se in actibus Pœnitentiæ, postea dum agnosceret se peccasse, posset gaudere se eos actus fecisse, & se, licet ignorantèr, compensasse sua peccata: quo casu illa compensatio non haberet suam honestatem ex conscientia peccati; quia quando exhibita est, non habebat homo scientiam sui peccati. Idem patet alio in exemplo: nam

20 hodie v. g. potest quis gaudere, quòd heri præstiterit Petro beneficium, à quo ignorans tamen præuentus erat magno alio beneficio: potest inquam gaudere ex motiuo gratitudinis. Tertiò, quia potest aliquis, qui sibi peccati conscius non est, dare eleëmosynam, ieiunare, &c. vt si fortè peccauerit compenset pro offensis: quo casu non amat honestatem quam compensatio accepit à conscientia peccati, cùm eam non habeat: ergo illa bonitas compensationis desumitur ex ipsa compensatione secundùm se, hoc est, à præteritione ipsa peccati & positione obsequij. Vnde à fortiori reiicit aliorum opinionem qui dicunt honestatem eius compensationis esse bonitatem illius obsequij non præcisè secundum se, sed vt voliti per actum voluntatis, qui supponat essentialiter cognitionem peccati: hanc inquam solutionem reiicit Primò, quia patitur easdem difficultates quas præcedens: nam in ipso etiam obiecto oportet semper honestatem repetire quæ ametur. Secundò, quia inexplicabile est, quomodo possit voluntas affici obiecto propter bonitatem solam, quam habet ex eo, quòd illo affectu ametur: semper enim debet esse aliquod fundamentum illius amabilitatis, alioquin omnia obiecta essent eo modo amabilia, si esto non haberent in se amabilitatem, ea eis tribueretur ex eo quòd amarentur à voluntate.

Reijcit eos qui bonum compensationis dicunt esse ipsã bonitatẽ illius obsequij vt voliti.

21 *Concludit bonitatem illã desumi à præteritione peccati, & peccatum aliquo modo amari.*

Iis ergo solutionibus reiectis ait, Omnino nos debere fateri aliquo modo per eam virtutem amari peccatum non quidem efficaciter & absolutè: quia non est necessum, vt qui amat aliquod obiectum propter bonitatem specialem ipsius, eodem modo & eodem genere affectus amet bonitatem ipsam quæ mouet. Nam si ego amo Petrum ob sapientiam, non habeo circa hanc eundem affectum, quem circa Petrum: hunc enim amo amore amicitiæ: & longè maiori quàm ipsam sapientiam: eodem modo Deus hominem iustum propter iustitiam amat, maioti tamen & altiori amore quam ipsam gratiam habitualem: sic me Regi submitto propter dignitatem Regiam, non tamen ideò me ipsi dignitati submitto: eodem ergo modo ait amare nos peccatum in casu quæstionis solùm conditionatè, & vdlitione quadam inefficaci; sicut Ecclesia dicit, *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est: O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Et eodem modo explicat, quomodo Deus amet honestatem, quæ est in punitione, & quæ componitur necessariò ex peccato præterito: nam illd ipsum tormentum, quod infligit, non esset verè punitio, nisi præcessisset culpa. Quòd si obiicias, Nemo potest eligere efficaciter medium ob aliquem finem, nisi ipsum finem efficaciter amet; Respondet negando antecedens; quia potest quis efficaciter velle habere apud se Medicum, esto non amet efficaciter sanitatem, sed velit illum habere, vt casu quo incidat in morbum possit sanari. Quòd si denique obiicias, hinc sequi, Deum odio habentem peccatum debere etiam habere odio ipsam Legem, & cognitionem, per quam formaliter ille actus noster constituitur in ratione peccati; negat consequentiam, quia amor complexi debet esse amor omnium partium: qui enim vult quòd existat totum, vult quòd existant omnes partes; quia qualibet illarum deficiente deest denominato totius; è contrario autem, qui odio habet totum, non

Nec tamen amari absolutè.

Obiectionem soluit.

Dicit non posse amari totum cõplexũ quin amẽtur partes eius omnes: posse verò odio haberi quin odio habeantur singulæ eius partes.

oportet

oportet vt odio habeat omnes eius partes; sufficit enim si odio habeat vnam; quia vna deficiente deficit totum. Quando ergo habeo odium complexum propter malitiam prouenientem à complexo vt complexum est, odium non terminatur ad singula, nisi sub conditione alterius: est enim effectus quo vellem non esse actum voluntatis amantem, si est notitia obiecti prohibiti; vel nollem esse notitiam prohibitionis, si est actus amoris circa illud obiectum prohibitum. Hæc fusè hic Actor.

SVBSECTIO QVARTA.

Quid in hoc puncto dicendum.

22. *Refellitur discursus Card. Lugo circa odium peccati in Deo.*

CIRCA hanc doctrinam ad rem nostram aliqua videntur mihi ponderanda; & vt ab hoc vltimo de odio incipiamus, nullo modo videtur res sufficienter explicata: nam (vt dixi agens de libertate extrinseca & de constitutiuo peccati actualis, An malitia sit essentialis actui, an verò constituatur per denominationem extrinsecam) non potest concedi ea displicentia Dei prout ab his explicatur. Nam iuxta eam declarationem non magis, nec alio modo displiceret Deo ipsiusmet Lex prohibens voluntatem occidendi, aut furandi, fornicandi, &c. quàm displiceat ipsa nostra voluntas occidendi iniustè, furandi, &c. hoc autem consequens mihi videtur euidentissimè falsum: nam Deus odio habet directè & propriè meam volitionem furandi; at nullo prorsus modo habet odio suum generalem concursum indifferentem, quem mihi dat; multò minùs odio habet Legem suam, quâ prohibet furtum v. g. Neque videtur habere vllam probabilitatem illa voluntas prout ab his ponitur, *Nolo prohibere furtum si tu furaris*; aut. *Nolo vt fueris si ego id prohibeo*: etenim si huiusmodi voluntatem ponamus, eò ipso videmur planè auferre Leges Dei; nam cùm illa voluntas dicat, *Nolo esse Legem si tu furaris* (& maioris claritatis gratia ponamus exemplum in Legibus planè positiuis, & quæ à Deo ipso possunt auferri) eo ipso quo ego furarer cessaret Lex; quia Deus illam Legem non vult esse, si ponatur ea conditio, hoc est meum furtum; hoc ergo posito cessat Lex: hoc autem quis non videat esse planè destruere Leges tam humanas quàm diuinas? Deinde, quomodo in concursu generali, quem Deus ipse mihi præstat, potest habere locum ea voluntas Dei? vel enim ponitur illa antequam præstetur ab ipso concursus ille, vel simul cum illo, vel posteriùs natura: si ponitur ante, & ipse Deus dicit, *Nolo esse concursum generalem indifferentem si sit amor talis obiecti*, profectò cùm ipse videat secuturum eum amorem, non capio quomodo nihilominùs dicat, *Volo tamen eum concursum*; & quomodo re ipsa illum præstet; videtur enim nugatoria illa voluntas: si vero ea volitio est simul naturâ cum ipso amore, videtur etiam omnino impossibilis: quomodo enim dicit simul & semel, *Nolo esse si hoc est*, & tamen reipsa est cum illo? Si denique ea voluntas est posterior naturâ, tunc nullo modo sufficit ad explicandum odium antecedens, quod Deus habet in peccatum, ratione cuius seriò & non fictè cupit illud non esse.

23. *Aliud est nolle aliquid esse, aliud odio prosequi.*

Deinde in ea volitione duo mihi videntur in vnum confundi, quæ sunt inter se valdè diuersa: aliud enim est quod Deus dicat, *Nolo hoc esse*: aliud verò quòd odio habeat peccatum. Etenim circa creaturas omnes quas non producit, etiamsi amabilissimæ illæ sint, habet Deus nolitionem; & tamen non habet odium illud, seu eam displicentiam quam habet circa peccatum: non enim vniones hypostaticas possibiles, non gratiam habitualem, non alia dona ex se amabilissima prosequitur odio Deus, vti prosequitur hominem peccatorem & peccatum illius: ergo plus dicit illa displicentia quàm nollem hoc esse, si illud esset, &c. Iam ergo oporteret explicare quomodo fieri possit vt displicentia illa, seu odium illud morale, eodem modo respiciat ipsam Legem prohibentem, quò respicit transgressionem eiusdem Legis; dicere enim, Deum eodem modo vnum abominari ac alterum, idest, Legem abominari si sit transgressio, & transgressionem si sit Lex, mihi videtur (vt verum fatear) contra omnium omnino Catholicorum sensum. Nam cùm re ipsa de facto existant illæ conditiones, sub quibus Deus vnam & alteram partem odio habet, deberemus dicere, quando quis peccat Deum absolutè abominari suum concursum, suam Legem, meam cognitionem, &c. quæ sunt valdè ab vrda. Præterea non habet Deus actus illos, *Abominor actum si sit Lex & libertas*; sed absolutè dicit, *Abominor hunc dictum quem video liberè esse elicitum contra Legem meam.* At nullus Catholicus asseret Deum etiam dicere absolutè, *Abominor meam legem, quia coniunctam eam video cum actu libero eam transgrediente.* Aliter ergo debet res tota declarari per eam doctrinam, quam tradidi citatis locis, scilicet Legem seu prohibitionem, nullo modo, nec quidem disiunctiuè, odio haberi à Deo: quantumuis sit præcognita conditio, vt possit mea volitio amplectens obiectum illud prohibitum haberi odio: ac proinde videtur retinere suam vim vltima eius Auctoris obiectio contra se.

Quomodo Deus odierit transgressionem Legis quin oderit ipsam Legem.

24. *Replica.*

Respondebis fortassè adhuc, Hanc voluntatem ineficacem seu simplicem displicentiam (in qua fortè sunt communes, prohibitio, scientia illius concursus generalis, & ipse actus) dari in Deo aliquem actum odij magis efficacem, qui solum terminatur ac ipsam nostram volitionem, quæ est peccatum, non tamen ad legem ipsam suam, neque ad concursum generalem quem nobis tribuit, videtur enim negari non posse iuxta Fidem, Deum non dolere esse suam Legem, quin potius omnino absolutè velle eam existere: dolere tamen, quod existat volitio mea contra illam: item odio abominationis prosequi peccatum & peccatorem: quo tamen odio nullo modo prosequitur suam Legem, aut concursum generalem. Sed contra Primò, quia si res ita est, ergo illa displicentia sub disiunctione inutilis est ad præsentem solutionem: per solum enim hoc odium res tota declarabitur. Contra Secundò, quia in eo odio manet tota difficultas vltima, quam sibi obiecit hic Auctor, quomodo scilicet & illud abominetur malitiam & tamen non abominetur vnam partem illius, nempe ipsam Legem: eodem enim planè modo dicemus posse amari aliquod complexum non amatis omnibus partibus illius: debet ergo recurri non ad eas volitiones, *Volo hoc si illud est*, &, *Nolo illud, si hoc est*, sed ad solutionem paulò ante à me insinuatam: quod non omnia, quæ se tenent ex parte obiecti per modum conditionis præcognitæ ad odium, debeant etiam ipsum odium terminare. Et hæc quoad vltimam eam solutionem.

Solvitur.

Quoad primam verò etiam habeo difficultatem, Primò quia per eam non satisfacit vllo modo argumentis quibus respondet: semper enim hæc argumenta in eo maximè fundantur; quòd repugnet amari bonitatem complexam, & non amari omnes partes illius: cùm autem iam constet omnes partes non amari eodem modo, sed vnam ex illis seorsim efficaciter, complexum autem efficaciter; profectò eadem ratione ego dicam non esse necessarium vllo modo omnes eas partes secundum se amari; vtar enim principio illo philosophico, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*, & è contrario. Sicut ergo hic docet totum complexum posse amari fortiùs quam amentur omnes partes, non obstante quòd complexum nihil aliud sit quàm omnes partes, ita etiam ego dicam: eadem planè consequentia totum illud complexum posse absolutè amari, esto non omnes partes absolutè amentur. Explico argumentum: Eò quod totum sit idem cum omnibus partibus, & quia vna ex partibus deficientibus deficit totum; infert hic Auctor, Absolutè repugnare, quòd totum ametur non amatis omnibus partibus; ergo eodem modo debuisse inferre, Repugnare quòd totum ametur efficaciter, nisi eius omnes partes efficaciter amentur. Nam si semel possunt prædicata hæc contradictoria, *amari efficaciter*, & *non amari efficaciter*, conuenire toti & partibus; profectò etiam illa alia, *amari absolutè*, & *non amari absolutè*, poterunt conuenire; quia non sunt hæc inter se magis contradictoria quam illa, vt sæpè in similibus materijs diximus: eo enim ipso quòd particula *non* cadat supra propositionem quamcumque modalem, non minus eam negat, quàm neget propositionem absolutam cadens supra illam.

25 *Reiicitur explicatio Cardinalis Lugo, quomodo peccatum non ametur absolutè.*

Secundò displicet ea doctrina; nam esto concedamus illam velleitatem peccati, adhuc per illam non explicatur præsens difficultas; quia amor, quem Deus habet circa Pœnitentiam, non est sola voluntas de eius existentia; potest enim habere voluntatem de existentia formicæ, rosæ, &c. circa quas tamen nullam habet moralem complacentiam: amor ergo, quem habet circa meam Pœnitentiam, est in genere motis mouens ad præmium, & quasi ordinatus ad prosequendum hominem vt amicum ratione eius obsequij: at in hoc genere nullo prorsus modo Deus amat peccatum præcedens, sed potiùs in eo ex integro sibi displicet; ergo nihil ad rem nostram explicatur per eam limitationem.

26 *Reiicitur Secundo.*

SVBSECTIO QVINTA.

Respondetur obiectionibus in contrarium.

27 *Explicatur quomodo possit amari displicatis, quia amatur peccatum.*

AD rationes autem omnes, quas in contrarium vrsit hic Auctor, vno verbo respondendum est; Non esse necessum vt omnes conditiones, quibus aliqua actio indiget vt sit bona, amentur ab amante eam actionem. Nam qui vehementissimè dolet morbo amici, profectò sine vlla planè in eo morbo complacentia potest velle illi dare potionem, qua sanetur; cùm tamen ea potio non esset bona, nisi amicus illè esset infirmus. Neque facilè vllus mihi persuadebit, eum qui cum summis doloribus curat sibi abscindi pedem, ne cancer vlteriùs repat, eum inquam habere aliquam complacentiam in cancro illo, eò quòd si ille non esset, non esset etiam bona ea abscissio pedis: profectò vix credo vllum inueniendum qui eam complacentiam habeat, quin potius quia fœminam displicentiam habet in eo cancro, & vult liberari ab illo, ideò vult abscissionem pedis. Non ergo est vera ea doctrina, quod debeant amari omnes circumstantiæ, sine quibus actio amata non foret amabilis.

Ad rationem à priori, quòd totum non distinguatur à partibus simul sumptis, ergo si totum amatur, debent omnes partes amari, iam est in superioribus responsum: & ostendum, si hæc forma argumenti esset bona, ea probari eodem omnino modo debere partes illas amari, quo amatur totum. Absolutè autem in forma respondeo, Non oportere vt tunc amor feratur in totum, sed in vnam partem, cum alterius tamen cognitione; & ad hoc non video ego differentiam inter bonum & malum; fateor quidem malum esse ex quocumque defectu, bonum autem ex integra causa: hoc tamen principium mihi videtur nullum habere hic locum, & verò duplici ex capite; Primò, quia si illud sonat, bonum debere componi ex omnibus partibus bonis, malum autem posse resultare ex vnica tantùm parte mala, non potest principium illud defendi ab isto Auctore, quia ille contrarium docet expressè; ait enim ipsum peccatum præcedens, quod est malum, componere intrinsecè & essentialiter honestatem compensationis quà talis: vt enim paulò superiùs diximus, totus est in ostendendo, debere amari peccatum in amore compensationis, quia est pars illius: ergo iam hic Auctor non requirit ad hanc honestatem, quod omnes partes sint bonæ. Vnde argumentor meo iudicio euidenter: In tantum ex eo, quòd bonum requirat integram causam, inferri potest, debere amari omnes eius partes, in quantum omnes partes debent esse bonæ; atqui ostendimus iam non omnes esse bonas, sed vnam malam: ergo non est necessum vt omnes amentur, potiùs quam in odio rei malæ debeant omnes partes odio haberi.

28 *Amor totius non amat necessario omnes partes: sed eas vt conditiones præcognitas supponit. Examinatur principium illud, bonum ex integra causa malum ex quolibet defectu.*

Secundò ideò illud principium non est ad rem, quia nihil aliud denotat quam omnes partes, quæcumque constituunt bonum aliquod, siue illæ sint omnes in se bonæ, siue aliquæ malæ (de quo illud principium nihil dicit) dedere actu concurrere; nam si vel vnica deficiat, iam non manebit bonum illud: è contrario autem malum ex vnius partis absentia resultat. Hæc est genuina explicatio eius principij, ex qua nihil penitus colligitur pro re præsenti; inde enim non infertur, debere amari partes omnes, aut è contrario, non esse necessarium omnes illas odio haberi: (de quo puncto præcisè iam agimus) solùm enim infertur, non posse amari illud honestum complexum, nisi videantur existere, seu nisi sint iam omnes partes: id quod libentissimè fatemur: at vt illæ videantur existere, non est necessum eas amari; quia sine vllo amore aliquæ ex illis existunt, imò contra omnem amorem: vt in exemplo posito supra de abscissione pedis, vbi (vt notaui) nullus mortalium dixit, Ad hoc, vt ego velim mihi cum ingentibus doloribus, ne cancer vlteriùs serpat, abscindi pedem, debere me gaudere, quòd cancer meum pedem infecerit: hoc enim videtur mihi planè incorruptibile: sufficit ergo quòd præter omnem meum amorem cancer ille venerit, & ex eius aduentu nouam iam esse

29 *Verus illius principij sensus*

Confirmatur exemplo pedis abscindendi & marcium in tempestate abiiciendarũ.

necel

necessariam abscissionem pedis. Idem est in auaro aliquo, qui in naui ingentes habet merces, & subortâ tempestate cogitur ad saluandam vitam eas proiicere in mare: quis enim, quæso, inquam potuit cogitare, talem auarum habere complacentiam in tempestate, eò quòd sine illa non esset bonum & necessarium merces illas in mare proiicere? Non ergo tunc amatur tempestas, qua redditur bona illa proiectio; sed quia nosciturr iam existens, ideò amatur proiectio.

30 Vndè hi Auctores minùs benè dicunt hominem tunc velle tempestatem, si sint proiiciendæ merces; & velle merces proiicere, si sit tempestas: illud enim primum falsum est; solùm enim dicit, *Volo proiectionem si sit tempestas*; tempestatem autem potiùs auersatur toto animo, tota voluntate, & vt sic dicam, ex omni mente sua, &c. Secundum verò, *Volo proiectionem postquam video tempestatem*, verissimum est; & propterea colligitur, quod diximus, non esse necessariam complacentiam in omnibus illis partibus, sed in vna, præuisis aliis; eodem planè modo, quo habere possum odio vnam partem præuisa altera tamquam conditione

Eodem modo de odio totius complexi discurrendum vt de amore.

Denique si ratio a priori consideretur, eodem modo de odio ac de amore discurrendum est. Etenim videtur necessarium amare omnes partes, quibus obiectum illud constituitur in ratione boni; quia propter quod vnumquodque tale, & & illud magis: hic enim infertur; Ergo si compensatio amatur, quia est bona ratione præteriti peccati, debet & ipsum peccatum amari. Hæc ratio, quæ ibi, facit difficultatem, eodem planè modo vrgeri potest in odio. Nam si res aliqua odio habetur quia est mala, debebimus etiam odio haberi omnes partes, quibus illa res constituitur in ratione malæ; quæ ratio non euertitur per principium illud quod hi adferunt, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Debemus ergo aliter & vniuersaliter tam

31 pro odio quam pro amore respondere, negando scilicet necessarium esse vt amentur, aut odio habeantur omnes partes bonitatis vel malitiæ, sed illas quæ constituuntur in ratione bonarum, vel è contrario in ratione malarum, reliquas verò tantùm se habere per modum conditionis ad odium aut amorem, etiamsi ad effectum formalem boni aut mali se habeant per modum partis.

Non omnes res quæ concurrunt ad constituendam bonitatem, constituuntur etiã ipsa bona.

Pro quo obseruanda doctrina, quam fusè tradidi agens de libertate; etiamsi diuersæ res sæpè concurrant ad constitutionem bonitatis, non tamen eas omnes constitui in ratione bonarum; aut è contrario, etsi multæ concurrant ad effectum mali, non omnes constitui malas, sed vnam tamen constitui vel bonam, vel malam: v.g. ad peccatum debent vt partes concurrere & libertas in actu primo, vbi includitur generalis concursus Dei, & cognitio, & Lex prohibens: quælibet ex iis est pars peccati: at nec prohibitio seu Lex, nec generalis concursus nec cognitio redduntur malæ, aut accipiunt eam denominationem verè & realiter: sed ea malitia solùm conuenit ipsi actui amoris aut odij, qui ab illis partibus vt à formis partialibus habet hanc denominationem peccati & mali: vti è contrario ad bonitatem multa necessaria sunt, libertas, cognitio, Lex, &c. non tamen Lex ipsa est meritoria, laudabilis, &c. sed actus voluntatis, qui est illi conformis. Id ipsum posset ostendi in multis

32 aliis concretis, vt in relationibus, quæ iuxta fo-

rè certam sententiam desumuntur à fundamento & termino, vt dixi suo loco. Ego verbi gratia dicor posterior Adamo partialiter ab ipsa præteritione Adami, sed ab ipso Adamo præteriit: non tamen ideo Adamus est posterior, sed potiùs prior me: non ergo est idem esse partem, quæ cum aliis constituit malum aut bonum, & eam partem esse bonam aut malam: sicut non est idem constituere partialiter denominationem prioris & esse priorem. Ex hac ergo doctrina in præsenti dico. Illam solam partem, quæ constituitur bona, terminare amorem; & e contrario illam solam, quæ constituuntur mala, terminare odium; reliquas verò se habere vt puras conditiones extrinsecas, necessarias ad hoc vt possit existere amor vel odium. Neque est inconueniens, vt quod est conditio extrinseca respectu amoris, sit pars essentialis respectu bonitatis. Nam cùm amor sit quid adæquatè distinctum ab ipso obiecto bono, vti odium est aliquid adæquatè distinctum ab obiecto malo; optimè potest aliquid esse conditio extrinseca ad hoc vt existat actus, & simul pars respectu obiecti, quod denominatur odio habitum, aut amatum per illum actum; quia non totum quod dicitur obiectum tangitur per actum. Vnde nullo modo relabimur, in eos qui ponunt connotata extrinseca pro essentiis rerum quæ à nobis sæpè sunt impugnata; quia si sine illis connotatis manent omnia intrinseca constitutiua, necesse est vt maneant totum: in præsenti autem solùm ponimus connotatum extrinsecum necessarium vt entitas alia realis distincta, amor scilicet & odium possent existere: quæ connotata nullam penitus difficultatem habent; nam & creatura pendet à Deo, & actio à sua causa, & vbicatio à subiecto, &c. saluamus præterea id quod in hac materia negotium nobis facessit, nempe non esse necessarium vt qui amat Medicinam, gaudeat se esse infirmum: & qui vult compensare pro peccato, gaudeat se peccasse. Vnde concludo tam contra hunc Auctorem, quam contra eos priores Recentiores, Et si Pœnitentia amet bonum compensationis quà tale, non ideò esse necessarium vt illi gaudeat vllo modo de peccato existente sed sufficere si videns illud iam existere, velit adhibere medicinam pro illo.

In amore alicuius totius complexi illæ solæ partes terminant amorem quæ sunt bonæ. 33

Non totum quod dicitur obiectum tangitur ab actu.

Pœnitentia amans compensationem non necessariò deberet gaudere peccatum præcessisse.

SECTIO SECVNDA.

Variæ aliorum sententiæ de eodem obiecto formali Pœnitentiæ.

SIt ergo secunda sententia quorumdam, qui dixerunt Pœnitentiam esse actum charitatis in Deum, ac proinde tam dolere de peccatis quatenus sunt contra Deum infinitè bonum, quem amat Pœnitentia. Hæc tamen sententia est omnino improbabilis; nam licet ex charitate possim dolere de peccatis, id tamen non semper fieri certissimum debet esse apud Catholicos; alioquin actus attritionis, qui propriè pertinet ad virtutem Pœnitentiæ, esset actus charitatis: quod apertè falsum est. A priori autem hæc sententia impugnabitur, dum ostenderimus specialem motiuum formale Pœnitentiæ distinctum a motiuo charitatis. Vbi illud noto, posse fortasse aliquam de nomine quæstionem hic fieri, si quis admitteret dari alium actum qui peccata detesteretur ob

34 *Secunda sententia docens Pœnitentiam esse charitatem. Negatur.*

motiuum

motiuum illud attritionis ; eam tamen non debere vocari Pœnitentiam, sed solam charitatem dolentem de peccatis commissis esse nominandam Pœnitentiam. Verùm cùm in quæstione de voce communis acceptio sit attendenda,& maior pars,& verè fermè omnes distinguant eas virtutes,aliud obiectum oportet quærere.

Tertia sententia docet: Pœnitentiæ esse iustitiæ vindicatiuam: Rejicitur.

Ideò alij Tertiò dicunt Pœnitentiam esse iustitiam vindicantiuam ; cuius munus est infligere pœnam pro delicto : id quod videtur facere pœnitens dum dolet de peccatis , & pœnales satisfactiones pro illis sumit. Verùm neque hæc sententia sustineri potest : Primò; nam punire peccata ex iustitia vindicatiua pertinet ad S. Superiorẽ seu Iudicem ; nullus autem potest sui ipsius esse Superior aut Iudex. Secundò, quia punire peccata etiamsi ex se sit bonum,& pertineat ad aliquam virtutem , imò forte sit secundarius actus Pœnitentiæ , non potest tamen esse primarius : stat enim absolutè non dolere de peccatis , & tamen ea punire. Denique , quia etiam si dicamus iustitiam punitiuam esse Pœnitentiam , adhuc non explicatur quod sit motiuum formale ipsius ; quia sicut possum dolere de peccatis ob diuersas rationes , ita etiam ob diuersas illa possum punire; adhuc ergo manet tota difficultas

35

Quarta sententia docens Pœnitentiam esse religionem: Falso asseribitur P. Suar.

Ideò alij Quia tò confundentes Pœnitentiam cum religione dicunt illius obiectum esse , reddere Deo cultum debitum , seu honorem ablatum per peccatum. Pro qua sententia Gaspar Hurtadus disput. 1. difficultate 4. citat Suarium & Patrem Coninch disput. 1. dubio 4. Miror tamen vehementer hanc opinionem tribuit Suario, cùm eo loco vnde citatur expressissimè contrarium doceat ; ait enim disput. 7. sect. 2. num. 4. fatẽ certum esse , Pœnitentiam & religionem (verba sunt illius) non esse vnum simplicem habitum , neque re ipsa aliquam habere vnitatem per realem vnionem inter se : id quod statim magis declarat ostendendo quomodo specie differant, & non habeant vllam connexionem,& ideò posset vnus esse sine altero. Addit autem quæstionem esse de voce, Vtrùm accepta voce religionis latiùs,& vt se extendit ad multos habitus, hic habitus Pœnitentiæ sit vocandus religionis : quod quidem etsi parui momenti iudicet esse,non tamen omninò approbat.Vide quàm sit alienus à sententia quam ei tribuit Hurtadus.

36 *Et Patri Coninch.*

Eodem modo Pater Coninch virtutem religionis accipit vt quid genericum , sub se includens varias virtutes ; & eo sensu dicit Pœnitentiam ad religionem pertinere , quam etiam sub iustitia includit. Caietanus tamen eam sententiam defendit 2. 2. q. 85. art. 2. & videtur in Diuo Thoma habere aliquod fundamentum, quia ea quæstione 81. art. 1. ait religionem dici à reeligendo ; quia Deum , quem negligenter amiseramus , reeligimus per religionem ; hoc autem videtur esse proprium Pœnitentiæ : confirmat , quia dum per peccatum offendimus Deum, auferimus illi honorem ; ergo dum volumus è contrario illi satisfacere , debemus illi eundem honorem restituere ; hoc autem formalissimè præstat religio;ergo hæc non distinguitur à Pœnitentia.

Defenditur à Cajetan.

Ostenditur hanc sententiam non esse D. Thomæ.

Verùm certissimum est Diuum Thomam passim distinguere Pœnitentiam à religione;ita enim artic. 2. huius quæstionis 85. expressè docet , operari ad destructionem peccati non pertinere ad rationem vllius : alterius virtutis ; & in 4. distinct. 14. quæst. 2. art. 1, & quæstiuncula 3. ex. presse illam distinguit à latria seu religione ; & sæpe alibi idem docet: 2. 2. verò quæst. 32. a. 1. ad 2. ait eleëmosynam , prout ordinatur ad satisfaciendum pro peccatis , pertinere ad Pœnitentiam ; prout verò refertur ad colendum Deum referri ad religionem ; sentit has duas virtutes distingui inter se : quòd autem dixerit ea quæst. 81. 2. 1. religionem dici à reeligendo , nihil facit ad Caietanu intentum ; quia illa reelictio cum Deo potest variis modis intelligi , & per varias virtutes effici , vt ibidem videtur ipse Diuus Thomas insinuare.

Quorumcumque tamen ea sententia sit , facilè reiicitur ; quia actus religionis seu cultus Dei est planè independens ab omni peccato ; nihil enim aliud in suo conceptu dicit quàm reddere Deo reuerentiam debitam ob summam ipsius maiestatem : in quo puncto nihil dicitur de peccato commisso. Fateor , ipsam adorationem , tamquam actum cedentem in honorem Dei , posse imperari à Pœnitentia vt vtilem aliquo modo ad satisfaciendum Deo ; id quod vniuersaliter docuimus de aliis actibus bonis ; ipse tamen actus religionis imperatus non habet pro motiuo vllam satisfactionem aut compensationem , sed dat Deo honorem debitum ob eius excellentiam , vt dixi. Ad argumentum seu confirmationem pro Caietano allatam dicimus Primò , Non per omne peccatum auferri honorem Deo : licet enim omne sit contra iustitiam (vt nos diximus alibi) non propterea omne aufert Deo honorem ; alioquin omne peccatum esset sacrilegium. Secundò ; Esto omne peccatum esset propriè contra religionem , non tamen ideò omnem actum religionis fore Pœnitentiam, quia Pœnitentia non intendit reddere honorem , sed auferre fundamentum datum Deo ad hoc , vt odio Deus me habeat ; certum autem est hæc duo inter se valdè esse distincta , velle scilicet meum inimicum placare , & velle illi exhibere honorem & reuerentiam debitam. Ex quo capite vniuersaliter discurro de omnibus virtutibus ; nam valdè diuersum est velle seruare castitatem ab hoc , quod est velle Deo compensare pro peccato commisso etiam contra ipsam castitatem : quòd enim seruem iam castitatem non compensat peccatum heri contra illam commissum , vt ex terminis est notum ; ac proinde siue illam heri seruauerim ,siue non , eodem omnino modo illam ego teneor hodie seruare;& eandem honestatem in ea ego apprehendo. Pœnitentia autem licet quoad multos actus sit fuga peccati in futurum, habet tamen alios & quasi præcipuos , qui directè eam satisfactionem quà talem intendunt,iuxta paulò pòst dicenda;ergo religio distinguitur à Pœnitentia , siue omne peccatum auferat Deo honorem,siue non:de quo alibi.

37 *Rejicitur.*

Responderur rationibus à Caietano al. latis.

Aliud est seruare v.g. castitatem,& aliud cõpensare pro peccato cõmisso contra castitatem.

SECTIO TERTIA.

Examinatur sententia docens contrarietatem cum natura rationali esse motiuum detestandi peccata.

38 *Quinta sententia: Possibile est virtute detestans peccata vt rationi contraria.*

PATER Suarez disput. 2. sect. 4. bene ostendit posse esse specialem aliquam virtutem quæ detestetur peccata vt rationi naturali contraria. De quo puncto nos egimus Tomo 3. ostendentes circa bonum morale vt sic esse posse specialem aliquam virtutem ; nam licet obiectum illud

illud non sit quid singulare & specificum: amor tamen illius, non descendendo ad particulares rationes differentiales boni moralis, est in se singulare quid: vti habitus ille quo cognosco animal vt sic & eius proprietates, non descendendo ad differentiam hominis, bruti, leonis, equi, &c est haud dubie habitus specificus & individualis, etiamsi obiectum illius non sit singulare: & idem habet locum in omnibus illis habitibus scientiarum qui versantur circa rationes communes.

Obiectio. Dices: Bonum morale vt sic non est aliud quàm bonum castitatis, bonum iustitiæ, bonum misericordiæ, bonum patientiæ, &c. ergo eo ipso quo quis sit affectus benè ad bona hæc, in particulari non erit necessarius vllus alius habitus, qui versetur circa bonum vt sic: maxime cùm habitus solùm dentur ea ratione, vt potentiam facilitent ad benè operandum. Respondeo

Solvitur Primò. Primò, Summum hinc probari, si quis priùs acquisiuit eos habitus circa bona particularia, iam non indigere illo habitu circa rationes communes: at non probari, non posse hominem incipere priùs ab eo habitu circa bonum morale in communi. Etenim si proponatur alicui bonum morale, quod est conforme naturæ rationali, & iuxta ipsius dictamen, esse dignum amore, imò debere omnino amari: cur quæso non poterit voluntas ei bono affici, & ex repetitione actuum circa illud generare habitum aliquem, qui ex se abstractè inclinet ad tale bonum? Neque obest, quòd in illo vt sic considerato non repræsententur vllæ difficultates, pro quibus vincendis videtur necessarius habitus: hoc inquam non obest, quia habitus potest etiam esse circa obiecta, quæ difficultates positivas non habent. Deinde quia etiam proponi potest illud bonum morale vt sic vt vestitum difficultatibus in genere, non dicendo in specie quæ illæ sint: sed v. g. quòd sæpè propter illud bonum oporteat carere re aliqua sensibus aut appetitui grata &c.

39 *Secundò.* Secundò principaliter respondeo obiectioni factæ: Etiamsi quis priùs sit facilis per diuersos habitus ad specifica bona moralia, adhuc esse locum nouo habitui, quo afficiatur bono morali in genere, abstrahendo à rationibus omnibus particularibus: quia etiam postquam quis est castus, iustus, misericors, &c. potest cogitare per intellectum de bono morali vt sic, abstrahendo à cogitatione particularium bonorum: hoc enim nemo potest vertere in dubium: supposita autem ea cogitatione, cùm in ea ratione sic abstracta proponatur etiam ratio amabilis, cur quæso non poterit etiam tunc voluntas prorumpere in amorem eius boni sic considerati? quod si eos actus efficiat secundò, tertiò, &c. profectò eo ipso acquiret habitum distinctum à particularibus, quos antèà habebat: non ergo potest probabiliter negari possibilis talis habitus.

Rationes quæ probant talē de facto esse Pœnitentiā. Iam hinc ad rem nostram dicet quis illum esse Pœnitentiam quia hæc non videtur ob aliud motiuum detestari peccata, quàm quia sunt contraria rationi naturali, seu dictamini rationis: illa enim eadem virtus quæ amat bonum rationis, detestatur eo ipso peccatum vt ei bono contrarium. Neque obest, quòd virtus hæc, quam huc vsque diximus possibilem, non prærequirat vlla peccata, vti ea prærequirit Pœnitentia. Facilè enim responderi posset, eam virtutem quoad aliquos suos actus non prærequirere quidem peccata, ac proinde secundùm illos non habituram denominationem Pœnitentiæ: per hoc tamen non probari, ad illos actus qui vocantur Pœnitentia non posse prærequirere peccata: vti eadem virtus iustitiæ inclinat ad non furandum, & ad restituenda quæ sunt furto ablata: poterit ergo virtus respiciens conformitatem cum natura rationali & impedire peccata, quæ sunt contra eam naturam rationalem, & simul de commissis dolere ob illud ipsum motiuum. Neque facilè erit commodius aliquod motiuum pro Pœnitentia inuenire.

40 *Replica occurritur.* Diceret fortasse aliquis in contrarium, Hoc motiuum non esse proprium Pœnitentiæ: quia hæc non solùm vult non esse peccatum, sed directè respicit honestatem, quæ est in compensatione seu in satisfactione pro admissis: id enim est maximè proprium Pœnitentiæ: hanc autem honestatem non respicit ille habitus: ergo. Hæc tamen obiectio non habet magnam difficultatem, quia (vt suprà ostensum est dum Recentiorum sententiam de bono compensationis discussimus) æquiualenter bonum illud compensationis non est aliud quàm bonum pacis cum Deo, seu quàm bonum carentiæ peccati: id est, vt per eam compensationem restituamur in statum antiquum, & æquetur, vt dixi, bilanx: hæc autem æqualitas eadem est moraliter, siue ita fiat, vt nihil ponatur in vna & in altera bilance: siue vt quando iam est positum aliquid in vna, ponatur tantumdem in altera: nam licet per diuersas vias in idem tamen redit ur. Hinc ergo ad rem præsentem respondeo, Virtutem, quæ amat prædictam compensationem, non aliud habere motiuum quàm carentiam peccati, quia peccatum est oppositum naturæ rationali: seu quia honestum est carere peccato: ac proinde poterit ex hoc capite reduci ad illum habitum, de quo hunc agimus: quia etiam ille dum amat bonum morale, & odit peccatum quatenus ei bono opponitur, amare etiam poterit honestatem compensationis, cùm hæc aliam non habeat honestatem, quàm quæ est in ea carentia peccati: ergo adhuc non sufficienter ostenditur eam virtutem non esse Pœnitentiam.

Ostenditur hanc sententiam non distingui à primo quæ ponebat compensationem pro obiecto Pœnitentiæ.

Secundò ergo id probari posset, quia ad Pœnitentiam requiritur, vt aliquo modo respiciat Deum saltem in obliquo: illi enim vult peccator satisfacere, ad illum redire: ergo motiuum Pœnitentiæ debet esse respectiuum ad Deum: hoc autem non habet, si solùm respiciat oppositionem cum natura rationali, prout virtus, de qua nunc agimus, respicit. Respondeti tamen potest: Vti illa attritio, quæ conciperetur ex peccatis, prout sunt contra naturam rationalem, potuisset esse sufficiens intra Sacramentum Pœnitentiæ ad iustificationem, vt dicemus infrà: ita eodem modo Pœnitentia, quæ hoc motiuum respicit, sufficiet pro vera conuersione ad Deum, non ita, vt sola extra Sacramentum iustificet, quia hoc soli conuenit charitati, non autem Pœnitentiæ, si à charitate distinguatur, vt supponimus: ita ergo dicimus illam fore sufficientem, vt possit imperare eos actus, quos iudicauerit necessarios hîc & nunc ad iustificationem, prout præstat Pœnitentia: quodcumque illi assignemus obiectum formale.

41 *Replica secunda.* *Solvitur.*

Iudico in hac materia duas esse quæstiones: vna est, Vtrùm possit dari alius habitus, cuius motiuum formale sit distinctum à motiuo habitus istius de quo nunc agimus, & cui pos-

Duæ dicuntur quæstiones.

sint illa tribui quæ communiter tribuuntur Pœnitentiæ. Altera verò quæstio est, An vtrique huic habitui, an vni ex illis, & cui vox hæc *Pœnitentia* sit tribuenda. Illa prior quæstio erit de re, hæc autem secunda de voce sola.

42 Circa primam dico, Eum habitum distinctum seu motiuum formale ostendendum à nobis sectione quinta, dum nostram sententiam proposuerimus. Circa secundam verò quæstionem de nomine dico, longè commodiùs vocem *Pœnitentiæ* tribui illi habitui, quem ibi designauimus quàm huic: eum quia ille respicit in obliquo Deum: id quod non habet hic, de quo agimus nam licet ob argumentum paulò antè factum non videatur ille respectus omnino necessarius, pro Pœnitentia, negari tamen non potest, quin si adsit, sit magis proportionatus. Secundò, quia sub motiuo formali à nobis assignando non multiplicamus habitus sine causa graui: nam illud motiuum est iustitiæ: habitum autem iustitiæ omnes omnino concedunt. At habitus, de quo in hac sectione, à multis non conceditur. Nos verò etsi absolutè possibilem dixerimus, cum tamen de facto dari, dicimus esse omnino incertum: ergo non possumus dicere cum esse Pœnitentiam.

Reijcitur quinta sententia.

Replica.

Replicabis tamen contra hanc vltimam rationem: Si semel dicamus possibiles esse tales actus in hoc ordine rerum, necessariò debemus etiam admittere dari habitum supernaturalem infusum pro illis, & quidem in omnibus iustis: ratio est: nam illi actus non debent fieri (suppono illàs esse supernaturales eodem omnino modo quo reliqui honesti sunt in iusto) per auxilium extrinsecum, sed vti fiunt reliqui per principium intrinsecum: ergo siue illi dicantur Pœnitentia, siue non concedendi sunt de facto, ergo & habitus pro illis: ergo ex multiplicatione minori habituum non est cur illis negemus nomen & munus Pœnitentiæ. Si loqueremur de ordine naturali, negare facile possemus dari talem habitum: quia habitus naturales generantur ex actibus tantùm: vnde si actus sint extraordinarij, & valdè rari, vel nunquam, vel ratò generabunt habitum, ideóque cùm ille modus tangendi honestatem in communi sit rarus, posset pro illo negari habitus naturalis: at cùm de supernaturalibus nobis sermo sit & non velimus à iusto nisi per habitum intrinsecum fieri actus supernaturales, siue hi rari sint, siue frequentes, videtur necessariò admittendus aliquis habitus etiam pro tali actu. Respondeo, Neque etiam in ordine

43 *Soluitur pro actibus raris & extraordinarijs non assignantur habitus supernaturales.*

supernaturali debere admitti habitus ad quoscunque actus bonos extraordinarios. Etenim iuxta probabiliorem sententiam, quòd possit quis habere duplex inadæquatum motiuum, imò & triplex, quadruplex in aliquo actu, potest quis dicere vno actu, Volo esse castus, ob Deum, ob honestatem castitatis, ob spem gloriæ, ob fugam inferni, &c. non tamen propterea assignandus est aliquis habitus, qui indiuisibiliter respiciat ea quatuor motiua: sed eo casu prodiret ille actus partialiter ab illis habitibus, qui diuisim respiciunt ea motiua: ita in præsenti dico illum amorem boni moralis vt sic abstractè sumpti proditurum partialiter à quolibet habitu respiciente particulare bonum morale, vel certè ab auxilio extrinseco: ac denique etiamsi probabiliter pro talibus actibus admitteremus habitum aliquem distinctum, cùm eius existentia nequaquam sit tam certa, quam certa est existentia habitus Pœnitentiæ, non possumus illi hoc munus tribuere, sed debemus si possumus commodè alium habitum magis notum, & cuius existentia certior sit, pro eo officio assignare. Fortassis etiam hunc habitum putaret quis non posse esse supernaturalem, ac proinde non esse aptum pro virtute Pœnitentiæ de qua agimus; quæ est supernaturalis. Etenim illud motiuum est purè naturale, scilicet conformitas cum natura rationali: habitus autem supernaturalis debet habere motiuum seu obiectum supernaturale. Hæc tamen ratio nullo modo placet: Primò, quia, vt fusè ostendi Tomo 5. nequaquam ad supernaturalem actum requiritur supernaturalitas obiecti formalis: neque ex obiecto solo distinguuntur hi actus. Secundò, quia esto id requireretur, facilè esset tunc dicere, accipi illam contrarietatem cum natura rationali vt gubernata per dictamen supernaturale: non ergo debet ex isto capite negari ille habitus.

Alia quædam ratio qua sententia quinta refutatur.

Sed ineffaciter.

SECTIO QVARTA.

Examinatur sententia Patris Francisci Amici.

44 QVi Tomo 8. De Pœnitentia disput. 1. sect. 3. docet obiectum formale Pœnitentiæ esse resarcire ius diuinum à nobis læsum: vt verò differentiam illius ab obiecto formali aliarum virtutum ostendat, supponit virtutes distingui per diuersa iura quæ respiciunt: ius autem Dei læsum, quod Pœnitentia resarcit, ait esse ius quod Deus habet vt suprema regula nostrarum actionum per modum exemplabilitatis ad hoc, vt illi conformemur: quod ius violamus dum illi reddimur difformes: distinguit autem hoc ius à iure Legislatoris. Pro quo supponit num 47. Legem, præter actum intellectus, essentialiter includere actum voluntatis, cùm non solùm sit directiua, quod habet ab intellectu, sed etiam obligatiua, quod habet à voluntate; cuius tantum est obligare. Regula verò adæquatè solùm constituitur per actum intellectus, cùm per se non habeat nisi dirigere & regulare; vnde ait ius Legislatoris esse ius obligandi ad executionem per actum voluntatis; nam hoc est formale & specificum in Lege. Vnde D. Thomas 1. 2. quæst. 104. art. 2. voluntatem Superioris tacitam vel expressam ait esse obiectum obedientiæ; at ius primi regulantis & dirigentis solum est ius passiuæ imitabilitatis & exemplabilitatis, ad quam obligat Deus non per voluntatem, sed per dictamen; quod propter infinitam suam prudentiam dignum est cui omnes morales actiones conformentur.

Sexta sententia statuens obiectum Pœnitentiæ esse peccatum vt contrarium regulæ supremæ nostrarum actionum. Ille lege distinguit actum intellectus & voluntatis, seu regulam & obligationem.

Obligationem spectare ad obedientiam, regulam verò ad Pœnitentiam.

Mihi hæc doctrina obscura, minùs distincta, ac demum non vera videtur: obscura quidem, quia non facilè intelligitur quid per eos terminos exemplabilitatis, &c. intelligat: nec enim sufficit dicere, per eos denotari, quod nos debeamus ei regulæ conformari; nam vel agit de conformitate propria ac rigorosa; tunc autem ea non deberet esse quoad actus voluntatis, sed intellectus: vt si intellectus diuinus iudicat ita faciendum, noster intellectus etiam assentiatur ei iudicio, seu se illi conformet idem dicendo. Ex hoc autem capite nihil penitus infertur de conformitate actuum nostrorum voluntatis; imò hinc manifestè reiicio nouum illud ius ab hoc

Reijcitur hæc sententia, quia est obscura & falsa. Vt regula conformer, sufficit si idem affirmo quod illa.

Velendo quod Deus vult, conformamur diuinæ voluntati, non intellectui.

Auctore

Autore excogitatum ; nam intellectus diuinus ob suam prudentiam exigit vt credamus, seu sentiamus cum illo ; voluntas autem diuina ob suam etiam perfectionem immutam exigit vt teneamus cum illa; hoc est, vt amemus quod amat; odio habeamus quod odit. Hæc est clara & verissima eius rei explicatio. Hinc autem euidenter infertur, Peccatum nostrum, cùm solùm formaliter consistat in voluntate, non posse esse in violatione diuini iuris, nisi vt se tenentis ex parte voluntatis, seu quatenus nos odio haberemus quæ ille amat, aut è contrario amamus quæ odit; contra ius verò intellectus non possumus propriè facere, nisi dum dissentimus per actum infidelitatis ei iudicio diuino. De quo puncto iam nihil ago, præterquam quòd etiam in eo casu peccatum non est formaliter in dissensu, sed in actu voluntatis nostræ, quo dissensum imperamus.

45

Replica:

Fortasse dices, Illud dictamen non solùm exigere vt ita sentiamus, sed vt ita faciamus, sicut ille iudicat faciendum. Sed contrà, quia hoc non est conformari dictamini, sed obiecto dictaminis; quia faciendo non conformor Deo vt dictanti; nam vt dictans nihil facit. Ne verò faciamus quæstionem de nomine, An illa effectio sit dicenda conformitas cum dictamine; non enim libenter hæreo in quæstionibus de voce; Contrà Secundò; nam eo sensu ego dico illud dictamen non inducere vllam obligationem. Etenim circa opera consilij & supererogationis habet Deus dictamen, quòd ita sint facienda; & tamen licet teneamur non dissentire per intellectum ei dictamini, quia non possumus iudicare, non esse melius talia opera facere; at per voluntatem non tenemur ea facere; si autem ad eam passiuam exemplabilitatem (vt hi eam vocant) recurramus, etiam in his operibus est Deus infinitè imitabilis & exemplabilis; ergo etiam ad hæc obligari debebemus: quod est hæreticum. Imò ex his ipsis terminis passiuæ imitabilitatis & exemplabilitatis confirmo clarè quod dixi paulò antè, eam imitabilitatem solùm esse in eo, quòd dicamus idem quod ipse dicit; sicut passiua imitabilitas scripturæ dicentis *Facias hoc* propriè non est vt illud faciam, sed vt scribam alias litteras illi similes idemque dicentes; facere autem id quo eis literis præcipitur, est obedire illis literis, non eas passiuè aut actiuè imitari. Vnde apparet terminos huius Auctoris esse obscutos, nec inter se benè cohærentes, vt anteà dixi.

Solvitur.

Dictamē Dei de rebus faciendis nō obligat nostram voluntatem.

Cōformare se scripturæ, est similem scripturā scribere.

46

Replica secūda:

Sed iam ad præcipuam obiectionem respondebis, Ius in illo dictamine Dei non esse ad omnia quæ ille iudicat benè fieri, sed præcisè ad ea quæ iudicat debere fieri necessariò, seu sub obligatione. Sed contrà, quia hoc est iam petere principium, & deserere terminos huius sententiæ: etenim si recurramus ad passiuam infinitam imitabilitatem & exemplabilitatem, etiam eam habet Deus ad opera consilij; ergo iam hi termini nihil valent. Quòd verò petatur principium patet clarè; ea enim de causa Deus aliqua dicit esse necessariò facienda, alia verò non; quia furtum v.g. est contra naturam, matrimonium verò, etsi minùs perfectum virginate, non est contra naturam. Vnde propriè illa cognitio Dei non est, quam ego peccando violo; violo enim ius naturæ rationalis, cui damnum infero per furtum; cognitio ergo illa solùm est manifestatio huius malitiæ obiectiuæ; non manifestat autem ea cognitio aliquam malitiam reflexam in furto, ex eo quòd sit contra dictamen illud: vnde si ego, non cognoscendo quidquam de dictamine Dei circa malitiam furti, eam noscerem tam clarè per iudicium naturale, eodem planè modo peccarem furando. Idem etiam apparet in humanis; nam si ego semel euidenter noscо hodie esse diem ieiunij, non grauiùs pecco, etiamsi id mihi dicat homo sanctus & doctus, quam si ego solus aliunde id sciam, certissimè tamen: neque enim tunc doctissimus homo, vt dicens mihi esse prohibitas à Pontifice hodie carnes, significat mihi per hoc me comedendo carnes peccaturum contra ius vllum ipsius hominis dicentis: respondere enim possum, Omnino credo te verum dicere, nec contra te quidquam habeo: sed non curo ipsius Pontificis prohibitionem. Vt igitur censeamus illum hominem mihi hoc dicentem offendi per meam comestionem carnium, oportet vt ille addat, *Et ego etiam prohibeo, seu volo ne illas comedas*, ea autem obligatio iam est contra voluntatem eius qui mihi dixit se etiam velle ne ego faciam id; & in hoc sensu admitto libentissimè, sine notitia Dei non posse esse in peccato eam malitiam, quam Theologi in eo admittunt; debeo enim cognoscere etiam displicere Deo, quòd ego rem illam faciam; nam si mihi constaret nullo modo id Deo displicere, certè secundam illam malitiam contra Deum non contraherem, esto peccarem contra Rempublicam rationalem. Displicentia autem iam supponit actum voluntatis Dei, vt ex terminis constat.

Offenditur quòd hæc sententia petat principium.

Instantia in humanis.

47

Secundò tamen respondebis, Sufficere quod illud iudicium dicat; & ego etiam censeo hoc non esse faciendum; sufficere inquam ad hoc, vt sit fiat, sit contra iudicium illud. Sed contrà, quia adhuc manet tota difficultas; nam vel illud iudicium dicit præcisè, *Et ego etiam censeo non faciendum, ea præcisè ratione qua est contra naturam rationalem*: & tunc, dixi, illud dictamen non violabitur propriè; quia non proponit in obiecto motiuum illud fugiendi, aut malitiam vllam, nisi contra naturam rationalem; aliam verò reflexam contra ipsum Deum non proponit: sicut si ego laudo Concionatorem, dicoque, Verissima & sanctissima ille dicit, ego tamen ex mea fragilitate aliter faciam, non committo vllam offensam contra Concionatorem: quia hic non proposuit obiectum vitandum ex eo, quòd esset contra se, sed contra Deum: si ille esset simul Superior, & dixisset, *Mando etiam vobis, vt id faciatis*, tunc libentissimè admitterem, forte offensam aut iniuriam illius, id non facere. Vt ergo intelligamus Deum offendi, non sufficit, vt aliud faciamus quàm dictamen illius dicit faciendum; sed oportet vt simul dicat, *Ego autem id ipsum volo non fieri*, seu, *Ego habens auctoritatem prohibendi & mandandi volo vt ita fiat*; ibi autem iam dixi includi actum voluntatis Dei. Explico id per hunc casum, impossibilem quidem in se, non tamen in ordine ad rem præsentem. Demus aliquem Angelum qui non habeat potestatem vllam mandandi, habere tamen infinitam vim cognoscendi: cognoscat ergo ille ea sua vi, quòd hodie sit præceptum à Pontifice latum ieiunandi, quod & ego aliunde scio certò: etiamsi mihi ille dicat, *Pontifex vult vt ieiunes*, & ego ei respondeam, Omnino tibi credo id eum velle, sed quia tu nec potes me obligare, nec etiam ea de re vllam habes voluntatem,

Vegetur adhuc replica proposita: Et soluitur.

48

Explicatur similitudine.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tatem, sine vlla tua offensa carnes comedam; in hoc inquam casu nemo prudens dicere poterit vel in minimo violatam scientiam Angeli, quantumuis infinitam, & infinitè prudentem; ergo iufinita scientia & prudentia Dei circa illud dictamen omnino est impertinens, nisi accedat titulus Superioris mandantis: qui titulus iuxta hunc Auctorem solùm pertinet ad obedientiam.

Dices; Sufficit si accedat titulus Legislatoris. Sed contrà, quia, nisi abutamur vocibus, iuxta omnes homines Legislator propriè est Superior, & præcisè obligare potest quatenus mandat. Vbi noto aliquam contradictionem in hoc Auctore: nam, vt supra ex eo art. 2. D. Thomæ dixerat, Obedientia quà talis respicit voluntatem Superioris tacitam aut expressam: numero autem 48. cùm sibi obiecisset, omne peccatum esse contra voluntatem Dei (vnde sequitur, quod nos hucusque probamus, peccatum esse non contra intellectum, sed contra voluntatem Dei) respondet, Peccatum esse contra voluntatem Dei vel implicitam vel explicitam, Pœnitentiam autem præscindere à voluntate explicita, non ab implicita. Hanc inquam contradictionem noto, vt appareat inde veram non esse doctrinam, quâ ad illam coactus est hic Auctor: porrò eam esse contradictionem ex ipsis terminis constat, cùm tam Pœnitentiam quàm obedientiam, & è contrario, faciat independentem à voluntate expressa, dependentem verò ab implicita: quod antea negauerat, volens ostendere, Pœnitentiam differre ab obedientia, quòd hæc voluntatem, illa verò intellectum respiciat. Præterea hic Auctor sibi est contrarius, dum numero 47. dicit Legem formaliter includere iudicium intellectus & actum voluntatis, cùm non solùm sit directiua, quod habet ab intellectu, sed etiam obligatiua, quod habet à voluntate: nam regula non habet nisi dirigere & regulare. Ecce hic expressè destruit totam suam doctrinam: Primò, quia iam negat in illo dictamine Dei vt solo vim obligandi: vnde manifestè sequitur: Ergo facere contra illam regulam intellectus sic consideratam non est peccatum vllum: quia vbi non est obligatio, non est peccatum. Secundò aduersatur etiam manifestè sibi, quia si in Legislatore & Superiore quà tali formaliter includitur & volitio & illud dictamen: ergo obedientia, quæ respicit vtrumque illud ius, necessariò debebit respicere ius intellectus: ac proinde superflua erit Pœnitentia illud ius respiciens. Declaro: id Vel sentit hic Auctor solam voluntatem Dei, vt præcisam ab intellectu posse inducere obligationem, vel non: si dicat secundum, habeo intentum, scilicet obedientiam etiam respicere regulam intellectus diuini, quia obedientia respicit ius obligans; hoc autem duo dicit, ergo. Quòd si dicat primum, scilicet solam voluntatem obligare posse, destruit seipsum dicentem ad præceptum essentialiter requiri duos actus, intellectus & simul voluntatis. Constat ergo eam Pœnitentiæ obiecti explicationem nullam esse, & non lædi per peccatum aliud ius Dei quàm Legislatoris; iam non loquor de dominio, & amabilitate ac cultu; per inobedientiam autem violari ius Superioris seu Legislatoris, ideóque ex hoc capite non esse vllam Pœnitentiam necessariam, sed obedientiam sufficere.

Contradicit sibi P. Amicus.

49.

Obedientia respicit totam Legem, id est regulam & obligationem, adeoque Pœnitentia à P. Amico explicata est superflua.

SECTIO QVINTA.

Nostra sententia proponitur.

50. *Pœnitentia est iustitiæ commutatiua.*

PROBABILIOR mihi semper est visa ea sententia, quæ docet Pœnitentiam esse vel ipsam virtutem iustitiæ commutatiuæ, vel saltem aliquam speciem illius: quod vltimum propterea addo, quia iam non disputo, An idemmet habitus sit elicitiuus satisfactionis ex obligatione iustitiæ post commissum peccatum, & simul ordinetur ad vitandam in futurum omnem iniustitiam contra Deum: an verò pro iis diuersis actibus debeant poni duo distincti habitus: hæc enim quæstio longè est alia à præsenti, in qua de solo formali obiecto tractamus. Duo autem illi actus etsi aliunde aliquam habeant diuersitatem, ob quam possent duos habitus petere, in obiecto tamen ipso formali omnino conueniunt: vti conueniunt illi duo, quo nolo furari, & quo volo satisfacere Petro pro furto. In hoc ergo sensu dico Pœnitentiam vel esse vnicum habitum iustitiæ qui se extendit ad omnes actus iustitiæ circa Deum, vel esse partialem habitum iustitiæ ad restituendum id quod est Deo ablatum. In hoc secundo sensu eam sententiam docuit Durandus in 4. distinct. 14. quæst. 2. Suarius etsi disput. 7. sect. 2. videatur esse contra Durandum, re tamen ipsa clarè docet Pœnitentiem esse virtutem iustitiæ, non ita vt eadem iustitia sit respectu Dei & hominum, sed distincta: sicut distinctus est habitus religionis, quo Deum colimus, ab eo quo homines: interim tamen quoad obiectum formale vterque habitus est religio, & hic vterque est iustitia: eamdem etiam tenet Pater Tannerus disput. 6. quæst. 2. vbi fusè conatur ostendere, eam esse è mente Diui Thomæ qnæst. 85. art. 3. & Caietani ibidem.

51. *Examinatur doctrina P. Tanneri.*

Fateor Tannerum non videri satis consequenter in hac doctrina discurrisse: numero enim 25. & sequentibus docet eam esse veram & propriam commutatiuam iustitiam, etiamsi homo non possit ad æqualitatem satisfacere pro culpa, quia saltem potest pro pœna: numero vero 55. docet obligationem seruandi ius Dei illæsum in omnibus non spectare ad veram iustitiam, quia homo non habet sufficientem alteritatem à Deo, sed est veluti seruus: vel certè deest æqualitas, quia homo numquam seruat illud ius, nam saltem peccat venialiter aliquando. Dixi hæc non videri valdè consequenter dicta, quia si Pœnitentia est vera & propria iustitia: ergo debet homo pœnitens habere veram alteritatem à Deo, quomodo ergo hoc postea negatur? deinde, quòd homo non possit seruare ius Dei integrum, quia moraliter est necessitatus ad peccandum, nec in minimo obest obligationi ex iustitia ad non lædendum Deum: vti si quis à mala sua indole esset quasi moraliter necessitatus ad furandum, non propterea ille non faceret propriè & in rigore contra iustitiam; & idem dico ex eo capite, quòd homo non possit reddere Deo æquale: hinc enim solùm infertur, satisfactionem non fore æqualem, ac proinde eo sensu nec ex rigore iustitiæ; at obligationem ad eam faciendam, seu debitum eam faciendi, non fuisse ex toto rigore iustitiæ nequaquam colligitur. Crediderim Tannerum solo modo loquendi videri contrarium sibimam obligationem satisfaciendi concedit esse ex vera iustitia, solúmque ipsam actualem

actualem satisfactionem ait non esse rigorosam, quia non est æqualis, vt immediatè diximus. Et de
52. eius mente satis.

Oportet nunc videre quomodo probari ea sententia possit; & quidem posse dari inter Deum & nos veram iustitiam, ostendi fusè Tomo 1. & Tom. 6. vbi explicui, quomodo conditiones omnes illius in nobis & Deo saluari possint. De hoc ergo puncto nihil amplius addendum censeo, nunc solùm ostendendum, an possit id pœnitentiæ conuenire, & vnde id probetur. Durandus suprà hoc modo argumentatur: Si Pœnitentia esset virtus à iustitia diuersa, sequeretur eum qui peccauit frequenter, & egit Pœnitentiam, habiturum hanc virtutem; è contrario verò eum qui nunquam peccauit eâ carituram: hoc autem est absurdum; non enim debemus plures virtutes tribuere ei qui peccauit, quàm illi qui semper iustitiam seruauit. Hoc Durandi argumentum dilucidè reiecit Patri Vasquez & aliis, eò quòd idem inconueniens sequatur, etiamsi Pœnitentia sit idem cum iustitia: nam etiam tunc ille qui frequenter peccauit, & frequenter egit Pœnitentiam, intendit illam magis quàm alter qui nullam exercuit Pœnitentiam, siue ea maior intentio sit sub nomine puræ Pœnitentiæ, siue sub nomine iustitiæ: hoc enim videtur esse per accidens ad maius illud augmentum. Nihilominùs non puto hanc solutionem esse bonam; nam si Pœnitentia non distinguatur à iustitia (vt alt Durandus) potest etiam ille qui non peccauit saltem aliis bonis actibus iustitiæ, quæ eo tempore, quo est iustus, exercet præ alio peccatore, intendere eumdem habitum iustitiæ, & eo ipso æquare intentionem alterius. At si dicamus Pœnitentiam esse virtutem omnino distinctam; profectò non solùm excedetur in intentione illius qui numquam peccauit, ab illo qui frequenter peccauit, & frequenter etiam resurrexit; verùm & omnino carebit ea virtute quam habebit peccator iustificatus; adhuc ergo vrgere videtur Durandi argumentum.

Ratio Durandi pro nostra conclusione.

Reiicitur à P. Vasquez: Sed ineffaciter.

Reiicitur à P. Vasquez.

Sed ineffaciter.

53 *Reiicitur Secundò efficaciter.*

Melius ergo & facilius respondetur, Illud nullius esse momenti; Primò, quia hoc argumento non magis probatur Pœnitentiam debere esse idem cum iustitia quàm cum cæteris virtutibus, cum charitate aut religione, &c. cum quacumque enim identificetur cessat inconueniens: Secundò absolutè, quia vel Durandus loquitur de virtutibus supernaturalibus, seu infusis; & tunc cùm omnes illæ sequantur gratiam, per quemcumque actum homo se ad illam disponat, certum est omnes esse in quolibet iusto, siue fuerit antea peccator, siue non; cessat ergo ibi totum inconueniens; si verò solum agat Durandus de virtutibus acquisitis, libentissimè concedimus eum qui numquam peccauit carere ea virtute Pœnitentiæ: in quo nullum est inconueniens, quia virtutes naturales non necessariò comitantur gratiæ habitum. Si verò de maiori intentione virtutum supernaturalium loquamur, facilè concedere possumus Durando frequenter contingere, illum qui sæpè peccauit habere intensiores habitus supernaturales quàm illum qui numquam: vti adulti iustificati intensiores habent habitus quàm infantes, qui nũquam peccauêre, & sunt baptizati: hoc autem totum est independens à puncto præsenti de distinctione aut identitate Pœnitentiæ cum aliis habitibus: & præcisè oritur ex eo quòd peccator iustificatus recuperat totam antiquam gratiam, habituúmque supernaturalium totam intentionem, & insuper eam auget per nouos actus. Cùm ergo possit ille qui sæpè peccauit, & rediit ad iustitiam, plures exercere actus bonos quàm aliquis iustus: qui quidem numquam peccauit, sunt tamen valdè negligens in augenda gratia: nullum est inconueniens, quòd hic ab illo superetur in ea intentione. Vndè frequenter aliqui, qui fuere graues peccatores, euadunt deinde maximi Sancti; vti Paulus & alij. Et hæc circa Durandi argumentum.

54 *Probatur conclusio nostra.*

Probanda ergo est nostra sententia consequenter ad ea quæ locis citatis diximus, ostendentes per peccatum inferri Deo iniuriam contra iustitiam, ac proinde ex eadem iustitia nos teneri ad restitutionem seu compensationem: quo posito nulli commodiùs possumus id tribuere quàm Pœnitentiæ, quia pro peccato satisfacere, ac pœnitere de peccato, videtur planè esse idem. *Obiectio: Soluitur.*

Fortè obiicies: Etiam charitatis actus satisfacit: & tamen non ideò ille est Pœnitentia. Respondeo, Charitatem in actu quidem exercito satisfacere, at id præstare non ex motiuo satisfactionis aut compensationis, sed ex alio altiori & independenti planè à peccatis, Pœnitentiam verò directè velle compensare id quod commisit: vti qui ex virtute iustitiæ restituit pecuniam quam abstulit, directè vult compensationem illati damni. Hanc sententiam nostram si admitterent, iustitiam inter Deum & nos, omnino defenderent Vasquez & alij, qui per Pœnitentiam dicunt intendi æqualitatem inter Deum & nos, 55
seu (vt alij in idem tamen recidentes loquuntur) pacem inter Deum & nos.

Hinc ergo dicimus obiectum formale Pœnitentiæ esse bonum, quod relucet in seruanda æqualitate cum Deo, seu in eo, quòd non dem Deo rationabilem titulum ad hoc vt mihi fiat iniuria offensus: hoc enim est formalissimè optare pacem cum Deo, vt loquitur Cardinalis Lugo & Vasquez, aliique passim insinuant. Ex hoc affectu mouemur ad volendam seu imperandam illam satisfactionem, quam iudicamus hîc & nunc necessariam ad delendum peccatum, seu ad auferendum id quod fundat odium Dei, quod turbat eam pacem, quódque constituit inæqualitatem inter Deum & me. Hæc sententia sic explicata facilis & clara est, solúmque indiget solutione quarumdam obiectionum, quæ contra illam possunt opponi: quâ viâ magis illustrabitur.

SECTIO SEXTA.

Satisfit aliquibus obiectionibus.

56 *Obiectio prima, An Pœnitentia sit virtus Theologica falsò citat Lugo Patrem Vasquez.*

PRIMA sit, quia videmur Pœnitentiæ assignare ipsum formale motiuum charitatis: nolle enim Deum esse offensum, est amare bonum Dei quà tale: hoc autem ad charitatem spectat. Lugo ea disput. 2. num. 56. putat Patrem Vasquez sensisse, non posse vllo modo odium peccati, vt est offensa Dei, elici nisi à charitate, ideoque eum hîc reiicit: quia potiùs sub ea ratione non potest illud odium ad charitatem pertinere. Ego tamen miror à Cardinale non fuisse diligentiùs consideratam mentem Patris Vasquez: nam licet articulo 2. quæstionis 85. à num. 38. (vnde illum citat) & num. 17. eiusdem dubij habeat aliqua verba, quæ videntur sonare id quod ei tribuit; nihilominùs eo

ipso

ipso articulo, maximè autem sequenti, à numero 29. adeò clarè ipsam Lugo sententiam tradit, vt neque ab ipso clariùs tradatur. Citato ergo in contrarium loco agit de odio peccati vt de offensa Dei, non sub quacumque consideratione, sed vt ex complacentia in Deum oritur illud odium; vnde eo loco numero 41. hæc ait: *Nihilominùs ego negarem Pœnitentiam specialem virtutem habere & actum doloris de peccato; cum enim amet satisfactionem Deo facere pro iniuria, odio habet iniuriam* (intelligit autem iniuriam lato modo, hoc est offensam) *pro qua satisfacit, nempe peccatum; sed hoc non iam vt est contra Deum ex complacentia ipsius Dei, sic enim esset charitas, & hactenus de hoc tantum odio prolatum: sed ex complacentia proprij boni odio habet offensam Dei & iniuriam, & amat compensationem, vt explicabitur articulo sequenti.* Hæc Vasquez. Vides illum explicantem se, de quo odio offensæ Dei loquatur, scilicet de illo, quo ex complacentia in Deo oritur. Articulo verò sequenti, loco à nobis citato num. 29. rem latissimè explicat his verbis: *Respondeo tamen, Voluntatem satisfaciendi Deo non habere ex consequenti odio ipsum peccatum, quatenus est contra Deum, ex complacentia ipsius Dei, & propter ipsum; iste enim est actus charitatis: sed sicut iustitia odio habet iniustum factum proximo, non vt malum illius est: sic enim esset amor proximi: sed quia iniustum, quod est ad proximum, concipit vt est contra rectam rationem.* Et applicans hoc paucis interiectis ad peccatum ait: *Sic etiam è contrario odio habemus peccatum, quatenus est iniustitia quædam & inæqualitas cum Deo, quia hoc malum est contra rationem; sed illud odio habemus non ex amore Dei & complacentia ipsius, sed ex amore nostri, quatenus iniustitiam ac inæqualitatem cum Deo, vt malum nobis secundùm rectam rationem apprehendimus.* Hæc ille: quæ est ipsissima doctrina Lugo & nostra. Fusiùs autem id deduxi, tum quia aliquoties hic Auctor tribuit aliis ex vno loco non ex integro perlecto sententias quas illi non defendunt, vt circa me ex Philosophia ostendi in duobus aut tribus locis, & maximè circa Henriquez in puncto, An vna species tantum gratiæ tribuat quantum ambæ simul: de quo fusiùs Tomo 7. suo loco: tum quia per hæc ipsa verba Patris Vasquez respondi obiectioni positæ, ita vt nihil amplius addere necessum sit: quia etiam ea doctrina est nimis sæpè tradita à nobis, scilicet id ipsum, quod est malum alterius posse à nobis sæpè considerari vt est etiam nobis malum, & sub hac ratione odio haberi: & ea ratione peccatum, quod est offensa & malum Dei consideratur vt malum nobis: & sub hac ratione à nobis odio habetur: sicut è contrario contingit in virtute religionis, obedientiæ, iustitiæ: nam licet per illas amemus cultum Dei, quod haud dubiè est bonum ipsius Dei, & executionem præcepti ipsius, ac denique velimus seruare ius ipsius, quæ sunt bona ipsi; non tamen ea amamus sub ratione boni illius, sed quia honestum est mihique expediens ea bona amare.

57.

58. *Et alios sapius.*

Soluitur obiectio proposita.

59 *Vrgetur obiectio à paritate Spei.*

Vrgebis adhuc contra hoc vltimum: Spes est virtus Theologica, & tamen habet solùm pro obiecto immediato visionem beatificam: quæ rursus habet pro obiecto Deum: ergo etiam Pœnitentia erit Theologica, licet non amet nisi satisfactionem, quæ terminatur ad Deum, & odio habeat offensam Dei, quæ est aliquo modo malum Dei. Difficultas grauis non tam in explicando, quo pacto Pœnitentia non sit Theologica, quia hoc facilè colligitur ex suprà dictis, quàm vt ostendatur, quomodo Spes sit Theologica: de quo alibi: breuiter tamen dico, Ex visione & Deo fieri vnum obiectum totale, quia Deus; à Spe non respicitur vt purus terminus visionis, sed quatenus ipse Deus est bonus mihi, & per visionem à me possidetur: visio enim est quasi vnio summi boni mecum. Sicut ille qui amat gratiam habitualem sibi, non solùm respicit illam vt est terminus vnionis, sed vt ipsa est bona homini: quantumuis ea non communicetur nisi per distinctam vnionem. Idem est in omnibus aliis formis quas nobis amamus. In satisfactione autem non ita contingit: neque enim amo satisfactionem Dei, quatenus per ipsam ego sim possessurus Deum, aut mecum illum vnitutus: sed præcisè eam amo propter seipsam, quia ipsa mihi bona est: siue Deus, qui est illius terminus, mihi sit bonus, siue per impossibile malus: imò siue in se sit bonus, siue per impossibile esset malus: vti etiam qui amat satisfactionem inimico, non considerat bonitatem inimici, sed satisfactionis. Item Deus amans scientiam suam de peccato non amat peccatum, sed potiùs sibi in illo displicet: amat autem scientiam quæ peccatum respicit.

Soluitur.

60 *Obiectio secunda.*

Obiicies Secundò: Antecedenter ad ius, quod Deus habet ad satisfactionem, intelligitur peccatum habituale maculans hominem, & illum reddens dignum odio Dei: in hoc enim peccato fundatur illud ius: sed Pœnitentia per se intendit tollere peccatum, quod maculat hominem: ergo obiectum Pœnitentiæ non est ablatio illius iuris, siue satisfactio pro iure, sed ablatio fundamenti & radicis illius iuris, id est malitiæ.

Soluitur.

Respondent nonnulli, A Pœnitentia vtrumque intendi, & ablationem fundamenti, & ablationem iuris. Melius videtur posse dici, ius ipsum, etiamsi explicetur per modum alicuius rei consequentis, seu pollulantis ex peccato, non tamen ab illo esse distinctum, sed habere se per modum passionum entis respectu ipsius entis. Ratio huius est, quia ius Dei ad exigendam à nobis satisfactionem nihil aliud penitus est quàm commissa à nobis in ipsum iniuria, pro qua nondum est à nobis satisfactum, & quam ipse Deus nondum nobis condonauit: hoc autem formalissimè est ipsum peccatum habituale.

61 *Vrgetur obiectio.*

Obiicies: Ius illud vt tale denominat Deum, illi quasi tribuens potestatem exigendi satisfactionem: peccatum autem vt tale denominat personam maculatam & Deo offensam: item peccatum displicet Deo: ius autem ipsum non ei displicet, sed potiùs placet. Respondeo, vnam & eamdem formam respectu diuersorum subiectorum dare posse diuersas denominationes, & fortè oppositas, vt actio eadem formalissimè denominat causam agentem, effectum autem productum, passio effectum receptum, subiectum verò recipiens: cuius rei multa sunt exempla. Dico ergo: peccatum ipsum, si comparetur cum persona, quæ illud commisit, denominabit illam inimicam & offensam Deo: si autem comparetur cum persona, contrà quam commissum est, denominabit illam iniuriatam, & potentem meritò sibi displicere in offendente, & ab eo exigere satisfactionem: & licet denominationes

Soluitur. Eadem forma potest dare diuersas & fortè oppositas denominationes.

minationes hæ sint diuersæ ex parte personarum, supra quas cadunt, forma tamen, à qua proueniunt, est eadem formalissimè. Cùm ergo Pœnitentia intendens tollere has denominationes non intendat tollere nisi formam, à qua proueniunt, scilicet peccatum; idem erit formalissimè velle tollere denominationem iniuriati, & potentis petere satisfactionem in Deo, ac velle ex parte ipsius hominis tollere peccatum: sicut volens tollere denominationem producti, formalissimè vult tollere denominationem, producentis. Ad illud de displicentia & complacentia Dei respondeo, posse contingere vt displicea: Deo aliqua forma secundum se, non tamen effectus formalis ab ipsa proueniens: licet enim illa in se sit mala, tamen effectus formalis non est malus; sicut è contrario potest contingere effectum formalem esse malum, formam autem à qua partialiter prouenit, bonam esse, vt in probabiliori sententia docente libertatem actus consistere in denominatione extrinseca, ab ipsa libertate vt à forma saltem partiali prouenit denominatio in actu peccaminoso; & tamen ipsa libertas non est mala sed bona. Similiter voluntas comedendi carnes vigente prohibitionem non est mala; posita autem præcise prohibitione & cognitione illius illa comestio mala est, quantumuis prohibitio & cognitio prohibitionis bonæ sint. Ratio à priori, quia non est necessum vt forma in se habeat effectum formalem resultantem ex ipsa & subiecto. Nam odium reddit obiectum formaliter odio habitum in se autem non odio habetur, sed potiùs amatur, similiter visio reddit albedinem visam; ipsa autem visio non videtur; ergo etiamsi peccatum in se malum sit, potuerit tamen reddere aliquem effectum formalem bonum, scilicet Deum potentem irasci contra hominem, illúmque punire, id quod Deo non displicet, licet displiceat ipsum peccatum; ergo non est necessarium ponere aliquam formam, à qua proueniat illud ius distinctam à peccato, & consequenter non est necessum duo obiecta ponere, quæ per Pœnitentiam auferantur; vnum scilicet peccatum ipsum, aliud verò ius ex peccato resultans, sicut non sunt duo obiecta destructibilia quando volo tollere visionem; vnum ipsa visio, aliud vero effectus formalis visi; quia vt dixi, idem est & visio, & id quod constituit effectum formalem visi, & in peccatis res est clarior, quia non apparet, quod possit esse illud ius præter peccatum ipsum non condonatum, & pro quo non est satisfactum; neque enim admittimus entia moralia media. Vnde miror ab his Recentioribus etiam eiusmodi entia negantibus distingui ex parte obiecti illud ius ab ipso peccato.

62 *Potest forma bona producere malum effectum formalem. & contrà.*

Ratio à priori.

Ius quod habet Deus ad me odio habitum nihil est ab ipso peccato distinctum.

63 *Obiectio tertia.*

Obiicies Tertiò Pœnitentia non potest auferre physicam præteritionem peccati; aliquid autem aliud quod auferat non habet; ergo nullum habet obiectum quod destruat. Respondeo, Peccatum habituale (vt sæpè dixi) duo includere, & præteritionem physicam peccati; hanc autem fateor à Pœnitentia non posse tolli; & de hac dixit Diuus Thomas stultum fore, si Pœnitentia tenderet, vt non fuisset peccatum; deinde negationem seu carentiam compensationis, & hanc nego à Pœnitentia non posse tolli: potest enim ponendo satisfactionem tollere eiusmodi carentiam: & quia homo non potest æqualem satisfactionem exhibere, ac proinde formaliter non potest tollere peccatum: vult saltem illud dispositiuè tollere efficiendo id quod Deus de facto petiit, vt illud condonet: vel saltem ex parte sua vult facere quantum commode potest.

Soluitur.

SECTIO SEPTIMA.

Replica grauis contra immediatè dicta.

64 *Replica: Ergò pœnitentia vult actiuè Deum quo condonat peccata. Soluitur.*

Dices: Ex tradita solutione sequitur Pœnitentiam habere pro obiecto actum Dei quo ipse condonat peccatum: quia hic actus Dei inuoluitur in ea remissione peccati, quam à Pœnitentia diximus procurari. Respondeo, Obiectum Pœnitentiæ, quodque ipsa procurat, & quod vult ponere non esse illa omnia quæ formaliter concurrunt ad ablationem peccati, sed solùm ea quæ ex parte ipsius peccatoris requiruntur, vt Deus condonet peccatum: in his autem non includitur ipsa Dei condonatio, sed satisfactio ab ipso homine exhibita: quam non appetit Pœnitentia tamquam medium, vt sequatur deinde condonatio: sic enim actus Dei esset obiectum formale Pœnitentiæ: solùm ergo appetit satisfactionem ex parte hominis, quia ipsa in se est bona & honesta homini.

Solutionem hanc reycit Lugo.

Contra hanc solutionem replicat Lugo ea disput. 2 num. 61. Nam Pœnitentia vult illa obsequia, vt sunt apta ad placandum Deum; atqui ad hunc effectum necessariò requirunt saltem cognitionem Dei, nam si Deus ea obsequia non nosceret, non posset placari: ergo saltem ipse actus cognitionis diuinæ erit obiectum formale Pœnitentiæ. Ideò ipse respondet, Pœnitentiam quidem velle placare Deum, seu quod Deus remittat, vel deponat indignationem, quam ob peccatum concepérat. hoc tamen non esse motiuum formale eius virtutis: quia bonum pacis, quod illa vnicè intendit haberi, potest etiam sine vllo actu Dei, vti habebatur ante peccatum commissum: ergo tunc illa condonatio Dei intenditur à virtute illa per modum obiecti materialis, id quod non sufficit ad constituendam virtutem in ratione Theologicæ.

Ea aliam assignat.

Quod si ei iterum obiicias: Bonum pacis formaliter est vel quod homo ipse non peccauerit, vel certè quod Deus ipse condonauerit: atqui in præsenti non potest illud bonum consistere in eo, quòd non fuerit peccatum, quia id iam est impossibile: ergo in eo, quòd Deus condonet: ergo Pœnitentia hic & nunc hoc secundum debet intendere: Respondet, Condonationem Dei includi quidem in illo obiecto formali, non tamen prout requiritur ad rationem virtutis Theologicæ, quia includitur modo imperfecto. Id quod probatur Primò, quia solùm amatur sub disiunctione: nam (vt paulò antè dictum est) illud bonum consistit vel in carentia peccati præcedentis, vel condonatione diuina: qui autem disiunctiuè habet pro obiecto aliquid increatum, non dicitur illud intendere: sicut qui vouit eleëmosynam vel castitatem, non dicitur simpliciter vouisse castitatem: ideóque non censetur illud votum reseruatum, vti est reseruatum votum castitatis. Secundò ideò respicitur imperfectè à Pœnitentia ille actus Dei, quia non amatur ob suam perfectionem, sed solum quatenus impedit iustum titulum indignationis quod quidem si posset poni per condonationem quæ esset extrinseca Deo, non cura et id Pœnitentia: ergo illa infinita perfectio ipsius actus

65

condonatiui non respicitur formaliter, sed materialiter à Pœnitentia, ergo non sufficienter, vt hæc sit virtus Theologica.

66 *Replica Lugo reiicitur.*

Opinor nec replicam illam contra nostram solutionem, nec solutionem hanc nouam subsistere posse: & quidem replica illa, quòd compensatio nostra nõ videatur sufficere ad pacem cum Deo, nisi ab ipso cognoscatur, non vrget; quia esto non sufficiat, vt proximè Deus eam iram deponat, nisi noscatur à Deo; at nos facillimè respondemus, Intentum Pœnitentiæ nihil esse aliud, quàm ponere fundamentum sufficiens ex parte nostra, seu quantum est, vt sic dicam, ex parte ipsius fundamenti ad cessationem odij diuini. Vti enim iure optimo dicimus, etiam antequam aliqua res à Petro v.g. ametur, & verò etiam antequam ab eo noscatur, *Hæc res est amabilis à Petro*, seu habet quidquid est necessarium ex parte sua ad amabilitatem, siue interim Petrus eam amet, siue non, siue etiam noscat, siue non. Item è contrario de homine qui alterum iniustè occidit, esto à nullo id sciatur, iure optimo dici potest; *Iste est ex se adæquatè dignus morte ob tale flagitium.* Ita eodem modo potest ex se homo ponere fundamentum sufficiens pro condonatione diuina, non intendendo vllo modo neque ipsam condonationem immediatè, neque cognitionem diuinam

Pœnitentia intentum non est, vt Deus sciat ab ea poni satisfactionem.

67 sed solùm, quod ex parte sua iam sit fundamentum, vt Deus, cùm primùm illud nouerit, cesset ab odio; non ergo intenditur ibi ipsa cognitio diuina. Et (vt verum fatear) non video cur maiorem inuenerit hic Auctor difficultatem in cognitione quàm in ipsa condonatione; nam Pœnitentia non magis intendit cognitionem quàm condonationem; imò si aliquid ex illis dicenda sit intendere, certè ipsam condonationem potiùs quàm cognitionem. Nam si Deus retineat adhùc iram, esto noscat eam satisfactionem, parum valde satisfiet desiderio Pœnitentiæ; si verò è contrario Deus condonaret peccatum, etiam non visa ex parte mea satisfactione requisita, profectò iam ipsius Pœnitentiæ desiderio esset satisfactum. Quòd si ob id dicatur, Pœnitentiam non curare directè quid faciat ipse Deus, sed solùm esse solicitam, vt homo ex parte sua ponat hîc & nunc ea quæ sũt necessaria, vt Deus deponere possit iram, sine dubio id perfectissimè obtinet intendendo satisfactionem, esto non intendat id à Deo sciri. Sicut qui intendit se reddere amabilem quantũ est ex parte sua, non curat sua opera sciri, sed ita se gerere, vt si sciantur, inueniatur dignus amore; non est ergo cur ea solutio nostra reiiciatur, vel si reiicienda sit, cur magis ratione scientiæ diuinæ, quàm ratione ipsius diuinæ condonationis.

68 *Solutio à Lugo assignata reiicitur.*

Iam verò ostendo eam alteram responsionem huius Auctoris non sufficere; & quidem non mihi videtur seruare consequentiam; nam in prima parte dicit illum actum voluntatis diuinæ esse tantùm obiectum materiale; in secunda verò admittit esse obiectum formale, licet modo minùs perfecto: id quod longè aliud est quàm esse obiectum materiale; nam vt horum exemplo vtar, quando ego voueo eleëmosynam v.g. vel castitatẽ certè ex eo quod disiunctiuè vtrumque voueam, non sequitur magis esse obiectum materiale, quàm si sine disiunctione vouissem, vt ex terminis notum est; ergo duæ illæ solutiones non cohærent inter se. Secundò, non capio, cur ex eo, quòd Pœnitentia habeat disiunctiuè pro obiecto vel condonationem diuinam, vel pacem, prout ante peccatum fuerat, non sit dicenda virtus Theologica: etenim reuerà habet pro obiecto formali aliquid diuinum, licet simul habeat aliquid creatum. Instantia autem de voto non est ad rem: ideò enim illud votum non dicitur reseruatum, quia vi illius, non tenetur vouens ad castitatem, potest enim se determinare ad eleëmosynam: & per hoc liberatur ab obligatione castitatis: obligatio autem ad eleëmosynam potest relaxari facilè, licet votum castitatis non possit. At cùm ratio obiecti formalis (de quo tunc agimus) non desumatur nisi ex eo, quòd immediatè & per se, & non ratione alterius obiecti distincti intermedij ametur: profectò quantumuis disiunctiuè ametur, semper erit obiectum formale. Pone v.g. duas res dulces specie diuersas æquè mihi gratas, quas tamen simul habere non possum; amo ergo, seu opto illas disiunctiuè, hanc vel illam: profectò in eo casu neutra desinet esse obiectum formale partiale illius actus: qui siue determinatè siue disiunctè amentur, semper amantur propter se, & non propter alium finem ab ipsis distinctum, vt ex ipsis terminis patet: ergo idem erit in præsenti.

Non obstat rationi virtutis Theologicæ, quòd habeat pro obiecto formali aliquid diuinum sub disiunctiua.

Tertiò videtur mihi aliqua committi hîc æquiuocatio. Admitto quidem his Auctoribus (quod tamen, vt statim videbimus, non est verum) virtutem ipsam Pœnitentiæ, prout dicit habitum, posse habere duos amores: vnum pacis, in quo non amet condonationem Dei, sed carentiam peccati seu pacem cum Deo, prout erat ante peccatum commissum; alterum verò quo amet pacem cum Deo post commissum peccatum; vel, vt magis ad mentem horum Auctorum loquar, ab illo habitu oriri posse vnum actum, quo amet illam pacem, prout abstrahit ab eis duobus statibus: negari tamen nullo modo potest, etiam posse esse aliquem actum determinatum eius virtutis, qui dirigatur cognitione peccati vt iam commissi, & qui dicat: *Volo habere pacem cum Deo ratione eius peccati quod heri commisi; quia non solùm est mihi bonum habere pacem cum eo non committendo vllum peccatum, sed etiam supposito quòd illud commiserim, satisfaciendo pro illo*, &c. atqui hic actus cùm essentialiter ex sua ratione saltem individuali debeat præsupponere peccatum commissum: repugnat in terminis quòd habeat pro obiecto suo formali eam pacem, quæ est ante comissum peccatum: quia eam non potest acquirere nec diuinitus: ergo solùm habet pro obiecto pacem illam, quæ est per diuinam condonationem: ergo saltem iste actus erit determinatè Theologicus iuxta priorem illam explicationem.

69 *Ostenditur in sententia Lugo Pœnitentiam habere pro obiecto formali condonationem diuinam non tantùm disiunctiuè, sed etiam determinatè.*

Quartò (vt verum fatear) ego vix video vllam differentiam quoad scientiam Dei inter pacem post peccatum comm ssum, & inter pacem ante ipsum peccatum: nam sicut, vt Deus mecum habeat pacem postquam peccaui, requiritur illum noscere me iam posuisse compensationem, quam ipse petiuit: ita mihi videtur etiam esse necessarium, vt ad pacem ante peccatum ipse sciat me nondum peccasse: quia vti postquam re ipsa obtuli satisfactionem debet ipse scire me eam obtulisse, vt cesset ab odio, ita vt non incipiat me odio habere: seu vt proximè non possit me odio nunc habere, debet scire me nondũ peccasse; certè hæc propositio est ex terminis

70 *Retorquetur replica à Lugo facta in ipsum Auctorem.*

nota

nota Fortè negabis eam sententiam debere præcedere: sufficit enim si non sciat me peccasse. Sed contrà, quia si concipiamus Deum præcisè non scientem, profectò ille dicere posset; *Fortè Petrus peccauit esto id ego non sciam; ideoque fortè est dignus odio*; ergo vt Deus prudenter sine formidine possit me non odio habere, debet scire me nondum peccasse; vtrobique ergo requiritur scientia.

71 *Secunda solutio Lugo rejicitur.*

Quod secundo loco dicebatur, ideò eam condonationem, esto ametur per Pœnitentiam, non tamen amari modo requisito ad virtutem Theologicam, eò quod solùm ametur quatenus impedit titulum indignationis Dei: quod quidem si poni posset per aliquid extrinsecum Deo & creatum, parum curaret Pœnitentia. Hoc inquam etiam non satisfacit, quia condonationem illam diuinam impedire titulum iustæ indignationis diuinæ nihil est ab ea distinctum, sed re ipsa formaliter est ablatio eius tituli; ergo per eam reduplicationem non extrahitur condonatio à ratione obiecti formalis: iam enim ostendi, obiectum materiale solùm dici respectiuè ad aliud distinctum, quod per materiale cautetur. Quòd verò si id fieret per aliquid extrinsecum Deo, Pœnitentia id non curaret; proba quidem eo casu Pœnitentiam non futura Theologicam: at verò de facto quando id vnicè fit, & verò nec diuinitus potest aliter fieri quàm per positionem formalem illius actus diuini, videtur omnino Pœnitentia habere pro obiecto formali eum actum. Et fortè ad id magis vrgendum vti posset quis exemplo virtutis Spei, quæ sine dubio est Theologica, eò quòd Deum habeat pro obiecto possidendo per visionem; & tamen quodammodo dici posset, si posset Spes habere totam illam delectationem & bonitatem, quam habet per vosionem, esto Deum non possideret, seu esto Deus non existeret, id etiam à Spe non curandum: ergo ex eo quòd dato hoc vel illo casu impossibili aliter se hæc aut illa virtus haberet, nihil omnino infertur circa ea quæ de facto illæ habent. Quidquid tamen de hac instantia Spei sit, sufficiant quæ diximus contra eam solutionem; vnde tandem concludo standum esse datæ à nobis.

Instantia in Spe.

72 *Alia quorundam solutio.*

Aliter fortasse responderi posset ei obiectioni primæ ex quorundam doctrina, Compensationem dupliciter posse amari: Primò, vt per eam cooperamur Deo ad remissionem peccati, & ex hoc capite fortasse esse obiectum Theologicum; quia videtur habere pro obiecto formali cooperationem Dei, seu condonationem Dei; posse item alio modo amari, quatenus ea compensatio est ablatio iuris, quod Deus habet ex peccato nostro contra nos; quo sensu negant hi Auctores esse Theologicam, quia ius illud esto sit in ordine ad odium Dei, non est tamen aliquid increatum. Hæc tamen solutio nullo modo satisfacit: Primò, quia distinguit ea duo quæ re ipsa sunt idem, & solo modo loquendi differunt. Me enim cooperari Deo ad remissionem peccati nihil aliud est formalissimè, quàm me tollere per satisfactionem (quantum est ex mea parte) illud ius Dei: ego enim non concurro cum Deo ad ipsam condonationem, sed aufero fundamentum odij quantum est ex me: & Deus ipse solus aufert deinde odium, seu condonat: ergo ea distinctio nulla est. Secundò, quia ea data adhuc non explicatur, quomodo illud ius differat à condonatione ipsa diuina: etenim illud formalissimè consistit in peccato ipso præterito & in non-condonatione: ablatio autem iuris, quam Pœnitentia intendit, non potest esse ablatio præteritionis peccati: repugnat enim iam fieri, ne peccatum præcesserit: ergo debebit esse ablatio negationis condonationis, seu (vt clariùs loquar) debebit esse ipsa condonatio diuina, quam Pœnitentia intendit ponere: ergo adhuc ea Pœnitentia videtur retinere cõceptum virtutis Theologicæ. Denique non video, cur è contrario illi dicant compensationem, prout per eam cooperamur condonationi diuinæ, esse obiectum Theologicum magis quàm eadem compensatio, vt tollit illud ius, sit quid Theologicum: nam cooperatio, si est aliquid à me factibile, non potest esse diuinum. Et fortasse aliquis iudicaret è contrario magis clarè ostendi, ablationem iuris esse aliquid diuinum quam eam cooperationem.

Reijcitur.

SECTIO OCTAVA.

Noua replica & reliquæ obiectiones solutæ.

73 *Replica.*

REPLICARI tamen adhuc potest: Nam reuerà Pœnitentia intendit directè non solum ablationem ex parte sua fundamenti ad odium Dei quantum fieri potest, sed ipsam ablationem peccati. Parum enim homini prodesset exhibere aliqua obsequia & satisfactionem inadæquatam, si tamen adhuc maneret peccatum, & malè afficeret hominem non minùs quàm anteà: ergo intendit ipsam ablationem peccati: hæc autem non fit nisi formaliter per condonationem ipsam Dei: ergo hanc intendit Pœnitentia. Nonnulli videntur respondere, Pœnitentiam quidem odio habere carentiam condonationis diuinæ, non tamen ideò velle ipsam condonationem: carentiam autem condonationis non esse actum diuinum, sed potius carentiam actus. Vt verum fatear, ego non facilè capio hanc solutionem: etenim non est moraliter possibile aliquem dolere, v. g. quòd sint tenebræ, nisi eo ipso amet saltem implicitè lucem: quis enim dolet se nõ habere illud bonum, quod nullo modo habere cupit: aut cur dolet de carentia, nisi quia libenter haberet bonum quod per eam carẽtiam tollitur: Si ageremus in ea duo contraria positiua, facilè conciperem posse hominem nolle habere vllum ex illis, nec frigus v.g nec calorem: at inter carentiam formæ & formam nullo modo video posse esse dolorem de vna, sine implicito saltem amore alterius. Imò fortasse non nemo diceret, Inter ea duo opposita per modum formæ & carentiæ idem esse etiam formalissimè nolle vnum, & velle alterum.

Resõsio quorundam.

Reijcitur.

Hac ergo solutione reiecta, duobus modis possumus respondere obiectioni: Primò quidem iuxta meam sententiam, quod scilicet Deus non possit non odio habere peccatum; hinc enim dicimus, Deum ponere carentiam odij, esse condonare peccatum; Pœnitentia igitur non solùm intendit ex parte sua ponere quæ necessaria sunt, ne odio habeatur, sed etiam ne re ipsa odio habeatur à Deo, vt obiectio contendit; hinc verò solùm sequi, carentiam odij esse obiectum vltimum illius; hæc autem carentia non est actus diuinus, sed potiùs carentia illius;

74 *Satisfit replicæ primò.*

Vt virtus aliqua sit Theologica, non sufficit, si tendat aliquid diuinũ illud respuendo.

& licet eo ipso quo ea virtus vult carentiam odij debeat attingere ipsum odium, iuxta immediate dicta, nihil tamen inde sequitur, quòd sit Theologica virtus, quia non habet tunc pro obiecto amato illud odium diuinum, sed potiùs pro obiecto quod respuit; Theologica autem virtus non dicitur ex eo quòd respuat aliquid diuinum, sed potiùs eò quòd illud amet, & quòd benè afficiatur circa illud; quod autem possit honestè respui, aut audio haberi à nobis aliquis actus diuinus, non habet difficultatem vllam,

Actus diuinus potest honestè odio haberi.

Satisfit replicæ Secundò.

cùm ipsemet Deus possit etiam reflexè suosmet actus nolle habere, seu respuere. Respondetur Secundò; esto dicamus per Pœnitentiam attingi ipsummet actum condonatiuum Dei, non tamen ideo illam dicendam fore virtutem Theologicam; quia non amatur propter se ea condonatio, sed quatenus per illam aufertur peccatum

75. ab homine. Nam licet physicè loquendo ea ipsa condonatio seipsa destruat peccatum habituale, quia è contrario illius condonationis carentia erat pars illius habitualis, vt moraliter seu habitualiter durantis, ideoq; nihil efficienter destruat,

Condonatio diuina à nobis apprehenditur quasi physicè destruens peccatum.

loquendo in toto rigore: nihilominùs tamen in ordine ad apprehensionem moralem censetur ea condonatio quasi efficienter tollere peccatum, perinde (vt sic dicam) ac si ad præteritum daretur potentia & efficeret iam Deus ne ego peccauerim ac proinde non amat quis per Pœnitentiam voluntatem condonatiuam Dei vt per se bonam homini, & vt obiectum formale, sed quasi medium ad destructionem moralẽ peccati præcedentis, non quidem quoad iam præteritos effectus, sed tamen quoad futuros: vt scilicet peccatum non fuerit à me commissum in ordine ad hoc, vt me ab hoc puncto Deus odio habeat: & in hoc sensu potest intelligi quod docet suprà Lugo, volitionem diuinam, etsi videatur esse obiectum formale quod Pœnitentia intendit, non tamen esse perfecto modo obiectum formale; in quo autem sit ea imperfectio, debet iuxta immediatè dicta explicari.

Satisfit replicæ Tertiò.

Tertiò denique dico, Negari posse Pœnitentiam quidquam intendere de volitione aut condonatione diuina, sed solùm velle facere, quantum ex parte hominis requiritur, vt Deus ei condonet peccatum. Quod si verò vrgebatur in replica, parum id fore vtile homini, si Deus re ipsa peccatum retineat: hoc inquam non multùm nos premit. Nam licet ad euadendas pœnas & odium ipsum Dei parum haud dubiè id sufficeret: nihilominùs honestissimus esset etiam tunc actus ille, vti honestum est debitori, qui non potest ex toto satisfacere, satisfacere ex parte: vtile etiam id esset, vt Deus nouam non haberet causam odij in hunc hominem, quasi

76 in obstinatum in suo peccato. Quod vt magis explicetur aduerto Deum non teneri condonare peccatum, nisi ex parte nostra ei detur æqualis satisfactio; quòd ergo illud nunc condonet ob attritionem in Sacramento, vel ob contritionem extra Sacramentum, fauor est singularis Dei. Secundo obserno ex Tomo 5. nullam puram creaturam etiam gratia habituali infinita ornatam posse adæquate pro alieno mortali satisfacere multò minùs peccatorem ipsum pro

Honestum esset agere pœnitentiam, licet Deus peccata nollet condonare.

se. His positis dico, Si Deus noluisset condonare homini peccatum de facto, eò quòd homo non potest dare satisfactionem sufficientem: non tamen propterea hominem non fore obligatum eo casu agere pœnitentiam de suis peccatis, si auxilia ad eam rem efficiendam haberet: nam licet exire non posset ex peccato, esset tamẽ valdè in hoc laudabilis, quòd sua Pœnitentia ostenderet se malè fecisse, ac dolere de illo, & ex parte sua resipiscere, & conari in Dei gratiam seu amicitiam redire, ac quantum est ex se, licet ad æqualitatem non posset offerre Deo quidquid habet: totam ergo hanc honestatem, quæ eo casu amari posset, amat nunc per virtutem Pœnitentiæ, & nihil amplius: quòd enim nunc sit spes veniæ obtinendæ, ideóque homo

Quòd de facto facilius inducamur ad Pœnitentiam oritur à Spe.

facilius inde inducatur ad pœnitentiam agendam, prouenit à virtute Spei, quæ per se loquendo per accidens se habet ad Pœnitentiam.

Nunc ad reliquas obiectiones contra nostram sententiam: sit ergo quarta ordine. Compensatio pro peccato est ipsa Pœnitentia; ergo hæc non habet pro obiecto compensationem, quia non est reflexa supra se. Respondeo, Compensationem, de qua hîc loquimur, esse actum charitatis vel actus alios honestos, quibus satisfacimus Deo: virtus enim Pœnitentiæ est re

77. *Obiectio quarta.*

Soluitur.

flexa supra alias virtutes quatenus illis potest conuenire ratio compensationis pro peccato.

Pœnitentia est virtus reflexa.

Replicabis: ergo pari ratione poterimus excogitare nouas & nouas virtutes reflexas, vnam supra alteram: quod est absurdum. Respondeo negando sequelam, quia Pœnitentia habet motiuum aliquod speciali satisfaciendi Deo, vt dixi quod inuenit in actibus aliarum virtutum, & ratione illius potest esse reflexa supra illos actus voluntas autem reflexa supra castitatem v. g. non potest in ipso actu & amore castitatis vltra bonitatem obiecti castitatis aliam specialem inuenire, nisi ad summum quòd sit grata Deo, & vt sic fatemur à charitate posse reflexè imperari: vel quòd sit cultus Dei & vt sic à religione imperatur: vel quòd sit obedientiæ actus, & vt sic ab obedientia. Aliam autem rationem distinctam vt constituant, diuersam virtutem reflexam non habet: multò autem minùs hinc sequitur vllus processus in infinitum.

Quintò & vltimò obiicies: Ergo nisi quis ex

78 voluntate illa reflexa imperet actum charitatis *Obiectio quinta.*

v. g. non aget Pœnitentiam, ideóque si immediatè ex apprehensione offensæ, quia malum Dei est, eliciat actum contritionis, & simul charitatis, quantumuis iustificetur, non tamen aget pœnitentiam; quia defuit illud reflexum imperium, in quo dicimus eam consistere. Respondeo in tali casu non per Pœnitentiam, de qua nunc agimus, sed per charitatem iustificandum hominem; vulgariter tamen diceretur habuisse pœnitentiam, quatenus habuit actum æquiualentem Pœnitentiæ, & aliquid amplius scilicet si quis ex affectu charitatis diuinæ faceret restitutionem, & nihil tunc cogitaret de affectu iustitiæ; certè hic fuisset quidem iustus (loquor de iustitia speciali virtute) materialiter tantum, non formaliter; vel fecisset iustum non ex iustitia, sed ex charitate, iuxta communem sententiam; (de qua alibi:) id quod in omnibus virtutibus potest reperiri. Ideò dico; Siquis non habeat pro motiuo satisfactionem & compensationem Deo factam, non poterit habere propriè actum Pœnitentiæ; censetur autem habere, & verò re ipsa habet tale motiuum, quotiescumque vult reflexè contineri, vt remittatur ipsi peccatum; etiamsi expressè sub conceptu satisfactionis non apprehendat obiectum, quia ibi includitur in illa remissione.

Saluitur.

DISPV

DISPVTATIO TERTIA.

Variæ quæstiones pro maiori declaratione virtutis Pœnitentiæ.

EXPLICATO obiecto formali faciliùs expediemus cætera quæ ad virtutem Pœnitentiæ spectant.

SECTIO PRIMA.

Tres priores quæstiones.

An eodem habitu doleamus de præteritis, & cauendis futuris peccatis.

PRIMA est, An eodem habitu doleamus de peccatis præteritis, quo cauemus futura. Hanc tetigimus disput. præcedenti; eam tamen non decidimus. Ratio autem dubitandi est, quia (vt ibidem insinuauimus) etiamsi honestas, quæ reperitur in tollendo peccato commisso, seu in ponenda pro eo satisfactione, quam Deus nunc ad illius remissionem exigit, sit eadem in specie cum honestate, quæ reperitur in non committendo eodem peccato; vti bonitas physica, quæ in carentia morbi iam acquisiti intendi potest à nobis, est eadem cum ea quæ intenditur in non contrahendo eo morbo; quia vtrobique nihil est moraliter aliud quam carentia morbi; quamuis hæc inquam ita sint, nihilominùs dari possunt duo diuersi habitus virtuum; quorum vnus solum possit elicere actus satisfactiuos pro peccato iam commisso, alter verò solum actus, quibus in futurum caueat peccatum: quia habitus sæpè pendent à circumstantiis tenentibus se ex parte obiecti, quæ tamen per virtutem ipsam non amantur, vt etiam suprà diximus. Hinc ergo dubium oriri potest, Vtrum de facto pro vtroque hoc actu detur vnus idémque habitus, an duo distincti. Respondeo Suppositâ ea possibilitate duorum & vnius habitus circa eos actus, non posse ratione facilè decidi qualis sit ille, qui de facto datur: quia rationem naturalem aut auctoritatem sufficientem in neutram partem habemus. Quia tamen communiter dicitur in Christo non esse habitum Pœnitentiæ, redditúrque ratio, quia non commisit peccatum vllum: satis probabiliter aliquis interret, Communiter etiam sentiri, habitum Pœnitentiæ, qui de facto datur, solum esse determinatum ad satisfaciendum pro commissis; alioquin Christus, qui voluntatem habuit omne peccatum fugiendi consequenter habuisset habitum illum, licet non quoad omnes actus, saltem quoad multos: vti habuit habitum iustitiæ commutatiuæ respectu aliorum: quia licet per illum non potuerit exercere actum vllum restituendi iniquè ablata (quia non potuit vlli iniquè aliquid auferre, cùm non potuerit peccare (potuit tamen habere voluntatem non auferendi rem alienam contra voluntatem domini. Iudico tamen nihilominus probabilius videri, esse vnum eumdémque habitum, tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: qualis hîc non videtur vlla esse: tum quia negari nequit, conformius esse modo loquendi Patrum & vulgari, vt nomine Pœnitentiæ illa intelligatur, quæ inculdit dolorem & displicentiam de peccato, & simul inclinat homines ad non peccandum de cetero. Imò multi Patres hunc dicunt esse præcipuum actum Pœnitentiæ, ita dolere de præteritis, vt homo in futurum perfectè emendetur.

2 *Vtrumque est probabile.*

Probabilius est idem habitus.

3

Confirmatur exemplo aliarum virtutum: nec enim est vna castitas ad non credendum, alia ad resurgendum à turpitudine: idem in aliis omnibus: ergo non debemus diuerso modo de Pœnitentia philosophari duos ponendo habitus, vnum quo stemus, alium quo surgamus. Vtrùm autem Christus eam virtutem habuerit, alibi magis ex professo discussum est: nunc tamen breuiter dico, illam habuisse, licet non fuerit denominata Pœnitentia: quia hoc nomen tribuitur ei virtuti non secundum se, sed quatenus efficit actum doloris & contritionis de peccato proprio commisso: & hoc modo explicat Pater Suarez Diuum Thomam & alios Christo Domino negantes habitum Pœnitentiæ, vt scilicet solùm voluerint non fuisse in Christo vllum dolorem de peccatis commissis, cùm nullum omnino habuerit peccatum: ac proinde quoad illum actum, qui communiter dicitur Pœnitentiæ, non fuerit habitus: non ideò tamen negetur quoad alios actus odij, detestationis seu fugæ peccati in futurum.

Christus habuit habitum Pœnitentiæ, licet non fuerit denominatus Pœnitentia.

4 *Quæstio secunda, Vtrùm eodem habitu doleam de iniuriis factis proximo.*

Secunda difficultas sit, Vtrùm per eumdem habitum Pœnitentiæ doleamus de iniurijs vt in proximum à nobis commissis. Respondeo, Iniurias in proximum commissas posse considerari, quatenus eo ipso, quòd per illas proximum offendo, offendo etiam Deum. In hoc sensu nulla est difficultas, quia iam tandem redimur ad Dei offensam vt ad rationem formalem illius doloris, Aliter ergo potest considerari ea offensa proximi præcisè qua talis, & ibi fistendo, ita vt si ea duo seperari possent realiter, maneret iniuria in proximum sola; in hoc sensu quæritur, An adhuc esset locus pœnitendi de illa. Hæc quæstio rursus potest esse duplex: vna, An detur in nobis aliquis habitus pro tali dolore: secunda, An ille sit vnus idémque cum eo quem dicimus Pœnitentiam, an verò sit ab eo distinctus. Hoc posito, facilè Primò respondemus, Omnino esse in nobis aliquem habitum ad dolendum de eis iniurijs sub ea consideratione: quia etiam sub tali consideratione sunt aliquid inhonestum moraliter ita, vt esto per impossibile non esset Deus, nihilominùs esset malum moraliter proximum offendere, esset enim contra illud principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; potest ergo homo honestè dolere de huiusmodi iniurijs etiam sub ea ratione præcisa, quòd sint contra proximum: quòd si honestè potest dolere, potest etiam in hoc rerum ordine habere aliquem habitum ad huiusmodi actus eliciendos. Neque in hoc vllam video difficultatem quæ nobis possit molestiam creare.

5 *Soluitur.*

Secundò dico, Probabilius esse, eos actus à diuersis habitibus prouenire. Nam licet non sit vlla repugnatia in eo, quòd detur vnus idémque ad

vtrumque illud obiectum se extendens sub ea ratione generali offensæ in tertiam personam, prout abstrahit ab humana & diuina; nihilominùs ea differentia diuinæ & humanæ offensæ est valdè magna, & sufficiens ad constituendos duos habitus distinctos, non minùs quàm communiter Theologi distinguunt habitum, quo colimus Sanctos & homines, ab habitu quo Deum adoramus; eò quòd maxima sit distantia inter cultum Dei & cultum creaturarum: quæ ratio sine dubio habet hîc locum, imò multò fortiùs hîc vrget; nam magis incomparabiliter differt offensa Dei quà talis ab offensa hominis etiam quà talis, quam cultus Dei & cultus creaturæ: offensa enim Dei est in ordine planè altiori, & non compensabili per vllum bonum opus puræ creaturæ, vt suppono ex dictis Tomo 6. de Incarnatione; offensa autem proximi est in inferiori ordine. Quæ differentia non reperitur inter cultum Dei & cultum proximi; quia hæc duo non ita differunt in ratione boni sicut illa in ratione mali; quia in ordine ad offensam maior desumitur differentia ex dignitate infinita Dei, quàm desumatur ex eadem dignitate in ordine ad adorationem: est ergo maior ratio distinguendi habitus illos, quàm hic in ordine ad adorationem; vti etiam in ipsis actibus amoris, qui immediate tangunt Deum & proximum, minor est moraliter differentia inter amorem Dei & amorem proximi ob distinctas vtriusque bonitates, quàm sit inter offensam, seu iniuriam Dei, & iniuriam creaturæ; quia altiori modo injuria accipit grauitatem à Deo offenso, quam amor ab eodem accipiat magnitudinem.

Magis differunt inter se offensa Dei & creatæ, quàm eorumdem cultus aut amor.

6 *Quæstio tertia. An remisso peccato sit locus Pœnitentiæ.*

Tertia difficultas est, An remisso peccato mortali possit homo perpetuò agere pœnitentia. In dubio de remissione res est certa; ideò enim monuit Spiritus Sanctus, *De propitiato peccato noli esse securus*; id est, Etiamsi putes esse remissum, non tamen ideò omittas de illo agere pœnitentiam; cùm ergo in hac vita nunquam habemus certitudinem de ea remissione, semper potest de omnibus nos pœnitere; est ergo difficultas, casu quo per reuelationem sciatur peccatum esse condonatum. Respondeo, Si sciatur esse condonatum præcisè quoad culpam, adhuc habituram locum Pœnitentiam vt possit intendere compensationem pro pœna; loquor de temporali; nam de æterna inferius dicam, Vtrùm diuinitus possit manere debitum illius remisso peccato quoad culpam; si verò scirem per reuelationem omnino esse condonatum peccatum quoad omnia iura ex illo prouenientia, dico fore vt tunc possem quidem dolere, quòd fecerim tale peccatum, propter inhonestatem quæ in ipso fuit, quæ semper est odibilis. Quantumuis enim sim iam *ex* integro restitutus in gratiam Cæsaris v.g. quem offendi grauiter, semper possum dolere, quòd eum offenderim; & possum habere voluntatem, quòd si per impossibile efficeré possem ne ea offensa extitisset, vellem id præstare; hîc autem actus procul dubio ad Pœnitentiam pertinet; intendere tamen compensationem propriè non posset tunc, quia nihil esset iam quod compensaretur: id quod ex terminis est notum.

Solutio. *Non erit tunc locus Pœnitentiæ quoad affectū compensandi.*

7 *Obiectio.*

Dices: Potest intendere quasi superabundantem compensationem, id est maiorem adhuc quàm debeat; sicut qui beneficium accepit potest esse gratus, non solùm reddendo æquale beneficio, sed etiam superabundans, vt magis hoc modo suam ostendat gratitudinem; ergo etiam posset Pœnitentia, vt magis ostenderet suum de peccato dolorem, offerre Deo maiorem & maiorem compensationem etiam remisso perfectè iam peccato quoad omnia. Respondeo, Hîc posse esse magnam quæstionem de nomine. Fatcor quidem occasione sumpta ex peccato præcedenti, & (vt in obiectione dicitur) ad ostendendum affectum maiorem compensationis pro peccato posse ab homine offerri plures & plures actus, etiam post omnimodam peccati remissionem, hoc tamen ego non voco propriè compensationem nec satisfactionem, quia per hoc propriè non fit satis, neque compensatur, id est, non æquatur satisfactio pro iniuria, quia nulla iam omnino est; & hinc constat differentia inter satisfactionem & gratitudinem, quia satisfactio est æqualitas quædam quæ consistit in indiuisibili: vnde quod illi superadditur non est propriè compensatio, sed aliter debet compellari. Gratitudo autem non consistit in indiuisibili, sed solùm denotat voluntatem donandi aliquid Petro v. g. eo quòd ab eodem beneficium acceperit. Similiter si ex ista detestatione peccati tunc imperarentur à voluntate aliquæ afflictiones corporis, vel aliqui alij actus boni possent quidem dici prouenire ex affectu gratitudinis erga Deum pro remissione peccati; & sic etiam in infinitum possent ex isto affectu prouenire noui & noui actus; possent etiam prouenire ex affectu præcauendi in futurum noua peccata: qui affectus etiam pertinet ad Pœnitentiam, vt suprà dixi; non tamen eiusmodi afflictiones possent dici tunc propriè compensatio, aut satisfactio & multò minùs punitio, quia hæc ex communi omnium acceptatione suppont aliquam dignitatem ex parte subiecti, id est reatum aliquem vel culpæ, vel pœnæ, qui actu sit, non verò qui iam sit ex integro deletus.

Satisfactio consistit in indiuisibili.

8 *Remisso peccato est adhuc locus quibusdam actibus Pœnitentiæ.*

Sed quid si aliquis vel putans se peccasse; cùm non peccauerit, vel licet verè peccauerit, iam illi sit remissa omnino culpa & pœna, & ignorans eliciat actum quo velit Deo compensare & satisfacere, & ex hac voluntate imperet actum contritionis aut charitatis, eritne propriè illa voluntas actus Pœnitentiæ? Respondeo, illum actum oriturum à virtute Pœnitentiæ, quia nulla alia virtus potest amare compensationem vt talem, siue vel reperiatur à parte rei, siue non. Sicut qui putat ex ignorantia aliquem esse pauperem, & ex affectu leuandi illius miseriam dat ei eleëmosynam, procul dubio operatur ex habitu misericordiæ actum illum, quia amet obiectum formale misericordiæ etiamsi fallatur in eo, quòd putet hîc & nunc tale obiectum in ea materia reperiri. Vtrùm autem dicendus sit hîc & nunc actus ille misericordiæ quasi effectiuè; vti, Vtrùm actus ille, de quo paulò antè, quia in effectu non est Pœnitentia, sit tamen dicendus Pœnitentia quæstio stio est de nomine, & parui momenti in qua non est diutiùs hæredum.

SECTIO SECVNDA.

Expeditur quarta difficultas.

Quæstio quarta. An habitus Pœnitentiæ possit esse naturalis.

EA est vtrum habitus Pœnitentiæ sit ita in substantia supernaturalis, vt non possit esse vllus habitus Pœnitentiæ naturalis. Suppono ex sæpè dictis dari posse ad honestatem

Pœniten-

Pœnitentiæ amandam habitum in substantia supernaturalem, vti datur ad alios actus bonos, v. g. eleëmosynæ, iustitiæ, &c. Difficultas ergo tota est quoad partem secundam, An scilicet possit dari habitus similis in substantia naturalis. Canus, Scotus, Valentia, & Vasquez, quos refert & sequitur Tannerus disput. 6 de Pœnitentia, quæstio 2. dubio 2. negant illum esse possibilem. Ratio est, quia nullus habitus naturalis acquisitus potest detestari peccatum adæquatè spectatum, vt est offensa Dei, boni supernaturalis, ac proinde nec perfectè secundùm omnes suas rationes malitiæ quas habet: ac plerumque solùm inefficaciter, prout est offensa Dei, boni naturalis: non ergo talis habitus habere potest actum simpliciter bonum ac perfectum circa suum obiectum, prout ad rationem virtutis requiritur iuxta Aristotelem. Addit tamen Tannerus, negari non posse: esse possibilem aliquem habitum etiam in Ethnico honestum, per quem ille solo lumine naturali ductus detestetur peccatum, vt est offensa Dei, principij, finis ac Legislatoris naturalis: pro qua limitatione citat Valentiam, Vegam & Suarium.

10 *Examinatur doctrina negantium, & rejicitur.*

Ego in hac doctrina, prout à Tannero traditur, consequentiam valdè desidero: de veritate verò absoluta illius statim dicam. Etenim si in homine Ethnico dari potest habitus honestus, qui detestetur peccatum, vt est contra Deum auctorem naturalem: ergo possibilis, est absolutè aliquis habitus naturalis Pœnitentiæ simpliciter bonus, contrà id quod paulò antè hic Auctor negauerat, & ex Aristotele probauerat; eò quod talis habitus inefficaciter tantum detestaretur peccatum, ac proinde non esset absolutè bonus: iam verò absolutè bonum admittit, ergo. Secundò, si in Ethnico illum admittit, cur non in Christiano? quia potest esse aliquis baptizatus in infantia, ideóque Christianus verus, qui postea nihil sciat ex invincibili ignorantia de ordine gratiæ; agnoscat tamen oppositionem peccati cum Deo vt Auctore naturali, illúdque sub hac ratione detestetur; certè hic actus erit iuxta regulas rationis honestus, & si frequentiùs repetatur, producet habitum. Tertiò: nam eodem modo potest habere locum in quocumque etiam doctissimo Catholico, euidenterque agnoscente peccatum esse non solùm contra Deum, vt est auctor naturæ, sed etiam contra Deum auctorem supernaturalem: certè licet hic ob eam notitiam possit, si velit, detestari peccatum tum ob hanc secundam oppositionem, nullo tamen modo ad id tenetur, sed pro suo libitu potest solùm ob hanc secundam, potest solùm ob primam, potest ob vtramque. In quo puncto omnes

11 Auctores debent conuenire: nam omnes fatentur peccatum esse detestabile ob diuersissimas rationes, & quia est contra obedientiam, & quia contra iustitiam, & quia est contra Deum summè bonum: fatentur etiam omnes nullo modo teneri nos ad detestandum illud ob omnes eas rationes, sed posse quemlibet assumere motiuum, quod sibi magis hic & nunc placuerit; quia quodlibet in ordine ad hoc, vt odio habeatur, est bonum moraliter. Per quod non dico quamlibet ex eis detestationibus esse sufficientem ad remissionem peccati etiam extra Sacramentum, imò neque intra illud: hæc enim est alia quæstio; quia non omnis actus simpliciter bonus etiam supernaturalis est dispositio sufficiens ad remissionem peccati mortalis, aut extra aut intra Sacramentum; solùm ergo dico quamlibet ex illis detestationibus esse bonam & honestam moraliter: habeat ergo homo pro suo libitu detestationem solùm ex motiuo illo oppositionis peccati contra Deum vt auctorem naturalem, iam poterit per illum actum sæpe repetitum producere habitum: rogo, An ille sit naturalis, an verò supernaturalis si est naturalis, ergo eum debemus concedere non solùm Ethnico, sed etiam in Christiano: si verò dicas illum esse supernaturalem, iam destrues totum principium ex supernaturalitate obiecti supernaturalitatem actus desumens. Deinde cùm non habeat ille actus aliud motiuum, quàm haberet in Gentili, cur non poterit esse naturalis sicut in illo, esto dicamus dari simul alium supernaturalem circa illud idem obiectum? iam enim per hoc fiet quæstio communis ad alias virtutes, Verùm scilicet possit dari virtus naturalis misericordiæ, temperantiæ, &c. simul cum virtute infusa. Videtur autem hic Auctor specialem inuenisse difficultatem in Pœnitentia præ aliis materiis.

12 *Soluitur quæstio pro parte affirmatiua.*

Quidquid tamen de ipsius mente sit circa quæstionis substantiam, Dico Primò, Me, qui fusè alibi ostendi, supernaturalitatem aut naturalitatem actuum nequaquam desumi ex obiectorum supernaturalitate, sed ex modo attingendi illud, non videre, cur etiam ad detestandum peccatum, quatenus est contra Deum vt auctorem supernaturalem, non possit dari habitus acquisitus: à fortiori autem dari poterit ad detestandum illud propter oppositionem cum Deo auctore naturali.

Secundò dico: Si cum Tannero & aliis doceamus circa obiectum naturale quà tale non posse versari actum & habitum in substantiâ supernaturalem, tunc longè faciliùs admitti posse, imò debere talem habitum naturalem: quia (vt ostendi paulò antè) ea oppositio peccati cum Deo auctore naturæ illud reddit absolutè malum, & dignum honestissimo odio etiam intra solum genus naturæ: cúmque homo non teneatur detestari peccatum ob omnia motiua, ob quæ potest, sed eligere queat hoc vel illud, non video quî possit negari possibilem in nobis huiusmodi actum, ex quo habitus deinde generetur: est ergo ille absolutè possibilis iuxta quamcumque sententiam de supernaturalitate actus. Quod verò dicebatur à Tannero, illum non esse sufficientem ad detestandum peccatum adæquatè, habere potest æquiuocationem: vel enim intelligit, quòd huiusmodi habitus non possit detestari peccatum ob motiua omnia, ob quæ illud est detestabile: id autem verissimum est: inde tamen nullo modo infertur. Talem habitum non esse possibilem: imò nec deducitur, illum non esse honestum aut supernaturalem, alioquin etiam motiuum iniustitiæ aut irreligionis non posset terminare actum honestum: quia etiam vi illius motiui non potest odio haberi peccatum adæquatè sumptum, id est secundùm

13 omnes suas malitias: quia habitus Pœnitentiæ non detestatur peccatum, quatenus est contra charitatem in Deum, imò nec quatenus est contra religionem, obedientiam, &c. Quòd si propterea vò *Non potest detestari peccatum adæquatè sumptum.* Ita intelligatur, vt ob illud motiuum non possit detestari quis omnia peccata, falsum supponit: quia nullum omnino peccatum est, quod non sit contra Deum auctorem naturæ. Nam & illud ipsum quod est contra Deum au-

Respondetur rationi negatiuæ.

ctorem supernaturalem, est etiam contra eum vt auctorem naturæ; quia ratio naturalis dictat, Deo quomodocumque iubenti obediendum esse.

Retorquetur argumentum negantium.

Fortasse in hoc sensu retorquere argumentum possumus ac dicere e contrario, Non omne peccatum, quod est contra Deum auctorem naturalem, esse etiam contra Deum auctorem supernaturalem, ac proinde oppositionem peccati cum Deo vt auctore supernaturali non sufficere, vt omnia omnino peccata odio habeamus: ideóque hoc motiuum non esse adæquatum. Verùm neque hoc ego absolutè dicendum iudico, quia eo ipso quòd peccatum opponatur Deo quomodocumque, opponitur illi secundùm vtramque rationem; quandoquidem Deus non potest esse auctor supernaturalis, nisi etiam sit naturalis; ideoque quod vnum expellit, expellit & alterum. Verùm concedamus huic auctori, illud motiuum non extendi ad omnia peccata; numquid ideò infertur, illud non esse absolutè honestum? Certè cultitas non detestatur omnia peccata; & tamen honestissima est: & idem de omnibus particularibus virtutibus dicendum est, quia non est de essentia actus virtutis extendere se vel ad omnes planè materias, vel ad omnia obiecta formalia. Denique si per *τὸ adæquatè* 14
nihil aliud intelligatur, quàm quòd ea virtus non possit efficaciter detestari peccatum, etiam supponit falsum; quandoquidem actus naturales possunt esse efficaces detestationes peccati. Vnde reiicitur quod idem Auctor addit, tales scilicet actus plerumque inefficaciter detestari peccatum. Vbi meo iudicio aliqua committitur æquiuocatio; aliud enim est, actum naturalem non detestari efficaciter suum obiectum; hoc enim omnino negamus, imò addimus in hoc sensu, posse eos actus tam efficaciter odio habere peccata, quàm illa odio habeant actus supernaturales, & verò neque ea efficacitas est necessaria, vt actus sit bonus; vt patet in simplici complacentia: aliud autem est, quòd homo viribus naturæ non possit esse tam constans, seu tam diu perseuerare in ea detestatione naturali peccati, quàm si adiuuaretur per gratiam. Hoc secundum libenter admittimus; hæc tamen differentia non est ad rem præsentem, quia ille defectus non est in ipso actu, sed antecedenter in mala voluntatis inclinatione, quæ debet corroborari per auxilia altiora: quo sensu etiam in ipso supernaturali actu virtutis non manebit voluntas constans diu, nisi à Deo roboretur per inspirationes & vocationes supernaturales: ergo non potest negari possibilis talis habitus simpliciter & absolutè honestus. Id quod maximè inde confirmatur, quòd cùm habitus supernaturales infusi non facilitent, quantumuis intendantur, & homo per frequentes actus Pœnitentiæ sit ad illos facilior, ac proinde acquirat aliquem habitum: debebit eum dicere naturalem, nisi velit concedere supernaturales acquisitos: à quo hic Auctor valdè abhorret.

Confirmatur nostra sententia.

SECTIO TERTIA.

An habitus Pœnitentiæ possit circa suum obiectum formale incipere tam ab amore quàm ab odio.

15 OBIECTVM Pœnitentiæ, quod præcedenti disputatione explicauimus, potest concipi vel positiuè, quatenus dicit bonum ipsum pacis: quo sensu terminat amorem sui: vel negatiuè in ordine ad odium, quatenus dicit pacis carentiam, quæ odio habetur ab eadem Pœnitentia. Quo occasione aliqua à nobis discutienda sunt circa modum quo voluntas & intellectus amat & odio habet, assentitur & dissentitur: suntque valde necessaria pro diuersis materijs.

SVBSECTIO PRIMA

Non omnis dolor est formaliter amor; & ad quam virtutem spectet purum odium carentiæ boni honesti.

RECentiores nonnulli fusè disputant de primo puncto, Vtrùm omnis actus fugæ sit formaliter amor: quia verò ego quæstionem hanc fusè alibi discussi, nunc dico breuiter, Odium ex suo formali conceptu esse actum specie diuersum ab amore: nonnullos verò Auctores minùs benè putare, omne odium esse formaliter amorem: quia odisse v. g. dolorem est amare carentiam eius doloris: ostendi enim hanc rationem non esse solidiorem quàm si ego è contrario vellem probare omnem amorem esse formaliter odium, diceremque, amare carentiam esse formaliter odisse formam, vel amare formam esse formaliſſimè odisse carentiam, ac proinde nullum formaliter esse amorem, sed omnem actum voluntatis esse odium. Vti ergo hi Auctores admittunt actum amoris, qui 16
natura sua talis est & cuius vlteriorem explicationem vix possumus reddere, quam recurrendo ad ipsam experientiam, quam habemus passim de huiusmodi actibus; ita dico eodem planè modo, Sine vlla tergiuersatione debere eos admittere actus, qui natura suâ sint odium & fuga mali; quia in nobis non minus, imò forte frequentiùs experimur eas displicentias fugasque intentionales, quàm ipsos actus prosecutionis. Vnde etiam dixi Secundò, posse nos sæpè incipere ab odio; quia dum video rem aliquam valdè fœdam, vel olfacio odorem ingratum, possum sine dubio non cogitando de odore bono, quo ille malus priuet, in eo mihi displicere: vti etiam si primo instanti meæ creationis cum perfectis sentibus paterer dolorem aliquem grauem, possem haud dubiè statim habere eius displicentiam & fugam, etiamsi antea nec expertus fuissem vllam voluptatem nec carentiam illius doloris. Ratio autem à priori est quia sicut aliqua seipsis apparent bona etiam ei qui nihil omnino cogitat de carentia illorum vt mala ita è contrario multa se ostendunt mala etiam ei qui nihil cogitat de carentia illorum vt bona ac proinde talia possunt tunc immediatè terminare affectum fugæ, displicentiæ & odij.

Conclusio.

Possumus incipere ab odio.

Ratio.

Antequam tamen obiectionem contra dicta, quæ ex intellectu desumi potest, soluamus, oportet secundam quæstionem in titulo positam discutere, Vtrùm illud odium, quod ad negationem boni formaliter terminatur, pertineat ad eandem virtutem, ad quam pertinet amor oppositi boni: id quod maximè potest in dubium verti ratione odij ad negationem Dei terminati, Vtrùm illud sit actus Theologicus. Ratio autem dubitandi ea est; nam ex vna parte actus ille nullo modo habet pro obiecto aliquid diuinum; qua ergo ratione potest dici esse Theologicus? 17

Quæstio facilis da, Ad quam virtutem spectet odium carentiæ boni honesti.

Ratio dubitandi.

ex alia verò parte cùm æquivalenter idem sit (vt proximè diximus) odio habere tenebras ac amare lucem, & odio habere morbum ac amare sanitatem; consequenter idem erit virtualiter & æquivalenter odio habere negationem Dei ac amare existentiam ipsius Dei; ergo sicuti amor Dei est Theologicus, ita etiam illud odium erit Theologicum.

Obiectio:

Fortè dices; Esto illud odium sit formaliter mera fuga respectu negationis, necessariò tamen debere esse respectu subiecti amorem formalem; ac proinde iam ex eo capite formaliter ad virtutem illam pertinere, quæ habet pro obiecto formali subiectum illud nunc amatum. Explico id: nam si odio habeo morbum Petri quà Petri, necessum est id oriri ex amore eiusdem Petri; alioquin cur magis eius quàm Francisci (quem odio habeo v. g.) morbum detestarer? Idem suo modo dico de negatione Dei: si enim Deum ipsum non amo, cur quæso eius negationem magis quàm negationem Francisci odio habeo? Huic obiectioni respondet Lugo disput. 7. de Pœnitentia num. 31. duobus modis posse nos eam negationem amare, vel ita, vt bonum, cuius ea est negatio, sit adæquatum motiuum amandi amicum; vel ita, vt amicus ob aliud motiuum ametur, v. g. Petrum amo non ob sanitatem, sed ob naturam rationalem. Infirmatur Petrus, detestor eius morbum: ecce tunc morbus non est negatio eius bonitatis, ob quam Petrum amo. Etenim morbus non negat naturam rationalem, sed præcisè sanitatem; sanitas autem eo casu non est motiuum mei amoris, quem diximus solùm fundari in bonitate naturæ rationalis secundùm se consideratæ. In hoc casu dicit hic Auctor non posse esse purum odium etiam formaliter, quia ille actus debet habere aliquod motiuum; hoc autem non est malitia ipsius morbi, sed bonitas naturæ rationalis; quæ si non ametur, non potest hîc & nunc determinare ad odium illud. Secundò modo potest se habere ea negatio, vt scilicet directè & immediatè opponatur ei bono, quod est immediatè & per se amabile; vt si ego amo Deum super omnia, quia Deus ipse est in se vltimum motiuum eius amoris, eo ipso negatio Dei immediatè opponitur ei bono; in hoc ergo casu dicit posse ex eodem habitu, quo amatur Deus propter se, odio haberi illam negationem Dei immediatè, nullo amato alio obiecto; additque, odium illud pertinere ad eamdem virtutem Theologicam, ad quam pertinet amor Dei, quia contrariorum eadem est ratio.

18. *Responsio Lugo.*

Odium negationis Dei spectat ad charitatem Theologicam.

19 *Responsio Lugo est probabilis.*

Hæc doctrina est valdè probabilis; & absolutè puto illam esse veram: adhuc tamen in ea desideratur ratio à priori eius diuersi modi odio habendi negationes: non enim adhuc ostensum est, cur, quando cognosco negationem Dei esse malam, possim illam odio habere sine vllo præuio amore: quando verò cognosco negationem sanitatis esse malam, non possim etiam habere illam odio nullo præuio amore, videtur enim plenè eodem modo de vtraque discurrendum. Indicarem ergo eam esse optimam disparitatem, quòd in vno casu negatio non proponatur vt in se mala, sed respectiuè ad alium. Etenim sicut sanitas non est bona in se, nisi respectiuè ad subiectum, ideóque illa amari non potest, nisi ametur subiectum; ita è contrario eius carentia non potest odio haberi, nisi ametur illud idem subiectum, semper enim in his casibus debemus sistere in obiecto aliquo, quod vltimò ratione sui terminet actum. At in altero casu illa negatio Dei est in se vltimò & formaliter mala; vti è contrario Deus in se est vltimò & formaliter bonus, & vt talis potest amari; ergo è contrario negatio illius potest immediatè odio haberi nullo alio obiecto amato. Vnde colliges, si Deus amatur non quatenus in se bonus, sed quatenus potest mihi benè facere, non posse eo casu voluntatem prodire in odium carentiæ ipsius Dei, nisi ex amore beneficiorum quæ potest mihi conferre. Vti enim eo casu nō potest amari Deus, nisi ego ipse amer; ita non potest odio haberi negatio Dei, nisi ego amer; quia non habet maiorem vim tunc ad terminandum odium negatio, seu carentia Dei, quàm habet ipse Deus ad terminandum amorem; ergo sicut hunc non terminat nisi me amato, ita negatio illius non terminabit odium nisi me amato. Eodem modo si Petrus v. g. amatur ob bonitatem, quàm in se habet, negatio illius potent immediatè odio haberi nullo alio obiecto amato: at si solùm proponatur amandus tamquam mihi vtilis v. g. non poterit eius negatio odio haberi nisi ex amore mei.

Dices adhuc: Illud odium carentiæ Dei non pertinet nec quidem virtualiter ad charitatem; quia vti possum ego odio habere offensam Dei, quia in se mala est moraliter, non amando vllo modo Deum; (idem est de iniuria in Petrum; possum enim illam odio habere non amato Petro;) ita etiam licet Deum nullo modo nec quidem virtualiter amem, potero odio habere eius carentiam. Ratio huius est, quia illa ipsa carentia Dei proponitur in se mala moraliter, non minùs quàm offensa ipsius Dei proponatur in se mala; ergo sicut possum odio habere offensam licet Deum non amem, ita potero illius carentiam non amato Deo. Argumentum hoc mihi olim placuit, re tamen melius considerata non vrget: est enim maxima inter hæc duo obiecta diuersitas; nam carentia Dei habet se vt priuatio respectu Dei; ac proinde non potest concipi vt mala, nisi quatenus Deus, quo priuat, concipitur vt bonus; vnde non potest amari, nisi implicitè ametur Deus, vti constat in eadem instantia allata in contrarium de iniuria & offensa: quia enim iniuria opponitur priuatiuè cum bono iustitiæ, & offensa cum bono pacis, seu cum bono morali, quod in carentia eius offensæ consistit, non potest odio haberi iniustitia & offensa, nisi simul ametur, implicitè saltem, illud bonum, quod reperitur in carentia offensæ, & in ea iustitia, cuius est priuatio iniustitia. Non comparatur hoc modo iniuria Dei cum Deo (& idem est de offensa) quia iniuria non priuat Deo, sed illum habet tanquam terminum extrinsecum; priuat autem immediatè & formaliter bono illo, quod reperitur in seruando cuilibet iure suo. Vnde potest amari optimè ea carentia iniuriæ non amato Deo: non tamen quin ametur bonum illud reddendi cuilibet suum. Vnde potiùs corroboratur nostra sententia hoc exemplo quàm labefactetur.

20 *Obiectio.*

Soluitur.

Ratio, cur quædam possint purè odio haberi, quædam non.

Ea autem supposita illud in dubium verti posset, Vtrùm tale odium Theologicum sit sufficiens ad iustificandum extra Sacramentum. Respondeo, Quæstionem hanc non esse huius loci, quia nec ipse formalis amor Dei iustificat, nisi sit super omnia: quid autem sit esse super omnia, dixi alibi in eo consistere, quòd homo sit paratus omnia alia amittere, antequam Deum grauet

Verum odium Theologicum iustificet.

ter offendere : hæc autem comparatio vix potest fieri sine aliquo expresso amore.

SVBSECTIO SECVNDA.

Ex voluntate rectè suadetur intellectum posse habere purum dissensum.

21 IAm ad obiectionem contra ea quæ diximus de puro odio voluntatis; sic ergo quis insurget, Nimis multum illis probari, scilicet etiam in intellectu posse dari purum dissensum; id autem non videri absolutè verum. Respondeo,

Potest esse purus dissensus. Omnino debere eum purum dissensum admitti: habemus enim duos modos cognoscendi, seu iudicandi, vnum negando seu recedendo ab obiecto, alterum affirmando seu accedendo. Quòd enim nonnulli dicunt, iudicium, quo nego lucem v.g. esse affirmatiuum carentiæ lucis, reiiciendum eodem modo quo paulò antè in actibus voluntatis : eâdem enim ratione dicere ego è contrario possum, Omne iudicium affirmatiuum lucis esse negatiuum carentiæ. Neque hoc ergo neque illud asserendum est; sed admittendi sunt duo illi modi iudicandi, quos experientia agnoscimus vt formaliter diuersos, etiamsi virtualiter vnus alteri æquiualeat.

Obiectio. Dices, Id omnino in intellectu repugnare nam eo ipso, quòd dissentiat obiecto falso, debet habere motiuum aliquod: non potest autem aliud habere quàm ipsam falsitatem : id ò enim dissentit obiecto falso, quia nouit falsitatem : atqui falsitatem non nouit, intellectus eam negando, sed potiùs affirmando, quia nescit verè esse falsitatem : ergo tunc debet necessariò affirmare falsitatem, & ob eam negare obiectum ipsum falsum : ergo omnis actus intellectus, quantumuis videatur esse dissensus, debet habere obiectum aliquod, quod affirmet formaliter : ergo etiam voluntas dum odit, debet habere aliquod motiuum formale quod amet.

22 Hoc argumentum tractat fusè Cardinalis Lugo hoc Tomo de Pœnitentia disput. 1. sect. 2. & omnino putat antecedens esse admittendum ob rationem allatam, ac proinde non eodem modo de intellectu quo de voluntate in hoc puncto discurrendum. Disparitatem autem assignat num. 19. quia voluntas non proponit sibi regulam suorum actuum, sed supponit propositam iam ab intellecto, qui & repræsentat malitiam, & illam vt talem approbat, hoc est, iudicat esse veram malitiam : vnde non est necesse vt eam approbet voluntas. At intellectus non supponit motiuum sibi ab alio propositum & approbatum, sed ipsemet sibi illud debet proponere & approbare : ergo cùm (iuxta dicta) motiuum negandi obiectum falsum sit ipsa falsitas, necessum est vt eam attingat : non autem attingit dicendo eam non esse, cùm potiùs quia est falsitas, ideò neget obiectum falsum : ergo debet illam attingere affirmatiuè : ergo omnis negatio habet aliquam formalem affirmationem, licet non omne odium habeat aliquem formalem amorem.

Lugo docet non posse esse purum dissensum:

Ratio eius.

Examinatur doctrina Lugo, & refellit obiectionem. Mihi tamen etsi hic discursus appareat ingeniosus, non tamen videtur omnino solidus: puto enim illum oriri ex aliquâ æquiuocatione circa illam vocem *falsitas* : quam si abstulerimus, non erit difficile ostendere eodem modo esse discurrendum de intellectu quo de voluntate diximus, prout etiam discurrunt aliqui Recentiores quos ibi citat idem Auctor suppresso nomine. Ad eam ergo æquiuocationem tollendam aduerto, à parte rei in ipso obiecto non dari propriè, & in rigore falsitatem aut veritatem, sicut datur in obiectis ipsis vera & propria malitia & bonitas. Malitia enim est oppositio cum natura rationali, dolor v. g. physicus, aut malitia moralis, &c. hæc à parte rei sunt in ipsis obiectis; neque desumuntur ex eo, quòd ego talia obiecta fugiam, sed siue ea amem, siue ea odio habeam, sunt in se formaliter mala, aut formaliter bona : ac proinde potest ea malitia quà talis per actum voluntatis directum attingi. Non sic de falsitate & veritate discurrendum est, nam à parte rei nulla omnino est falsitas; hæc enim est denominatio conueniens ipsi soli actui intellectus, & in illo solo reperta prouenienſq; formaliter ex eo quòd actus ille non conformetur suo obiecto : obiectum autem in se non est falsum : v.g. *Petrus currit*, ego dico *Petrus non currit* : cursus Petri à parte rei habet suam existentiam, quæ neque falsa est, neque vera nisi veritate transcendentali, de qua nunc non agimus : actus meus verò est falsus, quia negat cursum illum qui reuera est. Eodem modo quando eo non currente dico, *Petrus currit*, à parte rei siue ex parte obiecti nihil est falsum, nulla est falsitas : sed hæc tota est in actu, qui affirmat cursum qui non existit : cursus enim ille non est falsus, sed possibilis, non tamen existens. Hoc supposito ad argumentum dico, Minùs benè in eo supponi, quòd formale motiuum dissensus sit falsitas obiecti, id enim nos negamus: iam enim ostendi hanc falsitatem esse denominationem tenentem se ex parte actus, supra quam non oportet vt actus ipse se reflectat (maxime in sententia huius Auctoris, qui has reflexiones passim negat :) neque enim dum dico, *Petrus non sedet*, debet quis iudicare me habere similem actum, quia falsum est dicere *Petrum currere*, *ideò nego ego illum currere*: hoc autem deberet dicere, si pro motiuo haberet ille actus falsitatem : vnde nego tunc vllo modo dici, *Datur verè falsitas* : solùm ergo dicit ille actus, *Non currit Petrus*. Quòd si motiuum cur id dicam roges, non respondebo, *Quia verè datur negatio cursus* : hoc enim est idem per idem : imò in rigore, etiamsi per modum affirmationis dixissem, *Datur à parte rei negatio cursus*, adhuc esset locus ei interrogationi : *Quod est motiuum huius affirmationis?* tunc autem clarissimè constat, quòd non possem respondere : *Quia datur negatio cursus* : de hoc enim ipso quærimus: necessarium ergo esset reddere aliam rationem formalem, seu aliud motiuum illius cognitionis. Respondeo ergo vti in ipsa affirmatione quando dico, *Petrus currit*, si quis me interroget, cur id dicam, non possum sæpè respondere aliud quàm, quòd id video: de ea autem visione non potest iam fieri secunda interrogatio prudens. Ita è contrario si iam dicerem, *Non est in hoc cubiculo Petrus* : sanè per dissensum solùm id dicerem; si verò de vlteriori ratione rogarer, profectò ego non recurrerem ad vllam affirmationem : nec video quæ illa esse possit : solùm ergo dicerem, *Quia ipsis oculis* (vt sic loquar) *video eum non esse hic*. Neque potest tunc vlterior responsio adduci, aut vlterior prudens interrogatio fieri.

Falsitas non est in ipsis obiectis propriè.

23

Reiicitur responsio Lugo.

24

Replicabis: Hoc ipsum est dicere, me affirmare negationem, seu dicere, me ipsam negationem

tionem agnoscere negationem autem non nego, sed potiùs affirmo. Respondeo, *τὸ quia id ipsum oculis video*, non debere ita explicari, *Quia ipsis oculis videam negationem*; hæc enim oculis non videtur: sed potiùs debere dici, *quia non video Petrum: si enim esset hic, ego illum viderem.* Clariùs verò fortasse id ostenderetur in hoc alio actu: *Lux non sunt tenebræ*: si enim interroger, quod sit motiuum eius actus, respondeo statim, id esse ex terminis notum; vti si interroger, cur positiuè dicam, *Duo & tria sunt quinque*; respondeo similiter, id esse ex terminis notum: & neque in hoc casu neque in illo recurram aut ad aliam affirmationem aut ad aliam negationem.

25 *Respondetur rationi Lugo.*

Intellectus suum obiectū ad iudicandū accipit ab apprehensionibus, non à iudicijs prauis.

Ad disparitatem verò, quam negando consequentiam assignauit hic Auctor, respondeo, Etiamsi intellectus non accipiat ab alia potentia suum motiuum formale, sicut voluntas illud accipit repræsentatum per intellectum; inde tamen nihil omnino inferri ad rem præsentem, quia intellectus ad iudicandum accipit suum obiectum ab apprehensionibus præuiis, non autem per præuia iudicia: quando autem apprehensio est clara & euidens, tunc intellectus vi illius determinatur ad iudicium; ac proinde benè etiam possumus dicere, quòd intellectus ad assentiendum etiam accipiat ab alia potentia obiectum, non quidem ab alia à se distincta formaliter, sed æquiualenter, quatenus illud accipit per actum, ab ipso iudicio distinctum ac prænium: vti enim intellectus voluntati ostendit dolorem dissonum, & eo ipso voluntas nihil de carentia cogitando recedit ab eo dolore per odium & displicentiam; ita ipse intellectus per apprehensionem præuiam proponit sibi identitatem illorum extremorum quasi malam; ac propterea nihil cogitando de carentia illius, statim per iudicium negatiuum fugit ab illa nihil penitus affirmando, sed dicendo; *Ea identitas non est*: per *τὸ* autem *non est* significamus nos ipsam displicentiam, non autem aliquid affirmatiuum ex parte ipsius obiecti, vt benè idem Lugo ea sectione ostendit & declaraui ego alibi sæpè.

Apprehensio nullum habet motiuum à se distinctum.

Quòd si rursus de ipsa apprehensione quæratur, quod habeat motiuum; respondendum est, nullum aliud à se distinctum: neque enim in his rebus procedendum in infinitum, sed quando apprehensio est clara & immediata, tunc in ipsa est sistendum: vti ergo potest esse apprehensio clara, quòd Petrus sit albus, quando eum immediatè video; ita è contrario potest esse clara, quando intueor eum non esse album; ergo tunc poterit iudicium illud esse putè negatiuum sine vlla affirmatione: & reuerà quando dico, *Petrus non currit*, nullam omnino ibi affirmationem experimur; cur ergo ad eam sine necessitate graui, qualis hîc non apparet, recurrere volumus?

SVBSECTIO TERTIA.

Noua obiectio contra dicta soluitur.

26 *Obiectio.*

SEcundò tamen obiicies: omne iudicium affirmatiuum necessariò debet habere pro obiecto identitatem prædicati cum subiecto. Nam noscere vno actu animal & rationale, si simul non cognoscatur identitas illorum inter se, non est affirmare, illa esse idem. Vnde è contrario per vnum actum verum & verissimum possunt agnosci lapis & homo, qui tamen non propterea vnum de altero prædicat; ergo per affirmatiuum iudicium, quo vnum de altero asseritur:, debeo respicere identitatem siue fictam siue veram eorum extremorum inter se; ergo è contrario iudicium negatiuum habere debet pro obiecto negationis identitatis: atqui eam negationem non negat eo casu, sed potiùs affirmat; ergo omne iudicium negatiuum debet esse simul affirmatiuum. Respondeo; hoc argumentum si aliquid probaret, hoc maximè, nempe iudicium affirmans dari eam negationem inter illa duo prædicata, nihil penitus aliud posse habere ratione cuius sit dissensus; deberet ergo esse putè putè affirmatiuum; quod tamen sufficienter est reiectum; neque hac replicâ videtur tam multum intendi: neque Cardinalis Lugo id asserit. Respondeo Secundò, Quidquid sit de antecedenti, consequentiam facilè à me negari, quia iudicium negatiuum solùm recedit ab ea identitate; & hoc est propriè dissentire: vti voluntas per odium recedit à dolore: non est ergo necessum affirmare tunc vllam negationem Quid sit autem recedere per dissensum, sicuti quid sit recedere per odium, faciliùs in nobis ipsis experimur, quàm per conceptus clariores declarare vlteriùs valeamus: neque enim eas res, quas experientiâ nouimus, possumus clariùs ostendere quàm ipsas experiamur. Respondeo Tertiò, Fortasse antecedens esse omnino falsum: & verò probationem illius, quam valdè vrget hic Cardinalis, omnino iudico esse insufficientem. Etenim certissimum esse debet apud omnes, multa quæ videntur ex parte obiecti terminare actum nostrum, putè putè tamen denotare modum ipsum cognoscendi, nihilque penitus ex parte obiecti eis respondere: vt cùm dico, *Petrus vel Ioannes currunt*, *τὸ vel* sine dubio non est in ipso obiecto: & idem est quando dico *Petrus & Ioannes currunt*, nam *τὸ &* non est in obiecto: & tamen ex his particulis quanta in ordine ad veritatem & falsitatem propositionum oritur differentia. Nam si Sorte Petrocurrente dicam, *Petrus vel Ioannes currit*, propositio est vera: si dicam *Petrus & Ioannes currunt*, propositio est falsa: hoc autem supposito habet totam vim argumentum eius Auctoris suprà factum: dicebat enim, Si non affirmo identitatem inter Petrum & lapidem, cur ille actus, quo dico, *Petrus est lapis*, est falsus, quandoquidem vnico actu potest Petrus & lapis sine falsitate cognosci? Iam enim ad rem nostram ego dicam, Etiam vno actu possum ego affirmate cursum de Petro & de Ioanne dicendo, *Petrus vel Ioannes currunt*; tunc autem verum dicam: cur ergo, quando iudico, *Petrus & Ioannes currunt*, decipior; si ex parte obiecti non affirmo *τὸ &*, aut si *τὸ vel*, quod positum erat in altera propositione, nihil fuit ex parte obiecti, & tota ea differentia tenet se ex parte modi affirmandi? Quod verò *τὸ &* ex parte obiecti nihil penitus sit, est manifestissimum, quia duo illi cursus non habent inter se vnionem, & per vtrunque iudicium tam copulatiuum quàm disiunctiuum ambo asseruntur amborum duntaxat, in vno disiunctiuè, in altero copulatiuè; quæ diuersitas tota se ex parte cognitionis tenet & sufficit, vt dixi ad hoc vt vna propositio sit vera, altera falsa: cur ergo nos non poterimus eadem ratione dicere, illam propositionem, *Petrus est lapis*, esto non attingat ex parte obiecti vllam

Soluitur Primò.

Secundò.

27 *Tertiò. Multa ex parte obiecti videntur terminare actum, quæ tamen tantùm denotant modum cognoscendi.*

Affirmatio vel negatio nihil est ex parte obiecti, sed tantummodò cognoscentis.

copulam

copulam inter Petrum & lapidem magis quàm illa altera propositio, *Petrus lapis*, nihilominùs hanc non esse falsam, secùs illam, quia illa ex suo modo tangendi obiectum habet quod connectat illa duo? Secunda verò propositio ex suo modo non connectit, sicut hæc, *Petrus vel Paulus*, non connectit, illa verò, *Petrus, & Paulus*, connectit: licet τὸ *vel* & τὸ *&* nihil penitus sint ex parte obiecti, vt ostensum est. Quòd

28 si vlteriùs quæratur, Quis ergo est ille modus coniungendi? facilè respondeo, Nos non posse aliter illum explicare quam ipsâ experientiâ, quâ in nobis agnoscimus eos diuersos modos affirmandi; vti etiam debemus respondere, si interrogemur, Quis est ille diuersus modus affirmandi per *vel* aut per *&*? Possumus fortasse id satis commodè declarare per instantiam ex physicis: vti enim vnio physica nullam vnionem à seipsa producendo, sed formalissimè per seipsam connectit animam & corpus; in hoc enim natura illius consistit, quæ non potest amplius declarari; ita dicimus in intellectu esse aliqua iudicia, quæ ex sua natura nullam aliam vnionem intentionaliter respiciendo, sed per seipsa formaliter connectunt intentionaliter hominem cum animali; alia verò esse quæ natura sua distinguunt; experientia autem hanc diuersitatem actuum cognosci, non posse autem amplius eam a nobis declarari. Secundò ostendo,

Reiicitur amplius obiectio. Non est idem, cognoscere identitatem duorum inter se, & indicare duo esse idem inter se.

illud argumentum, de quo agimus, bonum non esse. Nam esto admittamus debere illam identitatem prædicati cum subiecto ex parte obiecti attingi per iudicium illud, adhuc non soluitur difficultas; nam illa eadem potest cognosci per apprehensionem, quæ tamen propriè non est vera; potest etiam cognosci in alio, vt cùm dico, *Petrus asserit dari identitatem inter hominem & lapidem*; nam sine dubio eo casu attingo identitatem ex parte obiecti, & tamen non ideò decipior, non ideò eam iudico; ergo iudicare est aliquid amplius quàm eam identitatem tangere. Quòd si ideò dicatur (vti sine dubio debet dici) id in hoc consistere, quòd actus ille ex suo modo tendendi approbat illam identitatem, eodem planè modo ego respondebo, Etiamsi iudicium affirmatiuum nullam penitus identitatem attingat ex parte obiecti, nihilominùs ex sua essentia id habere, quòd coniungat duo, sicut dicitur iudicium habere, quòd approbet; & vterque debemus venire ad experientias, quæ in nobis hos diuersos actus ostendunt; ergo argumentum illud non est bonum, ac proinde ex hoc capite non est reiicienda sententia quorumdam, quos suppresso nomine ibi citat hic Auctor, qui dicunt identitatem prædicati cum subiecto non esse aliquid ex parte obiecti, sed solùm denotare diuersum modum cognoscendi.

29 *De facto respondet nostris iudiciis aliqua identitas rerum ex parte obiecti.*

Probabiliter tamen dici potest de facto in nostris iudiciis, quæ sic habent per modum compositionis inter prædicatum & subiectum, verè repræsentari aliquam identitatem, quæ respondet illi voci *est*; quia facilius ea admissa explicari possunt multa, quæ passim circa nostra indicia dici solent. Neque est aliqua ratio, quæ oppositum probet, dixi in nostris iudiciis; quia in Angelis & Deo, qui cognoscunt sine vlla compositione incomplexè rem immediatè in se intuendo, necessarium nullo modo est ad vllam identitatem confugere, quia reuera nulla interuenit; sed sicut prædicatum & subiectum in se est vnum quid sine vnione media, ita vt tale à Deo cum omni simplicitate cognoscitur. Et satis de digressione hac occasione doctrinæ à Cardinale suprà traditæ.

Peccatum ipsum per se est malum & dissonum homini.

Ad rem verò nostram de Pœnitentia dicimus peccatum ipsum per se esse homini malum & dissonum, etiamsi illud non priuet gratia vel dono aliquo alio positiuo, quod prius habuisset homo; sicut error positiuè per seipsum est malus homini, & calor vt octo independenter à frigore, quo priuat, causat homini dolorem, estque illi disconueniens per seipsum; dico ergo,

Vnde potest voluntas illud pariter odio habere, & ab hoc odio incipere.

nullo præuio amore alicuius boni, quo priuet peccatum, sed præcisè ex consideratione malitiæ ipsius, posse primò voluntatem illud odio habere, sicut odio habet summum calorem; quia illum apprehendit malum etiam non cogitando de alia qualitate bona, quâ priuet; similiter è contrario Pœnitentiam posse incipere ab amore, si priùs apprehendat peccatum ea ratione malum, quatenus priuat hominem vel gratia, vel amicitia Dei, vel aliquo alio bono, ex cuius amore voluntas determinatur tunc ad odio habendum peccatum vt illi bono contrarium; ergo dicendum est & odium & amorem posse esse primum in voluntate obiectum, quo determinetur ad actum Pœnitentiæ iuxta propositionem malitiæ. Loquor nunc de amore & odio alterius obiecti, quod sit bonũ aut malũ respectiuè, nã amor personæ sẽper debet præcedere: peccatũ enim quandoquidẽ est accidẽs, apprehenditur

Non potest tamen peccatũ odio haberi sine prauio amore alicuius personæ.

semper malũ vel mihi, vel proximo, vel Deo tam quam termino, vt ergo illud odio habeam, debeo vel Deum vel proximum vel me priùs amasse.

DISPVTATIO QVARTA.

De *obiecto materiali Pœnitentiæ.*

1 DVPLEX potest esse obiectum materiale Pœnitentiæ, aliud, quod ipsa detestatur tamquam malum, aliud, quod amat tanquam medium ad suum finem intentum. Vtrumque oportet explicare; & priùs de obiecto fugæ.

Peccata propria grauia sunt obiectum Pœnitentiæ.

Supponendum autem est peccata mortalia actualia propria ipsius detestantis posse esse obiectum detestationis Pœnitentiæ. In hoc conueniunt omnes: & ratio est clara: quia si quæ possunt esse obiectum destationis, certè hæc quæ & maximè mala sunt, & propriè libera ipsi homini detestanti, eumque maximè concernunt. De aliis ergo tam alienis quàm propriis originalibus & venialibus dubium aliquod esse potest: quod hac disputatione discutiemus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

An aliena peccata sint obiectum Pœnitentiæ.

2 *Quando mihi aliquid amo, ego sum mei amoris obiectum.*

ANTEQVAM hanc difficultatem expediam, aduerto me disputatione 7. de Anima sect. 2. dixisse, Non minùs quando amo mihi bonum aliquod, me ipsum esse obiectum illius amoris, quàm quando idem bonum amo proximo; item non minùs tunc amari bonitatem meam, quàm dum amo Petrum, amo illum ob bonitatem propriam; vnde probaui non minùs Deum esse obiectum formale quando illum proximo spero, quàm quando mihi. Quam doctrinam efficacissimè meo iudicio ibi & alibi ostendi, & a Patre Vasquez fuit priùs sæpè tradita; ex qua etiam ad detestationem alieni peccati eodem modo est discurrendum. Hanc meam doctrinam Cardinalis Lugo hic disput. 3. sect. 2. fusè reiicit conatur que probare nos ipsos amari à nobis sine cognitione vllius bonitatis, ideóque nos non esse formale obiectum eius amoris, sed id præcisè conuenire bono illi, quod nobis cupimus. Verùm contra has ipsius obiectiones fusè. Secundò egi Tomo 1. de Fide, vbi illius argumenta clarè dissolui, & aliqua retorsi in illum ostendique, etiamsi ipse neget habitus omnes distinctos a speciebus, & species illæ tam sint necessariæ ad cognoscendum me dum me amo, quam ad cognoscendum proximum quem amo, non posse vllo modo ex necessitate aut non necessitate habituum pro eis amoribus quidquam colligi de hac quæstione, *Vtrùm sim ego obiectum mei amoris nécne: Vtrùm item in me debeat nosci bonitas aliena*, &c. Vide ibi eam doctrinam, quæ est communis alioquin, &, solo hoc auctore & Patre Coninch excepto, in nullo alio contrarium vidi. Hoc ergo supposito facilè à quæstione in titulo proposità me expediam: duo enim mihi certa sunt, tertium verò dubium, imò mihi certum est, posse esse vnicum individuum habitum; qui habeat pro obiecto offensam tam à proprio subiecto quàm ab altero commissam & de vtraque doleat & velit (quantum est ex parte sua) pro vtraque offerre compensationem. Ratio huius est, quia in eo, quòd sit vnus, habitus potens elicere istos duos actus diuersos, nulla potest esse vel leuis repugnantia. D. xi consultò dolorem de peccato alieno, non autè nominaui retractationem; quia hæc essentialiter est de actione propriâ: neque enim ego possum retractare factum alterius, nisi ille in me transferat aliquo modo suam voluntatem, & vt sic ego illum quasi repræsentem; dolor autem potest esse etiam de alieno facto; item compensatio potest esse propriè de debito alieno; possum enim ego velle soluere debitum loco Petri, vt ille sit ab obligatione iustitiæ liber: & verò de facto Christus obtulit pro peccatis nostris satisfactionem Deo: purus autem homo non potest in hoc rerum ordine satisfacere nec inæqualiter eo modo, quo potest pro se; posset tamen si Deus voluisset id acceptare: quapropter dixi paulo antè, ad Pœnitentiam spectare, velle pro iniuria alterius satisfacere quantum est sibi possibile.

3 *Potest idem habitus de proprio & alieno peccato dolere & satisfacere:*

Non potest alienum retractare.

Eadem est honestas in odio peccati proprij & alieni.

Vbi noto eam honestatem, quæ reperiatur in odio alieni peccati, esse eiusdē speciei cum honestate reperta in odio proprij: vti enim alienum & proprium peccatum nequaquam differunt specie, ita honestas, quæ est in fuga proprij & in fuga alieni, procurando ne proximus peccet, eadem est specie. Et licet aliqui Auctores, inter quos est Vasqu. non videantur velle agnoscere eam conuenientiam specificam, ego sanè (vt verum fatear) non possum videre vnde è contrario possit deprehendi diuersitas plusquam individualis: omnia enim, quæ in me & proximo quoad hoc concurrunt, sunt eiusdem speciei, & solo numero distinguuntur: vti in simili dixi agens de diuersis virtutibus, maximè autem de Spe: nam optare mihi visionem Dei seu Deum ipsum, eiusdem omnino speciei est ac optare Deum Ioann. vel Antonio: & ex hoc capite probaui non magis esse Theologicum actum optare salutem æternam mihi, quam sit optare eādē Ioanni. Fateor nonnullos actus diuersos posse in his virtutibus circa propriam personam fieri, qui fieri non possunt circa alienam: vti immediatè dixi de retractatione proprij peccati, de solicitudine illud vitandi de proprio illud non committendi: & eodem modo potest in spe, ceterisque virtutibus dici: quia ego non possum proponere non committere peccatum Ioānis vel. hoc enim non est in mea potestate. At per hoc non tollitur, quò minùs amor honestatis in vtroque obiecto repertæ sit eiusdem speciei; quod solum hic dicimus. Imò licet eos actus numero facere non possim, possum similes: nam retractare meum peccatum est actus eiusdem speciei cum retractione quam Ioannes habet de suo peccato: & idem dico de proposito non peccandi: &c. Secundò, mihi certum est posse esse è contrario duos habitus distinctos, quorum vnus determinatus sit ad detestandum peccatum sub circumstantia alieni, alter determinatus ad detestandum peccatum non quomodocumque, sed vt vestitum hac circumstantia proprij: quia in distinctione horum habituum nulla sunt contradictoria.

4 *Potest esse diuersus habitus pro alienis peccatis, & diuersus pro meis: qui tamen.*

ratione honestatis in obiecto non differrent specie.

Illud tamen consequenter ad immediatè dicta obseruandum est, eos habitus, si darentur, non futuros specie diuersos ratione honestatis in vtroque obiecto amatæ: ea enim est eadem specie (vt immediatè antè dixi: nisi comparemus hominem cum Angelo: ibi enim negari non potest esse locum diuersitati specificæ: quia actus Angelici & humani non sunt eiusdem speciei. Dixi eos duos habitus non fore diuersæ speciei ratione honestatis amatæ. Nam (vt notaui immediatè antè) aliquos actus specie diuersos possum elicere circa me, quos non possum circa proximum: vti est retractatio, propositum non peccandi de cætero, & similes: & ratione horum actuum different specie duo illi habitus quorum vnus me, alter proximum respiciat.

5 *De facto idem est habitus, qui peccata propria & aliena respicit. Sicut idem est habitus Spei.*

Dubium est, Vtrùm habitus, qui de facto ad hæc duo obiecta datur, sit vnicus realiter, an duplex. Dubium id esse dico, quia videtur totum pendere ex sola voluntate Dei, de qua non est vnde nobis certò constet, & possimus rem hanc decidere. Video quidem à multis Theologis eos distingui, sed tamen etiam à multis non distingui, ideóque nec auctoritate possumus aliquid agere, inclinor tamen in docentes vnicum esse. Moueor Primò, quia nulla est necessitas eos multiplicandi: ergo connaturalibus dicimus vnicum esse. Secundò id colligo ex doctrina nonnullorum ex his qui eos distinguunt, & ex sententia omnium: quia vnicus tantùm

datur habitus Spei ad optandam mihi & proximo beatitudinem: ergo pari ratione vnicus erit habitus ad detestandum peccatum meum & proximi.eadem enim omnino est in vtroque casu ratio,vt paulò antè dixi Antecedens autem mihi videtur certum;quia si diuerso habitu proximo & mihi beatitudinem amarem, darentur quatuor virtutes Theologicæ: quod est contra omnes Theologos. Sequela autem est euidens quia ille habitus amans proximo beatitudinem, non minùs esset Theologicus, quàm quo mihi illam amo:vt enim notaui paulò antè, non constituitur in ratione Theologici, quia me respiciat, sed quia Deum vt summum bonum:quod autem me respiciat,vel Petrum, constituet eum in ratione concupiscentiæ meæ aut Charitatis erga Petrum: id quod fusiùs deduxi Tomo 5. Tractatu de Spe

6 *Responsio ad illam instantiam de Spe reycitur.*

Posset aliquis fortè respondere, Theologos, docentes tantum esse tres habitus Theologicos, non loqui de tribus numero aut specie, sed de tribus in genere, scilicet vltra Fidem,Spem & Charitatem, non esse alium habitum Theologicum: Vtrùm autem ipsa Charitas sub se includat multos habitus distinctos (idem est de Fide & Spe) non doceri à Theologis: sicut quando Concilium dicit solùm esse septem Sacramenta, solùm loquitur de septem genericè, siue postea sub vno ex illis septem alia duo aut tria contineantur: siue non, sicut includuntur sub Sacramento Ordinis & Eucharistiæ. Hæc solutio in se est probabilis,& qua posset responderi Conciliis,licet absolutè definiissent solùm esse tres habitus Theologicos: non tamen cohæret cum mente ferè omnium Aduersariorum, qui expresè vnicum numero habitum Spei; in quolibet homine Catholico constituunt:manet ergo adhuc mea adductio in sua vi.

Scio aliquos oppressos hoc argumento negare esse actum Theologicum optare proximo Deum & visionem beatam: verùm id aliundè suppono sufficienter reiectum.

7 *Obiectio.*

Obiicies: Si habitus Pœnitentiæ se extendit ad aliena peccata odio habenda, ergo Deo debebimus tribuere virtutem Pœnitentiæ: quia ille etiam odit nostra peccata Eadem obiectio à fortiori potest fieri in Christo Domino:cui tamen communiter negatur virtus seu habitus Pœnitentiæ.Respondeo,Obiectionem hãc quoad Deum nullius esse momenti:quia omnes debemus admittere, eum habere odium in peccata hominum & Angelorum:quomodo ergo quæso ex eo quòd ego dixerim. Ab vno habitu infuso nostro oriri odium peccati proprij & alieni, infertur, In Deo odium alieni peccati futurum Pœnitentiæ,virtutem, magis quam si ponerem duos distinctos habitus in nobis pro illis actibus? In Christo habet apparentiam maiorem ea obiectio,quia posse inferri. Dari in eo eumdem specie habitum, qui datur in nobis,cúmque hîc dicatur Pœnitentia, posset etiam dici eam dari in Christo.Respondeo tamen absolutè: Esto admittamus illum in Christo,non propterea simpliciter dicendum dari in eo Pœnitentiã: quia ille habitus non denominatur Pœnitentia nisi ab actibus qui sunt retractatio proprij peccati, & compensatio pro illo: cúmque hi non sunt in Christo,non debet dici habere habitum Pœnitentiæ.Responderi Secundò potest: Cùm in Christo non potuerit esse actus ille retractationis, consequenter non infusum etiam ei habitum,qui retractationem & detestationem proprij peccati elicere potest, sed alium pro solo proximi peccato odio habendo,& pro amanda compensatione pro illo:pro fuga autem proprij peccati in futurum & pro detestatione illius concurrisse habitum Charitatis in Deum, vel alium habitum determinatum ad tales actus sine retractatione commissi,quia hæc in Christo non fuit:de quo in materia de Incarnatione aliquid diximus, & superiùs agentes de motiuo formali Pœnitentiæ.

In Christo nõ erat Pœnitentia sub hac denominatione.

Imò fortè plenè non in re.

Hæc dicta sunt de Pœnitentia infusa:si autem sermo sit de acquisita, certum puto duos esse habitus distinctos, quo & mihi & proximo peccatum fugio.Ratio est clara,quia habitus acquisiti producuntur ex actibus: ideoque solùm facilitant ad actus similes illis, à quibus producti sunt.Actus autem,quo mihi amo bonum aliquod, siue differat specie physica, siue non ab actu, quo alteri amo idem bonum, certum est moraliter valde differre,quia vtta diuersitas proprij & alieni est maxima in ordine ad amorem: vnde non solùm in obiecto Pœnitentiæ, sed in omni alio bono experientia certum est posse quem facillimum esse ad amandum sibi bonum, difficillimum tamen ad amandum illud alteri personæ. 8 *Habitus Pœnitentiæ naturalis est diuersus pro peccatis alienis.*

Video posse responderi, habitum, quo mihi & proximo amo satisfactionem, inadæquatè conuenire inter se ea ex parte qua afficior bono satisfactionis, & odio habeo peccatum ratione suæ malitiæ:differre verò qua parte includitur postea amor personæ? vnde ex repetitione actuum,quibus mihi satisfactionem amo, etiam inadæquatè me facilituri ad amandam illam eamdem proximo: & qua parte in me intenditur odium peccati mei,etiam intẽdi odium alieni:ac proinde si postea producatur in me præcisè alius habitus amoris erga Petrum etiam sine repetitione actuum,quibus illi odio habeam peccatum,& amem satisfactionem,eò ipso fore me facilem ad hos actus.Et verò experientia id docet, quia quo passu crescit voluntas, qua Petrum amo, eodem passu illi opto bona quæ mihi & eodem mala illius fugio quo mihi: & ex hoc capite dici potest circa proximum, non esse necessarium nisi vnum habitum,quo illum amem propter ipsum:tunc enim meus habitus castitatis v.g.inclinabit me simul cum eo habitu amoris ad optandum illi castitatem:meus itẽ habitus Pœnitentiæ ad optandam illi Pœnitentiam: & sic de aliis. Vnde vlteriùs etiam quis posset colligere,me gratis paulò ante disputasse, Vtrùm sint duo, an verò vnus habitus, quo de alieno peccato dolco, & quo opto vt ille agat pro seipso pœnitentiam: etenim necessariò debent interuenire duo illi habitus:vnus,quo amo proximum propter se, alter, quo amo mihi bonum compensationis:vltra hos autem duos gratis quæri alium, siue distinctus ille sit realiter, siue æquiualenter:cúmque hi duo admittantur semper,videtur tandem tota quæstio esse inutilis,& gratis nos laborasse,supponendo in ordine ad potentiam absolutam posse hos vel illos habitus dari. Respondeo:Siue duo illi habitus, vnus quo proximum amo propter se, & alter quo amo honestatem castitatis v.g.simul sumpti sufficiant ad amandam castitatem proximo, siue non:negandum tamen non esse,posse dari diuinitus vnum alium indistibilem, qui solus actum illum efficiat.Hoc præcisè nos docuimus. *Replica.* 9 *Soluitur.*

Diximus

Vt proximus amem castitatem v.g. sufficit habitus quo amem proximum, & alter quo mihi amem castitatem.

Diximus item posse esse vnum habitum,qui & proximo & mihi procuret bonum castitatis:id quod non impugnatur vllo modo per obiectionem factam.Denique de facto præter habitum, quò benè proximo afficior, & quo mihi amo castitatem, non ponimus alium tertium pro eadem castitate amanda proximo;ergo nihil dicimus contra eam obiectionem. Absolutè autem omnino iudico,actum illum,quo proximo opto bonum castitatis v.g.(& idem de reliquis virtutibus)oriri de facto ab habitibus illis duobus, de quibus in obiectione.

SECTIO SECVNDA.

De peccato Originali,habituali,ac de reatu pœnæ.

10

Originale nõ potest tronsitè retractari.

PRIVS verò circa Originale supponendum, non posse dari propriam de illo retractionem,vt benè omnes communiter docent; quia retractio in rigore est de actione propria, & de actuali voluntate : id quod non reperitur in peccato Originali non commissio voluntate propria sed Capitis:quo sensu intelligendus est Diuus Thomas (vt benè illum explicat Pater Suarez suprà n.9)dum ait non posse esse pœnitentiam de Originali,id est non posse esse actũ propriæ retractationis,per quod tamen non negat esse posse alios actus Pœnitentiæ. Dixi *retractationem propriam*:quia eo modo quo illud peccatum fuit voluntarium in Capite , potest etiam voluntas illud retractare , & dare satisfactionem, vt in Deo esset ius illud contra hominem,qui Originale contraxit.

Obiectio

Dices : Quando quis per Procuratorem init contractum aliquem,potest postea propriè illum retractare:ergo & nos poterimus retractare peccatum commissum ab Adamo tamquam à capite,aut tamquam à Procuratore nostro.

Soluitur.

Respondeo negando consequentiam, quia circa actum Procuratoris habui ego voluntatem actualem propriam,quâ saltem dedi illi meas vices,& cõsensi in ipsius actionem : circa Adami verò peccatum nullam propriam habui voluntatem actualem,vnde nullus manet locus retractationi propriæ:quoad retractationem ergo propriam non comprehendimus in hac Originale,sed præcisè quoad alios actus doloris,& quoad voluntatem satisfaciendi. Hoc posito circa præsentem difficultatem , Vtrùm habitus Pœnitentiæ versetur

11

Possibiles sũt diuersi habitus.

non solùm circa actuale, sed etiam circa Originale & habituale,iudico diuinitus posse dari tres quatuórve habitus, vnum præcisè dolentem de actuali,alterum de habituali solo tertium de solo Originali, quartum verò ; qui ea omnia tria respiciat. Non enim vlla potest assignari contradictio in vllo ex illis habitibus : si verò quæramus,quis ex iis quatuor de facto existat,respõdebo iuxta ea quæ in similibus quæstionibus sæpè

Idem habitus respicit Originale,actuale , habituale.

dixi , non esse multiplicanda entia sine necessitate,ideóque probabilius videri vnicum tantùm esse pro dolore eliciendo circa ea tria peccata: quia reuerà nihil nos cogit ad eos habitus multiplicandos.Et ita sentit Suarez disput.1. sect.1 & Recentiores communiter.

Obiectio: Quod implicent habitus diuersi,qui vertantur circa peccatum actuale & habituale.

Fortè dices,Malè me suppositisse, dari posse habitum, qui solùm detestetur habituale , non actuale:& è contrario,solùm actuale,& non habituale,Etenim cùm in habituali non sit vlla alia malitia quam ipsiusmet actualis durantis adhuc moraliter,seu non condonari,non videtur quis posse detestari habituale,nisi detestetur actuale. Quod argumentum etiam potest è contrario fieri,vt nequeat odio haberi actuale nisi etiam odio habeatur habituale:nã si quis detestatur se actu peccasse,eo ipso necessariò dolet quòd commiserit id,vnde actu & de præsenti est in peccato: hoc autem est formalissimè detestari habituale.

12

Confirmatur.

Confirmo:Per virtutem,de qua nunc loquimur,non potest homo detestari peccatum eo ipso instanti quo illud committit:quia si haberet eiusmodi detestationem,tunc eo ipso actu non peccaret:debet ergo omnis ea detestatio esse de peccato iam præterito pro illo instanti quæ est detestatio:ergo dolet de peccato quod fecit quia se opposuit rationi naturali & Deo illud admittendo,id quod ipsi homini malum est moraliter Atqui tota ea malitia reperitur in eo peccato vt hodie durante:& (vt dixi paulò ante)ea duratio habitualis est ipsa illius peccati præteriti existentia nondum condonata; ergo dolere non potest quis de actuali , quin doleat de habituali,si illud agnoscit; maximè cum habituale solùm addat supra actuale vel ipsam non condonationem Dei , quæ in se non est mala moraliter,ideóque non est materia eius doloris; vel quòd ego adhuc pro illo actuali nondum satisfecerim:quæ tamen commissio non est propriè peccatum:ergo habituale, vt est proprium obiectum odij tamquam malum morale , solùm dicit ipsum actuale peccatum præteritum; ergo non potest dolere quis de vno,nisi etiam doleat de altero.

Responsio

Respondeo, Si loquamur de eo obiecto , quod voluntas propriè & directè detestatur tamquam malum morale, & quod dolet se commisisse,omnino repugnare detestari vnum sine altero;quia propriè vnicum tantùm peccatum est ibi : & hoc de obiectione facta. Addo tamen, quia peccatum habituale vt tale vltra rationem præteritæ offensæ,& mali, quod in ipsa commissione actuali repertum est, requirit necessariò carentiam retractationis nostræ & condonationis diuinæ , ideò posse hominem inuenire aliquid amplius ibi,de quo doleat , non vt de malo moraliter : nam carentia condonationis non est formaliter mala moraliter:ipsa etiã non positio retractationis,seu ipsum non egisse pœnitentiam,potest esse sine noua malitia, quia non tenemur statim sub peccato ad eam pœnitentiam agendam : nihilominùs tamen dolere potest homo,quòd non egerit pœnitentiam, & quòd per illam non se liberauerit ab eo peccato actuali , actu ipsum eodem modo maculante ac si actu illud committeret:ex quo dolore potest etiam vlteriùs oriri desiderium faciendi pœnitentiam , ac procurandi aliis modis diuinam condonationem:ergo actus diuersi sunt,odio habere peccatum vt heri commissum,& odio habere illud ipsum vt moraliter perseueranter:ergo ratione huius diuersitatis benè poterunt esse habitus duo : quorum vnus ad vnum ex illis actibus,alter ad alterum natura sua sit determinatus. Fateor illum habitum, qui detestatus fuerit habituale modo explicato, habiturum etiam vim vt detestetur actuale , non tamen è contrario. Ratio est : nam qui detestatur habitualem permanentiam peccati,& conatur illam destruere, necessariò debet odio habere,fuisse commissum illud peccatum:quod est præcipua pars eius permanentiæ habitualis:è contrario tamen non se-

quitur, vt qui dolet se peccasse, continuò habeat vim eliciendi actus, quib. satisfaciat pro eo peccato; sed potest esse habitus limitatus præcisè ad simplicem dolorem de commissis, qui vlteriorem pro illo satisfactionem non possit elicere, sed ad id sit necessarius alius distinctus habitus.

14 *Obseruanda circa peccatū habituale.*

Circa habitualis retractationem obserua ex paulò ante dictis, tria in illo posse considerari; Primò ipsum peccatum actuale præteritum. Secundò carentiam condonationis. Tertiò carentiam sufficientis satisfactionis. Si consideretur vt includit ipsum actuale, non est dubium, posse à nobis retractari; si autem consideretur secundùm alteram partem, scilicet secundùm carentiam condonationis, certum etiam est è contrario non posse à nobis retractari; quia carentia condonationis est actus Dei, quo vult conseruare suum ius: vel saltem est carentia actus diuini: ego autem non possum retractare actus Dei, aut eorum carentiam; tum quia illi non pertinent ad me tamquam actus proprij: tum quia non sunt moraliter mali. Et hoc per se notum est: nec contrarium docuit Pater Suarez, quidquid aliqui ei minus bene imponant: ille enim solùm docuit, Pœnitentiam non tantùm detestari quòd peccatum fecerit, sed etiam quod duret, ideoque ex se tendere ad destructionem illius id quod verissimum est, & ipsi Recentiores concedunt. Retractationem autem, aut contritionem habitualis vt habitualis, seu quatenus includit actum diuinum, nunquam posuit Suarez: imò quando loquitur de contritione & de retractatione, solùm eam comparat cum priori facto, id est, cum peccato præcedenti: videatur suprà numero 11. in fine. Possumus ergo dolere de non condonatione diuina, quia licet illa voluntas non condonandi sit in se infinitè bona & perfecta, nobis tamen valdè dissona est, quatenus per eam manemus adhuc maculati eo peccato, & inimici Dei, digni pœna, &c. possum ergo optimè dolere, quòd Deus adhuc mihi non condonet peccatum: possum optare, vt cesset ab ea voluntate non condonandi, quo censu potest dici nos odio habere aut detestari illam voluntatem; & eodem sensu Suarez docuit, habituale vt habituale posse à nobis odio haberi: quæ detestatio seu odium non est abominationis respectu illius voluntatis diuinæ; nec enim illam odio habemus, quia in se mala, aut vt Deo malum inferamus; sed præcisè volumus vt non sit, quia malum nobis est illam durare. Absolutè autem non est dicendum nos illam odio habere, quia odium accipitur communiter in malam partem. Vtrùm autem ex hoc capite Pœnitentia habeat Deum pro obiecto, & sit virtus Theologica discussum est fusiùs suprà.

Carentia condonationis diuinæ non potest à nobis retractari.

possumus tamen de illa dolere.

15 *Quid circa reatum pœnæ.*

Diximus sæpè, peccatum, præter ius ad odium, in quo quasi primariò consistit eius essentia, secundùm quam rationem maximè illud detestamur, etiam fundare dignitates ad pœnam: ideò nunc videndum, Vtrùm etiam secundùm hanc rationem sit materia retractationis seu doloris ad habitum Pœnitentiæ pertinens. Respondeo, Duplicem esse pœnam pro peccato, vnam, quam ego ipse mihi impono, vt Deo satisfaciam pro illo, seu vt Deum placem: hæc pœna vt sic non est obiectum fugæ, sed potiùs prosecutionis virtutis Pœnitentiæ, quæ vt medium amplectitur illam, vti alios actus bonos quibus homo potest Deo satisfacere: non ergo agimus de hac pœna, qua propriè non est reatus ille, qui solet dici manere ex peccato: hic enim est in ordine ad pœnam infligendam ab ipso Deo etiam post condonatum peccatum: & hoc ius videri alicui posset esse obiectum Pœnitentiæ, quia hæc intendit tollere ex integro peccatum: ergo etiam vult destruere illum reatum seu illud ius. Cardinalis Lugo disput. 3. sect. 2. fine negat, citatque pro se Patrem Suarium disput. 2. sect. 1. num 14. Suarius tamen eadem disput. sect. 3. titulo De reatu pœnæ, expressè contrarium docet: aitque pœnitentiam omnino velle satisfacere pro reatu pœnæ, & hunc esse secundum actum illius: quia etiam satisfactio pro pœna pertinet ad integram compensationem iniuriæ in Deum commissæ: eo verò loco, quem pro se citat Lugo non tractat Suarez quæstionum, in qua nos nunc sumus, sed agit de pœna, quam homo amat, quatenus per eam vult satisfacere Deo pro culpa & hanc dicit non odio haberi à Pœnitentia, nec pro ea Pœnitentiam satisfacere, sed potiùs per eam formaliter satisfacere pro culpa: eo autem loco à nobis citato ex sect. 3. vtitur planè Suarez contrario argumento ei quo vtitur Cardinalis: hic enim ait reatum pœnæ non turbare pacem cum Deo, neque facere auersum hominem à Deo, aut è contrario; ergo illum reatum non detestatur Pœnitentia. Suarez verò ait, Dum durat ille reatus adhuc non esse Deo compensatum, ideoque Pœnitentiam velle illum tollere satisfaciendo pro illo; adducítque pro se Diuum Thomam quæst. 85. artic. 1. ad 3. vbi clarè id docet: *Dolor*, inquit, *Pœnitentiæ est reprobatio prioris facti cum intentione expellendi sequelam*, scilicet offensionem & reatum. Vnde concludit Suarez hoc dubium iis verbis: *Sic igitur constat, licet primarium motiuum Pœnitentiæ sit destructio culpæ secundariò verò etiam ad illam pertinere destruere omnem reatum pœnæ, & vtrumque adæquatè contineri sub hoc motiuo plenè compensandi diuinam iniuriam.* Hæc Suarez: vnde apparet eum planè in opposita esse sententia ab ea pro qua citatur à Lugo.

Sensus Lugo, qui pro se falsò citat patrē Suarium.

16 *Quale malū sit reatus pœnæ*

Vtrùm quidquid de eius mente sit in hac quæstione meo iudicio vix potest esse quæstio vllius momenti. Etenim reatus ille cum in se non sit quid malum morale, defœdans propriè animam, non potest neque à Pœnitentia, neque ab vlla alia virtute haberi odio abominationis: quia hoc solùm versatur circa peccatum seu malum morale quà tale. Secundò, certum est illum reatum ipsi homini malum esse physicè: sicuti enim ipsa pœna infligenda est mala physicè: ita obligatio seu debitum eam sustinendi est malum physice eidem homini. Tertiò, certum est illum reatum constituere aliquam inæqualitatem quasi moralem inter hominem & Deum: vti quando debet quis alteri mille etiamsi in eo debito nullum omnino interueniat peccatum, est tamen inter debitorem & creditorem aliqua inæqualitas, quæ exigit compensationem & satisfactionem, ac proinde iure merito posse debitorem detestari illum reatum, & velle illum à se remouere: & quia sibi malus est, & quia ipsi creditori est etiam quodammodo malum, quòd ei debeatur aliquid, & non soluatur, seu non fiat ei compensatio æqualis. Hæc omnia puto non posse ab vllo de re negari: illud tamen esse potest dubium aliquo modo, Vtrùm ea detestatio, ex eo quod habeat pro motiuo formali satisfacere Deo, & omnimodam illi compensationem

dare

Duplex est pœna pro peccato.

dare, dicenda si pertinere ad Pœnitentiam; an verò quia non potest per eam propriè intendi pax cum Deo, quandoquidem per illud debitum ea pax non turbatur propriè, non debeat reduci ad virtutem hanc Pœnitentiæ quam ponimus. In quo puncto misceri aliquid de voce potest, vtrùm ille reatus dici possit turbare pacem cum Deo, non quidem pacem amicitiæ, sed illam quæ videtur desiderari iuxta paulò antè dicta inter debitorem & creditorem; ac proinde ex hoc modo loquendi possit reduci illa detestatio ad Pœnitentiam. Mihi placet cum Suario eam omnino reducere, tum quia reuerà Pœnitentia conatur hominem ad antiquum statum restituere, seu omnia damna compensare quæ ex peccato orta sunt; tum quia id in toto rigore potest dici compensatio pro peccato; tum quia ita sentit Diuus Thomas suprà citatus: citat etiam ibi Augustinum de vera & falsa Pœnitentia cap. 8. eò quòd dicat Pœnitentiam punire in se quod dolet commisisse. Verùm hæc verba non mihi videntur efficacia ad rem nostram, quia Augustinus loquitur de pœna, quam homo assumit in compensationem culpæ, nihil de reatu pœnæ dicit; relicta ergo ea auctoritate vt minùs efficaci, sufficiant quæ diximus. Per quod tamen non nego posse etiam ex alterius virtutis affectu procurari ablationem eius reatus, v. g. ex affectu beatitudinis quam retardat ille reatus, vel etiam ex amore Dei supet omnia, quia per dilationem beatitudinis impediuntur multi actus in Dei gloriam ordinati quos Beati eliciunt.

Reatus pœnæ est obiectum materiale Pœnitentiæ.

17 *Replica:* Replicabis: Si Pœnitentia, vt ponai omnem æqualitatem cum Deo, optat illi soluere eam pœnam; ergo hæc non est obiectum fugæ Pœnitentiæ, sed potiùs prosecutionis, cùm paulò antè diximus nos hic agere de obiecto fugæ. *Soluitur.* Respondeo, Esse posse aliquam æquiuocationem in eo verbo *fugæ*: si enim vsurpetur pro eo, quòd homo velit eam pœnam declinare æquiualenter & formaliter, id est, nullo modo pro ea pœna satisfacere, sine dubio id non intendit Pœnitentia neque nos eo sensu loquimur; si verò *rò fugæ* vsurpetur pro desiderio Pœnitentiæ cupientis hominem esse liberum ab eo onere, admittimus libenter eam fugam esse Pœnitentiæ, siue id fiat statim acceptando pœnam & se liberando à timore continuo illius; sicut hi qui sciunt debere se aliqui dolorem sustinere, libenter habent si se statim expediant, ne sint in timore continuo illius; qui timor solet esse peior aliquando quam ipse dolor; siue faciendo interim aliquid quod ei æquinaleat, hominique non sit adeo difficile, semper tamen intendendo liberari ab eo onere, in qua liberatione potest habere pro obiecto formali seu pro motiuo honestatem, quæ repeitur in hoc, quòd homo ex integro soluat Deo pro peccato, & nihil planè habeat, de quo possit Deus dicere: *Iste adhuc non compensauit ea damna qua intulit, aut quod mihi debet*; seu, *Nondum redijt. iste ad antiquam mecum æqualitatem.* Quod motiuum, nisi noua consingatur virtus, quæ solùm hunc actum habeat, vt illam consinxit Scotus apud Suarez loco citato, ego non video (vt verum fatear) ad quam ex aliis virtutibus alioquin nobis notis debeat reduci. Nouam autem virtutem seu nouum habitum pro hoc actu ponere mihi videtur minus probabile. Hanc nostram sententiam etiam tenet Vasquez quæst 85. art. 2. n. 80.

Pœnitentia non vult ipsam pœnam declinare, sed citò eam subiãdo se à debito eius expedire.

SECTIO TERTIA.

Quid de peccatis venialibus.

18 *Possibile est habitus qui sola mortalia detestetur.* QVOAD peccata venialia in primis dicendum est, De potentia absoluta non repugnare vnum habitum, qui tantùm inclinet ad fugienda mortalia, non verò ad venialia. Ratio est clara, quia inter venialia & mortalia est maximum discrimen, maius fortè quàm inter obiecta duarum aliarum virtutum, quæ communiter supponuntur distinctæ. Nam per mortale destruitur amicitia Dei, amittitur ius ad visionem beatam, è contrario incurritur debitum pœnæ æternæ; nihil autem horum fit per veniale; ergo potest esse habitus vnus detestans mortalia propter eas rationes; qui tamen nullo modo detestetur venialia, in quibus (vt dixi) ea motiua omnino cessant.

Probabilitèr dmittitur habitus qui sola venialia detestetur. Vtrùm autem è contrario possit esse aliquis habitus, qui detestetur venialia præcisè, & non mortalia, maius dubium est. Valdè probabile censeo illum non esse possibilem: qualis enim habitus virtuosus esset, qui nollet furari vnum obolum, non tamen curaret furari centum florenos, vbi tota est turpitudo quæ in furto vnius cruciferi, & alia incomparabiliter maior; & idem eodem modo dici potest in cæteris virtutibus. Ratio à priori, ex qua disparitas sumitur; quia peccata venialia non includunt malitiam & rationem formalem detestabilitatis quæ reperitur in mortalibus; vnde non est necessum vt qui fugit mortalia, fugiat etiam venialia. At è contrario tota inhonestas venialium reperitur in mortalibus, & quidem in summo gradu; ergo qui minora fugit propter illorum inhonestatem, debet fugere & maiora. Hoc amplius explicatur à contrario in actibus virtuosis v. g. eleëmosynæ: qui enim habet facilitatem dandi magnam eleëmosynam propter bonum eleëmosynæ, sine dubio est facilis & ad dandam paruam, non tamen è contrario. Ratio est iam tradita, quia parua includitur in magna; vnde qui amat magnam, ibi amat & paruam; non autem è contrario magna in parua; ideò potest parua amari sine magna.

Instantia in virtutibus.

Dices: Potest quis detestari venialia quatenus causant pœnam Purgatorij; atqui hoc motiuum non potest reperiri in mortali, ergo potest quis detesta i veniale, licet per eum habitum non detestetur mortale. Respondeo, Ipsum hoc motiuum reperiri in mortali. Etenim quidquid de pœna sensus est in pœnis Purgatorij, est etiam à fortiori in pœnis inferni; vnde non potest quis detestari illas pœnas, nisi simul detestetur has: qui enim non vult cruciari vt vnum, multò minùs vult vt centum. Quoad pœnam item damni adhuc grauiùs vrget ea ratio; quia in inferno non solùm est priuatio visionis Dei ad tempus, sed in perpetuum; ergo qui non vult peccare venialiter, ne ad breue tempus priuetur visione Dei, à fortiori nollet peccare mortaliter, ne in perpetuum priuetur eadem visione. Si denique consideremus offensam Dei, iam ostendi maiorem esse rationem fugiendi mortale quàm veniale; ergo.

19 *Obiectio prima.* *Soluitur.*

Secundò tamen dices retorquendo eam instantiam allatam ex virtute eleëmosynæ: Etenim potest contingere aliquem affici in magnam eleëmosynam ob singularem aliquam excellentiam

20 *Obiectio secunda.*

quæ in ea reperitur, quæ non est in eleëmosyna parua; vt de virtute magnanimitatis solet dici: appetit enim magna quà talia: vt sic enim includunt singulare excellentiam. Respondeo, *Soluitur.* Quidquid de hoc puncto sit, in quo adhuc est magna difficultas, quia vix est conceptibile aliquem ex honesto motiuo esse facilem ad dandas magnas eleëmosynas occasione data, qui tamen datâ etiam occasione pro patula eleëmosyna non sit facilis ad illam: quidquid inquam de hoc puncto sit, de quo egi Tomo 3. dum de virtutibus; in peccato tamen è contrario id non potest locum habere, quia detestari dolorem vt quatuor ob molestiam, afflictionem, &c. quam adfert, à fortiori includit detestationem duplicis eius doloris seu intensionis maioris. Si dolores ij essent specie diuersi, esto vnus esset grauior altero, habere posset locum obiectio; quia inter res diuersas potest aliquando odio haberi vna, etiamsi minùs mala, licet altera non odio habeatur: vti castitas non odit malum irreligionis, odit verò luxuriæ, esto hoc ex se sit minus illo. At quando malum maius includit etiam formaliter minus, non videtur posse fugi minus nisi eo ipso fugiatur maius; ergo eadem virtus quæ detestatur venialia, à fortiori detestatur mortalia.

Dices adhuc Tertiò: Quidquid sit de motiui identitate, certè ipsum odium mortalis est diuersum specie ab odio venialis; ergo possunt esse duo habitus specie diuersi, quorum vnus sit determinatus ad vnum actum specie diuersum, alter verò ad alterum; quia in ea limitatione habituum non videntur posse assignari duo contradictoria, quidquid sit (vt dixi) de identitate motiuorum. Responderet fortè quis, Eos actus non esse diuersos specie eo ipso quòd habeant idem motiuum formale. Verùm hæc ratio à me sæpè est reiecta, dum ostendi, si obiecta materialia sint diuersa specie, etiam actus fore diuersos. Melùs igitur respondetur (quidquid sit de diuersitate specifica actuum illorum) Non posse fieri vt homo sit pronus ad fugiendum dolorem leuem, quando est solus, ob molestiam illius doloris, & non sit facilis ad fugiendum illam eamdem molestiam, quando est simul cum aliis partibus ipsius doloris, per quam efficitur longè grauior & longè intolerabilior; siue actus, quo hunc graniorem dolorem fugit, diuersus sit in specie ab altero, siue non: hæc enim diuersitas non consideratur tunc in ordine ad eam fugam; neque ipsa voluntas malum illud declinans reflectit se supra diuersitatem actuum, per quos fugit, sed supra eius mali grauitatem quam vitare cupit.

11 *Obiectio tertia.*

Soluitur.

12 *Obiectio quarta.*

Obijci adhuc Quartò cum nonnullis potest: Pœnitentia ex suo conceptu non potest intendere nisi satisfactionem inæqualem pro peccatis; at quia pro venialibus dari potest æqualis, ergo ea non intendetur à Pœnitentia. Respondeo, Pœnitentiam, quantum est ex se, si posset dare satisfactionem æqualem, libentiùs illam datutam quàm inæqualem; vnde inæqualitatem satisfactionis non amat, quasi in ea quà tali, & vt minor est quàm peccatum, inueniat aliquam rationem boni, cùm potiùs id sit defectus aliquis; vnde miror ab aliquibus hanc obiectionem magni fieri, maximè cùm ipsimet dicant Pœnitentiã esse speciem quamdam iustitiæ; inde enim argumentor: Iustitia ex se potiùs optat omnem æqualitatem cum debito; quòd verò aliquando non possit ex integro satisfacere est potiùs contra illius naturam; ergo de Pœnitentia idem sentire hi deberent; cumque pro venialibus (vt hi supponunt) dari queat æqualis satisfactio, cur quæso eam non amabit Pœnitentia? quidquid sit, an pro mortali non possit æqualem offerre. Secundò respondeo; Esto diceremus habitum Pœnitentiæ amare satisfactionem inæqualem qua talem pro mortali; cur non possemus dicere, eumdem habitum simul extendi ad peccata venialia, & pro his amare compensationem æqualem: quandoquidem eam potest dare? Nam amare æqualem pro vno & inæqualem pro altero nullam omnino dicit oppositionem. Denique Tertiò dico, Esto concedamus aliquos actus v. g. amoris Dei, super omnia esse æqualem satisfactionem pro veniali, ac proinde hos non posse à Pœnitentia intendi nihilominus debemus fateri, esse posse alios insufficientes etiam pro veniali, qualis est attritio aut alij actus inferiorum virtutum: hos ergo amabit Pœnitentia iuxta principium quod assumit illa obiectio. Vides ergo illam ex multis capitibus deficere & sanè cùm ● facto (vt sæpè alibi diximus) opera supernaturalia hominis iusti occupentur in merito argumenti gloriæ: ac proinde de facto non deleantur venialia per condignam satisfactionem; haud dubiè saltem ex hoc capite potest Pœnitentia intendere satisfactionem inæqualem qua talem pro veniali: non est ergo cur diuersum habitum pro illis & pro venialibus ponamus.

Soluitur Primò.

Secundò.

Tertiò.

SECTIO QVARTA.

Quid de imperfectionibus moralibus.

CIrca imperfectiones potest esse maior difficultas. Pro qua aduerte duplicis generis posse concipi imperfectiones: quasdam purè pute negatiuas: vt si quis amaret Deum vt septem, non tamen vt octo cùm posset: ibi enim esset imperfectio, id est carentia intensionis maioris, quæ poterat tunc esse. Idem esset si homo duabus quatuorve horis Deum amaret intensè postea verò cessaret per ictum oculi: hæc cessatio esset imperfectio purè pute negatiua: non enim esset omissio alicuius actus perfecti, ad quem ille aut præcepto aut alia regula vllo modo obligante teneretur: & tales imperfectiones purè negatiuas aliqui Theologi ponunt non solùm in Beatissima Virgine; sed etiam in ipso Christo quia communiter dicunt illum ita exercuisse actus bonos, vt tamen non fecerit summum omnino quod potuit, sed adhuc potuisse intensiorem & intensiorem efficere. Secundi generis impefectiones sunt in quibus communiter non solum omittitur aliquod bonum maius, sed id fit contra aliquam obligationem hic & nunc illud faciendi, licet obligatio ea non fuerit sub peccato: id quod ego explico per regulas religiosas, quarum multæ non obligant sub vllo peccato: tamen ita obligant, vt eas non seruare arguat aliquam indecentiam & reprehensibilitatem: vnde imponuntur Pœnitentiæ propter illarum transgressionem. Huiusmodi autem impefectiones nullo modo agnouimus in Christo imò nec in Beatissima Virgine: his positis dubium esse de his duabus potest, vtrum sint obiectum Pœnitentiæ.

13 *Duplex est imperfectio, negatiua.*

Positiua.

In quo puncto vix potest esse differentia vlla

de

24 *Pœnitentia quatenus respicit offensam Dei, non respicit directè imperfectiones morales.*

dere. Etenim si Pœnitentiam consideremus quatenus offensam Dei respicit, certissimum est non posse dolere directè de imperfectionibus his, quocumque modo considerentur; quia, vt dixi, non sunt propriè vllo modo offensa Dei: consequenter etiam non potest velle dare vllam pro eis compensam, &c. quia cùm non sit facta Deo vlla iniuria aut offensa, non potest locum habere compensatio. Dixi, *Non posse directè de eis imperfectionibus dolere*, quia indirectè de secundis saltem poterit, vt paulò post explico.

Pœnitentia latè sumpta respicit imperfectiones morales.

Si autem consideremus Pœnitentiam quatenus vocabulo communi significat dolorem aliquem, seu pœnitudinem, siue de malo physico, siue de malo morali, siue de positiuo malo, siue de negatiuo, possumus haud dubiè concipere Pœnitentiam de his imperfectionibus, & quatenus respiciunt Deum, & quatenus respiciunt ipsum hominem. Etenim iure merito dolere potest homo, quòd cùm potuerit maiores diuitias acquirere, id tamen neglexerit, quòd cùm potuerit maiores honores obtinere, non tamen de eis curauerit. Quæ ratio locum habet in imperfectionibus his: poterat enim homo acquisiuisse cælestes diuitias & gloriam longè maiorem si eas imperfectiones non admisisset: certum enim est, quòd si eos actus non omisisset, longe maius præmium fuisset promeritus; ergo ex hoc capite locus est alicui dolori. Habet etiam hæc ratio locum, si hæ imperfectiones considerentur vt aliquo modo Deum attingunt. Etenim ex amore Dei possum ego dolere, non solùm quòd illum offenderim, sed etiam quòd plura & plura non fecerim in ipsius gloriam & honorem.

25 *Obiectio.*

Dices; Paulò antè diximus aliquos Theologos docere, potuisse eas imperfectiones primi generis esse in Christo; id est, cum non habuisse omnes omnino actus quos potuit, & in intensione summa qua potuit; ergo si hæ imperfectiones sunt capaces doloris, potest etiam nunc dolere Christus, quòd eos actus non fecerit, non quidem quasi per illos amiserit beatitudinis intensionem aliquam, quia (vt supponimus) ei non fuit data propter opera; potuit ergo saltem dolere, quatenus Deo non exhibuit quidquid obsequij, gloriæ & laudis potuit; videtur autem

Soluitur.

absurdum concedere Christo dolorem & quamdam pœnitudinem de suis actionibus, aut de illarum omissione. Respondeo concedendo ex se locum esse huic dolori in Christo, si concedatur eum non feciisse omnia omnino summa quæ potuit; de quo Tomo 6. nego tamen id esse absurdum: si enim semel dicatur non repugnasse eum aliquid omittere, necessariò eo ipso sequitur nec repugnasse eum dicere, *Melius fecissem si eos actus non omisissem*; ac proinde eum potuisse de ea omissione dolere. Huiusmodi autem dolor, seu displicentia; quia non est de vllo malo morali, aut de vlla re indecenti, sed quasi de malo physico, non repugnat humanitati Christi in ea sententia; non potest ergo esse vlla ratio dubitandi, quin huiusmodi imperfectiones possint esse materia alicuius doloris seu pœnitudinis.

26 *Possibile est vnum habitum respiciens peccata simul & imperfectiones*

Illud tamen habere difficultatem aliquam potest, Vtrùm sub ea consideratione pertineant ad ipsum habitum Pœnitentiæ, an ad alium distinctum. Huic dubio respondeo primò, Nullo modo repugnare vnum eumdémque habitum habere vim eliciendi eos duos dolores, quamtumuis hi inter se omnino differant specie; quia ea extensio ad tales duos actus non arguit contradictoria vlla in vno indiuisibili principio; nec esset difficile inuenire in eis rationem aliquam communem, in qua conueniant, & sub qua possint respici ab eo habitu: posset enim dolere de peccatis & de eis imperfectionibus sub ratione mali moralis, prout hoc abstrahit à malo morali inhonesto, & malo morali priuatiuo, quod priuat bono aliquo morali, licet non sub obligatione; in qua ratione imperfectiones & peccata conueniunt; potest ergo absolutè vnus habitus ad vtrumque extendi. Secundò tamen dico, Etiam è contrario non esse dubium, quin possint esse duo habitus, vnus limitatus ad sola peccata detestanda sub ratione offensæ, alter ad solas imperfectiones sub ratione eius mali hucusque explicati; quia hi actus sunt valdè inter se diuersi.

Possibiles sunt item distincti.

Obiicies tamen; Nos suprà diximus, habitum detestantem peccatum veniale necessariò etiam detestari mortale, licet non è contrario; eò quòd totum motiuum, quod est in veniali, reperitur cum maiori longe excessu etiam in mortali; vti qui est facilis ad dandam eleëmosynam grandem, à fortiori est ad dandam paruam, licet non è contrario; ergo ille qui est facilis ad detestandas imperfectiones quatenus priuant beatitudine maiori, à fortiori erit facilis ad detestanda peccata, quia & maiori ea beatitudine priuant & etiam minori, imò omni omnino. Respondeo, Satis apparenter dici posse, omnem habitum eo modo dolorem de imperfectionibus necessariò etiam debere dolere de peccatis nihilominùs posset etiam dici non esse id necessarium omnino. Vti enim virtus castitatis verbi gratia non detestatur turpitudinem sub ratione generali, quòd sit offensa Dei, sed in tali & tali materia; vnde non extenditur ad alia peccata, etiamsi grauiora sint; ita dicere possumus, illum habitum, qui detestaretur imperfectiones, quatenus impediunt maius bonum, non detestaturum illas sub ratione generali, sed quatenus sunt in tali materia, hoc est sine Dei offensa; vnde ille non posset detestari peccata. Neque est eadem ratio inter veniale & mortale inter se ex vna parte ac inter hæc duo. Etenim Pœnitentia vt se extendit ad omnia venialia, habet longè maiorem conuenientiam cum mortalibus, quia reuera omnia sunt offensa Dei digna pœna, &c. quàm habeant puræ imperfectiones cum mortalibus. Quòd si tamen hæc disparitas non sufficiat, potest concedi obiectioni intentum, scilicet omnem habitum detestantem eas imperfectiones habere vim ad dolendum de peccatis, non è contrario.

27 *Obiectio*

Soluitur.

Vtrùm autem de facto hæ imperfectiones fugiantur per eumdem habitum Pœnitentiæ incertum est; puto tamen ad eas se non extendere. Fortè habitus amoris Dei super omnia, vel ille quo nobis optamus beatitudinem, id est habitus Spei, eas detestabitur sub dicta consideratione. Ratio meo iudicio ex dictis suprà est clara; nam si imperfectiones hæ considerentur, quatenus Deum quodammodo priuant maiori honore, & gloria, quæ fuisset ipsi per actus omissos exhibita; profectò sub hac consideratione maximè spectat eas detestari ad illum habitum, qui Dei gloriam quærit: qualis est habitus charitatis: quòd si considerentur hæ imperfectiones quatenus ipsum hominem priuant augmento gloriæ

28. *Habitus Pœnitentiæ non extendit se directè ad imperfectiones morales.*

quod (vt dixi) est secundum motiuum: detestandi has (imperfectiones, pertinebit id ad eum habitum, quo mihi gloriam procuro; neque erit necessarium tertium alium constituere pro iis detestandis.

Indirectè tamen respicit imperfectiones positiuas, quia possunt esse causa peccati.

Vltimò denique dico, ratione distinctionis eius duplicis imperfectionis, de quibus suprà; eas, quæ sunt secundi generis, posse odio haberi indirectè à Pœnitentia prout versatur circa peccata, non quia sint peccata, sed quia possunt esse aliquando causa peccati, Deum mouendo ad subtrahenda nobis auxilia efficacia, non quia per modum pœnæ ea neget: cùm enim illæ imperfectiones non sint propria offensa Dei: non potest Deus propriè in pœnam illarum negare auxilia; sed quia cùm datio auxiliorum efficacium sit omnino gratiosa ex parte ipsius Dei, & ea neget sæpè nulla ex parte hominis datâ causâ vt patet in negatione auxilij efficacis ad primum opus occurrens; ea enim negatio non potest fundari in priori aliqua causa ab homine datâ, cum ante occasionem primi operis præcedere non possit vllum demeritum, aut imperfectio libera: vti è contrario ante donationem primi auxilij efficacis non potest præcedere ex parte hominis ipsius vllum meritum. Cùm inquam Deus in hac donatione eorum ita liber sit, profectò potest sæpè occasionem assumere ad illa neganda, eò quòd homo admiserit eas imperfectiones positiuas, quæ aliquo modo hominem defœdant, licet non sufficienter ad hoc, vt positiuam pœnam mereatur, vel displicentiam aliquam Dei: quatenus ergo imperfectiones hæ possunt inducere ad peccatum modo explicato, potest sine dubio Pœnitentia eas detestari: nam quælibet virtus sicut per modum medij vtilis potest amare omnia quæ deseruiunt ad obtinendum suum finem: ita etiam è contrario potest odio habere ea quæ possunt illum finem impedire, aut quæ possunt causare malum illud quod ipsa detestatur. Id quod etiam tradidit Cardinalis Lugo disput. 3. sect. 1.

29

Posset Deus ob imperfectiones negatiuas negare suas gratias: probabile est tamen id de facto non fieri.

Maior est difficultas, Vtrùm etiam Deus aliquando ex imperfectionibus prioris generis sumat occasionem ad neganda auxilia efficacia. Respondeo; Cùm sine vlla causa ex parte nostra, vt dixi, possit ea negare, facilius videri posse ea negare data illa qualiquali causa. Nihilominùs valdè dubium est, vtrùm ita faciat: cùm enim supponamus, dum hæ imperfectiones contingunt, hominem valdè multum ex se facere, v.g. amare Deum vt centum, esto in illo ipso amore non addiderit duos vel tres alios gradus, quos potuisset adhuc habere, non est credibile Deum magis tunc motum iri ad neganda ea auxilia, eò quòd homo non addiderit illos vltimos duos vel tres gradus, quàm è contrario moueatur ad danda auxilia, eò quòd tam benè se homo ille gesserit. Et satis est de his imperfectionibus quatenus ad Pœnitentiam, provt est virtus spectant. Dico, *quatenus est virtus*: nam quoad confessionem rès est clarissima, eas non posse esse sufficientem materiam illius, cùm in eo Sacramento non detur absolutio nisi à peccatis: hæ autem non sint peccata.

SECTIO QVINTA.

Quid de actibus solùm materialiter malis.

30

Qui sint actus materialiter mali.

CIrca actus materialiter malos quærimus, Vtrùm etiam illi odio habeantur à Pœnitentia. Eos voco actus tantùm materialiter malos, qui vel ex defectu cognitionis, vt si nullo modo me reflectens comedo carnes die Veneris: vel ex defectu libertatis, vt in dormientibus & stultis contingit, non sunt peccata, licet alioquin ex se sint contra legem. CONCLVSIO est: Non possunt hi actus odio haberi propriè à Pœnitentia, & quidem nec indirectè, eo modo quo de imperfectionibus diximus paulò antè. Addo hanc limitationem, *Eo modo quo de imperfectionibus*, ob dicenda circa finem sectionis. Ratio est, quia nec sunt peccata, nec offensa Dei vllo modo; cùmque planè careant libertate, in quo puncto sunt minùs reprehensibiles adhuc quàm imperfectiones, non possunt esse causa vt Deus propter illos neget auxilia congrua: ergo nec possunt etiam indirectè ad peccatum deduci.

Non possunt esse propriè ob. ictum Pœnitentiæ.

Obiectio

Dices primò: Potest quis ex virtute amicitiæ v.g. dolere de damno proximo illato, etiam inaduertenter; item ex temperantia potest dolere de excessu in cibo & potu etiam inaduertenter commisso: ergo similiter poterit Pœnitentia dolere de offensis Dei etiam materialiter & sine libertate cómissis. Respódeo negando consequentiam. Disparitas est manifesta, quia in malo illato amico etiam sine vlla meâ culpâ, imò etiamsi à me non sit illatum, sed à bestia, inuenitur propriè & formaliter malum amici, quod amicitia detestatur: quia illud malum non desumitur ex causa, aut libertate, à qua procedit, sed ex seipso. Similiter in ebrietate etiam inconsideratè admissa inuenitur indecentia moralis obiectiua contra temperantiam, ratione cuius illam potest temperantia detestari: at cùm Pœnitentia respiciat hæc obiecta non secundùm id quod habent ex natura sua, & secundùm malitiam quam ex se obiectiuè habent antequam prohibeantur, & ratione cuius prohibentur, sed feratur ad illa prout habent denominationem formalis offensæ Dei: hæc autem nullo modo inueniatur sine libertate: non potest Pœnitentia versari circa eas actiones necessarias. Quando autem dicitur eas materialiter esse offensam Dei, est repugnantia in terminis: quia offensa Dei in suo conceptu dicit essentialiter libertatem: vnde hac deficiente nec materialiter nec formaliter potest esse offensa Dei: vnde etiam nec propriè possunt dici materialiter peccatum. Possunt tamen dici materialiter mala, quatenus verè antecedenter ad libertatem habent malitiam rationi naturali physicè contrariam, quæ est fundamentũ vt prohibeantur: vnde ab aliis virtutibus possunt tales actus odio haberi, non verò à Pœnitentia, quæ solùm, vt dixi, respicit illos actus secundùm denominationem offensæ à libertate prouenientem, quæque ab eis abest quando fiunt sine libertate.

Soluitur.

31

Implicat esse materialem offensam Dei. Non tamen materiale malum.

Quid de negligentia inculpabili in procuranda pace cum Deo.

Nonnulli addunt, in hoc puncto etiam assimilari Pœnitentiam aliis virtutibus: quia etiam illa potest dolere de negligentia in procuranda pace cum Deo, esto ea negligentia & inaduertentia fuerit inculpabilis; tunc enim malum, quod Pœnitentia inuenit in indignatione Dei, idem perseuerat, quamuis homo inuincibiliter obliuiscatur

obliuiscatur vel ignoret se esse in peccato, & de hoc potest dolere. Quæ quidem doctrina vera est, multum tamen habet de modo loquendi, Vtrùm scilicet ea perseuerantia debeat dici peccatum materiale; quidquid autem sit de voce, iam res ipsa intelligitur.

32 *Obiectio sexta.* Obiicies ad probandum posse Pœnitentiam dolere de peccato materialiter sumpto: Etenim licet non displiceat Deo periurium in ebrietate factum, eo modo quo displicet, si esset cum libertate: displicet tamen ei aliquo modo: vti enim paulò antè diximus, retinet etiam tunc illam indecentiam physicam, ob quam est contra naturam rationalem, & ob quam necessariò prohibetur; ergo saltem ex eo capite habetur odio à Pœnitentia. *Soluitur.* Respondeo, Pœnitentiam non detestari peccata quatenus causant Deo aliquam displicentiam quasi physicam, de qua loquitur obiectio, sed quatenus turbant pacem hominis cum Deo, eum irritando ad odium inimicitiæ in hominem, vt faciunt mortalia; vel saltem ad auersionem aliquam, vt fit per venialia; horum autem nihil per eos actus sine libertate factos causatur, ac proinde non possunt esse obiectum fugæ Pœnitentiæ directè. *Actus materialiter malì possunt esse obiectum indirectum Pœnitentiæ.* Fateor tamen eo modo, quo paulò antè de imperfectionibus dixi, indirectè posse esse obiectum; quia huiusmodi actus vehementissimè facilitant sæpè ad actus peccaminosos. Nam qui sine libertate adhæsceret nimio haustui, etiam posteà in libertate existens ad eumdem haustum propenderet; & idem est in aliis vitiis, maximè quæ sunt ex passionibus & humoribus corporis: hæ enim etiam per actus indeliberatos sumunt vires ad tentandum fortiùs hominem etiam dum est perfectè liber: in quo puncto habent aliquid amplius hi actus præ imperfectionibus, licet ex alio capite, vt suprà diximus: imperfectiones faciliùs possint esse obiectum indirectum Pœnitentiæ.

SECTIO SEXTA.

De obiecto materiali prosecutionis Pœnitentiæ.

OBIECTVM materiale prosecutionis potest esse duplex; vel proximum, quod immediatè & directè amatur; vel remotum, quod est obiectum rei amatæ, seu obiecti immediatè amati; v.g. ex affectu Pœnitentiæ impero actum Charitatis Dei, tunc actus ipse est obiectum immediatum, Deus autem est remotum; id est, est obiectum actus charitatis quem immediatè tunc volui. Non agimus ergo nunc de obiecto remoto, tum quia hoc propriè non amatur à Pœnitentia; tum quia quale illud sit ex ipsis obiectis proximè & immediatè amatis cognoscitur:

33 *Obiectum prosecutionis duplex.*

Conclusio. Dicendum ergo, Obiectum materiale immediatum Pœnitentiæ esse omnes actus illos, quos vt vtiles ad satisfaciendum Deo imperat; vnde non solùm actum voluntatis, sed etiam actus aliarum potentiarum possunt imperari immediatè à Pœnitentia, v.g. externa elargitio eleëmosynæ, externa oratio, &c. quia etiam in istis actionibus reperitur vtilitas ad satisfaciendum Deo, iuxta illud Danielis ad Nabuchodonosor: *Peccata tua eleëmosynis redime.*

Dan.4. Obiectio. Dices: Istæ actiones non sunt in se formaliter meritoriæ, nisi prout imperantur ab aliquo actu libero; ergo non sunt in se formaliter satisfactoriæ; ergo non poterunt immediatè imperari sed mediatè: id est, poterit imperari voluntas elargiendi eleëmosynã, voluntas iciunandi, &c. ex quibus voluntatibus oriuntur deinde illæ actiones externæ. Respondeo, Istas actiones obiectiuè inse habere bonitatem aliquam, ratione *Soluitur.* cuius Deo placent, & ratione cuius actus liber tendens ad illas constituitur bonus formaliter; vnde quando non habent talem bonitatem, quantumuis per actus liberos amentur, non constituent bonos illos actus; vt patet in obiectis indifferentibus; ratione ergo talis bonitatis sunt aliquo modo satisfactoriæ, possúntque immediatè amari propter hunc finem. Quæ difficultas non est propria Pœnitentiæ, sed communis omnibus virtutibus aliis: nam ipsa misericordia v.g. (de qua certum est posse immediatè imperare eleëmosynam (amat talem actionem propter bonitatem quam habet; & tamen non amat illam vt subiacentem alicui actui libero, quia aliàs esset reflexa supra seipsam; ergo amat illam propter bonitatem obiectiuam quam habet; ergo Pœnitentia etiam propter eam bonitatem, licet ad diuersum finem poterit illam amare immediatè.

34 *Replico.* Replicabis: Magna est differentia inter Pœnitentiam respectu sui obiecti, & alias virtutes respectu sui; nam aliæ directè & formaliter pro obiecto nihil aliud habent quàm bonitatem ipsam obiectiuam physicam, quæ est iuxta naturam rationalem; amando autem illam liberè constituunt formaliter actum virtutis. At Pœnitentia (sicut suprà diximus) in ordine ad obiectum fugæ est quasi reflexa, quia non odio habet obiecta vt materialiter mala, sed vt offensam Dei; ita etiam hic videtur non amanda obiecta vt materialiter, sed vt formaliter bona. Cuius ratio est, quia etiamsi Deo aliquo modo placeant illa obiecta; ea tamen complacentia non est propriè in genere moris, quia non est libertas in illis obiectis per libertatem autem vltimò completur moralitas: ea autem complacentia in genere physico nullo modo videtur sufficere ad placandum Deum, qui solum placatur actibus virtutum vt talibus. Respondeo; Etsi aliqua sit *Soluitur.* differentia in hoc puncto inter Pœnitentiam & alias virtutes, nihilominùs illam etiam posse directè intendere tales actiones bonas exteriores, quando sunt cum interioribus coniunctæ; quia reuerà tunc Deo placent in genere moris, etiamsi ratio, ob quam placent, sit volitio ipsa interior imperans: vti è contrario Pœnitentia non solùm fugit volitiones interiores peccandi, sed ipsa etiam exteriora peccata; quia illa vt informata interiori volitione Deo displicent verè & propriè ac in genere moris; non ergo negandum per Pœnitentiam posse ea opera simul cum interiori volitione amari.

35 *Actus externi, si planè fiant sine libertate, non sunt obiectum Pœnitentiæ.* Difficilius est tamen, casu quo planè fierent sine libertate, possétne tunc esse obiectum prosecutionis Pœnitentiæ: Iudico propriè non posse, quia reuerà considerata sub hac ratione non placant Deum vllo modo, ideoque ad pacem cum Deo, quam Pœnitentia amat, videntur inutilia.

Obiectio secunda. Fortasse ad probandum, quod neque actus virtutum possint esse obiectum Pœnitentiæ, diceret aliquis: Si hi actus amantur per Pœnitentiam, vt sunt vtiles ad satisfaciendum Deo & delenda

delenda peccata, necessarium erit consequenter per Pœnitentiam amari ipsam peccati ablationem & condonationem; ergo hæc erit obiectum Pœnitentiæ : id quod negatum est superiùs. Sequela probatur, quia non possum amare aliquid vt vtile ad illud, nisi simul amem aliud ad quod est vtile, ergo si amo actus virtutum vt vtiles ad condonationem, amo etiam condonationem & quidem vt obiectum formale vltimum.

Soluitur Primò, Respondeo Primò, Iuxta suprà dicta posse etiam aliquo modo à Pœnitentia amari condonationem Dei non tamquam id in quo vltimo Pœnitentia sistat, & quod per se amet, sed tanquam causam quasi efficientem motaliter abolitionis peccati. *Secundò.* Respondeo Secundò. Posse amari actus virtutum quatenus ponunt id quod ex parte hominis requiritur ad destructionem peccati, siue vt homo ponat id quod est necessarium, vt in 36 Deo detur condonatio de peccato, nec ideò sequi, amari ipsam cõdonationem. Ratio est, quia ponere id quod requiritur vt existat condonatio, est in se bonum bonitate distincta à bonitate ipsius condonatiois, licet sit in ordine ad condonationem; ergo potest amari sine eo quòd ametur condonatio; quo pacto etiam aliquid in actu primo elicitiuum rei malæ potest amari sine eo quod malum illud ametur; Deus enim sibi complacet in libertate hominis, vt libertas est ad benè & malè operandum; non tamen complacet sibi in mala operatione in ordine ad quam constituitur necessariò illa libertas: quo etiam sensu possumus explicare Christum Dominum Apostolis præcipientem emere gladios, prohibentem tamen statim Petro vsum eiusdem gladij; quia, vt ait Ambrosius, , voluit Christus vt constaret omnibus discipulos suos potuisse se vindicare, non tamen voluisse. Ecce amauit Christus potentiam ad vindictam & non vindictam: in hoc ergo sensu possunt amari actus virtutum vt habẽtes potentiam ad cõdonationẽ, licet non ametur cõdonatio, imò ex hac parte licet odio habeatur.

Ad illud de mediis respondeo, Aliquando medium non habere in se aliam bonitatem quam denominatiuè à fine; tunc autem non posse amari nisi ex amore finis; aliquando verò ipsam vtilitatem ad finem habere simul in se rationem boni honesti, aut delectabilis; tunc autem optime potest illa vtilitas amari sine amore finis. Actus ergo virtutum non solùm habent vtilitatem ad condonationem, sed in illa vtilitate imbibitut honestas moralis in se, ratione cuius possunt etiam in se amari non amato fine.

Aliquando habent media etiam in se rationem boni, & tunc possunt amari sine amore finis.

DISPVTATIO QVINTA.

Declarantur in particulari actus qui ad virtutem Pœnitentiæ spectant.

1 *Possibilis est dolor de malo morali:* EXPLICATO obiecto formali ac materiali tam prosecutionis quàm fugæ Pœnitentiæ virtutis, non erit difficile explicare qui actus ab illa produci possint, seu qui elicitiuè ad eam spectent. Superiùs disputation. 1. sectione 1. occasione vocis *Pœnitentia* dixi. Etiamsi hæretici videantur re ipsa negare omnem dolorem de anteacta vita, & soiùm admittere propositum emendationis in futurum, non tamen esse credibile eos vllo modo negasse possibilem esse dolorem de male factis, cùm experientia ipsa nobis passim ostendat falsem in malis physicis, quæ nobis aut amicis nostris, aut his quibus benè volumus, contigere, frequentissimè nos dolere; cur ergo non etiam de malis moralibus dolebimus; & verò potiori iure duplici ex capite: Primò, quia sunt mala longè grauiora, & maiori proinde dolore digna. Secundò, quia in malis physicis dolor nihil iuuat ac eorum reparationem: non enim per illum emendantur: at in moralibus Deum gemitibus nostris, compunctione nostra, lacrymis nostris (quæ omnia doloré arguunt de peccatis) placamus: qua de re innumeræ sunt in Scriptura historiæ, ac proinde prudentissimè dolemus, cùm eo dolore tollamus illud malum quod patiebamur. Dixi etiam nec posse cadere in hominẽ iudicij integri dicere, talem dolorem non esse honestum: quia si honestum est dolere de fratris, aut parentis, aut filij morte nónne honestius lõge erit dolere de malo morali, quod iuxta immediatè dicta, lõgè est dolore dignius: denique cũ nemo in futurũ vitare proponat nisi ea quæ mala iudicat, & quæ sibi displicent, ac denique de quorum existentia dolet (nam quæ non displicent vt facta, vix vnquam homo proponit non facere) & concedant hæretici ipsi requiri propositum melioris vitæ, non video, quomodo possit in eos cadere tantus error, vt dicant dolorem præcedentis non esse iustum: vtrum autem ille sit meritorius necne, an verò ob solam fidem hominis condonentur peccata, alius est hæreticus error, de quo nunc non disputamus.

Et est honestus.

SECTIO PRIMA.

Statuitur certa conclusio.

2 *Pœnitentia potest habere circa suum obiectum ones illos actus, quos alij habitus habent circa sua obiecta.* ASSERIMVS Pœnitentiam posse circa suum obiectum habere omnes actus (hic solùm loquimur de elicitis: superiùs enim egimus de imperatis) quos alij habitus possunt circa sua obiecta: in primis enim potest habere simplicem complacentiam in bono quod intendit, seu in pace cum Deo: deinde amorem seu intentionem efficacem cir illud quantum est ex parte sua, volendo ponere à parte rei illud bonum: ex qua intentione rursus oritur electio mediorum, spes item de obtinendo eo fine: timor etiam intrare potest, ne non illum consequatur ob aliquem defectum ex parte sua, vel ob aliud superueniens impedimentum: ac tandem gaudium de eo obtento, si homini reuelaretur se iam obtinuisse eam remissionem. Dico *si reuelaretur*, qua cùm non possimus esse certi de condonato peccato, non possumus etiam

iam perfectum gaudium de possessione eius boni habere. Id tamen est omnino per accidens ad rationem eius virtutis, quæ ex se data occasione elicitiua est haud dubiè talis actus: & hæc quidem circa ipsum bonum quod amat; è contrario enim circa malum quod fugit, & quod est oppositum obiecto formali amato, potest habere displicentiam simplicem, detestationem efficacem, seu intentionem illud destruendi, propositum illud vitandi de cetero, & gaudium de ipsius destructione. Horum autem affectuum essentias & inter se diuersitatem explicare non pertinet ad hunc locum, est enim quæstio communis ad omnes virtutes: de ea egi Tomo 3. videantur ibi dicta. Nunc ad illa quæ sunt huius loci propria.

3 *Obiectio. Soluitur.* Obiici solet, Tristitiam & gaudium esse actus contrarios; ergò non possunt reperiri in Pœnitentia. Respondetur tamen facilè Primò, difficultatem esse aliis virtutibus communem: Secundò summum probari hoc argumento, non posse simul gaudium & tristitiam à Pœnitentia elici, non verò diuisiuè. Tertiò respondeo, Nec quidem simul pugnare, si sint de diuersis obiectis; v. g. tristitia de peccato commmisso, gaudium de illius remissione, nullo modo repugnant id quod (vt dixi) non est speciale in Pœnitentia, sed omnibus aliis virtutibus commune: possunt enim dolere de aliquibus obiectis sibi contrarijs, & gaudere de alijs possessis propriis. Fateor quidem dolorem impediri valdè per gaudium, & è contrario, licet sint de diuersis, imò & disparatis obiectis: eò enim quò quis est lætior, minùs contristatur de aduersis, & è contrario, quò est tristior, minùs gaudet de prosperis, quæcumque illa sint. Hæc tamen repugnantia non est tanta, vt naturaliter in gradibus saltem remissis non possint cohærere, & diuinitus etiam in intensis valdè; quo pacto Christus Dominus cùm ex vna parte à visione beata summum haberet gaudium, ex altera miraculosè summam tristitiam in passione admisit.

4 *Quis sit actus proprius Pœnitentiæ.* Rogabis Primò, Quis sit magis proprius actus Pœnitentiæ ex enumeratis, dolorne an detestatio? Aliqui dicunt esse detestationem, quia ex illa procedit dolor, alij è contrario dolorem, quia hic est qui affligit animam; id quod Pœnitentia & contritio videntur significare: alij vtrumque. Sed quæstio est de nomine maiori ex parte, & quam suprà tetigi quoad significationem eius vocis: quoad rem verò ipsam nunc breuiter dico, Ad Pœnitentiam vtrumque actũ requiri. In primis enim sola detestatio non dicitur Pœnitentia: illa enim perfectissimè est in Beatis, qui tamen non dicuntur habere Pœnitentiam, eò quòd careant dolore. Deinde nec solus dolor sufficit: hic enim videtur actus omnino necessarius pullulans ex detestatione: ergo solus ille non habet rationem virtutis: ergo vterque actus ad Pœnitentiam requiritur. Hæc de nomine: si verò quoad rem loquamur, certũ est præcipuum actum huius virtutis esse detestationem, quia hæc est radix aliorum, & præsertim dolotis. Et in hoc sensu intelligendus est Pater Suarez disput. 3. sect. 2. inquiens præcipuum Pœnitentiæ actum esse detestationem. Vbi duo aduerto: Primum est, dolorem posse esse non solùm in parte inferioti, sed etiam in ipsa anima. Vnde & dæmones, qui sunt purè spirituales, possunt habere verum dolorem: qui autem ille differat à detestatione, non est huius loci, &, vt paulò antè dixi, est communis quæstio ad alias virtutes quæ habere possunt vtrumque actum. Secundò aduerto, posse etiam hic verti in dubium, Vtrùm detestatio oriatur à dolore, an è contrario dolor à detestatione. Quæ difficultas etiam est communis alijs materijs. Nihilominùs vno verbo dico, Dolorem dicere aliquid plus quàm dicat detestatio; addit enim quandam afflictionem animi, quam detestatio non requirit ex suo concepta; vnde fit dolorem eo ipso iam supponere detestationem: ideò enim doleo de malo admisso, quia illud odio habeo seu detestor; prior ergo est detestatio, sequiturque deinde dolor in subiecto capaci; & ideò dixi detestationem esse præcipuum actum Pœnitentiæ.

Detestatio est præcipuus actus Pœnitentiæ.

Dolor oritur ex detestatione.

SECTIO II.

Quo pacto detestatio peccati præteriti sit efficax.

5 *Ratio dubitandi.* RATIO dubitandi desumitur ex eo quòd præteritio peccari non possit auferri; nec quidem diuinitus; ergo non potest Pœnitentia efficaciter peccatum detestari, quia hoc denotat quòd velit omnino absolutè efficere ne fuerit; ex alia verò parte ad Pœnitentiam nequaquam sufficit simplex detestatio: hanc enim displicentiam simplicem in peccatis præteritis passim habere solent etiam illi, qui non cogitant ex illis resurgere. Respondeo, Eam detestationem simpliciter & absolutè non esse efficacem (vti manifestè conuincit ratio dubitandi pro prioti parte facta) esse tamen secundum quid efficacem per quod respondetur rationi pro secunda parte positæ) quatenus ita afficitur circa negationem præteritionis peccati, vt præcisè illam ideò non ponat, quia non potest: quo differt ab affectibus alijs simplicibus, quibus homo afficitur ita ad aliquod obiectum, vt tamen non velit facere quantum est ex se ad illud obtinendum: vnde iterùm oritur differentia alia, quod cum hac detestatione non cohæret voluntas de nouo peccandi: cùm enim in hominis potestate sit fugere peccatum crastinum, eo ipso durante illo actu illud fugiet: si autem ea detestatio esset pura simplex displicentia in peccato, posset rectè cohærere cum amore efficaci eiusdem, vt paulò antè dixi esse in multis peccatoribus simplicem displicentiam circa sua peccata.

Conclusio.

Pater Vasquez Tomo 1. in 1. 2. disput. 42. cap. 3. & 4. censet non esse possibilem affectum efficacem circa obiectum impossibilem: id quod verissimum est, si de affectu simpliciter efficaci loquatur vt iam diximus, non tamen si de efficaci, quantum est ex se, modo à nobis proximè explicato, vt scilicet ita odio habeat quis illud obiectum, quod iam non potest destruitve si possibile esset, illud omnino destrueret vi huius solius affectus: hoc solo sensu detestatio de peccato præterito à nobis dicta est efficax.

P. Vasquez censet implicare affectum circa obiectũ impossibile.

Secundò docet non posse esse de facto affectum qui sit conditionatus, & explicetur per verbum *vellem*, quia hoc inquit non est de facto velle, sed quòd posita occasione vellem. Hæc tamen doctrina (de qua nos alibi fusè) fundata in voce illa *vellem* grammaticaliter accepta, cõtraria est planè communi ferè omnium sensui. Pro quo fatemur libẽter in rigore Grammatico

6 *Item conditionatum efficacem. Rejicitur.*

Alius est affectus conditionatus in existentia sui, alius conditionatus quoad obiectum

vè *vellem* non significare voluntatem de præsenti, sed futuram sub conditione: sicut amatem non significat me actu amare, sed quod sub tali conditione amarem: quando tamen communiter dicitur dari affectus conditionatos circa impossibilé, non est sermo de affectibus in existentia, seu in seipsis conditionatis id est, qui non existant, sed existerent: loquimur ergo de affectibus, qui cùm in se de præsenti verè & propriè existant non minus quàm efficaces, seu quam absoluti, ideóque explicentur propriè per verbum *volo*: ex parte tamen obiecti apponunt conditionem dependenter, à qua obiectum volunt. Sicut quando dico, Promitto me eras auditurum Sacrum si frigus non fuerit: certè iste actus de præsenti est absolutè, licet apponat conditionem ex parte obiecti. Hoc ergo modo dicimus posse esse affectus conditionatos circa obiectum impossibile, qui absolutè non sunt efficaces, sed essent ea posita conditione: sunt tamen absolutè complacentiæ, aut displicentiæ tales, quæ si de præsenti non inferunt suum obiectum, id eis non proueniat ex earum debilitate, sed ex impossibilitate conditionis: sicut est affectus, quo damnatus ad mortem vellet illam euadere: qui affectus haud dubiè existit de præsenti, & ita est efficax, vt ipso immutato, si poneretur possibilitas ex parte obiecti, efficaciter determinaret reum illum ad eam fugam simpliciter & absolutè tentandam. De hoc actu

7

in se quidem absoluto, ex parte verò obiecti conditionato, quem sæpe ego explicui tum in Philosophia, tum in Tomis Theologicis, fusè & bene agit hîc Cardinalis Lugo disp. 4. sect. 2. ostendens minùs bene illum à nonnullis vel vt chimæricum, vel vt otiosum, imò etiam vt malum moraliter reiici: & quidem illum non esse impossibilem, meo iudicio manifestè probatum est à me in actibus aliis, qui obiectum volunt quidem de præsenti, non tamen absolutè, sed cum conditione: vt, *Dono tibi pallium, si hoc & illud, &c. feceris*: qui actus sine dubio apponit conditionem ex parte obiecti, & est omnino distinctus ab eo quo dicerem, *Dono tibi absolutè & de præsenti pallium.* Ex quo illud obiter noto contra Patrem Vasquez, minùs benè eum ad impugnandas eas volitiones conditionatas adducere instantiam ex sensibus, qui non habent actus *Viderem* sed *Video*, &c. ergo neque volumus habere potest eos actus, *Vellem*, &c. sed *Volo*, infero inquam, hanc instantiam minùs bene adduci: nam si quidquam probaret, sanè etiam impugnaret eas volitiones, *Dabo, si venerit, si feceris.* Nam visus non habet visionem obiecti sub conditione, *Video, si venerit*, aut, *Audio, si hoc vel illud euenerit*, &c. argumentũ ergo ab his ad intellectum illum & voluntatem etiam est contra ipsum Vasquez. Facilè autem ei respondetur, sensus non nisi à præsenti obiecto moueri, neque esse capaces earum reflexionum, *Si hoc aut illud euenerit*, &c. quarum sunt capaces intellectus & voluntas; multo ergo minùs in ordine ad conditiones impossibiles valebit argumentum à sensibus ad voluntatem.

Instantia à sensibus externis allata à P. Vasquez refutatur.

8

Explicatur amplius actus conditionatus efficax etiam circa obiecta impossibilia.

Secundò ex ea mea ratione infero, Si semel concedatur possibilis actus amans suum obiectum non absolutè sed dependenter ab aliqua conditione posse & debere id admitti, etiamsi conditio illa sit impossibilis, quia in ordine ad punctum, quod ea conditio non sit de præsenti, quando est actus, eadem ratio est de conditione possibili: si tamen illa hodie non existat (quæ potest esse de conditione impossibili. Quòd verò aliqui dicunt, stultum esse conari ad hoc, vt peccatum non fuerit, cum id sit impossibile; hoc inquam non multum vrget: Primò, quia iam diximus, per eum actum voluntatem non conari absolutè ad hoc, vt peccatum non fuerit, sed ita displicere sibi in eo peccato, seu ita illud nunc odio habere, vt si posset efficere ne fuisset id re ipsa præstaret. Et sanè cum omnes omnino Auctores debeant admittere, posse esse odium & detestationem de re præterita (hoc enim habet omnis dolor de malo illato) non capio, quomodo inuenerint specialem aliquam repugnantiam in hac efficacitate eiu; doloris seu detestationis quam nos ponimus: nullum enim in ea maius mysterium est, quam quòd sit adeò vehemens dolor ille, adeò appretiatiua ea detestatio, vt si homo posset efficere, ne peccatum fuisset, id præstaret; in hac autem magna appretiatione quæ quæso inuenitur repugnantia? quæ indecentia? quæ stultitia? cùm peccatum summo odio haberi mereatur, & nunquam nos tanto illud prosequemur, vt maius & maius non mereatur: Neque cogitandum est per eam detestationem hominem simul velle quòd peccatum fuerit, & eo posito efficere ne fuerit: id enim esset quasi directè velle coniungere duo contradictoria & fortasse tam malus quam bonus esset iste actus; malus, quatenus vellet vt fuerit peccatum; bonus, quia vellet vt simul non fuerit actus; ergo is non est de quo nos loquimur, etsi si alioquin physicè esset possibilis: alium elicit Pœnitentia, quo optat ipsam præteritionem physicam peccati non fuisse; non fuisse autem peccatum absolutè est in se obiectum possibile, & fuisset honestum admissa ea conditione.

Obiectio.

Dices: Nunc quando id homo vult, non est iam possibile: ergo, Respondeo concesso antecedenti, negando tamen inferri inde vel impossibilitatem vel malitiam illius actus: non impossibilitatem, quia res simpliciter possibilis, esto impossibilis per accidens, bene potest amari: non malitiam, quia res amata, vt dixi, bona est: non aliter quàm dum opto habere infinitas vires ad seruiendum Deo eumque amandum: nec per hoc volo destructionem Dei, vt Secundò alij obiiciunt volendo conditionem impossibilem, qua posita Deus desineret esse: etenim illam ipsam conditionem impossibilem appeto sub hac conditione, si sine vllo Dei detrimento esse posset. Et hæc obiter circa efficaciam eius detestationis.

Soluitur.

SECTIO III.

Quomodo ea detestatio procedat à Pœnitentia.

QVÆRIMVS, An Pœnitentia solùm imperet an etiam eliciat eã detestationem Respondeo, Si loquamur in sententia docente Pœnitentiam solùm respicere bonum relucens in compensatione vt tali probabile esse à Pœnitentia non posse elici detestationem nisi vnius tantùm speciei peccati, scilicet impœnitentiæ seu voluntatis non satisfaciendi: quia talis voluntas directè opponitur satisfactioni à Pœnitentia amatæ; aliorum verò peccatorum non posse elicere detestationem, quia illa peccata nullo modo opponerentur compensationi; quæ est vnicum obie

9

Si Pœnitentia respiceret solam compensationem, probabiliter non posset elicere detestationem vllius peccati nisi solius impœnitentiæ.

obiectum Pœnitentiæ ; imò necessariò præsupponerentur ad eam compensationem.

Obiectio.

Dices contra hanc rationem : Etiam possum agere pœnitentiam de ipso peccato impœnitentiæ,& possum velle pro illo satisfacere;& te me ad hanc satisfactionem necessariò prærequiritur peccatum ipsum impœnitentiæ ; ergo prærequisti peccata ad Pœnitentiam non impedit, quò minùs possint ab eadem Pœnitentia immediatè odio haberi.Respondeo Primò , A me non probatum alia peccata non posse odio haberi à Pœnitentia, ea præcise ratione quod ad illam debent præsupponi. Nam superiùs fuse ostendi posse aliquam virtutem detestari illud obiectum,sine cuius tamen existentia ipsa virtus non posset duos actus elicere;vsus sum ergo immediatè antè ea ratione, quòd cætera peccata non opponuntur formaliter bono compensationis , quod præcisè supponimus à Pœnitentia amari; huic autem bono opponitur per se(vt constat) voluntas non compensandi seu peccatum impœnitentiæ, ideoque potest hoc ab illa odio haberi. Secundò respondeo,Peccatum non satisfaciendi non præsupponi ad omnes actus Pœnitentiæ,sed solùm ad aliquos,scilicet ad illos,quibus pro tali peccato volo satisfacere:vnde licet ab his actibus amantibus pro ipso compensationem non posset odio haberi ea impœnitentia,poterit ab aliis,ad quos non præsupponitur,alia autem peccata necessariò præcedunt omnem actum Pœnitentiæ in hac sententia; quia nisi sit peccatum,pro quo quis satisfaciat, non potest vllos actus Pœnitentiæ exercere : vnde nullus est actus in Pœnitentia qui præcedat hæc peccata,& qui possit illa odio habere.Dixi, *Elici hinc ab ea virtute non posse oriri odium peccatorum* , quia imperatiue oprimè potest ; videns enim Pœnitentia dolorem seu odium de peccato ab altera virtute elicitum esse vtile ad satisfaciendum Deo , potest ex affectu eius satisfactionis imperare alij virtuti, vt tale odiũ eliciat. Imò ex hoc capite etiam elicitiuè posse oriri à Pœnitentia voluntatem non peccandi de cætero censent nonnulli Recentiores : quia ipsum non peccare de cetero est medium vtile ad satisfaciendum Deo;ergo immediatè potest à virtute Pœnitentiæ prodire actus,quo dicat, *Volo amplius non peccare, vt Deo satisfaciam.*

Soluitur. Primò.

Secundò.

10.

Replica. An carentia præcisa peccati sit satisfactoria;

Dices;Carentia præcisa peccati non est satisfactoria, quia neque est meritoria,neque bona: aliud enim est non peccare,aliud bene operari: licet enim non peccando nõ displiceamus Deo, non tamen ideò positiuè placemus;ergo neque per eam carentiam peccati illum placabimus; quia ad placandam eum requiritur positiua bonitas Confirmatur à simili : Nemo enim dicet esse proportionatam satisfactionem pro iniuria contra Regem commissa, eum amplius non afficere nouâ iniuriâ ; ergo ratio satisfactionis , si quæ est in non peccando,non est in ipsa carentia peccati,sed in voluntate positiua, qua talis carentia amatur,& non vtcumque,sed ex bono fine; quia in ipso actu sibi complacet Deus:& dum illi offero hunc actum,offero aliquid quo placetur:ergo immediatè ex affectu compensationis non potest amari illa carentia peccati,sed actus terminatus ad carentiam:ergo non potest elici à Pœnitentia voluntas non peccandi, sed solùm imperari.

Disparitas inter actum externum & carentiam peccati;

Si fortè obiicias,Nos superiùs admisisse,posse à Pœnitentia ex affectu compensationis immediatè amari ieiunium;orationem & alia opera externa : quæ tamen non sunt satisfactoria, nisi prout denominantur à voluntatis actu libero:ergo etiam immediatè amari poterit carentia peccati à Pœnitentia, licet non constituatur formaliter in ratione satisfactoriæ nisi ab actu libero imperante:si inquam ita obiicias,respondebitur negando consequentiam.quia ieiunium & aliæ actiones(de quibus suprà)sunt in se positiuè bonæ & vtiles ad satisfactionem ratione propriæ bonitatis : at carentia peccati non est positiuè bona,sed est carentia malitiæ,& quasi opus indifferens:quod quia per se non est vtile ad satisfaciendum, non est amabile immediatèex hoc fine.

11

An carentia pura peccati sit bona obiectiuè.

Quòd si iterùm dicas: Ipsa carentia peccati vt talis est obiectiuè bona:ideò enim velle non peccare propter bonita em in hoc repertam est actus bonus : quia ipsa carentia peccati habet bonitatem non secùs ac ieiunium & aliæ actiones externæ. Negabitur antecedens:nam iuxta dicta non peccare vt sic formaliter, præcisè est carentia actus mali, quæ longe differt ab actu positiuè bono : vnde non peccare per puram omissionem etiam liberam nõ placet Deo positiuè,ideóque nihil meretur homo per eam.Ad argumentum ergo videtur dicendum, Non posse amari carentiam peccati vt talis est formaliter propter bonitatem in ipsa repertam , quia illam habet bonitatem : posse tamen amari ex amore virtutis, cui peccatum opponitur, vel ex amore Dei,cui malum est peccatum.Et licet non offendere Deum vt sic non sit positiue bonum: velle tamen illum non offendere ex amore ipsius Dei bonum est positiuè & placens ipsi Deo : vnde confirmatur quod diximus,scilicet ipsum non offendere,non posse immediatè amari ex affectu Pœnitentiæ , quia non apprehenditur vt positiuè placant Deum : potest autem amari ipse actus no endi peccare propter Deum, aut propter alium bonum finem:quo sensu licet actus indifferens,seu obiectum indifferens immediatè non possit amari , potest tamen amari actus, quo illud obiectum indifferens propter bonum aliquem finem eligitur quia tunc electio illius obiecti indifferentis est bona à fine, licet obiectum habens se per modum medij in se sit indifferens.

Respondetur replicæ Primò

In ieiunio videtur adhuc aliqua esse difficultas,quia etiam consistit in negatione molestionis:sicut peccati carentia consistit in negatione mali moralis.Nihilominùs tamen ieiunium qua parte est meritorium,videtur considerari nõ vt pura negatio molestionis , sed vt est actio mortificatiua & causatiua doloris in homine: qua parte & illum p iuar delectatione cibi , ad quam homo inclinatur , & inde etiam oritur dolor aliquis physicus.Nihilominùs adhuc tenenda est supra posita conclusio, & dicendum, etiam ipsam peccati carentiam vt Deo placentem posse amari per Pœnitentiam.

Respondetur Secundò & absolutè.

12

Duplex est carentia peccati,negatiua,

Pro quo aduerte dupliciter posse eam carentiam accipi:Primò,vt dicit puram negationem non peccandi:quòmodo dum dormio,dum distractus sum,non pecco:vt sic autem fateor eam non esse aliquid bonum moraliter , sed puram negationem mali motalis : & vt sic non esse idem , *Non displicere Deo ac illi placere.* Hanc ergo negationem sic acceptam peccati dico nõ esse materiam aptam ad satisfaciendum Deo:& hoc probatur hucusque dictis contra opinio-

nem Recentiorum. Secundò ergo modo potest accipi ea carentia quasi positiuè, v. g. quando quis aduertit se posse liberè peccare, & tamen voluntariè se continet, & priuat delectatione in illa actione reperta, ad quam inclinabatur, hæc priuatio peccati cum his circumstantiis non solùm est negatio mali moralis, sed aliquid simpliciter honestum & potens terminare honestum actum virtutis; imò nos superiùs passim diximus, bonum relucens in carentia peccati vt tali esse obiectum Pœnitentiæ: & pro hoc facit locus Eccli. 31 *Beatus vir qui post aurum nõ abiit*, &c. *qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala, & non fecit.* Vbi omnia explicantur per carentiam peccati, priuatiuam tamen: *Post aurum non abyt.* ac si diceret: Cùm ante se videret aurum sua pulchritudine & ob hominum summam de illo æstimationem alliciens ad sui amorem, adhuc gloriosè ab illo abstinuit. Quo sensu etiam in humanis, si incitatus aliquis magno proposito præmio vt Regem vel occidat, vel infamet, liberè tamen ille id omittat, certum est non solùm non facturum Regi offensam, eo modo, quo ille qui de eo Rege nihil penitus audiuit, non facit eidem Regi vllam iniuriam: sed positiuè illi valde placiturum, & quidem iure merito: ergo similiter si quis ad peccandum vehementer tentatus liberè non peccet propter bonitatem repertam in hoc, quod est non offendere Deum, sine dubio Deo placebit per talem omissionem peccati: ergo hæc omissio poterit immediatè amari animo satisfaciendi Deo. Et in hoc sensu acquiesco doctrinæ Recentiorum suprà positæ.

Priuatiua.

Carentia peccati priuatiua est honesta.

13 *Obiectio.*

Dices adhuc: Talis omissio non est meritoria; ergo nec satisfactoria: quia eadem videtur esse de vtroque ratio. Respondeo Primò, à multis dici meritoriam: de quo alibi. Respondeo Secundò: Etiamsi non sit formaliter meritoria, nec satisfactoria, quia ad hoc forte requiritur actus positiuus, tamen in se esse Deo placentem moraliter: ex affectu autem compensationis possum immediatè amare omnia illa quæ intelligo Deo placere, ergo & istam omissionem: per ipsum autem actum, quo illam ego amo, cãm constituo proximè & formaliter satisfactoriam: ergo aptitudo ad satisfaciendum sufficit vt ametur propter hunc finem, sicut suprà dixi de actionibus externis bonis.

Soluitur. Primò. Secundò.

Vrgetur obiectio.

Vrgebis rursus Actus indifferens vt talis habet negationem mali moralis seu peccati: & tamen vt talis nec placet Deo, nec est satisfactorius: ergo similiter nec priuatio peccati. Responderet aliquis, actum indifferentem etiam includere negationem boni, ideóque nó placere Deo. Sed contrà, quia indifferens actus solùm habet priuationem boni positiui, non verò boni reperti in hoc, quod est non peccare: ergo ex hoc capite bonus erit. Melùs ergo respondetur, actum indifferentem, esto non sit peccatum, non tamen habere sibi annexam omissionem simpliciter peccati vnde quasi negatiuè non est malus, non verò priuatiuè: id quod suprà diximus requiri, vt carentia peccati sit bona: quòd si aliquis actus indifferens eligeretur à voluntate vt impeditiuus peccati, iam tunc non indifferens, sed bonus esset.

Soluitur.

Quid in nostra sententia dicendum.

Hæc dicta sint casu quo virtus Pœnitentiæ solùm respiceret bonum compensationis: nã in nostra sententia, docente eam extendi etiam ad bonum repertum tam in compensatione quàm in præcautione peccati mortalis: (eas enim duas honestates sibi esse æquiualentes suprà ostendimus:) in hac ergo nostra sententia dicendum est posse elicitiuè odium peccati ab illa prodire, non solùm ex animo compensandi Deo, iuxta immediatè dicta, sed etiam ex animo ne offendatur Deus, seu ne lædatur pax cum Deo quia in nostra sententia obiectum Pœnitentiæ est bonum relucens in carentia peccati: siue hæc prouenial ex destructione antiqui iam commissi, siue ex impeditione noui.

SECTIO IV.

Vtrùm Pœnitentia habeat aliquem actum exteriorem.

14 HAc disputatione solùm explicuimus actus interiores Pœnitentiæ, id est, qui immediatè ab ipsa eliciuntur: iam oportet declarare, an & quos habeat etiam exteriores: quod breuissimè expediemus, quia res est facilis. Duobus modis potest dici aliquis actus exterior respectu virtutis: vno modo, qui ab illa non sunt, siue sint in eadem voluntate interiori, siue etiam in intellectu: & hoc sensu omnes actus aliarum virtutum, quos imperati posse à Pœnitentia diximus tanquam vtiles ad satisfaciendum Deo, possunt dici exteriores respectu illius: quo sensu nos iam non agimus, quia de illis satis suprà. Secundo modo potest dici aliquis actus exterior propriè & in rigore, quatenus est actus exterioris potentiæ: qui propriè dicuntur exteriores: vti elargitio eleëmosynæ est actus exterior misericordiæ. & cessatio à superfluo cibo est exterior actus temperantiæ: & restitutio pallij est actus exterior iustitiæ &c hoc sensu quærimus, Vtrùm Pœnitentia habeat aliquem actum. Quæ difficultas duplex esse potest: Prima, Vtrum habeat aliquem actum exteriorem proprium, qui non spectet ad aliam virtutem. Alter sensus, Vtrùm saltem habeat communem cum ceteris.

Duobus modis dicitur aliquis actus exterior respectu virtutis

Pœnitentia nullum habet actum exteriorem propriè non communè aliis virtutibus.

Circa primum punctum dico, Pœnitentiam nullum habere: nam per se loquendo est virtus quæ consummatur interiùs præcisè enim est dolor de præterito peccato, & propositum non peccandi in futurum.

15 *Obiectio. Soluitur.*

Dices: Hoc propositum necessariò habet pro actu exteriori carentiam peccati. Respondeo, ita esse, inde tamen nihil contra nos: quia illa carentia non est propria Pœnitentiæ, sed primariò spectat ad eas virtutes contra quas immediatè sunt illæ actiones, ad temperantiam, iustitiam, quæ furtum, ebrietatem, &c. prohibent: & in tantum Pœnitentiæ eas fugere proponit, in quantum opponuntur eis virtutibus. Hinc autem respondetur ad secundum sensum quæstionis Dicimus ergo, Si Pœnitentia consideretur quatenus etiam præcauet peccata, habere pro actibus externis omnium peccatorum fugam tam exteriorum, quàm interiorum: ex quo capite complectitur obiecta omnium aliarum virtutum obligantium sub peccato: si verò consideretur quatenus est compensatio pro peccato, tunc dicimus, In rigore non habere vllum actum exteriorem propriè ad se spectantem quasi per modum finis; quia satisfactio præcisè consistit in actibus voluntatis, maximè autem in actu charitatis quem imperat, vt pote maximè proportionatum ad eam remissionem: habet etiam omnia exteriora opera quæ Deo sunt grata, vt actus orationis,

Pœnitentia habet pro obiecto omnem fugam exteriorem peccati.

Item bona opera exteriora:

orationis,religionis, misericordiæ, maximè verò ea quæ sunt dolorifera; quia sunt magis proportionata ad satisfaciendum etiam pro pœna vti ieiunia,disciplinæ, ciliciorum gestationes,& similia : & licet hæretici eas actiones dicant à Pœnitentia non debere impetrari,quia sola Fides causat peccati remissionem,non ideò quidquam curandi sunt; quia Scriptura passim commendat eas mortificationes in pœnitentibus. Error autem de sola Fide iustificante est communis ad alias materias,idéoque alibi reiectus.

16 *Ostenditur afflictiones corporis esse bonas.*

Quòd verò obiici vlteriùs posset,Contra rationem esse affligere corpus proprium,etiam reiicitur facilè ex immediatè dictis Nam Scriptura & ieiunia & alias afflictiones laudat;ergo sentit illas esse bonas ac nullo modo contrarias rationi:quomodo autem sint honestæ vidimus Tom. 5. agentes de temperantia: breuissimè dico Primò esse vtiles,quatenus corpus magis disponunt ad virtutes,& ad seruãda præcepta, maximè castitatem : Secundò habent vim ad mouendum Deum vt concedat quæ abeo petuntur:Tertiò (vt immediatè dixi)sunt satisfactoriæ maximè pro pœna debita ex peccatis : possunt ergo immediatè ori i à Pœnitentia etiam sine interuentu aliarum virtutum. In quo cæteræ etiam virtutes ferè conueniunt cum Pœnitentia:nam & castitas potest eos omnes actus exteriores ordinare ad obtinendam honestatem castitatis:& religio potest illos impetrare per modum cultus Dei, & obedientia, charitas, &c. quia possunt esse vtiles ad fines diuersarum virtutum. Hoc autem sensu pertinent hi actus magis ad obiectum materiale prosecutionis Pœnitentiæ quàm ad rationem actuum elicitorum:de quo puncto nunc disputamus.

DISPVTATIO SEXTA.

An ad iustificationem obtinendam extra Sacramentum sufficiat aliquis actus, qui non sit Charitatis.

1 NON disputo de actibus intra Sacramentum sufficientibus : de his enim inferiùs agetur,dum de Sacramento Pœnitentiæ:neque item in hac disputatione tracto, Vtrùm actus charitatis sit sufficiens, & qualis ille debeat esse : nam de hoc puncto sequentibus disputationibus agetur:solùm ergo nunc quæro,Vtrùm aliquis inferior charitate,siue ille sit per modum doloris de ipso peccato, siue per modum prosecutionis honestatis moralis, sufficiat solus ad gratiam iustificantem & mortalis remissionem obtinendam.

SECTIO I.

Quædam supponuntur.

Auctoritate hic magis quàm rationibus agendum.

PRIMVM est,totam hanc necessitatem horum potiùs actuum quàm illorum non esse desumendam ex ipsis naturis rerum, sed ex determinatione diuina. Potuit enim Deus pro suo libitu hos aut illos actus à nobis petere tam extra Sacramentum quàm etiam intra illud, vt condonaret peccatum.Vnde tota hæc difficultas auctoritate decidenda est : licet possint aliquæ congruentiæ postea adhiberi ad ostendendũ,cur Deus,hos potiùs quàm illos reipsa designauerit.

2 Secundò suppono quod dixi suprà, peccatũ posse odio haberi ob diuersas rationes:vel quia est malum Deo, vel quia contra obedientiam, vel quia contra cultum illi debitum, vel quia priuat gloriã . &c. Circa quæ rursus obserua dupliciter posse per aliquem actum odio haberi peccatum,quia est contra amicitiam Dei, aut contra ius ipsius:Primò ita, vt actus ille habeat pro motiuo Deum ipsum, cui contrarium est illud peccatum,& ex complacentia in Deo odio habeatur peccatum:vt sic autem actus ille pertinebit ad virtutem Charitatis,siue dicendus sit amor virtutis Charitatis,siue odium ab ea elicitum : quæ est dissensio de nomine. Vbi obiter

Peccatum vt est contra Deum potest dupliciter odio haberi.

An amor requiratur ad contritionem. Sensus Patris Suarez.

mouèri potest quæstio aliqua, an scilicet detestatio illa includat formaliter amorem Dei, an solùm implicitè & virtualiter.Pater Suarez hic disput. 4. sect. 2. negat vniuersaliter loquendo eum amorem requiri, esto per se loquendo necessarius sit.Dum verò negat amorem,non agit præcisè de amore distincto realiter à detestatione, sed de amore quatenus abstrahit à distincto & identificato realiter cum detestatione. Quòd amor per se requiratur, probat ex variis locis Scripturæ;in quibus dicitur sine amore non obtineri Dei amicitiam Priorem verò partem probat, quia per illam satisfit omnibus testimoniis probantibus necessitatem amoris:& est id valdè conforme suauitati diuinæ Prouidentiæ & humanæ conditioni:quia reuerà non potest homo sine magna difficultate ad plura simul aduertere, & circa illa operari,maximè in re tam graui & ardua.

3 *Reijcitur Primò.*

Ego, vt verum fatear,non capio, quomodo cohæreant duæ hæ partes doctrinæ inter se.Ratio dubitandi est,quia si detestatio,quæ non sit formalis amor, ìnò neque vllum habeat sibi adiunctum amorem,sufficit ad hominem iustificandum:quomodo ergo dicit, per se loquendo requiri amorem,quandoquidem facillimè ; frequentissimè;& per se loquendo haberi possit ea detestatio sola:& verò(vt ipse Suarez ait) contrarium est valdè difficile,& contra fragilitatem humanæ naturæ,si ea detestatio per se haberet annexam amorem, & solùm in aliquo casu extraordinario reperiri possit sine illo, locum haberet ea doctrina. At si amor non requiritur,& detestatio faciliùs habetur sola quàm cum amore:profectò non potest dici per se requiri amorem,sed potiùs oppositum, ideſt non requiri:nec proinde nec duæ illæ partes inter se cohærebunt:nec Suarez satisfacit oppositis argumentis vtriusque sententiæ, sed dum vult vtramque conciliare, vtriusque incurrit obiectiones.

Quidquid verò de hoc sit,Secundò circa hoc punctum iudico,non sufficienter ab hoc Aucto- *Secundò.*

re explicari quæstionem. Nam illud ipsum motiuum, quòd scilicet peccatum sit offensa Dei, potest dupliciter odio haberi; vel quia offensa summi boni est contra naturam rationalem, seu mala in se moraliter, & cum qui Deum offendit afficit malè moraliter; potest item considerari prout est malum ipsius Dei. Si primo modo odio habeatur, iam non pertinebit ad charitatem; ac proinde non iustificabit extra Sacramẽtum. Si verò secundo modo consideretur, videtur necessariò debere per eum actum amari Deum formaliter, quia detestari malum alicuius quà est malum eius, est amare eum formaliter non minùs, quàm optare illi bonum quà bonum illius est: quia sicut dum opto illi bonum, ideò illum amo, quia ei volo bonum; ita dum malum eiusdem odio habeo, amo illum: velle enim ab eo auferre malum non minus bonum eius est, quam ei velle positiuum bonum; imò frequenter plus id est, quia frequenter optabilior est exterminatio mali alicuius grauis, quam bonum aliquod positiuum: & id specialiter in peccato contingit, quia plus Deo displicet vnum peccatum, quam placeant è contrario multa bona opera politiæ hominis iusti, imò quam omnium in orum, si fint puræ creaturæ, simul sumptorum. Adde, cùm Deus sit formale obiectum eius actus, necessarium esse vt attingatur per illum; ac proinde necessum est illum tunc amari: ex quo capite sæpè alibi dixi, per omnem actum, quo alicui amo bonum, aut odio habeo è contrario eius malum, amari etiã ipsum subiectum. Quæ est doctrina valdè communis in Scholis, per quam lõge faciliùs explicatur, pro pacto tales actus spectent ad Charitatem. Nam si reuera Deus ipse non amatur, cùm obiectum illud amatum possit amari, aut odio haberi ob alia motiua, nemo dicere poterit, quando pertineat ad hanc virtutem, quando ad illam. Vnde tandem concludo, eam detestationem debere esse formaliter amorem & odium: odium peccati, amorem verò Dei. Neque hic aliquid dicitur contra suauem Dei Prouidentiam, aut contra conditionem naturæ humanæ, quin potiùs valdè illi conforme; quandoquidem ex natura sua non aliter potest homo odio habere malum alicuius vt tale, quàm simul amando illam personam, seu simul attingendo obiectum formale illius odij eodem indiuisibili actu. Neque propterea opponor his quæ suprà dixi, posse scilicet aliquando odium negationis alicuius reperiri, quod non sit amor vllius obiecti: vt si carentiam Dei in se odio habeam, quatenus illa mihi proponitur vt in se mala: sicuti è contrario Deus proponitur mihi vt in se bonus: hæc inquam doctrina non est his contraria, quia in præsenti non agimus de tali odio, sed de eo quo fugimus alia mala Dei.

Detestatio peccati vt spectat ad charitatem debet esse formaliter amor Dei.

Alter modus, quo potest peccatum vt est offensa Dei odio haberi.

Secundo modo potest odio haberi peccatum quatenus est Dei offensa: non quia ipse Deus ametur per illum actum, aut quia placeat mihi eius bonitas: sed quia offensa illa in se est mala moraliter: sicut suprà diximus posse amari restitutionem pallij Petro aut satisfactionem Deo, quatenus illa ipsa restitutio aut satisfactio est in se moraliter bona bonitate distincta ab ea quam habet Deus vel Petrus: etiamsi illa eadem bonitas sit respectiua ad Petrum & ad Deum, hoc est, sit bona etiam illis; sicut creatura est bona in se & bonitate distincta à Deo, licet illum respiciat. Dico ergo, Si hoc secundo modo odio habeatur peccatum, non pertinebit illud odium ad charitatem: quia pro obiecto formali non habebit Deum ipsum, sed vel bonum repertum in carentia offensæ, vel in cultu aut obedientia Dei iuxta motiuum illius odij.

Non pertinet ad charitatẽ.

Quis ex illis duobus modis sit contritio.

Quâ doctrinâ suppositâ, duæ rursus hîc mouerì quæstiones possunt: Prima de nomine: Secunda de re. Illa erit, quod ex odijs peccati dici queat contritio perfecta, an solum illud, quod habet pro motiuo Deum, an etiam aliquid aliud ex enumeratis; & quod illud sit. Contritio metaphoricè à verbo contero significat actionem, qua rem aliquam solidam in minutissimas partes aut etiam in pulueres redigimus. Contritio enim cor priùs per peccatum quasi induratum, deinde per Pœnitentiam dissoluit, iuxta illud Ioëlis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*: est enim phrasis ordinaria magnum aliquem animi dolorem per diuisionem cordis explicare; potéstque hic loquendi modus fundari in his quæ in materia de passionibus tradi solent communiter, esse scilicet proprium effectum tristitiæ annexæ dolori, cor ipsum comprimere & quasi contundere; vti è contrario dicitur dilatari per letitiam. Meritò ergo dolor de peccatis, cui tristitia annexa est, dicitur contritio, & cor eo dolore tactum dicitur contritum, iuxta illud Psalmi 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Ad eam ergo quæstionem de nomine dicimus, si iuxta hanc solam acceptionem vocis loquendum esset, omnem omnino grauem dolorem de peccatis, quodcumque sit illius motiuum, posse dici contritionem perfectam: & verò fortasse quia dolor ex horrore pœnarum, quas vehementius solemus apprehendere quam motiua alia, vehementiorem etiam tristitiam & afflictionem solet excitare, potiori iure dici deberet contritio in sensu præsenti, quam ille qui ex amore Dei oritur. Nihilominùs tamen dolor ex eo timore solùm dicitur ab omnibus attritio: quæ vox ferè significat idem quòd contritio, si ad rigorem Latinum attendamus; Theologicè autem est quid minùs perfectum. De eo ergo dolore non est quæstio hæc, quam dixi de voce, quia illum nemo vocat contritionem perfectam: est tamen, Vtrùm saltem ille dolor, qui ex alijs motiuis aliquantulùm generosioribus, vt ex religione, ex obedientia, ex offensa Dei, quatenus est contra rationem naturalem, desumitur, possit vocari contritio; an verò præcisè ille qui est ex motiuo charitatis.

Quid significet contritio.

Secunda quæstio, & maximè de re, est, An ad iustificandum extra Confessionis Sacramentum solùm sufficiat hic dolor ex Charitate, an alius ex motiuo alio; & quod illud sit. De priori quæstione, vtpote de sola voce, non esset multum curandum, nisi posset inde aliquid circa secundam de re inferri. Cùm enim omnis contritio soleat dici sufficiens ad iustificandum extra Sacramentum, consequenter, si dolor ex alio motiuo dicatur contritio, posset fortè inde deduci; ergo ille dolor sufficiet ad iustificandum; quæ quæstio esset valdè de re, vt dixi; ob hanc ergo connexionem primæ cum secunda quæstione potest illa iudicari alicuius momẽti de cætero nullius esse: vtramque simul discutiemus; vel (vt magis ad rem loquar) ex secunda de re concludemus quid sentiendum in prima. Agunt de illa Auctores ex proposito, & fusè Pater Vasquez hic quæst. 85. a. 2. Lugo disput. 5. sect. 1.

sect. 1. Suarez disput. 4. sect. 1. & alij passim. Hoc posito, sit,

SECTIO II.

An sit probabilis sententia docens motiuum inferius charitate sufficere ad iustificationem.

8 *Sensus Auctorum & Sanctorum, Patrum:*

PAter Suarez ea sect. 1. agens de motiuo iustitiæ docet se aliquando sensisse illud esse sufficiens ad veram contritionẽ quæ iustificet extra Sacramentum: quam opinionem Cardinalis Lugo tribuit Soto & aliis, quos ibi non nominat. Quod de motiuo iustitiæ dictum est, potest intelligi de motiuo obedientiæ, religionis & pœnitentiæ. Hanc sententiam P. Vasquez dicit esse erroneam; Lugo verò fuse conatur *Lugo sentit esse probabile.* ostendere, eam esse probabilem: multi enim ex recentioribus & antiquioribus Theologis eam tenent, éstque satis conformis antiquorum Patrum modo loquendi; solùm enim illi putant contritionem esse dolorem ob offensam Dei: offensa autem Dei vt offensa non pertinet *Rejicitur Primò.* ad solam Charitatem, sed etiam ad Pœnitentiã. Ego puto hanc confirmationem ex eo modo loquendi antiquiorum esse valdè infirmam ad hoc intentum: nam sensus communis eius propositionis *Detestor offensam Dei qua talem*, est, quòd obiectum formale detestationis sit Deus summè dilectus: recipere quidem absolutè potest (iuxta dicta sectione præcedenti) sensum alium, quòd scilicet offensa Dei vt talis vsurpetur, quatenus est naturæ rationali contraria; hic tamen sensus est magis abstrusus, & minùs communis. Inde quando non expicatur, semper propositio est intelligenda in priori; eò ergo quòd antiquiores Theologi & aliqui Patres ita locuti fuerint, nihil omnino sequitur ad rem nostram.

9 *Secundò.*

Secundò, vt ostendat probabilitatem eius sententiæ, adducit varia Scripturæ loca, in quibus nihil dicitur de amore Charitatis, sed solùm exigitur Pœnitentia, per quam homo à se abiiciat omnes iniquitates & peccata; vti Ezechielis 18. ferè per totum: id quod docere etiam videtur Chrysostomus Homilia 6. in Genesim & alij Patres. Ego tamen (vt verum fatear) non capio, quomodo hæc loca inducantur ad dandam probabilitatem ei sententiæ, cùm enim hic Auctor iure merito doceat, non esse probabile Pœnitentiam ex motiuo pœnarum inferni, aut è contrario ex amore beatitudinis iustificare extra Sacramentum; & his locis citatis non magis excludator in ea Pœnitentia (de qua loquitur Ezechiel) motiuum hoc pœnarum quàm alterum obedientiæ, iustitiæ, &c. insuper generalissimum motiuum sit in hoc ordine rerum hoc ex pœnis & præmio desumptum; non video inquam, quomodo ex eis locis possit illa sententia firmari potiùs quàm altera de motiuo pœnarum & beatitudinis, quàm ipse meritò iudicat improbabilem, vt dixi.

Lugo conatur ostendere, quo modo ad iustificationem possit sufficere motiuum Religionis, & nõ Spei:

Obiicit sibi ex nonnullis Auctoribus, nobilius esse motiuum Spei quàm Religionis; ergo magis illud sufficiet quam hoc. Respondet, perfectiùs hominem ad Deum conuerti per actum Religionis quam per actus Spei: quidquid interim sit de materiali perfectione maiori Spei: etenim Spes est amor concupiscentiæ, qui non tam benè hominem conuertit quàm odium peccati ex virtute Religionis. Ex hac doctrina posset forte etiam responderi ad obiectionem ex dolore ob timorem pœnarum; qui etiam est actus concupiscentiæ. Hæc tamen solutio duplici ex capite clarè reiicitur: Primò, quia tota ea inæqualitas est per accidens ad loca Scripturæ allata: in quibus non aliud requiritur, quam vt homo a se abiiciat omnes iniquitates: hoc autem (quidquid sit de ea maiori conuersione) perfectè fit per motiuum Spei, & per timorem pœnarum: ergo adhuc ea loca vel nimium vel nihil probabunt. *Rejicitur Primò.*

Secundò ea solutio non satisfacit: quia in ea minùs benè dicitur odium peccati ex virtute religionis, obedientiæ & iustitiæ non esse amorẽ concupiscentiæ: non enim minùs id habet quam spes & timor pœnarum. Etenim dum amo obedientiam, iustitiam, religionem, &c. eam bonitatem amo mihi, quia honesta est mihi: ego enim tunc sum obiectum, cui illa honestas procuratur: quia scilicet mihi est honestum, mihi est bonum reddere Deo reuerentiam & cultum, reddere Petro quæ illius sunt, &c. vti amo mihi visionem beatam, quia mihi est honestissima; ergo omnes illi actus sunt concupiscentiæ respectu personæ amatæ. Id quod etiam fatetur hic Auctor, siue dicat tunc non amari in me vllam bonitatem, sed solam meam entitatem; siue dicat etiam amari bonitatem: de quo nos alibi: hoc enim ad præsentem quæstionem de amore concupiscentiæ est per accidens omnino, quia etiam reperitur in ipso amore Spei: & in odio pœnarum ex timore inferni: ergo nulla est disparitas quoad punctum concupiscentiæ. Aliunde autem iuxta dicta nobilius est motiuum Spei, quia visio beata multò magis est mihi honesta quàm Religionis actus: & qua parte intrat Deus in obiectum illius infinitè est nobilior: ergo si non sufficit ad iustificationem extra Sacramentum Spes, multò minùs sufficiet motiuum Religionis. 10. *Secundò.*

Dices: Per Religionem ita homo amat cultum Dei, vt si necessaria esset hominis ipsius annihilatio ad eum cultum, illam vellet: hoc autem non habet actus Spei: ergo meliùs per illum actum homo exit ex se, & reuertitur ad Deum, quàm per actum Spei. Quam doctrinam extendit etiam hic Auctor ad motiuum obedientiæ & pœnitentiæ. Sed contrà, quia gratis & sine vllo fundamento illa vis tribuitur Religioni præ virtute Spei. Etenim Religio non amat cultum nisi præcisè vt honestum, & quidem non per modum substantiæ, sed per modum accidentis, seu vt honestum homini rationali, id est sibi colenti Deum: ergo repugnat, quòd illum amet magis quàm se, aut quòd velit annihilationem sui in ordine ad illum: sicut qui amat sanitatem sibi, repugnat, vt in ordine ad illam amet annihilationem sui: quia repugnat in terminis sibi amare sanitatem & simul annihilationem sui. Confirmo; Virtus obedientiæ non habet pro obiecto nisi obedientiam vt à se exhibendam: sicut castitas non amat castitatem vt ab alio seruandam, sed à se: quomodo ergo potest concipi quòd dicat, *Volo ego annihilatus exercere actum Religionis & Deum colere & seruare castitatem?* Neque est vlla virtus quæ eam annihilationem sui subiecti præferat obiecto amato, nisi sola Charitas, quæ quia non fertur in Deum vt bonum homini amanti, sed vt bonum 11 *Replica.* *Soluitur.* *Religio non amat suum obiectum per modum substantiæ, sed accidentis.*

in se; neque amat solùm obsequia à se facta, sed quidquid est per se bonum Deo, potest eo ipso amore velle citiùs annihilari quàm illum offendere.

12 *Alia replica.* Fortasse adhuc replicabis; Licet in ordine ad actum positiuum Religionis verissima sit doctrina à nobis tradita; attamen ex immediatè dictis posset responderi, Religionem posse amare annihilationem citiùs quam facere aliquid contra cultum Dei; & eodem sensu etiam castitas amabit citiùs mori, aut annihilari, quam admittere aliquid turpe. Sed contra Primò, quia eo sensu idem dicam ego de timore pœnarum, quòd scilicet citiùs homo vellet annihilari quàm peccando se reddere dignum pœna inferni, iuxta illud Christi Matthæi 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Secundò, quia neque in castitate, neque in alia virtutæ, excepta charitate, datur talis vis præferendi annihilationem subiecti ei bono amato; nam iuxta paulò ante dicta hæ virtutes pro obiecto formali *cui* habent proprium subiectum; hoc autem eo ipso magis amatur quàm forma quæ illi procuratur; ac proinde fieri nequit, vt subiecti annihilatio præferatur ei bono: & sanè ob hanc solam rationem dicit hic Auctor per spem non præferri Deum homini, quia Deus per eam amatur ipsi homini tamquam subiecto *cui*; subiectum autem cui aliquod bonum amatur; magis amatur quàm ipsum bonum; debet ergo seruari consequentia in doctrina, & dici idem in aliis virtutibus quæ etiam ipsi subiecto amant bonum honestum obedientiæ, religionis, &c. Constet ergo nullo prorsus modo esse probabilius sufficere motiuum formale religionis ad iustificationem extra Sacramentum, quàm sufficiat motiuum spei, aut timoris pœnarum. A liunde fortasse quis cum maiore specie probabilitatis posset id explicare; nam spes & timor pœnarum non videntur ex se excludere omne omnino peccatum. Si enim Deus non decreuisset hominem punire pœna inferni, nec eumdem eleuasset ad gloriam (quod vltimum naturalissimè fieri potuisset) non possent hæ virtutes remouere hominem à peccato; at religio, obedientia, pœnitentia, iustitia, necessariò & essentialiter in omni omnino casu retrahunt ab omni omnino peccato, quia in omni casu peccatum opponitur eis virtutibus; & eo ipso quod eis non opponeretur, desineret esse peccatum; magis ergo vniuersaliter reducunt ad Deum, & auertunt à peccato obedientia, religio, & iustitia, quàm spes & timor pœnarum. Ratio à priori huius doctrinæ ea est, quòd motiuum spei & timoris desumitur ex effectu peccati, quem causat moraliter vt pœnas, aut quem è contrario impedit vti gloriam. Hi autem effectus ponunt impediri manente peccato: ergò illæ virtutes non retrahunt in omni casu à peccato: at motiua obedientiæ, religionis, & iustitiæ desumuntur ex intrinsecis prædicatis peccati, quæ non possunt ab eo abesse: ac proinde in omni casu habent ea motiua vim ad retrahendum à peccato. Hæc differentia est quidem bona: non tamen videtur sufficere in præsenti: Etenim hoc saltem habet spes & timor, quòd quando existunt, impediunt omne omnino peccatum: quòd verò dum non existunt nihil efficiant, non prouenit ex earum imbecillitate, sed aliunde: ad hoc autem vt illæ sint motiuum generale contra omnia peccata sufficit, quòd quando existunt, repugnent omni peccato: vti in hac serie rerum repugnat omni peccato ille timor & ea spes. Quòd enim quando non existunt nihil impediant, mirum non est; nam & charitas ipsa hoc habet, quòd si scilicet non existit, non possit impedire peccatum.

Reijcitur.

Nulla virtus præter charitatem præfert annihilationē sui subiecti bono à se amato.

13 *Melior quæ dā quamuis insufficiēs, ratio affertur, cur religio potiùs quàm spes posset esse sufficiens ad iustificationem.*

Forte adhuc dices: Si quis inuincibiliter putet peccatum mortale non meteri pœnam æternam etiam in hoc statu rerum; non fugiet ex eò motiuo peccata. Respondeo, hanc replicam nullam esse; quia si eam pœnam ignorat, non poterit elicere detestationem peccatorum ex eo motiuo: loquimur autem, casu quo homo verè eo motiuo vti possit. In eo autem sensu eodem modo si quis inuincibiliter ignoraret omne peccatum esse contra iustitiam Dei, vel quia cum aliquibus putaret non posse intercedere talē iniustitiam inter nos & Deum, vel certe quia licet positiuè de contrario non cogitaret, non tamen ei occurreret ea ratio iniustitiæ; profectò non posset ea peccata detestari. Idem dico de religione: potest enim quis non aduertere peccatum esse contra religionem Dei, etiamsi sciat illud esse contra obedientiam; & tamen tam motiuū religionis quàm obedientiæ iudicatur ab hoc Auctore sufficienter generale; ergo & motiuum timoris erit generale, quidquid sit de ea accidentali ignorantia. 14

Contra eam sententiam obiicit prætereà sibi quòd Patres omnes videantur expresse postulare charitatem ad hoc vt peccator iustificetur: atqui ea motiua religionis & obedientiæ non pertinent ad charitatem: ergo non est probabile Pœnitentiam ex motiuis conceptam esse sufficientem. Respondet huic obiectioni nu. 9. Hæc omnia posse vtcumque explicari de dilectione non omnino rigorosè & stricte sumpta, sed prout amare dicitur idem ac velle bonum alicui: id quod per religionem præstamus respectu Dei, cui volumus cultum & honorem: sicut multi dicunt ex charitate in proximum non teneri nos ad vllum actum ortum ex speciali motiuo dilectionis in proximum, sed sufficere si illi omnia bona procuremus quæ tenemur. Confirmat hoc idem: Nam Patres generaliter loquuntur de omni omnino iustificatione & tamen constat posse sine amore Dei super omnia intra Sacramentum Pœnitentiæ fieri iustificationem: ergo. 15 *Secūdò cōcēdūtur Lugo ibid. dere, non requiri charitatem ad iustificationem.*

Vehementer miror hanc solutionem adhiberi ab hoc Auctore: cùm enim (& quidem in hoc iure merito) supponat motiuum spei non sufficere extra Sacramentum (& idem est de timore:) quomodo quæso eam instantiam adfert de dispositione intra Sacramentum? quæ si esset bona, eodem modo probaret sufficere extra Sacramentum attritionem cùm intra illud non minùs dolor ex timore pœnarum quàm ex virtute religionis obedientiæ & iustitiæ sufficiat: ergo per hanc solutionem non assignat differentiam, quam intendit inter ea motiua spei & timoris ex vna parte & religionis ac obedientiæ ex alia. Quòd si Patres; dum iustificationem dicunt sine charitate non posse consistere, æqualiter explicat de charitate impropria, quæ in attritione etiam ob timorem pœnarum potest reperiri, & hinc infert, sufficere iuxta phrasim Patrum charitatem impropriam, quæ reperitur in obedientiæ actu: profectò debuisset inferre, etiam sufficere eam charitatem quæ in actu timoris & spei reperitur: id quod sine vlla penitus probabilitate diceretur. Constet ergo solutionem illam 16 *Sed reijcitur:*

bonam

bonam non esse,ac proinde Patres solùm debere explicari de propria dilectione;quia loquuntur de iustificatione extra Sacramenta,& ea ratione qua in Lege etiam veteri contingebat. Id quod magis vrgebitur probando oppositam & communem sententiam. vnde Secundò reiicitur ea solutio huius Actori ; nam Patres adeò expressè veram dilectionem requisiuerunt , vt non sit probabile eos de minùs propria explicari commode posse.

Congruentiā pro se affert Lugo.

Ad reddendum autem eam sententiam probabilem adfert congruentiam inde sumptam, quòd valde sit difficile homini moueri ex motiuo dilectionis Dei,ac proinde si necessaria esset ea dilectio,esset supra modum difficilis iustificatio extra Sacramentum;non videtur autem credibile Deum eam non reliquisse aliquo modo suauiorē Sæpè dixi, in congruentiis non posse nos solidè firmare ; quia vel minùs certum principium assumunt , vel tale, quod potest in diuersas partes trahi. Ego dicerem è contrario, Cùm Deus homini in Lege gratiæ tantum beneficium contulerit, vt intra Sacramentum possit facilè obtinere gratiam, congruentius fuisse extra Sacramentum relinqui eam conuersionem difficilem, vt homo frequentiùs & libentiùs illud Sacramentum adiret,& ne etiam nimis diu illud differret, sperans se,si fuerit vitæ periculum, aliis viis facilè iustificandum.

Quæ reijcitur Primò.

17 *Secundò.*

Secundò , ea congruentia ideò mihi minùs placet;quia si res bene & dil gentet ponderetur, nullo prorsus modo est facilius odisse peccatum ex motiuo obedientiæ , religionis & iustitiæ , quàm ex motiuo charitatis ; imò probabilissimè quis dicet contrarium : quia faciliùs possum apprehendere bonitatem Dei ita , vt eam amem , seu vt me alliciat ad se,quàm obedientiæ , iustitiæ & religionis bonitatem. Deus enim per se supponitur ab omnibus apprehendi vt bonus , pulcher,omnipotens, æternus, sapiens, &c. qui conceptus facilè possunt excitare amorem sui. At bonitas obedientiæ & religionis est ita putè putè moralis , & in ipsis solis actibus voluntatis sita,vt difficulter , præsertim à tudioribus , apprehendatur,& verò adhuc iam apprehensa non ita facilè moueat ad amorem sui. Fateor, quia in amore obdientiæ , iustitiæ , religionis , &c. ipsa persona amans est obiectum formale , cui illa bonitas optatur(vt in superioribus dixi ;) in amore autem Dei nullo modo homo se amat ; fateor inquam ex hac parte faciliùs hominem excitari; quia tamen illud bonum morale repertum in cultu Dei est valdè à nostris sensibus alienum , & minùs aprehensibile à nobis quàm bonitas Dei, adhuc habet locum mea obiectio, quòd faciliùs fortè sit odisse peccatum , quia Deum summè bonum offendi,quàm quia contra religionis honestatem mihi bonam moraliter feci,aut certè æquè difficile;ac proinde non redditur per hoc facilior conuersio. Denique, si hæc ratio de facilitate haberet locum , certè maximè deberet probare dolorem de peccatis ob pœnas inferni, vel ob spem præmiorum sufficere ; quia hi soli duo actus videntur esse,qui sine tanta difficultate possunt fieri. Cōstet ergo nihil esse quod reddat probabilem sententiam docentem, motiuum religionis, aut vllum aliud præter charitatem,esse sufficiens ad iustificationem extra Sacramentum;per quod tamen non auderem eam sententiam dicere erroneam,quæ à multis viris doctis,vt vidimus, traditur.

Conclusio.

SECTIO III.

Solus dolor ob motiuum charitatis iustificat extra Sacramentum.

18 *Ita cum D. Thoma communiter omnes.*

QVIDQVID igitur de censura sit,contraria sententia , quam docent omnes alij Theologi , est omnino tenenda: eam tradit D. Thomas hac q.85.ar.5.& 6.vbi supponit actum Pœnitentiæ secundùm vltimum suum complementum debere procedere ab amore Dei , licet in eo ipso art.5.videatur insinuare,detestari peccatum propter malitiam propriam ipsius peccati esse actum charitatis ; est tamen intelligendus (ne verba sint sibi ipsis contraria) vt detestari peccatum propter ipsum idem sit ac detestari illud , quatenus est contra bonum infinitum Dei quem homo amat ; alioquin detestari peccatum propter malitiam præcisè quam habet , ibi sistendo, non est actus charitatis , vt sæpè diximus. Eamdem doctrinam tradidit clarissimè infrà quæst.86. art. 3. in corpore , vbi probans, vnum peccatum non remitti sine alio , hæc habet : *Si enim displiceret ei illud peccatum in quantum est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ) sequeretur , quòd de omnibus peccatis pœniteret*, &c. Id ipsum docet aliis in locis, & cum eo omnes ferè Thomistæ. In 4.verò in eam distinctionem 17. idem docent Commentatores , vt Paludanus , Bonauentura , Richardus , Caietanus , Durandus , Alensis , Petrus Sotus, Vega & alij , quos refert Suarez suprà ; ex Recentioribus verò Lugo hac disput. 5. Hurtadus disput. 2. difficultate 2. Vasquez Tannerus, & omnes communiter : neque operæ pretium est in eis citandis immorari. Huius probatio non est adeò facilis, video enim communiter suaderi ex eo loco 1. Ioannis 3. *Qui non diligit , manet in morte.* Mihi tamen valde dura videtur hæc probatio : etenim ille locus nullam facit distinctionem inter remissionem extra Sacramentum & intra Sacramentum, sed vniuersaliter omnino videtur loqui. Certum est autem, saltem intra Sacrmentum , hominem sine charitate iustificari,ergo ex eo loco nihil penitus colligipotest, maximè cùm illa sententia prolata sit à Ioanne in sua Epistola post Sacramentum Confessionis institutum : vnde puto eum non de dilectione, vt est dispositio ad remissionem peccatorum , locutum , sed voluisse dicere , illum qui odit fratrem eo ipso esse in peccato ; vt autem *Qui non diligit* intellexisse de amore implicito , qui reperitur in eo homine, qui alteri non facit quæ sibi non vult:eo enim ipso dici suo modo potest diligere alterum sicut & se. Secundò potest suaderi ex Lucæ 7. vbi Christus ait de Magdalena ; *Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur , minus diligit.* Ad quem locum multi Patres expressè requirunt charitatem pro vera Pœnitentia Augustinus autem variis in locis, vti l.b. de Vera & falsa Pœnitentia cap. 9. & 17.& Sermone 7. de Tempore , & lib. 2. Contra Cresconium c. 12. & alibi expressè docet,sine charitate numquam esse veram Pœnitentiam. Hæc tamen loca habent eamdem difficultatem, quam immediatè antè insinuaui ; nam cùm vniuersalia sint, maximè quæ ex Augustino adferuntur vti-

Vnde probatur: Ex sacra Scriptura.

19 *Sed inefficaciter.*

Secundò probatur.

tur enim ille eo verbo *numquam*, videntur planè nimium probare, scilicet, neque intra Sacramentum Pœnitentiæ posse obtineri veniam sine charitate: id quod apertè falsum est. Vrgetur autem hæc difficultas ex eo, quòd in Lege gratiæ post institutum Sacramentum Pœnitentiæ ordinariâ viâ, & quæ directè est sub præcepto in ordine ad remissionem peccatorum, est ipsum Sacramentum; nam de contritione nullum est præceptum nisi per accidens, quando non potest quis habere copiam Confessarij: cumque Sacramentum non requirat contritionẽ, seu amorem Dei, sed pro eo sufficiat attritio; profectò clarè concluditur, ordinarium modum & per se remittendi peccata in Lege gratiæ non exigere eam contritionem: quomodo ergo illæ locutiones Patrum, quæ vniuersaliter eam requirunt, 20 poterunt verificari? Si modus obtinendi veniam per confessionem esset in vno aut altero casu extraordinario; & per accidens posset fortè dici, Patres locutos de eo quod per se requiritur, & casum confessionis esse exceptionem extraordinariam à regula; quam exceptionem illi non consideraruntur: at cùm è contrario confessio sit per se requisita, vt dixi, non potest profectò intelligi per modum exceptionis à regula generali; ac proinde ea loca adhuc retinent grauem difficultatem.

probatio ẽmoda ex sacra Scriptura.

Ego quidem quoad locum Christi Domini dicerem, illum locutum tunc iuxta dispositionem eo tempore requisitam pro iustificatione: neque enim tunc adhuc erat Sacramentum confessionis institutum, multò minùs promulgatum sufficienter; ac proinde rectissimè Christus dixit; *Cui minus dimittur, minus diligit*, hoc est, Ei qui nihil diligit, nihil dimittitur, per quod tamen non dixit quid esset deinde futurum necessarium post Sacramenti Pœnitentiæ institutionem. Vnde iudico locum illum etiam probare, hoc tempore necessariam esse charitatem, si loquamur extra Sacramentum; quia hoc ablato manet idem modus requisitus pro iustificatione qui tunc erat; ergo ille locus sic explicatus optimè inducitur pro nostra sententia.

Probatur ex Sanctis Patribus, sed non efficaciter.

Secundò circa Augustinum & Patres aliquos dico, Fortassis ipsos non distinxisse quæstiones has, aut certè fuisse in ea opinione, quòd etiam requiratur contritio intra Sacramentum; vt de facto aliqui Scholastici Theologi etiam post definitionem Tridentini dicunt esse necessariam saltem per se, nisi bona fides excuset: quid ergo mirum si aliqui Patres ante eam declarationem id insinuauerint? vnde ex hoc capite loca illa Patrum non possunt induci pro nostra sententia

Circa quos tamen dici potest vlteriùs, eos locutos de iustificatione prout vniuersaliter fit abstrahendo à lege gratiæ & lege antiqua; item prout fit in Lege gratiæ generaliter tam à Catechumenis quàm à baptizatis, & in casibus, in quibus non est copia Confessarij. 21

Quartò denique, vt diligentiùs examinemus ea loca, quæ communiter adferuntur, dico aliqua ex illis non esse ad rem præsentem; vt dum Augustinus Sermone 7. de Tempore ait: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei.* Locus enim hic facilem habet explicationem; nam in eo loquitur Augustinus de certitudine; meritò autem dicitur eam à solis illis actibus causari. Nam de confessione dubitari potest; tum quia non est certum illum qui absoluit esse Sacerdotem; tum quia non est certum illum habere intentionem absoluendi: quo sensu etiam Beatus noster Pater Franciscus Borgia solebat frequenter dicere, Nihil esse præter contritionem quod animæ perfectam quietem & securitatem pariat. Nam licet etiam de ipso dolore contritionis possit dubitari, vtrùm sit supernaturalis, &c. hæc tamen dubitatio est minima quæ esse potest, & quæ in hac vita tolli non potest: præterea tota quanta ea est, includitur etiam in Sacramento Pœnitentiæ; nam & ibi dubitare possum, an habeam sufficientem attritionem. Et præterea sunt illa alia duo capita, de quibus potest dubitari, scilicet de Ordine sacerdotali, & de intentione absoluendi: nihil ergo Augustinus nec pro nobis nec contra nos ibi docuit.

Sola contritio præstat securitatem animæ.

Secundus locus ex libro 2. contra Crescon- 22
nium cap. 12. Tomo 7. etiam non vrget; quia potiùs ibi admittit mundari homines sacrificio cordis contriti, mundari eleemosynis, mundari & charitate; dum verò statim addit, *Qua si desit, omnia frustra fiunt*, iam non agit ad rem nostram: solùm enim agit de charitate in proximum & de vnione fidelium inter se: ibi enim contra Donatistas se ab Ecclesia separantes disputat, ideò immediatè addit hæc verba, quibus concludit illud caput: *Vnde meritò creduntur, qui extra Ecclesiam Baptismum receperunt, non habere Spiritum Sanctum, nisi cùm ipsi Ecclesiæ in vinculo pacis per connexionem charitatis adhæserint.* Vides hunc locum minùs bene adduci ad punctum de contritione & amore Dei super omnia.

Tertius locus est ex libro de vera & falsa Pœnitentia cap. 9. & 17. vbi ait: *Pœnitentiam certam non facit nisi amor Dei & odium peccati.* Hic tamen locus coincidit cum illo ex Sermone 7. de Tempore, de quo nos paulò ante; qui præterea non est ad quæstionem præsentem ex variis capitibus; Primò, quia in eo diuus Augustinus agit etiam de Pœnitentia intra confessionis Sacramentum; nam ponit etiam exemplum in eo qui confitetur propter vanitatem, & vt ab hominibus iudicetur deuotus: certum autem est intra Sacramentum Pœnitentiæ non esse necessarium amorem Dei. Secundò, diuus Augustinus ibi vult maximè ostendere, non debere hominem deserere peccata, eò præcisè quòd timeat deprehendi in illis, & eo animo, vt si periculum non sit, quòd sit deprehendendus, non curet peccare: Tertiò ostendit debere Pœnitentiam planè esse vniuersalem, non excipientem vllum omnino peccatum: Quartò ait non debere hominem statim post Pœnitentiam redire ad peccata: Quintò, eam non esse differendam ad finem vitæ: agitque vniuersaliter de omni Christiano in fine vitæ agente Pœnitentiam, vbi necessariò debuit supponere multos, & maiori quidem ex parte Christianos, eam agere intra Sacramentum: non potuit ergo tunc vt necessarium requirere eum amorem Dei super omnia.

Quartus locus sumitur ex lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 27. vbi ait: *Nisi desistant à peccatis suis habendo charitatem, qua non agit perperam, nihil eis prodesse potest.* Verùm hic locus nullo modo est ad rem præsentem, quia ibi de charitate in proximos agit, vult enim probare eleemosynis solis non redemi peccata, sed debere hominem deserere omnia peccata, & in melius vitam emendare, maximè autem amando 23

proximum

proximum sicut seipsum. Secundò, in eo loco vniuersaliter agit pro omni casu siue intra Sacramentum, siue extra illud, ac proinde non potest esse pro præsenti sententia: ex quibus concludo, nullo modo conuinci eam, nec quidem probabiliter eis testimoniis.

Optimè & vnicè ex Tridentino Concilio probatur.

Vnicè ergo illa est probanda ex Tridentino Sessione 14. cap. 4. vbi contritioni, quæ est charitate formata, tribuit, quòd hominem Deo reconciliet ante Sacramenti susceptionem actualem: pro quo effectu, dum expresse petit cum amorem, videtur soli illi tribuere eam vim iustificandi extra Sacramentum. Nec potest responderi, Concilium ibi nomine charitatis intellexisse ipsam gratiam habitualem, seu ipsum habitum charitatis: etenim ibi agit de dispositione ex parte hominis ad ipsam gratiam, seu ad iustificationem: habitus autem ipse gratiæ & charitatis non disponit ad se, aut ad iustificationem, cùm sit ipsa formalis iustificatio & sanctificatio: aut saltem si distinguatur à gratia, infundatur simul cum hac: ergo necessariò debuit agere non de habitu, sed de actu charitatis. Confirmatur. Primò manifestè: nam iustificationem tribuit ei contritioni, quatenus includit votum confessionis: at habitus ipse gratiæ vel charitatis non potest vllo modo dici includere votum confessionis: ea enim inclusio deberet necessariò intelligi de actu, qui potest esse formale aut virtuale propositum alicuius rei. Secundò, statim

24

Concilium condistinguit eam charitatem seu contritionem perfectam à contritione imperfecta, seu ab attritione, quæ concipitur ex timore pœnarum, &c. & de qua dicit, quòd sufficiat solùm intra Sacramentum; ergo egit de actu charitatis habente nobilius & perfectius motiuum, quàm habeat attritio; non ergo de habitu, sed de actu locutum est; & præterea ostendit omnem alium actum habentem motiuum inferius, quale est turpitudo ipsa peccati, in qua necessariò includitur motiuum irreligionis, inobedientiæ, &c. (omnia enim hæc sunt turpitudo peccati) illum inquam actum habentem tale motiuum non sufficere ad iustificandum: duo ergo eo loco clarè definit Concilium, & per actum ex motiuo charitatis obtineri iustificationem extra Sacramentum, & per alios inferioris motiui non nisi intra idem Sacramentum.

Denique Concilium ibi non agere de charitate habituali, sed de actuali, inde manifestè constat nam si nomine charitatis, qua dicit perfici contritionem, seu formari, intelligeret ipsam gratiam seu charitatem habitualem, quæ iam supponit gratiam: nihil profectò aliud tunc definiuisset, quàm quod contritio, quando est coniuncta cum gratia, est coniuncta cum gratia; hæc autem definitio vti planè est identica, ita ridicula & indigna Concilio; posseque eodem omnino modo applicari ad contritionem imperfectam, imò ad quemcumque actum naturalem, quia hic, quando est coniunctus cum gratia habituali, seu cum charitate habituali, etiam iustificat: & sanè quando attritio imperfecta iungitur cum Sacramento, iungitur cum gratia habituali, & consequenter iustificat non tamen Concilium ideò etiam intra Sacramentum vocat illam contritionem perfectam: non ergo perfectionem illius desumit ab habitu, sed à motiuo actus.

SECTIO IV.

Occurritur cuidam obiectioni; & an aliunde probari possit nostra sententia.

Dices: hic locus videtur nimis multum probare; nam supponit ibi Concilium, ipsam contritionem perfectam posse al quando esse charitate formatam, aliquando vero non: id enim manifestè denotant ea verba, *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*: demus ergo eam non esse charitate formatam, rogo, Etiine tunc dispositio sufficiens ad gratiam an non? Si non est, ergo absolutè verum erit, quòd contritio, etiamsi sit perfecta, & diuersa ab attritione, non tamen sufficiat ad iustificandum extra Sacramentum. Hoc autem planè videtur esse contra omnium sensum; nam omnes sine distinctione dicunt veram contritionem esse sufficientem ad gratiam. Quòd si ideò respondeatur, eam etiam tunc iustificare eo ipso videtur dicendum, Concilium gratis requisiuisse, eam esse formatam charitate ad hoc vt iustificet. Vrgetur hæc difficultas; nam Concilium planè videtur distinxisse contritionem ab attritione imperfecta in motiuo ipsius attritionis (vt ex verbis sequentib. constat. (Rogo, ergo, quod sit motiuum illius contritionis perfectæ, quando non est charitate seu amore Dei formata? si enim sit Deus ipse, iam videtur omnino sufficere ad iustificandum, præterquam quòd non potest intelligi facilè, quomodo Deus ipse sit motiuum intrinsecum actus, & tamen per illum non attingatur; si autem attingitur, debet attingi per amorem, seu per charitatem; ergo non poterit reperiri ea contritio nisi sit charitate formata; cuius oppositum ibi docere videtur Concilium. Quòd si propterea dicatur motiuum illius contritionis esse aliquid aliud à Deo distinctum; profectò non video quod illud sit, nisi vel timor pœnarum, vel spes gloriæ; vel quia peccatum est in se malum, quatenus est contra iustitiam, aut religionem, aut contra Deum; hoc autem totum est ipsa turpitudo peccati: iam enim diximus suprà, etiamsi peccatum odio habeatur, quatenus est offensa contra Deum, posse tamen totum hoc fieri præcisè considerando malitiam seu turpitudinem peccati, quæ consistit in illa oppositione cum Deo: hæc autem omnia motiua sunt quæ Concilium ibi assignat pro attritione imperfecta; quomodo ergo possumus saluare eam doctrinam Concilij?

25 *Obiectio ex verbis Concily Trident.*

Ideò fortasse quis diceret, duobus modis posse eam contritionem reperiri; Primò, vt vnicus sit actus, qui detestetur peccatum, & amet Deum Secundò, vt sint duo actus; vnus qui solùm amet Deum, alter qui detestetur peccatum etiam amando Deum vt motiuum eius odij. Hoc posito responderi posset, Concilium pro iustificatione requisiuisse non solùm eum actum, quo peccatum detestaretur ob Deum amatum, sed vt sint duo actus; vnus solius amoris, alter amoris & odij peccati. Hæc tamen responsio patitur eam difficultatem, quam paulò antè tetigi, quia ille vnicus actus esset perfectissima contritio; & tamen non sufficeret ad iustificandum extra Sacramentum, iuxta Concilium, esto esset verissima charitas; hoc autem est contra communem

26

ferè

ferè omnium sententiam. Deinde, si semel ille actus est charitatis, non scio quare Concilium requirat alterum actum, etiam charitatis, quo informetur.

Ideò Secundò aliquis responderet, Concilium nomine contritionis, quam dicit aliquando contingere esse charitate formatam, intellexisse non contritionem perfectam, sed quemcunque dolorem de peccatis, quem eo ipso quòd accedat actus charitatis, iam vocat contritionem perfectam. v.g. dolet quis de peccato ob timorem pœnarum, hic actus, si consideretur secundum se prout abstrahit ab eo quòd coniungatur cum alio actu amoris Dei super omnia vel ab eo quòd sit solus erit contritio abstrahens ab imperfecta, & perfecta, si consideretur vt solus, erit imperfecta; si simul cum amore, dicetur contritio, sufficiet ad iustificandum, nullum autem
27 actum haberi posse, qui, si abstrahat ab amore, sit contritio perfecta Responsio hæc ex vna parte videtur satis conformis ipsi Tridentino, quia eo cap. 4. in verbis immediate ante illa, de quibus agimus, nullum prorsus motiuum in particulari posuit pro ea contritione, sed illam omnino accepit genericè, postea verò illam videtur distinxisse in eas duas species, vnam quæ sit charitate formata, quam vocauit contritionem perfectam, alteram, quam attritionem dixit, quibus insinuauit nullum alium dolorem vocari posse contritionem, nisi illum qui est coniunctus cum charitate; ex alia verò parte, quia (vt paulò antè insinuaui) Concilium ex ipsis motiuis distinguit attritionem à contritione perfecta, vt illa verba ostendunt: *Ea verò contritio imperfecta, quæ attritio dicitur quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*, &c. manifestè insinuare videtur, contritionem perfectam, etiam illam quam charitate formatam esse contingit, habere aliud maius & nobilius motiuum alioquin solùm debuisset dicere; Eam verò attritionem, quæ est sine charitate, &c. ergo iuxta Concilium diuersitas inter duos eos actus non desumitur præcisè ex eo, quòd vnus sit coniunctus cum charitate, alter non, sed ex intrinsecis motiuis: ac proinde redit tota difficultas suprà posita, quale scilicet sit motiuum illud contritionis perfectæ; & quomodo adhuc præter hoc motiuum exigat alium actum distinctum charitatis. Hæc difficultas etsi à paucis moueatur, satis grauis videtur.

Respondendum illi est, Tridentinum dum vtitur illo verbo *contingat*, non velle significare
28 eam contingentiam physicam quam habet subiectum, vt idem numero manens iam sit album v.g. iam nigrum, iam calidum, iam frigidum; ideóque nequaquam ex hoc loco inferri, Eamdem numero contritionem posse esse iam charitate formatam, iam non formatam; ex quo capite tota ferè difficultas eius loci desumebatur. *Solutur.* Agit ergo ibi Tridentinum de contritione in genere: & sicut possumus dicere, animali contingere esse rationale: quia animal vt sic potest esse non rationale: per quod tamen non denotamus huic numero animalitati esse accidentalem rationalitatem: ita Concilium dixit contritioni vt sic contingere, quòd sit charitate formata: hoc est, contritionem vt sic aliquando contrahi per dolorem ex motiuo charitatis, ita tamen vt non sint ibi duo actus, sed vnus: eamdem verò contritionem secundùm rationem genericam aliquando contrahi ad alium dolorem qui sit ex alio motiuo inferiori. Vnde concludo, nec Concilium dixisse posse esse aliquam contritionem perfectam non formatam charitate; nec inde sequi, contritionem non differre ab attritione essentialiter in ipsis motiuis; nec denique esse necessarium vt contritio iustificans includat duos actus. Vnde infertur (quod directè hîc intendebamus) Non posse esse contritionem propriam, quæ non sit ex motiuo charitatis, ac proinde non sufficere vllum alium dolorem ex motiuis iniustitiæ, inobedientiæ aut irreligionis pro sufficienti peccati detestatione ad iustitiam extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Circa alteram partem tituli sectionis, Vtrùm aliunde possit probari nostra sententia, Cardinalis Lugo supra n. 15. eam adducit congruentiam, quod per peccatum mortale expellitur charitas vnde infert, Debuisse requiri ad eius charitatis restitutionem aliquam actum contritionis, seu charitatis; sicut enim Fides, quæ per hæresim expellitur, non restituitur nisi per aliquem actum Fidei, & spes non restituitur nisi exerceatur aliquis actus spei: ita debemus de charitate discurrere. Hæc congruentia triplici ex capite minùs mihi placet; Primò, quia si bona esset, deberet etiam probare intra Sacramentum requirendam contritionem perfectam; quia etiam tunc recuperatur charitas, quæ expulsa fuerat per peccatum mortale. Secundò, quia minùs bonam adducit instantiam: etenim esto quis amisisset spei habitum per actum desperationis, ad conuersionem tamen non requiritur in rigore vllus actus spei; si enim per attritionem ex timore pœnarum inferni, esto non eliceret actum spei positiuè, sed per Fidem crederet se posse iustificari, confiteretur tamen, verè reciperet habitum spei: ergo etiamsi per peccatum adhuc directè oppositum charitati expulisset quis charitatem; non tamen ideò necessum est ad recipiendam eamdem charitatem habitualem elicere actum charitatis. Idem est in aliis omnibus actibus aliarum virtutum; nam qui per actum directè oppositum castitati expulit habitum castitatis, non ideò ad recipiendum illum habitum debet habere actum castitatis. Posui paulò antè aduertenter instantiam in actu attritionis ex timore pœnarum intra Sacramentum, quia similitudo huius Auctoris de eis habitibus Fidei & spei videtur esse vniuersalis pro omni receptione eorum, habituum siue ea intra Sacramentum, siue extra illud contingat: alioquin ea nostra instantia non haberet nouam rationem impugnationis distinctam ab ea quam primo loco posui: si verò absolutè id volumus impugnare, possumus vti ea doctrina quam dixi alibi esse valdè probabilem, scilicet posse hominem sine vllo actu spei per solum amorem De super omnia iustificari: quo casu etiam sine vllo actu spei restitueretur habitus ipse spei: ergo instantia ab his allata non est bona. Tertiò: nam quandocumque homo iustificatur siue in Sacramento, siue extra illud, etiam recipit aliarum virtutum habitus: & tamen non exiguntur actus aliarum virtutum: ergo.

29 *Quomodo aliunde constet nostram sententiam probare Lugo.* *Sed rejicitur Primò,* *Secundò.* *Tertiò.*

Hanc obiectionem tetigit hic Autor, eique respondet negando consequentiam: quia per
30 actum dilectionis disponitur homo ad habitum charitatis, qui propter suam perfectionem continet virtualiter & eminenter aliarum virtutum perfectionem quas, secum affert: quando verò *Replica Lugo.*

exercet

exercet actum religionis aut obedientiæ, nihil exercet, in quo contineatur actus charitatis virtualiter. Hæc tamen responsio nullo modo satisfacit. Primò, quia iam destruit instantiam, quam attulerat de actu spei, quem dixit esse necessarium ad restitutionem habitus spei: etenim etiam habitus charitatis continet eminenter habitum spei non minùs quàm habitum castitatis; ergo sicut ob eam continentiam non est necessum in iustificatione intervenire actum castitatis, ad recipiendum habitum castitatis, ita non erit necessarium intervenire actum spei ad recipiendum habitum spei; cùm tamen ex hac necessitate probatum sit debere intervenire actum charitatis, sicut intervenit actus spei. Contrà Secundò, quia si habitus charitatis distinguatur à gratia (vt sentit communis sententia, quæ saltem pro hac quæstione admittenda est; neque enim veritas hæc, quòd requiratur actus contritionis extra Sacramentum, pendet ab eo puncto controverso de distinctione habitus charitatis à gratia;) profectò habitus charitatis etsi nobilior sit quàm alij habitus, non tamen eos continet eminenter propriè, quia neque illos neque eorum actus potest producere. Quòd enim ille qui diligit Deum supet omnia, teneatur data necessitate & occasione, in qua obligent præcepta aliorum actuum, eos exercere, non probat continentiam eorum in amore. Nam eo sensu etiam ipse amor charitatis continetur in actu obedientiæ; qui enim vult bonum obedientiæ quà tale, tenetur, si vrgeat præceptum amandi Deum super omnia, illum amare: & idem dici potest de quolibet virtute habente motiuum vniuersale, ratione cuius excludat omne peccatum; vti est affectus beatitudinis, timor pœnarum inferni, virtus iustitiæ, ipsa etiam Pœnitentia vt amans bonum pacis cum Deo: hæ enim omnes obligant hominem dum existunt ad habendos quoscumque ex actibus aliarum virtutum, qui sunt sub præcepto, etiam ipsum actum charitatis; ergo ex ea obligatione nulla infertur continentia aliorum habituum in habitu charitatis magis quàm huius in habitu obedientiæ, ergo non assignatur adhuc disparitas inter actum charitatis & alios actus.

Soluitur. Primò.

Secundò.

31 *Quartò rejicitur congruitia Lugo.*

Quartò denique ea congruentia absolutè reiicitur; nam homo per peccatum non opponitur directè charitati Dei magis quam obedientiæ, religioni, bono pacis cum Deo & aliis virtutibus; ac proinde non magis directè expellit habitum charitatis quàm habitum virtutum earum, quas omnes ideò expellit, quia illi pendent in suo connaturali esse à gratia, quæ per peccatum expellitur; vnde si habitus hi omnes possent naturaliter conseruari sine gratia, omnes manerent, etiam ipse habitus charitatis; si ergo non magis directè per peccatum expellitur habitus charitatis quàm alij assignati, cur quæso vt restituantur omnes hi, magis debet intervenire actus charitatis quàm ceterarum virtutum? Vides ergo congruentiam illam ex multis capitibus deficere.

Melior congruitia pro nostra sententia.

Potest ergo alia magis probabilis adferri, quòd cùm peccatum mortale sit maximum malum Dei, & ex parte ipsius hominis summa Dei iniuria & offensa, pro qua homo ipse etsi infinitos actus bonos efficeret, non posset satisfacere; ac proinde venia, quæ illi offertur, sit maximum Dei beneficium, valdè sit rationi conforme, vt sub eo onere ei illa concedatur, vt saltem efficiat homo nobilissimum actum in specie quem potest; qualis est amor Dei super omnia. Neque contra hanc congruentiam (quam etiam Lugo suprà attulit, estque communis) obest quòd intra Sacramentum Pœnitentiæ non requiratur talis amor. Etenim in Sacramento Christus voluit singularem adhuc fauorem facere pro Lege gratiæ, qui non fuit neque in Lege naturæ, neque in scripta fauorem reddendo iustificationem ob merita sua quæ in eo Sacramento includuntur; vnde ex ea ipsa rationabili obligatione, quòd homo deberet Deo offerre nobilissimum actum quem efficere potest, per auxilium gratiæ voluit Christus aliquid remittere exigendo præcisè attritionem. Fortassis etiam, quia ea maior facilitas obtinendi veniam pei attritionem, valdè compensatur ex obligatione detegendi omnia sua peccata alteri homini in Sacramento, quæ res est vtcumque difficilis. Pater Vasquez hanc conclusionem probaret, eò quòd actus contritionis sit forma sanctificans, ac proinde sufficiat pro expellendo peccato. Hæc tamen probatio & motiuum fasso principio (de quo nos alibi (& eo admisso adhuc non est adæquata; nam licet probet benè sufficere contritionem, non tamen probat alios actus ex inferioribus motiuis non sufficere saltem ex acceptatione Dei. Concludo ergo, non esse quærendam aliam probationem quàm ex Tridentino, adiuncta congruentia paulò antè explicata.

Probatio P. Vasquez reiicitur.

SECTIO V.

Magis declaratur hic actus ad iustificationem extra Sacramentum necessarius: vbi, An amor Dei super omnia imperatus ab inferiori virtute, sufficiat ad eam iustificationem.

32 *Primum attritio à charitate imperata iustificet.*

CIRCA primum supposita necessitate eius amoris quæri potest, Vtrùm ad eam iustificationem non sufficiat illud odium peccati ex alio motiuo inferiori, si solum sit; sufficiat tamen, quando imperatur reflexe per actum charitatis. Affirmant nonnulli, ea maximè moti ratione quòd putent se hoc modo explicare rectè Tridentinum, dum vbi suprà ait contritionem charitate formatam (id est, vt hi intelligunt odium peccati imperatum ab actu charitatis) sufficere extra Sacramentum ad iustificandum. In hac quæstione duo dubia inuoluuntur; vnum est, Vtrùm ille dolor ex motiuo inferiori, eo ipso quòd imperetur ab actu charitatis, dici possit contritio perfecta nécne. Hoc autem dubium ad modum loquendi spectat? in quo mihi negatiua sententia magis placet, quia contritio perfecta in ratione talis differt intrinsecè ab imperfecta contritione, seu ab attritione, ratione motiui, vt deduxi fusiùs paulò supetiùs; in casu autem quæstionis dolor ille etiamsi sit imperatus, non habet tamen diuersum motiuum ab eo, quod haberet, si non imperaretur; quia per illud imperium non mutatur vllo modo eius essentia (vt in omnibus actibus imperatis alibi docui vniuersaliter, estque omnium Doctorum sententia; si non est ergo ille dolor vera contritio. Neque si dicatur illud odium natura sua pendere ab amore, à quo imperatur quidquam inde inferetur contra nos; Primò, quia actus ille potuit

Attritio coniuncta actui charitatis nõ debet vocari contritio.

tuit etiam connaturalissimè fieri sine vllo imperio, ac proinde malè ea dependentia illi tribuetur. Secundò quia esto natura sua pendeat, non tamen propterea intrinsecè attingit motiuum eius amoris; sed pute pute per denominationem extrinsecam: id quod non sufficit ad constituendum illum propriè in ratione veræ contritionis de qua loquimur: nisi abutamur vocibus.

Secundus sensus, qui in ea quæstione inuoluitur, est, Vtrum complexum illud ex duobus his actibus (siue dicatur rigorosa contritio, siue non, quod ad vocem, vt dixi, spectat) re ipsa iustificet necne. In hoc autem sensu videtur planè ex vna parte dicendum iustificare, vti illi Recentiores docent; quia & est verus dolor de peccatis super omnia, & charitate formatus; habet ergo quidquid Tridentinum exigit. Aliunde verò contrarium videtur ab eodem Tridentino insinuari; cùm enim contritionem perfectam distinguat in motiuo ab attritione, & simul requirat illam contritionem charitate informari, videtur duos actus exigere quorum vnus ex nobiliori motiuo sit contritio, alter sit charitatis informans eam contritionem; ergo dolor ex inferiori motiuo, etiam coniunctus cum actu amoris, non sufficiet iuxta Tridentinum.

33 Pro huius difficultatis intelligentia notandi sunt varij sensus, in quibus illa potest tractari. Primus est An si quis inuincibiliter oblitus se habere vllum mortale (cùm tamen re ipsa habeat) amet Deum super omnia, iustificetur eo ipso. Secundus sensus est, Vtrùm si recordetur peccati mortalis possit amare Deum super omnia, & nullum tunc habere odium expressum de eo peccato, an verò teneatur vi eius amoris dolere. Tertius sensus, An si posset tunc amor esse sine dolore, sufficeret tamen ad iustificandum. Ex his quæstionibus pendet exacta resolutio totius difficultatis quam proponimus: nam si solus amor etiam sine dolore iustificat, profectò à fortiori iustificabit, si ei superaddatur alius actus doloris de peccato, etiamsi hic non sit summus, seu non sit ex summo motiuo; quia ea additio non tollit valorem prioris amoris, imò auget eius vires: si verò dicatur amor ille non iustificare, satis difficile erit tunc determinare, vtrùm dolor, qui ei debet addi, sit necessariò futurus ex eodem motiuo charitatis, an sufficiat ex inferiori virtute. Omnes autem hi sensus pendent à sequentibus disputationibus, in quibus declarandum est, quomodo actus charitatis Dei & contritionis ad iustificationem sufficiant: Ideóque in eis decidentur.

Vtrùm contritio ab inferiori virtute imperata iustificet.

Circa secundam partem in titulo propositam, An contritio imperata reflexè ab alio actu, qui non sit actus charitatis, sed virtutis alicuius inferioris, sit etiam sufficiens ad iustificationem extra Sacramentum, nonnulla est difficultas. Quæstionem hanc tractant Recentiores fusè, non ita Antiquiores. Supponenda autem est doctrina, quam ex diuo Thoma probaui Tomo 3, posse scilicet voluntatem proprie & in rigore imperare sibi aliquos actus, dicendo v. g. *Volo habere actum amoris Dei, Volo elicere actum eleemosynæ interiorem*, &c. Supponendum item, hæc imperia, seu reflexas has volitiones, posse esse vel omnino efficaces, quæ omnino determinent voluntatem ad habendum actum illum volitum; vel solùm inefficaces, id est tales vt eis stantibus voluntas possit adhuc omittere eum

Quomodo voluntas sibi actus imperet.

34 actum imperatum. Supponendum Tertiò, dubium esse inter Scholasticos Vtrùm illa imperia efficacia, quæ omnino determinant ad sequentes actus, tollant libertatem eorum, an verò eos relinquant adhuc liberos: quidam enim, pauci tamen hoc secundum asserunt: reliqui libertatem negant eis actibus imperatis: de quo puncto etiam egi eo loci, & docui videri omnino certum per imperium huiusmodi tolli libertatem: id quod non est amplius in præsenti discutiendum, sed iuxta principia ibi tradita discurrere debemus. Supponendum Quartò illa eadem imperia efficacia esse posse in duplici differentia; quædam quæ omnino determinet ad illud ipsum instans, in quo ipsa existunt v. g. Fac in hoc instanti actum contritionis; & de his maximè debere intelligi quod immediatè dixi, per ea scilicet tolli libertatem: alia esse quæ solùm imperant sub disiunctione, vt facias actum contritionis hoc vel sequenti instanti: de his secundis maior est difficultas, vtrùm tollant libertatem etiam in primo instanti; & videtur omnino eam non tollere: cùm enim non cogant voluntatem; vt in primo instanti actum efficiat relinquunt eam pro illo primo liberam: pro secundo verò instanti non cogit imperium illud vt durans solùm in eo primo: quia possum ego ab ipso imperio cessare, deinde in secundo instanti & consequenter ab ipso actu imperato: ergo in primo instanti tale imperium reliquit omnino liberum actum illum non solùm quoad circumstantias anticipationis, sed etiam quoad totam substantiam: & ita sentit Cardinalis Lugo, Quam sententiam fusè etiam discussi eo Tomo 3. vbi dixi esse quidem illam probabilem: probabiliùs tamen etiam tunc illum actum solùm esse liberum quoad anticipationem, non quoad substantiam: neque est animus ea de re aliquid amplius repetere, sed quæstionem præsentem de sufficientia contritionis ad iustificationem, quando imperatur ab actu alterius virtutis, decidere consequenter ad varias opiniones de libertate huiusmodi actuum imperatorum.

35 *Conclusio prima: Contritio inefficaciter imperata iustificat.*

Probatur.

Quo posito sit PRIMA CONCLVSIO: Si actus contritionis solùm proueniat ab imperio inefficaci, quod, vt diximus, non tollit libertatem, omnino sufficiet ad iustificationem, non minùs quàm si non esset imperatus: id quod consequenter etiam dico iuxta sententiam eorum qui asserunt nec per imperium efficax tolli libertatem actui imperato. Ratio est clara, quia ille actus tunc omnia retinet quæcumque haberet, si esset solus, libertatem scilicet & intrinsecam bonitatem. Neque enim adimitur vlli actui vlla perfectio, eò quòd coniungatur cum altero minùs se perfecto: imò potiùs ea crescit inde (vt ex terminis est notum:) & hinc addo, etiamsi ille actus charitatis imperaretur ab actu venialiter malo (de quo non disputo in præsenti, an sit possibile) sufficeret ad iustificandum: nam licet tunc extrinsecè aliquo modo talis amor denominaretur malus venialiter, absolutè tamen intrinsecè in se (quandoquidem maet, vt supponimus, liber) esset eiusdem valoris, ac si non imperaretur: ergo iustificaret: neque enim repugnant inter se eodem instanti duo hæc, & per vnum actum Deo venialiter displicere, & per alium a mortali iustificari, imò & per eumdem, per quem iustificatur, quasi remotè displicere non ratione ipsius actus, sed ratione alterius imperantis, qui extrinsecè tantùm denominat malum eum imperatum.

SECVN

36 *Conclusio secunda:Contritio sic imperata à virtute inferiore vt perdat libertatem nè iustificet. Probatur.*

SECVNDA CONCLVSIO:Si actus imperatus amittat suam libertatem:non erit sufficiens ad iustificandum:id quod nunc maxime intelligo de actu imperato pro determinato instanti, vbi nullo modo, neque quoad circumstantiam temporis, retinetur vlla libertas. Hæc conclusio est ferè omnium eorum qui hanc difficultatem in terminis tractant: probaturque satis efficaciter ex eo,quòd actus ille charitatis tunc temporis non maius haberet meritum ratione sui, quàm si ab homine dormiente aut omnino stulto productus esset, quandoquidem careret propria libertate.Dixi *in seipso*;nam extrinsecè denominaretur sine dubio liber,quatenus proditet ab alio actu interiori libero honesto,& ex se meritorio.At sicut hic actus imperans non sufficit,vt supponimus,ad iustificandum; ita neque actus charitatis ratione denominationis ab eo acceptæ ad id sufficiet.

Obiectio Prima.

Dices Primò:Actus amoris Dei super omnia ratione suæ propriæ entitatis habet repugnantiam cum peccato; ergo quomodocumque ponatur,siue libere siue necessariò, illud eiiciet.

Solvitur.

Respondeo distinguendo antecedens;Habet repugnantiam cum peccato actuali, admitto antecedens; vnde stante eo amore non poterit homo peccare actualiter moraliter: Habet repugnantiam ex natura sua cum habituali, nego antecedens: de quo contra Patrem Vasquez Tomo 1 fusè.

37. *Obiectio secunda:*

Dices Secundò:Saltem ex acceptatione Dei habet de facto eam repugnantiam etiam cum habituali;ergo de facto illud expellit.Confirmo Ex Sacra Scriptura nobis constat,amanti Deum super omnia condonari peccatum:quòd autem ille amor debeat esse liber non exigitur in Scriptura,neque in Conciliis,aut Patribus,quare ergo nos eam exigemus? Respondeo, A Deo acceptatum talem amorem vt moralem, liberum & meritorium exigitur enim à Deo per modum cuiusdam compensationis moralis pro culpa; quando autem homo necessariò elicit talem amorem,sicut non est in eo dignus laude,ita nec moraliter censetur compensare: sicut si quis omnino sine libertate in ebrietate,aut dormiens, ab alio quem offenderat peteret veniam, certè per illum actum nullo modo illam mereretur. Quod dicebatur in confirmatione,in sacra Scriptura, Conciliis & Patribus non requiri libertatem eius amoris,facilè negatur.Nam Scriptura & Patres loquuntur de hominibus agentibus liberè,seu operantibus moraliter in ordine ad meritum aut demeritum,laudem aut vituperium, more denique humano: vnde implicitè exclusserunt actum hunc imperatum, quem supponimus non esse liberum.

Solvitur.

38 *Obiectio tertia.*

Dices tamen Tertiò; (& sit replica contra immediatam solutionem:) Ille amor in tali casu absolutè est liber ratione actus imperantis; absolutè enim fuit in potestate hominis illum omittere,omittendo imperium illius:sicut Christo Domino fuit libera mors & meritoria,quia licet posito præcepto de illa non potuerit non mori; non enim potuit peccare: quia tamen potuit vel non acceptare præceptum,vel petere dispensationem de illo absolutè,& liberè & meritoriè mortuus est.Sed contrà,& quidem quantum ad exemplum fortè est eadem,si non maior, in eo difficultas quàm in nostro casu:ideòque illud non admitto, de quo alibi, Absolutè autem respondeo,illam libertatem remotam non esse sufficientem in amore ad iustificandum,quia per illam non constituitur amor in se liber,sed denominatiuè ab actu imperante; vnde omnes admittunt in eo casu amorem illum non habere proprium suum meritum, sed solùm meritum actus imperantis, quia solum habet libertatem illius ergo solùm poterit esse dispositio ad iustificationem denominatiuè ab actu imperante: cúmque hic(vt supponimus) non sit sufficiens, nec amor ratione illius sufficiet.

Solvitur.

Dices Quartò: (& sit etiam replica contra vltimam solutionem:) Actus imperans habet bonitatem totam actus imperati:ergo actus imperans amorem erit tam bonus quam ipse amor: ergo si amor cum libertate sufficeret, sufficeret imperium liberum amoris Respondebis forte negando antecedens,quia obiectum non refundit totam suam bonitatem in actum a quo respicitur:vnde voluntas amoris Dei non est tam bona quàm ipse amor (sicut nec amor Dei tam bonus quam Deus) ac proinde nec sufficiens ad iustificationem. Adhuc tamen in hac solutione est ea difficultas,quòd licet in aliis obiectis,quæ non producuntur à suis actibus, verum sit non deriuari totam obiecti bonitatem in actum, vt in exemplo posito de amore Dei:quia Deus non producitur per ipsius amorem:in obiectis tamen quæ producuntur à voluntate mediis ipsius actibus id non videtur verum: nam tota malitia actionis externæ,v.g.furti, reperitur, in voluntate efficaci furandi:& è contrario tota bonitas externæ elargitionis eleemosynæ reperitur in voluntate efficaci,à qua talis elargitio respicitur vt obiectum,& producitur à parte rei:ergo cum imperium voluntatis ita illum actum amoris habeat pro obiecto, vt sit causa productiua illius, habebit totam bonitatem eius amoris. Posset respondere aliquis negando consequentiam,quia amor est actio interna, elargitio verò eleemosynæ externa:voluntatem autem efficacem solùm habere omnem bonitatem aut malitiam actionis externæ,non verò internæ: Sed contrà, quia gratis hoc dicitur:nam quando actio interior non est libera,perinde est ac si esset externa. Meliùs ergo respondebitur concedendo eandem esse rationem de vtraque actione:negando tamen actionem externam communicare totam bonitatem quam habet (idem est de malitia) actioni internæ: imò ex hoc ipso exemplo respondeo clariùs:Nam voluntas occidendi non est tam nociua generi humano quàm ipsa occisio:nec voluntas mentiendi tam contraria politicæ gubernationi quàm mendacium ipsum: item non est tam proficua voluntas dandi eleëmosynam quàm ipsa eleëmosyna: ergo numquam est verum totam bonitatem refundi ab obiectis in actus,etiam in illos à quibus producuntur.Quando autem dicitur actionem externam non habere aliam bonitatem quàm internam,sermo est de bonitate meritoria,quam non communicat actio externa internæ:sed è contrario externa habet ab interna:bonitatem autem, quàm in se habet obiectum,id est, quòd sit naturæ humanæ proficuum,& malitiam,id est,contrarietatem cum eadem natura, non transfundit totam in actum,vt constat ex dictis.

Obiectio quarta: An actus imperans habeat totam bonitatem actus imperati.

39

TERTIA CONCLVSIO:Vtrùm actus amoris Dei imperatus pro indeterminato instanti,esto careat libertate quoad substantiam/vt diximus esse probabilius carere) nihilominùs tamen quia liber est saltem quoad anticipationē,

40 *Conclusio tertia.*

sit sufficiens ab iustificandum, est aliquantulò difficilius. Etenim in morte Christi Domini non videtur fuisse alia libertas quam quoad circumstantiam temporis; & tamen fuit sufficientissima ab redemptionem humani generis; ergo idem erit suo modo de actu contritionis in ordine ad iustificandum: & ita sentiunt nonnulli Recentiores. Nihilominùs probabiliùs iudico omnino non sufficere; & quidem instantia ex operibus Christi non multum vrget; Primò, quia cùm opera Christi fuerint infiniti valoris à personæ operantis dignitate, sufficiebat ad redemptionem humani generis, quod haberent vel in aliqua circumstantia laudabili libertatem, id quod in nostris operibus non sufficit: habebit quidem homo in eo casu, si anticipatè faciat illum actum amoris, meritum quod ei anticipationi respondet; illud tamen quod ipsi substantiæ amoris nullo modo, ergo cùm actus amoris non nisi ratione meriti; quod substantiæ ipsius actus respondet, sit sufficiens ad iustificationem, profectò si hoc non manet in illo actu, licet maneat aliud meritum respondens circumstantiæ, non erit sufficiens. Secundò ea instantia ex morte Christi non est bona, quia fusè ostendi Tomo 6. quo pacto Christus Dominus fuerit liber etiam quoad substantiam. Quòd ergò absolute nostra conclusio sit probabilior facile ostenditur consequenter ad dicta: Nam ille actus amoris per eam libertatem vti non extrahitur ad meritum substantiale (iuxta paulò antè dicta) sed purè purè iuxta valorem eius anticipationis; ita neque ad merendam remissionem mortalis: quia forte meritum eius anticipationis non æquiualet merito quoad substantiam vnius actus humilitatis aut castitatis; qui tamen nullo modo sunt sufficientes ad iustificandum; ergo solum illud accidentale meritum anticipationis non erit ad iustificationem sufficiens. Fateor potuisse Deum acceptare amorem, seu contritionem etiam cum hac sola libertate, imò & sine vlla prorsus factum; quia vt superiùs notaui, quòd hic vel ille actus de facto sufficiat ad iustificationem, non ex natura rei, sed ex diuina voluntate pendit; quamdiu tamen non habemus fundamentum ad dicendum eam sine libertate sufficere, nullo modo id debemus asserere.

Contritio de virtute inferiori imperata pro iustificatione indeterminato non iustificat.

Probatur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An ad iustificationem extra Sacramentum sufficiat solus amor Dei super omnia sine dolore, aut dolor sine amore.

1. DE R amorem Dei & dolorem Dei ex eodem motiuo simul sumptos hominem iustificari extra Sacramentum videtur manifestè definitum in Tridentino eo loco sæpè citato: ex quo præcedenti disputatione colligimus non sufficere alium actum habentem inferius motiuum: nunc ergo quærendum est, An duo illi actus charitatis sint ita necessarij, vt vnus sine altero non sufficiat.

SECTIO I.

Vtrùm amans Deum super omnia & peccati memor teneatur de hoc dolere.

IN præcedentis disputationis posui secundùm sensum dubij ibidem tacti: scilicet, Vtrum amans Deum & memor peccati teneatur de eo dolere; etiamsi tunc non vrgeat præceptum contritionis. Circa quod Cardinalis Lugo rem obiter tangens disput. 5. sect. 5. asserit non esse necessarium, vt qui amat Deum super omnia, etiam si recordetur se peccasse, doleat de eo peccato, seu illud detestetur, nisi vrgeat tunc necessitas contritionis. Ratio illius est, quia vi amoris Dei super omnia solùm teneor ad faciendum hîc & nunc ea quæ hîc & nunc sunt sub graui obligatione: non autem cogor vllo modo ad facienda ea quæ solùm sunt ex supererogatione, vt omnes fatentur: est que res in se certissima: ergo si ego hic & nunc ex supererogatione eliciam actum amoris Dei, licet recorder me heri peccasse, quia tamen non vrget nunc necessitas habendi vllum dolorem, non tenebor illum elicere. Eamdem sententiam ad idem argumentum tenent alij in manuscriptis. Ego tamen probabilius censeo contrarium, & quidem fateor libenter ex eo capite in argumento hoc assignato non cogi nos ad eum dolorem, quasi si illum iam non haberemus, Deum de nouo offenderemus: hoc enim sine dubio est falsum: quia si non teneor nunc ad habendum ipsum amorem, neque obligabor ad habendum dolorem de peccato, ergo dicemus illum dolorem esse necessarium, vt hic & nunc remitteretur peccatum; quia iam supponimus me non teneri hîc & nunc ad iustificationem: in hoc ergo sensu optimum est Cardinalis argumentum. Aliunde ergo probanda est nostra hæc doctrina, quia scilicet videtur moraliter impossibile eum, qui Deum super omnia diligit, & videt se ab eo ob leuem voluptatem grauiter auersum, non statim dolere de ea auersione. Vti qui filium vehementer diligit, & videt illi graue malum aliquod accidere ex naturali eo affectu, necessariò prorumpit in odium illius mali, & concipit statim voluntatem, quantum est ex se efficacem illud malum propulsandi. Id ipsum videtur efficaciter experientia demonstrari: nam si offendimus grauiter amicum, & cum posteà vehementer iterùm amare incipimus, si recordamur offensæ ei à nobis illatæ, pudorem ac dolorem continere non possumus: id autem maximè contingit, si adhuc agnoscimus eam offensam non esse extinctam. Vnde no dubitio Beatos in cælo vi amoris Dei necessitari ad detestanda peccata quæ commiserunt, licet dolorem nullum habeant: quia illius non sunt in eo statu capaces: mihi autem sufficit nunc, quòd nos habeamus necessariò detestationem peccati vi eius amoris: etenim ea

Negat Card. Lugo.

2 *Affirmatiua.*

Probatur.

3

detestatio

detestatio est sufficiens dolor pro intento nostro. Cõfirmatur. Qui amat Deum super omnia, mauult omnia perdere quam illum offendere: vbi eo ipso odio habet omnia peccata futura: ergo à fortiori ibi habebit odio illa peccata quæ præsentia sunt, & per quæ videt se grauiter Deum offendisse, & etiam nunc quasi offendere: nam licet iam nouum non committat peccatum illa tamen perseuerantia moralis non minùs Deum, vt sic dicam, grauat & offendit quam in primo instanti: ergo quodammodo non minùs cogitur homo ad detestandum illud peccatum, quàm ad non committendum aliud nouum.

Replica. Respondebis: eo ipso quòd quis amet Deum, iam non durat amplius illud peccatum, esto non sequatur vlla noua illius detestatio: ergo ratione perseuerantiæ non est cur homo cogatur ad

Soluitur. eum dolorem & detestationem. Sed contrà. Primò, quia adhuc est sub lite, vtrùm tollatur peccatum tunc per amorem, si non sequatur dolor. Secundò, quia licet in actu exercito tollatur per amorem; quia tamen vsque ad illud instans perseuerat, iudicatur ac si actu in ipso instanti intrinseco, quo efficitur amor, duraret peccatum: maximè cum cognitio omnis præuia, & quæ hunc amorem dirigit, non noscat adhuc ille esse ablatũ, quia id primò fiet per amorem posteriùs natura secuturum: ideóque in ordine ad directionem prõ amore habet se illa cognitio perinde ac si diceret durare actu illud peccatum.

4 *Replica secunda:* Respondebis Secundò, Hoc argumentum nimis multum probare, scilicet numquam posse nos amare Deum super omnia, nisi eo ipso detestemur peccata quæcumque fecimus tota vita, etiam illa prõ quibus iam est à nobis satisfactum; hoc autem videtur esse contra experiẽtiam, quia sæp- habemus tales amores sine vllo

Soluitur. dolore & detestatione; ergo. Sed contrà, quia si, dũ eũ amorem elicimus, recordamur commissorum peccatorum, valdè probabile est nos eo ipso cogi ad detestanda antiqua omnia peccata; neque video, vnde hoc dici possit esse contra experientiam, quia quando amor ille solus est, non solet esse attentio intellectus ad peccata, sed purè patè ad infinitam Dei bonitatem. Cõtra Secundò, quia consequentia illa ex peccatis nondũ condonatis ad iam dimissa non est bona; disparitas ex ipsa experientia in aliis materiis valdè probabiliter colligitur. Etenim mater extremè amans filium, si illum videat aliquid graue actu patientẽ, non potest non dolere de eo malo; eadem est in amico respectu amici, vt suprà dixi; & ex eo amore oritur in matre voluntas auferẽdi cùm primùm possit illud malum; si tamen hoc ipsum malum non apprehendatur vt præsens, sed vt præteritum, ac iam omnino sanatum; seu ablatum, non mouetur mater necessariò ad dolendum de illo. Ratio etiam a priori facilis est, quia præsentia illa mali vehementer auget apprehensionem, & natura sua hominem allicit, seu quasi cogit ad illud tollendum; id quod non habet malum, quando ita iam est præteritum, vt sit omnino ablatum. Vti homo seipsum amans, si se agnoscat de præsenti patientem magnam infamiam, naturaliter non potest continere dolorem, & determinatur quodammodo ad volendum illam tollere; si tamen eam infamiã solum noscat vt præteritam, & iam sufficienter extinctam, nequaquam ex amore sui cogitur ad dolorem & ad detestationem illius; quia id quod iam ablatum est reputatur quasi nihilum.

Hinc dico: Si homo diligens Deum super omnia aduertat se actu habituali ter graue malũ inferre Deo aut offensam, videtur necessariò cogendus ad dolendum de eo malo & ad procurandum illud auferre quantum cõmodè potest: non quia si illud nunc non auferat, offendat de nouo Deum; sed quia videt actu antiquum malum protrahi, eodem omnino modo ac si iam physicè committeretur: quid ergo mirum si ad detestationem illius necessitetur per eum amorem? est enim ea perseuerantia quædam quasi moralis productio eius peccati, ac proinde sicut vi illius amoris determinatur ad ampliùs nullum admittendum, ita ad displicendum in præsenti illúdque tollendum: quare si præter illum amorem iudicaret aliquem alium actum esse necessarium ad expellendum peccatum: illúmque haberet in sua potestate, non dubitarem quin ad illum ponendum cogeretur vi eius amoris. *Conclusio.*

6 *Replica.* Respondebis adhuc Tertiò; eodem modo aliena peccata sunt malum extrinsecum Dei sicut nostra: ergo si vi amoris Dei super omnia cogitur homo quasi physicè ad detestanda propria peccata, quia sunt mala illius, & ad dolendum de illis, eodem modo necessitabitur ad dolendum de alienis: hoc autem videtur esse planè contra experientiam, quia passim amamus Deum super omnia, & non dolemus de alienis peccatis. Sed contrà Primò, quia iuxta dicta in oppugnatione secundæ responsionis, probabilissimè possumus admittere sequelam, scilicet si homo aduertat ad peccata aliena, cogendum tunc ad ea detestanda seu ad displicentiam in illis. Contrà Secundò, quia consequentia à propriis ad aliena nulla est: vti enim amor ille solùm præfert quoad suam personam Deum omnibus rebus, hoc est solùm dicit malle se omnia amittere, quàm Deum offendere: quid autem alij homines sint facturi non curat ille actus: ita eodem modo dum aduertit se offendisse grauiter Deũ, & non prætulisse eum omnibus rebus, vti propenit se in futurum prælaturum, imò agnoscit se ad illud vsque instans illum offendere, cogitur ad dolendum de suo peccato, illúdque detestandum, licet de alieno non sit tunc solicitus. Concludo ergo vt longè probabilius, necessariò esse annexum dolorem de nondum remissis ei amori super omnia. *Soluitur.*

Hinc autem clarè infertur, Amorem Dei super omnia in eo qui recordatur suorum peccatorum sufficere ad remissionem saltem ex eo capite, quòd talis amor habet semper annexum dolorem, & quidem ex eodem motiuo charitatis: id enim probatum est hucusque; nam si vi amoris Dei sequitur dolor, profectò hic debebit esse ex eodem motiuo amoris: quia reliqua motiua vel tunc non proponuntur, vel si proponantur habent se omnino per accidens: præter amorem autem & dolorem ob Deum summè dilectum nihil aliud requiritur à Concilio: ergo. *Amor Dei super omnia in eo qui recordatur suorum peccatorum iustificat.*

SECTIO II.

Vtrùm, casu quo amor ille sit solus, sufficiat ad iustificandam.

5 Hæc est tertia difficultas ex his quas fine præcedentis disputationis tetigimus; circa quam Pater Suarez disput 9. sect. 1. solùm admittit *Sensus Patris Suarij.*

mittit amorem sufficere, quando homo non cogitat de peccato iuxta primum sensum suprà positum; rationem verò addit, quia cùm dolor de illo sit per se medium necessarium ad iustificationem, necessum est, vt quando potest commodè adhiberi, adhibeatur: atqui quando recordatur homo suorum peccatorum, facilè potest adhibere dolorem de illis; ergo debet illum adhibere. Hanc doctrinam impugnat Lugo sect. 7. quia cùm eo instanti non sit obligatio habendi iustificationem, quia nec ad ipsum amorem tenebatur homo, non est cur debeat illum adhibere; vt quando est peccatorum obliuio, non tenetur homo dolere de illis, eò quòd non aduertitur necessitas doloris ad finem Pœnitentiæ. Huic tamen argumento iam videtur respondisse tacitè Suarez; non enim probat in casu obliuionis non requiri dolorem, eò quòd non aduertatur ad illam necessitatem, sed quia tunc non potest haberi dolor: nemo enim potest dolere de peccatis, si non recordatur se ea commisisse; vnde consultò dixit Suarez, Illum dolorem adhiberi debere quando commodè potest: id quod haud dubiè potest fieri quando homo recordatur peccatorum, non potest tamen quando est obliuio; nullam ergo ex hoc capite notam inconsequentiæ in Suario video.

Impugnatur à Lugo.

8 *Melius impugnatur P. Suarez.*

Melius & clarius potest aliunde reiici eius doctrina, quia si amor ille est ex se sufficiens ad iustificandum, profectò, etiamsi dolor sit medium per se, non sequetur, quòd sine dolore non possit obtineri iustificatio; vti licet in Lege gratiæ sit per se medium necessarium ad iustificationem Sacramentum Pœnitentiæ; nihilominus quia contritio habet vim delendi peccatum, potest illud delere etiam quando homo posset commodè confiteri; (si tamen obligatio nulla sit tunc confitendi, quia non adest tempus quo obligamur ad hoc Sacramentum; (ergo cùm supponamus in eo casu, etiamsi recordetur homo peccatorum, & consequenter etiamsi possit habere dolorem de illis, non tamen ad illum teneri, quia nodum venit tempus, quo obligetur ad vtendum mediis omnibus per se necessariis pro iustificatione; verè iustificabitur per eum amorem, perinde ac si non fuisset recordatus peccati, quia iuxta dicta ex ea recordatione non oritur in homine vlla obligatio moralis habendi illum dolorem. Portasse ad hanc rationem respexit Suarez addens numero 12. Tunc solùm ex dilectione teneri nos ad habendum dolorem, quando peccata proponuntur tamquam detestanda & delenda. Quæ verba non possunt habere commodiorem sensum, quàm tunc esse necessarium dolorem simul cum amore, quando obligat præceptum doloris, seu quando peccata proponuntur vt ex obligatione detestanda; non verò quando simpliciter proponuntur vt præcisè capacia detestationis. Per quam limitationem euadit quidem vim argumenti à nobis facti; videtur tamen planè dicere idem per idem, scilicet tunc hominem ex amore teneri ad eliciendum odium peccatorum, quando est obligatio habendi illud odium, quod est idem per idem; ac proinde in hoc sensu nemo de ea veritate potest dubitare: id quod benè notauit Cardinalis Lugo eam limitationem Suarez examinans.

9 *Proponitur vnde dubitandi.*

Quidquid verò de illa sit, vt ad quæstionem reuertamur, Dolorem simul cum amore in omni casu requiri posset fortè probari, eò quòd Tridentinum sæpè citatum agens de dolore expressè dicit illum fuisse necessarium ad remissionem semper & quouis tempore; nullam autem penitus facit exceptionem de dolore in voto, sic vt agens de Sacramento Pœnitentiæ dicit quidem illud esse in Lege gratiæ necessarium, excipit tamen ipsam contritionem, quam ait esse Pœnitentiam in voto, & sufficere extra Sacramentum ad iustificationem; esto maneat obligatio confitendi deinde: ergo cùm nullum aliud ponat eius doloris votum, nullus alius actus sine eo dolore sufficiet, etiamsi amor ipse dici queat votum illius doloris. Vnde obiter reiici potest fundamentum quoddam Patris Suarez, qui ad probandum amorem solum sufficere, sic argumentatur; Licet Sacramentum Pœnitentiæ sit medium per se ordinarium pro iustificatione, nihilominùs votum illius, quod in contritione includitur, sufficit ad remissionem peccati; ergo eodem modo licèt dolor sit medium ordinarium, sufficiet amor Dei super omnia, qui est, vt diximus, quasi votum eius doloris, eumque virtualiter includit. Hoc inquam fundamentum ex dictis immediatè reiicitur clarè. Nam in his rebus requisitis ad salutem debemus semel venire ad vnum actum, qui per alterum non possit suppleri, alioquin iremus perpetuò in infinitum, hunc actum loco illius, & tertium loco secundi, quartum locum tertij, &c. perpetuò subit tuentes; ergo ex eo quòd possit Sacramentum Pœnitentiæ per contritionem suppleri, non infertur rursus, Ipsam contritionem posse per secundum actum suppleri; alioquin de illo ipso secundo actu ego ita discurrerem: Contritio potest per secundum actum suppleri, ergo & ille actus secundus per alium tertium; & sic daretur quem dixi processus in infinitum; aliunde ergo probari debet, posse eum dolorem suppleri: iam autem ostendi, potiùs ex Concilio constare contrarium, eò quòd non faciat vllam exceptionem, vti eam facit respectu Sacramenti Pœnitentiæ. Negari non potest quin hæc sententia suam habeat probabilitatem; vnde eam re ipsa nonnulli tenuerunt: communis tamen hoc tempore docet, Amorem super omnia etiam sine expresso dolore esse sufficientem ad iustificandum; & quidem si homo non recordetur actu inuincibiliter suorum peccatorum res videtur valdè certa, quia alioquin in tali homine salus esset omninò impossibilis, nam detestationem & dolorem nemo potest elicere, si nullo modo putat se commisisse peccata; non est autem vllo modo credibile Deum talem hominem reliquisse incapacem salutis: quòd si semel dicamus in eo sufficere ad iustificandum solum amorem, profectò debemus idem dicere in homine qui recordatur peccatorum, nisi aliunde tunc obligetur ad habendum dolorem; cùm enim in eo casu eum dolorem omittendo nullo modo peccet, & aliunde ponat actum illum, quem Deus pro iustificatione acceptauit, non est cur dicamus eum non iustificandum.

10 *Conclusio.*

Probatur.

11

Dices; Cùm hi actus non habeant ex natura sua vim iustificandi, sed ex libera acceptatione Dei, potuit optimè Deus statuere, vt non sufficeret amor, quando est memoria peccatorum, & consequenter quando potest facile haberi dolor; esto in casu obliuionis sufficeret, quia tunc nec moraliter potest haberi dolor. Respondeo, Extra controuersiam esse, in Dei voluntate situm fuisse tem ita disponere. Addo tamen, nos non habere

Obiectio.

Soluitur.

habere fundamentum vllum vt hanc limitationem seu exceptionem ponamus: debemus ergo absolutè amori eam vim iustificandi in omni casu tribuere, esto postea sit obligatio habendi suo tempore dolorem, de quo infrà: vti etiam est obligatio suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

11 *Probatur conclusio Secundò.*

Secundò probatur communis sententia omnibus illis locis, quibus Scriptura promittit diligentes Deum etiam à Deo diligendos nullo requisito expresso dolore: vti ad Magdalenam dixit Christus Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* nam licet illa tunc plorauerit, fleuerit, doluerit de suis peccatis, tamen Christus non tribuit remissionem dolori, sed amori, additque vniuersalem sententiam: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*: Prouerbiorum 8. *Diligenter me diligo*: Ecclesiastici 4. *Oculi Dei in diligentes se*: Ioannes tota sua prima Epistola id passim repetit: 1. Ioan. 4. inter alia autem illud habet *Qui manet in charitate in Deo manet*. Innumera sunt loca Scripturæ, quæ dilectioni tribuunt hanc vim reconciliandi hominem cum Deo: vt proinde de ea veritate dubitare non liceat: cúmque in illis nihil dicatur de necessitate doloris illi amori adiuncti, non possumus nos probabiliter illum requirere.

Obiectio

Obiicies fortè, His testimoniis nimium probari, scilicet quemcumque actum amoris Dei esse sufficientem ad iustificationem, quia & ille est vera dilectio, & (vt diximus immediatè) cùm Scriptura nihil amplius exigat quàm dilectionem, non licet nobis aliquid aliud petere vt necessarium. Consequens autem est absurdum, quia communiter omnes dicunt, & nos infra fusius id probabimus, hunc amorem iustificantem debere esse super omnia. Respondeo, Me sequenti disputatione ostensurum, vnde probetur debere hunc amorem esse super omnia: nunc ad obiectionem ex eo desumptam, quòd in locis Scripturæ non requiratur amor hic super omnia, facile respondemus, Primò, esto id ita sit, aliunde nos eam necessitatem ostensuros: vt autem præter amorem requiratur dolor, nullum adducitur testimonium, ex quo cogamur alia loca Scripturæ ea cum limitatione intelligere, ac proinde rectè nos inferre, illum dolorem non esse necessarium, sed amorem solum sufficere. Secundò respondeo, Etiam ea loca satis probabiliter exigere amorem super omnia. Suppono enim non posse absolutè dici, Deum amari à me vt amicum, ex eo quòd habeam aliquam complacentiam vel amorem simplicem in illum, quique cohæreat cum affectu illum grauiter offendẽdi: atqui amor qui non magis amat Deum quàm omnia, sed præcisè plus quam vnam vel alteram creaturam cohærere optimè potest cum voluntate eumdem Deum grauiter offendendi, ergo Scriptura, quæ amorem amitiæ maximè requirit, & amorem, qui absolutè dicatur amor, non autem præcisè secundùm quid, debet intelligi de amore Dei super omnia, etiamsi expressè eum citatis verbis non declaret.

Soluitur

12

Replica Prima.

Obiicies tamen Primò contra hanc vltimam rationem: Omnes iusti amantur a Deo tamquam amici, & tamen necessarium non est eos habere amorem Dei super omnia: dummodo enim non habeant peccatum, sed retineant gratiam quam in Baptismo obtinuerunt, aut quam per Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione recuperarunt, possunt esse amici Dei: igitur ex conceptu amoris amicitiæ non infertur: At Scriptura requirit amorem super omnia: Respondeo, Hominem, dummodò habeat gratiam, posse à Deo amari vt amicum: esto, ipse homo non solùm non habeat amorem Dei super omnia, sed neque vllum planè: vti constat in infantibus iustis non ergo argumentatus fui ex amore Dei in homines, sed ex amore hominis in Deum: de quo eis locis, quibus nos vsi sumus, Scriptura loquitur: neque item diximus, sine eo amore non posse iustitiam stare, sed illum amorem, quo remissio peccatorum obtinetur, non debere esse simplicem aliquem & imperfectum, sed veram dilectionem ad amicitiam pertinentem.

Soluitur.

Secundò tamen obiicies, & sit replica contra dicta: possum ego esse verissimus alterius amicus, eumque diligere vt amicum, esto non sim paratus ad amittendum meum honorem & omnia mea in gratiam illius: multò autem magis, etiamsi non sim paratus alios omnes offendere citiùs quàm illum; ergo pari ratione potero esse amicus Dei, licet non sim paratus omnia omnio illi postponere: vel propter illum vitam omniaque mea amittere: Respondeo, Omnem amicitiam tam humanam quàm diuinam, vt vera & honesta sit, debere esse iuxta regulas rationis ita scilicet vt amicus iniusta non petat ab amico. Cùm ergo homines, etsi amici, possint tamé sæpè iniqua petere, non possum ex verâ amicitia esse paratus ad omnia facienda quæ ille petierit, sed debebo solùm esse amicus, vt dicitur, vsque ad aras. Cùm ergo amico non tenear omnia mea dare, multò minùs alios sine causa offendere, inde fit veram in eum amicitiam me ad id non posse cogere: vt nullum faciam peccatum mortale contra Deum ratio ipsa naturalis independenter à puncto amicitiæ me obligat: quid ergo mirum, si ratione amicitiæ in Deum tenear ita illum amare, vt illum omnibus præferam: hoc est, vt malim omnia amittere quàm vllum mortale committere? Nihil autem aliud nunc dicimus requiri in eo amore super omnia ad iustificationem necessario Quòd si ipse Deus adhuc in rebus natura sua non malis peteret à nobis, vt eas in gratiam sui contemneremus, & ad id sub peccato nos obligaret; id quod haud dubiè optimo iure præstare potest, cum habeat multos titulos Creatoris, Domini, &c ob quos potest eam obligationem imponere; profectò iam eo ipso teneremur, iuxta dicta, ea omnia relinquere, etiam independenter ab amore amicitiæ. Non ergo petitur à nobis in eo amore aliquid ad quod multis aliis titulis non teneamur. Aliunde verò nisi talis sit ille amor, non excludi omne peccatum, vt diximus; ergo non erit perfecta conuersio ad Deum, nisi amor sit super omnia. Eadem veritas de sufficientia amoris ac iustificationem probari potest innumeris locis sanctorum Patrum, quos Vasquez adducit pro sua singulari sententia, quòd amor sit forma sanctificans; quibus omnibus saltem suadetur nostrum præsens intentum eum scilicet amorem, etiamsi dolor non adsit, esse de facto sufficientem dispositionem ad gratiam. Ratio verò à priori ea est: Nam ille ipse est virtualiter & eminenter dolor. Non dico quia ille determinat ad dolorem; potest enim actus inferior determinare ad superiorem; vti possum per actum attritionis imperare dolorem, imò & amorem Dei super omnia non tamen ideò attritio iustificabit. Dixi ergo, quia amor illum dolorem virtualiter & eminenter

13 *Replica secunda.*

Soluitur. Cur ad amicitiam diuinam requiratur amor super omnia, & non ad amicitiã humanam.

14

Ratiõ à priori conclusionis nostræ.

continet; tum quia ad illum determinat data occasione; tum quia totum motiuum illius doloris continet; tum quia implicitè dolet. Nam Deum amare super omnia, est amare illum supra peccatum omne; est item illum præferre omnibus non solùm pro tempore futuro & præsenti, sed etiam pro præterito; ac proinde ibi est implicite nolle peccasse, seu, si per impossibile poneretur iam in tempore præterito, nollet tunc offendere Deum: hoc autem est odio habere quod peccauerit: qui enim dicit, *Non facerem, si iam essem in illos occasionibus*; eo ipso dolet se illud tunc fecisse; ergo sufficiet ad iustificandum, etiam si fortè hîc & nunc non sequatur ex illo vllus dolor. Denique quando sequitur dolor non habet aliam perfectionem nisi quòd sit secundus amor Dei, in quo expressè Deum præfert peccatis præcedentibus; non videtur autem necessarium ponere duos amores ad iustificationem; neque ea comparatio expressa cum peccato est necessaria, vti statim dicemus de comparationibus cum aliis creaturis. Constet ergo illum amorem esse sufficientem ad iustificationem etiam sine dolore.

Confirmatur conclusio.

15 Nunc ad obiectionem ex Concilio Tridentino suprà positam dico, Ab eo non requiri ibi duos actus, quorum vnus sit dolor, alter amor, vt fusiùs suprà deduximus, sed agere ibi de dolore in genere, quem dicit aliquando contrahi ad dolorem ex motiuo charitatis, ideoque iustificare; cuius rei non aliam habuit Concilium rationem quàm quòd supposuerit amorem Dei super omnia esse ad iustificationem sufficientem: quando ergo docet, motum illum doloris fuisse semper ad remissionem peccati necessarium, agit vel de eo tempore, pro quo conuersionis occasio obligat, vel certè de dolore formali aut æquiualente, qualem diximus in amore includi; loquitur etiam naturali & ordinario modo, id est in eis hominibus, in quibus est memoria peccatorum, in quibus est impossibile (vt suprà notauimus) esse amorem Dei super omnia, & non sequi eo ipso dolores & gemitus illos, quos ibi Concilium assignat; cùm tamen extra controuersiam sit non esse necessario vllos proprios gemitus aut clamores, sed sufficere solùm interiorem dolorem: declarat ergo ibi Tridentinum magna ex parte per ipsos effectus vehementiam amoris Dei ad iustificationem sufficientis.

Obiectio solui-tur.

SECTIO III.

An dolor sit necessarius saltem necessitate præcepti.

16 EX dictis præcedent. sectione possunt varia dubia moueri, inter quæ primum est, quod in titulo sectionis posuimus. Vtrùm etiam si necessitate medij non sit necessarius dolor expressus de peccatis; quia amor super omnia sufficit, saltem necessitate præcepti requiratur, quando obligat præceptum se disponendi ad iustificationem. De hac difficultate non tractant ex proposito Auctores; videntur tamen supponere vt omnino certum, esse tunc necessarium eum dolorem, quia saltem hoc videtur Tridentinum docere; confirmarique potest ratione quo Pater Suarez probat disput. 4. sect. 3. esse necessarium per se propositum emendationis vitæ; nam vnus è præcipuis finibus Pœnitentiæ est emendatio vitæ in futurum; ad hoc autem valdè conducit expressum propositum emendationis. Hæc ratio potest ad rem nostram applicari, quia etiam videtur maximè necessarius formalis dolor de peccatis ad eam emendationem: qui enim valdè dolet se peccasse, valde etiam attendit ne in posterum iterum labatur. Denique in Scriptura semper, quando agitur de Pœnitentia peccatoris, inculcatur summè dolor de peccatis: *Scindite corda vestra* per dolorem de peccatis commissis; qui dolor maximè contristat, & quasi scindit corda. Id ipsum vox *Pœnitentia* denotat; significat enim directè & propriè dolorem seu retractationem præcedentium factorum; Pœnitentiam autem esse necessariam passim Scriptura & Patres testantur; quòd si hæc est necessaria, haud dubiè tunc maximè cùm instat tempus, in quo homo tenetur sub præcepto se disponere ad iustificationem: & ita hanc sententiam supponit Suarez disput. 9. sect. 1. vbi etiam extra casum præcepti videtur docere esse necessarium eum dolorem, si adsit memoria peccatorum. In quo puncto iam eum suprà reiecimus; attulerat autem ad initium eius sectionis multa loca, quæ eum dolorem exigunt, ex quibus potest hoc argumentum formari: Quòd hic vel ille actus ad iustificationem requiratur, solùm prouenit ex voluntate Dei; ergo cùm de ea voluntate nobis ex Scriptura, Conciliis ac Patribus constare debeat, ea autem testimonia satis clarè ostendant Deum de facto eam contritionem seu dolorem expressum requisiuisse, id nos debebimus admittere. Et verò ita ab omnibus sentiri, excepto Medina Tractatu primo de Pœnitentia, quæst. 12. art. 2. ait Suarez suprà; miror tamen quòd Vegam etiam non exceperit, quem ipse paulò inferiùs citat pro sententia docente, per solam orationem posse obtineri remissionem mortalis sine formali amore aut dolore. Si enim orationem solam dicit Vega sufficere, à fortiori dicet sufficere amorem Dei super omnia. Vt verum fatear ego valdè dubius sum in hoc puncto, nam si semel dicatur extra casum necessitatis posse iustificationem à solo amore oriri, non facilè ostendi poterit ea necessitas expressi doloris; nam licet (vt diximus supra) potuerit Christus illum requirere non solùm in casu, in quo est necessitas se disponendi ad iustificationem, sed etiam quandocumque est peccati memoria; cùm tamen non constet vllo modo de ea voluntate, & amor ex se sufficiat, cur secundum eum actum nos dicemus esse tunc sub præcepto?

Affirmat Suarez & alij. Rationes eorum.

17 *Rationes pro sententia negatiua.*

Dices: Hæc forma argumentandi non est bona; etenim contritio est ex se sufficiens ad iustificandum extra Sacramentum: & tamen si adsit copia Confessarij tenemur confiteri in casu mortis, seu quando obligat præceptum, vt disponamur ad iustificationem; ergo idem dicere possumus de amore respectu doloris, vt scilicet ille sufficiat, & tamen in casu mortis teneamur ad dolorem. Respondeo, Me non velle illam consequentiam esse omnino legitimam & necessariam: imò propterea dixi paulò antè, potuisse sine dubio rem ita à Christo institui etiam extra casum necessitatis, quando adesset memoria peccati. Nihilominùs tamen addo, debere nos habere aliquod fudamentum positiuum ad eum diuersum modum discurrendi in vno præ altero casu, nec sufficere, quòd ita potuerit à Christo institui: nam etiam potuit contrario modo. Hinc facilè ad eam instantiam respondemus, de ne-

Obiectio.

Solutio.

18

cessitate

cessitate confessionis clarissimè nobis constare ex Concilio Tridentino & Ecclesiæ traditione fundata in illis verbis, quibus Christus Apostolis concessit potestatem absoluendi à peccatis, & ea retinendi: de quo fusiùs infrà. In nostro autem casu nullum est argumentum probans dolorem illum, vt condistinctum ab amore, esse sub præcepto. Etenim loca sacræ Scripturæ, Patrum, Conciliorum loquuntur absolutè de necessitate doloris pro obtinenda iustificatione: loquuntur item generalitèr in omnibus casibus ergo vel debemus dicere, nunquam amorem solùm sine eo dolore sufficere: vel si quia amor ille est virtute & æquivalenter dolor ac pœnitentia, dicimus benè posse de illo intelligi illa loca Scripturæ: profectò id ipsum debemus dicere etiam pro casu mortis, seu pro casu in quo obligamur ad iustificationem: nam diuersa alia loca de necessitate præcepti eius doloris nulla penitus habemus, nec de vllo secundo præcepto constat.

Non tenemur vti medio salutis tali, quod potest alio medio suppleri nisi cogat positivum præceptum.

Pro quo aduerte quod docui Tomo 3. de Sacramentis in genere, licet quando vna res determinatè est necessaria tanquam medium ad salutem, eo ipso sit obligatio naturalis sub præcepto ea vtendi in casu extremæ necessitatis, quia homo tenetur non facere iacturam salutis æternæ: si tamen sit aliud medium, quo possit suppleri defectus eius primi medij, eo ipso illud primum non fore sub præcepto, nisi nouum ac distinctum positiuum de illo præceptum seu noua lex imponatur. Vnde cum eodem Suario, Lugo & aliis ostendi, Sacramentum pœnitentiæ, eo ipso quòd per contritionem etiam possit obtineri salus, non fore sub præcepto, nisi specialiter positiuè ipse Christus illud imperasset: de quo imperio positiuo dixi ibi nobis constare ex definitione Tridentini & Patrum, &c. Cùm ergo è contrario in præsenti nihil penitus adferatur, quo probetur, etiam habito iam amore, & obtenta per illum iustificatione, adhuc esse necessarium dolorem, non video vnde id possimus nos docere.

19 *Confirmatur, non esse necessarium dolorem vltra amorem Dei super omnia.*

Declaro id amplius: Nam etiamsi dicamus necessarium esse huiusmodi dolorem in casu mortis supra amorem, adhuc tamen fatendum est, habito in priori naturæ aut prius tempore amore super omnia, eo ipso sequi iustificationem, vt etiamsi in hora mortis obliget ad confessionem Sacramentalem: si tamen priùs naturâ aut tempore habeam contritionem, eo ipso sum in gratia, licet cum obligatione confitendi, ne ab illa cadam: ergo in nostro casu ante dolorem iam sum iustificatus & amicus Dei: rogo nunc, Quomodo iam ex locis suprà citatis sacræ Scripturæ inferetur necessitas habendi illum dolorem, quandoquidem in eis præcisè solùm dicitur ille dolor necessarius ad obtinendam remissionem peccatorum, quam tamen iam supponimus ante illum obtentam? Confirmo adhuc; Nam loca Scripturæ & Patrum absolutè loquuntur, nulla facta exceptione Sacramenti Pœnitentiæ; loquuntur item de dolore charitatis seu de contritione perfecta iuxta communem interpretationem; nihilominùs eo ipso quòd Sacramentum Pœnitentiæ sit sufficiens ad conferendam primam gratiam, & quis in illo per solam attritionem iustificetur, non tenetur iam adhibere eos dolores, eosque actus charitatis: quia finis ob quem hi poterant requiri, nempe iustificatio, iam supponitur tunc obtentus; ergo cùm in nostro casu iam etiam supponatur obtenta iustificatio per solum amorem Dei super omnia ante omnem dolorem, non erit necessarium tunc eum habere nec necessitate medij, quia iam est homo iustificatus, nec necessitate præcepti, quia iam ostendimus non esse vllum fundamentum pro eo præcepto.

Confirmatur Secundò.

Adhuc tamen vrgebis: Si ergo nec necessitate præcepti nec necessitate medij requiritur ille dolor, quo sensu poterunt esse vera tot loca Scripturæ, quibus dicitur toties, *Nisi egeritis Pœnitentiam, nisi scideritis corda vestra, nisi ingemueritis*, &c. *non obtinebitis veniam*; Respondeo Primò, hanc difficultatem omnibus esse communem. Constet enim sine eo dolore, imò & sine amore charitatis, per Sacramentum posse obtineri salutem: non ergo hæc nostra specialis sententia premitur ea obiectione. Respondeo Secundò; Etiamsi huiusmodi dolor non sit determinatè requisitus necessitate medij, esse tamen indeterminatè quia vel ille, vel amor, vel Sacramentum requiruntur; sufficit autem id ad eas locutiones, quibus maximè denotatur vtilitas eius doloris. Tertiò & melius respondeo, Eas locutiones debere intelligi de dolore & gemitu siue expresso, siue virtuali & æquivalente, & quia amor Dei super omnia continet (vt dixi) talem dolorem, adeò vt in mea sententia illum necessariò causet, quandocumque est attentio ad peccata, in aliorum verò ferè necessariò & ordinariè: quod vltimum sufficit pro explicatione Scripturæ, quæ per eos actus, qui sunt ordinariè coniuncti cum vera pœnitentia, illam explicat. Constet ergo valdè probabile esse, nullam omnino esse eius doloris obligationem.

Obiectio.

Solutio Primò.

Secundò.

Tertiò.

Conclusio.

SECTIO IV.

Vtrum è contrario sit necessarius amor formalis an verò solus dolor ob Deum offensum sufficiat ad iustificationem.

20 QVærimus, Vtrùm amor virtualis Dei inclusus in dolore sufficiat; sicut è contrario diximus sufficere virtualem dolorem. Patet Suarez ea disput. 4. sect. 2. supponens contritionem ad iustificationem sufficientem debere esse ex virtute charitatis; nihilominùs docet posse esse detestationem simplicem, qui non sit amor; aitque eam esse sententiam D. Thomæ in 4. disp. 14. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 2. & aliorum, qui non requirunt alium actum quàm odium peccati. Ego autem in D. Thoma nihil inuenio de hac quæstione. Cæteri Auctores etsi dicant solum odium sufficere, non tamen propterea sunt pro ea sententia, quia illud ipsum odium debet habere motiuum charitatis, id est Deum, vt dicam statim; hoc autem motiuum debet necessariò per talem actum amari. Ratione eam probat Suarez; nam si quis habeat detestationem perfectam peccati, eo ipso iustificabitur: ita enim Ezechielis 33. cap. dicitur: *Si auerterit se peccator ab iniustitia sua, vitâ viuet*, &c. item Psalmo 31. *Dixi; Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* & 2. Regum 12. solùm legitur Dauid dixisse, *peccaui Domino*; & statim subiunxit Propheta, *Dominus*

P. Suarez dicit sufficere solum dolorem.

nus quoque transtulit peccatum tuum. Tridentinum etiam Sessione 14. cap. 4. dum de contritione agit nullam facit mentionem amoris, nam quòd posteà dicat perfectam contritionem informari charitate, non oportet id intelligi de actu: sed sufficit si de infusione gratiæ & charitatis. Ratio denique ea est, quia odium mali est virtualiter amor boni oppositi: ergo sufficit detestatio peccati, quæ non sit formalis amor.

21 *Rejicitur P. Suarez.* Hanc sententiam nullo modo puto esse veram: & quidem antequam vlteriùs progrediar noto, non posse sustineri quod hîc docet Suarez circa locum Concilij exigentis contritionem informari charitate, quòd scilicet id sit de habitu charitatis; non de actu ipso intelligendum: etenim eo sensu (vt suprà cum Lugo ad aliud propositum notaui) redderetur planè ridicula ea definitio dicere enim contritionem, quando extra Sacramentum habet adiunctam infusionem gratiæ & habituum supernaturalium iustificare idem esset ac dicere, quando ob contritionem extra Sacramentum infunditur gratia, tunc infunditur gratia: hoc autem non magna sanè indigebat definitione. Secundò argumentor, quia iuxta eam explicationem vel non constaret per contritionem nos iustificari extra Sacramentum, vel certè non posset dici qualis deberet esse ea contritio. Etenim si Concilium solùm definit, aliquando contritionem informari gratia habituali, id est, aliquando, esse coniunctam cum infusione gratiæ, non sciremus inde vllo modo, quid requiratur ex parte contritionis ad hunc effectum. Deinde non posset colligi, contritionem ad iustificationem sufficere; nam contritionem, quando est infusio gratiæ, iustificare, nihil dicit, an contritio habeat vim ad iustificandum; & eodem sensu possumus dicere de attritione, attritionem si coniungatur cum gratia habituali, iustificare; imò de quocumque bono opere id dici posset. Denique Concilium expressè agit ibi de dispositione ad gratiam, non de forma ipsa sanctificante; ergo dum dicit, aliquando contingere eam contritionem extra Sacramentum informari charitate, agit de illa charitate quæ est dispositio, non de ea quæ est forma sanctificans; qualis est habitus charitatis & gratiæ: non potest ergo negari, ibi Concilium requisiuisse ad iustificationem eam contritionem esse informatam amore charitatis.

22 *Conclusio.* *Probatur.* Ostendendum autem nunc est id non posse fieri, nisi ille ipse dolor sit actus amoris, aut (quod pro me idem est) oriatur ex amore. Etenim vel ille actus ita dicit *Detestor pro Deo hoc malum, quia illius malum est*; (quo pacto videtur Suarez eum actum intelligere, licet expressè nunquam declaret, qualis ille sit & quod motiuum habeat:) vel nihil aliud dicit ille actus quàm *Detestor hanc malitiam quia mala est, vel quia est contra rationem naturalem*: si dicat primum, iam teneo intentum, quia velle à Deo auertere aliquod malum qua malum illius, formalissimè est illum amare, iuxta sæpè dicta. Vti enim procurare Petro positiuum bonum quà illius bonum, est eum amare; ita procurare illi negatiuum bonum, hoc est carentiam mali, v. g. carentiam morbi quà morbus est illius malum, est formalissimè eum amare. Si verò dicatur secundum, scilicet eum actum nihil aliud habere quàm detestari malum culpæ quà est in se malum, seu contra rationem naturalem, tunc actus ille non extraheretur à ratione imperfectæ attritionis quam dicit Concilium concipi ex turpitudine peccati; ergo vt sic ille dolor non poterit iustificare; vt ergo iustificet, debet esse formaliter amor Dei.

Confirmatur. Confirmo & explico: Vel ille actus tangit Deum, vel non; si non tangit, ergo non est magis charitatis quàm obedientiæ, quàm iustitiæ, quàm Pœnitentiæ, &c. quandoquidem malitia illa peccati, quam solùm tangit tam est odibilis vt opposita iustitiæ, obedientiæ, religioni, &c. quàm vt opposita Deo; si verò ille actus tangit Deum intrinsecè, non potest alio modo eum tangere quàm eum amando; quia non potest Deus esse motiuum nisi vt amatus: neque enim se habet vt terminus odio habitus, neque item quasi putè putè vt terminus extrinsecus ad eum modum quo actus ille, quo quis dicit, *Volo hoc pallium Petri*, tangit Petrum in obliquo, eum nec amando, nec odio habendo: eo enim sensu amor ille nec virtualiter nec implicitè esset amor Dei, & consequenter nec sufficeret vllo modo ad iustificationem: ergo necessariò debet ille esse expressus amor Dei.

23 *Obiectio.* Dices iuxta multorum sententiam: possum amare Medicinam v. g. propter sanitatem, etiamsi non tangam intrinsecè per eum actum ipsam sanitatem: ergo licet intrinsecè non amem Deum per eum actum, quo detestor mortale, poterit tamen ea detestatio esse propter Deum.

Solutio Primò. Respondeo Primò, Me in Philosophia negasse id posse fieri: nam bonitas illa vtilis non potest mouere, nisi ametur intrinsecè ipsa sanitas.

Secundò. Respondeo Secundò negando consequentiam: nam in electione mediorum præcedit saltem amor finis, ex quo oritur amor mediorum: vnde licet hic amor secundus non attingat ipsum finem intrinsecè, quatenus tamen ex natura sua & essentialiter pendet illa voluntas ab electione, dici potest amare implicitè finem. At hæc ratio cessat omnino in nostro casu: nam si dolor ille oritur ab actu amoris, iam per amorem ipsum supponeretur remissum peccatum: si autem non præsupponit amorem vllum (vt videtur omnino docere Pater Suarez) non habet vnde dicatur pertinere potiùs ad charitatem quàm ad alias virtutes, nisi intrinsecè Deum attingat.

Obiectio secunda. Fortè Secundò dices, Ideò illum actum esse charitatis, quia procedit ab habitu charitatis.

Solutio Primò. Sed contra, quia antequam dicamus illum actum pertinere ad habitum charitatis, debemus considerare, Vtrùm ex suo conceptu, seu ex suo obiecto ad eum habitum pertineat nécne: si enim ex obiecto non pertinet, tunc dicere non possumus illum oriri ab eo habitu: iam autem

Secundò. ostendi eum non pertinere: ergo Contrà Secundò, quia quòd actus ille procedat efficienter ab habitu, est planè per accidens ad rem nostram; neque enim ideò est intrinsecè melior ad hoc, vt propterea Deum moueat ad remittendum peccatum imò in casu nostri argumenti non potest ille oriri ab habitu, cùm sit dispositio ad illum, sed per auxilium extrinsecum debet necessariò produci.

24 *Obiectio tertia.* Tertiò respondebis, illam detestationem dicere hoc, *Doleo me peccasse, quia peccatum est malum Dei*: in hoc autem conceptu nihil prorsus de amore Dei dici, & tamen attingit Deum ita vt ametur implicitè: dolere enim de malo alieno quà tale est illum amare implicitè, vt paulò superiùs diximus. Sed contrà Primò, *Solutur.* quia si non præsupponor iam amasse personam illam, non videtur posse fieri vt doleam de ma-

lo

lo illius quà tali. Cur enim doleo de malo quà Dei potiùs quam de malo bruti, nisi quia Deum amo, brutum non amo? proponuntur mihi v. g. hic & nunc duo mala, primum Dei secundum Antonij; cur dolerem de primo non de secundo nisi amarem Deum, non Antonium?

Replica: Dices: Vtrumque est odibile liberè pro mea autem libertate me determinare ad vnum potiùs quam ad aliud, vti è contrario in amore debemus omnes id ipsum fateri: proponuntur enim mihi duo bona, Deus & creatura, haud dubiè possum ego sine præuio alio amore (alioquin daretur processus in infinitum) me determinare ad amorem vel Petri, vel Dei: ergo eodem modo potero me determinare ad odium huius potiùs mali quam illius, etiamsi antecedenter non amauerim potiùs Petrum quam Deum; ergo si semel conceditur actum illum esse implicitum amorem Dei, bene poterit solus esse, & sufficiet ad iustificationem. Sed contra quia licet ea doctrina habeat locum in obiectis quæ proponuntur per se amabilia, aut è contrario odibilia, non tamen in his quæ solum ratione alterius. Ratio disparitatis est clara, nam quod ratione sui est bonum, potest ratione sui primò amari nullo alio antecedenter amato; & idem dico è contrario de eo, quod est in se malum: potest enim odio haberi antequam aliud ametur; quia non propter aliud, sed propter se odio habetur. At quod est bonum præcisè ratione alterius, non potest nisi ratione alterius amari: non potest autem ratione alterius amari, nisi illud alterum ametur; ergo: & idem est è contrario de odio: quod enim odio habetur non vt in se est malum, sed vt alteri necessariò debet odio haberi, quia illud alterú amatur; quid enim mea interest hoc esse malum alteri, vt propterea ego illud odio habeam, nisi quia illud alterum bonum amo, & volo ab illo malum hoc remouere? Cum ergo in præsenti casu supponamus peccatum odio haberi non prout est in se malum, sed prout est Deo malum, non possum ego vllo modo determinari ad illud respuendum nisi quatenus benè afficior Deo; ergo vel ille ipse actus debet esse amor ipsius Dei, vel necessariò debet procedere ab amore Dei: sicut voluntas mediorum (si vera sententia negans per illam voluntatem attingi immediate ipsum finem) debet saltem præsupponere amorem eius finis, ex quo oriatur, vt & superiùs notaui.

Obiectio quarta: Forte adhuc Quartò dices, A me suprà traditum, posse nos aliquando inchoare à puro odio, vt si carentiam Dei consideremus vt in se malam, possum non amato expressè Deo illam carentiam odisse, ergo eodem modo apprehendendo peccatum vt in se malum potero illud odio habere, licet Deum non amem expressè. Sed contrà, quia in casu obiectionis apprehenditur illa carentia Dei vt in se mala, ac proinde iuxta immediatè dicta potest voluntas incipere ab odio illius. At peccatum non concipitur in nostro casu vt in se malum: hoc enim spectat ad attritionem: nam iuxta Tridentinum attritio desumitur ex turpitudine ipsa, seu ex malitia peccati in scipso: quamdiu ergo per actum illum non transeo vlteriùs amando Deum, non habeo veram & propriam contritionem. Odium autem, de quo nunc agimus, non respicit peccatum vt formam contradictorie oppositam Deo, sicut tenebræ sunt respectu lucis: ac proinde odium illius non est implicitè amor Dei, sicut odium tenebrarum est amor lucis: consideratur ergo peccatum tanquam forma positiua male afficiens Deum extinsece: sicut dolor non est negatio mei, sed forma mihi positiue contraria, & me male afficiens, autsi loqui velimus in sententia constituente peccatum omne in priuatiuo) tunc ea malitia erit priuatio non Dei, sed boni illius moralis mihi debiti: ac proinde summum inde infertur, Per illud odium peccati amari bonitatem illam, quâ peccatum priuat; de amore autem Dei nihil penitus inde inferetur: ergo hoc aliud odium, de quo nunc agimus, non poterit detestari peccatum, nisi quatenus amat Deum, contra quem illud est; vti non potest mihi displicere morbus Petri, nisi quia ipsum amo: ex quibus omnibus concluditur non posse odium peccati ad charitatem Dei pertinere, nisi simul sit formalis amor ipsius Dei.

Solvitur. 15

Solvitur. 25

Ad argumenta Patris Suarez responsum est partim suprà, dum ostendimus Concilium, eo ipso quòd dicat contritionem debere esse formatam charitate, requirere amorem: quoad loca Scripturæ etiam est virtualiter satisfactum: diximus enim odium spectans ad charitatem (quale etiam in sententia ipsius Suarez requiritur ad iustificationem extra Sacramentum: nam odium ex motiuo obedientiæ, religionis, &c. non iudicat sufficere) necessariò debere eo ipso amare Deum. Vnde licet Scriptura expressè non nominet amorem, implicite tamen illum significat. Quod denique dicebatur in ratione à priori illius sententiæ, odium mali esse amorem boni oppositi, solùm potest habere locum (vt diximus) si consideretur bonum illud, cuius malum priuat formaliter: at peccatum non est priuatio Dei, neque peccatum est carentia Dei, sed præcisè rectitudinis debitæ: respectu verò Dei illud est malum eo modo quo dolor est homini malum, non priuando hominem homine, sed malè illum afficiendo.

27 *Respondetur rationibus Patris Suarez.*

DISPVTATIO OCTAVA.

Quomodo amor Dei debeat esse super omnia.

1 SEMPER supposuimus amorem pro iustificatione necessarium debere esse super omnia: in quo autem id consistat nondum explicuimus, cùm tamen (vt ex dicendis constabit) id sit satis difficile explicatu, vt proinde iure merito hanc exigat ea difficultas disputationem, & verò neque adhuc solidè probauimus illum debere habere talem appretiationem Dei supra reliqua; quod caput est totius quæstionis.

SECTIO

SECTIO I.

In quo differat maior amor intensiuus à maiori appretiatiuo; & vnde probetur ad iustificationem requiri maximum appretiatiue.

SVBSECTIO PRIMA.

Respondetur quæstioni.

Amor est dupliciter maior, intensiuè & appretiatiuè.

PRIMA primum punctum communissima est diuisio magnitudinis amoris in appretiatiuam & intensiuam: possum enim amare intensissime aliquod obiectum, & tamen valdè parum illud appretiare, hoc est, vix illud vlli alteri præferre: possum item è contrario aliquid appretiatiuè summè amare per actum remississimum. Ratio huius à priori est, quia intensio sumitur ex multiplicatione graduum amoris; vnde si per primum gradum non præferebam obiectum illud nisi pauculis obiectis, aut fortè nulli, quantumuis deinde multiplicentur gradus similes amoris, non præferam amplius illud obiectum; ac proinde non amabo illud magis appretiatiuè quàm per primum actum. Appretiatio autem non desumitur ex multitudine graduum, sed ex modo intrinseco ipsi actui essentiali, quo respicit suum obiectum. Vnde Deus amat se per actum omni omnino intensione carentem, quia est indiuisibilis: ac proinde non per minorem intensionem amat creaturas quàm se: nihilominùs tamen per illum eumdem actum infinitè magis appretiatiuè se amat quàm creaturam. Ex qua certa doctrina ostendi Tomo 1. agens de voluntate Dei, Deum non eo solo sensu magis amare vnam creaturam quàm alteram, quatenus vni confert beneficia maiora quàm alteri (vt multi putant, non capientes quomodo, cùm idem realiter sit amor Dei circa omnes creaturas, possit tamen esse maior respectu vnius quàm alterius;) sed quia licet eo ipso, quòd amor sit in se idem respectu omnium obiectorum, non possit esse maior entitatiuè seu intensiuè respectu vnius quàm respectu alterius: quia si est vna indiuisibilis (vt sic dicam) pars respectu omnium, non potest maior esse, seu non possunt plures esse respectu vnius quàm respectu alterius; per hoc tamen nullo modo infertur, Illam eamdem indiuisibilem entitatem amoris non posse dicere, *Præfero hoc illi*, seu, *Mihi plus placet hoc quàm illud*, seu, *Malo hoc amittere quàm illud*, &c. Hoc ergo supposito, quærimus in hac sectione, vnde probetur amorem ad contritionem sufficientem esse debere appretiatiuè maiorem quàm omnium creaturarum.

2

Cur adcontritionem requiratur amor summus appretiatiuè. Ratio Patris Suarez & Lugo: Reiicitur.

Pater Suarez id probat disput. 3. sect. 9 & cum eo Lugo ex illis Christi Domini verbis Matthæi 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Hic locus mihi non videtur efficax; quia certissimum est sine eo amore super omnia posse hominem saluari, saltem ratione Sacramenti. Deinde illa sententia Christi est generalis ad omnes, homines, tam qui non peccauerunt, quàm qui peccauerunt. At nos in præsenti non agimus si de amore necessario ad exeundum è peccato. Vnde si quis per attritionem aut ex desiderio æternæ salutis non peccaret, is esset Deo dignus, esto non haberet amorem super omnia, de quo nunc disputamus; ergo ibi Christus non eum petit actum positiuum amoris, sed ne sit è contrario actus positiuus amoris, quod Christus alicui obiecto creato postponatur.

3

Alia probationes minùs efficaces.

Adducuntur etiam ea loca, quibus iubemur Deum diligere ex toto corde, & ex omnibus viribus, &c. Verùm neque hæc mihi omnino videntur ad rem; nam in eis non tam requiritur hic positiuus amor, quàm ne è contrario vllum obiectum, quodcumque illud sit, præferatur Deo. Ac denique licet concederemus ibi esse sermonem de præcepto positiui amoris Dei, non tamen id esset proprie ad rem nostram; quia illud præceptum affirmatiuum solùm obligat aliquando (& quidem etiam iustos;) per hoc tamen non constat Deum illum requisiuisse pro remissione peccati: vti enim illum non requirit intra Sacramentum, potuit non requirere etiam extra: nec tamen per hoc fuisset quidquam detractum de eo præcepto Decalogi; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Deut. 6.

Probatur melius Primò.

Disputatione præcedenti sectione 2. tractans, Vtrùm solus amor Dei sine expresso dolore sufficiat ad iustificationem, dixi, quo pacto illa loca, quibus promittitur iustificatio, possint intelligi de amore Dei, non quocùmque, sed de efficaci, & qui verè pertineat ad amicitiam; vbi simul ostendi, quare talis debeat esse super omnia, & cur amicitia in homines non petat eos amari super omnia, amicitia verò in Deum id petat saltem habitualiter; id ergo quòd habitualiter petit amicitia Dei, videntur ea loca requirere actualiter, vt homo exeat ex peccato: hoc est; Omnis iustus debet esse paratus, vt si occurrat occasio vel Deum graniter offendendi, vel amittendi omnia alia, velit citiùs hæc perdere quàm Deum offendere: ad hunc actum efficiendum non tenetur, si iam sit iustus, nisi data occasione, qua vnum ex illis duobus obiectis deberet eligere; hoc ergo, ad quod habitualiter iustus debet esse paratus, iure merito Deus exigit à peccatore, qui veniam obtinere vult: exigit inquam, vt per positiuum & explicitum actum Deum super omnia amet; & hoc sensu dicimus intelligenda ea loca, quibus dicuntur homines per pœnitentiam & amorem fuisse iustificati.

4

Probatur Secundò.

Quòd si tamen ex eis non iudicetur adhuc sufficienter probari hanc communem conclusionem, dico illam valdè clarè colligi ex Concilio Tridentino: nam eo loci, vbi de dolore & amore agit, supponit illum debere esse talem, qui excludat omnia peccata, & contineat seriam emendationem vitæ ex integro in futurum: hoc autem non potest habere amor ille, nisi Deum diligat super omnia, id est, ita illum diligat, vt ob amorem ipsius omnia velit vitare peccata, citiùsque alia mala admittere, & bona omnia negligere, quàm ipsum offendere; hoc autem est forma issimè amare Deum super omnia.

Obiicitur.

Fortè dices: Attritio est sufficiens dolor iuxta Tridentinum ad corrigendam in futurum vitam; & tamen non detestatur peccatum super omnia, hoc est supra ipsas pœnas inferni; quia iuxta illud certum principium, id quod ad odium aut amorem alterius obiecti mouet, magis odio habetur aut amatur implicitè quàm alterum obiectum, ad quod mouet; ergo attritio odio habens peccatum ob pœnas inferni magis detestatur implicitè ipsas pœnas quàm peccatum; & tamen

(vt diximus) est sufficiens propositum pro vitæ emendatione: ergo ex eo, quòd amor Dei, qui est necessarius ad iustificationem debeat continere emendationem vitæ in futurum, non conuincitur illum debere amare Deum super omnia implicitè saltem. Respondeo, Ex hac ipsa instantia suaderi potiùs nostram deductionem: etenim vti ille actus, qui pœnas inferni peccatum fugit, eo ipso quòd habeat pro motiuo pœnas, timet illas implicitè magis quam ipsum peccatum: ita eo ipso quòd ex amore Dei homo odit peccatum, debet necessariò per eum actum plus amare Deum quàm omnia alia; quia motiuum super magis appretiatur quàm obiecta materialia; hoc ergo supposito dico, Etiamsi ex eo præcisè, quòd amor ille sit odium peccatorum in futurum, non colligatur odio habere peccatum supra omnia, etiam supra ipsas pœnas inferni; (vti attritio illud non odio habet supra illas, & tamen est sufficiens propositum de futuro;) quia tamen habet amor ille pro obiecto volito efficaciter fugam omnis inimicitiæ Dei, habet item pro motiuo fugæ Deum, à quo per quodlibet mortale homo recedit: ideò actus ille Deum amat super omnia omnino creata bona Deo contraria. *Solvitur.*

SVBSECTIO SECVNDA.

Examinatur replica difficilis.

5 *Replica.* Replicabis: si ea præcisè peccata, quæ homo per attritionem odio habet, detestaretur ex charitate, id sufficeret, vt iuxta Tridentinum iustificaret: Concilium enim solùm exigit dolorem illum, qui est genus ad attritionem & contritionem, coniungi cum amore, seu contrahi per differentiam motiui illius amoris Dei: totum autem hoc fieret eo casu: etenim contritio vt sic prout est genus ad contritionem perfectam & ad imperfectam non potest plura habere prædicata, quàm habeat deinde quælibet ratio specifica, quia iuxta regulam Logicam tota ratio generica reperitur in qualibet specie; ergo ratio generica contritionis non potest se extendere ad plura peccata, quàm se extendat vna ex illius speciebus: atqui attritio non se extendit ad ea peccata, quæ non essent punienda pœna inferni; ergo detestatio eorum præcisè continetur in ratione communi; ergo si ei detestationi adderetur motiuum amoris Dei, haberet quidquid Concilium Tridentinum requirit pro iustificatione, nempe rationem communem genericam attritionis & contritionis contractam ad amorem. Hinc vlteriùs argumentor; Amor ille non esset etiam tunc fuga peccati supra omnia, hoc est supra pœnas inferni, quandoquidem non se extenderet magis quàm attritio; ergo ad iustificationem non est necessarius amor Dei super omnia omnino creata. Quòd verò possit quis ex amore Dei detestari præcisè illa sola peccata, quæ per attritionem detestamur, est certo certius; nam amor Dei habet latitudinem: possum enim ego ex amore Dei velle dare eleëmosynam, etiamsi tunc non velim ex eo amore fieri religiosus; possum velle dare decem nummos, non tamen mille; ergo eodem modo possum velle fugere ex amore Dei mille peccata, etiamsi per eum actum non velim fugere omnia omnino; ergo potest reperiri ratio illa generica ad attritionem & contritionem contracta per differentiam amoris Dei, vt de eis peccatis ex pure puto amore Dei doleam; & tamen vi illius actus non vitarem peccata omnia absolutè possibilia; quale esset illud cui saltem ex libera Dei voluntate non esset annexa pœna inferni; non est ergo adhuc benè probatum, amorem, quem Tridentinum exigit pro iustificatione, debere esse planè super omnia.

6 *Responsio ins. ficiens.* Diceret fortè aliquis, Amorem illum Dei debere esse efficacem, vti timor pœnarum (vt sufficiat ad veram attritionem) debet esse efficax; hoc est quòd homo non solùm habeat aliquam simplicem displicentiam in eis pœnis, sed talem vt quantum est ex se, omnino resolutè non velit eas vllo modo incurrere: quo casu cùm quodlibet mortale sit illatiuum earum pœnarum, quodlibet odio habetur implicitè in ea attritione: ita eo ipso quòd efficaciter homo Deum amet & quodlibet peccatum in quocumque ordine possibili sit Deo contrarium, necessùm est vt ille amor se extendat non solùm ad peccata ad quæ attritio, quia huius motiuo non sunt omnia contraria, vt ostendi, sed etiam ad omnia omnino ac proinde ratione illius motiui magis extenderet contritio. Sed contrà, quia videtur in hac solutione grauis committi æquiuocatio ratione illius particulæ *amor efficax Dei*; in quo puncto est maxima disparitas inter odium efficax inferni & amorem Dei: nam Deus non est obiectum factibile per meum amorem, vti fuga inferni est factibilis per me: vnde non potest amor Dei dici efficax eo sensu, quo fuga inferni dicitur à me efficaciter volita: & in hoc puncto dico esse aliquam æquiuocationem. Hinc constat clarè, cur detestatio efficax pœnarum inferni includat voluntatem vitandi omnia omnino peccata, quando illa sunt meritoria eius pœnæ. Nam voluntas efficax vitandi aliquod malum non potest cohærere cum admissione alicuius rei, quæ malum illud causat: hæc ratio tota cessat, vt dixi in amore efficaci Dei: nam hic amor, cùm non sit causa ius Dei, non potest propriè dici respectu illius efficax, sed respectu alicuius boni, quod Deò optamus, seu procuramus: possumus autem efficaciter Deo aliquod bonum extrinsecum optare, licet non ei procuremus omnia omnino bona. Quòd si ideò dicatur amor ille esse efficax non respectu ipsius Dei in se, sed respectu amicitiæ illius iam tunc redit difficultas tota suprà posita: vnde scilicet probemus non sufficere amorem Dei, quo ex complacentia in ipso amem ipsius amicitiam supra omnia ea bona, supra quæ attritio cadit, maximè cùm Concilium nihil planè dixerit de amore optante amicitiam Dei, sed de amore, quo verè Deum ipsum diligo: potest autem esse verissimus amor, vt ostendi, etiamsi non sit omnino supra omnia. *Reiicitur.* *Amor Dei non potest dici efficax eo sensu, quo dicitur efficax odium inferni.*

7 *Reiicitur Secundò ea responsio.* Secundò est difficultas in ea solutione: nam amor charitatis in Deum est quidem in se & in actu exercito amor amicitiæ: at non videtur habere pro obiecto amicitiam: non enim dicit, *Volo esse amicus Dei*: etenim eo sensu esset quodammodò amor concupiscentiæ, quatenus sibi ipsi homo procuraret amicitiam Dei: solùm ergo dicit ille, *Quia Deus est bonus, illi opto bonum hoc, eique afficior, de illius bonis gaudeo.* Sed hoc autem totum quàntum potest esse, etiamsi amicitiam Dei non præferat omnibus omnino rebus possibilibus. Nam qui ob bonitatem Dei ei optat multa bona, etiamsi actus ille non se extendat

tendat nec quidem implicitè ad omnia, verè & verissimè Deum amat, & efficaciter quidem quoad illa bona: vnde quod ait Cardinalis Lugo disput. 5. sect. 2. Quemcumque actum dilectionis Dei, qui oriatur ex charitate, debere esse affectum amicitiæ, atque ideò non posse tendere ad solam bonitatem intrinsecam Dei, quin simul tendat ad coniungendum amantem cum amato, hoc inquam mihi nullo modo placet. Nam quidquid sit, vtrùm hoc debeat habere actus ille amoris, qui ad iustificationem extra Sacramentum requiritur (de quo nunc disputamus) asserere tamen, id debere conuenire omnibus omnino actibus charitatis, videtur mihi planè improbabile: si enim quis nihil reflexè cogitans de ea coniunctione, vel certè iudicans eam esse impossibilem, complaceat sibi in bonitate Dei in ea sistendo, & gaudeat de eius existentia qua talis, ad quam quæsò aliam virtutem potest talis amor spectare quam ad charitatem Dei? certè actus ille neque spei, neque fidei, multò minùs aliarum virtutum inferiorum erit. Vrgeo, quia ipsemet Lug. benè docuerat contra Patrem Suarez paulò antè eadem sectione, de facto posse Deum amari, etiamsi non amore illo perfectissimo; imò putat probabile aliquos ex antiquioribus Philosophis, qui diuinam bonitatem speculabantur, ita de facto dilexisse Deum. Vnde infero; Ergo non est verum, quòd omnis omnino amor Dei ex charitate debeat ferri in eam amicitiam. Quòd si solùm id doceat de amore Dei super omnia quà tali, id quod fortasse præcise contendit eo loci, adhuc non placet; quia nihil dicendo reflexè de ea amicitia, potest tamen ille amor dicere, *Malo omnia mala pati, & omnia bona negligere, quàm hanc infinitam bonitatem grauiter offendere*, seu, *quam ei dare occasionem ad grauem offensum*. Certè hic actus, quem passim sanctissimi homines habent non cogitádo in eo de affectu amicitiæ, est perfectissimæ charitatis. Tertiò, quia hic Auctor non explicat quæ sit illa coniunctio amantis cum amato, quam ait esse obiectum omnis amoris Dei: si enim loquatur de coniunctione, quæ formaliter obtinetur per ipsum amorem, tunc amor ille esset reflexus supra seipsum; & licet fortè alicui actui ea reflexio non repugnet, eam tamen dicere in omni amore charitatis esse necessariam non videtur probabile: deinde, cùm illa consistat in ipso actu, ad quid quæso requiritur eam reflexè amari? Si verò loquatur de coniunctione ex parte ipsius Dei per amorem Dei in amantem, non potest probabiliter dici per charitatem efficacem id intendi, tum quia id non est in potestate ipsius hominis; tum quia (vt insinuaui suprà) accederet per hoc actus ille ad amorem concupiscentiæ optando sibi amorem Dei. Quòd si de coniunctione alia ab hoc amore diuersa loquantur, multò minùs placet, quia nulla alia est quæ possit amari. Denique (iuxta immediatè dicta) non ostenditur adhuc, cur exigatur hic perfectissimus amor ad iustificationem extra Sacramentum; & cur non sufficiat ex amore Dei detestari omnia, quæ attritio detestatur timore pœnarum.

Non omnis amor Dei est affectus amicitiæ.

8 *Imò nec amor Dei super omnia.*

9 *Satisfit replicæ initio propositæ.*

Obiectio hæc grauem continet difficultatem & quæ vix ab Auctorib. tractatur, omnes enim supponunt hunc amorem debere esse saltem implicitè super omnia: vnde autem id probetur non sunt soliciti, nisi summùm ea loca adducendo quæ nos suprà reiecimus vt minùs efficacia. Et respondeo: Concilium etsi non definierit expresse, amorem illum debere esse super omnia, implicitè tamen id insinuasse. Etenim odium illud quod detestatur peccata ob Deum, necessariò debet habere motiuum generale se extendens ad omnia peccata mortalia: iam enim dixi non sufficere si talis sit displicentia, quæ simul secum admittat voluntatem peccandi efficacem: si autem est efficax, ergo deberet habere aliquid, quod efficaciter in eis peccatis horreat; hoc autem non potest esse aliud quàm ratio offensæ grauis in Deum, cui homo per amorem afficitur: hæc autem ratio offensæ extendit se ad omnia peccata in quocumque ordine. Admitto ergo obiectioni suprà positæ hunc amorem, qui est simul odium, nó esse proprie efficacem respectu Dei, quia Deum ipsum sine dubio non vult ponere aut producere: dico tamen debere eum esse fugam efficacem respectu alterius mali, seu respectu alterius rationis communis, in qua conueniant illa peccata: non potest autem esse vlla alia ratio, quam quòd ea sint offensa grauis eius bonitatis infinitæ à se amatæ: si autem semel detestatur efficaciter eam rationem offensæ, necessum est, vt implicitè detestetur omnia peccata. Hinc concedo differentiam inter attritionem, quæ detestetur efficaciter pœnas inferni, & inter amorem, qui non amat efficaciter Deum, non eo sensu accipiendum quasi Deus esset ponendus ab ipso a parte rei; addo tamen simul vnum eumdem actum debere esse efficacem fugam alicuius alterius mali propter Deum, mali inquam secundùm rationem illam offensæ grauis Dei: cùm autem ea ratio reperiatur in omnibus omnino peccatis, necessum est vt omnia implicitè detestetur; & hoc est amare Deum super omnia, vt, scilicet malit omnia amittere, quàm Deum grauiter offendere. Vnde Secundò apparet differentia inter actus, quibus ob Deum procuro aliqua bona positiua; & inter actus, quibus propter eumdem Deum detestor mortale; nam licet efficaciter velim Deo placere, non ideò cogor ad omnia eligenda quæ illi placent, nisi expresse dicam, *Volo placere in omnibus*: vt enim absolute placeam, sufficit si multa faciam quæ illi placent, nec requiritur vt omnia; at verò vt absolutè ei non displiceam, debeo in nulla re grauiter ei displicere: vnde si volo efficaciter in gratiam ipsius ei non displicere, debeo omnia fugere quæ ei grauiter displicent. In hoc ergo sensu dicimus, ad iustificationem amari debere Deum super omnia, id est super omnia quæ grauiter ipsum offendere possunt. Vnde ad rem nostram concludimus, non posse quem ex motiuo perfectæ charitatis detestari ea sola peccata quæ attritio detestatur; quia charitas ea debet detestari quatenus offendunt Deum grauiter, & quatenus homo ille efficaciter detestatur offensam grauem Dei: sub hoc autem motiuo etiam includuntur ea peccata, ad quæ non se extendit attritio, scilicet illa quæ non essent puniendæ pœnâ inferni; nam etiam illa essèt grauis offensa Dei, ac proinde sub motiuo eo charitatis includuntur, & Theologi omnes sentiunt talem debere esse detestationem.

10 *Cur possim ex amore Dei velle tantùm alia bona positiua, & nõ etiam detestari tantùm aliqua peccata.*

SECTIO

SECTIO II.

Vtrùm amor super omnia debeat esse expresse comparatiuus.

11 QVÆRIMVS, Vtrùm amor ille, quem diximus super omnia, possit sine expressa comparatione cum creaturis habere tantam perfectionem, vt casu quo homo vel deberet Deum offendere, vel alia amittere, cogeretur vi eius amoris tunc durantis ad omnia ea deferenda propter Deum. Dixi *vi amoris tunc durantis*, quia non est de essentia amoris, quantumuis sit super omnia, vt non possit homo ab eo cessare; aliunde autem omnis repugnantia contrariorum non defumitur nisi pro tempore quo existunt; vti ipsa visio beata, quæ maxime retrahit ab omni peccato, non habet vim id præstandi nisi pro eo instanti quo existit. Vnde etiamsi ab æterno quis vidisset Deum, si tamen hodie ab eo auferretur visio, iam eo ipso esset tam capax peccati, quàm si caruisset semper illa visione; nisi fortè ex ea præcedenti visione relicta esset in illo aliqua cognitio memorativa Dei valdè fortis de qua redit etiam argumentum, quòd scilicet ea non nisi dum existit habet vim impediēdi peccatum; ergo amor hic Dei super omnia quantumuis fortis & in maxima intensione non potest habere vim peccatum impediendi, nisi pro instanti quo durat. Neque vt sit amor super omnia necessum est, si eo durante in instanti A v.g. proponatur vehementissima tentatio, ita firmet voluntatem, vt non possit homo in instanti B. sequenti cessando ab eo amore peccare: hoc enim iam non spectaret directè ad illius actus appretiationem, sed ad perpetuitatem eius. Omnes autem nostri actus in hac vita, quantumuis perfecti, possunt à nobis omitti quandocumque volumus: quia liberi sunt tam in fieri quàm in conseruari: & sicut licet nulla esset tentatio, posset ab eo pro libitu cessare, à fortiori poterit si hæc occurrat. Tota ergo vis eius actus debet in eo consistere,, quòd ipso durante non possit homo Deum offendere.

Omnis repugnantia contrariorum non est nisi pro eo tempore quo existunt.

Ad amorem Dei super omnia non requiritur, vt virtute contritionis non possit homo ab eo cessare.

12 Hoc posito Pater Suarez disp 3. sect. 9. & nonnulli alij putant non esse necessariam eam comparationem, sed ab excellentia motiui posse oriri eam amoris perfectionem Hæc tamen doctrina meritò reiicitur à Cardinali Lugo ea disput. 5. sect. 2. & aliis communiter, quia amor non semper fertur in obiectum, seu in motiuum, quantum hoc est in se amabile; id quod experientia est certissimum; ergo quantumuis Deus, qui est eius amoris motiuum, exigat ex se amorem maximè appretiatiuum, non tamen continuò sequitur voluntatem in illum semper prodituram: quòd si non prodit semper, redit iam tota difficultas, quomodo possit dignosci, quando re ipsa prodeat, si per suum actum nihil aliud efficiat quàm Deum amare, & de eâ comparatione nihil omnino dicat. Vnde re meliùs considerata ipsemet Suarez Tomo 1. de Gratia lib. 1. cap. 31. num. 12. reiicit hanc explicationem; & tandem requirit num. 13. circa finem, vt actus dicat, *Volo Deo omne bonum eius*, seu *ei placere in omnibus*; in quo actu iam ponit expressam comparationem. Obiter tamen noto, eum nimis multum in eo actu exigere: et enim amor Dei super omnia ad iustificationem necessarius non cogit ad procuranda Deo omnia bona quæ illi placent; alioquin teneret vi eius actus ad omnes pœnitentias, mortificationes, abnegationem omnium bonorum, omnes denique omnino actus mihi possibiles & Deo grato: id quod nullo modo potest probabiliter dici; solùm ergo ille actus obligat ad non offendendum Deum grauiter. Dico etiam semper *graviter*, quia nec quidem excludit peccata venialia.

P. Suarez nō requirit eam comparationē ad amorem Dei super omnia. Reiicitur.

Amor Dei super omnia non cogit ad faciendos omnes actus bonos.

Nec ad excludenda omnia venialia.

13 Cardinalis Lugo suprà, priorem partem sententiæ Suarez secutus, quòd scilicet non sit necessaria vlla expressa comparatio, id tamen totum reducit non in motiuum, sed in specificam naturam actus illius amoris, qui ex se habet ita fortiter adhærere Deo, vt non permittat voluntatem aliò trahi; vti in intellectu etiamsi ex parte obiecti nihil nouum cognoscatur, nihilominùs aliqui actus natura sua sunt adeò certi & euidentes, vt intellectus non possit facilè dimoueri ab eo obiecto; alij verò sunt solùm probabiles, & cum formidine, a quibus facillimè retrahitur homo: vnde si contingat intellectum assentiri certò vni obiecto & alteri solùm probabiliter, aduertátque hoc alterum esse contrarium illi teneatur eo ipso desistere ab assensu hoc probabili, & retinere certum. Quòd si huic Auctori obiicias, Posse hominem ita Deum amare, vt malit subire omnia mala, quàm Deum carere aliqua perfectione intrinseca; non tamen ideò malit ille homo subire eadem mala, ne Deo negetur honor aut cultus debitus, nec proinde ne Deus offendatur: si hoc inquam obiicias, respondebit negandò id vlla ratione fieri posse, quia omnis amor Dei ex virtute charitatis debet esse amicitiæ: ac proinde non potest tendere in solam bonitatem intrinsecam Dei, nisi etiam tendat ad coniungendum amantem cum amato; ergo debet esse amor Dei super omnia, etiam supra mala extrinseca ipsius Dei.

Nec Lugo nō expressam comparationē requirit.

14 Multa in hac doctrina mihi ingerunt difficultatem; Primò, quia (vt ostendi suprà) amor ille etiamsi sit amicitiæ in actu exercito, non tamen debet reflexè ferri in eam amicitiam, sed potest in solam Dei bonitatem. Secundò, quia esto feratur in eam, non tamen ideò eam amat super omnia, nisi id expresè dicat. Nam etiam possum amare Antonium amore amicitiæ rigorosæ, non tamen ideò illum amabo super omnia. Tertiò, quia nullo modo explicat hic Auctor, quomodo purè putè amando Deum, & nihil aliud dicendo, seu sine vlla alia comparatione, ille actus in actu exercito hæc omnia dicat, *Placet mihi Deus, & quoad bonitatem intrinsecam & etiam quoad extrinsecam volo illi coniungi affectiuè super omnia*, &c. Quartò, quia cùm etiam possimus amare homines amore amicitiæ, non explicat hic Auctor, cur amor Dei magis adhæreat Deo quàm amor Petri Petro. Pone amorem qui sit amicitiæ in Petrum, alterum qui sit amicitiæ in Deum, & ita vt neuter quidquam dicat de comparatione sui obiecti cum alio; vnde quæso nisi purè putè diuinando, aut nihil omnino explicando, possumus asserere hunc amorem Dei esse super omnia appretiatiuè, illū verò non? Dices fortè, Quia Deus ita exigit amari. Sed contrà, quia hoc ipsum est relabi in sententiam Suarez ab hoc Auctore reiectam: reducitur enim iam id in excellentiam motiui, seu in perfectionem ipsius Dei talem amorem exigentis (vt Suarez dixerat) qui sine dubio non negauit actui ipsi eam specialem perfectio-

Reiicitur.

nem, quam ei tribuit hic Auctor. Ad inſtantiam verò allatam pro ipſo ex intellectu facilè reſpondeo, Ibi clarè intelligi vnde veniat illa certitudo actui, nempe ex claritate ſpecierum excitantium apprehenſionem illam vehementiorem, & quidem omnino naturaliter & neceſſariò ſine vlla intellectus aut voluntatis libertate. At in voluntate non eſt explicabile, in quo ea maior adhæſio conſiſtat: quandoquidem quantumuis clarè & diſtinctè proponatur voluntati obiectum amabile poteſt tamen iam hoc iam illo modo illud amare, & (vt paulò antè dixi) duobus obiectis æqualiter propoſitis vnum poſſit appretiatiuè præ alio amare & è contrario: in quo ergo conſiſtet, quòd hoc præ illo & non è contrario amet, quandoquidem actus nihil aliud penitus dicunt quàm amo Petrum, amo Ioannem, amo Deum, &c.

15 *Quomodo in intellectu poſſit eſſe ſumma adhæſio ſine vlla comparatione.*

Concluſio. Dicendum ergo puto vt longè probabilius, talem amorem neceſſariò debere eſſe comparatiuum expreſſè, ita vt dicat, Malo omnia tolerare, quam te grauiter offendere. In hanc ſententiam tandem relabitur (vt dixi) Pater Suarez ſuprà: eam tenent communiter Recentiores: & probatur facilè ex dictis, quia reuerà non eſt explicabile in quo conſiſtat illa appretiatio ſuper omnia, niſi adſit huiuſmodi volitio.

Obiectio. Obijcies tamen, quando quis amat finem, v. g. ſacitatem, & propterea amat ſciſſionem venæ, amat tunc appretiatiuè magis ſanitatem quàm ipſam ſciſſionem, iuxta illud principium commune, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; & tamen tunc nulla eſt expreſſa comparatio: neque enim voluntas tunc dicit *Malo finem quam medium*: ergo poteſt eſſe maior amor appretiatiuus vnius obiecti præ altero ſine vlla prorſus comparatione expreſſa.

16 *Soluitur.* Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Poteſt eſſe amor maior appretiatiuè ſine vlla comparatione in amore finis & mediorum, ſeu inter amores inter ſe connexos, & quando vnus ab alio pendet, concedo conſequentiam: inter amores duorum finium inter ſe diſparatorum, nego conſequentiam. Diſparitas eſt manifeſta, nam quando vnum amatur propter ſe, ſanitas v. g. propter ſe, & ſciſſio venæ propter ſanitatem, ſine dubio ſanitas magis amatur quàm ſciſſio venæ: hæc enim purè putè amatur vt vtilis ad illã: ac proinde ſi ſanitas ſine ſciſſione venæ poſſet obtineri hæc non curaretur: ex ipſa ergo ratione, ob quam ea duo obiecta amantur, oritur illa differentia ſine vlla alia comparatione. At quando duo obiecta amata talia ſunt vt quodlibet propter ſe ametur, & vnum independenter ab alio, non eſt vnde colligatur maior appretiatio vnius quàm alterius, niſi actus ipſe dicat, *Malo hoc quàm illud, aut quàm reliqua omnia alia*; inter quæ etiamſi includitur illud alterum. Cùm ergo amor Dei, de quo nunc agimus, non reſpiciat creaturas per modum medij, Deum verò per modum finis, quia purè putè amat Deum, de aliis verò obiectis nihil dici expreſsè; ſicut quando amo Petrum nihil dicendo de vlla alia comparatione; non apparet vnde ille amor poſſit eſſe magis appretiatiuus Dei quàm reliquorum obiectorum, niſi ad comparationem noſtram recurratur.

17 *Confirmatur concluſio.* Denique hæc noſtra ſententia ſuadetur, quia amor Dei ad iuſtificationem ſufficiens debet eſſe efficax, vt ſæpè dixi: ſimplex enim complacentia in Deum nullo modo ſufficit, quia hæc poteſt cum peccato & cum voluntate directè Deum odio habendi cohærere, vti poteſt cohærere aliqua ſimplex complacentia erga inimicum, quem tamen odio habeo abſolutè: atqui non poteſt intelligi, quomodo amor ille Dei ſit efficax, niſi ſit volitio alterius obiecti propter Deum, id eſt omnia tolerandi citiùs, quàm ipſum velit offendere. Etenim Deus ipſe in ſe, cùm non ſit factibilis à nobis, non poteſt propriè amari efficaciter: nam amor efficax ideò talis dicitur, quòd ſit factiuus ſui obiecti, ſeu quòd determinet voluntatem ad efficiendum obiectum; ergo reſpectu Dei non poteſt propriè dici efficax, niſi ſimul velit aliquid, quod ab ipſa voluntate ſit factibile; quale eſt omnia mala citiùs tolerare, quàm Deum offendere; hoc autem non poteſt dicere niſi comparationem aliquam faciat; non ergo ea ei actui neganda.

Obiectio Secundæ Dices Secundò, In illo eodem amore, quo ſit ea ex preſſa comparatio Dei ſupra omnia alia, debemus quaſi per modum radicis, vnde comparatio oriatur, concipere vehementiam quamdam affectus, quo homo fertur in Deum, & ex qua oriatur deinde illa poſtpoſitio omnium in comparatione Dei; autem vehementia amoris non eſt formaliter compartiua, ſed cauſa comparationis; ergo ſi ſolam eam vehementiam ponamus in aliquo actu, etiam ſine omni comparatione expreſſa poſſumus concipere talem amorem, qui data deinde aduertentia ad alia obiecta, ſeu cognita per intellectum comparatione cum illis poterit prodire in contemptum illorum præ Deo; ac proinde ille amor erit virtualiter ſuper omnia non tamen formaliter, vt dicit prima ſententia. Reſpondeo, In eo actu eſſe idem realiter ac ratione noſtra Deum ſummè amare, & eum omnibus aliis præferre nam cùm ille amoris exceſſus non ſit in intentione aliqua, non eſt in quo alio poſſit conſiſtere quàm in ea prælatione. Fateor quidem ad eam appretiationem impulſum valdè hominem, eò quòd nouerit bonitatem illam diuinam eſſe ſummo eo appretiatiuo amore diligibilem; quia tamen (vt diximus paulò ſuperiùs) non tenetur voluntas amare obiectum quantum eſt in ſe amabile, non poſſumus nos etiam ratione noſtra eum amorem appretiatiuè maiorem concipere, niſi vltra hoc, quod eſt amare illud obiectum, dicat ipſa voluntas, *Malo hoc quam omnia alia*; & licet daremus fortè eſſe poſſibilem talem aliquem actum, qui eam haberet vehementiam ſine expreſſa comparatione, profectò non video, quomodo de facto voluntas poſſit ſe liberè ad illum determinare (cùm vix eumactum nunc percipiamus,) longè ergo clariùs diſcernimus, ſi dicamus voluntatem non aliter prodire in eum ſummum amorem quàm per actum illum; *Malo te ô Deus, non, offendere, quam omnia alia bona poſſidere, aut mala fugere*, &c. & certe quoties de hoc actu charitatis ſeu contritionis ad iuſtificationem neceſſario audiui homines loquẽtes; non niſi per hanc expreſſam comparationem illos eum explicantes audiui: ſignum autem hoc eſt ſatis probabile non poſſe alio modo explicari, taceo haberi illum actum.

18 *Soluitur.*

Illud autem circa eam comparationem obſeruandum eſt, non requiri vt illa ſit expreſſa & diſtincta in particulari omnium obiectorum, v. g. Malo Deum non offendere, quàm non amittere honorem, diuitias, filios, vxorem, & ſic per omnia etiam in particulari & in indiuiduo diſcurrendo;

19 *Non requiritur comparatio diſtincta in particulari.*

currendo; hanc inquam adeò distinctam dico non esse necessarium: id quod etiam omnes Auctores benè notarunt, tum quia id est penitus impossibile; quomodo enim homo distinctè cognoscet omnes species & individua omnia possibilia, vt faciat comparationem supra illa? tum quia licet id esset possibile, ad asserendum tamen id requiri nullum penitus est fundamentū. Imò suadent prudenter Doctores non esse expediens ordinariè loquendo, maximè viris sæcularibus, & non benè fundatis in virtute, facere valdè expressam & distinctam comparationem cum aliquibus obiectis: id enim maximum periculum potest habere annexum ob specialem affectum aut auersionem in contrarium, quæ nonnulli habent circa hæc aut illa obiecta: vti magno alicui viro nobili zelotypo, & natura sua iracundo, si deberet fieri hæc comparatio, quòd etiamsi vxorem suam in flagranti adulterio deprehenderet, nolit se de illa tunc vindicare propter Deum; certè hæc comparatio posset illum ex integro impedire ab huiusmodi amore super omnia. Idem proportione seruata dici potest de aliis materiis iuxta earum grauitatem, vt dixi, & iuxta propensionem vehementem hominis ad illa. Satius est ergo eo casu, in communi ex amore illo Dei, non descendendo ad particularia, dicere, *Malo omnia mala, ô Domine, sustinere, quàm te grauiter offendere.*

SECTIO III.

An & quomodo contritio debeat detestari peccatum supra pœnam æternam.

20 DIXIMVS contritionem seu amorem Dei ad iustificationem necessarium debere esse super omnia; sub hoc autem termino includitur pœna æterna; vnde etiam infertur, hominem debere malle eam tollerare, quàm vnum mortale committere: hoc autem ipsum videtur valdè durum. Nihilominùs tamen certa inter Catholicos omnes doctrina docet, hominem magis teneri ad fugiendum non solùm mortale, sed etiam leuissimum vnum veniale, quam omnes pœnas inferni & carentiam gloriæ æternæ; ac proinde si occurreret occasio, in qua homo deberet vnum è duobus eligere, vel incurrere pœnam æternam sine vllo peccato, vel peccatum admittere sine eis pœnis, debere citiùs eligere eas pœnas, quàm peccatum committere. Quæ est doctrina Anselmi lib. de Similitudinibus cap. 190. & vt dixi, communis inter Catholicos. Nam etsi Durandus in 4. distinct. 17. quæst. 5. doceat, malum æternæ pœnæ numquam esse eligibile ad vitandum peccatum, intelligendus tamen est de facto (vt benè notant Auctores;) quia Deus de facto potiùs mortale punit pœna æterna, quàm è contrario non peccantem puniat pœna, seu, ne faciamus vim in voce *puniat*, quàm cum ideò destinet ad tormentum æternum.

Homo magis tenetur fugere peccatū etiam veniale quàm infernum, vel carentiam tanti.

***

SVBSECTIO PRIMA.

Discutitur primum dubium.

21 ILlud autem sit: Quid si ex ignorantia inuincibili putaret quis non posse sine Pœnitentiæ Sacramento, cuius tunc copiam non habet, saluari, quia scit se esse in peccato; cogeretur autem tunc à Tyranno vel mori, vel nouum peccatum admittere; quid huic homini tunc faciendum? nam iam ille esset de facto constitutus in dubio, de quo immediatè antè, scilicet vel incurrendi æternam pœnam, si moriatur hic & nunc ob non committendum peccatum nouum, vel certè, illud committendi; ergo etiam in hoc ordine rerum, licet ex errore, occurrere posset talis casus, in quo debeat quis pœnam æternam eligere, ne committat peccatum mortale. Ante decisionem aduerte, dupliciter posse proponi hunc casum: Primò, ita vt homo ille tunc supponat se peccaturum mentiendo, etiam si id faciat ob vitandam æternam damnationē, Et in hoc sensu resolutio videtur clarissima scilicet illum hominem fore obligatum ad admittendam damnationem citiùs quàm peccatum illud: quia si non obstante eo motiuo putat se peccare, repugnat in terminis eum iudicare sibi id fore licitum: cùm repugnet esse licitum quod tamquam peccatum proponitur. Circa hunc casum sic propositum solā potest esse difficultas: Vtrùm de facto Deus permittat hominem in has coniici angustias: de quo paulò post Secundus ergo sensus & magis disputabilis est, An obiectum illud, v.g. mendacium, quod natura sua malum est, possit reddi tunc licitum ob vitandas eas pœnas æternas. Hoc posito, in primo sensu Cardinalis Lugo bis hunc casum tractat, semel comparando mortale cum fuga æternæ damnationis, & semel veniale cum eadem fuga: de prima comparatione sect. 4. de secunda sect. 5. circa primam ait, Casum illum de se necesse omniuo impossibilem, & fortasse Deum, in pœnam alicuius antecedentis peccati, posse permittere hominem in tales angustias coniici; pie tamen debere credi, non permissurum re ipsâ ita fieri: quod si tamen contingeret, teneretur ille homo citiùs permittere se æternum damnari, quàm admittere mortale. Quod idem docet de veniali sectione 5. Quæ doctrina est valdè probabilis: circa quam aliqua mihi notanda occurrunt. Si re ipsa contingeret hic casus, & homo ille, ne Deum offenderet, mallet maiori, & pœnas æternas subire, probabilissimè eum à Deo excitandum ad contritionem, qua re ipsa saluaretur, licet ex illo errore, quem in eo supponimus, putaret se damnari. Etenim illa generosa determinatio esset actus de congruo merens, vt Deus daret illi efficax auxilium ad contritionem: quia reuerà ille homo poneret pro Deo corpus & animam: id quod fortè vix posset moraliter fieri sine actu amoris Dei: aut certè nisi quodammodò obligarentur Deus ad illum hominem excitandum ad eum amorem.

Proponitur quæstio.

Primus sensus istius quæstionis.

Soluitur.

Secundus sensus quæstionis.

22 Circa secundum sensum suprà positum dixi maiorem esse difficultatem ratione peccatorum aliorum quæ deberet homo ille in inferno perpetuò ex quadam quasi morali necessitate committere: inde enim alquis iure merito dubitare posset, An in tali casu teneretur mori, an verò posset mentiri: nam licet ob vitanda quæcunque physica tormenta non liceat peccatum vnum, nec quidem veniale committere: ob vitanda ta-

Quid fieret cum illo peccatore, qui ex ignorantia perplexus eligeret potiùs infernū quàm peccatum.

An peccatum sit illicitum vitandi Infernum in eo æternum committendo.

men alia peccata, & numero & qualitate longè grauiora, videtur reddi licitum quod aliàs erat malum, leuius tamen, si omnia sint ab eodem homine committenda. Dico, *Si omnia ab eodem homine*; nam, vt aliena vitem, nullo modo possum ego committere vllum peccatum, quia ego debeo mihi ante alios omnes attendere. Etenim eo casu perinde me habeo ac si offerretur occasio, in qua necessariò deberem ex duobus malis vnum eligere, & eligere minus; id quod sine peccato facere possem, ad id tenerer.

Ratio pro parte affirmante.

Obiectio prima: Soluitur Primò,

Dices; Etiam in eo casu locum haberet illud Augustini: *Non sunt facienda mala, vt veniant bona.* Respondo Primò, De hoc ipso esse dubium, an in tali casu esset malum illud mendacium. Responderi Secundò posset, Augustinum ita intelligendum, vt doceat neminem posse facere mala propter bona ab aliis facienda; cum quo tamen stat, quòd si mihi duo mala moralia immineant, eligere possim quod minus est, ne incurram grauius.

Secundò.

23 *Obiectio secunda:*

Dices adhuc Secundò, Me eo casu teneri ad vitandum tam hoc quàm illa alia grauiora: cum enim & hoc & illud sint mihi omnino libera, & siue primum euitem, siue non, adhuc in mea potestate sit futurum vitare reliqua etiam in inferno; quia cùm & illa supponantur fore peccata, supponuntur profectò fore libera, & ego non possum me nunc excusare committendo vnum, eò quòd id faciam ob vitanda reliqua: ex quo capite fortassè difficiliùs intelligitur, quomodo, quando vtrumque peccatum est à me committendum, ego possim vnum committere, ne committam alia, quàm si respectu secundæ personæ loqueremur; nam respectu tertiæ personæ cùm vitare aliena peccata immediatè & proximè non sit mihi liberum (vt ex terminis constat) sed id ad eam tertiam personam pertineat, facilius dici potest me tunc obligari, vt efficiam id quod est mihi liberum, nempe committere illud leue peccatum, vt hoc modo quantum possum impediam aliena peccata grauia, quàm quòd possem nunc vnum liberè facere, ne deinde committam alia. Vnde etiam sumitur clara disparitas inter casum illum, quando non possum vitare vtrumque, & inter præsentem; nam tunc si complexum non possum euadere, debeo facere minimum quod possum: at in casu nostro possum vitare vtrumque etiam simul sumptum; ergo debeo vtrumque præstare, & nullo modo dum vnum committo excusabor, eò quòd id faciam animo vitandi sequentia; quia mihi dici potest, *Hoc oportet omittere, & illud non facere.* Respondeo. Etsi hæc doctrina videatur verissima in casibus ordinariis, non tamen carere graui difficultate in casu nostro de inferno. Disparitas est satis magna; nam in ordinariis casibus secundum peccatum est tam liberum quàm primum vnde non est cur ex eo, quòd primum quis committat, iudicandus sit se liberare à secundo, aut cur non tenatur ad vtrumque directè & immediatè. At in peccatis illis quæ sequuntur in damnatis, in blasphemiis, odiis Dei, &c. per totam æternitatem est quædam necessitas moralis (vt dixi suo loco;) quæ etsi absolutè non tollat libertatem ad peccandum requisitam, efficit tamen, vt ea vix vitari possint; ac proinde impedire id ex quo secutura videtur damnatio, est perinde moraliter loquendo ac vitare illa omnia peccata deinde futura. Cur ergo non dicemus Deum fore optimè mecum contentum, si, ne incurram talem necessitatem, & quidem infinitorum peccatorum per totam æternitatem, & grauissimorum committendorum, ego eligam vnum, quo liberet certò ab omnibus illis, seu à necessitate morali illa omni committendi?

Soluitur.

24

Hæc obiectio vtcumque est difficilis; & fortassè non deerit, qui iudicet in eo casu licitum fore admittere illud obiectum, quod ex se extra eam occurrentiam foret omnino illicitum. Vbi non est putandum nos dicere, fore licitum ipsum peccatum: non enim fieri, neque concipi potest esse simul licitum, & simul esse peccatum; præcisè ergo dicimus, quod alioquin foret peccatum, hîc & nunc non fore peccatum, sed licitam actionem. Nihilominùs absolutè dicendum est, etiam tunc non reddi illud obiectum licitum, v. g. mendacium, periurium, &c. quia etiam tunc habet locum illa ratio, quam paulò antè attulimus, quando scilicet vtrumque peccatum est liberum, me teneri tam hoc quàm illud sequens vitare. Neque obest quòd sit deinde futura moralis necessitas; nam ea non obstante, sicut non est ille homo excusandus ab eis peccatis, ita neque ab obligatione illa vitandi; ac proinde vtraque sunt ei libera; ideò ad vtraque fugienda obligatur, nec mendacium potest fieri licitum, eò quòd illo admisso alia sit admissurus, ex sua tamen libertate. nam & mendacium & reliqua potuit simul vitare.

Conclusio: negatiua.

Obiicies tamen; Adhuc saltem ratione inimicitiæ in Deum perpetuò duraturæ, quæ æterna permanentia iam non esset amplius in libertate illius, ac proinde neque dici posset illi tunc, *Et hoc oportet vitare & illud*, videtur dicendum, Deum magis volituram vt ille homo tunc admitteret illud mendacium leue, vt in eius amicitiam in perpetuum rediret, quàm si, ne mentiretur, eligeret potiùs esse Dei perpetuum hostem. Quibus omnibus conderati put non pos negari magnam probabilitatem huic parti & saltem in ordine ad desiderium speculatiuum ipsemet Lugo fatetur magis debere hominem optare, ne à Deo permittatur mori sine pœnitentia, quàm ne permittatur labi in veniale: vnde sequitur, si sit concurrentia vtriusque, vel mori sine pœnitentia, & æternum esse Dei hostem, vel mendacium leue admittere, magis debere conari ne sine pœnitentia moriatur, quam ne admittat leue mendacium.

Obiectio.

Soluitur.

SVBSECTIO SECVNDA.

Discutitur alterum dubium.

SEcundò circa eam detestationem peccati supra pœnam æternam moueri potest ea quæstio, quam superiùs tangit Cardinalis Lugo, Vtrùm teneatur quis ita detestari peccatum supra pœnam æternam, vt desideret sibi nunc dari occasionem efficiendi, ne fuerit peccatum, etiamsi ad hunc finem sit necessarium tolerare ipsas pœnas æternas. Respondet autem, Non esse necessarium tale desiderium, sed sufficere si per voluntatem conditionatam dicat; *Si talis occasio daretur, quòd possem ego iam efficere tolerando infernum ne peccauerim, id efficerem; non tamen propterea opto eam occasionem occurrere.* Vti possum esse paratus ad moriendum, ne peccem si detur occasio, in qua vnum è duobus deberem eligere; non tamen ideò ego desidero absolutè vt occurrat ea occasio, imò possum desiderare

25 *An teneat desiderare dari sibi nunc occasionem, ne fuerit peccatum præteritum, etsi ad hunc finem deberem infernum eligere. Negat Lugo.*

desiderare contrarium: potest enim quis optare ne occurrat occasio martyrij & tamen ex amore Dei super omnia esse paratus, vt si ea occurrat, velit illud tolerare citiùs, quàm Deum offendere. Si in contrarium ei obiicias, Sequi hinc, quòd si homo ex corde non desiderat dari talem occasionem, videatur pluris facere pœnas quàm peccatum: vti parens qui dolet magis de morte filij quàm de iactura mercium, eo ipso desiderat sibi esse possibile eum reuocare ad vitam per mercium iacturam: ergo homo delens de peccato super omnia debet desiderare dari sibi occasionem tollendi peccatum præteritum etiam per quodcumque medium, quantumuis difficile, etiam eas pœnas inferni sustinendo: si hoc inquam obiicias, respondebit, Peccatum esse quidem summè odibile in ordine ad voluntatem efficacem tam absolutam quàm conditionatam, non tamen in ordine ad desiderium: nam licet quis sciret ex reuelatione Dei, quòd si eat ad talem locum, sit peccaturus, & postea facta Pœnitentia saluandus, non tenetur tamen mori vt fugiat talem occasionem: hoc autem desiderium vocat quasi speculatiuum: rationem verò à priori desumit ex doctrina Patris Vasquez, & alioquin communi, quòd scilicet delectatio & voluntas inefficax, quæ non habet vim ponendi suum obiectum, non est semper mala, licet obiectum sit malum. Vnde etiamsi non liceat procurare homicidium, ex quo sequitur Reipublicæ bonum, licebit, tamen de illo gaudere propter idem bonum. Secundò id ostendit: quia possumus licitè optare amico vt incidat in aliquod peccatum, ad hoc vt caueat sibi à multis aliis: non tamen possumus hoc ipsum procurare. Item ex charitate in proximum non tenetur quis impedire eius peccatum cum magno suo damno: si tamen proximus sit in salutis æternæ magno periculo, v. g. infans in periculo mortis sine Baptismo, debeo etiam cum periculo meæ vitæ illi succurrere. Vnde infert hic Auctor, maius esse damnum, quòd proximus amittat vitam æternam, quàm quòd ad tempus committat aliquod mortale: & tamen ipse homo non potest admittere mortale, nec quidem ad tempus etiam ex desiderio vitæ æternæ. Denique à posteriori id probat: nam si peccatum esset magis odibile quocumque odio quàm carentia salutis æternæ, non posset Deus ex amore erga aliquem hominem velle permittere eius peccatum, quod est medium ad salutem: nam vellet illi permittere maius malum, hoc est peccatum, vt vitaret minus malum, id est carentiam gloriæ: id quod non esset signum beneuolentiæ: vnde colligit maius bonum hominis esse, quòd salutem consequatur, quàm quòd vitet peccatum hoc, licet homo ipse non possit, nec quidem pro salute consequenda velle committere peccatum. Ad instantiam autem parentis, qui ex affectu in filium seriò optat posse se illum etiam cum mercium iactura liberare, respondet, Parentem dolere etiam de morte filij dolore secundi generis, seu dolore speculatiuo; quia mors filij non solùm est mala, vt ponibilis ab ipso parente, sed etiam secundùm se; ideoque est magis odibilis quàm mercium iactura, etiam odio speculatiuo, seu odio correspondente desiderio.

Et obiectioni respondet Primò.

26

Secundò.

Tertiò.

Instantiam soluit.

27 *Examinatur doctrina Lugo.*

Ego in hac doctrina aliqua censeo esse vtcumque confusa: aliquas etiam video instantias quæ non sunt omnino ad rem: & quidem quòd ego possim optare proximum labi in vnum peccatum, vt vitet alia multa, non videtur esse ad rem præsentem; quia si ego facio comparationem inter vnum peccatum leue ex vna parte, & alia grauiora, numeróque plura ex altera parte, non potest esse dubium, quin mihi liceat optare illud, vt vitentur hæc: quia haud dubiè sunt maiora mala quàm illud: vtrumque enim est intra idem genus malitiæ, in quo multiplicatio & grauitas effic unt, vt illa secunda sint longè magis abominabilia quàm primum non solùm desiderio speculatiuo; sed etiam practico, & verò etiam voluntate efficiendi; nam si daretur ille casus, quo homo esset necessitatus ad vnam ex illis partibus eius complexi, procul dubio deberet dicere *Malo efficaciter carentiam illorum plurium quàm carentiam huius, quod & numero vnicum est, & grauitate longè inferius:* vnde si loquamur de facto in ordine ad propositum in futurum, quilibet potest dicere, *Magis ablaborabo ad fugienda peccata illa omnia simul sumpta quam illud vnum.* Idem est de dolore de præteri o; potest enim dicere, *Minus dolco me illud commisisse quam hæc alia* Ex hac autem instantia quid quæso infertur circa nostrum casum, in quo fit comparatio inter peccatum & inter carentiam vitæ æternæ: Vbi certissimum est, omnibus pensatis, maius malum esse peccatum ipsum quàm eam carentiam: vti etiamsi homo pouatur in biuio, & debeat vnum ex illis eligere, non licet dicere, *Malo peccatum quàm vita æterna carentiam*: nec item licet dicere positiuè, *Libentiùs habeo quòd sim saluandus, quem si non peccassem.* Ex hoc eodem capite respondetur ad secundam instantiam de Deo permittente vnum peccatum ad vitanda alia plura & maiora: etenim tunc non debet fieri comparatio inter peccatum & inter gloriam, sed inter peccatum illud quod permittitur, & alia plura ac grauiora quæ Deus vitare intendit in eo homine per illud, quod de facto in eo permittit: quæ consideratio potest locum habere, esto homo non esset destinatus ad gloriam: nam & tunc posset Deus permittere hominem labi in vnum peccatum, vt euitaret alia plura & grauiora. Quis autem dubitare poterit esse fauorem Dei maximum, si, cum aliàs permissurus me esset cadere in centum peccata grauissima, id permutet in permissionem vnius tantùm & quidem longè leuioris, per quod ea multa impediuntur? Hinc verò, vt paulò antè dixi, nihil ad rem nostram, in qua comparatio fit inter peccatum, quod est maximum malum morale, & inter carentiam vitæ æternæ, quæ non est nisi physicum malum hominis: Probant quidem aliquæ ex his instantiis nobis licere op are multa quæ non possumus efficaciter amare, seu intendere: vti possum optare quòd peccet Petrus, ad hoc vt vitet grauiora peccata, non tamen possum id procurare: in quo puncto omnes conueniunt, at hîc & nunc in ordine ad meipsum, Vtrùm possint magis optare visionem beatam quàm carentiam omnis peccati, nihil probant, Nam certum est, si homini antè peccatum diceretur, *Vel peccabis, & deinde saluaberis, vel carebis visione beata, nullo tamen admisso peccato*, non posse illum dicere, *Magis desidero visionem præmisso peccato quàm carentiam peccati*; quod tamen desiderium in præcedentibus casibus, si inter duo peccata fiat comparatio, iam dixi esse tam antecedenter quàm consequenter licitum & sanctissimum.

28

Possunt quadam optari non tamen efficaciter amari.

26 Præterea, quòd dicitur, Mihi esse licitum optare, ne occurrat occasio martyrij ad vitandum peccatum, etiam si data ea occasione teneat martyrium subire citiùs, quàm peccare, verissimum quidem est, non tamen ad rem nostram; quia in eo casu nec per desiderium speculatiuum præfero ego vitam peccato, sed putè putè opto vt & carentiam peccati habeam, & simul vitam retineam; solùm enim opto ne occurrat ea occasio vnum ex illis amitendi, in quo desiderio manifestè constat me neutrum alteri præferre. Id ipsum constat in ea instantia de morte filij & iactura mercium; vbi tamen nec per desiderium speculatiuum præfert parens iacturam mercium vitæ filij, nam sine dubio optare ille potest, ne occurrat occasio, in qua ad vitandam filij vitam sit necessum facere iacturam mercium, quia & vitam filij & merces cupit habere. Denique, quòd respondet, Parentem vtroque desiderio debere præferre vitam filij mercibus, asseritur quidem; non tamen inde ostenditur aliqua disparitas inter vtrumque casum. Dicere enim, Filij mortem esse malam, siue à parente siue ab alio causetur, non sufficit; quia eo sensu respectu Dei peccatum omne est malum, siue à me siue ab alio quocumque ponatur. Deinde, iam nos in præsenti agimus non de desiderio vitandi peccati alieni, sed de desiderio vitandi proprij; hoc est, Vtrùm teneat optare dari occasionem, in qua patiendo pœnas æternas efficiam ne ego offenderim Deum; vtrùm autem teneat eas pœnas optare, ne Deum offenderit meus proximus alia est quæstio, de qua nos nunc non agimus; ergo ad rem nostram omnino per accidens est illa differentia, quòd mors filij sit mala, siue à parente seu ab alio ponatur, peccatum verò non sit malum, nisi vt positum ab ipso homine, cùm hinc inferatur, saltem respectu proprij peccati debere esse tale desiderium.

30 *Conclusio: Probatur.* Dicendum ergo est in hac quæstione, Non teneri hominem ad illud desiderium; quia nulla est ratio quæ ostendat necessitate talium desideriorum de eis conditionibus omnino iam impossibilibus, & (vt sic dicam) inutilibus; cùm enim ex terminis repugnet efficere, vt quod fuit non fuerit, vt quid Deus in amore sui obligabit nos ad huiusmodi desideria; Satis ergo est si homo habeat talem voluntatem, quæ omne peccatum possibile excludat; & verò quæ si fuisset quando homo peccauit, etiam excluisset illud peccatum; vti non est necessarium in amore Dei recurrere id illas conditionales impossibiles, ad quas naturaliter recurrisse Augustinus dicendo, *Si tu esses Augustinus, & ego essem Deus, mallem vt tu esses Deus*, &c. Ad instantiam illam parentis optantis posse redimere mortem filij per mercium iacturam respondeo, Disparitatem esse magnam; nam parens ille adhuc iacturam filij patitur de præsenti; quid ergo mirum si optet etiam de præsenti per iacturam mercium recipere filium? At in nostro casu homo iam supponitur liberatus à peccato, ac proinde de præsenti non patitur illius malum; quid ergo è contrario mirum, si non curet illud tam potenter, vt cupiat carere visione beata ad solam præteritionem eius peccati vitandam, quæ iam ei propriè non est mala, sed fuit; vel si adhuc est in peccato, certè potest sine æternæ gloriæ amissione per alia media faciliora exire ab illo; Vti si ille idem parens haberet alia media faciliora longè quàm sit mercium iactura ad iterùm habendum suum filium, etiamsi per hoc non impediret, quò minùs fuisset prius mortuus; profectò non curaret ille multum de eo desiderio impediendi præteritam mortem per iacturam mercium. Quæ est clara solutio, & omnino independens ab eo, quòd illa mors filij sit ipsi parenti mala, non solùm vt caussata ab ipso parente, sed vt absolutè à quoquocunque, prout respondebat ic Auctor.

Instantia parentis amantis filium solutur.

Si daretur tale desiderium, esset bonum.

Addo tamen circa eamdem difficultatem, etsi homo ad illud desiderium non teneatur, posse tamen adeò in eo horrore peccati & in Dei amore proficere, vt habeat similia desideria circa eum casum impossibilem, quæ haud dubiè essent maximi meriti coram Deo.

SECTIO IV.

Vtrùm etiam huiusmodi amor Dei super omnia debeat detestari peccatum supra malum intrinsecum Dei.

31 QVÆ hucusque diximus intelligenda sunt de malo creaturæ siue positiuo siue priuatiuo; nam creaturæ damna respectu damni extrinseci Dei, quale est peccatum, nullius sunt momenti. Iam moueri graue dubium potest, Quid si per impossibile ex omissione peccati sequeretur Deo intrinsecum aliquod graue malum, ideoque ad vitandum illud esset necessarium admittere peccatum aliquod, forétne id licitum? Hanc quæstionem mouit Suarez vbi suprà sect. 2. de ea agit Lugo sect. 2. suprà num. 26. & nonnulli alij, omnes autem illi docent, eo casu admittendum omnino illud peccatum. Quæ resolutio ita est intelligenda, non vt actio illa etiam tùc maneret in ratione peccati, & simul esset admittenda; repugnant enim in terminis aliquem iuxta rectam rationem teneri aut posse admittere id, quod dum admittit, peccat; volunt ergo præcisè docere, eo casu actionem illam, quæ alioquin fuisset mala, reddi licitam ob vtilitatem impediendi malum intrinsecum Dei.

Conclus.

Peccatum tunc non esset peccatum

Obiectio. Quòd si vrgeas; Posset contingere vt in eo casu ex errore talis homo iudicaret se adhuc necessariò peccaturum etiam malum illud Dei intrinsecum impediendo; quid ergo deberet tunc facere; Respondent hi Autores, & benè, talem hominem debere tunc permittere vt bonum illud intrisecum Dei tolleretur; ratio autem est clara, quia si omnibus pensatis, & non obstante ea vtilitate, Deus displicet sibi in ea actione, illamque prohibet, aut saltem inuincibiliter ille homo ita iudicat, procul dubio debebit illam omittere. Tota hæc doctrina videtur mihi vera; maximè autem hæc secunda pars.

Soluitur.

32 *Difficultas grauis in hoc puncto.* Circa primam tamen est aliqua difficultas, & meo iudicio non exigua: quia etiam tunc vrgeret illud vniuersale principium, quod sæpè repetiuimus, *Non sunt facienda mala vt veniant bona*. Confirmo & explico rationem hanc dubitandi: Nam si semel dicimus, mendacium v.g. fieri licitum ob vtilitatem illam impediendi damnum intrinsecum Dei, eò quòd damnum intrinsecum grauius sit quàm extrinsecum in peccato repertum: profectò iam erit difficillimum sufficientem rationem reddere, cur quando vtilitas eius mendacij esto non sit tanta, est tamen absolutè valde magna, & quodammodo infinita, non etiam

Cur liceret mendacium ad vitandum malum Dei intrinsecum, & non ad vitanda infinita peccata

etiam debeamus dicere, illud mendacium fore licitum v. g. si per illud impediretur infinitorum hominum peccata mortalia grauissima,quæ haud dubiè infinities magis Deo displicent quàm illud mendacium; cumque ratio à priori, quæ in malo intrinseco Dei locum habet, scilicet quòd Deo, omnibus pensatis, magis displiceat amittere aliquam perfectionem intrinsecam quàm quòd aliquid fiat contra nuturam rationalem; cùm inquam hæc ratio etiam in nostro casu locum habeat, quia omnibus pensatis multò magis, etiam infinitè, vt dixi, displicet Deo complexum illud omnium eorum peccatorum quàm mendaciolum leue;profectò non videtur posse negari, etiam in eo casu reddendum licitum mendacium illud tam ingentem secum trahens vtilitatem.

33 *Non benè à quibusdam quæditur.*

Respondebis fortè; Damnum intrinsecum Dei esse longè maius quàm extrinsecum,quod in ea multitudine peccatorum consistit;ideoque non benè argumentum ex illo trahi ad peccata. Respondeo, In toto quidem rigore Logico argumentum non concludere, ac proinde hæc ratio dubitandi non est euidens, nihilominùs,vt sic dicam, mediatè saltem videtur valdè vrgere: nam, vt dixi, si semel admittimus ob vtilitatem illam extrinsecam posse cohonestari mendaciũ, non videmur habere posse vllum argumentum ad negandum, eam vtilitatem impediendi infinita & grauissima peccata non esse etiam sufficienten causſam ad re ipsa illud cohonestadum; etiam si ea vtilitas non sit tanta, quanta illa,qua damnum intrinsecum Dei impediretur. Nam (vt sæpè in similibus difficultatibus dixi)quando semel à regula generali desistimus per aliquam exceptionem, est supra modum difficile posteà dicere,Tantus excessus vt octo v g. sufficit,non verò alter aliquantulo minor. Denique ratio à prori facta, quòd Deo infinities magis displiceat illud aggregatum quàm mendacium ac proinde, quòd videatur malle carere eo aggregato quàm mẽdacio,adhuc vrget;& fortasse propter illam iudicari debere argumentum factum etiam in omni rigore Logico concludere; nam licet in damno intrinseco Dei si multò maior excessus quàm hic, hic tamen absolutè est valdè maior: si autem ob excessum sit ibi compensatio,cur non & hic?aut cur ab intrinseco bono Dei, quod illud peccatum secum adferret, quodque esset maius, quod in eiusdem peccati carentia reperitur,cohonestabitur ipsum peccatum;& etiam à maiori bono Dei extrinseo,quod in altero aasu affert, non etiam cohonestabitur,cum semper sit verum illud principium .Ex duobus malis eiusdem generis inter se inæqualibus minus esse eligendum?

34 *Soluitur; Quia illud damnum intrinsecum Dei mihi impraestatur.*

Vt verum fatear, hæc ratio mhi vtcumque videtur difficilis,nec scio quam assignare possim bonam disparitatem; nam solùm asserere, *Illa vtilitas sufficit. hæc non*, potiùs est diuinare quam discurrere: vnde non sine aliqua ratione dubitandi defendo eam sententiam. Fortassis ex eo capite posse aliqua certa disparitas assignari; nam damnum illud physicum Dei, quod in eo casu impossibili dicimus vitandum per mendacium,ita sequeretur necessariò ex carentia peccati,vt nulla noua interueniret libertas; ac proinde ergo tunc illud non impediens essem quasi planè determinata causſa illius;& ex hoc capite poterat mihi soli esse obligatio illud impediendi mentiendo, quia nullum alium talis obligatio poterat tunc respicere: in nostro autem casu de mendacio ad vitanda alia peccata grauiora est longè dispar ratio;nam quomodocumque casus fingatur, debet necessariò esse noua libertas in commissione secundi peccati, ideoque & noua obligatio,quæ nequit elidere priorem.Explico id magis:Nam casus vel ita ponitur,vt dicar ego per meum præsens mendacium impediturus,ne ego ipse deinde maiora committam: vel ponitur ita, vt sim impediturus, ne alij ea committant. Si secundo hoc modo casus poneretur, tunc dici debet obligationem vitandi ea maiora non esse penes me, qui in eis commitendis non ero liber, sed penes proximum; ac proinde meam obligationem fugiendi mendacium semper me vrgere,quia in eo solo sum liber ego; ideoque ego solùm teneor videre quid ego faciam,viderint alij quid faciant ipsi. Si verò ponatur casus primo modo,vti scilicet ego committam nunc ueniale,ne posteà committam alia grauiora, etiam dici mihi poterit id quod anteà notaui; *Esto nunc fugias mendacium, non propterea tolletur tibi libertas posteà, sed etiam tunc poteris, si volueris etiam illa vitare; hæc igitur oportet vitare, & illa non admittere.* Aliter, vt dixi, 35
contingeret in illo casu impossibili de damno intrinseco Dei; quod supponimus ita necessario ex meo peccato secuturum,vt posita mea libera omissione mendacij v. g. non alia interueniat operatio libera; ac proinde videatur iam eo ipso supra me tota ea obligatio illud repellendi incumbere. Vnde si poneremus huiusmodi casum circa peccata,vt per impossibile ex eo quòd ego non mentirer sine vlla planè mea aut alicuius alterius libertate, sequerentur illa nona grauia peccata (video quidem in hoc esse repugnantiam,pro præsenti tamen quæstione melius intelligendahoc impossibile suppono) pro fectò tunc ego dicerem,me potiùs debere mentiri,quàm dare necessariam illam causſam, ex qua sine noua vllius alterius libertate tot alia grauia sequerentur peccata. Vnde denique ad rem nostram dico; Si taliter poneremus casum illum de damno intrinseco Dei;quòd si ego v.g. non mentirer, alter ex sua malitia liberè esset Deo illaturus illud damnum physicum, tunc omnino dicerem., me fore obligandum ad non mentiendum;quia tunc ego solùm deberem esse solicitus, vt mea libertate benè vterer: quòd verò ex eo bono meo vsu alter scandalum passiuum acciperet,ad inferendum Deo illud damnum, non deberet à me vllo modo curari; sed ipsi deberet dici, *Vtere in tua libertate prout decet.* De quo puncto adhuc nonnihil dicam fine sequentis disputationis.

Si per impossibile sequerentur necessariò & sine nouâ vllius libertate grauia peccata, nisi ergo mentirer lenitèr, teneter mentiri.

DISPVTATIO NONA.

Qualis debeat esse contritio quoad alias circumstantias

1 EXPLICVIMVS hucusque motiua contritionis & amori Dei super omnia ; item quo pacto debeat Deum Præferre aliis creaturis:restant adhuc nonnullæ aliæ condiones , quæ in eis actibus à diuersis Auctoribus requiruntur ad hoc,vt ad iustificatione sufficiant;de quibus hac & sequenti disputationem sufficiant,de quibus hac& sequenti disputatione agendum erit, vt exacta notitia actus iustificantis extra Sacramentum habeatur. Et in primis suppono illam debere esse honestam, & quoad substantiam supernaturalem,sicut sunt omnes alij actus meritorij præmij supernaturalis de condigno; de quo fusè actum est in materia de Gratia & de Merito:ideóque hîc de eo puncto nihil repetendum.Suppono item ex eadem materia, posse esse naturalem dolorem de peccatis: & naturale propositum non peccandi de cetero: quod tamen non sit proportionatum ad gratiam promerendam prodter diuersitatem ordinis.Hæc communia omnibus actibus meritoriis, ad propria veniamus.

SECTIO I.

An qui detestatur vnum peccatum propter aliquod motiuum , detestetur eo ipso saltem virtualiter omnia quæ illud participant.

2 INTER præcipuas difficultates, quæ de contritione : disquiri solent,vna est,Quo pacto debeat respicere peccata quæ odio habet, an determinatè & distinctè omnia;an verò sufficiat , si sub aliqua ratione communi. Vbi rursus noua est difficultas,Quomodo, si rationem aliquam vniuersalem omnibus peccatis respiciat,eo ipso omnia illa detestetur.Vt ergo hæc difficultas exactè intelligatur oportuit præmittere hanc vniuersalem quæstionem; Quomodo scilicet ex detestatione motiui vniuersalis necessariò sequatur detestatio omnium peccatorum , quæ illud motiuum participant.Difficultas autem hæc habet eodem modo locum in ordine ad amorem, An qui amat vniuersale aliquod motiuum,eo ipso necessariò amet omnia quæ illud prticipant. Dico semper, *Quando ex motiuo vniuersali detestatur quis aliquod peccatum*; nam ob particularem malitiam extra controuersiam est,posse vnum odio haberi , non odio habitis aliis diuersis: sic grauissimi peccatores in multis materiis,in vna tamen aut altera horrent vehementer peccatum.

SVBSECTIO PRIMA.

Proponuntur dua extrema sententia.

3 *Prima sententia affirmatiua.*

PRima est communis , quam & Suarez tradit dis.3. sect. 8. & Lugo disput. 5. sect.6. affirmatque sine vlla vlteriori distinctione voluntatem teneri ad eam detestationem omnium, si odio habeat illud motiuum:aut è contrario ad amorem vniuersalem,si amat efficaciter motiuum illud vniuersale.Fundamentum huius sententiæ maximè desumitur ab his Auctoribus ex habitu fidei : nam eo ipso quòd quis credit vnam veritatem vt à Deo reuelatam , tenetur omnes omnino credere quæ substant ei motiuo diuinæ reuelationis:ergo eodem modo voluntas tenebitur amare,aut odio habere omnia ea obiecta materialia,quæ substant motiuo à se efficaciter odio habito,aut amato.Quid in hac sententia placeat , & an sit efficax ratio pro ea allata, dicam proponendo meam sententiam mediam inter hanc & negatiuam. *Probatur*

Absolutè igitur Ioannes de Meda Cod. de Pœnicentia , titulo 1. quæst. 12. art 2. in solutione ad secundum negat necessarium esse,vt qui detestatur aliquod peccatum sub motiuo vniuersali,detestetur etiam omnia sub eo motiuo contenta. Hanc sententiam acriter defendunt nonnulli Recentiores , fuseque deducunt quidquid tamen circa illam dicunt,reduci possunt ad hæc duo.Primum est , quia licet ratio communis sit sufficiens,vt propter illam possit homo detestari omnia peccata,in quibus ea reperitur, eo modo quo detestatur vnum ex illis : non tamen inde cogitur voluntas de se libera ad talem detestationem : poterit enim propter iliud motiuum detestari vnum solum peccatum:& licet possit propter illud idem aliud detestari,tamen liberè potest cessare , vel quia in altero peccato reperit delectationem præponderantem,quam in priori, quod detestata est,non reperit,sed præcisè malitiam motiui:vel quia, licet non inueniat specialem delectationem in vno,quam in allo,pro sua tamen libertate vult fugere vnum,& non aliud, licet ambo sint æqualia in malitia. *Secunda sententia negatiua:* *Probatur.*

Secundum fundamentum est,quia potest quis velle dare eleëmosynam vt quatuor propter honestatem eleëmosynæ, & tamen non velle dare vt centum, quantumuis eadem ratio honestatis & maior longè reperiatur in elargitione centum. Confirmatur:Ipse Deus mouetur propter suam gloriam ad producendum hominem:nec tamen ideo tenetur producere alias omnes creaturas,ex quibus eadem vel fortè maior ipsius gloria potest prouenire. Imò addunt hi Auctores : Licet detestetur quis furtum commissum v. g. propter rationem iniuriæ Dei(idem de aliis motiuis vniuersalibus) adhuc potest simul velle iterùm illud furtum committere : quia ratione iniuriæ in furto repertæ determinatur pro sua libertate volũtas ad illud detestandum pro tempore præcedenti,non tamen pro futuro:in quo nulla videtur esse repugnantia : quod etiam verum censent, quantumuis voluntas ad detestandum peccatum illud in indiuiduo non consideret circumstantiam aliquam repertam in illo indiuiduo,ratione cuius ad illud determinetur, sed præcisè moueatur ex detestatione iniuriæ secundum 4

dum se & abstractè consideratæ. Vrgent eorum hoc exemplo communi; quia dum quis efficaciter vult proiicere merces in mare v. g. propter vitam, potest etiam simul habere simplicem displicentiam in ea proiectione, ergo similiter dum quis efficaciter detestatur offensam Dei, seu peccatum, potest habere simplicem complacentiam in aliquo obiecto, in quo talis ratio offensæ reperiatur; vnde inferunt; Ergo in illa detestatione offensæ vt sic non includebatur virtualiter detestatio omnium peccatorum; aliàs cùm talis complacentia sit etiam peccatum, non posset cohærere cum illa detestatione efficaci. Hæc est substantia totaque vis huius sententiæ: circa quam

SVBSECTIO SECVNDA

Prima pars nostræ sententiæ.

5 *Conclusio circa actus amoris.*

PRimò censeo, in ordine ad actus amoris non esse necessarium, vt qui ex affectu efficaci ad aliquod bonum secundùm se & abstractè consideratum determinatur ad aliquod obiectum materiale, eo ipso velit virtualiter omnia alia obiecta, in quibus tale bonum reperitur. In hac conuento cum his Auctoribus secundis; differo verò a prioribus suprà citatis vniuersaliter contrarium asserentibus. *Probatur.* probatur autem efficaciter allato exemplo dantis eleëmosinam propter bonum eleëmosinæ: qui non ideò necessitatus est ad dandam omnem eleëmosinam possibilem. Item qui vult propter Deum facere bonum aliquod opus v. g. confiteri & communicare: non tamen ideò tenetur propter Deum ieiunare toto anno, vel ingredi Religionem, &c. Huius rei possumus hanc rationem reddere à priori, quia *Ratio à priori.* ex eo quòd quis efficaciter amet aliquam bonitatem secundùm se consideratam, solùm infertur illum necessitari ad ponendum aliquod medium, quo talem bonitatem re ipsâ obtineat non autem cogitur ad ponenda omnia media; per quæ posset eam bonitatem obtinere; ergo ex, eo quòd quis efficaciter vult placere Deo v.g. seu efficaciter afficitur ad bonum Dei secundùm se (quod idem est) non infertur, illum debere efficaciter amplecti omnia obiecta quæ placent Deo, sed sufficiet, si vnum tantùm eligat, per quod obtineat suum intentum, nempe placere Deo. Hoc mihi est certissimum, nec puto oppositum esse probabile; aliàs deberemus dicere, nullum posse propter Deum summè dilectum aliquod bonum opus efficaciter facere, nisi vellet omnia sibi possibilia facere: quod falsissimum est, & contra omnem omnino experientiam.

6 *Occurritur replicæ.*

Responderi fortassè posset ex his quæ aliqui insinuant, & inter illos Lugo, Rationem illam communem posse magis & minùs efficaciter amari, in casu autem à nobis posito non amari honestatem eleëmosynæ efficaciter omnino, sed aliquantulùm. Hæc tamen solutio nullo modo satisfacit quia vel nihil dicit, nisi idem per idem, vel continet doctrinam falsam: etenim si per *τὸ amari rationem communem omnino efficaciter* intelligant amari eam rationem vt extensam ad omnia, quæ sub illa continentur, tunc certissimum est, eum, qui amat eam rationem efficaciter eo modo, debere amare omnia quæ sub illa continentur. At id est dicere idem per idem; hoc est, qui amat rationem genericam *Quid est amari omnino efficaciter.* continet omnia, amat omnia: de quo nullus dubito, quia est propositio identica. Si verò *τὸ amari omnino efficaciter*, ita intelligant (& planè ita intelligitur communiter) vt homo velit ponere à parte rei eam rationem communem; sicut dicimus, *Ego omnino efficaciter volo ire Viennam*; id est, Sum omnino determinatus ad procuranda necessaria media vt Viennam eam: in hoc sensu, in quo nos loquimur, falsum continet ea responsio, nam omnino efficaciter potest quis velle ponere à parte rei rationem illam communem placendi Deo, aut dandi eleëmosynam, eo ipso quòd in multis rebus Deo placeat, etiamsi longè plura omittat, quæ scit illi placere, possetque plura facere; vti verissimè amat efficaciter rationem genericam eleëmosynæ, qui multadat in eleëmosynam, esto posset plura (vt dixmus) & verè ille exequeretur efficaciter à parte rei rationem animalis, qui aliquod animal produceret, licet non omnia.

Dices Primò; Qui ex motiuo Fidei diuinæ credit vni veritati reuelatæ, tenetur & omnibus credere ergo qui ex motiuo charitatis amat vnum obiectum honestum, tenetur ex eodem motiuo omnia amare. Hoc (vt suprà dixi) est præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ: ei respondent nonnulli negando consequentiam; nam eo ipso quòd quis dissentiret alicui dicto diuino, iam iudicaret Deum esse fallibilem in suis dictis, cuius contradictorium supponitur creditum ante assensum quemcumque Fidei; ergo non cohæret cum assensu aliquo Fidei dissensus alaeri dicto Dei: quia nequit simul homo duo contradictoria iudicare. Hæc responsio probat quidem non posse esse vnum assensum circa vnam veritatem & dissensum circa alteram; non tamen ostendit non posse intellectum suspendere suum assensum circa alteram: deinde non explicat, cur voluntas possit simul velle vnum obiectum, & nolle alterum, in quo est idem motiuum: quia etiam inde videtur sequi, velle & non velle efficaciter illud motiuum. Respondeo ergo concedendo antecedens, & negando consequentiam, qua cùm essensus Fidei pertineat ad intellectum, quia non est liber in suis operationibus eo ipso quòd certum sibi persuadeat Deum in omnibus suis dictis esse verace, & aduertat hoc in particulari esse dictum Dei, non potest non iudicare hoc dictum esse verum. suppono enim aliunde, posito assensu præmissarum, non posse intellectum non assentiri conclusioni inde euidenter illatæ: qualis est in præsenti veritas cuiuscumque dicti Dei suppositis ille duabus vniuersalibus præmissis: in ordine autem ad voluntatem nihil tale reperitur, quia cùm sit libera, potest pro sua libertate inter duo obiecta, in quibus est eadem bonitas, vnum amare, aliud respuere; neque ideò sequitur contradictio vlla, quia non amat & respuit eamdem bonitatem, sed distinctas: amat enim bonitatem vt sic, quam obtinet amando aliquam in particulari, respuit autem præcisè aliam in particulari distinctam.

7 *Obiectio prima:*

Soluitur à quibusdam, sed inefficaciter.

Soluitur melius.

Disparitas inter actus intellectus & voluntatis.

8 *Obiectio secunda:*

Secundò dices: Idem secundùm idem semper est natum facere idem; ergo cùm in illis obiectis materialibus supponamus eâdem esse bonitatem, quæ est in hoc particulari amato, quia omnia participant eam rationem communem, debebunt etiam & alia necessariò amari. Respondeo, Hoc axiomare solùm probari, omnia alia particularia obiecta posse etiam amari, non verò concludi, necessarium id esse, quia, vti dixi, voluntas libera inter obiecta æqualia potest pro suo libitu hoc vel illud eligere; imò inter inæqualia

Soluitur.

æqualia potest relicto nobiliori amare id quod minus bonum est.

Hinc infero, Etiam in peccatore posse esse actum aliquem amoris, quo ex voluntate efficaci placendi Deo actualiter eligere possit aliquod obiectum honestum, v.g. largitionem eleëmosinæ, ieiunium, &c. qui actus neque erit voluntas virtualis aliorum obiectorum honestorum, iuxta dicta in præcedenti conclusione, nec etiam erit detestatio virtualis peccatorum; nam velle efficaciter placere Deo in aliquo non excludit voluntatem displicendi illi in alio: vnde talis amor non erit super omnia, & consequenter non iustificabit, iuxta superiùs dicta.

Replicat Solvitur

Replicabis: talis peccator non habet voluntatem simpliciter & absolutè placendi Deo. Respondeo, in hac obiectione admisceri quæstionem de nomine, Vtrùm scilicet, quia ille amor non se extendit ad omnia, dicendus sit homo ille absolutè amare Deum & velle ei semper placere. In qua quæstione longè probabilius est omnino debere dici, id velle absolutè, licet non vniuersaliter in omni materia. Certè ex delectatione cibi secundùm se considerata v.g. habere possumus voluntatem absolutam vnius cibi, licet non habeamus voluntatem alterius, & absolutè dicemur tunc velle comedere; & amare efficaciter delectationem cibi: quis hoc negabit: similiter qui considerans bonitatem Dei, & cibi complacens in illa, vult efficaciter vnum obiectum, quod videt Deo placere, etiamsi respuat alia: procul dubio absolutè dicetur velle placere Deo. Fateor, non dicetur velle placere super omnia, si non detestetur omnia peccata: (& in hoc sensu potest dici non absolutè velle) hoc tamen solùm probat, talem amorem non esse sufficientem ad iustificationem, vt diximus: ideóque nec debebit dici amor amicitiæ, quia hic est amor super omnia.

Amor qui se non extendit ad omnia, non est amicitia.

SVBSECTIO TERTIA.

Altera pars nostræ sententiæ.

Conclusio circa actus odij:

SECVNDO censeo in ordine ad actus odij, eo ipso quòd quis ex detestatione efficaci alicuius motiui secundùm se consideratí, v.g: iniuriæ Dei, odit aliquod peccatum, virtualiter; etiam odio habere omnia in quibus tale motiuum reperitur. In hoc conuenio cum communi sententia, & differo à Recentioribus pro secunda supra citatis. Probo autem efficaciter conclusionem: & ponamus exemplum in eo qui ob pœnas inferni, vel ne excidat gloria, odit peccatum. Certè qui ex affectu efficaci gloriæ odit vnum peccatum mortale, quia illa gloria priuat non dubium quin eo ipso necessariò debeat odio habere omnia peccata, quæ priuant ea gloria. Nam voluntas efficax alicuius finis, in omnium sententia, est voluntas saltem virtualis efficax omnium mediorum necessariorum ad consecutionem eius finis, ergo cùm ad obtinendam gloriam sit medium simpliciter necessarium non solùm fugere vnum peccatum mortale, sed omnia omnino: certè qui ex affectu efficaci gloriæ vnum odit, non potest non & omnia odio habere: hoc tam clarum per se apparet, vt à nemine possit negari. Similiter qui efficaciter detestatur pœnas inferni, id est absolutè non vult eò ire, necessum est vt non solùm fugiat vnam viam, qua, illuc itur, id est vnum peccatum, sed omnes omnino vias, omnia omnino peccata, quia fuga omnium est simpliciter necessaria ad non eundum illuc absolutè: & hinc apparet ratio disparitatis inter duas partes nostræ sententiæ; nam qui ex delectabilitate gloriæ efficaciter volita determinatur ad faciendum bonum opus, quia causatiuum est gloriæ, non ideò determinatur ad faciendo omnia bona opera causatiua gloriæ; quia per vnicum obtinere potest suum intentum. At si ex eodem affectu efficaci gloriæ determinatur ad fugiendum vnum peccatum mortale, necessariò debet omnia fugere; quia non potest consequi suum intentum nisi omnia fugiendo.

Probatur.

Dices Primò: Potest quis, quatumuis efficaciter detestetur infernum proposita tamen aliqua grandi voluptate in peccato, illud admittere; ergo voluntas efficax fugiendi inferni non est detestatio efficax omnium peccatorum. Respondeo Ab his Auctoribus magnam hîc committi æquiuocationem: aliud enim est hominem illum vinci tunc ea tentatione, & deserere propositum suum antiquum; aliud, quòd propositum illi ex se non sit detestatio peccatorum omnium; concedimus ergo eum hominem iuccubuisse. At de ratione voluntatis efficacis (vt dixi suprà agens de amore Dei super omnia) non est, quòd non possit homo cessare ab illa etiam quacumque tentatione occurrente; hoc enim est falsissimum. Nam vti ille actus liberè est habitus, ita conseruatur liberè; ac proinde etiamsi nulla si tentatio, adhuc tamen potest homo ab eo cessare, id tamen non probat illum vere efficacite non detestari omnia peccata: id quod fateri tenentur hi in illo ipso particulari obiecto, quod actus ille efficaciter detestatur; licet enim negent hi per eum actum voluntatem detestari cetera obiecta, quæ sub generali ratione continentur, saltem debent admittere vnum particulare eam detestari; & tamen occurrente tentatione, imò & sine vlla planè, potest voluntas mutato eo actu illud idem obiectum amplecti; ergo ea obiectio, quòd voluntas tunc in aliqua alia materia succumbere possit tentationi, non est ad rem præsentem. 10 *Obiectio prima:* *Soluitur.*

Secundò obicies: Potest quis manere in ea detestatione efficaci inferni per furtum v.g. incurrendi; tamen si possit in hac vita esse Imperator per multos annos, non curare infernum Respondeo, Etiam hîc committi æquiuocationem in ea obiectione; nam detestari infernum vt incurrendum per furtum, non est absolutè nolle damnari, sed nolle ob tam vile pretium: nos autem loquimur de odio absoluto inferni, seu de absoluta voluntate illuc non eundi. Vti mercator, qui iusto pretio vult pallium vendere, non tamen ideò habet voluntatem illud standi pro crucifero: neque propterea potest dici, Non vult vendere, sed, Non vult prodigere. 11 *Obiectio secunda:* *Soluitur.*

Replicabis: Ex displicentia circa infernum possum efficaciter detestari furtum, etiamsi simul admittam aliud peccatum, vt diximus: atqui eo casu etiam detestor efficaciter ipsum infernum, quia iuxta illud commune axioma, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; ergo si hoc peccatum detestor efficaciter ob infernum, etiam efficaciter detestor infernum. Respondeo Primò, Hoc argumentum debere ab omnibus solui, quia (quidquid sit de hoc puncto (certissimum est posse medium aliquod executioni mandari ex solo simplici affectu circa finem. Num Deus ex voluntate inefficaci salutis v.g. Iudæ dedit illi auxilia sufficientia, omniaque *Replicat* *Soluitur Primò.*

que alia media necessaria ad hoc, vt posset saluari: quæ media haud dubiè Deus voluit efficaciter, quandoquidem produxit illa, & idem suo modo de omnibus reprobis dicendum est: ergo eò quòd ex horrore infernj fugiat quis efficaciter hoc numero peccatum, nullo modo sequitur, eum absolutè nolle damnari, sed absolutè nolle per hanc viam; terminum verò illius solùm inefficaciter tunc odio habet: quid ergo ad obiectionem absolutè dicemus, & quomodo in eo casu saluabitur illud principium commune? 12 *Solutio Lugo primæ* Cardinalis Lugo ea disput. 5. sect. 6. tractans hanc quæstionem quoad amorem illum inefficacem, quo Deus fertur in salutem nostram, dum per illum dat auxilia sufficientia, respondet, Etiam tunc Deum amare plus salutem Iudæ quam media ad illam; quia Deus ita se habet dando media, vt si medium illud non esset vtile ad salutem, illud non tribueret. Hæc tamen responsio nullo modo mihi satisfacit; nam per eam solùm ostenditur, motiuum adæquatum amandi auxilia illa esse eorum vtilitatem ad gloriam; id quod nemo negat, quin potiùs hinc maximè sumitur tota ratio dubitandi, quomodo cum hoc stet, medium amari efficaciter, quod est plus amari, finem verò tantùm inefficaciter, quod est minùs amari. *Reiicitur.* *Solutio Lugo secunda:* Secundò respondet, Ideò medium amari efficaciter, finem verò non; quia finis amatur sub conditione, quòd non sit necessarium aliud medium pro ipso; medium verò amatur sub conditione, quòd ad ipsum ponendum non sit necessarium aliud medium; cumque hæc conditio purificetur respectu medij, ideò ait illud amari efficaciter, finem verò inefficaciter, quia respectu illius est necessarium aliud medium. Neque item Deus suo affectu præfert existentiam medij alicui obiecto, cui non præfert etiam salutem hominis. Verùm neque hæc solutio satisfacit; Primò, quia ex hoc capite ostendit quidem Auctor medium non amari plus quàm finem; at è contrari finem amari plus (vt axioma illud requirit) nequaquam ostendit. *Reiicitur Primò,*

13 *Secundò,* Secundò, quia ad volendum efficaciter medium necessarium ad salutem non facit Deus illam considerationem, *Sintne ad ipsum medium alia media necessaria nécne*; vnde numquam conditionatè vult medium, sed omnino absolutè; solùm enim considerat illud simpliciter requiri ad salutem: vult enim homini dare omnia quibus indiget, vt possit salutem obtinere; licet ei non det omnia; per quæ re ipsa salutem illam consequatur.

Tertiò, Tertiò falsum est, eam conditionem, quam hi ponunt in voluntate diuina, purificari respectum mediorum, id est, non esse alia media ad illud necessaria, nam ad vltimum medium necessarium pro salute hominis multa alia media præcedunt necessaria; imò etsi essent infinita necessaria, daret illa Deus; ergo multò magis efficaciter amat medium quàm salutem; quia ad ponendum de facto medium non attendit, quòd necessitetur etiam ponere alia; ad hoc tamen attendit, vt ponat salutem, iuxta hos Auctores. *Quartò,*

Contra Quartò, quia posito iam vltimo medio non est necessarium aliud pro existentia finis, & tamen non ideò Deus cogitur ad volendum efficaciter finem; ergo. Ne verò fortè dicas repugnare, Deum post vltimum medium cogi ad volendum efficaciter eum finem: nam iam eo ipso illa voluntas Dei esset vltimum medium: hoc autem est contra suppositionem: ne inquam id dicas, aliter formo vltimam hanc impugnationem, quando Deus dat penultimum medium sine dubio videt ad dandum tunc illud, quod sit efficax præ inefficaci, non esse necessarium vllum aliud medium adhibere; & tamen non obligatur Deus tunc efficax eligere, & per illud quasi amare efficaciter finem, sed potest dare medium inefficax; ergo solutio non satisfacit difficultati.

Contrà tandem, quia licet respectu medij & finis præcesserint duæ illæ voluntates conditionatæ ex parte obiecti in Deo, & in ordine ad illas sit æqualis [illegible] cum medio: postquam tamen Deus vidit [illegible]itam conditionem respectu medij, debuit habere voluntatem absolutam respectu illius, cui nihil simile datur respectu salutis: ergo absolutè ratione illius vltimæ voluntatis magis amatur medium quàm salus: sicut quando dico, *Accipe eleëmosynam*, magis efficaciter amatur eleëmosyna, quàm si dicam, *Cras tibi illam dabo, si venerit Petrus*; qui posteà non venit. ideóque non do eleëmosinam. 14 *Quintò.*

Meliùs ergo potest responderi; Non semper maiorem esse eum amorem quo alicui rei maius bonum amo. Etenim multò magis Deus amat, seu magis ipsi placet vnio hypostatica possibilis de facto non producta, quàm arenula aliqua reipsa existens; & tamen arenulæ dedit maius bonum, quia eam produxit, quam illi vnioni quam non produxit. Vnde eam patet, non semper amorem efficacem esse maiorem simpliciter quàm simplicem omnem complacentiam; similiter in humanis sæpè contigit, vt pro persona minùs amata maiora procurentur bona, quàm pro magis amata ob alias diuersas causas: & in amore nostro respectu Dei res est certissima; ille enim qui paratus est potiùs vitam & omnia amittere, quam Deum offendere, procul dubio magis amat simpliciter Deum quàm creaturas; & tamen sæpissimè iste talis maiora bona confert creaturis efficaciter quàm Deo, quia contentus est Deum non offendere: de faciendis autem actibus, qui illi placant, non est valdè sollicitus: creaturis verò, v. g. amico intimo, filio vel vxori, non solùm est contentus si non faciat offensam, sed multa positiua bona illis ex complacentia in ipsis efficaciter procurat: ergo maior amor simpliciter non consistit in dando maiori bono: in quo ergo ille consistit: *Solutur efficaciter realica proposita.* *Non semper amor efficax est simpliciter maior quàm omnis simplex complacentia.*

Respondeo, Consistere in maiori voluntatis appretiatione, quæ explicatur per hanc conditionalem, Si essent ea duo bona incompossibilia Deus scilicet & amicus, & vnus propter alium esset relinquendus, priùs relinquentem amicum quàm Deum, licet nunc plura amen amico bona quàm Deo. Similiter si Deus inter vnionem hypostaticam possibilem & arenulam existentem deberet facere electionem, ita vt vnam solùm admitteret possibilem, magis vellet possibilem esse vnionem quàm arenulam, licet de facto vnioni non det existentiam; quam tamen dat arenulæ. Idem ergo dico in præsenti, Deum magis amare salutem Petri, quam medium ad illam vt tale est; quia si inter hæc duo esset repugnantia, & vnum præ alio deberet omitti, priùs vellet Deus non esse possibile medium, quàm non esse possibilem salutem: imò etiam in ordine ad existentiam, si medium repugnaret cum salute, & vnum ex illis deberet poni, poneret Deus salutem, & non medium: quia tunc nulla esset ra- 15 *In quo consistat, quòd amor vnus sit altero maior.* *Quomodo Deus magis amet salutem nostrā quàm media ad illam.*

tio

tura, licet non sit tanta gloria, quanta obtineretur ex multis. Ad alteram instantiam, de eo qui ob turpitudinem furti cessat ab vno furto, non tamen ab omnibus, iam in discursu dictum est talem non detestari absolutè efficaciter eam turpitudinem in genere, sed hanc individuam, 19 quæ in hoc numero peccato est. Ad vltimam instantiam de eo qui ob vitam tuendam proiicit merces in mare, & simul habet aliquam displicentiam circa eamdem proiectionem, dico eam non esse ad rem: quia simplex illa displicentia non repugnat cum absoluta proiectone: quid ergo mirum si simul sint? At hi Auctores ponunt simul cum odio efficaci peccati vnam talem simplicem complacentiam, quam dicunt esse peccaminosam: si autem eam homo habet, iam eo ipso simul & semel dicit efficaciter, *Nolo peccare*, & tamen in actu exercito peccat: id quod haud dubiè repugnat. Porrò talem ab eis poni complacentiam inde patet, quia ponunt eam quæ diceret, *Si tamen non esset infernus, ego peccarem*: de qua nos alibi diximus omnino esse peccaminosam, quia est voluntas conditionata malitiæ, & quidem de se, si conditio illa poneretur, esset efficax: in ea autem conditione non præscinditur à malitia, sed à pœna: ac proinde est idem ac si diceret, *Ego, si non esset pœna, omnino peccarem*: quæ volitio est omnino peccaminosa. Vnde si talem simplicem complacentiam in peccato hi ponerent, quæ non esset peccatum, haud dubiè ea cohærere posset cum voluntate non peccandi.

SECTIO II.

An contritio perfecta debeat cadere supra omnia peccata in particulari.

DVPLEX circa hoc potest esse difficultas Prima: An sit necessaria distincta detestatio pro quolibet peccato. Circa quam aliqui apud Patrem Vasquez quæst. 86. art. 2. dubio 7. affirmant. Contraria tamen sententia est ferè omnium, & certissima: quia neque in Scriptura, neque in Concilijs aut ratione potest fundari talis necessitas: imò expressè videtur contrarium ex Tridentino colligi: loquens enim de contritione habente motiuum vniuersale, ait illam, si charitate formetur, iustificare ergo non requirit Tridentinum distinctas detestationes, sed vnam vniuersalem: de qua etiam dicit comprehendere peccata, quorum homo est oblitus: quod non fieret, si de quolibet peccato distincta detestatio requireretur. Ratio huius conclusionis non potest ex natura rei desumi: potuisset enim Deus, si voluisset, eas detestationes distinctas requirere: desumenda ergo est, quia Concilia & Patres, dum explicant media necessaria ad iustificationem, numquam de eis distinctis detestationibus quidquam asserunt: sed præcisè requirunt, quod homo amet Deum, doleat se illum offendisse, proponat emendationem, &c. quæ omnia haberi possunt cum generali tantùm dolore de omnibus peccatis commissis: ergo non possumus vllo modo requirere eas distinctas detestationes. Congruentia verò, cur Deus ita decreuerit, ea est, quia aliàs in infinitis casibus periculi mortis, & præsertim in his qui multa haberent peccata, omnino esset salus impossibilis, quia non possent tot distinctas contritiones elicere; magnum autem desiderium, quod Deus habet pro nostra salute videtur exegisse, vt eam nobis redderet non adeo difficilem.

20 *Quæstio prima: An requiratur detestatio distincta omnium peccati. Conclusio negatiua. Probatur.*

Obiicies, Magis debeo detestari grauius peccatum quàm minus; sed hoc non potest fieri per vnicam detestationem omnia complectentem; ergo. Respondeo Primò, altem quando peccata sunt æqualia, non fore ob eam rationem necessarias plures detestationes. Secundò dico, Non teneri nos ad magis detestandum vnum peccatum quàm aliud expressè: nec enim debet peccator inquirere gradus peccatorum, & ponderare, quod sit maius, quod minus, vt iuxta eorum exigentias habeat detestationes. Certè vix Theologi possunt post multas disputationes agnoscere cum excessum peccatorum, & quod sit alio grauius; quid ergo faciet rusticus? Tertiò tandem, quia licet hoc requireretur, posset per vnum actum fieri: imò omnis maior detestatio vnius obiecti præ alio (idem est in amore) necessariò debet in vnico actu consistere; nam, vt diximus suprà, hæc maior detestatio non consistit in maiori intentione actus, sed in essentia illius, quâ vnum præfert alteri: si autem neuter ex illis actibus tangat nisi vnum obiectum, vnus fugiat furtum, nihil de luxuria dicendo, alter è contrario luxuriam, nihil dicendo de furto, non est explicabile, quomodo possit ibi reperiri detestatio vnius præ altero: debet ergo esse vnus actus indiuisibilis, qui dicat, *Malo hoc fugere quam illud*: verùm neque id requiri, sed sufficere, si absolutè dicat, *Nolo vnquam offendere Deum*, videtur apud omnes certissimum. 21 *Obiectio.*

Solutio.

Quòd si vrgeas, Data occasione, in qua deberet vnum è duobus eligi, magis est fugiendum quod est grauius: ergo etiam quando quis ea detestatur, debet magis detestari quod grauius est; si hoc inquam obiceris, respondebimus facilè, Non omnia quæ fieri debent quando ponitur homo in aliqua occasione admittendi obiectum, debere etiam fieri quando homo abstractè, & remotè, vt sic dicam, tangit ea obiecta: sic pro contritione sufficit dicere, *Volo seruare omnia præcepta*, nec est necessum ea determinatè tunc noscere: si tamen ad praxim veniatur, necessum est determinatè & in particulari circa illud, quod tunc occurret, dicere, *Volo seruare hoc in particulari, quod cognosco esse hic & nunc sub obligatione*. Non est ergo cur ea distincta contritio requiratur de quolibet peccato.

Quæstio secunda: An sit necessarium peccata distinctè recogitare,

Secunda tamen difficultas in præsenti sit, Vtrùm saltem sit necessarium omnia peccata distinctè recogitare, vt supra illa cadat contritio. Multi affirmant apud Patrem Vasquez suprà: sed ipse ibi & Pater Suarez disput. 3. sect. 8. num. 4, negatiuam tuentur,

22 *Conclusio prima. Non est necessarium in publicato vitæ.*

Dicendum Primò: Si semel sit de tempore, quo vrget vitæ periculum, non esse probabile requiri talem distinctam considerationem: quia tunc nec præceptum ipsum confessionis, quod de se obligat ad distinctam omnium peccatorum explicationem, eam requirit, sed dato signo doloris petitaque absolutione potest homo validè & fructuosè absolui: ergo in eo casu multò minùs contritio petet eam distinctam considerationem.

Secunda: Nec in oblitione inculpabili.

Dicendum Secundò: Casu quo quis oblitus scitur alicuius peccati facto examine, si habeat actum respicientem motiuum vniuersale de Fide esse ex Tridentino, illud peccatum etiam tunc

remitti, licet de eo non sit cogitatio vlla.

Tertia, Nec in vllo illo casu.

Dicendum tandem Tertiò; Etiam extra casum necessitatis, & quando quis potest omnium peccatorum recordari, non esse necessum ad iustificationem extra Sacramentum omnia distinctè recogitare, sed sufficere in confuso omnia peccata quæ fecit detestari ex motiuo charitatis. Ita Pater Suarez & Vasquez & suprà, & multi alij.

Probatur.

Probatúrque; nam talis recogitatio distincta non est necessaria ex natura rei, seu ex necessitate medij, aliàs in extremo periculo esset necessaria: quod nec Aduersarij admittunt. Deinde id confirmatur exemplo ex humanis desumpto; nam si quis multas contra alium iniurias commisit, non est necessum ad reconciliationem omnes memoria repetere, sed sufficit pro illis in confuso veniam petere, & offerre satisfactionem, quæ censeatur omnibus æquiualere, quæcunque illæ fuerint. Secundò, talis recogitatio non est necessaria ex præcepto diuino; quia nullibi de tali præcepto fit mentio: humano autem iure nec posita est hæc obligatio, nec potest poni, quia Ecclesia non potest determinare actus necessarios ad iustificationem, sed solùm explicare determinationem à Deo factam.

Obiectio. prima.

Dices Primò: Quot sunt peccata, tot sunt auersiones à Deo, & conuersiones expressæ ad creaturas; ergo, vt sufficienter retractentur, debent etiam esse è contrario totidem expressæ conuersiones ad Deum & auersiones à creatura. Hoc argumentum probat amplius quam velint eius Auctores, scilicet non solùm requiri cogitationem de omnibus, sed distinctam de quolibet contritionem; deinde etiam probat requiri id vrgente necessitate, quod etiam est contra eos Auctores; imò etiam, dum non occurrit peccatum memoriæ, probat non sufficienter retractari, si non sit de illo expressa detestatio: quod est contra Tridentinum. Respondeo ergo: Omnes conuersiones sufficienter retractari per detestationem vniuersalem ex vniuersali motiuo quia illa est tanti valoris & efficaciæ ac si esset expressa; nec necessum est contritionem in omnibus comparari cum peccato, v. g. in duratione intensione, &c. idem est in expressa consideratione illorum.

23. Reijcitur.

Obiectio secunda. Soluitur.

Dices Secundò: Homo dum continetur exercet munus iudicis contra se: ergo debet omnia crimina distinctè cognoscere. Nego antecedens: solùm enim se habet vt reus petens à summo iudice Deo veniam de suis peccatis, quæ alioquin ipsi Deo iudici satis sunt nota.

Replica ex sacra Scriptura.

Vrgebis ex Ezechielis capite 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit iudicium & iustitiam*, &c vbi *vt iudicium* solùm videtur intelligi posse de actu iudiciali circa seipsum, præsertim cùm distinguatur ibi ab hoc, quod est facere iustitiam & seruare præceptum Dei. Sed in primis redarguo hos Auctores; ipsi enim dicunt esse præceptum de faciendo isto actu iudiciali: ergo iam tale iudicium includitur in illis verbis, *Et præcepta mea seruauerit*; ergo adhuc hi non condistinguunt illud *fecerit iudicium* ab hoc, quod est seruare præcepta quandoquidem ibi includitur; non ergo ex repetitione illorum verborum potest inferri aliquid distinctum significari, sed idem magis declarari. Adde, ibi, *facere iudicium*, idem esse ac seruare iustitiam circa alios, sicut aiebat Dauid Psal. 118. *Feci iudicium & iustitiam: non calumnientur me superbi*: item *vt fecerit iudicium*

Soluitur.

14

ad tempus futurum post pœnitentiam reducit: iam enim supponitur facta illis verbis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis* Nec ex eo, quòd dicat *ab omnibus*, debet inferre, Illa omnia necessariò reuocanda in memoriam expressè, sed solùm, quòd de omnibus debet dolere, siue in confuso, siue explicitè ea consideret.

Alia loca sacræ Scripturæ explicantur.

Alia solent loca adferri Scripturæ, vbi de Sanctis dicitur recogitasse sua peccata, & ab occultis etiam petiisse veniam; sed hæc ostendunt, quid Sancti fecerint, & laudabiliter quidem; non tamen probant præceptum de hac consideratione: sicut Dauid dicit se rigasse lectum suum lacrymis; non tamen inde infertur, esse obligationem ad hoc, vt peccata remittantur, vllas lacrymas effundendi.

Vsi & loca Sanctorum Patrum.

Tandem adducuntur aliqua Patrum loca, de quibus Vasquez vbi suprà quæ intelligenda sunt vel de præcepto confessionis, vel de necessitate detestandi omnia, & non vnum solum aut alterum, siue hoc fiat ea explicitè recogitando, siue non; vel adhortantur nos ad hanc exactam disquisitionem, quia vtilior est etiamsi simpliciter non sit necessaria.

Nec in confessione requiritur dolor distinctus de quouis peccato.

Quæ diximus intelligenda sunt etiam quando quis confitetur: licet enim sit necessarium, vt Sacerdoti tamquam iudici omnia peccata explicet, non tamen est necessum vt contritio vel attritio dicat, *Detestor furtum, & periurium: & adulterium*, &c. sed sufficit si dicat, *Detestor*, vel, *Pœnitet me Deum offendisse*. Ratio huius est, quia neque pro tali casu est fundamentum vllum ad requirendum dolorem ita explicitum omnium in particulari.

25 An in memoria pluriũ peccatorum sufficiat vnã tantùm detestari. Rationes pro parte negatiua.

Illud hac occasione verti potest in dubium, Vtrùm si aliquis memor diuersorum peccatorum mortalium, vnum tantùm detestaretur ob Deum summè dilectum, sufficeret ea dilectio ad iustificationem. Aliqui iudicant non posse talem actum dari; quia cùm eadem facilitate possit tunc homo detestari omnia peccata, profectò si id non faciat, eo ipso videtur cetera approbare, saltem interpretatiuè: eo autem ipso non haberet motiuum vniuersale, imò (quod grauius est) peccaret. Ita sentit Corduba, quem refert & sequitur Suar disput. 4. sect. 6. & problematicè tuetur Tannerus. Confirmatur: Si quis in præsentia duorum honestorum virorum vnum tantùm honoret, videtur eo ipso alterum contemnere. Suarez præterea id probat, quia formalis pœnitentia est necessarium medium per se ad iustificationem: ergo quoties homo est: in proxima potentia ad eam pœnitentiam, & vult iustificari, debet formaliter omnia illa detestari. Verum quidem est hominem absolutè ad id non obligari, ex suppositione tamen, quòd per vnius detestationem velit iustificari, debebit omnia odio habere. In contritione autem includitur vel virtualiter vel formaliter ea intentio iustificationis; ergo. Non placet mihi hæc ratio; Primò, quia contritio non est vllo modo reflexa aut directa voluntas iustificationis; (quod idem suo modo dico de attritione;) procedit quidè frequenter ex tali desiderio, at ipsa nihil dicit de iustificatione, sed in actu exercito est odium peccati ob Deũ summè dilectum: ac proinde (vt alibi dixi) esto homo ignoraret possibilem esse iustificationem omnem, aut quòd Deus velit in eum finem acceptare contritionem, adhuc tamen posset dolere de peccatis ob Deum summè dilectum,

Negat Suarez.

Ratio Suarij.

Reijcitur.

lectum, vti dolemus de malis quæ iam non possunt reparari; nulla ergo est ibi reflexio, ob quam homo velit iustificari, & ex qua intentione
26 rursùs cogatur ad habendam expressam pœnitentiam de omnibus. Secundò ea ratio mihi displicet, quia longè est probabilius non esse necessàriam contritionem, etiam per se loquendo iustificationem obtinendam, quando non obligat aliunde præceptum Pœnitentiæ, ideòque solum amorem etiam tunc sufficere, vt diximus suprà; ergo à fortiori sufficiet, si coniungatur detestatio expressa saltem vnius peccati. Tertiò, quia saltem sequendo opinionem contrariam, aut certè ex ignorantia inuincibili, vel ex inaduertentia, posset homo cogitare, se non teneri tunc ad eam vniuersalem detestationem, siue simul iudicet se posse iustificari, siue non. Cur ergo tunc non erit possibilis talis detestatio? & tunc habebit locum dubium propositum an illa valeat ad iustificandum.

Prior ratio, quod tunc censeatur homo interpretatiuè cetera peccata approbare, est (vt verum fatear) difficilior; maximè autem quia diximus sæpè non posse esse amorem aut odiũ super omnia, nisi faciat comparationem illam, quòd malit omnia amittere quàm Deum; hoc autem vix potest dici quando homo est memor peccari alicuius, nisi detestetur illud expressè. Vnde absolutè non puto possibilem in eo casu
Conclusio. amorem sine vniuersali detestatione omnium peccatorum; non tamen quia ea præcisio circa peccata esset eorum approbatio, vt ea prima ratio dicebat, sed quia reuerà non posset se tunc voluntas cohibere ab eo odio. Addo, si tamen aliquando haberetur talis actus cum ea vniuersalitate motiui, illum omnino futurum sufficientem ad iustificationem, ob paulò antè dicta, ob vniuersale nostrum principium, quòd amor super omnia etiam sine vlla detestatione sufficiat.

SECTIO III.

Quomodo se debeat voluntas gerere in concurrentia peccatorum inæqualium & in affectu conditionali circa illa.

27 DIXIMVS absolutè loquendo non esse necessarium vllam comparationem facere inter peccata: nunc tamen quærimus, Quid si essem determinatus ad eligendum vnum è
Inter duo peccata minus esset eligendum. duobus malis inæqualibus? Respondeo, Me obligandum vt citiùs admitterem minùs quàm maius. Quam doctrinam sæpè tradidimus, estque rationi naturali adeò conformis, vt explicatis terminis vix possit ampliùs probari: qui enim non potest torum malum vitare, tenetur saltem illud maius quod potest. Vnde in ea concurrentia necessum est expressè magis detestari quod grauius est. Ideò si quis ex ignorantia inuincibili putaret se hìc & nunc teneri ad mentiendum, vt innocentem liberaret, & aliunde etiam iudicaret se peccare mentiendo, minùs tamen grauiter quàm loquendo verum, & innocentem producendo: procul dubio teneretur mentiri. Quo casu Pater Suarez ea disput. 3 sect. 10. duas conclusiones ponit, quæ non videntur mihi veræ: vna est, talem ignorantiam
Discursus P. Suarij. esse impossibilem: quia per se est notum non posse quem teneri ad peccandum. Hoc mihi displicet: nam licet sit principium naturale, neminem esse posse necessitatum ad peccandum; non tamen propterea illud omnes tenentur scire: numquid enim omnes rustici tenentur scire omnia principia naturalia, licet sint per se nota intellectui benè disposito? Certè ego puto sæpissimè casum hunc contingere, & hominem esse dubium, nec scire quò se vertat: quia quodcumque faciat, apprehendit fore peccatum. *Reiicitur.*
Secundò docet Suarez, casu quo daretur talis ignorantia, eum hominem peccaturum mentiendo ratione conscientiæ erroneæ. Hoc etiam mihi displicet: nam si ille fecit in eo casu quantũ potuit, certè licet putauerit se peccare, non tamen ideò peccauit. Pone illum fuisse omnino necessitatum physicè ad mentiendum, hoc tamen ab ipso ignorari: quia potiùs reflexè putat se esse liberum, mentiatur: dicésne illum peccare? Profectò hoc nullus admittet: alias qui dormiens mentiretur, vel haberet aliquem consensum in peccatum, peccaret, si ille ipse iudicaret in somnis se esse liberum: quod tamen est omnino falsum. Consequentia autem est euidens, 28
quia tam in vno casu quàm in alio caret homo libertate, tam in vno quàm in alio iudicat se illam habere, & tam in vno quàm in alio fallitur: ergo. Ratio à priori est, quia peccatum non resultat ex iudicio, quo ego puto me peccare: hoc enim iudicium, quia est actus intellectus, non potest esse peccatum: nec præterea est causa amandi liberè malitiam; ergo nullo modo potest esse causa peccati hìc & nunc.

Ex quibus oritur difficultas, *An si ille tunc eligeret maius peccatum, peccaret mortaliter, an solùm venialiter.* Respondeo, Si excessus inter ea duo peccata esset tantus, vt ratione sui æquiualeret peccato graui, peccaturum procul dubio mortaliter; quia omnino liberè illum malitiæ excessum admitteret, quẽ supponimus esse peccatum graue: si verò excessus sit exiguus, nec æquiualeat peccato mortali distincto, non peccaturum mortaliter. v.g. esset quis determinatus ad furandam vnam è duabus rebus, quæ se solùm excederent in quatuor cruciferis: in hoc casu dico, furari illam quæ valet quatuor florenos & quatuor cruciferos v.g. non esse mortaleteriamsi non teneretur hanc furari, sed posset omittendo hanc aliam accipere, quæ solùm valeret quatuor florenos: & ratio est clara, quia tunc moraliter solùm furaretur liberè quatuor cruciferos: hoc autem non facit mortale.

An eligens è duabus malis id quod est paruus peccat mortaliter. *Conclusio.*

In hac doctrina, quæ etiam est Patris Suar. & multorum Recentiorum, habet aliquam difficultatem, licèt non omnino se determinet, Cardinalis Lugo sect. 4. num. 42. vbi sic obiicit: *Obiectio.* Ille excessus etiam in se exiguus, si tamen coniungatur cum materia graui punitur pœna æterna in inferno: qui enim furatur florenum & medium, non solùm punietur æternum propter florenum, qui est materia grauis, sed etiam propter medium illum, licet medius florenus non sit materia peccati mortalis. Hæc probatio de *Soluitur.*
pœna inferni parum vrget, cùm in communi sententia etiam propter pura venialia homo in inferno æternum puniatur saltem per accidens. Quidquid verò de hoc sit respondeo, Non cogi nos vllo modo per hanc obiectionem à proposita doctrina desistere. Etenim etiam in sententia ipsius Cardinalis si quis esset prædetermi- 29

natus ad furandum florenum,& ex sua libertate adderet quatuor v.g.cruciferos, certissimum est talem non peccaturum mortaliter,quia libertatem suam non exercuit nisi circa illos cruciferos,quos superaddit ; qui etiam in eo casu vt coniuncti cum quatuor florenis, ex se sunt materia grauis, non tamen tota libera; ac proinde non refundunt malitiam nisi secundùm eos quatuor cruciferos; ergo si hic idem esset determinatus non quidem ad vnum numero furtum; sed vel ad furtum gemmæ vnius valentis florenum & quatuor cruciferos,vel alterius gemmæ valentis solùm florenum, & tunc se determinaret liberè ad furtum prioris gemmæ;nemo prudens posset iudicare talem accepisse libe è nisi eos quatuor cruciferos:nam ad reliquam summam necessitatus erat siue in hac siue in illa gemma:hoc enim totum licet physicam causet diuersitatem, moraliter tamen est omnino per accidens.Quod dixi in materia,quæ habet p rtes realiter distinctas dico eodem modo,quando esset indiuisibilis realiter & solùm per intellectum separabilis ille excessus:demus v.g.peccatum luxuriæ non excedi à periurio, nisi adeò parùm , vt si per impossibile posset ille excessus separari , non causaret solus nisi venialem culpam:esset quis tunc necessitatus vel ad luxuriam, vel ad periurium ; pro sua tamen libertate sciens illum excessum esse leuem, se determinaret potiùs ad periurium quàm ad luxuriã: profectò etli physicè loquendo totum periuriũ (quod alioquin in se est materia grauis peccati) esset illi liberum,loquendo tamen moraliter non esset liberum,nisi ille excessus qui non causat culpam grauem : ergo tunc non peccaret nisi solum venialiter..Concedo quidem libent ssimè, quando comparatio debet fieri inter peccata se excedentia diuersæ speciei , vix posse solidè determinari, Vtrùm ille excessus sit tantus qui sufficere possit ad mortale : imò sæpè nec possumus certò determinare,quod peccatum excedat, quod verò e contrario excedatur:per hoc tamen nihil contra præcedentem doctrinam, in qua solùm loquimur conditionaliter , si excessus agnoscatur,aut putetur leuis:quando autem debeat iudicari talis,non spectat huc.

Sæpè non potest solidè scire, quàm sit vnius peccati præ altero excessus.

30. *Soluitur in forma obiectio. Quando excessus coniunctus cum altero peccato puniatur pœna æterna,& faciat peccatum mortale.*

Ad argumentum ergo Cardinalis in forma respondemus , Illud quidem procedere quando tota ea materia peccati infra illum excessum est peccatum mortale : verissimum enim est tunc eam ipsum excessum, vt compartem illius peccati , puniri pœna æterna:item est verum,illum excessum esse constitutiuum mortalis,quatenus hoc est quoddam totum. Quando tamen illa grauis materia, supra quam cadit excessus, ex defectu libertatis non constituit hic & nunc offensam Dei grauem,dicimus nec excessum additum constituere grauem offen am, nec puniti pœna æterna,&c. Neque obest illum excessum identificari cum materia illa graui , ac proinde totam illam materiam esse liberam,& ad mortale sufficientem :hoc inquam non obest, quia illa libertas physica per accidens est tunc in genere moris : quandoquidem homo eo casu est physicè determinatus ad hanc vel illam materiam sibi æquiualentem : id quod in ordine ad meritum etiam iuxta hunc Auctorem idem est, ac si homo esset ad hanc numero materiam determinatus physicè,& solùm liber ad excessum: quo casus in eo excessu haud dubiè non peccaretur grauiter.Quæ dixi,casu quo homo reipsa actu esset in ea necessitate ad vtrumque,& solùm liber ad excessum , eodem omnino modo dicenda sunt de facto ratione voluntatis conditionatæ:vt si quis diceret , *Si ego essem determinatus ad furandum octo ducatos,adhuc furarer tres cruciferos amplius* ; aut , *Si deberem inter duo grauia peccata eligere , ita vt non possem vtrumque vitare , tunc illud facerem quod esset grauius , secundùm excessum tamen leuem* , &c.Ratio est clara,quia id quod liceret facere re ipsa in eis occasionibus , licet etiam nunc dicere, *Facerem in ea occasione*, hæc enim voluntas conditionata non potest esse peior, quàm esset,si posita ipsâ conditione transiret in absolutam.Nam esto in delectationibus non liceat sæpè de præsenti delectari sub conditione etiam illa , qua posita re ipsa licerent delectationes huiusmodi : (id quod ferè vnicè habet locum in re venerea ob pe iculum præsens consensus , iuxta dict suo loco :) in volitionibus tamen puris, quæ non sunt delectationes,verissimum semper est eas , quæ data conditione essent licitæ,esse etiam de præsenti licitas,si apponatur illi eadem conditio : vnde licitissimum est etiam die ieiunij,& maximè obligante præcepto, dicere , *Si non esset hodie ieiunium , ego hodie comederem carnes* ; & in ipsa etiam materia veneria licitè dici potest , *Si illa esset mea vxor,ad illam accederem*,&c.esto delectari nunc non liceat de copula cum illa cogitata etiam sub ea conditione , quòd esset vxor , ob rationem insinuatam paulò antè , & alibi fusiùs explicatam.

Delectationes quædam sub conditione non sunt licitæ posita illa conditione.

31 *Quid dicendum de excessu inter peccata sit notabilis, & se solo sufficiens ad mortale.*

Iam hinc aliud dubium oritur , An quando excessus inter duo peccata est notabilis, & qui etiam solus sufficeret ad mortale, sit peccatum mortale eligere illud grauius ea voluntate conditionata,v. g. *Si peccandum esset, mallem periurium quam furtum : si futurus essem haereticus, mallem esse arbeni quam Lutheranus* De hac quæstione egit Scotus in 4.distinct.- q 2. art. 4 vbi ait huiusmodi volitiones non esse peccaminosas : cum secutus est noster Henriquez lib.1. de Pœnitent a cap. 17. & Recentiores aliqui apud Cardinalem Lugo disput 5. sect. 4. horum fundamentum est, quòd omnia peccata mortalia contineant auertionem à Deo: ergo eligere vnum præ alia non dicit indecentiam grauem. Hæc tamen doctrina communiter reiicitur, quia licet omnia peccata mortalia sint auersio a Deo:nihilominùs vnum est auersio maior quàm alterum,& vnum est quasi duplex Dei offensa,alterum quasi simplex:quis autem dubitet malum esse,inter duo mala eligere quod grauius est:item si quis deberet absolutè peccare,sine dubio supposito priori peccato grauiter peccaret,si admitteret secundum,quantũuis iam esset per p mum auersus à Deo:& verò hæc ratio etiam de facto locum habet:quia vti non excusamur cùm semel peccauimus, si peccemus secundò:ita neque excusaremur,si ante omne peccatum diceremus,*Si peccandum esset potius peccarem his quam illis*:item si ad eas angustias reduceremur,vt vnum ex duobus esset admittendum,aut furtum,aut homicidium, sine dubio teneremur sub peccato furtum potiùs quàm homicidium admittere:ergo dicere nunc per voluntatem illam conditionatam, *Si vnum ex duobus esset admittendum , potius grauius quam leuius admitterem*, erit grauè peccatum, si excessus ille sit notabilis:quia nunc per vo-

Respondetur, tunc fore peccatum mortale.

Idem dicendum quoad actus conditionales.

luntatem

luntatem conditionatè efficacem velle obiectum, quod si amaretur per absolutam, posita illa cõditione esset mortale, etiam nunc erit mortale, vt paulò antè diximus: e contrario non esse peccatum, velle conditionatè id, quod velle absolutè ea conditione posita non esset peccatum. Ratio huius à priori est, quia quando voluntas per conditionem, quam apponit obiecto malo, non tollit ab eo malitiam, eo ipso eam amplectitur, ac proinde peccat iuxta grauitatem malitiæ quam amplectitur: atqui per hoc quòd dicat, *Si peccandum esset vno è duobus modis, ego peccarem graviori* non aufertur malitia illa grauior, sed relinquitur tota integra, vt ex terminis patet; ergo illam amplecti sub ea conditione, quòd esset vnum ex illis faciendum, non excusat à malitia; ergo neque à graui malitia, si excessus sit grauis.

32 *Obiectio. Quid sentiendum de illa propositione. Si esset futurus hæreticus, mallem esse atheus quàm Lutheranus. Responsio.*

Obiici in contrarium possunt illa omnia quæ supra diximus in ipsa propositione quæstionis: etenim multi etiam pij ac docti homines sine scrupulo habere solent eos actus; *Si essem futurus hæreticus, mallem esse atheus quam Lutheranus*; & tamen certissimum est atheismum esse longè grauiorem Lutheranismo; ergo in his volitionibus conditionatis non arguitur malitia grauis ex maiori excessu obiecti voliti in eadem malitia; potéstque ea ratio reddi, quòd ibi non est affectus absolutè ad malitiam, sed foret data ea conditione impossibili. Respondeo cum Lugo & aliis, Illas volitiones communes intelligendas ita esse, vt qui dicit, *Mallem esse atheus quàm Lutheranus*, loquatur attendendo aut ad commoditatem propriam, aut certè ad consequentiam erroris: quia scilicet consequẽtiùs discurrit qui negat vniuersaliter, quàm qui vnas veritates admittit, alteras non, quando sub eisdẽ motiuis omnes proponuntur credibiles. Ad rationem à priori ex dictis à nobis constat, talem hominem etiam de præsenti affici obiecto illi malo, seu illius malitiæ, cùm eam non excludat per conditionem, sub qua illud obiectum vult: vi enim eius actus si poneretur ea conditio, deberet necessariò amplecti absolutè malitiam: per accidens autem est, quòd ea conditio sit possibilis, aut non, quia cùm voluntas non versetur circa illam, sed circa obiectum, quod esset ea posita, sufficit quòd illud esset malũ non minùs sub conditione impossibili quàm sub possibili.

SECTIO IV.

Vtrùm contritio magis detestetur peccatum Originale proprium quàm actuale proprium.

33 *Peccatum mortale est magis detestandum quàm Originale. Obiectio.*

DE hac quæstione benè agit Cardinalis Lugo disput. 5. sect. 5. Breuiter dicimus, duplicem hìc posse fieri comparationem: Prima est inter peccatum mortale proprium & Originale proprium. In hoc sensu res caret omni difficultate, quia mortale proprium in omnibus superat Originale; ergo debemus magis illud detestari quàm hoc.

Dices fortè: Mortale proprium potest esse in aliqua materia leuiori: vt si sit furtum infimæ materiæ ad mortale sufficientis, Originale verò potest esse in materia graui, v.g. odij Dei, aut hæresi: tunc autem grauius erit Originale quàm actuale. Respondeo: Etiamsi ex eo capite Originale videatur grauius absolutè tamen omnibus pensatis grauiorem esse actualem mortalem offensam quamcumque quàm originalem: vnde illa promeretur odium Dei grauius, eò quòd per veram & propriam & non alienam voluntatem, sicut Originale, sit commissa: inde etiam Secundò promeretur pœnam ignis, quæ non debetur Originali. De hac ergo comparatione non est difficultas. *Soluitur.*

Secunda & difficilior est inter Originale & veniale. Quam comparationem rursus duobus modis considerat Lugo; Primò in ordine ad Originale habituale, quale contrahimus in instanti conceptionis, & in quo durauimus, quousque condonatum illud nobis est per Baptis. mum. Altera comparatio est respectu commissionis ipsius Originalis, quando in Adamo peccauimus. Vti enim in nostro actuali aliud est illud actu committere, aliud verò deinde ipso vt moraliter manente maculari: ita aliud fuit nos in Adamo peccasse: aliud verò deind cõtraxisse habitualem maculam. Vnde dum de immaculata conceptione Beatissimæ Virginis agitur, duæ hæ quæstiones vt diuersæ tractantur: Prima An in instanti conceptionis contraxerit peccatum: Secunda, An in Adamo peccauerit. Has etiam duas comparationes rursum subdiuidit, vel in comparationem quasi practicam, An ex charitate liceat admittere veniale, ne contrahatur Originale, aut eius macula: & in secundam quasi purè speculatiuam, si scilicet detur optio, quid homo potiùs deberet eligere ex charitate, an præseruari à veniali, & non ab Originali, an ab Originali, & non veniali. His positis. *Quid de peccato veniali collato ad Originale. Distribuitur quæstio.*

SVBSECTIO PRIMA.

Respondetur prioribus comparationibus.

34 *Non licet ad vitandum peccatum Originale, vti nec vnquam aliàs, peccare venialiter.*

DIcendum Primò est, Si loquamur de voluntate practica, non licere venialiter peccare, vt vitetur Originale: & quidem si supponamus fore etiam tunc illam actionem peccaminosam venialiter, non potest esse dubium in hac quæstione, quia si omnibus pensatis adhuc illa actio displicet Deo, quantumuis eo animo fiat, vt vitetur Originale, profectò non decet vllo modo admitti: quia repugnat aliquid esse peccatum, & simul hominem ad illud teneri, aut posse illud admittere iuxta regulas rationis. De quo fusiùs dicemus paulò post comparando peccatum proprium cum alieno. In hoc ergo sensu (vt dixi) nulla est quæstio, quomodocumque accipiatur Originale. Quæstio igitur ita est intelligenda, Vtrùm scilicet ea actio, quæ ex se esset peccatum veniale, redderetur licita ex eo capite, quòd fieret ad vitandum Originale: ita enim proposita non habet repugnantiam in terminis, estque per se satis difficilis: spectat tamen ad eam quam paulò post discutiemus. Iam nunc de secunda comparatione venialis cum Originali non vt commisso, sed vt maculante: in qua consideratione placet mihi sententia Cardinalis quòd veniale sit præ illo fugiendum. Ratio est, quia Originale sub ea consideratione non est proprie productio seu effectio peccati, sed duratio moralis, eo modo quo postquam quis peccauit actualiter, manet habitualiter maculatus, quandiu ei non condonatur peccatum, aut ab ipso

Peccatum veniale fugiendum est præ Originali habituali, seu maculãte.

ipso non retractatur. Certum autem est, si hæc duo concurrant, *Vel debes duobus instantibus v. g. differre pœnitentiam pro mortali, vel venialiter peccabis*, magis esse fugiendum veniale quam dilationem illam pœnitentiæ de eo mortali. Ratio à priori iam ferè est tacta, quia illa perseuerantia sub denominatione peccatoris non addit nouam vllam malitiam, nec nouam displicentiam; esto defædet hominem nunc, & reddat illum pœna dignum; at veniale de nouo commissum habet nouam indecentiam, nouam oppositionem cum recta ratione, &c. & idem in humanis cernitur. Nam postquam semel grauiter offendi Petrum v. g. non est tam malum, quòd per mediam horam v. g. ampliùs differam dare illi satisfactionem, quàm si de nouo illum offendam, esto leuiter; ergo suppositio quòd iam in Adamo pecauerim, quòd deinde contraham illud peccatum per modum maculæ habitualis, & quòd in eo durem duobus aut tribus instantibus ampliùs, non est tanti momenti, quanti committere de nouo vnum peccatum, etiam si illud sit venile: vnde in ipsomet, qui in Originali actu esset; quia nondum est per Baptismum aut per contritionem ei ablatum, si esset rationis compos, & deberet vnum è duobus facere, vel differre Baptismum, quo ab eo Originali liberandus esset, vel committere mendacium leue, deberet illud præ hoc eligere.

Probatur.

35 *Obiectio:* Obicies Primò; Peius est etiam pro vnico instanti esse obiectum inimicitiæ diuinæ quàm venialiter peccare; quia per hoc solùm reddor obiectum displicentiæ alicuius leuis. Confirmatur. Quia per dilationem eius conuersionis protrahitur malum seu offensa grauis Dei, quæ protractio grauior est quàm causare aliquod malum leuissimum extrinsecum ipsius Dei. Respondeo negando subsumptum; etenim licet effi. cere malum graue Dei, & reddere se dignum odio graui, sit longè peius quàm committere veniale; at postquam illud malum est commissum & dignitas odij posita, non est tanti momenti ea dilatio emendationis, seu pœnitentiæ, &c. quàm veniale: quod vel inde patet; nam alioquin de facto post mortale commissum tenemur magis ad amandam pœnitentiam statim, quàm ad vitandum veniale: atqui pœnitentiam possumus licitè differre etiam ad annum sine vllo peccato etiam veniali; venialiter autem peccare non licet; ergo non æstimatur moraliter tanti ea dilatio pœnitentiæ, seu ea protractio in habituali commisso, quàm nouum admittere, esto solùm sit veniale.

Soluitur. Dilatio pœnitentiæ de peccato graui non est tanti mali quàm peccatum veniale.

Obiectio secunda difficilis. Secundò obiicies: Hæc ratio nimium probat. scilicet etiam ipsum manere in perpetuum in peccato habituali esse minoris momenti, quàm vnum veniale committere; hoc autem planè videtur absurdum. Quis enim dicet, Magis esse eligibile, carere in perpetuum visione beata, & æternùm damnari, atque in æternum esse inimicum Dei, quàm committere vnum leue mendacium, quod vix aliquam displicentiam causat, estque leuissima offensa Dei; Cardinalis Lugo supra cõcedit omnino sequelam; negat autem in consequenti vllum esse absurdum: vnde addit, Si (vt absolutè potest) contingeret, quòd aliquis esset in mortali, & ex errore putaret se non posse iustificari sine confessione, cuius tunc copiam non haberet, & aliunde immineret illi mors, nisi mentiretur, fore vt hic teneretur sub veniali ad non mentiendum, esto videret se in æternum damnandum. Addit tamen probabile esse, Deum ita res dispositurum, vt ille ob tam egregium actum non damnetur. Hæc illatio maximè habet vim, si homo ille etiam ex errore inuincibili putaret se eo casu etiam peccaturum in eo mendacio; quia (vt sæpe diximus) repugnat in terminis hominem peccare in eo, ad quod indicat se ex regulis rationis teneri; ergo si absolutè iudicat sibi illicitum esse mentiri, mori autem in habituali licitum, haud dubiè tenebitur non mentiri.

Præstare eligere manere æternũ hostem Dei quàm peccare venialiter Sensus Cardinalis Lugo.

De hac quæstione egi suprà disp. 7. sect. 3. dixique dubium esse, An non tunc illud mendacium reddetur licitum ex ea occurrentia, quia quidquid sit de committendo mendacio, vt aliena peccata vitem, de quo inferiùs, certè, vt ego me constituam inimicum perpetuum Dei, & quasi moraliter in hac morte de nouo admittam ea infinita peccata mortalia, quæ quasi necessariò sequuntur ex damnatione perpetua (non consilio dolorem ipsum æternum, quia in hoc nulla est difficultas, cùm non sit malum morale contra Deum, aut contra naturam rationalem, sed potiùs satispassio pro peccato) planè mihi videtur supra modum durum. Nec videtur magis Deo fore gratum, si hoc modo peream, quam si leue mendacium proferam; maximè cùm hîc cesset ex integro ea ratio, quæ solet adduci, quòd charitas magis sit solicita de proprio subiecto, ne illud offendat Deum etiam leuiter, quàm ne alij peccent. Etenim iam hîc facio comparationem inter mendacium leue & mea futura grauissima peccata; & licet si præcisè considerarentur peccata futura in inferno, posset fortasse dici, non fore licitum venialiter; quia, vt superiùs ad aliud propositum notaui, dici mihi tunc posset: *Habebis tũ deinde libertatem ad illa peccata vitanda*; quæ alioquin si non essent libera, non forent peccata; *tunc ergo tibi primum incumbet vitare illa, nunc sis solicitus de vitando mendacio, quia & hoc oportet tibi nunc fugere, & illa deinde*: licet inquam ob hanc rationem dici posset, debere hominem tunc eligere damnationem præ mendacio; certè ratione ipsius futuræ perpetuæ inimicitiæ cum Deo ob peccatum iam anteà commissum; quæ æterna permanentia iam non esset ampliùs in mea libertate, ac proinde neque dici mihi tunc posset, *Et hoc oportet vitare & illud*, cùm ad illud, vt diximus, iam non essem futurus liber, videtur omnino dicendum, fore Deum tunc magis contentum si illud mendacium leue admitterem, vt in eius amicitiam in perpetuum redirem, quàm si eligerem potiùs eius esse perpetuum hostem &c. quibus omnibus ponderatis dixi non posse magnam probabilitatem huic parti negari; & saltem in ordine ad desiderium speculatiuum Lugo fatetur magis debere hominem optare, ne à Deo permittat mori sine pœnitentia, quàm ne permitta labi in veniale, vnde videtur sequi, si sit concurrentia vtriusque, vel mori sine pœnitentia, vel admittere mendacium leue, plus debere hominem esse solicitum ne sine pœnitentia moriatur, quàm ne non admittat veniale.

36 *Nostra sententia: Vix potest hic error & absurdè reponi.*

Videtur me debere desiderio speculatiuo potiùs optare ne moriar in peccato graui, quàm ne cõmittam leue.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de comparatione in ordine ad electionem.

37 *Quid de peccato veniali & Originali actuali.*

ALia comparatio esse potest inter veniale & Originale in ipso fieri: quòd scilicet

magis

magis esset eligendum, aut non peccare mortaliter in aliena voluntate, aut non peccare venialiter in propria. Quidam absolutè putant grauius esse veniale, quia est cum maiori libertate: alij vt Granadus 1. 2. controuersia 6. de peccatis Tractatu 8. disput. 2. sect. 4 quem Lugo supra citat asserunt Originale esse simpliciter grauius, quia priuat gratia & amicitia Dei, licet in ratione voluntarij sit minus. Cardinalis verò ipse ait quidquid sit de ea quæstione, quod scilicet ex illis sit maius, hominem tamen teneri magis evitare peccatum veniale proprium, quàm evitare ne moraliter mortaliter peccet in voluntate aliena: id quod probat, quia eo casu posito adhuc peccatum veniale maneret peccatum: ergo adhuc maneret ineligibile. Ne verò aliquis diceret casum esse possibilem, probat eum casum posse dari: si v. g. Deus alligaret meam voluntatem voluntati Petri in ordine ad aliquod præceptum, sicut alligauit meam voluntatem voluntati Adami, potest tunc Petrus cogere me siue ex malitia, siue casu. ad mentiendum, affirmans se alioquin vel dormiente me vel carente vsu rationis peccaturum grauiter in ea materia, in qua est alligata eius voluntati mea voluntas: quo casu nemo dicit me licitè posse tunc committere veniale, alioquin si licitè possem, iam non esset veniale: deberem ergo in eo casu potiùs permittere illud Originale, quod mihi moraliter imputaretur, quàm committere veniale per voluntatem propriam Cuius rationem vlteriorem eam reddit, quòd affectus dilectionis erga Deum non solum moraliter, sed etiam physicè est à voluntate propria, atque ideò tendit ad coniungendam affectiuè cum Deo voluntatem physicam hominis; cui affectui non opponitur peccatum in aliena voluntate contractum, quia reuerà possiet illud mihi displicere per voluntatem propriam, ac proinde possem ego manere physicè affectiuè coniunctus cum Deo; ego autem ex charitate non tam curare debeo affectum Dei erga me, qui tollitur per illud peccatum quasi Originale, quàm affectum mei in Deum ergo non tam debeo curare peccatum mortale in aliena voluntate quàm veniale in propria,

Cardinalis Lugo vult semper potiùs vitandum esse veniale quàm Originale.

38

Ego in hac difficultate primum censeo minùs benè ab hoc Auctore hanc difficultatem iudicari independentem à puncto illo, *Vtrum scilicet Originale sit grauius veniali necne.* Etenim si omnibus pensatis ego grauiùs Deum offendo per Originale quam per veniale, profectò charitas in Deum magis me inclinabit ad fugiendum Originale quàm veniale; quia charitas (vt & hic Auctor benè notat) cum respiciat meam coniunctionem cum Deo, & fugiat meam offensam in Deum, longè magis me inclinat ad fugiendum id quod magis repugnat ei coniunctioni, & quod est maior Dei offensa etiá ex parte mea, quidquid sit de illa consideratione, quòd charitatis actus sit coniunctio physica; quia esto in se sit physica, profectò illa ipsa considerat id, quo ego magis minúsve Deum moraliter offendo, & illi displiceo; considerat in quam vt magis illud fugiat. Vnde si vnum è duobus cogor admittere, debeo illud quod est omnibus pensatis minus. Qui discursus videtur mihi valdè clarus & certus; pendet ergo ea resolutio necessariò ab illo puncto, quod scilicet sit grauius peccatú.

Nostra sententia: Si Originale est grauius, est magis vitandum.

Difficile est dicere quod peccatum sit grauius.

Secundò dico, Esse nobis valdè incertum, quod ex his peccatis sit omnibus pensatis grauius; nam (vt sæpè in similibus materiis notaui) difficillimum est inter duas res tam physicas quàm morales determinare, quæ excedit alteram, nisi in paucis aliquibus, vbi ex operationibus aut aliis principijs notis possumus id probabiliter dicere. Hæc autem ratio dubitandi multò magis in præsenti vrget; nam ipsius Originalis peccati essentia valdè nobis est obscura; & nisi Paulus dixisset Ephes. 2. *Nos omnes natura filios iræ*, vix possemus illud Originale aliter explicare quàm in carentia gratiæ habitualis, quæ potiùs esset per modum maculæ physicæ quàm moralis. Nihilominùs tamen iudico in re incerta longè esse probabilius quod docet Granadus, Originale omnibus pensatis esse grauius; quia si res in seipsis non sunt nobis cognitæ, sed ex effectibus, & à posteriori debemus de illis iudicare, profectò longè grauiores effectus Scriptura, Patres & Concilia tribuunt Originali quàm veniali: hoc enim leuem aliquam tantum displicentiam Dei caussat, quæ non repugnat gratiæ habituali, non visioni beatæ, ideoque relinquit hominem iustum sanctum, amicum Dei, &c. Originale verò è contrario constituit hominem filium iræ (vt dixi ex Paulo) excludit gratiam habitualem, constituit hominem incapacem gloriæ, & quidem ex se in perpetuum: quis ergo non dicet hæc omnia esse longè maioris momenti, quàm quod physicè vel moraliter tantùm procedat à voluntate hominis?

Probabiliter Originale est grauius veniali.

SVBSECTIO TERTIA.

Respondetur obiectis. Et quid de simplici desiderio.

39

Obiectio prima: Aliena grauiora non detestor præ meis leuioribus, ergo nec Originale.

DIces Primò, Hac mea ratione nimium probari, scilicet teneri me magis fugere alienum mortale quàm meum veniale; quandoquidem omnibus pensatis longè magis displicet Deo alienum mortale quàm meum veniale: vnde illud antecedens, quòd charitas magis inclinet ad vitandum id quod Deo magis displicet distingui debet ita; *Si vtrumque à me procedat à mea voluntate*, concedo; nego verò, *Si vnum verò à me procedit, alterum solùm permittitur à me*; peccatum ergo, quod in alio ego committo, non nisi permissiuè procedit à me; magis ergo ego tenebor permittere vt alius peccet, quàm vt ego positiuè committam peccatum. Respondeo, Originale non iudicari respectu mei vt alienum, sed vt proprium moraliter, perinde ac si à me committeretur. In quo puncto est maxima disparitas inter peccatum propriè alienum & Originale: ratione cuius disparitatis charitas me potest obligare, vt nó curem graue alienum præ meo veniali; è cõtrario verò potest me obligare, vt longè magis curem quod est morale alienum, & simul meum, quàm quod est solùm veniale meum physicè. Vnde non benè adducitur ea instantia ab hoc Auctore. Porrò eam disparitatem esse bonam est certo certius; nam quod est propriè solùm alienum, non me magis concernit, non me magis defœdat, non auertit magis à Deo, non magis per illud ego Deo displiceo, illúmve offendo, quámsi illud non esset in rerum natura; quid ergo mirum si charitas, quæ directè & per se solùm ordinatur ad hoc, vt ego Deum non offendam, sed ei seruiam, ei placeam, non curet illud alienum etiam præ veniali meo, per quod re ipsa ego aliquo modo Deo displiceo, &c. è contrario res accidit cum

Respondetur Originale censeri vt meum, non vt alienum.

Originali; nam per hoc esto à me physicè non sit commissum, nihilominùs ego ita displiceo Deo, ita reddor illius hostis, inimicus, ita à filiatione ipsius excludor, ita à me sanctitatem pello, ac si physicè illud commisissem; iure ego merito charitas, quæ maximè ordinatur ad hoc, vt ego non reddar inimicus Dei, me inclinabit tunc, vt magis fugiam hoc alienum quidem physicè, moraliter tamen meum, quàm vnum meum physicè, leue tamen, quo nec amicitiam, nec filiationem Dei, nec iustitiam amitto, nec ipsum grauiter offendo; Prof. Etò lumen naturale videtur declarare, hoc potiùs esse permittendum quàm illud.

40 *Obiectio secũda: An si ad euendum Originale committerem peccatum veniale, verè tũc esset peccatum.*

Secundò obiicies; & sit replica contra dicta; Ergo si magis tunc debeo fugere illud alienum quam meum, iam eo ipso non peccabo admittendo veniale proprium; quia, vti sæpè diximus, si quis inter peccata æqualia, quando non potest vtrumque fugere, eligat quod minus est, nullo modo peccabit; hoc autem videtur esse contra suppositionem, quia supponimus illum tunc saltem venialiter peccaturum. Hoc argumentum proposui superiùs ex hoc Auctore, quo probat etiam eo casu me obligatum omnino fore ad non peccandum venialiter: quia & adhuc ea actio est peccatum, licet veniale; ergo iuxta rectam rationem teneor illam vitare. Respondeo tamen Primò, posse casum illum excogitari etiam sub ea repugnantia, dato scilicet quòd vtrumque faciendo peccaret; quid tamen etiam tunc deberet eligi? certè non desunt aliqui Auctores, qui iudicant, si homo esset determinatus ad vnum è duobus actibus, qui alioquin essent peccatum, adhuc, in quodcumque illorum incidat, peccaturum, & ita à Suario insinuari suprà diximus. Id ergo quod Auctores illi docent etsi re ipsa in se sit falsum, ponamus nos vt possibile pro præsenti quæstione, scilicet non obstante ea necessitate ad vnum ex illis duobus, peccaturum tamen eum hominem siue hoc siue illud eligat; hoc verò posito dicimus illum fore obligatum ad peccatum venialiter, ne admittat mortale in aliena voluntate: per hoc ergo quod obligaretur ad minus, non excusaretur à culpa veniali iuxta eam solutionem. Respondeo Secundò, Eo casu excusandam etiam à ratione culpæ venialis eam actionem; & hòc maximè inquiri in hac quæstione, Vtrùm sicut si quis esset physicè necessitatus vel ad mentiendum, vel ad occidendum, teneretur mentiri; & eo casu illud mendacium non esset peccatum ex defectu libertatis; ita in præsẽti quando esset determinatus vel ad mentiendum venialiter, vel ad peccandum graviter in aliena voluntate, illud mendacium desineret esse peccatum.

Responsio prima.

Responsio secũda: In illo casu cessaret ratio peccati.

41 *Obiectio tertia: Homo quoad Originale habet se solũ permissiuè; ergo hoc potiùs debet permittere quàm leuiter peccare.*

Dices Tertiò; & sit adhuc replica contra datam solutionem; Si hic homo non est ipse commissurus illud mortale in aliena voluntate, quid quæsu est effecturus, vt illud vitet; vel quomodo impediet illud; aut quid iuuabit mendacium vt impediatur alienum peccatum; ergo tunc respectu illius alieni, etiam si iudicetur moraliter proprium, non se poterit aliter habere quàm permissiuè. Hoc autem minus malum est etiam respectu peccati mortalis, quàm positiuè committere aliquod veniale; vti etiam patet in ipso Deo, qui potest permittere etiam infinita peccata, & quidem in se grauissima, non potest tamen vnum vel leuissimũ veniale positiuè efficere; ergo adhuc vrgere ea ratio, quòd magis nos teneamur fugere proprium veniale quàm Originale etiam mortale. Respondeo Primò, Si homo tunc temporis nihil efficere possit, quo illud Originale impediat, etiamsi mentiatur, non esse casum nostræ quæstionis; supponimus enim iam, siue per possibile, siue per impossibile per mendacium illud impediendum Originale; & tunc dicimus, si id non faciat, sed mendacium, non solùm permissurum Originale, sed etiam positiuè moraliter illud effecturum. Vnde instatia de Deo non est ad rem, quia Deus præcisè permittit peccata; puta puta autem permissio semper est magis licita, esto respectu mortalium, quàm positiua cooperatio in quodcumque etiam leuissimum veniale: negamus tamen id de permissione, quæ simul aliquid habeat de positiuo influxu morali. Id quod facilè possumus nos ostendere, quia iuxta communem & certam sententiam, si quis teneatur alterius peccatum impedire ita, vt si id non faciat, imputetur ipsi peccatum alienum, & verò ita imputetur, vt non excusetur per hoc, quod ipse tunc se occupauerit in re obligante sub veniali; profectò magis tunc deberet attendere, ne ipse & pupillus peccarin mortaliter, quàm ne ipse venialiter non peccaret; debere ergo veniale sen venialis materiam admittendo mortale suum mortale impedire; & ad hoc parum est, quòd connexio illa sit solùm ex transfusione voluntatis, non verò ex natura rei.

Solvitur.

Permissio est duplex.

Ex his sufficienter satisfactum argumentis contrariæ partis; ostendimus enim illam rationem, quòd physicè procedat veniale ab ipso homine, compensari valde, imò superexcedi per hoc, quòd illud Originale fundet odium inimicitiæ, expellat gratiam, &c. 42

Quid per desiderium speculatiuum: num magis est optandum præseruari à mortali Originali, an proprio leui.

Hinc etiam respondetur ad vltimam comparationem, quæ potest fieri, quid scilicet sit per solum desiderium speculatiuum magis optandum seu petendum à Deo, an vt non permittat me peccare mortaliter in alio, an vt non venialiter in meipso. In quo puncto maiorem rationem inuenit dubitandi Cardinalis Lugo; absolutè tamen etiam iudicat optandum magis carere veniali quàm Originali, quia licet per Originale magis Deus separetur à nobis, per veniale tamen nos magis separamus à Deo; charitas autem magis curat ne nos separemur à Deo, quàm ne Deus se separe à nobis. Dixi ex resolutione posita decidi hanc quæstionem, quia cùm ostenderimus etiam per voluntatem efficacem & practicam magis nos debere fugere Originale, à fortiori id erit dicendum de hac speculatiua. Ratio verò in contrariũ allata mihi videtur in terminis inuoluere contradictionem & ex eius refutatione magis confirmabitur resolutio suprà posita. Etenim supponendum est, Deum non recedere à nobis per positiuum odium inimicitiæ, nisi posito vero & proprio fundamento ex parte nostra, quod verè & propriè exigat illud odium: non enim Deus pro solo suo libitu nos prosequitur odio vt inimicos. Hunc meo iudicio ostendo clarè, in eo argumento esse repugnantiam; quia si Deus ratione Originalis magis se elongat à nobis, & grauiori odio nos prosequitur, & gratiam aufert, &c. repugnat, quin nos etiam ex parte nostra grauius illi dederimus fundamentum, & grauiorem in eum commiserimus offensam. In eo autem casu Deus non solùm odio habet Adamum v.g. sed & me; & mihi vt inimico, vt filio irascitur, me indicat indignum

Responsio.

Deus non potest à nobis magis auerti quàm nos auertamur ab illo.

dignum gratia habituali, &c. ergo non solùm Adamus, sed ego etiam ei dedi grauius fundamentum, quàm si ego ipse per me dixissem vnum leue mendacium: tunc enim nec odio iræ prosequeretur me, nec iudicaret me indignum gratia, &c. ergo magis debeo optare, ne ille me permittat in aliena voluntate, vbi ego ipse includor, ipsum offendere grauiter, seu mortaliter, quàm ne cadam in leue aliquod peccatum veniale. Ecce illius argumenti repugnantiam: quòd si rectè ponderetur antecedentis illius vis, potiùs est pro nobis; quia eo ipso quòd ratione Originalis Deus nobis grauius offendatur (vt hi meritò fatentur, cùm id satis clarè ex Diuo Paulo colligatur) necessum est etiam, vt & nos grauiùs ipsum offendamus, etiamsi illud peccatum non sit à nobis physicè, quia Deus ab hominibus non auertitur, eis non irascitur, nisi prout homines ipsi se auertunt à Deo, & prout illum offendunt. Quæ ratio videtur mihi demonstrare intentum meum vniuersaliter, quòd scilicet tam quoad volitionem practicam, quam quoad speculatiuam debeat homo potiùs optare non peccare mortaliter in aliena voluntate, quàm venialiter in propria. Et satis de comparationibus inter peccata propria, quæ, vt suprà notaui, multum habent de diuinatione. Iam ad comparationem cum alienis.

SECTIO V.

Quomodo quis debeat magis detestari proprium quàm alienum.

43 *Ratio dubij.*

VLTIMA cõparatio & difficilior est inter peccatum proprium & alienum, Vtrùm scilicet debeam detestari magis alienum grauius quam proprium leuius. Ratio autem dubitandi est, quia charitas respicit bonum Dei secundùm se, & fugit illius malum secundùm se; ergo vbi est maius damnum Dei, ibi debet esse maior detestatio: atqui peccatum grauius proximi est maius malum Dei absolutè loquendo quàm meum leue proprium; ergo magis teneor detestari alienum grauius quàm proprium leuius: Similem quæstionem tractaui supra disput. 8. sect. 1. agens de comparatione inter peccata propria leuiora & grauiora; & ferè iuxta ibi dicta res est decidenda in præsenti.

Sensus Patris Suarez.

P. Suarez disp. 3. sect. 10. cum communi affirmat magis esse detestandum proprium leuius quàm omnia aliena, etiam grauissima: ait enim aliena vno è tribus modis posse ad me cõparari, vel vt permittenda præcisè, vel vt aliquo modo à me causãda, vel vt disparata, & solùm in ordine ad simplicem displicentiam meæ voluntatis circa illa; si vt permittenda comparentur, priùs, inquit, debeò illa permittere quàm proprium cõmittere; nam permittendo aliena non pecco; permissio enim de se non est mala; secùs autem committendo propria: si verò comparentur vt aliquo modo à me causanda, tunc iam non sunt aliena sed mea, & vt sic, quò grauiora sunt, eò magis teneor illa detestari: tandem, si vt disperata considerentur, magis teneor appretiatiuè proprium detestari, etiam leue, quàm alienum graue; id est, Magis debeo conari vt non sit meum, quàm vt non sit alienum, quia charitas etsi respiciat Deum vt obiectum, respicit tamen proprium subiectum vt principium placendi aut offendendi Deum; ergo priùs debet mea charitas erga Deum vitare in me offensam quàm in aliis.

Sensus Recentiorum.

Recentioribus nonnullis non videtur hæc ratio sufficiens; & vt communem sententiam defendant, recurrunt ad naturam amicitiæ, quæ talis est, vt necessariò prohibeat, ne iniuriam grauem committam contra meum amicum; nam per illam dissolueretur amicitia.

Noster sensus de Patre Suario & Recentioribus.

Ceterùm ego in hac re iudico casum, sicut proponitur à Patre Suarez & his Recentioribus, esse implicatorium in terminis; nam ex vna parte supponunt meam actionem futuram peccatum, aliunde autem dubitant an ex recta ratione teneat illam facere; quod est implicatorium, vt sæpè diximus: nam si teneor, non erit peccatum; si è contrario est peccatum, non tenebor: quia recta ratio non cogit ad peccatum, neque ad hoc est necessarium recurrere ad naturam amicitiæ, vel ad alia principia, quam ad rationem tactam. Hoc ipsum amplius declaro, quia vel facere eam rem ad vitandum grauius peccatum proximi est peccatum, & grauius quàm illam non facere; & vt sic non tenebor illam facere, sed potiùs omittere; vel est peccatum, esto leuius quàm omittere illam, & tunc dico nec peccatum esse: nam, vt suprà ostendi, quando cogor vnum è duobus malis eligere, sine peccato eligitur id quod est minus malum, licet aliàs esse peccatum: vel sunt æqualia, & tunc nullius electio erit peccatum: quia homo determinatus ad duo æqualia sub disiunctione, non potest vnum eligendo præ altero peccare. Quæstio ergo in hoc statu nullam habet difficultatem, imò implicatoria videtur: vt ergo clarè proponatur, debet fieri comparatio non inter peccatum meum vt peccatum est, & inter alienum, sed inter obiecta de se aliàs mala, vnum à me positum, aliud à proximo; & tunc inquiritur, An ego possim iuxta regulas rationis, & consequenter sine peccato, & seruata amicitia cum Deo, admittere actionem illam de se aliàs malam, vt vitem alienam grauiorem; v.g. An ego possim licitè mentiri, ne innocens occidatur iniustè, aut ne fiat aliud grauius peccatum. Et hîc videtur vrgere ratio suprà facta in dubitatione, cui non videtur satisfacere responsio Patris Suarez & aliorum; quæ, vt dixi, solùm habet locum, quando mendacium actu manet in ratione peccati; ego autem hîc inquiro, An extrahatur à ratione peccati per hoc, quod fiat ad impedienda grauiora peccata aliena.

44 *Status quæstionis, An actio peccaminosa possit cessare esse peccatum.*

Obiectio.

Dices: Mendacium est natura sua malum; ergo nullo honesto fine potest reddi bonum. Sed contrà, quia de hoc dubitamus, cur, quando finis est priuatio aliorum grauiorũ peccatorum, non possit habere mendacium rationem boni. Ponamus exemplum: Dare Regi alapam de se & ex natura sua est offensa contra Regem; si tamen dum hostes quærunt Regem vt occidant, aut capiant, nec illum bene norunt; ex circumstantiis autem ferè iam iam illum dignoscebant, tunc vnus ex famulis Regis non potens eum aliter liberare, vt deluderet hostes, daret illi alapam, quasi ostendens non esse Regem illum, quem subditus coram omnibus tali iniura affecisset; & sic hostes decepti, aliò pergerent, Rege liberè euadente; certè in isto casu nullus imputaret ad culpam famulo eam actionem; nam licet de se mala, & iniuriosa Regi, quia tamen hîc & nunc

Solvitur.

Instantia in humanis, quòd v.g. mendacium possit fieri licitum.

nunc per eam grauius Regis damnum impeditum est, licita & honesta reputatur. Et vrget hoc idem casus à Patre Suarez circa Deum positus, scilicet si per impossibile Deo deberet euenire malum aliquod intrinsecum, aut ego peccare deberem; ait enim me debere peccare, ne Deo malum illud eueniret. Taceo quod minùs benè à Suarez dicatur, me debere tunc peccare: si enim teneor facere, ergo non peccо; sed de hoc superiùs. Ad rem venio, & vlteriùs argumentor; Ergo etiam de facto ad vitandum grauissimum peccatum proximi erit mihi licitum mentiri, vel committere aliud obiectù leuius ex se intra genus mortale. Probo consequentiam, quia vt ea disput. 8. dixi, ideò in illo casu impossibili liceret mihi mentiri, quia per mendacium vitaretur maius damnum Dei; ergo potero pro hoc licitè mentiri, quia etiam hic vitatur. Respondeo Primò, Hanc difficultatem non pertinere propriè ad nos, quia ego non disputo in præsenti quæ sint peccata quæ non, & an mendacium in aliquo casu possit esse licitum; sed solùm inquiro, inter peccata ipsa quod tenear magis detestari ex charitate, quod verò minùs. Respondeo Secundò absolute; Si adhuc pensata illa maiori commoditate tamen ipse Deus non vult, vt ego propter illam admittam vel leuissimam rem in se intrinsecè malam, tunc non potero illam admittere, etiam pro vitandis omnibus peccatis possibilibus. Ratio est manifesta, quia si ipsa persona, quæ amatur per charitatem, etiam ponderata illa commoditate eius actionis, absolutè non vult vt illam ego faciam, ego teneor me illi conformare: amor enim tendit ad conformandum se cum voluntate amici: & illa conformatio debet dici hic & nunc maius bonum respectu ipsius. Vnde non possum omittere rem præceptam à Deo, etiamsi sit in infimo gradu virtutis; nec possum me tunc occupare etiam in actibus amoris Dei, licet hi ex se multò magis placeant Deo quàm auditio Sacri v.g. aut cura de infirmo. Et ad hoc facit illud Samuelis ad Saulem: *Melior est obedientia quàm victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum.* Cùm ergo de facto nobis constet à Deo esse prohibitum mendacium in omni casu sine exceptione vlla, quod & Sancti & Theologi passim docent, & inde ortum est illud axioma, *Non sunt facienda mala vt veniant bona*; ideò ego ex charitate teneor non mentiri, quia hoc mihi à Deo præcipitur, & debeo permittere vt alius peccet; quia Deus vult me ita id permittere, quando id non possum impedire nisi mentiendo.

41

Non quod est leuius, sed quod magis vult Deus, eligendum est

1. Reg. 15.

Potiùs permittenda sunt grauissima aliorum peccata quam leue propriũ faciendum.

Sed vrgebis: Ergo ex natura rei si non sciremus à Deo id esse in omni casu prohibitum, possemus pro vitando alieno sacrilegio v.g. vel morte innocentis mentiri. Respondeo; Fortasse in illo casu dici posset futurum licitum mendacium. Absolutè tamen probabilius iudico negandam consequentiam; cuius hanc reddo rationem, quam suprà tetigi, quia cùm culpa aliena sit soli proximo voluntaria, mihi autem nullo modo (vt supponimus;) ego non obligor præcepto impediendi illius culpam hic & nunc: è contrario autem meum mẽdacium mihi soli est voluntarium, & non proximo; ergo tunc teneor ego vitare mendacium, & non teneor impedire culpam alterius; nam obligatio præcepti mihi impositi me solùm respicit, & solùm actionem quæ mihi est libera; pro proximo autem iam est aliud præceptum illum obligans. Ad exemplum autem superiùs positum de Rege respondeo, Actionem illam etiam percutiendi, siue infligendi alapam, non esse natura sua malam & intrinsecè, sed ex fine & motiuis; cùm autem in prædicto casu finis & motiuum sint bona, non est mirum actionem illam bonam esse; inde autem nihil infertur contra nos loquentes solùm de actione intrinsecè mala.

46

Obiectio: Quid si non constaret de voluntate Dei

Respondetur probabilius adhuc, tenẽdum potiùs propriũ leue.

Solutur instantia suprà ab humanis deprompta.

Dices Primò in hac solutione: Supponitur adhuc illud mendacium manere in ratione peccati; eo autem ipso procul dubio charitas erit magis sollicita, ne ego peccem, quàm ne impediam alienam; quia non impedire non est peccatum: quæstio autem præsens tota est in eo, Vtrùm ob illam concurrentiam dicat mendacium esse illicitum, ac proinde charitas iam me non obliget ad illud vitandum. Vrgerique hoc potest ex doctrina, quam superiùs tradidimus cum Patre Suario, licet formidantes nonnihil, scilicet, quòd si ex mei mendacij omissione Deus esset passurus aliquod intrinsecum damnum, tunc deberem mentiri citiùs quàm illud damnum permittere; ergo idem in præsenti dicendũ. Respondeo Primò, & quidem incipiendo ab hac instantia, Me propterea suprà dixisse, eam doctrinam Suarij valdè debilitare doctrinam hanc præsentem: quia licet damnum intrinsecum Dei sit in altiori ordine quam extrinseca omnia damna, ac proinde in toto rigore consequentia ab illo ad hæc non sit bona; indirectè tamen valdè benè eo modo, quem suprà insinaui, deducitur argumentum, quia saltem inde infertur, Mendacium non adeò esse intrinsecè malum vt cohonestari non possit per vtilitatem extrinsecam. Si autem hoc semel admittimus, profectò vitare omnia aliorum grauissima mortalia licet non adferat tantam vtilitatem, quantam impedire damnum intrinsecum Dei: iudicati tamen debet sufficiens ad illam cohonestationem, quia reuerà videtur esse ingens vtilitas, licet non sit summa. Nihilominùs tamen potest dici satis probabiliter, Maioris longè esse momenti, ne prædicatum infinitum Dei pereat, quàm ne committatur aliquod mendacium: quod solùm in damnum aliquod leue naturæ rationalis creatæ vergit. Maius enim sine dubio est damnum intrinsecum ipsius capitis Reipublicæ, id est Dei, quam damnum morale leue corporis ipsius Reipublicæ: cùm ergo mendacium ex eo solo damno Reipublicæ sit peccatum, cessaret sine dubio in eo casu motiuum illud fugiendi. At quando damna alia quæ sequuntur, etsi sint magna, non sunt tamen intrinseca Deo, sed extrinseca, & in eodem genere cum damno ipsius mendacij, prævalere debet in me obligatio, quæ mihi in primis incumbit, ne ego quidquam quod ex se malum est, admittam, esto ceteri ex sua nequitia alia grauiora sint admissuri. Video hanc disparitatem non esse talem, quæ non patiatur adhuc difficultatem aliquam: est tamen probabilis.

Replica Quod mendacium v.g. cessaret esse malum in nostro casu.

Vrgetur à paritate.

47

Responsio prima: Cur ad impediendã mala intrinseca Dei liceret mentiri; non verò in casu nostro.

48

Responsio secunda: Mẽdacium esse malum, licet cessaret esse peccatum.

Ad obiectionem ergo dico, Me in solutione non supponere mendacium esse peccatum etiam in eo casu, sed supponere esse malum contra rationem naturalem, seu contra Rempublicam rationalem: hoc enim etiam tunc haberet, quantumuis per illud alia mala euitarentur: quo supposito dico, Me, eò quòd directè obliger ad hoc, vt non noceam liberè naturæ rationali, ad aliorum verò voluntates regendas non obligor

gor, nisi priùs meæ directæ obligationi satisfaciam, me ideò tunc temporis teneri priùs ad non mentiendum, quàm ad impedienda aliena peccata

Ad vitandū alienū pecc. vel nō teneor, possū tamen honestè subire omnes pœnas.

Illud tandem rogabis, An propter vitandum alienum peccatum teneat saltem ego omnes pœnas admittere. Respondeo, Me posse id honestè & laudabiliter facere, non tamen teneri; quia cùm alter sit liber, & possit peccatum illud non committere, non teneor ego propter alterius nequitiam tantam pœnam admittere; Confirmatur id clarè; Nam si daretur à parte rei hæc obligatio, esset occasio vt sæpè nequam homines odio habentes viros sanctissimos, hoc modo illos vexarent dicendo; *Vel debes permittere te omnibus tormentis affici, vel ego faciam periurium*; per se autem apparet absurdum ob talem alienam nequitiam teneri admittere mala physica, quæ ille excogitaret.

Fortasse aliquis diceret non esse mirum, si in tali casu non teneat ego subire eas pœnas; quandoquidem iam supponitur ille homo grauiter peccans, dum me vult tam iniustè obligare ad eos dolores sustinendos; ergo tunc per illos non vitarem ego alterius peccatum. Sed contrà, quia licet hoc peccatum non vitarem, cetera tamen, quæ minatur se commissurum, nisi ego hæc aut illa mala physica subirem, non vitarem; deberem ergo, vt ea alia impedirem, subire omnia illa mala quæ ille vult; haberet ergo adhuc locum argumentum à me factum. Similem ferè quæstionem tractaui alibi reddens rationem, cur liceat occidere illum qui me iniustè aggreditur, esto damnandus eo ipso sit.

DISPVTATIO DECIMA.

Cetera quæ de contritione desiderantur.

SECTIO I.

De intensione & duratione contritionis.

Qualibet intensio & duratio sufficit ad veram contritionem.

QVOAD intensionem & durationem ferè nulla his temporibus est controuersia: omnes enim admittunt, quamcumque intensionem sufficere: idem est de duratione, quia licet Deus potuerit summam intensionem & durationem à nobis exigere, de facto tamen id non fecit. Id quod constat ex Conciliis & Scriptura, vbi non petitur à nobis aliquid circa durationem & intensionem, sed solùm amor & dolor, qui saluantur in quocumque gradu intensionis & in quacumque duratione: Confirmatur quoad durationem exemplo Dauidis, qui vix dixerat *Peccaui*; & statim audiuit à Propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, certè vix potest esse breuior duratio quam illa fuerit. Congruentia pro hac veritate, potest ea esse, quòd intensio & duratio sunt nobis valde difficiles cognitu: si autem Deus certum & determinatum gradum intensionis & tempus durationis petiisset, vix & nec vix quidem posset homo cognoscere, quando satisfecisset ei præcepto; vnde mille anxietates & difficultates orirentur. Et hinc constat discrimen inter intensionem & motiuum amoris; nam motiuum facilè quis potest cognoscere saltem probabiliter, intensionem autem nullo modo potest cognoscere In duratione etiam valdè eadem difficultas vrget. Num homini ex occurrentibus variis cogitationibus est supra modum difficile cognoscere qualem habuerit, & an illam per notabilem moram continuauerit. Deinde sæpè occurrit occasio, in qua adeò è vicino mors imminet, vt nec quidem ante illam sit tempus pro ea duratione notabili: esset ergo de salute desperatum in innumeris casibus, si notabilis aliqua duratio requireretur.

Probatur.

2. Reg. 12.

Obiectio prima: Soluitur.

Dices; Homo tenetur facere quantum potest; ergo. Respondeo, Si argumentum esset bonum, hinc probandum teneri hominem in hoc actu amoris tota vita durare, imò & facere omnes alios actus bonos quos posset id quod apertè est falsum. Respondeo ergo, Teneri hominem facere quantum potest, vt habeat amorem super omnia, quia hic per se est etiam satis difficilis; hoc rem habito dico non teneri ad alias circumstantias, quia Deus ex sua misericordia eas à nobis non petiit.

Obiectio secunda:

Secundò obiicies; In sacra Scriptura videtur passim requiri summa doloris intensio: dicitur enim Deuteronomij 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione anima tua*: & illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Deuter. 6. & Matthæi 22. Christus hoc præceptum approbauit; ergo tenemur ad omnem intensionem nobis possibilem. Ob hæc & similia loca Adrianus in 4. q. 2. de Pœnitentia sensit necessariam esse summam intensionem: alij verò, vt Petrus Soto sect. 14 & 15. de Pœnitentia dixerunt, Debere saltem contritionem excedere alios actus, quos habemus circa alia obiecta: id quod Cyprianus & Ambrosius videntur sensisse, ille Tractatu de Lapsis, is verò ad virginem lapsam cap. 18. dum docet debere pœnitentiam esse fortiorem culpa. *Soluitur.* Respondeo, Hæc loca nimis multum probare, & longè plus quàm velint hi Auctores, scilicet exigi pro remissione mortalis omnia omnino opera quæ possunt absolutè fieri ab homine, vt paulò antè in primæ obiectionis solutione notaui. Absolutè respondeo, In iis locis sacram Scripturam hortari nos ad id quod est perfectissimum, vt collimantes ad summum tangamus saltem quod necessarium est: quando autem cum ea limitatione dixit sacra Scriptura: *Inuenies Deum: si tamen toto corde*, &c. non tam agit de pœnitentia, loquitur enim vniuersaliter cum omnibus etiam non peccatoribus: quàm ne Deum vlla ex parte homo offendat, iuxta illud Iacob. 2. *Qui offendit in vno factus est omnium reus.* Ambrosius autem & Cyprianus summùm requirunt contritionem esse intensiorem quàm ipsum peccatum

catum fuerit ; nihil autem dicunt quod debeat superare alios actus omnes nostros : verùm neque de intensione illi loquuntur, sed vt pœnitentia in se sit fortior quam peccatum ; id quod haud dubiè habet, quandoquidem contritio potest extinguere omnia peccata præcedentia.

3 *Obiectio tertia.* *Soluitur.* Dices Tertiò cum Caietano; Si non requiritur aliqua certa duratio contritionis, ergo facilè homo posset scire se esse in gratia. Respondeo ; Vel Caietanus dicit esse aliquod præceptum de ea certa duratione requisita, vel non ; si dicit non esse, quo ergo fundamento illud fingit Neque enim sufficit dicere; Ponendum est ne sciamus nos esse in gratia : id enim scire non esset absurdum, si aliunde non probaretur. Quòd si ostendere potest aliquod præceptum, quod quæso illud est, & quanta in eo mora requiritur ? Certè illam ipsam moram cognoscere fortè non esset valdè difficile, nisi eam tam longam poneret, vt, iuxta paulò antè dicta, vix posset homo & eam tamdiu continuare, & reflexè eam noscere : vnde Caietanus dum vult facere incognitam nostram iustificationem, eam reddet ferè impossibilem. *Respõsio Lugo.* Absolutè respondet Lugo, Nobis ideò esse incertum, an actus ille amoris fuerit sufficiens, quia nescimus an adiuncta illi fuerit aliqua circumstantia mala saltem venialiter, tenens se ex parte actus. *Relicitur.* Ego hanc rationem dubitandi de nostro actu non facilè admiserim ; Primò, quia dum quis solùm cogitans de bonitate infinita Dei & grauitate suorum peccatorum, prodit in illorum odium, non video quomodo ibi admisceri possit culpa venialis, aut quomodo, si ea adsit, ignoretur. Secundò, quia esto admisceatur, non poterit impedire valorem illius actus supernaturalis honestissimi, &c. *Respõsio Lugo secunda melior.* Melius ergo ipse respondet Secundò, Sæpè nos putare habere hunc vel illum actum, maximè vbi tam altum motiuum attingi debet, cùm tamen re ipsa illum non habeamus. Denique etsi concedamus sæpè hominem habere aliquam securitatem de contritione sua, nihil absurdi dixerimus. Non volumus enim vllo modo dicere cum hæreticis huius temporis, debere nos fide diuina credere nos esse in gratia : at moralem certitudinem nunquam excluſit Tridentinum, vel Patres; imò passim eam solent habere sancti viri ; ideò noster Beatus Franciscus Borgias dicebat sæpè, Nihil esse in hac vita quod possit animam quietam reddere præter actum contritionis & amoris Dei. Nam, vt ad aliud propositum alibi dixi, in absolutione Sacramentali admisceri potest aliquod dubium; vel quia fortè non est Sacerdos, aut non habet intentionem ille qui dat absolutionem ; est præterea ibi dubium, Vtrùm homo habeat actum illum, qui ad valorem Sacramenti requiritur. Quæ dubia cessant ferè ex integro in amore Dei super omnia.

Obiectio quarta. Obiici denique posset; Quid si amor sit valdè remissus, non sufficiat ad omnia contemnenda præ Dei offensa. Iam dixi suprà, non esse de ratione eius amoris quòd homo ab eo non possit cessare : hoc enim nec si sit intensissimus habet, sed vt eo durante omnia superentur; hoc autem habet, etiamsi sit remississimus. *Soluitur.*

SECTIO II.

Quomodo ad contritionem requiratur propositum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

4 *Sententia Bellarmini.* HANC quæstionem discutio propter Cardinalem Bellarminum, qui eo lib. 2. c. 14. docet. Si quis, dum recordatur Sacramenti Pœnitentiæ, habeat amorem Dei super omnia, cum non posse non habere expressum propositum de illo suscipiendo ; si tamen re ipsa illud non habeat, ait illum non iustificandum : quod idem dici potest de adulto nondum baptizato respectu propositi suscipiendi Baptismum. Hæc sententia habet maximum in Tridentino fundamentum; nam contritioni ea ratione tribuit vim iustificandi, quia est Pœnitentiæ votum.

Cõclusio. Nõ potest esse cõtritio sine proposito confessionis implicito. In hoc puncto PRIMVM IVDICO, Merito dici à Bellarmino, non posse fieri vt amor ille sit sine voto Baptismi, aut Pœnitentiæ, si intelligatur id de voto saltem implicito : id quod maximè locum habet in nostra sententia; nam amor super omnia nequit esse nisi comparatiuus, hoc est dicens, *Volo omnia mala patì citiùs quam Deum offendere*; ibi autem necessariò includitur voluntas Pœnitentiæ, vti & omnium reliquorum præceptorum grauiter obligantium.

SECVNDO DICO, Si de eo voto sermo sit, non posse nec quidem per impossibile admitti suppositionem, quia est in ipsis terminis contradictoria ; supponit enim & quòd homo velit obseruare omnia præcepta, & quòd non velit omnia, quia non vult seruare præceptum confessionis ; vnde suppositio eo modo accepta infert vtrumque, & quòd homo ille amaret Deum super omnia, & quòd non amaret, ac proinde sequeretur etiam quòd iustificaretur, quia amor super omnia ad id sufficit; & non iustificaretur, quia non amaret Deum super omnia.

Potest esse cõtritio sine proposito confessionis expresso. TERTIÒ DICO, Si sermo sit de expresso & formali proposito confessionis, minùs bene Bellarminum dicere, illud essentialiter oriri ex amore Dei super omnia : certissimum enim mihi contrarium videtur, quia sufficit, si homo tunc proponat expressè omnia seruare, esto non dicat in particulari, *Volo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ* : sicut qui videt centum homines simul, & inter illos Petrum, potest vno actu dicere *Omnes veniant*, licet non nominet in particulari & expressè ipsum Petrum.

5 *Obiectio :* Dices ; Potest quidem quoad voces externas eum non nominare : at mente vix est conceptibile, quòd eum non attingat determinatè. *Soluitur Primo.* Respondeo Primò, Posse fortè priùs natura esse volitionem illam generalem, per quam non tangit determinatè Petrum, & posteriùs naturâ determinatam cognitionem Petri; tunc autem clarissimè intelligi, quo pacto non attingatur ille expressè per illam volitionem, etiamsi simul tempore habeatur distincta illius cognitio in intellectu. *Secundò.* Secundò respondeo, Etiam si intellectus ea individua determinatè noscat, nihil tamen obesse quò minùs voluntas in suo actu dicat solùm *omnia*, non tangendo vllum determinatè, licet, si tunc voluisset, potuisset omnino habere actum distinctum respectu illius.

Si esset amor Dei super omnia sine proposito confessionis, sufficeret ad iustificationem. QVARTÒ DICO, Dato per impossibile vel per possibile quòd non sequatur ille dolor, seu illud

illud propositum, omnino tamen iustificandum hominem per eum amorem Dei super omnia. Vt hoc probem suppono hominem tunc per eam omissionem expressi eius propositi nō peccare mortaliter, alioquin nulla esset quæstio: quo modo enim peccanti mortaliter actu remitterentur peccata, & conferretur gratia? Hoc ergo posito argumentor sic: Amor ille ex defectu illius propositi expressi non amittit quidquam de sua vi & efficacia; atqui si propositum sequeretur, iustificaret; ergo etiamsi non sequatur, iustificabit. Probo hanc consequentiam, quia etiam quando sequitur illud propositum, nō iustificat nisi solus amor; propositum enim nec quidem partialiter concurrit, sed in priori naturæ, in quo est amor, est iam posita dispositio sufficiens ad gratiam; propositum autem sequitur tantùm vel ex necessitate physica, quia infertur ab amore, vel ex obligatione præcepti; si autem præceptū illud tunc ibi sine culpa non impletur, vis amoris tota quanta manet. Porrò solum amorem habere illam vim ostenditur manifeste ex eo, quòd si quis non attendens ad Confessionis Sacramentum, & ad obligationem illud suscipiendi, amet Deum super omnia, iustificatur etiam in sententia ipsius Bellarmini: ergo amor solus eam habet vim.

Probatur.

Obiectio:

Dices fortè; Deus in homine memore confessionis petit etiam huius votum expressum, secùs in non memore. Sed contrà, quia licet eā diuersitatem requirendi illud propositum potuisset Deus haud dubiè statuere, cùm tamen nullo modo constet ex sacra Scriptura & Patribus concessam amori eam vim in vno casu, non in altero; profectò longè magis consequenter eam illi tribuimus in omnibus: propositum autem dicimus vel solùm esse tunc necessarium ex præcepto, vel necessariò dimanare ab amore; vti in simili diximus de dolore expresso: de quo adhuc statim.

Soluitur.

SECTIO III.

Quomodo contritio debeat habere propositum non peccandi de catero.

6 Hæc difficultas post immediatè dicta haud operosè potest expediri: est tamen specialiter discutienda propter aliquos Auctores nobis cōtrarios: eadem autem occasione debet aliquid dici de necessitate doloris ab amore distincti: quia tamen de hoc vltimo puncto suprà diximus multa, eis omissis solùm ea quæ propria sunt huius loci breuiter tangemus.

SVBSECTIO PRIMA.

Statuitur vera doctrina.

Conclusio:

Asserimus ergo: Si amor Dei super omnia sit, esto sine vllo expresso proposito non peccandi, & sine vllo dolore, adhuc tamen fore sufficientem ad iustificationem extra Sacramentum. Tenent hanc sententiam multi, quos citat Bellarminus suprà cap. 6. & Suarez sect. 3. Ipse verò Bellarminus valdè huic sententiæ opponitur, quia censet contrarium esse longè conformius tum Scholasticis antiquioribus, qui requirunt semper dolorem de præteritis, & propositum non peccandi in futurum, tum etiam sacræ Scripturæ & Conciliis, quæ etiam eos actus semper requirunt: pro quo adducit multa loca, vt Amos 5 *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium: si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* Isaiæ 1. *Lauamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum*, &c. Ezechielis 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & fecerit iudicium*, &c. ibi autem reiicit Bellarminus varias Vegæ responsiones ad hæc loca; vnam tamen non ponit, quæ clarissimè omnia explicat: ea autem est, eam pœnitentiam, eum dolorem & propositum includi eminenter in ipso amore Dei super omnia. Etenim manifestissimè Ezechiel ibi, dum requirit ad remissionem mortalis, vt peccator obseruet præcepta omnia, & faciat iudicium & iustitiam, non loquitur prout verba materialiter sonant: alioquin repugnaret hominem iustificari per contritionem ante actualem re ipsa obseruationem omnium præceptorum, & ante actuale exercitium iudicij & iustitiæ: hoc enim verba ipsa vt iacent sonant: loquitur ergo Propheta de obseruatione in actu primo, &, vt sic dicam, virtuali seu eminentiali: qualis est in amore Dei super omnia: ergo possumus illum eadem ratione explicare de proposito virtuali, seu eminentiali: quale est in ipso amore Dei super omnia. Quo modo etiam fortè antiquiores Scholastici locuti sunt, qui suam mentem non satis explicuerunt in hoc puncto, imò neque quæstionem sub his terminis distinxerunt. Eodem modo ad Tridentinum & Florentinum, quorum auctoritate maximè mouetur Bellarminus, respondendum est: Dicimus Concilia hæc requirere quidem in hominibus, qui memores sunt peccatorū à se commissorum, dolorem expressum & propositum expressum non peccandi, (vt diximus sæpè) qui amat Deum super omnia, eo ipso, quoad futurum proponit se omnia mala velle potiùs tolerare quàm Deum offendere: ostendimus enim suprà, sine hac comparatione expressa non posse explicari, in quo consistat illum amorem esse appretiatiuè super omnia, quoad dolorem etiam diximus, eum qui amat super omnia Deum, & videt se illi adhuc aliquod malum inferre, quale est peccatum, eo ipso dolere necessariò de illo: per hoc autem non negarunt Concilia amorem Dei super omnia, si sine iis duobus actibus consistat, sufficere ad iustificationem; alioquin qui non recordaretur suorum peccatorum, ideóque non haberet dolorē, non posset iustificari, quantumuis Deum amaret super omnia; id quod & ipsi Bellarmino contrarium est (vt sectione præcedenti diximus;) Concilia autem ibi non faciunt vllam prorsus distinctionem inter memores peccatorum & non memores, sed vniuersaliter loquuntur de medio necessario ad hoc, vt peccator extra Sacramentum iustificetur; ergo ea definitio debet habere locum etiam in eo qui oblitus est peccati; & cōsequēter etiā in eo debemus requirere dolorem & propositum, non autem requirimus expressum & formale; ergo debemus dicere, sufficere virtuale & eminentiale, quale in ipso amore includitur: ergo non est cur etiam soli amori, si adsit sine dolore, etiam datâ memoriâ peccatorum, non tribuamus vim iustificandi. His autem locis Bellarmini multa alia possumus nos opponere quibus amā-

Est contra Bellarminū.

Loca sacræ scripturæ à Bellarmino adducta.

Explicantur.

7 *Concilia explicantur.*

Confirmatur conclusio.

ti Deum super omnia, nulla facta mentione doloris, tribuitur iustificatio à peccatis. Video illum respondere, Charitatem veram omnino sufficere ad salutem; nam vbicumque adest charitas, ibi adest iustitia, & inde necessariò abest peccatum lethale. Hæc tamen responsio non videtur esse ad quæstionem præsentem: vel enim loquitur de charitate habituali; & in hoc sensu etiam vbi est humilitas habitualis, & castitas habitualis, est sanctitas; quia omnes hi habitus; cùm sint connexi cum gratia, non infunduntur
8 nisi cum illa. Neque loca Patrum & sacræ Scripturæ loquuntur de habitu charitatis, sed de amore ipso charitatis. Quòd si propterea dicat, Vbi adest amor, ibi esse iustitiam, quatenus stante eo amore seruati debent omnia præcepta, etiam non est ad rem ea responsio; quia Patres docent ipso momento, quo est amor ille, etiam antequam adueniat opportunitas seruandi alia præcepta & totam Legem, hominem iustificari; iustificatio ergo tunc tribuitur ipsi actui dum existit, etiam priùs natura quàm sequatur dolor & propositum (vt in simili ostendimus sectione præcedenti de amore Dei ante propositum confessionis:) omnia enim illa habent eodem modo hic locum mutato termino propositi confessionis in dolorem & propositum non peccandi de cetero. Fatemur enim hæc duo vel necessitate præcepti vel ex naturali connexione oriri ab amore Dei super omnia; dicimus tamen per hoc non probari, ipsam iustificationem ac remissionem peccati esse is actibus tribuendam, aut expectandum donec illi ponantur, etiam quando re ipsa ponendi sunt, sed in priori naturæ, quo amor illatiuus illarum ponitur, eo ipso poni sufficientem dispositionem ad hoc, vt Deus infundat gratiam & peccata remittat. Quæ est iam sententia ferè omnium Recentiorum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Duæ singulares opiniones reiiciuntur ex dictis.

9 *Prima opinio P. Coninch:*

PRima est Patris Coninch, qui disput. 2. de effectu Pœnitentiæ num. 54. cùm benè supposuisset amorem Dei super omnia habere vim ad delendum peccatum, illumque priùs natura existere quàm sit contritio; nihilominùs ait ipsam contritionem seu dolorem secum disponere ad gratia, eò quòd simul tempore sit cum amore, & naturaliter ab eo sequatur; item quia licet solus amor sufficiat, contritio tamen ei coniuncta perfectiùs disponit subiectum: ac proinde docet, Deum in eo casu intuitu vtriusque infundere gratiam. Hæc mihi minùs benè dicta
Reiicitur. videntur, quia si sufficit amor: ergo in priori naturæ, quo illum Deus videt, mouetur ad dandam gratiam: & verò illam dat in secundo signo nõ expectato eo dolore: & ad hoc parum iuuat, quòd sit simul tempore: nam (vt ipse Coninch. benè obseruat aliis in locis) dispositio, quæ reducitur ad materialem & ad efficientem causam debet existere non tantùm in eodem instanti reali cum effectu, sed in priori naturæ. Vnde ea dispositio melior, quæ deinde additur, per accidens se habet iam ad voluntatem diuinam de gratia infundenda; quia hæc voluntas concipitur vel natura priùs quàm sit dolor, vel certè in eodem signo; causa autem debet priùs esse suo effecto.

Secundò hinc colliges minùs benè eum docere, in homine memore suorum peccatorum ideò requiri dolorem formalem, quia amans Deum tunc ita efficaciter impellitur ad dolorem, vt non possit eum omittere, nisi desistendo ab amore. Hoc etiam minùs benè dicitur; nam si iam supponitur amor, profectò etiam si ille homo, vt cohibeat dolorem, cesset ab vlteriori amoris conseruatione in sequenti instanti, iam supponetur ei remissum peccatum (vt diximus suprà:) cumque expressè hic Auctor ibi agat quando non est præceptum contritionis, poterit profecto durare in accepta iustitia homo ille, licet eam contritionem omittat. Probabiliùs dixisset, eum dolorem tunc sequi etiam in eodem instanti, ac proinde amorem haberi sine illo non posse; sicut essentiæ non possunt esse sine eis passionibus, à quibus pendent a posteriori; non tamen propterea iustificationem ei dolori tribuendam, vt ostensum est paulo antè

10 *Secunda opinio Tanneri, requirētis ad iustificationē motiuum iustitiæ vltra motiuum charitatis.*

Secundò ex dictis hucusque à fortiori reiicies Tannerum, qui singularem etiam in hoc puncto sententiam defendit disp. 6. quæst. 3. dub. 2. à num. 27. &, quod mirabile est, ait se non scire vllum esse in contraria (excepto Patre Vasquez;) ait ergo actum formalis Pœnitentiæ (quam, vt suprà diximus, ipse putat esse veram & propriam iustitiam commutatiuam) esse necessarium per se loquendo ad iustificationem, vt, nisi saltem imperatiuè ab eo procedat amor Dei super omnia, & dolor de peccatis etiam super omnia ex eodem motiuo amoris Dei, non sufficiat ad iustificandum per se loquendo: quam dicit esse apertam sententiam Diui Thomæ hîc quæst. 86. a. 1. qui dum necessarium actum pro iustificatione exponit, ait illum esse cum detestationem peccati, tum propositum emendationis; quod pertinet, inquit, ad rationem pœnitentiæ; & ibidem a. 4. ait recompensare emendam ad pœnitentiam pertinere; pro eadem sententia citat Patrem Henriquez lib. 4 cap. 19. num. 17. vbi motiuum charitatis ait non esse sufficientem dispositionem, si memor sit quis se offendisse Deum, debereque talem habere dolorem, quo ob formalem rationem pœnitentiæ intendat in se punire offensam Dei, & quoad potest illam recompensare: aitque Henriquez eam esse communem sententiam Patrum apud Cardinalem Bellarminum lib. 2. da Pœnitentia, cap. 9. & 10. tum Doctorum cum Magistro in 4. distinct. 16. quatenus cum vera Pœnitentia satisfactionem & compensationem coniungunt: citat etiam Diuum Thomam, Paludanum, Sotum, Canum, Ledesinam, Banes, Durandum, Bassolim, Gabrielem & alios, qui docent Pœnitentiam pertinere ad iustitiam.

11 *Probatur.*

Hanc assertionem probat Tannerus Primò iudicio sapientum; Secundò ex sacra Scriptura: quæ cùm Pœnitentiam describat per modum cuiusdam iustitiæ erga Deum, ait eam necessariam esse ad salutem. Vnde Ieiem. 3. dicitur: *Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricatus es.* Tertiò, quia magis accomodatum medium ad obliterandam offensam est actus quidam iustitiæ, quo formaliter & intendatur & fiat compensatio, quàm actus charitas & dolor illius: sicut qui vt amicus aut vt pater offert creditori munus, profectò non ei satisfacit: sed necessarium est vt ei solutionem offerat tamquam creditori. Addit-
que, Etiam si actus charitatis sit nobilior, nihilominùs non ideò esse sufficientem præ pœniten-

tia:

tia: quia hæc includit maiorem humilitatem & subiectionem hominis erga Deum, quæ maximè in satisfactione pro iniuria illata considerantur.

Refutatur.

Nihilominùs tamen doctrinam hanc Tanneri iudico esse ferè improbabilem, & solùm fundatam in æquiuocatione quadam vocis *Pœnitentia*. Etenim (vt suprà diximus) Pœnitentia potest vsurpari vel magis vniuersaliter, vt significat omnem actum doloris de peccatis, & propositum non peccandi de cætero: vel vt significat actum, qui ex speciali motiuo eius virtutis (quâ Scholastici vocant Pœnitentiam) concipit illum dolorem & propositum non ampliùs peccandi. In primo sensu comprehenditur etiam actus ille, quo ex dilectione Dei homo dolet de peccatis, eáque detestatur. In secundo vero sensu solùm includitur specialis actus, de quo Tannerus loquitur, qui, quod Patres & Scriptura absolutè docent de Pœnitentiâ sub ea vniuersaliori significatione, ipse transfert ad magis strictam & Scholasticam.

12. Quo posito sic argumentor: Numquam est in Patribus & sacra Scriptura vel minimum signum, quod vel leuiter ostendat eos fuisse solicitos, vt ex hoc speciali motiuo debeat homo deserere sua peccata, & ad Deum conuerti: Est quidem plena sacra Scriptura & Patres pleni doloris & emẽdationis, quæ homo debet habere vt iustificetur: at cùm hæc longè meliùs ex motiuo charitatis concipiantur, quàm ex altero motiuo Pœnitentiæ, siue iustitia ea sit, vt vult Tannerus, siue aliqua alia specialis virtus; non video quo fundamento Patrum & Scripturæ testimonia traxerit hic Auctor ad illud motiuum particulare ignobilius; multò autem minùs capio, cur Deus ipse potiùs petierit illud particulare quàm hoc nobilissimum charitatis.

Dolor meliùs oritur ex amore quàm ex iustitia.

Ostendendum ergo nunc est, eos dolores ac gemitus, & propositum etiam non peccandi de reliquo commodiùs concipi ex charitate in Deum quàm ex affectu iustitiæ. Certum enim est amoris affectum esse ex se potentiorem, quãdo graue damnum sit personæ amatæ, quàm amor alicuius honestatis quasi in abstracto: vnde faciliùs quis prodibit in summam afflictionẽ, si dilectissimum sibi videat motiuum, aut infirmum, aut spoliatum, &c. quàm si contra aliam personam, quam non amat, videat iustitiam esse violatam. Id quod verissimum est, etiamsi damnum illatum personæ amatæ non sit contra iustitiam, vti esset, si à bestia aut præter intentionẽ læsa illa fuisset ab alio, vbi iustitia nulla violata esset: ergo ad hoc vt homo doleat, & seriò affligatur ac promittat emendationem, &c. efficacius longè motiuum est, quòd videat se Deo, quem supra omnia diligit, damnum intulisse graue, quàm si non amato Deo, ex honestate, quæ est in seruanda cuilibet æqualitate, moueatur, illud pertinet ad charitatem, hoc ad specialem & propriam Pœnitentiam: non est ergo cur ex illis actibus, quos Scriptura & Patres requirunt pro iustificatione, quidquam inferatur de motiuo formali iustitiæ, prout discurrit Tannerus. Aliundè autẽ infinita sunt loca, quæ amori seu dolori orto ex amore promittunt iustitiã; quo ergo fundamento, præter dolorem & propositum ex charitate, potest requiri alius actus virtutis specialis Pœnitentiæ, de qua adhuc ferè est sub lite, vtrùm re ipsa detur, asserentibus nonnullis nullam esse sed quamlibet virtutem detestari oppositum sibi peccatum, v.g. religionem peccata irreligionis, castitatem peccata luxuriæ, &c. Si præter amorem Dei super omnia dixisset Tannerus necessarium esse dolorem & propositum non peccandi de cætero, quia Patres & Concilia passim dolorem, passim gemitus, passim propositum emendationis requirunt, probabiliùs locutus fuisset. Dico *probabilius*, quia, vt suprà diximus, etiò hi actus non sequantur, solus tamen amor, qui eos continet, sufficit. At dicere, illum dolorem, & propositum, vt sit sufficiens, debere esse motiuo iustitiæ, & non esse magis proportionatum, si sit ex amore Dei, non capio quam probabilitatem habeat.

Reiicitur Tannerus & Tridentinus.

Argumentor præterea ex Tridentino; quod dum docet, Ante Sacramentum Pœnitentiæ re ipsa susceptum obtineri per contritionem remissionem mortalis procul dubio non requisiuit pro ea remissione attritionem simul cum contritione: sed solam contritionem dicit sufficere. Atqui iuxta Tannerum deberet etiam intercedere attritio: ergo eius sententia non est conformis Tridentino Probo minorem: nam ille dolor de peccato commisso, quatenus est contra iustitiam, est ipsa formalissima attritio, quam Concilium: eo loco explicaret: enim ibi Concilium dicit eam esse quæ concipitur ex turpitudine peccati: atqui peccatum esse contra iustitiã est turpitudo ipsa peccati, vt ex terminis constat; ergo si vltra dolorem ex motiuo charitatis debet esse dolor, quia peccatum est contra iustitiam, requiretur contritio & attritio simul ad remissionem mortalis: id quod, vt diximus videtur esse contra Tridentinum.

SVBSECTIO TERTIA.

Respondetur argumentis oppositis.

IAm facillimum erit respondere argumentis suprà positis: & quidem quòd primo loco ait Tannerus, suam sententiam à nemine non doceri, excepto Vasquez, non videtur vllo modo verum. Nam licet multi Auctores dicant solùm purum amorem Dei sine dolore & proposito nõ sufficere, & in hoc puncto differant à Vasquez; vix tamen est vllus qui dicat, Si dolor ille sit ex motiuo charitatis (& idem dico de proposito non peccandi) non sufficere etiam per se ad iustificationem. Fateor Henriquez in ea esse sententia; cui valdè etiam fauet Diuus Thomas quæst. 85. a. 3. vbi tamen doctrinam difficilem admodum tradit, scilicet charitatem non posse proponere emendationem in futurum, sed solùm dolere quòd Deum offenderit: id quod mihi durissimum videtur, quia si, eò quòd peccata sint malum extrinsecum Dei, quem amo, possum dolere me peccasse, quomodo potest negari, eamdem virtutem habere vim vt dicat, *Non volo ampliùs peccare, ne Deum amicum offendam*? profectò nihil potest ex eo dolore sub illo motiuo magis connaturaliter inferri quàm illud propositum; imò si serius sit ille dolor, vti sine dubio est, necessariò infert propositum non peccandi sub ipso motiuo: quo sensu reliquæ etiam omnes virtutes habent vim etiam proponendi carentiam peccandi in futurum. Castitas v.g. dolet se peccasse de præterito, & proponit non peccare in futurum in materia luxuriæ. Imò in rigore ad nihil aliud videntur ordinari virtutes quàm ad cauenda peccata in sua materia. Cùm ergo charitas in Deum habeat vniuersale motiuum,

14 *Argumenta primum refelluntur.*

sub quo omnia peccata includũtur, potest dolere & proponere vniuersaliter vitare omnia peccata.

Replica: Dices fortè, Non negari in hoc sensu charitatem posse proponere in futurum, sed ipsam non dare per se satisfactionem pro præteritis, nisi imperet actum qui sit satisfactio. Sed contrà, quia ipsa charitas, eò quòd doleat de peccato, & promittat se ampliùs non velle vllo modo peccare, iam est ipsa formalis satisfactio pro peccato, quam Deus requirit.

Soluitur.

15 *Nulla datur æqualis satisfactio pro mortali.*

Quod vt meliùs intelligas, aduerte, neque ipsum amorem Dei super omnia, neque propositum non peccandi, neque dolorem ex motiuo charitatis (multò autem minùs ex aliis virtutibus inferioribus) imò neque actus omnes omnium virtutum simul sumptos esse ex se & nata sua æqualem pro peccato satisfactionem pro mortali: quando ergo dicimus contritionem, quæ includit amorem Dei super omnia esse in actu exercito satisfactionem, nolumus vllo modo dicere, eam esse æqualem, sed esse illam, quam Deus ex sua liberalitate de facto requisiuit pro delendo peccato: id quod nos probamus ex locis, quæ dilectioni & dolori de peccatis ac proposito non peccandi de futuro promittunt iustificationem: de quibus suprà, maximè autem ex Tridentino quod contritioni perfectæ eam tribuit remissionem. Hinc enim argumentamur clarè: Tota ratio perfectissimæ contritionis saluatur, si ex motiuo charitatis sit dolor & propositum non peccandi de cetero: & ibi maximè reperitur quidquid sacra Scriptura requirit: *Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, facite vobis cor nouum,* &c. ergo non est vllo modo necessarius dolor ex alio motiuo inferiori: nam si ex natura rei loquamur, non magis est necessarius quàm alij actus honesti: ex voluntate verò Dei non potest requiri, quia nec verbum vllum est in tota sacra Scriptura & Patribus de eo speciali motiuo: licet de dolore, de proposito, &c. multa sint.

Ezech. 18.

Argumentũ secundum reijcitur.

Et hinc reiicitur quod secundo loco asserit hic Auctor, scilicet suam sententiam esse conformem Patribus & sacræ Scripturæ: id enim omnino gratis asseritur. Bellarminus etiam lib. 2. de Pœnitentia c. 9. etsi dicat charitatem sine pœnitentia non sufficere, non fauet his Auctoribus, quia per pœnitentiam ille intelligit dolorem de peccatis & propositum non peccandi: hæc autẽ possunt esse ex motiuo charitatis, vt diximus.

16 *Argumentũ tertium reijcitur Primò.*

Quod dicitur, Si inter homines quis creditori det vt amico & parenti, &c. non satisfacturum, non videtur esse ad rem: Primò, quia inter homines potest debitor facere liberalem donationem creditori, per quam nihil extinguat. At Deus taliter se nobiscum gerit, vt si ei offeramus obsequium, etiamsi dicamus, *Non offero vt præmier, sed gratis,* &c. nihilominùs illud remunerat: similiter si vouimus aliquid, & illud faciamus, esto non simus tunc memores voti: nihilominùs voto satisfacimus: & idem est de præcepto: nam si ego audio die Dominica Sacrum, non aduertens esse Festum, adhuc tamen satisfacio præcepto perfectissimè: non ergo benè ex hoc capite argumentum trahitur ad Deum.

Reijci ur. Secundò. Secundò dico, Ideò eam instantiam esse minus bonam, quia etiam ex ipso charitatis motiuo nobilissimè potest amari compensatio: ex amore enim Dei possum velle non lædere in honore alium, non furari, non occidere, seruare cuilibet suum ius: hoc enim habent omnes virtutes quæ respiciunt vniuersale motiuum: quòd scilicet possint se extendere ad obiecta omnium virtutum; vti si omne peccatum est, iuxta multorum sententiam, contra religionem, potest religio ex affectu sui obiecti omnia cauere peccata: idem est de obedientia; nam ex affectu solius illius honestatis, quæ reperitur in obediendo Deo, possum velle non furari, non lædere vllum, etiãsi tunc non mouear propriè honestate, quæ reperitur in hoc, quod est seruare cuilibet suum ius. Quæ doctrina cum verissima & certissima apud omnes sit, miror hunc Auctorem iudicasse, non posse charitatem in Deum velle facere cõpensationem. Aliud enim est dicere, *Volo verè & propriè compensare id quod Deo abstuli*: aliud autem dicere, *Volo eam compensationem ob honestatem quæ reperitur in compensando*; illud habet charitas, non hoc secundum: vti aliud est, *Volo verè & propriè furari*: aliud, *Volo furari non ob delectationem furti, sed vt possim forniciari.* Vnde rursus probatur nostra sententia, quia licet sacra Scriptura & Patres requirant voluntatem compensandi, satisfaciendi, extinguendi peccatum, &c. ex quo tamen motiuo id facere debeamus, nequaquam dicunt. Vnde adhuc obseruaui suprà, valdè difficulter ex sacra Scriptura probari necessarium esse actum amoris Dei ad iustificationem extra Sacramentum: quod si de hoc difficulter id suadetur, profectò multò difficiliùs suadebitur hoc motiuum iustitiæ requiri, quod est minoris momenti, & illud altiùs non sufficere. Denique, quod dicebatur: voluntatem compensandi ex affectu iustitiæ includere maiorem humilitatem, quàm affectum compensandi propter Deum offensum, in primis transeat, vnde quæso probat hic Auctor esse necessarium eum affectum maiorem humilitatis? certè hac de re nihil in sacra Scriptura & Patribus ostendi potest; nam licet illi requirant humiliationem ex parte peccatoris, debere tamen esse eam maiorem quæ est in actu iustitiæ, & non sufficere illam quæ est in dolore de peccato ob Deum offensum (suppono enim hos non negaturos etiam in eo actu esse aliquam humiliationem, non video quomodo possint ostendere. Dicere enim requiritur, quia est maior, est planè arbitrarium; & ego possem dicere, nec quidem hunc actum iustitiæ valere, sed debere esse actum propriæ illius virtutis humilitatis; quia licet dolor ex affectu iustitiæ fortè sit nobilior, non tamen tantam arguit humilitatem, vt hi argumentantur. Secundò respondeo, & nego in eo actu iustitiæ esse maiorem humilitatem: imò dico longè esse maiorem in dolore ex motiuo charitatis: ratio autem est clara, quia longè potentius motiuum ad se humiliandum habet homo, si comparet suam offensam à vilissima creatura cum infinita Dei bonitate infinitè amabili, quàm si præcise consideret se non seruasse eam æqualitatem, quam ratio naturalis dictat seruandam reddendo cuilibet quod suum est. Id quod magis declaro: Nam hærendo præcisè intra terminos iustitiæ, fortasse peccatum non crescit ex personæ quam lædo grauitate: nam furari centum à Rege non est peccatum grauius, quàm furari eadem centum à ciue: vnde ex hoc capite non causat persona Regis maiorem humilitatem in fure quàm persona ciuis. At si considero offensam infinitæ bonitatis infinito amore dignæ, profectò inde vehementer pudesio, humilior, &c. ergo etiam ex hoc capite motiuum

17

An affectus iustitiæ includat maiorem humilitatem quàm amor

Maior est humilitas in amore quàm in affectu iustitiæ.

tiuum charitatis est vehementius ad excitandam humilitatem, quam actus propriæ & specialis pœnitentiæ.

28 *Amplius refutatur Tannerus.*

Illud tandem contra hunc Auctorem addo, si (vt ipse putat) loca sacræ Scripturæ & Patrum loquuntur de actu propriæ & specialis virtutis Pœnitentiæ, minùs benè eumdem excipere aliquos casus, in quibus docet, sine eo actu posse iustificationem obtineri. Etenim sacra Scriptura & Patres agunt de actibus simpliciter necessariis, nec vllam omnino faciunt exceptionem; ergo vel vniuersaliter est negandum, vel vniuersaliter asserendum eum actum esse necessarium; affirmari autem non potest vniuersaliter, etiam ipso Tannero teste: ergo negandum est.

Replica:

Fortè huic obiectioni respondebis, Etiam nos dicere, amorem solum sine dolore sufficere in aliquibus casibus; & tamen per se dicimus etiam requiri dolorem, cùm tamen sacra Scriptura de ea limitatione nullam faciat mentionem. Respondeo facilè, Nos eum dolorem & propositum non requirere tamquam id per quod peccatum deleatur, quia si adsit actus veræ charitatis super omnia, semper ille tollit eo ipso momento ante omnem dolorem peccatum; ideò ergo dolorem exigimus, quia necessariò pullulat ex amore, quandocumque est aduertentia ad peccata commissa; hoc autem modo non potest hic Auctor requirere eum dolorem Pœnitentiæ, quia voluntas semel ex amore Dei detestans peccatum non tenetur illud ob alia motiua inferiora detestari: ac proinde sine fundamento facit illas exceptiones.

Solvitur.

Ostenditur Tannerum inconsequenter locutum.

Tandem aduerto, in hac ipsa sententia non videri constanter discurrisse Tannerum: etenim (vt ex assertione 5. num. 3. constat) totam eam necessitatem specialis virtutis solùm reducit ad necessitatem præcepti: vnde fatetur, quandocumque homo non tenetur conteri, posse iustificari absque formali Pœnitentia per solum amorem super omnia: imò etiamsi sit obligatio eliciendi contritionem, si tamen homo eam ignorat, ait posse iustificari per solum eum amorem.

19 Hinc ergo argumentor Primò: Rationes omnes, quas hic Auctor adducit, si quid probant, illud maximè, eam specialem Pœnitentiam esse necessariam necessitate medij, vtpote magis proportionatum magis humiliantem hominem, &c. item illa instantia de eo, qui creditori vt amico & parenti daret id quod debet: quo casu ait hic Auctor illam donationem non fore satisfactionem æqualem: probat id ipsum.

Secundò argumentor euidenter: Quia sacra Scriptura & Patres, quos ipse citat, nullam penitus (dum agunt de necessitate doloris, contritionis, &c. ad hoc vt iustificetur homo) faciunt distinctionem inter necessitatem præcepti & necessitatem medij, vt constat euidèter ex verbis ipsis: sed maximè videntur probare necessitatem medij dicunt enim, *Nisi hoc fecerit*, &c. *non saluabitur*: id quod videtur debere intelligi de ea necessitate. Quidquid verò sit, vtrùm magis de hac quàm de illa, certè euidenter hinc infertur nos non habere vllum fundamentum; vt dicamus eum dolorem requiri quidem necessitate præcepti, non tamen necessitate medij: idque ex Patribus & Scriptura colligi.

Tertiò argumentor: In hoc ipso non videtur seruare consequentiam, quia cùm doceat, amorem Dei, etiam quando homo aduertit ad obligationem habendi contritionè, præcedere priùs natura ipsum dolorem ortum ex speciali motiuo Pœnitentiæ, profectò etiam tunc debet amor iustificare, ac proinde ad iustificandum numquam, nec quidem necessitate præcepti, erit necessarius ille alter actus; sed summum in instanti sequenti erit necessarius, ne homo iterùm è gratia decidat non obseruando præceptum: id quod aliud longè est à quæstione præsenti.

Denique cùm hic Auctor benè agnouerit esse posse veram contritionem ex motiuo charitatis, & ad iustificationem etiam necessitate præcepti nihil sit aliud necessarium quàm perfectè conteri (iam non loquor de necessitate confessionis) non video quomodo requirat specialem actum ex motiuo virtutis iustitiæ, quam ipse dicit esse virtutem Pœnitentiæ.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Attritione.

1 EX dictis de contritione non erit difficile attritionem, quæ contritio imperfecta dicitur, explicare; ideò eam quæstionem ante effectus contritionis expediemus. Supponendum ad hoc, vt sufficiat in Sacramento ad remissionem, debere esse honestam; inferiùs autem explicabitur, quomodo id illi conueniat.

Attritio debet esse honesta.

Supernaturalis.

Secundò supponendum eam debere esse supernaturalem: quod ex Tridentino probat Pater Suarez disputatione quinta, sectione prima, quia verò difficultas est omni actui proportionato ad gratiam communis, in ea non immoror: fusè de illa egi Tomo 4. in Tractatu de Gratia.

Non ex motiuo charitatis

Attritio erit illa, quæ non ex motiuo charitatis, id est, non propter Deum summè dilectum, sed vel ex desiderio beatitudinis, vel ex timore pœnarum, vel ex turpitudine peccati habetur: hanc autem sufficere intra Sacramentum definitum est à Tridentino Sessione 14. cap. 4. vbi eam à charitate condistinguens docet, licet extra Sacramentum non sufficiat, sufficere tamen intra illud. Vnde redarguas Syluium, q. 1. Supplemm. a. 3. docentem attritionem, quæ in Sacramento requiritur, debere esse actum charitatis, imperfectum tamen: etenim si τὸ *imperfectum* solùm dicit non requiri valdè intensum; apertè opponitur Tridentino, quod actum illum ex timore pœnarum (qui nullo modo est charitas, nec quidem remissa) definit sufficere intra Sacramentum. Si verò per τὸ *imperfectum* intelligat Syluius actum non habentem motiuum diuinum, sed illum, qui eo sensu, quo omnis voluntas non peccandi dicitur amor Dei impropriè, iuxta à nobis suprà dicta, & illum dicat actum charitatis, tunc dicit verum in re, errabit

tamen in nomine, & in modo loquendi ad minimum opponetur Tridentino. Id quod fusiùs infrà, dum Deo dante de Sacramento Pœnitentiæ egerimus. Hoc posito,

SECTIO I.

Quæ pœnæ sufficiant, vt ex earum fuga concipiatur attritio vera.

2 *P. Vasquez requirit æternas pœnas.*

Reiicitur.

Sufficiunt pœnæ Purgatorii.

PAter Vasquez q. 92. art. 1. dub. 3. affirmat solam intelligi æternam; vnde consequenter ait, Si quis post primam confessionem vel contritionem de peccato illud detestaretur quia adhuc in Purgatorio punitur pœnâ temporali, non habiturum attritionem requisitam ad valorem Sacramenti. Contrariam tamen sententiam puto omnino certam, tum quia Tridentinum non exclusit pœnam Purgatorij; quòd autem eam non expresserit, non obest; nam etiam non expressit motiuum beatitudinis, quod tamen, iuxta ipsum Vasquez, sufficit, quia est nobilius quàm timor pœnarum. Vtrumo hocidem euidèt 1; Si quis habeat solum peccata venialia, certum est, eum de illis posse habere attritionem sufficientem ad Sacramentum, quia per se sunt materia sufficiens illius; hic autem non potest dolere de illis propter pœnas æternas: quia venialia non illas merentur, ergo propter temporales Purgatorij. Nec potest dici, non posse habere attritionem de venialibus propter timorem pœnarum; nam Concilium vniuersaliter assignat motum attritionis sufficientis ad Sacramentum tam pro veniali quàm pro mortali; ergo vtrumque possumus detestari sufficienter pro Sacramenti valore ex timore pœnarum; dicere enim attritionem de venialibus propter timorè pœnarum Purgatorij, cùm bona sit & supernaturalis, item ex motiuo vniuersali, non esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum, expressè videtur limitatio contra Concilium docens vniuersaliter illam ex timore pœnarum sufficere.

3 *Etiam pœna huius vitæ, prout à Deo infliguntur, sufficiunt.*

Exemplum Niniuitarum

Secundò adhuc censeo cum Cardinali Lugo ea disput. 5. sect. 9. id quod & Suarius tradidert disput. 5. sect. 2. etiam ex timore pœnarum huius vitæ, saltem prout à Deo infliguntur posse esse sufficientem attritionem ad Sacramẽtum: ex quo à fortiori probatur præcedens conclusio. Hoc autem videtur esse ex Tridentino; nam vbi suprà adducit exemplum Niniuitarum, qui ex timore subuersionis ciuitatis, quam Ionas nomine Dei minatus est, pœnitentiam egerunt; ergo sentit Tridentinum attritionem conceptam ex timore pœnarum huius vitæ esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum.

Obiectio contra exemplũ de Niniuitis:

Video hic obiici posses hunc locum Concilij vel nimium, vel nihil probare: etenim Niniuitæ non egerunt pœnitentiam intra Sacramentum confessionis, quod tunc nullum erat: & tamen obtinuerunt veniam per illum dolorem (vt ibi definit Tridentinum): ergo vel non fuit ille dolor propter timorẽ pœnarum non solùm huius vitæ, sed neque inferni, vel sufficit extra Sacramentum dolor ex timore pœnarum. Huic obiectioni dupliciter respondeo: Primò, Tridentinum non definire, Niniuitas consecutos veniam peccatorum, sed misericordiam: id quod possumus optimè intelligere de misericordia quoad mitigationem pœnæ illius imminentis, quam Ionas Propheta impendere eis intra quadraginta dies dixerat; non est ergo cur cogamur ponere in illis veram contritionem, sed sufficit attritionem honestam, quæ à Deo remunerata est temporalis pœnæ relaxatione.

Soluitur Primò,

Replicabis fortè Si peccata eis non erant condonata, profectò eos permittere diutiùs viuere, vt grauioribus peccatis se in momenta onerarent, & deinde in inferno longè terribiliùs æternùm punirentur, non debuisset iudicati remuneratio, sed castigatio, & quidẽ grauis: ergo illa misericordia, quam Concilium definit eos consecutos, debet intelligi de remissione peccatorum: ac proinde sine dubio habuere illi veram contritionem. Respondeo, Hanc replicam debere ab omnibus solui. Certissimum enim est dici pœnam Dei similem anticipationem mortis etiam in his peccatoribus: qui si diutiùs vixissent, peccassent etiam frequentissimè & grauissimè. Nonne ignis ille de cælo in Sodomitas descendens pœna fuit grauissima Domini Dei: & tamen si illi diutiùs vixissent, haud dubiè & auxissent peccata, & pœnas longe maiores fuissent promeriti: possumus ergo iure merito eodem modo dicere, Eam ciuitatis subuersionem, etiamsi per illam essent liberandi à nouis peccatis, fuisse tamen verissimam pœnam, quam Deus eis infligere cogitauerat, & ab ea consecutos misericordiam per attritionem illam, quæ licet honesta & sancta, quia tamẽ ex motiuo charitatis non fuit, non fuit sufficiens ad iustificationem. Concilium autem non aliud ibi intendere videtur, quàm ostendere, eum timorem esse honestum; ad quod non est necessum ostendere illos fuisse iustificatos, quia non agebat de contritione sed de attritione. Respondeo Secundò: Etiamsi admittamus Niniuitas veram egisse pœnitentiam, adhuc Concilium à nobis stare; duo enim docet eo capite: Primum est, attritionem ex timore pœnarum esse sanctam & bonam, contra hæreticos dicentes illam esse peccaminosam: & ad hoc probandum adfert exemplum Niniuitarum, qui ex timore pœnarum sanctè egerunt pœnitentiam: Secundò, de hac eadem attritione, quam exemplo Niniuitarum probat esse sanctam, definit sufficere intra Sacramentum; & ad hoc non affert exemplum Niniuitarum. Vtrùm autem Niniuitæ incipientes ab hac sancta attritione ascenderint ad contritionem, per quam obtinuerunt veniam peccatorum, non explicat ibi Tridentinum, etiamsi id piè credi possit. Dico *etsi piè credi possit*; nam licet Christus Dominus Matthæi 12. & Lucæ 1. illos pœnitentiam egisse dixerit, non tamen cogimur id de Pœnitentia ad iustificationem sufficienti intelligere, sed sufficit de ea, quæ in attritione cõsistit. Nam & de Iuda, qui tamen nec attritionem supernaturalem habuit, sacra Scriptura dicit eum pœnitentiâ ductum retulisse triginta argenteos. Et sanè ad intentum Christi ibi contra incredulos Iudæos necessarium non fuit ostendere amplius, quàm quòd illi verè credidissent Ionæ, quòd veram egissent pœnitentiam, licet non tam perfecta, quæ sola potuerit obtinere veniam peccatorum. Non ergo cogimur omnino ad tribuendam illis veram contritionem. Credi tamen id piè potest (vt dixi) quia satis probabiliter id insinuant Christi verba, & Deus, qui volebat mundo ostendere, se locum dare pœnitẽtiæ cuilibet quantumuis graui peccatori; vti illos monuit

4

Secundò.

5

uit primò ad attritionem veram credendus est etiam mouisse ad veram contritionem. Et satis de Niniuitis occasione motiui attritionis.

Obiectio secunda: An sufficiant etiam pœnæ quæcunque à Iudice humano infligendæ. Negat Pat. Suarez. Probat.

Secundò adhuc obiicies; Si timor illius mortis, seu euersionis, suffecit ad veram supernaturalem attritionem, ergo etiam timor pœnæ temporalis, quæcumque illa sit, & vt à Iudice infligendæ, sufficiet pro attrione intra Sacramentum. Negat Pater Suarez consequentiam, quia timor pœnarum à Iudice humano non sufficit ad arcendum hominem ab omni peccato, nisi ad summum ab externa actione, quæ sola esse potest nota ei iudici; pro quo videtur facere Augustinus ita loquens: *Si propterea non furaris, quia times videri, iam furatus es in corde tuo.* Contrà insurgit Lugo suprà, quia si Iudex aliquis diuinitus haberet vim cognoscendi etiam secreta cordis suorum subditorum tunc detestatio propter timorem pœnarum ab hoc iudice esset sufficiens ad arcendum hominem ab omni peccato etiam interno.

Cuius rationi oppugnat Lugo.

Hæc tamen impugnatio non vrget: posset enim responderi Primò; Etiamsi ille iudex haberet eam vim cognoscendi secreta, adhuc non ideò fore vt posset ea punire; nam nisi ex speciali Dei commissione humani Iudices non possunt interna punire: si autem consideretur vt habens specialem commissionem à Deo, tunc proculdubio timor pœnarum, vt ab eo infligendarum esset sufficiens ad attritionem; quia iam ille timor haberet respectum ad Deum: quod solum hi Auctores requirunt, & benè: de quo statim. Respondeo Secundò, Casum illum esse accidentarium, qui non immutat vim attritionis: vnde non debet ille considerari ad cognoscendum quæ attritio sufficiat. Cùm ergo regulariter & per se iudex ignoret secreta cordis, per se etiam attritio ob timorem Iudicis erit incapax ad impediendum interius peccatum, & consequenter non erit etiam intra Sacramentum proportionata pro remissione.

6 *Sed ineffaciter.*

Secundò idem Auctor impugnat Patrem Suarium; nam etiam peccata interna causant in homine pœnam aliquam, tristitiam, conscientiæ remorsus, qui ad corpus prodeunt, &c. & tamen odio habere peccata, quia causant hanc tristitiam, licet si motiuum vniuersale pro omnibus peccatis non sufficit ad attritionem intra Sacramentum. Ergo timor pœnæ temporalis à Iudice non ideò deficit ab attritione sufficienti, quia non sit vniuersalis. Hæc etiam impugnatio non satisfacit, quia rursùs non ostendit hic Auctor, cur dolor de peccatis ob illud motiuum, ob quietem scilicet conscientiæ, non sit sufficiens ad veram attritionem. Et (vt verum fatear) mihi longè probabilius est hunc dolorem ex anxietatibus conscientiæ desumptum esse omnino sufficientem pro attritione ad Sacramentum requisita. Vnde responsum Patris Suarez iudico valdè probabile: posset tamen adhuc aliter cum Lugo assignari disparitas inter pœnas vt à Iudice infligendas & pœnas æternas; quòd per illas, vt sunt à Iudice inflictæ, nullo modo homo ad Deum conuertitur; quia hæ pœnæ vt sic non habent ordinem ad Deum. Ad attritionem autem sufficientem pro Sacramento requiritur, vt homo conuertatur ad Deum, etsi non perfectè ipsum amando (hoc enim spectat ad contritionem) saltem timendo ipsum, vel colendo, vel ei obediendo, vt hoc modo satisfaciat aliqualiter pro peccato, per quod auersus fuit à Deo, licet non ex odio expresso ipsius, aduertendo tamen se illum iniuria afficere, ipsius præceptum transgrediendo, &c. Timor autem pœnæ temporalis, vt inflictæ à Deo, iam facit hominem ad ipsum conuerti, saltem eum timendo; ergo licet timor, quo conuertimur ad solum Iudicem humanum, non sufficiat ad attritionem requisitam pro Sacramento, sufficiet tamen timor pœnarum etiam temporalium vt infligendarum à Deo.

Alia additio, cur pœnæ à Iudice infligendæ non sufficiant.

SECTIO II.

Quid de turpitudine peccati vt est contra solam naturam rationalem.

CARDINALIS Lugo ex dictis præcedenti sectione colligit detestationé peccati præcisè, vt est contra naturã rationalem, seu contra dictamen rationis, ibi sistendo, non esse sufficientem pro Sacramẽto, quia tunc non esset conuersio ad Deum, sed ad naturam rationalem: sicut è contrario diximus Tomo 3. casu quo omnino Deus ignoraretur, & quis committeret aliquid graue contra dictamen rationis non peccaturum propriè, nec meritutum pœnam æternam, sed solùm admissurum indecentiam moralem contra naturam rationalem. Ex quibus intelligitur, quid à Concilio significetur in secundo motiuo de turpitudine peccatorum, scilicet non vt intelligatur ea turpitudo quasi purè naturalis contra dictamen rationis præcisè sed vt habet malitiam inobedientiæ, irreligionis, aut aliquid aliud contra Deum. Id quod vlteriùs declarat hic Auctor, eò quòd Concilium dixerit *turpitudinem peccati*; peccatum autem non est nisi formaliter contra Deũ; quo ignorato esset quidem indecentia moralis contra naturam rationalem, non tamen esset peccatum, vt immediatè dixi me tradidisse eo Tomo 3.

7 *Lugo docet hos motiuum non sufficere.*

Contrarium tamen est probabilius.

Hæc sunt satis probabiliter dicta; mihi tamen absolutè videtur probabilius cum Patre Suario, illud motiuum omnino esse sufficiens ad veram attritionem, quæ in Sacramento requiritur pro iustificatione: nam Concilium vniuersaliter sine vlla limitatione loquitur de turpitudine peccati: cur ergo nos illud magis ad hanc quam ad illam coarctabimus: neque rationes in contrarium cogunt nos ab hac doctrina recedere. Ad primam, quòd cõuersio per attritionem esse debeat ad Deum, admittimus id libenter; negamus tamen hoc non fieri, si quis detestetur peccatum ex odio huius turpitudinis; nam homo sciens Deum esse caput naturæ rationalis, profectò vti peccando contra naturam rationalem eo ipso scit illum offensum; etiamsi nullo modo intendat eum offendere; ita eadem etiam ratione dum dolet se peccasse, eò quòd offenderit eam naturam, cùius agnoscit Deum esse caput, iam eo ipso ad Deum in actu exercito & implicitè saltem conuertitur, etsi non habeat pro motiuo formali eius detestationis malitiam, quæ in Dei offensa quà tali reperitur.

Solutur rationes pro Lugo positæ.

8 *Explicatur Concilij sensus, & ex eo nostra sententia confirmatur.*

Secundum verò argumentum desumptum ex ea ponderatione, quò Concilium agens de turpitudine vtitur voce *peccati*, peccatum autem iam denotat offensam Dei, non valdè vrget; quia auersio à natura rationali, quæ de fa-

actus ille est majus, vtpote naturâ suâ virtualiter saltem ad peccandum inclinans. Vrgeo : Si quis diceret, *Si non esset infernus peccarem*, eo ipso peccaret;ergo de facto cùm idipsum videatur dicere per illum actum attritionis, etiam peccabit.

Sacra Scriptura & sancti Patres docent attritionē esse honestam.

Hac de re fusè agit Suarez disput. 5. sect. 2. vbi priùs ex multis sacræ Scripturæ & Patrum testimoniis benè probat,timorem pœnarum esse in se honestum. Illud tamen aduerto,aliqua loca,quæ ex sacra Scriptura adducit ipse cū aliis, non esse omnino efficacia;quia licet in illis laudetur timor, non determinatur tamen, vtrùm ille sit timor pœnarum, seu seruilis,de quo agimus, an verò filialis, de quo nulla est controuersia quin sit bonus. Aliqua item loca explicari fortè possent de timore occasionaliter; id est, quòd timor sit occasio emendationis vitæ; vti illi de quibus Psalmista : *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum*, Psalm.82. illis enim vexatio & ignominia dedit occasionem ad quærendum Deum ; non tamen propterea infertur,Eos operatos deinde ex motiuo illo fugiendi ignominiam, vti sæpè contingit hominem ex morte amici integrè redire ad Deum; non quia operetur postea ex animo fugiendi mortem;scit enim se, quantumuis sit sanctus,eam non vitaturum : ea ergo mor fuit occasio vt agnosceret homo mundanarum rerum instabilitatem,& propterea quæreret maiora & durabiliora,&c. In quo sensu nec ipsi hæretici possunt negare, honestum esse timorem pœnarum; æternum nolle damnari,sine dubio potest esse ocasio vt homo deinde quærat Deum eum amando,&c. Id quod clariùs definit Tridentinum contra hæreticos huius temporis ; neque de hac re dubitandum iam est inter Catholicos, etiamsi aliqui, vt Gregorius in 2.d.26.quæst.1. art. 3. Almainus Tractatu 1. Moralium cap. 3. dubio vltimo, & Adrianus quolib.4. quæst.2. senserint, operari ex timore seruili, vt ex fine proximo & motiuo formali, esse malum; qui ex dicēdis circa rationem dubitandi propositam reiicientur.

11

Attritio quacumque potest esse occasio amoris Dei

Probat Pater Suarez attritionem esse honestam, sed non sufficientem.

Ergo,vt ad solutionem illius accedamus,Pater Suarez eo loco ideò putat esse honestum timorem pœnarum inferni, quia in eo includitur amor oppositi boni, scilicet beatudinis æternæ, quæ est honestissimum obiectum. Ego tamen hanc explicationem ex duobus capitibus minùs iudico sufficientem; Primò, quia non dat rationem generalem ad timores aliarum pœnarum, qui etiam honesti sunt. Certè Niniuitæ vix videntur apprehendisse alias pœnas quàm mortem temporalem,excidium ciuitatis,&c.Secundò, quia pœna æterna sensus non est propriè opposita beatitudini ; etenim beatitudo solùm debetur homini vt eleuato diuinitus ad finem supernaturalem ; at pœna æterna debetur naturaliter cuilibet peccato mortali independenter planè ab omni eleuatione hominis Nā si in statu puræ naturæ relinqueretur homo, & peccaret mortaliter , aud dubiè mereretur eamdem pœnam quam iam;vti eam merentur qui cum ignorantia inuincibili beatudinis (quam non Christiani habent maxima ex parte) cum notitia tamen Dei, cum offendunt grauiter;negari autem non potest, quin etiam tunc sanctè possent homines ex earum pœnarum timore retrahi à peccato;& verò defacto id potest contingere. Nam si aliquis haberet ignorantiam inuincibilem æternæ beatudinis ex minùs bona instructione Parochi, certè adhuc ex timore eorum cruciatuum æternorum posset atteri honestissimè , vt ex terminis patet. Deinde etiam inter omnes ferè , qui beatitudinis notitiam habent, idem constat : quia illi incredibiliter magis apprehendunt ipsorum tormentorum grauitatem quàm vllam positiuam beatitudinem:ac proinde magis frequenter conuertuntur ex timore quàm ex gloriæ spe : ergo in fuga pœnarum non habent illi pro motiuo bonum,quod relucet in beatitudine ipsa , sed præcisè fugam seu carentiam eorum ingentium dolorum:ergo bonitas motiui illius non debet ex beatitudinis bonitate explicari, Tertiò , quia etiam ipsæ pœnæ Purgatorij sunt sufficientissimum motiuum attritionis,& tamen illæ non deterrent ea ratione, quatenus causant dilationem beatitudinis:quia si homo toto eo tempore,quo in Purgatorio est futurus, maneret in hac vita, haberet eamdem omnino dilationem eius beatitudinis : certum autem est eam mansionem in vita non habere illam vim deterrendi quam pœnæ Purgatorij; ergo hæ non mouerit ad attritionem ratione beatitudinis,quam vel ad tempus differant, vel omnino impediant, sed aliunde,hoc est ratione eorum grauissimorum cruciatuum.

12

Sine spe beatitudinis potest esse attritio.

14

Probatur melius, cur attritio sit honesta.

Iudico ergo independenter à beatitudine rem esse declarandam:vti etiam videtur id explicare paulò inferiùs idem Suarez : quia scilicet ipsa carentia eius physici doloris est bona homini , & maximè iuxta naturam illius , ac proinde est honestè amabilis; vti est honestè amabilis sanitas, vita,diuitiæ, honor,si in eo amore aliunde non admisceatur aliqua inordinatiō : id quod ego efficacitet meo iudicio ostendi Tomo 5. agens de humilitate. Etenim(vt ibi dixi) omnia quæ ego honestè facere possum circa proximum ob amorem illius ibi sistendo,possum etiam circa meipsum facere sistendo etiā in amore mei (si aliunde non admisceatur aliqua repugnantia:) nam & ego sum eiusdem speciei cum illo, &,considerata natura physica,tam bonus quàm ille;& eodem modo sum pars naturæ rationalis sicut ille ; neque vllum poterit inueniri principium naturale , quod vel apparenter suadet me huiusmodi bona posse honestè aliis procurare ex affectu erga illos,non verò mihi,cùm potiùs ipsa natura dicat ptiùs hominem debere sibi suisque attendere quàm aliis:vnde si ego vel proximus de vita periclitemur,& non possim vtrumque saluare,non teneor meam vitam exponere vt proximum saluem, sed possim honestè priùs mihi attendere : suppono aliunde non esse extrinsecas alias rationes,vt quòd ille sit necessarius magis Reipublicæ; vel quòd, si nunc moriatur,sit damnandus,&c.Hæc enim omnia sunt extrinseca & accidentaria in ordine ad nostrum discursum. A fortiori ergo potero honestè mihi attendere, quando id sine damno proximi obtineo.

Quæ possum honestè facere proximo, possum & mihi.

Ex hoc ergo principio lumine naturæ euidentissimo argumentor : Nam testibus etiam ipsis hæreticis honestè & sanctè ex solo amore proximi,& ob bonum quod sit rationali Reipublicæ, cuius membrum est Petrus v.g.possum velle ipsum liberare , si valeo id præstare, à doloribus grauissimis quos patitur : quòd sit in periculo vitæ possum illum iuuare , teneor etiam ad id ipsum:ergo si ego, qui etiam sum pars naturæ rationalis, morbo eodem grauissimè vexor,vel

de vita periclitor, possum sanctè & honestè quærere media vt liberet ab eis doloribus ex amore mei. Neque erit necessarium alium finem adhibere; vti dum libero Petrum non adhibeo alium finem, nisi quia honestum est liberare Petrum ab eis physicis malis: neque hic actus circa me desinit esse honestus ex eo, quòd ego habeam à natura inclinationem & propensionem ad procuranda mihi ea bona: etenim Deus à natura habet infinitam inclinationem ad se amandum; nec tamen propterea vllus vmquam dixit, amorem illius in se non esse honestissimum. Ratio à priori est euidentissima, quia si non obstante ea inclinatione obiectum adhuc retinet totam suam honestatem, non potest obstare ea inclinatio, quò minùs actus si bonus. Potest quidem ea inclinatio aliquando cansare excessum in eo amore, & tunc fateor actus ille non erit bonus; si tamen voluntas se contineat intra limites, & modum non excedat, erit profectò ille amor honestus, & fortasse ex eo, quòd vrgente ea inclinatione, voluntas tamen se continuerit, & terminos non excesserit poterit illi actui superuenire aliqua ratio noui meriti. Sed, quidquid de hoc maiori merito sit, abundè nobis est, quòd probauerimus substantiam illius actus esse honestam.

Honestum est velle se liberare à pœnis inferni.

Ex his concluditur clarissimè, hominem velle à se auertere illos dolores physicos æternos inferni, esse obiectum honestum; vti est honestum illos eosdem velle auertere à Paulo, ab Antonio, &c. atqui hoc præstat timor ille seruilis ergo ille honestus est.

Honestū item est ad præstādū eligere pro medio fugam peccati.

Secundo id ipsum probatur: Nam præter honestatem motiui, quam exposuimus, habet aliam valdè magnam, quòd assumat pro tali fine medium honestissimum; quale est carere peccatis omnibus mortalibus: quid ergo, rogo, potest obiici contra bonitatem & honestatem eius actus?

SECTIO IV.

Respondetur in forma difficultati in contrarium posita.

16 *Tria obiciū tur.*

IAM in foma ad obiecta suprà. Pro quo aduerte tria præcise obiici cõtra timoris honestatem. Vnum, quòd non velit vitare peccatum in omni circũstantia, sed præcisè, quando est illi annexa pœna. Alterum, quòd videatur esse voluntas virtualis peccandi quando ea pœna non esset. In quibus duobus capitibus videtur consistere tertium, quòd plus horreat pœnas quàm peccatum, per partes ergo his obiectionibus clarè satisfaciendum erit. Et quidem quoad primam difficultatem dico illam esse adeò leuem, vt pudere deberet hæreticos se ea moueri: etenim omnis omnino actus (excipio amorem Dei super omnia, & voluntatem vniuersalem non peccandi) quantumuis bonus & honestus aut indifferens, habet id quod nunc obiicitur: etenim voluntas ambulandi, loquendi, comedendi, dormiendi, dandi eleëmdynam iciunandi, orandi, exercendi actus religiosos, &c. non solùm non est voluntas numquam peccandi, sed in rigore neque est voluntas vel semel non peccandi, quia per illas voluntates nihil omnino propono de vlla fuga peccati; ac proinde hæ voluntates, compossibiles sunt cum omnibus ferè peccatis, quomodo ergo, aut quâ apparentia dici poterit illam voluntatem, quæ licet pro omni omnino casu possibili peccata non fugiat, fugit tamen omnia pro hoc ordine rerum? quomodo inquam dici poterit illam esse malam, eò quòd ad illos omnes casus possibiles se non extendat? Si quis diceret manè, *Ego facio firmissimum propositum hodie non peccandi*; peccaretne, eò quod illa voluntas non se extenderet ad omnes dies? si ea voluntas diceret, *Hodie nolo peccare, cras tamen volo*, haud dubiè esset mala; quia hodie amplecteretur obiectum malum pro crastino: at eò quòd reiiciat hodiernum peccatum, de crastino verò nihil dicat, quomodo quæso efficietur mala? Declaro id meo iudicio manifestè (si tamen in re tam clara requiritur maior explicatio) in actibus intellectus. Nam si currente Petro & Ioanne ego vno actu dicerem: *Solus Petrus currit*, 17
sine dubio errarem; at si dicam, *Petrus currit*, de Ioanne verò id non affirmem, dummodò non negem, sed me habeam præcisiuè; vti quando in somnis aut vigilia de nullo quidquam affirmo, profectò nemo poterit dicere, aut me errasse, aut me non dixisse veritatem; & si forte non tam magnam veritatem dixissem, quàm si affirmassem vtrumque currere; idem est in voluntate, ego purè omittens omnem voluntatem honestam non peccandi hodie, cras & in æternum, non pecco; (suppono me hic & nunc non obligari ad vllam volitionem;) ergo si pro mea libertate amplector partem quamdam obiecti illius honesti, reliquam non tangendo, neque amando, neque fugiendo, nullo modo dicendus sum peccare, sed potiùs benè operari, licet non tam benè, quàm si omnino proponerem non peccare in vlla planè occasione. Et hæc de prima difficultate.

Respondetur secundæ difficultati: Quod attritio magis fugiat pœnas quàm peccatum.

Secunda & tertia, Quòd videatur homo plus fugere pœnas quàm peccatum, & quòd, casu quo pœnæ non essent, peccaret, nullo etiam modo vrgent. Etenim respondendum est ferè eodem modo quo præcedenti: Aliud enim est in actu exercito magis amare hoc obiectum quàm aliud, aliud autem magis amare in actu signato & reflexo. Amare plus in actu reflexo est dicere, Malo hoc habere quàm illud, aut, Malo hoc amittere quàm illud. Si attritio hoc modo reflexè diceret. *Malo peccare, quam tolerare pœnas inferni*, esset haud dubiè mala; quia expressè præfertet malitiam moralem pœnis, aut expressè amplectetur malitiam, sicut si diceret, *Peccarem, nisi esset infernus*: at quòd in actu exercito seu materialiter afficiatur magis pœnarum carentiæ quàm carentiæ peccati, nihil penitus ei obest: etenim actus quilibet respiciendi aliud obiectum quàm Deum, ille v.g. quo volo ambulare, sedere, dormire, dare eleëmosynam, &c. in actu exercito amat ea obiecta plus quàm Deum, imò nullo modo Deum amat; alia verò obiecta amat vt octo v. g. quod longe adhuc plus est; videturque per hoc magis accedi ad malitiam iuxta obiectionem positam. Etenim si 18
amare vt quatuor v. g. Deum, & creaturas vt octo in actu exercito, dicitur ab his malum; debebunt profectò à fortiori dicere, malum esse amare creaturam vt octo, Deum verò nullo modo; quia (vt ex terminis constat) peius est nullo modo amare quam aliqualiter: vnde è contrario

Amare in actu exercito aliquid plus quã Deũ non est malum.

Respondetur primæ difficultati: Quod attritio non fugiat peccatum in omni occasione.

rior argumentor; Non potest ab vllo dici, malum esse illum actum, qui non amat Deum vllo modo, creaturam verò intensè; ergo neque erit malus ille, qui creaturam intensè, Deum verò remissè amat. Hoc quod dixi de Deo, eodem omnino modo dicitur de peccato & pœnis; nam si, quando non cogito de peccato, & fugio pœnas, actus ille, esto nullo modo odio habeat peccatum, pœnas verò intensè horreat, non est malus, non poterit profectò esse malus alter, qui & pœnas & peccatum odio habet, licet magis pœnas quàm peccatum in actu, vt dixi, exercito. Ratio à priori facilis est, quia vt actus sit bonus absolutè, non est necessum, quòd habeat obiectum optimum quod potest esse; item dum versatur circa illud, non tenetur etiam illud amare optimo modo, quo potest amari; sufficit enim si actus habeat obiectum, bonum, esto minùs bonum: item sufficit, si circa illud versetur bono modo, licet non optimo; alioquin nullus actus esset bonus, nisi qui haberet Deum pro obiecto, & verò illum respiceret optimo modo possibili; quod est apertissimè contra omnium omnino sensum, & contra prima principia naturalia. Libenter ergo concedo melius obiectum esse, fugere peccatum ob malitiam quàm ob annexas pœnas; item meliori modo posse ea obiecta amari; si ea malitia sit obiectum formale, pœnæ verò materiale: at nego fugam pœnarum non esse obiectum bonum (vt in primæ obiectionis solutione dictum est;) vnde consequenter nego non esse bonum modum operandi, fugere peccata vt fugiat pœnas. Et sanè Deus ipse, qui in suis volutionibus ordinatissimus est, sæpè amat obiectum nobilius propter aliud minùs nobile: constat id in Incarnatione, quam ad nostram salutem ordinat; est autem illa obiectum longè nobilius in se quàm nostra salus: id quod bene Suarez suprà ponderauit. Eo autem casu in actu exercito amatur magis à Deo nostra salus quàm Incarnatio; eodem planè modo quo in nostro casu magis amatur fuga dolorũ quàm fuga peccati. Neque debilitat vim huius instantiæ de Deo, quòd illa eadem Incarnatio simul ordinetur ab ipso Deo ad alium finem nobiliorem, nempe ad ipsum Deum: etenim per hoc non tollitur ea, quam hi volunt dicere malitiam, quòd scilicet res nobilior ametur in actu exercito minùs quàm ignobilior; nam (quidquid sit de aliis finibus) adhuc semper est verum, & verissimum, quòd etiam ordinetur ea Incarnatio ad nostram salutem, & consequenter quòd obiectum in se nobilius ametur ob ignobilius; licet simul ordinetur ad aliud nobilius, de quo iam non disputo.

19 *Ipse Deus sæpè amat obiectum nobilius propter aliud minùs nobile*

Quod vt tandem radicitùs intelligas, aduerte, ferè omnia obiecta honesta habere in se duas bonitates, vnam honestam, alteram vtilem. V.g. castitas est in se honesta, est etiam vtilis ad gloriam æternam, ad alias virtutes obtinendas, ad fugiendas pœnas luxuriosis debitas; & idem dico de omnibus aliis virtutibus. Carentia etiam omnis peccati est in se honesta, est etiam vtilis ad placendum Deo, ad pœnas fugiendas: hoc nemo potest negare; neque vllus, quantumuis stolidus hæreticus; si tamen terminos intelligat: si igitur ea carentia habet in se vtilitatem, cur quæso propter illam amari non poterit honestè? Certè ea vtilitas est ad finem honestum; dixi enim ex carentiam pœnæ esse obiectum honestum, non minùs quàm sit honesta cibatio pauperis, curatio infirmi patientis graues dolores: ea enim curatio explicatis terminis est ipsissima fuga dolorum: si ergo carentia peccati habet vtilitatem ad illud obiectum honestum, cur quæso non amabitur honestè? Certe quidquid est vtile ad rem honestam, necessariò ex ipso est honestè propter illam amabile; nam finis est bonus, medium etiam est bonum; ac denique nihil in ea ordinatione fit, quod non sit, naturæ conforme; ergo.

Ferè omnia obiecta honesta habent simul rationem vtilitatis.

10 *Respondetur tertiæ difficultati, Quòd attritio maluit peccare quàm ire ad infernum*

Quod autem præterea dicebatur, eum actum virtualiter quasi cogere hominem, vt casu quo vel peccare vel pati pœnas deberet, mallet peccare, quàm eas pœnas pati; hoc etiam non vrget, quia in terminis repugnat, vt vi eius actus voluntas id faciat, etiamsi poneretur in simili casu: id quod non explico ego modo quo Pater Suarez suprà, quia scilicet si peccaret, iam eo ipso se redderet dignum pœna: hoc inquam modo id ego non declaro: nam casus ita ponitur, vt peccatum non mereretur pœnam siue per possibile siue per impossibile, vel certè vt de facto hîc & nunc non esset ea infligenda, ac proinde eam fugerem peccando: in hoc autem casu habet adhuc vim suprà facta obiectio. Aliter ergo ostendenda est illa repugnantia, eò quòd ille actus absolutè omnino efficacitet velit fugere peccatum, esto id faciat ob vitandas pœnas: ergo repugnant vi illius actus me in vllo excogitabili casu determinari ad peccandum: sicut voluntas quâ dico, *Volo equum vt eam Viennam*, repugnat vt dicat, *Nolo equum*, quantumuis agnosceret equum esse inutilem pro eo itinere: imò etiamsi expressè agnosceret se per equum ab eo itinere impediendum, repugnaret vt vi illius actus diceret, *Nolo equum*, sed summùm eo casu, cessando ab eo actu, habet homo ille alium, quo sine equo vellet ire Viennam. Ratio à priori desumitur ex his quæ sæpè dixi ad varia proposita (& est alioquin res per se nota) actui scilicet amanti medium & finem æquè essentialem, licet non tam principalem, esse respectum & ordinem ad obiectũ materiale, quàm ad formale; sicut homini æquè essentialis est materia, sicut anima, esto hæc sit nobilior quàm illa; ergo repugnat in terminis, vi eius actus essentialiter volentis non peccare, determinari aliquem in vllo excogitabili casu ad peccandum. Summùm posset inferri quod paulò antè in simili dixi, vi eius actus, qui per modum intentionis fertur ad solam fugam pœnarum, abstrahendo à mediis, posse hominem indirectè induci ad peccandum. At hoc vel non sequitur, vel certè non sufficit in omnium omnino sententia ad malitiam: quòd non sequatur ostendam paulò pòst; quòd autem non sufficiat ad malitiam patet, quia id est commune omnibus omnino actibus: actus enim quo volo ambulare habet hoc, vt, si ille duret etiam postquam est prohibita ambulatio, possit me ad illam inclinare; idem dico de quocumque alio etiam honesto: nam voluntas ieiunandi est talis, vt si duret postquam ieiunium est mihi graviter prohibitum, in clinet me ad peccandum, id est ad ieiunandum non ostante contrario mandato; ergo ea indirecta inclinatio, quæ communis est omnibus actibus quantumuis honestis, excepto illo, quo dico *Nolo peccare*, non potest reddere specialiter attritionem malam. Ratio autem vniuersalis, cur tam attritio quàm omnes alij actus, quos pro instantia adduxi, non reddantur mali ex ea quasi indirecta inclinatione

Et ostenditur id in terminis repugnare.

Quòd aliquis actui possit indirectè inducere ad peccatum. non obstat eius honestari.

11

Ratio à priori

ne ad malum ea est quia quòd posita ea conditione prohibitionis obiecti, si durent actus illi, habeant vim trahendi voluntatem ad illud, non prouenit eis ex se, quia ipsi nullo modo petunt tunc durare, imò potiùs petunt perire: cùm enim noua malitia, quæ anteà non erat repræsentetur iam in obiecto, profectò quodam modo reluctanter manet ille actus amando id quod agnoscit iam non tam dignum amore, quàm anteà putabatur. Ex quo capite non defuêre Auctores, qui censuerunt non posse neque diuinitùs eo casu talem actum permanere; & licet opinio hæc non sit vera, saltem ostendit non debere tunc tribui illi actui eam perseuerantiam, sed si durat, id esse potiùs malitiæ ipsius voluntatis tribuendum, quæ cùm agnoscat se non debere tunc retinere talem actum, id tamen non curans eum retinet; quo casu iam ipse actus, qui anteà erat bonus, redditur malus.

22. *Ostenditur, quòd attritio nec indirectè inducat ad peccatum.*

Iam vero ostendo quod dixi suprà, neque id posse sequi; nam iuxta probabiliorem sententiam, si actus ille, quo amaui fugam pœnarum, fuit bonus, consequenter per illum fuit amata carentia illa quatenus bona, quia non sufficit ad hoc, vt actus sit honestus, quòd amet obiectum in se honestum, sed debet illud amare quà tale, seu quà honestum; atqui eo ipso quòd ea fuga pœnarum agnosceretur esse connexa cum peccato, non posset agnosci vt bona, sed potiùs vt mala; ergo tunc non posset perseuerare illa voluntas prior, quia iam non haberet obiectum, quòd anteà amabat; si fuisset volitio aliqua indifferens potuisset durare, quia hæc non amat honestatem moralem quà talem; proinde durare etiam potest quando obiectum redditur malum moraliter; ergo nullo vnquam casu illa voluntas etiam per modum intentionis potest inclinare ad malum.

Deinde attritionis nomine intelligimus & voluntatem seu desiderium fugiendi pœnas inferni quod potest esse in omnibus, etiam qui omni carent peccato; & de quo non possunt hæretici nisi stulte dicere, optare non damnari in perpetuum, esse actum malum; vltra hoc ergo desiderium fugiendi pœnas inferni, quod bonum, & optimum est, addit attritio dolorem de peccatis, & propositum non peccandi de cætero; iam autem ostendi propositum huiusmodi, cùm sit efficax detestatio peccati, non posse in vllo casu inclinare ad peccatum; nam eo ipso vellet duo contradictoria, etiamsi per impossibile nullæ pœnæ responderent peccatis, esseque per se bonum; ergo si ea duo coniungantur in vnum actum, quo velim fugere & infernum & peccatum, non est vnde dici ille actus possit peccaminosus,

SECTIO V.

Aliquæ difficultates de attritione.

23 *Quæstio prima: Vtrùm attritio cùm tali societ alia peccaminosa. Negatur.*

PRIMA sit quæstiuncula quædam à nonnullis hic mota; Vtrùm scilicet saltempost sit de facto cum ea attritione cohærere alia voluntas qua dicerem, *Si infernus non esset, peccarem.* Respondent aliqui, Non posse, rationemque reddunt; nam illa voluntas esset re ipsa peccatum, ac proinde etiam de facto meteretur pœnam æternam quam fugit illa attritio. Hæc ratio est quidem bona, non tamen adæquata, melius ergo respondetur ex dictis, Etiamsi re ipsa de facto peccatum non mereretur pœnam per talem actum, non posse tamen illum cohærere cum attritione, quia hæc est detestatio efficax non solùm pœnarum, sed etam peccatorum (vt ostensum est fusè suprà;) ergo illa in nullo casu non solùm per se immediatè, vt diximus, poterit inclinare ad peccandum, sed nec consortium admittet vllius alterius volitionis, quæ sit peccatum, quidquid sit de pœna; nam efficaciter velle nullum peccatum admittere, & re ipsa de facto aliquod admittere, apertam dicunt repugnantiam.

Quæstio secũda: An attritio ex motiuo pœnarũ possit esse supernaturalis. Doctrina P. Suarez.

Quæritur Secundò; Vtrùm attritio ex hoc motiuo pœnarum possit esse supernaturalis. Suarez ea sect. 2. mouet similem quæstionem de attritione ex motiuo fœditatis peccati; de pœnis verò tacet; videturque supponere, fugam pœnarum esse motiuum supernaturale. Ego tamen iudico debere eodem modo de vtroque motiuo discurri, quia carentia illarum pœnarum in se est naturalissimum obiectum, non minùs quàm sit ipsa fœditas peccati, de qua Suarez mouet dubium. Fortassis ideò de pœnis nihil dixit, quia supponebat fugam inferni esse amorem beatitudinis supernaturalis vt boni oppositi, vnde saltem implicitè in ea fuga reperitur obiectum supernaturale. Verùm hoc fundamentum illius iam suprà reiecimus, quia reuerà bonum relucens in carentia pœnarum non est beatitudo sed pura carentia doloris; hæc autem haud dubiè est naturalis; ergo eadem difficultas est de pœnis quæ de fœditate peccati; de vtroque igitur motiuo eodem modo discurrendum.

24

Idem Suarez consequenter ad sua principia de distinctione actuum supernaturalium à naturalibus per obiectum formale supernaturale & naturale docet, eam fœditatem, si purè consideretur vt est contra naturam rationalem, solùm sufficere pro virtutibus moralibus acquisiti, non pro infusis & supernaturalibus: putat ergo debere considerari eam vt est nota per reuelatam regulam, & vt est contra rectam rationem vt eleuatam ad finem supernaturalem: nam virtutes distinguuntur per obiecta seu motiua. In eamdem sententiam adeò consentit P. Gaspar Hurtadus disput. 6. de Pœnitentia, difficultate 5. vt cùm priùs dixisset, dolorem de malo temporali cum respectu ad Deum esse motiuum sufficiens pro attritione ad gratiam obtinendam in Sacramento, addiderit, non esse necessarium vt ea attritio pro gratia sufficiens sit in se supernaturalis in substantia, esto spes, quæ etiam requiritur ad effectum Sacramenti, debeat esse supernaturalis, cùm habeat pro obiecto beatitudinem, quæ est supernaturalis in substantia. De timore autem pœnarum infecti nihil ibi dicit; vti etiam non explicat, quomodo illud malum naturale, quod iudicat esset motiuum sufficiens, referendum in Deum, vti requirit referri.

Reiicitur.

Duo sunt in hac sententia quæ mihi valdè displicent. Primum, quòd dicat eam attritionem non necessariò esse debere supernaturalem in substantia. Etenim fusè Tomo 3. de Gratia ostendi, ad meritum, maximè condignum gratiæ, necessariò debere interuenire actum in substantia supernaturalem, nam supernaturalitas quoad modum, quod scilicet actus ille, qui alioquin poterat procedere viribus naturæ, fiat per auxilium gratuitò datum, nec auget naturalem

illius

illius bonitatem & valorem, nec rationem meriti. Cùm ergo hic Auctor concedat hanc attritionem esse sufficientem, vt si in gratia fiat sit meritoria etiam de condigno, debet concedere illam esse in substantia supernaturalem: sed quia de hoc eo Tomo 4. egi fusè, non ampliùs hic addo. Secundum quod in ea doctrina displicet est, quòd iudicet de obiecto illo naturali, seu de malitia ac fœditate naturali peccati, non posse esse actum in substantia supernaturalem: circa obiectum enim in se naturalissimum, qualis est Deus, potest versari actus amoris summè supernaturalis; id quod alibi à me probatum est; vti circa visionem supernaturalem è contrario possunt esse actus naturales, quales habent hæretici non errantes circa punctum beatitudinis: & idem est de actu, quo Incarnationem existentiam gratiæ habitualis credunt; & deinde per voluntatem benè circa illa afficiuntur:

25 *Soluitur quæstio.* Igitur consequenter ad ea principia quæ tradidi fusè Tomo 5. circa obiectum naturale, posse esse virtutes tam naturales quàm supernaturales; è contrario verò circa supernaturale posse esse actus naturales & supernaturales, ex solo diuerso modo tendendi inter se differentes; dico etiam in præsenti eam fœditatem, vt purè puta est contra naturam rationalem, esse posse obiectum attritionis supernaturalis. Neque ea ratio de differentia ex motiuo est magni momenti. Nam ita obiecta seu motiua dant diuersitatem actibus, vt tamen etiam aliunde illa sumatur; nam etsi oculus leonis & oculus hominis idem habeant omnino obiectum tam materiale quàm formale, nempe lucem & colorem, non propterea eiusdem est speciei mea visio albedinis cum visione leonis de eadem albedine: sed de hoc fusiùs citato loco. Quòd autem in præsenti dicit Suarez de fœditate vt reuelata per fidem, mihi videtur vtcumque difficile: etenim fides, quæ me dirigit ad eam attritionem, etsi dicat mihi, *In hoc obiecto est deformitas contra naturam rationalem*: non dicit mihi, *Ea est detestanda, quia per hunc actum fidei cognoscitur.* Neque enim actus ille est reflexus supra seipsum, sed immediatè proponit malitiam obiecti. Neque item necessum est tunc, vt per aliquem alium actum intellectus noscat reflexe se habere actum supernaturalem fidei circa eam turpitudinem peccati; ergo licet tunc sit in intellectu regula supernaturalis, voluntas tamen dum fertur in illud obiectum, non fertur in illud vt subest regulæ, sed odio habet malitiam illam, quam regula ipsa nouit: regula autem etsi supernaturalis sit, non nouit nisi naturalem malitiam: & idem dico quando quis horret pœnas inferni, vel amat carentiam illarum; nam licet de inferno homo forsan sciret nisi ex reuelatione Dei; & tamen quando ego detestor pœnas, non detestor illas vt cognitas per fidem, quia ea cognitio non addit illis maiorem detestabiliratem, quàm si notæ fuissent cognitione naturali; sed detestor directè & immediatè physicos illos dolores, & contrario amo physicam illorum carentiam, quæ sine dubio in sua entitate est naturalissima; non habeo ergo tunc pro obiecto formali vllam supernaturalitatem, licet pro principio dirigente habeam cognitionem supernaturalem.

Attritio ex motiuo pœnarum, aut fœditatis peccati, potest esse supernaturalis.

36 *Quæstio tertia: An sit diuisio attritionis sufficientis tradita à Concilio Tridentino. Affirmatur.* Tertia difficultas circa eam attritionem est; Vtrùm sufficienter sit eius diuisio à Concilio tradita. Respondet Suar. ea sect. 2. n. 13. illam omnino esse adæquatam, quia attritio vnicè sumitur ob malitiam obiecti; illa autem malitia non potest esse nisi vel ipsa turpitudo peccati, quam Concilium iam ibi expressit, vel quòd sit causa pœnarum; quod etiam ibi expressit: est ergo adæquata.

Quòd si obiicias Primò Potest etiam attritio esse ob bonum, quo homo careret, si peccaret: Secundò: Nam Tridentinum ibi solas pœnas posuit inferni, cùm tamen nos dixerimus suprà sufficere alias: Respondet Suarez ad primum, Eam carentiam boni debere reduci ad timorem pœnarum: quia idem est fugere peccatum ex timore amittendi vitam æternam ac ex amore eam habendi. Ad secundum respondet, A Concilio nõ solùm gehennam, sed etiam indefinitè positum *ex timore pœnarum*. Hæc solutio secundi argumenti bona est, in prima verò est magna difficultas: nam videtur confudisse in vnum hic auctor duos timores: aliud enim est timor amittendi vitam æternam, aliud timor tolerandi torturam ignis. Primus timor reducitur haud dubiè ad amorem gloriæ: quia idem est duci amore gloriæ, ac duci timore non acquirendi eamdem gloriam: at timor gehennæ alius est: est enim timor torturæ illius grauissimæ ignis. Pone hominem ambientem aliquam dignitatem v. g. Papatum, Episcopatum, &c. in hoc idem est, saltem æquiualenter, duci amore dignitatem illam obtinendi ac duci timore carendi ea dignitate: in tali tamen homine nullus timor est alicuius torturæ aut doloris: vnde si, vt assequeretur eum Papatum, abstineret ab aliqua culpa, ne ipsius Corriuales inde acciperent occasionem eum deturbandi, profectò non posset dici habuisse attritionem ex metu pœnarum, sed ex timore carendi aliqua dignitate seu aliquo bono: ergò attritio vt purè putè fertur ad gloriam, non desumitur à pœnis, sed à bono positiuo. Vnde ista duo possunt in præsenti separari saltem diuinitus: nam (vt supra dixi) si homo non fuisset eleuatus ad gloriam, nihilominùs peccata mortalia promerita fuissent infernum: esset ergo in eo casu timor inferni, non verò amor gloriæ. Quòd si verò è contrario de inferno nihil esset, sed sola priuatio beatitudinis, posset tamen adhuc homo tunc attreti propriè ex amore beatitudinis, seu ex timore illam amittendi: de timore autem inferni nihil omnino esset: ergo non sufficienter explicat Suarez illud motiuum.

Probat Suar. sed non sufficiuntur.

Meliùs ergo potest responderi Primò, Nomine pœnarum intelligi carentiam beatitudinis, quia hæc habet rationem pœnæ damni grauissimè hominem torquentis, iuxta dicta alibi; quia reuerà Deus in pœnam peccati priuat gloria; & hinc facilè reiici potest ea instantia de homine operante ex affectu dignitatis obtinendæ, qui reuerà non operatur ex timore pœnarum: quia ea carentia, si ei contingat, non veniet per modum pœnæ, sed alio modo; nam qui Pontificatu cadit, non cadit in pœnam sed vel quia alij sunt digniores, vel quia maiorem habuere intelligentiam, &c. Vnde consequenter, si non assequi eam dignitatem tantùm contingeret in pœnam peccati: tunc cauere peccatum ex timore eam amittendi haud dubiè esset operari ex timore pœnæ damni, licet non pœnæ sensus.

37 *Probatur melius.*

Secundò potest responderi; Etiamsi nomine pœnarum non inclusisset Concilium affectum gloriæ, non tamen ideo eam diuisionem esse diminutam; quia possumus tunc dicere propterea

à Concilio additam illam particulam *communiter*, vt ostenderet eam attritionem posse ex aliis motiuis aliquando haberi. Fateor, in hac explicatione Concilij illud videri difficile, quòd attritio ex affectu gloriæ non extraordinariè tantùm, sed valdè frequenter concipiatur, ac proinde deberet reduci ad motiuum commune. Ob hanc rationem iudico esse standum priori solutioni.

Motiuum gloriæ non sufficit ad contritionem.

Vbi pro complemento obiter notandum, non debere audiri Durandum, quia in 4. disp. 17. quæst. 2. docet motiuum gloriæ sufficere ad perfectam contritionem: etenim spes est distincta virtus à charitate, pertinétque ad amorem concupiscentiæ: cùm ergo Concilium Tridentinum non agnoscat motiuum aliud ad iustificandum extra Sacramentum sufficiens quàm amoris seu charitatis in Deum, non potest probabiliter id à nobis extendi ad amorem concupiscentiæ seu spei.

28 *Quæstio quarta: Quomodo attritio requirat propositũ non peccandi de cætero. Sententia P. Vasquez refutatur.*

Quarta quæstio circa attritionem est; Quomodo requirat propositum non peccandi de cætero. Circa quod posset discuti sententia Patris Vasquez, qui quæst. 85. art. 4. n. 4. ait Propositum non peccandi de cætero non pertinere ad Pœnitentiam specialem virtutem, sed ad omnes virtutes in particulari: v. g. non peccare in materia castitatis pertinere ad castitatem: non peccare in materia iustitiæ, pertinere ad iustitiã: & ob eãdem rationem art. 5. negat posse esse pœnitentiam acquisitam naturalem; nam propositum naturale non peccandi pertinet ad quamlibet virtutem acquisitam in sua materia. Hanc tamé sententiam discussi suprà disp. 2. sect. 1. quo ad primum punctum, quatenus videtur solùm tribuere virtuti pœnitentiæ voluntatem satisfaciendi sine vllo odio elicito peccati. Quæ doctrina valdè est contraria communi pœnè omnium sensui, qui præcipuum actum elicitum à Pœnitentia dicunt esse dolorem de malè factis: id quod vox ipsa *Pœnitentia* à verbo *pœnitet* accepta significat primariò. Deinde vt ego tollam iniustum, quod peccatum causauit (prout Vasquez ait tolli per pœnitentiam) debet mihi sanè illud displicere: nam ideò habitus ille vult tollere iniustum, quia illud apprehendit vt malum: eo autem ipso debet illud odio habere, & consequenter habet ibi motiuum sufficiens vt illud detestetur, & nolit illud admittere in posterum: non ergo in hoc loquitur Vasquez consequenter. Quoad secundum verò punctum de virtute acquisita non est difficultas, quia virtutes infusæ (vt dixi Tomo 3. & Tomo 5.) non distinguuntur à naturalibus, ex eo quòd obiectum harum sit naturale, illarum verò supernaturale: nam circa obiectum naturale possunt esse naturales & supernaturales virtutes: vti è contrario etiam circa obiectum supernaturale concedere debemus actus in substantia supernaturales. Adde, iuxta immediatè dicta illum habitum, qui extendit se ad satisfaciendum Deo, & iniustum, quod est in peccato, tollendum, etiam posse elicere propositum naturale non peccandi, abstrahendo ab hac vel illa materiã: nam etiam potest in peccato vt sic abstrahente à luxuria, iniustitia, &c. reperiri ratio dissonantiæ naturalis contra dictamen rationis, propter quã odio habeatur, non descendendo ad particulares malitias: & ob eandem genericam rationem potest quis dolere se illud admisisse, poterit quoque velle tollẽdo illud compensare Deo pro ea offensa: non est ergo ex eo capite negandum propositum non peccandi de cætero vniuersale & abstrahens à particularibus materiis, quódque possit ad attritionem spectare. Dico *ad attritionem*: nam propositum vniuersale ortum à charitate admittit ipse Vasquez: hoc tamen non est pro re præsenti: hîc enim solùm agimus de attritione. Quidquid autem de mente illius sit, saltem ex timore inferni, quem omne peccatum mortale meretur, vel ex amore beatitudinis à qua omne etiam mortale excludit, potest esse propositum vniuersale non peccandi in vlla materia: est ergo dubium an illud sit omnino necessarium ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Agens Tridentinum suprà de hoc puncto, solùm dixit attritionem sufficere, si excludat voluntatem peccandi de cætero. Auctores autem communiter illud propositum requirunt. Nam licet Caiëtanus, Canus & Natar. apud Suarez sect. 1. num. 50. admittant attritionem quamcam inefficacem, seu velleitatem non peccandi, censent tamen eam esse insufficientem ad iustificandum etiam in Sacramento, ac proinde cum eis quæstio est de solo nomine, vtrùm scilicet talis debeat absolute vocari attritio. Mihi circa verba Concilij ea occurrit difficultas, quòd videatur inutiliter addidisse illam limitationem, *Si tamen voluntatem peccandi excludat.* Nam omnis vera attritio est detestatio efficax peccati vel ob pœnas inferni, vel ob spem gloriæ, &c. atqui hæc detestatio eo ipso repugnat cum voluntate peccandi: vt quid ergo Tridentinum addidit eas particulas? Responderet quis ex insinuata Caietani doctrina, Eam particulam esse additam ad excludendam illam attritionem, quæ se habet per modum puræ velleitatis. Probabilis solutio Puto tamen Concilium, quando in genere definiit attritionem, non eam vsurpasse prout est etiam communis tali simplici velleitati, quia hanc, dum maximè homo peccat, potest habere: agebat autem Tridentinum de eo dolore, de eis lacrymis, &c. quæ non cadunt nisi in hominem seriò pœnitentem; ergo de seria & efficaci detestatione egit, quæ cùm eo ipso includat propositum non peccandi de cætero, non videbatur petere eam limitationem, *Si tamen*, &c. Ideò aliter respondeo, Attritionem etiam efficacem & omnino seriam posse aliquando esse ex parte motiui non omnino vniuersalem; quia licet excludat voluntatem peccandi in sua materiã, non tamen in aliis; ac proinde non excludit voluntatem absolutè peccandi: cuius voluntatis exclusionem Concilium requirit vel formaliter vel virtualiter in attritione.

Ex attritione potest sequi propositum non peccandi, quod est necessarium etiam in Sacramento, vt effectus Sacramenti sequatur.

30

Dices. Ergo non omnis vera attritio est sufficiens dispositio ad gratiam. Respondeo concedendo sequelam; imò addo, neque omnem talem esse sufficientem vt sit vera pars Sacramenti; fusè enim ostendi Tomo præcedenti, non posse dari attritionem sufficientem ad valorem Sacramenti, quæ non sit ad gratiam: ac proinde eam, quæ limitata est ad vnam speciem peccati, non sufficere pro Sacramenti valore.

Non omnis attritio sufficit ad gratiã, aut vt sit vera pars Sacramenti, licet habeat motiuum aptum.

SECTIO VI.

An attritio possit in contritionem transire.

31 VÆRIMVS pro complemento eorum quæ de attritione dicuntur, Quo sensu intelligendum

gendum sit id quod solet frequenter, dici Hominem ex attrito fieri contritum intra Sacramentum: hoc enim videtur sonare attritionem conuerti in contritionem: quod omnino repugnat Hac de re Pater Suarez suprà sect. 3. Vbi optimè explicat quatuor sensus, quibus potest ea propositio vsurpari. Nos vno verbo dicimus, Cùm attritio differat à contritione non in intensione, duratione aut aliis circumstantiis, sed in ipso motiuo, quod per actus attingitur, actui autem essentialis sit ordo ad suum obiectum, non posse vllo prorsus modo eumdem actum, qui antea erat attritio, transire in contritionem: in quo puncto suppositis iis quæ vniuersaliter in Philosophia diximus de ordine actuum ad sua obiecta, & iis quæ de contritione superiùs sunt tradita, nihil est quòd iam vel hæreamus, vel aliquid addamus amplius. Vnde etiam reiiciendi sunt Victoria & Ledesma apud Suarez num. 7. opinantes actum interiorem attritionis per solam additionem alicuius exterioris actionis posse fieri contritionem: etenim semper debet esse fixum quod definit Tridentinum, debere contritionem esse actum charitatis; hoc autem non potest esse accidens actus interioris, sed physica illius essentia; ergo multò minus poterit ei hoc prouenire ex aliquo actu externo superaddito. Illa verò quæ Victoria dicit requiri exteriùs, vt sunt restitutio, fuga occasionis, &c. non sunt necessaria ad hoc, vt actus interior sit contritio, sed vel ne homo de nouo peccet, si ea non expleat; vel quatenus debuit proponere se ea facturum ad hoc, vt haberet tam attritionem quàm contritionem.

Impossibile est vt ille actus, qui fuit aliquando attritio, fiat deinde contritio.

32 Eo ergo solo sensu potest habere probabilitatem conuersio illa ex attrito in contritum, si loco attritionis succedat interiùs alius distinctus actus nobilior ac perfectior, qui per suam essentiam sit contritio: id quod potest adhuc variis modis explicari: Primò, quia Deus intuitu attritionis intra Sacramentum infundit actum contritionis: Secundò, quia dat auxilia efficacia, per quæ homo se de nouo excitat ad eliciendam contritionem, per quam tandem iustificatur. Hæc tamen doctrina, si intelligenda sit de regula aliqua ordinaria ac certa, est omnino improbabilis (vt notant benè aliqui Auctores;) nullibi enim constat de hac promissione Dei vniuersali & certa dandi omnibus, qui cum attritione accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, alium dolorem deinde nobiliorem ac perfectiorem, qui sit contritio vel auxilium efficax ad illum. Quoad infusionem autem eius contritionis est inde noua difficultas, quòd ea contritio debet esse libera ad hoc, vt per modum meriti disponat ad iustificationem: vt enim suprà ostendimus, ea non ratione suæ physicæ entitatis, quasi sit forma sanctificans vel repugnans physicè cum peccato sed quatenus per modum meriti congrui & obsequij Deo exhibiti liberè, Deum ipsum de facto mouet ad remittendum peccatum & gratiam infundendam; si autem illa contritio propriè infundatur à Deo, siue id fiat ipso solo Deo eam producente siue determinante voluntatem, vt eam producat, iam non erit libera, sicut inspirationes, quas Tridentinum dicit operari Deum in nobis sine nobis: ergo ea infusio non potest admitti in ordine ad obtinendam iustificationem. Secundò ostenditur ipsâ experientiâ non conuerti attritionem in contritionem ex certa lege, quia homines passim, quando cum sola attritione confitentur, non sentiunt in se nouos eos actus contritionis, sed sæpè immediatè distracti ad alia attendunt. Tertiò, quia fundamentum horum Auctorum, quasi contritio perfecta sit necessaria ad iustificandum etiam intra Sacramentum videtur esse contrarium Tridentino, quod solam attritionem cum Sacramento dicit esse sufficientem ad iustificandum; gratis ergo confingitur ea conuersio, vti necessaria & ordinaria. Dico *ordinaria & ex certa lege*, quia non nego frequenter, maximè in omnibus rebus spiritualibus magis addictis, paulatim ascendi per actus attritionis ad contritionem, vt ipsum Tridentinum insinuat citato loco.

Quo sensu possit moueri haec quæstio.

33 Vbi illa potest esse difficultas ad modum loquendi potiùs spectans, quàm ad rem ipsam, Vtrùm quando attritioni accedit amor Dei super omnia, dicenda sit ea attritio facta contritio nécne. Cui dubio respondeo, Non debere dici; nam ea attritio in se manet eadem, nec nouos præstat effectus, quos antea non præstitisset: ille autem noui actus accessus est ipsi accidentalis. Totum quidem complexum ex duobus illis actibus potest dici contritio, quia amor solus etsi sufficiat ad iustificandum quando est super omnia, de quo suprà fusiùs; non potest tamen dici contritio formalis, sed summùm æquiualenter: attritio etiam sola licet sit formalis dolor, quia tamen non habet motiuum contritionis, non potest dici contritio: ergo aggregatum illud, quia & dolorem formalem & amorem includit, potest vocari contritio, vt benè Pater Suar, sectione 3, notauit: qui tamen addit ibi aliquid, quod non caret graui difficultate: ait enim n. 10. Ita eum hominè per duos illos actus esse sufficienter dispositum ad gratiam, vt non obligetur ad habendum vel procurandum perfectiorem dolorem. Id quod ait fortasse non esset verum, si ille dolor fuisset tantùm ob metum gehennæ, vel ob virtutem aliam inferiorem: ille enim excedit in hoc, quòd is est verus actus iustitiæ, & detestatio iniuriæ diuinæ quatenus talis est. Hæc additio Suarez mihi videtur habere grauem contra se difficultatem: vel enim loquitur de attritione intra Sacramentum, vel de illa extra: si intra, profectò etiamsi homo ille non haberet eum amorem super omnia, sed præcisè attritionem, & verò ex solo timore gehennæ, esset adhuc sufficientissimè dispositus ad gratiam (vt ipse Suarez fatetur:) quo ergo sensu dicere potest, *Fortasse hominem illum obligandum ad alios actus, si ea attritio fuisset ex motiuo solius timoris gehennæ aut inferioris alterius?* Quòd si loquatur de attritione ante Sacramentum Pœnitentiæ, seu extra illud, cùm tota ea sectione semper egerit de attritione vniuersaliter loquendo, ex quocumque motiuo illa sit; & in priori parte huius conclusionis nihil dixerit, per quod determinauerit eam attritionem ad motiuum iustitiæ, religionis, aut obedientiæ non capio quomodo in ea additione dicat *Fortasse non fore verum, si attritio esset ex motiuo inferiori:* certè pro hac additione debuisset priùs dixisse attritionem ex motiuo iustitiæ, &c. non autem id vniuersaliter tradere, & deinde supponere se de ea sola locutum. Quidquid verò sit de ea suppositione priori, certè additio ipsa inde mihi displicet, quòd cùm suprà docuerimus, amorem super omnia, etiam solùm, esse dispositionem sufficientem ad gratiam

An attritio accedente amore Dei super omnia dicenda sit contritio. Negatur.

Totum tamè complexum ex Amore Dei super omnia & ex attritione potest dici contritio.

34

extra Sacramentum, dolorem autem formalem non requiri nisi summùm necessitate præcepti (etiamsi in mea sententia ille oriatur semper ex amore, quando est memoria peccati ;) loca autem sacræ Scripturæ & Patrum, quæ in contrariũ obiiciuntur, explicuerimus ibi de dolore vel formali vel eminẽti (vt in amore includitur;) cùm inquam hæc ita sint, non video, cur quando non solus est amor, sed etiam expressus dolor attritionis, siue ille sit ex timore gehennæ, siue aliunde debeat homo obligari ad habendum alium dolorem ex motiuo nobiliori, cùm in sacra Scriptura etsi de dolore fiat mentio, nullibi tamen fit, quòd debeat ille esse ex motiuo iustitiæ commutatiuæ, quale nos ponimus cum eodem Suario pro motiuo Pœnitentiæ vel specialis alterius virtutis ad quam alij reducunt illud motiuum eiusdem Pœnitentiæ. Constet ergo dubitari nullatenus posse quin attritio ex quocũque motiuo coniuncta cum amore Dei super omnia sufficientissima sit ad iustificandum. Et de conuersione attritionis in contritionem, satis.

SECTIO VII.

Appendix de ordine actuum Pœnitentiæ.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid circa mentem D. Thomæ.

35 *Doctrina D. Thomæ.*

HOc dubium moueo propter Diuum Thomam, qui quæstione 85. art. 5. tradit doctrinam satis difficilem; ait ergo ibi, post actum fidei Primò esse in voluntate timorem seruilem, quo quis ob suppliciorum terrorem retrahitur à peccatis. Secundò ponit spem, quâ quis ob consequendam veniam assumit propositum se emendandi. Tertiò ponit actum charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm seipsum, & iam non propter supplicia: Vltimò denique timorem filialem, quo propter reuerentiam Dei offert voluntariè emendationem vitæ. Hæc ille circa voluntatis actus. Priùs autem posuerat primo loco Dei operationem conuertentis cor, iuxta illud Threnorum vltimo, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: deinde posuerat motum fidei.

Difficultates circa hanc doctrinam.

Circa quæ omnia sunt multæ & graues difficultates. Prima, quia non est necessum hominem incipere à timore pœnarum; potest enim ex desiderio beatitudinis, potest etiam ex solo amore Dei super omnia, aut (vt dicit Tridentinum) ex turpitudine peccati.

Secunda difficultas est, quia spes veniæ non requiritur, nisi vt ex parte actus Fidei proponatur intellectui possibilis venia: hoc enim ipso quod id noscam, esto per voluntatem non habeam vllum actum spei, videor dispositus sufficienter ad efficiendam pœnitentiam

Tertia difficultas est, si hic actus spei esset necessarius deberet statim incipere ante timorem seruilem: vt quid enim homo se excitaret ad dolendum supernaturaliter de peccato commisso, si non speraret effecturum se aliquid per eum dolorem?

Quarta difficultas est, quòd interponatur charitatis actus, cùm nullo modo sit necessarius post institutum Sacramentum Pœnitentiæ, nisi quando extra illud homo est iustificandus.

Quinta difficultas est, quòd detestari peccatum secundùm se nequaquam pertinet ad charitatem; nam peccatum secundùm se solùm denotat peccatum secundùm intrinsecam suam malitiam aut turpitudinem, quæ vt talis (iuxta suprà dicta) non est obiectum charitatis, sed attritionis

Sexta difficultas est, quia post charitatem exigit timorem filialem: videtur enim id otiosum, cùm habita iam charitate perfecta sit pœnitentia, & ex se timor, cùm sit minùs nobilis quàm charitatis actus, potiùs debeat præmitti quàm subsequi. 36

Septima & vltima difficultas est, quia propositum emendæ, quod tribuit Diuus Thomas timori filiali oriri potest à quocunque motiuo, siue à timore suppliciorum, siue à spe beatitudinis, &c. illud enim motiuum, quod sufficit vt detester peccatum, sufficit vt decernam non ampliùs illud admittere: si enim detestor, quia displicet vt malum, eo ipso videor nolle illud ampliùs admittere.

Responsiones pro Diuo Thoma.

Hæc omnia satis reddunt difficilem D Thomæ mentem; putarem tamen Primò eum non intendisse docere, necessariò & essentialiter debere hunc ordinem actuum intervenire, sed ordinario modo; quia frequentiùs homo incipit moueri timore pœnarum, quo satisfit primæ difficultati. *Ad primam difficultatem:*

Ad secundã.

Ad secundam, quòd non videatur necessarius vllus actus spei ... tinctus ab ipso iudicio intellectus, quo noscat quis possibilem esse veniam, respondeo, Fortasse in toto rigore ita esse: nihilominùs tamen connaturaliter vix posse fieri, vt qui eo modo dolet, non desideret veniam, aut eam non appetat; illam autem appetere cum ea cognitione probabili, quòd illam sit cõsecuturus, constituit actum spei (vt fusiùs dixi Tomo 5. tractando de virtute Spei, & etiam Tom. 3. dum de Virtutibus egi;) sequitur ergo ordinariè in tali homine actus Spei.

37 *Ad tertiam.*

Magis vrget tertia difficultas, quòd scilicet ea spes veniæ debeat esse etiam ante timorem seruilem; quia reuerà cùm primùm homini proponitur per fidem peccato deberi pœnam, posse tamen illo per pœnitentiam deleto vitari illam eamdem pœnam statim, primo loco videtur peccator concipere desiderium se liberandi ab illo & à pœna illi debita, cum probabili iudicio quòd sit vtrumque obtenturus. Nihilominùs satis probabiliter docet Diuus Thomas, eam spem primò sequi post timorem: etenim quando alicui proponitur grane aliquod imminens malum, primo loco videtur sequi timor illius, seu horror illius: deinde ex illo ipso dolore sequitur desiderium illud fugiendi: cùm ergo aduertit homo per illos actus timoris & doloris, &c. se disponere ad obtinendam remissionem, incipit iam habere non solùm iudicium, quòd absoluè possit obtinere veniam: hoc enim iudicium non sufficit ad spem: sed quod probabiliter reipsa illam obtinebit.

Ad quartam

Circa interpositionem actus charitatis, de quo in quarta difficultate, dico Diuum Thomam agere ibi de Pœnitentia quatenus est virtus, & potest conducere ad iustificationem extra Sacramentum: vbi sine dubio debet intervenire actus charitatis, quia alij actus attritionis extra Sacramentum non sunt sufficientes.

Ad quintam:

Quòd autem dicat Sanctus Doctor displicentiam in peccato secundùm se pertinere ad charitatem

charitatem est vtcumque difficile ob dicta ; augetur autem difficultas ex eodem D. Thoma; nam in responsione ad argumentum 2. ait, Tam respicere peccatum vt est Dei offensa, quàm ob illius turpitudinem, ad charitatem pertinere: cùm ergo ibi faciat distinctionem duplicis eius motiui, offensæ & turpitudinis, eò ipso non possumus eum explicare, vt dum dixit *Peccatum secundùm se*, intelligatur peccatum secundùm malitiam, quam in se quidem habet, Deum tamen respicit; hoc enim modo accipitur peccatum prout est offensa Dei; ergo in altero motiuo iam accipitur secundùm turpitudinem peccati propriè & absolutè, seu vt est in se malum contra naturam rationalem. Hoc autem non pertinet ad charitatem; Concilium enim ad attritionem imperfectam hoc reduxit, suprà diximus. Ego sanè nullam video bonam explicationem mentis Diui Thomæ in hoc puncto, nisi dicere velimus τὸ *vel ob peccati turpitudinem* non denotare distinctum motiuum, sed esse maiorem explicationem illius alterius offensæ Dei quia reuerà peccatum etiam secundùm se non minùs est malum extrinsecũ, seu offensa Dei, seu contra Deum, quàm contra naturam rationalem.

38

Ad sextam. Ad sextam, quòd vltra actum charitatis ponat illum timorem filialem, non aliud possum dicere, quàm quod ordinariè non sit necessarius, & propterea (vt benè notauit Suarez in Commentario articuli) Concilium non posuit illum: & sanè ad explicandum propositum emendæ non debuit dici necessarius, quia, vt in septima obiectione dixi) quam ideò iudico efficacem contra eam doctrinam) illud propositum non peccandi potest oriri à timore etiam seruili, vt ipse Diuus Thomas prius dixerat, multò ergo meliùs à charitate, nisi fortè eam confundamus cum timore filiali: quod in Diuum Thomam non cadit, qui expressè ibi eos actus distinguit.

Ad septimã respõderi vix potest.

Alia difficultas Adhuc circa ipsos actus antecedentes noua difficultas: ponit enim immediatè post vocationem diuinam actus fidei, cùm prius debeat esse pia affectio, per quam se homo disponit ad finem

Soluitur. Respondeo tamen, Diuum Thomam nomine fidei ipsam etiam piam affectionem includisse, quia per illam actus fidei est nobis liber. Et de Diui Thomæ mente hactenus.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid re ipsa in hac quæstione dicendum.

ABsolutè ergo dicendum puto, ordinariè loquendo, proposito per intellectum motiuo detestandi peccatum, Primò hominem

39 *Ordinarius ordo actuum Pœnitentis;* incipere vel ab amore eius motiui, si bonum sit, vel è contrario ab odio illius, si malum; Secundo sequi detestationem peccati ob illud motiuum. Ratio huius est clara; nam ordinariè id, quod mouet ad aliud, prius amatur, aut odio habetur, quàm illud aliud. Finis enim & ratio formalis motiua prior est in intentione. Si ergo homini proponitur peccatum vt caussatiuum pœnarum inferni, & homo eis pœnis vehementer terretur, incipit statim eas detestari efficaciter; & quia agnoscit peccatum esse illarum caussatiuum, prodit in odium illius. Idem è contrario dico de amore beatitudinis, si hoc motiuum homini proponatur; primò enim amat gloriam, deinde

Qui tamẽ nõ semper fit, peccatum odit, eò quòd gloriã priuet.

Dixi in conclusione ita ordinariè fieri; quia (vt in Philosophia tradidi) potest etiam aliquando voluntas proposito fine & medio aliquo ad eum finem sufficienti incipere per actum, quo vtrumque amans dicat, *Volo hunc finem per hoc medium*; quia in hoc modo amandi non video ego vllam repugantiam; ordinariè tamen verum est quod dicitur, finem esse primum in intentione, vltimum in executione.

Sed verũ, prou: offertur occasio, quã quis inducitur ad pœnitentiam. Dixi item in conclusione, hominem incipere vel ab amore beatitudinis, vel ab odio alterius motiui; nullum autem ex his motiuis determinatè primum posui, quia totum hoc pendet à propositione quæ homini fit; ea autem pendet vel ab instructore, vel à Concionatore, vel à libro, in quem homo incidit, & quo mouetur ad Pœnitentiam; non potest ergo vllo modo fixus ordo assignari. Aliquando enim Concionator nihil proponit de æterna gloria, sed de pœnis inferni; & sic hominem inducit ad pœnitentiam; ibi incipit, & verò fortassis etiam finit timor; nã vt ille doleat de iis peccatis, necessum non est quidquam ei proponi de beatitudine: licet enim debeat spem veniæ habere, si accedit ad confessionem, vt ei condonentur peccata; potest tamen optimè id totum contingere non solùm sine spe beatitudinis æternæ, sed etiam sine illius excitata specie: aliud enim longe est peccata posse remitti, & pœnam inferni illis debitam remitti, aliud verò hominem æternam obtinere beatitudinem.

Aliquando Pœnitentia incipit à timore pœnarũ

40 *Aliquando ab amore beatitudinis;* Potest Secundò è contrario contingere, vt à beatitudinis amore incipiat nihil penitus cogitando de pœnis, ac proinde nullum penitus habeat timorem seruilem, sed timorem, ne priuetur eã gloriã: quia etiam hoc motiuum est ex se sufficiens sine illo altero.

Aliquando ab odio peccati vt est contra rationem Potest item Tertiò contingere, vt nec de pœnis inferni cogitet, nec de beatitudine, sed solùm de morali malitia eius peccati, vt est contra rationem naturalem, seu contra Deum Auctorem naturæ: ac proinde nullo alio exspectato motiuo odio habeat illud peccatum, & proponat amplius nolle illud committere.

Aliquando ab odio peccati vt est contra Deum summè bonum. Quartò denique incipere potest à consideratione peccati, vt est contra Deum summè bonum, ergo quem afficitur: & sub hac ratione potest detestari peccatum sine vllo altero vel timoris vel spei actu, licet id difficilius sit: quia homo non ita potest se primo impetu ad tam perfectum actum excitare. De quo alibi egi, explicans, An aliquando ex sola notitia Dei in se, non vt remuneratoris, aut punientis possit homo per amorem Dei super omnia iustificari.

Ex his infero, Minùs benè nonnullos Recentiores defatigari disputando, vtrùm Pœnitentia incipiat ab affectu prosecutionis, an verò ab affectu odij: minùs benè etiam aliquos dicere: debere incipere ab affectu odij, alios verò è contrario ab affectu prosecutionis: quia reuerà non potest tradi regula generalis, cùm (vt ostensum est) id pendeat adæquatè à motiuis, quæ primò proponuntur: hoc autem casuale omnino sit iuxta dicta. Vtrùm autem circa quodcumque ex his motiuis debet incipere ab actu prosecutionis boni oppositi illi malo, quod obiicitur intellectui an possit ipso odio, quæstio est planè generalis ad alias materias, de qua nos diximus suprà aliquid, & ostendimus omnino posse inchoari per odium.

41 Supposito ergo quadruplici eo motiuo, à quo potest homo incipere, dico, Si detestatio tunc

secuta sit efficax, eo ipso in ea includi saltem virtualiter propositum non peccandi de cætero. Fateor, si homo se ad tempus futurum reflectat, eo ipso naturaliter sequi propositum expressum non peccandi de cætero; in ordine tamen ad iustificationem non iudico hoc esse omnino necessarium. Vnde Concilium solùm dixit illum timorem debere excludere propositum peccandi; non requisiuit autem propositum positiuum & expressum non peccandi de cætero.

Ordo vlterior Pœnitentiæ.

Tertiò dico, Si homo extra Sacramentum iustificandus sit, debere vlteriùs ei proponi peccatum illud vt diuinæ bonitati contrarium, debere etiam ipsum hominem moueri in amore Dei & odium peccati ex eo amore, & hoc ipso illum iustificandum sine vllis aliis actibus; si verò iustificatio ea intra Sacramentum Pœnitentiæ cõtingat, sufficere si post illum timorem aut amorem beatitudinis & odium peccati, ob aliquod ex illis motiuis confiteatur suum peccatum, & accipiat absolutionem; eo enim ipso sine vlteriori actu iustificabitur.

Obiectio: An ad Sacramẽtum Pœnitẽtiæ requiratur actus spei.

Obicies tamen: Concilium requirit etiam spem veniæ. Ex hoc capite (vt vidimus Tomo præcedenti) docuit Gaspar Hurtadus, Esse posse Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe; nam licet habeat pœnitens dolorem sufficientem, vt confessio sit valida; si tamen (vt potest) careat actu spei, non habebit dispositionem sufficientem ad effectum Sacramenti, seu ad gratiam.

42 *Soluitur.*

Respondeo Primò, Spem veniæ duo dicere, & vtrumque iam supponi in tali homine: Vnum est, quòd credat se posse obtinere veniam, & obtenturum re ipsa, si adhibeat media à Christo instituta: hoc totum pertinet ad actus fidei, quos iam supposuimus ex parte intellectus: hic enim agimus de actibus tantùm voluntatis, & hoc solùm puto à Concilio ibi requisitum, dum spem veniæ exigit. Alterum est, quòd voluntas optet eam veniam, & re ipsa velit applicare media pro illa; & hoc etiam tunc inuenitur, quia supponimus illum hominem ex desiderio salutis, seu fugiendi pœnas inferni, detestari peccata, & confiteri; quid ergo quæso illi amplius deest;

Possit quis pœnitere sine actu spei, & obtinere veniam.

Respondeo Secundò, Si contingat hominem ex ignorantia inuincibili nihil scire de venia à Deo promissa agenti pœnitentiam, & tamen illum credentem alia mysteria seriò dolere de peccatis ob Deum summè dilectũ, & proponere, se nolle amplius peccare, me non dubitare illum obtenturum veniam; quia quodammodò ille magis, vt sic dicam, generosè se gerit cum Deo, quando-quidem minùs sperat, reliqua tamen facit quæ ad remissionem necessaria sunt. Concilium autem non alia ratione videtur requirere illam spẽ veniæ, nisi Primò, ne homo erret crassè circa fidem, sicut hæretici, qui attritionem inutilem dixerunt. Secundò, vt homo ille erigatur ad habendos illos actus perfectiores, qui propriè per se cuiusant remissionem peccati quia difficillimum est hominem ad eos eleuari, si nihil speret. Iam atem supponimus hunc hominem nullum habere errorem culpabilem, imò nec inculpabilem, sed puram carentiã cognitionis de possibilitate veniæ. Præterea in conclusioee locuti sumus conditionaliter, si scilicet homo ille tunc haberet eos actus charitatis & odij peccati ex charitate, propter quos posset esse necessaria illa spes veniæ; ergo ille homo tunc iustificaretur: locuti item sumus de homine qui haberet actum charitatis, & extra Sacramentum iustificaretur; nam intra Sacramentum vix potest concipi, quomodo homo ad illud accedat, & sua peccata confiteatur, nisi putet se posse veniam obtinere per eam confessionem. Ratio disparitatis inter actum charitatis & inter voluntatem confessionis quoad punctum præsens est manifesta. nam charitas oriti potest ex bonitate Dei vehementer proposita; eo autem ipso sine reflexione vlla circa spem veniæ, si noscat homo peccatum illud esse contra Deum, illud odio habebit, & proponet nolle amplius id facere: sicut si quis nouit cibum aliquem sibi caussasse detrimentum in sanitate, dolet se illum comedisse, & proponit nolle amplius comedere, si valdè afficitur sanitati, licet detrimentum iam illatum non ideoò speret resarciendum; habebit enim propositum saltem, ne maius & nouum fiat sibi damnum. At confessio neque naturaliter sequitur ex odio peccati, neque ex se est amabilis, nisi quatenus per eam potest obtineri venia peccatorum; ergo non potest concipi, quòd homo illam seriò aggrediatur nisi quia habet spem, quòd sit per eam obtenturus curationem ab eo peccato. Et ex hoc capite præcedenti Tomo dixi contra Patrem Gasparem Hurtadum suprà citatum, non posse dari informe Sacramentum & validum ex defectu spei veniæ; nam qui habet attritionem supernaturalem etiam, & ex illa vtitur Sacramento, non potest intelligi quod id faciat nisi pure putè; quod peret se per illam confessionem obtenturum veniam. Quòd si tamen fingere vellemus casum talem, in quo ille homo ex malitiosa planè Parochi aut alterius instructione puter eam cõfessionem esse quidem necessariam, ne Deum de nouo offendat, licet non sit proficua ad delendum ptæcedens pæccatum; & tamen tunc ille homo cum attritione sufficienti & proposito emendæ accedat ad confessionem, & absolutionem accipiat, omnino iudico eum accepturum remissionem; quia reuerà ille defectus spei veniæ tunc nihil impediuit ex his quæ ad salutem sunt necessaria, vt paulò superiùs diximus explicantes, cur Concilium requisiuerit eam spem.

Vix potest dari Sacramentum Pœnitentiæ sine actu spei. 43

DISPVTATIO DVODECIMA.

De subiecto & effectu Pœnitentiæ.

OMITTO disputationem de habitu pœnitentiæ, quia ex dictis de ipsius obiecto fomali & materiali constat qualis ille sit; habitus enim à nobis nõ nisi in ordine ad obiecta distinguuntur: sunt enim qualitates quædam naturâ

1 suâ vel facilitantes, vel dantes simpliciter posse (vti sunt infusi) ad elicendos actus qui ea obiecta respiciant.

SECTIO I.

De subiecto huius habitus.

Satis quæstionis non est circa potentias &c. sed circa personas.

HÆc etiam disputatio de subiecto habitus omittenda esset, si disputaremus tantùm de subiecto proprio in quolibet homine, an in anima, an in voluntate, an in intellectu: nam eo sensu quæstio est vniuersalis ad alios omnes habitus, quos alibi dixi recipi in sola anima: Primò, quia ego non distinguo potentias ab illa: de quo in Philosophia. Secundò, quia etsi diceremus eas distingui, debet tamen anima concurrere immediatè, vtpote quæ sola est libera, & quæ debet propriè & formaliter intelligere, vt possit se determinare ad amorem. Quia tamen circa subiecta totalia, seu circa personas, in quibus habitus Pœnitentiæ admittendus est, variant Auctores, necessum est ante declaratum Pœnitentiæ effectum hanc quæstionem præmittere; pro qua oportet vti distinctione: Vel enim loquimur in sententia illorum, qui dixerunt illum habitum non posse alios actus elicere quam detestationẽ de commisso peccato; vel cum eis, qui illum identificant cum habitu iustitiæ; vel denique cum illis, qui dicunt à iustitia distingui, & ex se æquè esse aptum ad peccati detestationem in futurum ac ad dolorem de commisso efficiendum: iuxta has enim sententias variè est quæstioni propositæ respondendum,

Respondendũ variè iuxta varias sententias,

Et quidem si eum habitum à iustitia non distinguamus, clarum est debere in Christo, in Angelis, in omnibus denique iustis admitti, sicut admittitur habitus iustitiæ; etiamsi in Christo, & his qui nunquam peccarunt, non possit elicere eum actum doloris de præterito peccato; quod in eis nullum admittimus: si verò dicamus eum à iustitia distingui, & determinatum ad solos actus detestationis commissi peccati, seu satisfactionis pro admisso peccato, videtur probabilius longè eum non esse admittendum in Christo, qui talem actum elicere non potuit. Dixi *id esse probabilius*, quia absolutè posset non nemo contendere, saltem ratione ornatus debere in Christo concedi: de quo paulò pòst. In Angelis etiam videri potest non admittendus, quia esto illi fuerint capaces peccati, re tamen ipsa illud non habuêre, ac proinde etiam in illis esset otiosus.

1 *In Christo datur Pœnitentia, si ea sit idem cum iustitia:*

Si verò distinguatur, & reſpiciat ſola peccata admiſſa tunc nõ datur, nec in Angelis.

Obiectio circa Angelos:

Dices; Quando Deus infudit illis gratiam in eo priori, non sciebat, vtrùm essent peccaturi nècne; ac proinde debuit omnibus infundere hũc habitum. Confirmatur; Quia si Deus fuisset directus scientia media, quòd hi non essent peccaturi, vt eis non daret habitum Pœnitentiæ, potuissent ipsi reflexe cognoscẽtes se eo habitu carere, inde fortè vlteriùs colligere, se non peccaturos. Quidquid verò de his considerationibus sit, cùm Deus decreuisset nullo modo eis dare locum Pœnitentiæ, non scio ad quid eis foret vtilis talis habitus: si enim non erant peccaturi, profectò eo non indigebant; si verò peccaturi, etiam eis vtilis non erat; quia Deus non volebat eis hanc gratiam facere, vt possent eo habitu vti; ergo omnino erat in eis inutilis: & ita iudico absolutè discurrendum data ea limitatione habitus. An verò etiam in Beata Virgine eodem modo negandus sit dubium est, quia licet de ipsa peccatura non esset, erat tamen illa capax

Expeditur.

3 *Quid circa Beatã Virginem & infãtes.*

absolutè peccati; peccato autem commisso etiam poterat Pœnitentiæ actus elicere; vti etiam in infantibus, quos Deus scit morituros antequam possint peccare; tamen fermè omnes Doctores fatentur infundi hunc habitum. Aliter posset respõderi huic difficultati in doctrina Patris Vasquez, qui q. 85. art. 4. dub. 2. ait, Non propterea habitum aliquem virtutis esse negandum alicui subiecto, quòd numquam in illo sit habiturus suum actum; hac enim ratione deberemus dicere, infantibus, qui decessuri sunt ante vsum rationis, non infundi habitus fidei & spei, quia harum virtutum actus illi numquam sunt effecturi; non in hac vita (vt supponimus;) non in cælo, quia ibi fides & spes non manent; eis autem negare tales habitus videtur esse contra sensum communem Theologorum, quia non est negandus illis ornatus eorum habituum & potentiæ ad faciẽdos actus, quãdo in se, & ratione status, illos potuerunt efficere. Eam ergo ipse regulam tradit vt scilicet tunc præcisè negetur alicui habitus Pœnitentiæ, quando vel ratione status vel aliunde peccare non poterat, vel si peccare, habitu tamen ipso Pœnitentiæ vti non poterat antequam peccaret; & consequenter per ipsum peccatum erant amissuri illum habitum: cuius ratio ea videtur esse, quòd gratis conceditur ille habitus, qui non potest prodire in actum, nisi priùs destruatur: ea enim prima eius productio iam esset plane inutilis; vnde infert, Neque in Adamo in statu innocentiæ, quia non poterat peccare venialiter, sed mortaliter ideoque non nisi amittendo habitum illum; neque in Angelis, quia non poterant venialiter peccare, neque in Christo, neque in Beata Virgine, quibus repugnabat peccatum esse admittendum. Addit autem infantibus posse concedi, quia possunt primò peccare venialiter, & sic habere materiam pro eliciendo eo actu: & idem concedit in Adamo, si potuit in eo statu primò peccare venialiter, vt multi Auctores admittunt.

Respõsio Patris Vasquez.

Quòd habitus Pœnitentiæ non sit ponendus in iis qui peccare non poterant, aut saltem non poterant vti eo habitu antequam per quod ipsum habitũ expulissent.

Hæc doctrina Primò non videtur sibi constãs: si enim ea solùm de causa, quòd aliquis non sit habiturus vllum actum habitus, non debet ei negari huiusmodi habitus, profecto non video quâ aliâ ratione ipse possit Beatæ Virgini negare habitum Pœnitentiæ, suppono enim maternitatem non habere repugnantiam cum peccato; sed quòd illa numquam peccauerit id vnicè prouenisse ex singulari fauore Dei: id quod maximè habet locum in ordine ad venialia. Deinde in Angelis est idem; etenim quòd illi non peccarunt venialiter, non potuit prouenire ex ipsa repugnantia status; cur enim non potuit leue aliquod vel mendacium vel appetitus venialiter inordinatus laudis in eos cadere? quòd ergo non habuerint veniale in solam voluntam Dei est refundendum; sicut in infantibus, quibus ob specialem fauorum Deus negauit tempus ad vllum peccatum committendum. Est ergo eadem de hi; omnibus ratio, & in Adamo habet hoc ipsum locum; solùm in Christo, cui ratione vnionis repugnat physicè omne peccatum, verificatur illud principium Patris Vasquez.

4 *Examinatur & reiicitur.*

Secundò supponit hic Auctor eumdem numero habitum esse Pœnitentiæ pro venialibus & pro mortalibus; id quod non caret magna difficultate; si autem semel il distinguantur, sequeretur planè ex ea doctrina, nulli infanti, imò nulli adulto, nisi qui iam peccauit mortaliter, infundi eum habitum Pœnitentiæ, quo satisfa-

cimus pro mortali : nam talis habitus deberet semper expelli antequam posset vllum actum elicere;hoc autem planè est contra omnes.

Tertiò, in hac doctrina P. Vasquez supponitur non posse eum habitum elicere odium circa aliena peccata,vel detestationem futurorum: id quod est à nobis suprà fusè reiectum.

5 *Nostra sententia, Non est habitus Pœnitentiæ, vbi non est futurus eius actus.*

Dicendum ergo censeo, illud principium à Vasquez reiectum, quòd scilicet non sit ponendus habitus, vbi non est futurus eius actus,esse probabilissimum. Ad rationem verò de habitu spei & fidei in infantibus respondeo,Si habitus hi non concedantur Beatis,etiam dici probabilissimè,nec concedendos eis infantibus:ad quid enim quæso pro media fortè tantùm hora statim in morte infantis destruendi illi concederentur?quod si admittantur etiam in Beatis ob aliquos actus (vt de habitu spei ratione gaudij de beatitudine alibi docui) tunc illos etiam in infantibus,debemus admittere: quid sit autem absolutè dicendum,manéntne an non in cælis, non spectat huc.

Si habitus Pœnitentiæ est determinatus ad actus supponentes peccatum in subiecto,non debere poni in Beata Virgine atque in Angelis, neque in infantibus, quos Deus nouerat per scientiam mediam non futuros proximè capaces peccati;quia ibi essent illi omnino otiosi.

Secundò hinc ad rem nostram de habitu Pœnitentiæ, dico illum, si solùm sit determinatus ad actus supponentes peccatum in subiecto,non debere poni in Beata Virgine atque in Angelis, neque in infantibus, quos Deus nouerat per scientiam mediam non futuros proximè capaces peccati;quia ibi essent illi omnino otiosi. Dixi *per scientiam mediam*,quia per absolutam fortè Deus priùs præuidit eorum iustificationem quàm mortem, ac proinde ea scientia non potuit se dirigere ad non dandum in eis talem habitum.

Obiicies. Hic habitus oritur necessariò à gratia; ergo debet tribui omnibus qui eam habent.

Soluitur.

Obiicies Hic habitus oritur necessariò à gratia; ergo debet tribui omnibus qui eam habent. Respondeo Primò, Nimium probari hoc argumento,scilicet etiam eum habitum fore in Christo;quia etiam in eo fuit gratia,à qua dicitur ille oriri necessariò Respondeo Secundò. Hunc habitum oriri quidem à gratia, iuxta, exigentiam tamen subiecti, si ergo hoc non est futurum proximè capax actuum, ad quos ordinatur habitus,non petit gratia,vt in eo subiecto ille infundat, quia ibi esset penitùs otiosus.

Habitus Pœnitentiæ oritur à gratia, sed iuxta exigentiam subiecti.

6 *Obiectio secunda: Potentiæ dantur etiã iis,qui numquam eis vti poterunt. Respondetur.*

Secundò dices ; Esto admittamus potentias esse distinctas ab anima, nihilominùs fatemur illas esse etiam in eis,qui numquam sunt habituri actus aliquos ex illis; vti in his, qui planè carent vsu rationis,admittimus intellectum;ergo idem dicere possumus de his habitibus. Respondeo. Potentiam intellectiuam etiam in mente habere suam operationem. Maior esse posset difficultas in visu, auditu, &c. pro his quos Deus scit futuros cæco aut surdos totâ vitâ;nihilominùs etiam in iis dico esse admittendas eas potentias, quia illæ oriuntur cum physica & planè naturali necessitate ab anima, non sicut habitus à gratia, qui solùm procedunt iuxta operationum futurarum necessitatem procedunt enim moraliter, quatenus gratia petit,vt Deus infundat eos habitus, quibus subiectum indiget pro supernaturalibus operationibus; quarum faciendarum habebit occasionem ea persona.

Obiectio tertia: Habitus supernaturales sunt ornatus animæ. Soluitur.

Dices Tertiò:habitus supernaturales sunt per modum ornatus animæ, ergo maximè debent concedi Beatæ Virgini. Respondeo Primò, Ob hanc rationem debere etiam concedi Christo; quia etiam illi non est negandus ornatus Respondeo Secundò, Absolutè habitus hos vix esse ornatum vllum, sed potè potè dari propter actus:quòd si tamẽ aliquo modo ornent animã, non propterea debẽte concedi,quando alioquin carent præcipuo fine, ad quem ordinantur.

7 *Si Pœnitentia versatur etiam circa futura peccata,danda in Christo, Beata Virgine, Angelis infantibus.*

Denique dico,Si ob hunc qualemcumque ornatum velis contendere, illum habitum esse in Beata Virgine, & etiam in innocentibus, non habebo ego magnam difficultatem in eo concedendo ; res enim hæc solùm per congruentias decidi debet;in his autem facile est in vtramque partem aliquid dicere. Quod si loquamur in sententia ponente habitum Pœnitentiæ tam pro actu retractionis, si peccatum præcessit, quàm pro cauendis in futurum peccatis, & pro odio illis habendis, ponendus erit huiusmodi habitus etiam in Christo,licet in eo non habeat denominationem Pœnitentiæ,quatenus hæc sumitur in ordine ad peccata commissa, à fortiori autem in Beata Virgine, Angelis & infantibus, quia etiam in cælo possunt tales actus elicere.

Manétne in peccatore habitus pœnitentiæ.

Circa peccatorem posset esse aliqua ratio dubitandi, quia ex vna parte,cùm habitus infusus Pœnitẽtiæ sit ad conuersionem ipsius peccatoris valdè necessarius, & verò magis quàm habitus spei,videtur magis necessariò ille debere manere in peccatore quàm maneat spes:ex altera verò parte Theologi omnes sentiunt, habitus supernaturales infusos (excepta fide & spe) deperdi, quando amittitur gratia. Auctores, qui non aliam rationem reddunt,ob quam maneant fides & spes in peccatore, quàm vt possit exercere actus fidei & spei ad conuersionem necessarios, eodem sanè modo coguntur dicere manere habitum Pœnitentiæ; quia etiam potest peccator exercere actus multos Pœnitentiæ : imò quoad hoc punctum deberent etiam dicere, manere aliarum virtutum habitus ; quia efficere potest peccator actus castitatis, misericordiæ, &c.

8 *Ratio Cardinalis Lugo, cur in peccatore maneat spes, examinatur.*

Cardinalis Lugo obiter rem tangens d sp.6 num. vltimo, ait ideò debuisse spem manere, quia sine illa non potest se homo disponere ad iustificationem, imò nec aliquid arduum aggredi sine spe veniæ & salutis Hæc ratio suam etiam patitur difficultatem;videtur enim confundere in vnum spem Theologicam cum alia spe quasi morali ; alibi enim dixi spem non esse Theologicam, quia speret à Deo,vel quia innitatur auxilio diuino, sed potè potè quia speret Deum,vt ab homnine per visionem beatam possidendum,seu vt sibi bonum. Hæc autem Theologica spes nullo modo est necessaria ad salutem, alioquin omnis attritio ad salutem necessaria deberet esse propter beatitudinem ; cuius contrarium vt certum omnino supposuit Tridentinum,& cõstat experientia. Illa verò spes veniæ & remissionis peccatorum,quæ fortasse est necessaria ad quodlibet opus arduum, quia nemo aggreditur aliquid magnum nisi debeat spem, quod sit id obtenturus, non est virtus Theologica, sed moralis, pro qua nullus relinquitur habitus infusus in peccatore iuxta communem sententiam Theologorum; imò si res benè consideretur, huiusmodi spes, quæ dicitur necessaria ad opus aliquod grande agrediendum,non tam est actus voluntatis quàm intellectus:nihil enim aliud videtur esse quàm iudicium probabile, quòd sit talem consecuturus : nam amor seu desiderium eius rei sine dubio debet esse in eo qui illam vult obtinere, seu qui illam procurat;at huiusmodi desiderium non est propriè spes, & transcendit vires omnes:nam & peccator

Non omne desiderium alicuius rei dicitur spes propriè,sed inuenitur in omni virtute.

erator qui vult esse castus aut misericors,& nihil alienum apud se habere,sine dubio habet desiderium harum operationum bonarum ; quod desiderium non pertinet ad spem Theologicam, quæ versatur tantùm circa Deum vt obiectum formale , quod ipsi homini bonum est , vt paulò antè dixi.

9 *Nostra resolutio fundatur in solo beneplacito diuino.*

Ego circa hoc punctum , quòd scilicet in peccatore maneant virtutes illæ duæ infusæ, fides & spes,non verò reliquæ,non aliam habeo rationem quam ipsam Dei voluntatem quæ per Concilia & sensum Theologorum nobis nota est Nam quod solet dici de necessitate eorum habituum pro actibus supernaturalibus fidei & spei, quos peccator potest exercere , magnam patitur difficultatem(vt insinuaui) cùm certissimum sit posse multos misericordiæ v g.castitatis,humilitatis, timoris inferni , &c. actus fieri ab homine peccatore,& sæpè re ipsâ fieri, vnde viderentur omnes huiusmodi habitus in eo necessarij; &, quod grauius est , sequitur , olim, quando nondum instituto Sacramento Pœnitentiæ requirebatur actus contritionis à charitate ortus ad iustificationem,debuisse etiam manere in peccatore charitatis habitum, si distinguitur a gratia:quod plane est contra omnium ferè sensum ; ergo ratio nimis multum probat Quam ergo rationem disparitatis adferemus?In fide quidem cùm cognitio supernaturalis,quæ per eam habetur,sit ad omnes omnino actus supernaturales necessaria, quasi omnes transcendens,facilis est disparitas respectu aliarum virtutum,quæ sunt magis limitatæ; in spe autem(vt ex dictis constat)non potest facilè vlla à ratione assignari disparitas,sed debet totum in Dei voluntatem reiici.Et sanè cùm fortius ac frequentius motiuum, quo homines ad pœnitentiam agendam excitantur, sit timor grauissimarum pœnarum inferni, quàm spes obtinendæ beatitudinis , quia faciliùs homines concipiunt æternitatem & grauitatem dolorum quàm felicitatem visionis, magis videbatur necessarius habitus infusus timoris in peccatore quàm habitus spei. In his tamen rebus contingentibus Deus potuit moueri ad relinquendum habitum spei ob vtilitatem actuum spei ad salutem; non voluit tamen (esto eadem aut fortè maior esset vtilitas in habitu timoris aut pœnitentiæ)hos relinquere ; vti Angelos hos produxit ob bonitatem quidem naturæ illorum,interim tamen reliquit alios in statu possibilitatis maioris perfectionis, & maioris bonitatis.Et de diuinatione hac circa motiuum diuinæ voluntatis ad non relinquendum in peccatore habitum Pœnitentiæ hactenus : iam ad effectus actuum Pœnitentiæ.

Circa habitum fidei non est tanta difficultas, quanta est circa spem.

SECTIO II.

An perfecta contritio semper habeat adiunctam remissionem mortalis.

10 SOLET in præsenti disputari,Vtrùm contritio & actus amoris Dei super omnia deleant peccatum tamquam æqualis pro ipso satisfactio,aut certè per modum formæ sanctificantis:vti gratia habitualis illud expellit in omnium sententia :quia verò de his quæstionibus fusè egi Tom.5.disputans de virtute charitatis, ideò in præsenti eas omitto , & pro his quæ dicturi sumus suppono communem sententiã, scilicet contritionem solùm ex voluntate Dei acceptari de facto tamquam dispositionem cõgruam non condignam ad remissionem mortalis;& inquirimus,an infallibiliter sit ei annexa huiusmodi remissio.In quo puncto affirmatiua conclusio indubitata foret,ni Franciscus Syluius in Comment. quæst. 5. ad Supplementum D. Thomæ art.40.hæc quatuor docuisset:Primò, non semper,imò raro contritionem,etiamsi perfecta sit, & cum amore Dei super omnia coniuncta, habere annexam remissionem mortalis ante realem susceptionem Sacramenti:Secundò,contritionem semper afferre secum iustificationem, saltem futuram, quatenus, si nouo peccato non impediatur , in fine vitæ dabitur propter illam gratia: Tertiò , extra articulum mortis aliquando etiam dari gratiam intuitu contritionis ante susceptionem Sacramenti , quando scilicet non nisi difficillimè haberi potest copia Confessarij: Quartò, hoc etiam contingere extra talem necessitatem,quando contritio est vehemens , & coniuncta intensissimæ dilectioni Dei:sed tamen neque hoc esse infallibile, sed solum in his quibus Deus voluerit.

Suppenimus contritionem solum ob acceptationem Dei delere peccatum. Doctrina Francisci Syluij.

SVBSECTIO PRIMA.

Reijcitur hæc sententia.

11 COntra hanc doctrinam benè & fusè egit Cardinalis Lugo hic disput.5.num. 98 ad 130.Nos breuiùs rem totam comprehendemus. In primis autem videtur hæc Syluij opinio omnino damnata in Tridentino Sessione 14. cap. 4. vbi hæc habentur : *Hanc autem contritionem etsi aliquando charitate formatam esse contingat , hominemque ante illu iustificare priusquam Sacramentum suscipiatur.* Vbi pro eodem à Concilio vsurpatur, actu iustificare ante Sacramentum, & contritionem esse charitate formatam : quod expressè negatur ab hoc Auctore. Particula enim illa *aliquando contingat* non est posita à Concilio ; vt doceat , contritionem charitate formatam aliquando iustificare, aliquando verò non:sed quia contritio vsurpabatur à Concilio vniuersaliter , provt abstrahit à perfecta & imperfecta,quasi diceret:*Dolor de peccatis aliquando est perfectus,& tunc actu ante Sacramentum iustificat:aliquando verò imperfectus , & hic non nisi intra Sacramentum.* Hanc verò fuisse Concilij mentem nullus , qui illud legerit, poterit negare.

Doctrina Syluij videtur esse damnata in Tridentino.

Secundò ex eodem Tridentino Sessione 16. cap.7.idem suadetur : nam licet propter maximam reuerentiam Eucharistiæ debitam declaret requiri in conscio mortalis præuiam confessionem , non quia (vt falsò Syluius dicit) putet Concilium contritionem non iustificare: statim tamen Sacerdoti , non habenti copiam Confessarij , concedit facultatem celebrandi cum sola contritione : ergo Concilium sentit illam infallibiliter actu iustificare, aliàs permitteret Sacerdotem in mortali accedere ad Venerabile Sacramentum : quod , quàm sit ipsi Cõcilio & toti Ecclesiæ contrarium, nullus non videt.

12 *Responsio Syluij reijcitur primò.*

Huic secundo argumento ex Tridentino respondere fortassis posset Syluius : Eo ipso quòd homo habeat actum contritionis , etiamsi non statim

statim acquirat semper actu gratiam, acquirere tamen eo ipso ius ad illam; ac proinde sufficienter per hoc disponi ad Eucharistiæ Sacramentum. Sed contra Primò, quia si hoc ius ad gratiam sufficeret pro dignè suscipienda Eucharistia; ergo etiamsi putaret Tridentinum non semper hominem actu iustificari per contritionem, non debuisset requirere vt præmitteretur confessio; quia etiam sine hac esset digna dispositio; cuius tamen oppositum Syluius ait, vt diximus, supponi à Tridentino: ea ergo spes gratiæ dandæ non sufficit apud Tridentinum pro dispositione. Contrà Secundò, quia illud ius, si relinquit hominem actu in statu inimici Dei, ita vt actu non minùs odio habetur quàm si non elicuisset talem actum contritionis, nihil penitus videtur iuuare ad hoc, vt de præsenti homo sumat dignè Eucharistiam: futura enim dignitas non facit illum hodie dignum, sed facit, cùm venerit gratia. Adde, nec quidem de futuro esse certam illam dignitatem: si enim ille homo peccaturus est deinde, non erit verum dicere, illum futurum deinde dignum vi huius contritionis. Est autem certissimum ad hoc, vt homo hodie dignè communicet, nullo modo requiri, quòd cras non sit peccaturus; multò autem minùs requiri, ne totâ vitâ deinde peccet. Vnde Diuus Paulus pro hoc Sacramento non petiit, vt homo sciret, quid esset posteà facturus: non enim est illi id possibile: ac proinde ridiculum fuisset illud Pauli præceptum: de præsenti ergo iussit, vt homo videat, vtrùm sit sine peccato ac Deo gratus, iustus ac sanctus, quantum moraliter homo potest noscere: sine hac verò dispositione non permittit hominem accedere, ne iudicium manducet: ergo cùm Concilium supponatin absentia Confessarij contritionem esse sufficientem dispositionem, profectò supponit illam infallibiliter facere hominé actu & de præsenti sanctum & gratum Deo, ac proinde ab omni mortali liberum. Tertiò reiicitur ea sententia quia videtur damnata expressè à duobus Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII. in Bullis contra Michaëlem Baium, qui fuit Professor Syluij, & à quo hic eam doctrinam didicit: damnatur enim in eis Bullis Primò hæc propositio, quæ est ibi 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta tam in catechumenis quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum*, item hæc, quæ est 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo Legis; non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* Item hæc, quæ est 11. & videtur ipsissima doctina Syluij: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & & voto suscipiendi Sacramentum coniunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrij sine actuali susceptione Sacramenti.* Fateor huic vltimo loco posse Syluium respondere, se etiam admittere aliquos casus, qui non sunt propriè necessitatis, in quibus remittitur per contritionem peccatum. Quod solum ibi damnant Pontifices, ideò ego duo priora loca efficaciora iudico, qui in illis dicitur non posse esse contritionem sine iustificatione: & damnatur, qui dicit non semper esse simul ea duo.

Secundò Patrum instat pro sumenda hodie sanctissima Eucharistia, an cras sim futurus dignus.

13 *Tertio rejicitur doctrina Syluij, quia videtur damnata à Pontificibus, qui Baium damnarunt*

Responsio Prima Syluij reiicitur.

Respondet Syluius Primò, Baium loqui de habitu charitatis quem dicit posse coniungi cum peccato. Omissa longiori impugnatione, qua ex Augustino (à quo Baius ea verba desumpsit) euidenter ostenditur illum loqui de charitate actuali, facilius ex ipsis propositionibus Baij contrarium ostenditur: loquitur enim de charitate ex corde puro & fide non ficta & conscientia bona; quæ omnia actui charitatis non habitui conueniunt. Item agit de charitate, quæ est plenitudo Legis, alludens ad Paulum, *Plenitudo ergo Legis est dilectio*: & Paulus alludens ad Christum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis vniuersa Lex pendet & Prophetæ*: ergo non de habitu, qui nec est dilectio, nec plenitudo Legis, nec de illo est mandatum, sed de ipso actu amoris loquebatur Baius. Tandem, quia in 11 propositione, quando dicit *Contritionem coniunctam cum charitate perfecta & voto Sacramenti*, non potest *ut charitas perfecta* de habitu intelligi; nam habitus charitatis vel in minimo gradu est perfectus; & ita non addidisset *charitate perfecta*; vel ordine ad intensionem numquam in iusto est perfectus, quia semper magis & magis intenditur; loquitur ergo de charitate perfecta, id est, de actu habente pro motiuo diuinam bonitatem, qui dicitur charitas perfecta ad distinctionem aliorum actuum, qui impropriè dicuntur amor Dei, quatenus Deo amant bonum, licet non ex complacentia ipsius, nec ex amore ipsius super omnia (vt suprà sæpè diximus.) Denique, cùm habitus charitatis non distinguatur à gratia, vel certè numquam infundatur nisi cum gratia, loqui de illo Baius, non potuit, quando dixit charitatem perfectam non coniungi semper cũ remissione peccati: ergo locutus est de charitatis actu, vti loquitur ipse Syluius. Neque dici potest Baium contra omnium Catholicorum opinionem sensisse, habitum charitatis posse esse sine gratia: de hac enim extraordinaria doctrina in Baio nulla omnino est mentio.

Baius locutus est non de habitu, sed actu charitatis. Rom. 13. Matth. 22.

4

Vrgeo impugnationem: Nã Concilia & Pontifices desumpserunt fundamentum ad damnandum prædictas propositiones ex Patribus & Scriptura; hæc autem de habitu charitatis vix vnquam, sed de actibus ipsis loquuntur: quod benè obseruarunt Canus & Sotus apud Patrem Vasquez 1.2. disput. 103. cap. 4. vbi plura Scripturæ & Patrum testimonia Vasquez congerit: & licet ab eo afferantur ad probandum ipsum actum charitatis esse formam iustificantem, quod quidem non persuadent, suadent tamen coniunctam esse cum illo actu charitatis remissionem peccati. Vnde Concilium Tridentinum sumpsit occasionem eam veritatem definiendi: & cùm à Baio post Concilium negaretur, iterùm eam confirmarunt Pius V. & Gregorius XIII. citatis Bullis.

15 *Responsio secunda Syluij rejicitur.*

Respondet Secundò Syluius, Baium docuisse, numquam coniungi gratiam cum contritione ante Sacramenti susceptionem: quod ipse non affirmat. Sed contrà, quia hoc est euidenter falsum ex propositionibus Baij suprà allatis: in vna enim præcisè dicit, *Non est semper coniuncta*; in altera, *Extra casum necessitatis*. Quod solum docet etiam Syluius.

Responsio Syluii tertia reiicitur Pontifices dicunt per charitatem acquiri ipsam iustificationẽ, & non tantùm ius ad illam.

Respondet Tertiò: Loca Scripturæ, Patrum & Pontificum ita intelligenda, vt charitas dicatur iustificare actu, quatenus dat ius in futurum ad gratiam. Sed contrà Primò, quia Tridentinum expressè dicit iustificare ante Sacramentum; quæ propositio, nisi mutetur significatio verborum, non potest pati eam expositionem.

Contrà

Contrà Secundò, quia Baius etiam concedebat dari ius ad gratiam per charitatem ; & tamen damnatur, quia negat ipsam gratiam dari re ipsa ante Sacramentum ; ergo. Contrà Tertiò, quia si contritio, eò quòd det ius in futurum ad iustificationem, casu quo non interueniat peccatum, dicitur absolutè iustificare; eodem omnino modo dici deberet eadem contritio reddere homines videntes Deum; nam etiam dat ius ad visionem Dei : hoc autem per se erroneum est, scilicet dicere, *Omnis qui amat Deum in hoc mundo super omnia, est beatus, & videt ipsum Deum.* Contrà vltimò, & efficaciùs, quia loca Scripturæ de præsenti promittunt amanti Deum gratiam & remissionem peccatorum. Petrus Epistola 1. cap. 4. id desumens ex Prouerb. 10. ait; *Charitas operit multitudinem peccatorum*: non dixit *operiet* de futuro, sed *operit* de præsenti. Eodem modo loquitur Ioannes 1. Epist. cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*, iam de præsenti, non de futuro. Item Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ad hoc faciunt innumera alia loca, in quibus dicitur, quòd *eadem hora*, quâ peccator egerit pœnitentiam, & ad ipsum Deum conuersus fuerit, *iniquitatum ipsius amplius Deus non recordabitur*; vt Ezechielis 33. & Isaiæ 31. Quæ omnia falsa sunt in sententia Syluij quia potest conuerti peccator perfectè; & tamen adhuc eodem modo recordabitur Deus peccati; illum etiam eodem modo odio habebit ac anteà. Multa alia testimonia Patrum possunt adduci; quæ omnino, quia res est certior, quàm vt longiorem exigat probationem.

16 *Doctrina Syluij est contra Catechismum Romanum:*

Quartò eadem sententia reformatur ex Catechismo Romano, vbi expressè docetur, statim ac vere conterimur gratiam nobis infundi. Explicat hoc Sylvius de contritione valdè intenta. Sed contrà, quia non requirit hoc Catechismus, sed præcisè vt verè conteramur: id quod etiam in remissa intensione reperitur. Contrà deinde, quia neque valdè intensæ contritioni ipse Sylvius annectit semper gratiam.

Et contra Theologos.

Quintò ex communi Theologorum consensu docentium, ante alia Sacramenta etiam viuorum, excepta Eucharistia, non teneri nos præmittere confessionem, etiamsi sit copia Confessarij, sed sufficere habere contritionem ; & hoc idem à Clemente VIII. in Pontificali Romano traditur; ergo quia & Pontifex & Theologi sentiunt nos actu semper iustificari per contritionem, aliàs permitterent nos in peccato mortali accedere ad Sacramenta viuorum, quod est contra Theologorum & Pontificum mentem ; & tunc gratis prærequireretur ea contritio ante Sacramentum, si hominem non redderet in statu iustia sancti:

Doctrina Syluii oppugnatur ratione. Si contritio dat ius ad gratiam, non est ratio, cur illud ius differatur in executione.

Tandem ratione impugno Syluium, quia si ex vna parte supponit, & meritò, contritionem saltem dare ius ad gratiam, nulla potest esse ratio, ob quam non statim ea conferatur, nisi velit facere Deum iniquum; quia non dat homini quod hic meretur, vel saltem quod ei promisit.

17 *Responsio Syluii ad vltimâ oppugnationem Soluitur.*

Dices ; Non promisit illi Deus gratiam pro illo instanti, sed in futurum. Fateor hoc potuisse Deum facere ; vnde tamen constat ita fecisse, hoc certò scimus Deum promisisse gratiam contritioni; scimus etiam non requisiuisse aliam conditionem ; vnde optimè inferimus, eam statim dari. Vt verò dicamus aliquando dari, aliquando verò non, nullum est fundamentum (vt constabit ex dicendis;) ergo non nisi diuinando; & quidem contra tam potentia argumenta, traditur ea doctrina : ex qua præterea sequitur (vt fatetur ipse Auctor in solutione ad 16.) extra casum etiam necessitatis vel mortis, aliquando Deum ita dare gratiam homini habenti contritionem intensissimam, vt tamen non omnibus æqualem habentibus infundat eam gratiam: poterit ergo alius adhuc maiorem dolorem habens non accipere vllam gratiam actu : hoc autem quàm sit absurdum nemo non videt : non est ergo vllo modo ea opinio toleranda.

Situs sententia Syluii hæretica

Circa cuius censuram potest esse aliqua difficultas: Pater Coninch Auctorem nonnominans Tomo 1. de Sacramentis breuiter rem tangens disp. 68. art. 2. eam dicit erroneam : Pater Vasquez Tomo 2. in 3. Par. diput. 152. num. 3. dicit esse contra sententiam Catholicam: quod clarioribus terminis videtur sonare, esse hæreticam. Alphonsus Curiel teste Lugo iudicat illam esse periculosam & parum tutam in Fide. Mihi, stantibus eis definitionibus Pij V. & Gregorij XIII. & aliis, quas ponderauimus, minimùm videtur erronea, si non possit dici omnino hæretica. Quidquid autem de censura sit, satis aperte eius falsitas est ostensa. Videndum nunc vnde ille in errorem inductus sit.

SVBSECTIO SECVNDA

Respondetur argumentis Syluij

18 *Primum ex D. Thoma:*

QVi Primò pro se adducit Diuum Thomam, immeritò tamen: nam etsi dicat Sanctus Doctor eum, qui cum contritione imperfecta accedit ad Eucharistiam, iustificandum vi Sacramenti : quibus verbis videtur docere, non omnem contritionem iustificare ante susceptionem actualem Sacramenti : nihil tamen inde pro Syluio deducitur: nam Diuus Thomas agit non de cótritione propria, sed de attritione, quæ dicitur contritio imperfecta, vt ostendimus in materia de Sacramentis. Vbi obiter noto, Cardinalem Lugo, qui Tomo de Eucharistia fortiter negauerat à D. Thoma doceri, per Eucharistiam aliquando remitti peccata, iam in præsenti, vt eumdem Diuum Thomam liberet ab opinione Syluij, admittere, non tamen satis consequenter, à Diuo Thoma doceri, Eucharistiam concedere gratiam ei, qui inuincibiliter accedit in peccato cum sola attritione, nos sine vlla inconsequentiæ nota explicamus & hic & ibi Diuum Thomam.

Syluium:

Obiicitur Secundò idem Sanctus Doctor, qui docet contritionem præcedere tempore iustificationem : ergo non semper sunt simul. Respondeo, Eum loqui de eadem contritione in fieri, id est de actibus illis, quibus homo incipit disponi ad contritionem perfectam; aliàs ipse expressè docet, vbi primùm est perfecta contritio statim infundi gratiam.

Secundum ex eodem:

Soluitur:

Adducit pro se Caietanum Syl. mius, sed immeritò.

Adduciit etiam Syluius pro se Caietanum in Summa verbo *Contritio* : non tamen stat pro illo : loquitur enim Caietanus consequenter ad sua principia, scilicet contritionem aliquando esse naturalem, aliquando supernaturalem: quod ideò docet, vt ostendat, quomodo non possit quis esse certus, quòd sit in gratia: eo enim ipso quòd aliquando contritio sit naturalis, non potest homo certitudinem habere de sua iustificatione: quia si contritio sit purè naturalis, non

potest

Caietanus. est potiùs contra Syluium.

potest sufficere ad tollendum peccatum. Hinc autem nullo modo colligitur Caietanum stare pro Syluio, imò potiùs eum sensisse, contritionem supernaturalem semper habere annexam sibi actualem infusionem gratiæ; alioquin facillimum ei fuisset respondere, non recurrendo ad supernaturalitatem & naturalitatem, ideò hominem, esto certus sit de contritione, non tamen scire an sit filius iræ; quia non semper tollitur actu peccatum per contritionem.

19 *Caietani doctrina circa contritionem naturalem & supernaturalem valdè improbabilis.*

Fateor hanc ipsam doctrinam Caietani esse omnino improbabilem, & in suo genere peiorem quàm sententiam Syluij; quia Syluius docet, quando homo respondens diuinis inspirationibus facit quantum est in se, & elicit contritionem perfectam, licet non statim accipiat gratiam, esse saltem in certa salutis via, quatenus si de nouo non peccet mortaliter, certò saluabitur. Caietanus autem ita discurrit, vt possit contingere casus, vbi æqualiter supernaturaliter vocatis, & ex se æqualiter illi vocationi respondentibus vnus efficiat contritionem naturalem, alter supernaturalem; ideóque vnus saluetur, alter damnetur: id quod iudicari debet ab omnibus planè absurdum. Est etiam valde durum in Caietani opinione, quoòd idem homo eumdem adhibens conatum, vt iisdem inspirationibus diuinis respondeat, & quidem quantum est ex se æqualiter re ipsa respondens, si per quadrantem v. g. duret in eo actu, primo medio quadrante, quia elicit supernaturalem amorem, mereatur; secundo verò quadrante nihil mereatur, aut è contrario: idemque argumentum fieri potest, si idem homo hodiè naturalem & cras supernaturalem habeat. Maior ergo absurditas est per se loquendo in sententia Caietani, licet vt explicet definitiones Conciliorum & sententias Patrum suprà allatas, meliùs discurrat quàm Syluius.

Scholastici Doctores sunt contra Syluiū.

Illud nunc addo, etsi vnus aut alter Scholasticus, maximè ex his qui ante Tridentinum scripsère, Syluij doctrinam tradiderit, totam tamen reliquam Scholam Theologorum in contrarium stare. Variant quidem aliqui in conditionibus veræ contritionis; conueniunt tamen omnes, quòd illis positis semper detur statim gratia.

20 *Tertium fundamentū Syluij ex S. Augustino*

Ex Patribus obiicit Augustinum Tractatu 13. in Ioannem, vbi ait *catechumenum, quantumuis proficiat, semper tamen farcinam iniquitatis portare.* Certum est autem catechumenum sæpè habere actum contritionis. Senti ergo Augustinus non semper contritioni etiam perfectæ esse annexam iustificationem. Variorum Auctorum explicationes adhuc locum adfert Lugo suprà, quas omnes dicit esse probabiles; ego tamen illas maiori discussione dignas censeo. Pater Vasquez disp. 152. num. 9. putat Augustinum regulariter locutum, quia rarò catechumenus perfectam habet contritionem, aut saltem non habet illam moralem securitatem, quam habet qui est baptizatus. Hæc explicatio valdè difficilis mihi videtur, cùm enim Augustinus dicat *Quantumcunque catechumenus proficiat*, profectò non agit de casibus ordinariis tantùm, sed etiam extraordinarios complectitur. Neque enim verè dici potest, *Catechumenus quantumcumque proficiat, non potest habere contritionem.* Deinde non adeò rarum erat olim, quando etiam viri valdè probi diu differebant Baptismum, eos habere actum contritionis. Quod autem de securitate dicitur, etiam non satisfacit; nam de onere ipso iniquitatis, non de securitate per reflexam cognitionem loquitur Augustinus.

Variè à variis explicatur

Explicatio P. Vasquez minùs bona

21 *Explicatio Bellarmini est probabilis:*

Secunda explicatio est Bellarmini lib. 2. de Pœnitentia Tomo 2. cap. 14. vbi ait Augustinum locutum contra aliquos, qui ex præsumptione putantes se non indigere Baptismo, illum renuebant, aut certè valde diu differebant illius susceptionem: & sanè eo loci paulò antè hæc habet verba Augustinus, quæ valdè fauent huic explicationi: *Multi contempturi erant Baptismum, eò quòd tam maiori gratia præditi viderentur, quàm viderent alios fideles; ille catechumenus posset dicere in corde suo. Quid mihi opus est Baptismum accipere, vt hoc habeam quod & iste, quo iam melior sum?* Hæc explicatio est satis plausibilis; attamen cùm Augustinus ad persuadendum, vt omnes baptizentur, postea dicat non deponi farcinam iniquitatis, quantumcumque proficiat, profectò tam loqui videtur expresè de catechumeno volente baptizari: etenim ille qui Baptismum respueret, quomodo iustificari poterat, si in ipsa voluntate non suscipiendi mortaliter peccabat? & quomodo de illo, qui actu peccaret mortaliter, dici poterat, *Quantumcumque proficiat?* Deinde Augustinum loqui de eo qui volebat baptizari constat clare ex eius verbis cùm ait *illi non remitti peccatum, nisi cum veneri ad Baptismum* qui autem venit, haud dubiè antecedenter habuit voluntatem veniendi, & tamen adhuc farcinam iniquitatis portabat; ergo non loquitur de solis nolentibus baptizari, aut ita differentibus, vt in ipsa dilatione peccarent.

Non tamen sufficit.

22 *Explicatio P. Coninch:*

Coninch. quæst. 68. art. 2 putat nomine farcinæ iniquitatis intelligi ab Augustino ipsam obligationem suscipiendi Baptismum; quo modo etiam Richardus de Sancto Victore 3. Part. de Potestate ligandi & soluendi ait obligationem suscipiendi post contritionem Sacramentum Pœnitentiæ esse reatum pœnæ æternæ quatenus si voluntariè negligat quis illud Sacramentum, damnabitur. Contra hanc explicationem vrgent verba quæ statim addit Augustinus: *Pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi peruenit.* Certè *pressuris peccatorum* ad peccata antè commissa videtur alludere, non ad vnum illud, quod posteà committeretur neglecto voluntarie Baptismo post habitam contritionem. Ex his constat Augustinum satis difficulter locutum.

Reiicitur.

Difficulter potest explicari Sanctus Augustinus qui tamen nō est pro Syluio

Fortassis (vti solet frequenter contingere in aliis materiis) ad homines magis deterrendos à dilatione Baptismi aliquantulò magis exaggerauit Sanctus Doctor eius necessitatem, quàm reipsa ea sit. Addo præterea Secundò, Eum locutum non esse pro Syluio, quia Augustinus ibi vniuersaliter negat vllum ante Baptismum iustificari posse: id enim denotant illa verba, *Quantumcumque proficiat*: Syluius autem licet dicat ordinariè ita fieri, admittit tamen, quando contritio est maximè intensa, remitti peccata etiam sine actuali Baptismo. Item Augustinus nō facit eam distinctionem, quòd saltem in futurum omnis contritio habeat annexam iustificationem, nisi nouum peccatum mortale committatur; imò videtur clarè supponere, quòd si ille catechumenus, etiam quantumuis profecerit, in tali statu moriatur, sit periturus hoc autem Syluius omnino negat; non ergo locus Augustini

stini est pro illo. Absolutè dici posset, Augustinum intellexisse nomine sarcinæ ac pressuræ peccatorum indignitatem illam, qua cathecumenus reiicitur adhuc à Sacramentis Ecclesiæ, maximè verò à susceptione corporis Christi: de quo puncto multa dicit idem Augustinus Sermone 21. agens sub Nicodemi persona de catechumenis: vbi, dum ait illis se Christum non credere, petit attentionem ab auditoribus, fortasse timens ne illi putarent cathecumenos illos non posse esse in gratia: explicat ergo quid sit Christum se non credere illis, & ait; *Interrogemus eum cathecumenum: Manducas carnem Filij hominis & bibis eius sanguinem? Nescit quid dicimus, quia Iesus non se credit eis.* Hanc ergo incapacitatem esse Augustinus sarcinam & pressuram peccatorum: alibi enim sæpè etiam docuit cathecumenos posse iustificari.

Explicatur S. Augustinus, quòd intellexerit cathecumenos incapaces Sacramentorũ.

23 *Replicat*

Replicabis: Ea incapacitas ad communicandum non potest dici sarcina iniquitatis aut pressura peccatorum, maximè cùm etiamsi catechumenus nullum peccatum habuisset (& pro præsenti casu, etiamsi nõ contraxisset Originale) adhuc tamen non cõtinuò potuisset suscipere fructuosè Eucharistiam, nisi esset baptizatus: non ergo Augustinus de hac incapacitate locutus est. Respondeo, Etiamsi incapacitas ea nõ sit propriè peccatum, nec pressura, ab Augustino tamen conceptam per modum effectus cuiusdam pecati, maximè Originalis; à quo merito non putauit hominem immunem nisi post Baptismum. De illo autem puncto, An si quis careret Originali, & non esset baptizatus, esset adhuc capax Communionis, quia ad statum præsentem est conditio inutilis, ideò Augustinus ibi non fecit mentionem: & de eo satis, quia certum est, vt dixi ipsum multis in locis clarè sensisse charitatem esse dispositionem sufficientem ad gratiã statim recipiendam. Secundò ex Patribus obiicit Bernardum Epistola 77. vbi ait hominem posse cum desiderio Baptismi saluari, si tamen mors anticipans vel inuincibilis aliqua alia vis obstaret: ergo sẽtit extra casum necessitatis hominem sine Baptismo non iustificari. Respondetur communiter, & bene, Bernardum meritò dixisse talem hominem non saluandum nisi sub ea conditione; quia si sine ea necessitate omisisset Baptismum, eo ipso de nouo peccasset: per quod tamen non negauit eum hominem iam fuisse iustificatum antecedenter per contritionẽ

Solvitur.

Quartum Syluij fundamentum ex S. Bernardo.

Reijcitur.

Tertiò obiicit Tridentinum, quod Sessione 6. cap. 6. ait eos qui se præparant ad Baptismum incipere amare Deum; & tamen adhuc illi non consequuntur iustificationem. Respondetur communiter, & benè, *tò incipere amare Deum* debere intelligi de imperfecto amore, qui adhuc non est super omnia.

Quintum Syluij fundamentum ex Tridentino: Soluitur.

24 *Alia obiectio ex Tridentino.*

Posset etiam ex eodem Tridentino obiici, quòd dicat aliquando contingere vt per contritionem iustificetur homo. Verùm suprà respondi *tò aliquando* non cadere supra contritionem perfectam, sed supra contritionem abstrahentem vt sic à perfecta & imperfecta, quæ aliquando contrahitur ad perfectam, aliquando ad imperfectam, ideóque aliquando iustificat, aliquando non.

Sextum fundamentum Syluij ex nouo Testamento: Reiicitur.

Quartò argumentatur, Magdalenæ, postquam dilexerat multùm, adhuc non fuerunt dimissa peccata, quousque Christus ei dixit, *Remittuntur tibi*, &c. Respondetur facillimè, *tò Remittuntur* non denotare illud ipsum instans, quo Christus est locutus, sed totum illud tempus præsens, quo Magdalena flere, dolere, & amare incepit. Alioquin Christus falsò posteà secundò dixisset, *Remittuntur tibi peccata tua*, cùm iam anteà ad priora verba fuissent remissa.

Vrget: Nam Augustinus de eadem Magdalena dixit Homilia 23. inter 50. *Accessit ad Dominum immunda, vt rediret munda: accessit ægra vt rediret sana*, &c. & tamen antequam accederet, iam dilexerat. Respondeo, Illum accessum non debere intelligi quasi corporaliter, sed à quo primùm cœpit se disponere ad conuersionem, seu à quo cœpit mente ad Christum accedere; quando ergo voluit accedere antequam perfectam charitatem haberet, tunc erat ægra, & accedendo per charitatem sanata est.

Replica &

Soluitur.

25 *Septimum Syluii fundamentum à ratione: Reijcitur.*

Obiicit Quintò à ratione: Si contritio iustificat, cur requiritur posteà confessio: Respondeo, Hoc argumento multùm probari etiam contra Syluium. Nam quando quis obliuiscitur alicuius peccati, & alia confitetur, definitum est in Tridentino, Illud ipsum peccatum, cuius quis est oblitus, remitti tunc; & tamen quando recordatur de illo postea, tenetur illud confiteri, vt subiiciat illud clauibus Ecclesiæ: hoc ergo idem de confessione post contritionem dicendum est, eam scilicet requiri, vt peccata illa subiiciantur Ecclesiæ & ab ipsa, quæ est constituta iudex, remittantur. Denique hoc argumentum totum est contra Syluium: nam etiamsi neget actu dari gratiam per contritionem, docet tamen saltem certissimè dandam deinde, si homo non committat nouum peccatum. Iam ergo rogo, cur huic homini, qui nouum non commisit, maneat obligatio accedendi ad Sacramentũ Pœnitentiæ? Quod Syluius dixerit pro futuro tempore, hoc ipsum dicam ego de præsenti.

Octauum fundamentum Syluij: Reijcitur.

Vltimò obiicit; Quia si contritio iustificat sẽper de præsenti ad quid quæso debet præmitti confessio Sacramentalis ante Eucharistiam? Respondeo, Hoc argumentum etiam esse contra hunc Auctorem: nam (vt suprà contra ipsum diximus) saltem in defectu Confessarij permittit Ecclesia accedere cum contritione. Vnde ego potiori iure infero, Ecclesiam sentire, contritionem iustificare semper; quia cùm numquam sit licitum accedere indignè ad hoc Sacramentum, numquam permitteret etiam in Confessarij absentia accedere non præmissa confessione, si non supponeret hominem tunc iam esse iustificatum: dico ergo id specialiter in Eucharistia requiri ob maiorem ei Sacramento debitam reuerentiam, quæ eo ipso maiorem exigit de statu iustitiæ securitatem.

SECTIO III.

Vtrum verus actus Pœnitentiæ possit quæcumque & qualitate & numero magna peccata delere.

26

DIximus quidem hucusque contra Syluium, contritionem & amorem Dei super omnia habere annexam sibi statim remissionem mortalis; adhuc tamen quæri potest vlteriùs, vtrùm id ita sit intelligendum, vt supra quodcumque planè peccatum illa cõtritio deleat, habeat hanc vim, an verò sint aliqua peccata, quæ

nequeant per Pœnitentiam, quantumuis in se bonam, remitti. In hoc puncto varij fuere errores, quos Pater Suarez refert disput. 8. sect. 1. Quidam enim dixêre, peccata hominis iam Christiani non posse deleri. Alij verò docuerunt, postquam homini Christiano semel sunt peccata dimissa, non posse secundò dimitti: pro quo errore refertur à nonnullis Tertullian. Alij verò Tertiò non vniuersaliter, sed de aliquibus grauissimis peccatis id tradidêre. Hi tamen omnes non sufficienter distinxerunt, vtrùm ea impotentia ad obtinendam remissionem oriatur ex eo quòd tales non possint elicere dolorem, qualem eliciunt alij, quibus peccata remittuntur; an verò senserint, etiamsi peccatores eliciant similem actum, illum tamen non fore sufficientem ad eam remissionem. hæc enim duo valdè sunt distincta; videntur tamen ferè hoc secundum insinuare, de quo nos in hac sectione.

Varij circa hoc errores.

Cōclusio Catholica affirmatiua.

Contra omnes hos errores statuitur veritas Catholica, quæ asserit nullum omnino esse aut qualitate adeo graue, aut multitudine adeò repetitum peccatum, quod non deleatur eo ipso, quòd homo agat veram pœnitentiam de illo. Quæ doctrina non potest ratione vlla ex natura rerum desumpta probari, iis suppositis quæ nos alibi tradidimus, scilicet contritionem & amorem Dei super omnia non esse ex natura sua sufficientem satisfactionem pro peccatis, sed de facto per eam illa deleri: quia Deus voluit homini hanc gratiam præstare acceptando eam dispositionem pro concedenda venia: hoc autem supposito, sine dubio ponit Deus numerum aliquem, aut qualitatem peccatorum certam determinare, vltra quam nollet peccata dimittere, etiamsi vera, & verissima de illis haberetur contritio: debet ergo ea doctrina suaderi auctoritate sacræ Scripturæ & Conciliorum: per quam nobis constat Deum de facto acceptasse veram pœnitentiam pro remissione cuiuscumque & quotuncumque peccatorum. Ea autem auctoritas clara est, quia passim absque vlla prorsus limitatione vniuersaliter dicitur Deum remittere per pœnitentiam peccata. Ita Sapientiæ 1. Isaiæ 55. Ierem. 18. Ezechiel. 18. & Christus Dominus Matthæi 18. Petro dubitanti, an si septies homo relabatur, sit ei condonandum peccatum, respondit, etiam septuagies septies: qui numerus ponitur ad ostendendum semper fore locum remissioni: Ioannis autem 20. sine vlla limitatione dedit Apostolis potestatem absoluendi atque ligandi. Eamdem veritatem passim tradunt omnes ferè Patres, maximè Concilium Tridentinum Sessione 6. c. 14. & Lateranense cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & alij, vt videre est apud Suarez suprà: neque enim in re adeò inter Catholicos certa lubet diutiùs hærere. Vide si placet Cardinalem Bellarminum lib 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. & lib 2. de Pœnitentia cap. 15. vbi rem hanc fusè tractat.

27 *Probatur auctoritate.*

Obiectio prima circa blasphemiam in Spiritum sanctum: Soluitur.

Obiici tamen in contrarium solet Primò Marci 3. & Lucæ 12. blasphemiam in Spiritum Sanctum dici numquam remittendam. Respondeo, Ibi non denotari difficultatem in remittenda blasphemia post factam veram pœnitentiam: nam quoad hoc æquali facilitate omnia peccata remittuntur: sed significari, difficulter valdè blasphemum se disponere ad faciendam veram pœnitentiam: nam blasphemia, de qua ibi Christus loquitur, explicatur communiter pro peccato illo, quo homo signa facta virtute Spiritus sancti ad probandam Christianam Catholicamque religionem tribuit artî magicæ: homini autem signa credibilitatis & motiua conuersionis in pessimam partem detorquenti difficillima est conuersio, quia præcludit sibi vias omnes ad illam; Phrasi autem ordinaria Scripturæ quæ difficilia sunt impossibilia solent dici.

28 *Explicatur locus sancti Pauli.*

Simili modo explicandus est Paulus ad Hebræos 6. aiens: *Impossibile est semel illuminatos, & posteà relapsos ad pœnitentiam renouari.* Hic enim locus non tam probat contra nos docentes factâ verâ pœnitentiâ omnia peccata remitti quàm quòd non possit ea pœnitentia fieri: de quo paulò post. Secundò dico, neque hoc probari à Paulo, qui benè sciebat Petrum Apostolum illuminatum cecidisse, & iterùm surrexisse. Et ipse Paulus passim scripsit ad eos qui lapsi fuerant, vt emendarentur: si autem censuisset impossibilem conuersionem illorum, non laborasset pro illa: eo ergo loco ideò illam dicit impossibilem, quia valdè difficilem.

Obiectio secunda ex libru Regum & Ioanne: Soluitur.

Secundò obiicies 1. Regum 2. *Si peccauerit vir in virum, placari ei poterit Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Cui loco etiam videtur consensisse Ioannes Epistola 1. cap. 5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt oret quis.* Respondeo, Vtrumque locum intelligendum de maxima difficultate in obtinenda venia; & circa locum Ioannis aduerto, Apostolum non prohibuisse orationem pro eo peccato: nec enim dixit, *Dico vt non oret quis*, sed, *Non dico vt oret.* Quod solùm denotat non præcepisse Apostolum orationem; si autem censeret impossibilem esse conuersionem, procul dubio prohibuisset orationem tamquam inutilem; sicut nobis prohibetur orare pro dæmonibus. Censuit ergo conuersionem esse quidem possibilem; quia tamen iudicabat eam valdè difficilem, non ausus est positiuè hortari ad orationem pro illa: ne si posteà non exaudirentur, putarent se delusos ab Apostolo; qui dum hortatus fuisset ad orationem, visus etiam fuisset promittere effectum illius, quem tamen non obtinebant.

29 *Obiectio tertia: An sit possibile peccatum essentialiter irremissibile.*

Tertiò obiicies: Non repugnat aliquod peccatum, quod ex sua essentia non possit etiam diuinitùs remitti. Nam si Deus habuisset decretum aliquod non condonandi reipsa peccata in hac serie rerum, & illud suum decretum ita reuelaret alicui, vt teneretur id credere sub peccato, si talis reipsa id non crederet, peccaret; hoc autem peccatum non posset nec diuinitus remitti, quia si remitteretur, esset ea reuelatio falsa; cumque illud peccatum essentialiter supponeret eam reuelationem, essentialiter etiam esset irremissibile. Hanc obiectionem tractat Cardinalis Lugo disput. 8. sect. 1. vbi fatetur tale peccatum omnino fore essentialiter irremissibile: ideò ait conclusionem nostram, quòd nullum peccatum sit irremissibile, debere intelligi de hoc ordine rerum, quando Deus non habet huiusmodi decretum & reuelationem de illo.

Affirmat Lugo.

Negatur.

Ego tamen adhuc putarem posse illud peccatum diuinitùs remitti. Pro quo aduerte (quod in materia de Fide & alibi tradidimus) posse sæpè esse obligationem credendi, esto reipsa non existat reuelatio; quia motiua ita homini proponuntur, vt teneatur vi illorum credere: vti quando Parochus proponit alicui rustico mysterium aliquod, quod re ipsa non existit, adeò tenetur credere, vt non credêdo idê numero peccatum

committat,

committat quod committeret, si re ipsâ illud mysterium fuit reuelatum. Cuius ratio vniuersalis desumenda est ex eo, quòd in materia de Actibus humanis fusiùs diximus, peccatum, aut è contrario bonum opus, non desumi immediatè ex ipsa Lege vt in se existente, sed ex iudicio illius. Vnde idem numero peccatum committit, qui comedit carnes die Iouis, putans omnino certò esse diem Veneris; quod committeret si re ipsa esset dies Veneris: & idem numero peccatum adulterij committit, qui accedit ad suam vxorem, putans omnino certò illam esse suam concubinam; quod committeret, si re ipsa esset concubina, & non vxor: & idem est, si quis Petrum occideret, putans esse Antonium idem enim homicidium numero in ratione peccati committeret, quod committeret, si re ipsa fuisset Antonius. Hinc meo iudicio colligo euidenter, si ille homo habuisset eadem motiua credendi illam reuelationem, aut (vt melius dicam) si ipse inuincibiliter iudicasset esse eadem, & se teneri ad credendum eodem modo, quando re ipsa non erat reuelatio; colligo inquam illum idem numero peccatum committurum, non credendo quod committeret, quando re ipsa esset ea reuelatio: atqui si ea reuelatio non esset, illud peccatum esset remissibile; ergo absolutè illud ex sua essentia est remissibile. Vnde ad argumentum Lugo dicendum est. Illud peccatum, etiam vt est hoc numero, non pendere essentialiter ab ea reuelatione re ipsa existente, sed solùm vt iudicata inuincibiliter existente, ac proinde absolutè esse remissibile. Et verò optime idem Auctor hoc eodem loco fatetur etiam, in hac serie rerum posse aliquem ex ignorantia crassa sibi persuadere, esse talem reuelationem Dei, & se teneri ad credendum illi; quod si non faciat, peccabit; hoc tamen peccatum esse de facto remissibile, quia Deus tale decretum non habet. Ex qua doctrina reiicitur alia prior eiusdem Auctoris, nam esto re ipsa tale decretum existeret, peccatum tamen, vt dixi, esse posset idem numero quod nunc; ergo licet tunc ex suppositione decreti illud idem numero, quod nunc est, esset irremissibile, id tamen non haberet essentialiter: quandoquidem esse poterat illud idem, quando nullum esset decretum, ac proinde quando posset remitti.

Peccatum nõ desumitur immediatè ex ipsa Lege vt in se existente, sed vt iudicata existere.

30 *Probatur nostra responsio.*

Respondetur Lugo.

Dices, Saltem factum cum eis circumstantiis non posset remitti: ergo esset irremissibile. Respondeo, In hoc sensu etiam omnem finalem impœnitentiam esse de facto in his circumstantiis irremissibilem: quia tamen illæ sunt accidentales peccato huic, etiam in individuo concepto: ideò illud est absolutè remissibile: quod idem ad nostrum casum applicandum est.

31 *Si actus intellectus non potest reflectere supra se non datur peccatum essentialiter irremissibile.*

Secundò addo, si loquamur in sententia negante posse aliquem actum intellectus etiam inadæquatè esse reflexum supra se, debere etiam aliunde dici, illud peccatum infidelitatis non esse irremissibile: quia illa reuelatio, quòd Deus nollet condonare vllum peccatum, non posset cadere supra ipsum peccatum infidelitatis, sed supra alia directa: alioquin esset reflexa supra se saltem inadæquatè: diceret enim: *Deus non remittet vllum peccatum, etiam illud, quod nolit credere me reuelare*: hæc autem iam esset propria reflexio supra se: ergo illa reuelatio solùm deberet respicere alia peccata quæ non essent reflexa supra ipsam reuelationem: ergo tale peccatum essentialiter irremissibile dari nõ posset, in ea sententia. Ergo absolutè non vtor hoc secundo argumento, quia (vt sæpè dixi) non video vllam repugnantiam in ea inadæquata reflexione.

Fortasse aliquis etiam diceret committi aliquam æquiuocationem in eo argumento Cardinalis: nam aliud est Deum reuelasse, se non velle remittere vlla peccata in eo ordine rerum, aliud verò reuelasse, quòd non possint remitti primùm solùm supponitur, non secundum; ergo adhuc stante veritate reuelationis, quod non essent remittenda: nihilominùs posset esse verum, ea esse remissibilia. Hæc tamen obiectio nullius est momenti: cùm enim supponatur illud infidelitatis peccatum non posse existere, nisi quando est decretum illud: quando autem illud est, non potest remitti peccatum, eo ipso illa infidelitas esset essentialiter irremissibilis ergo ex hoc capite argumentum illud Cardinalis optimum est: & nisi dicamus (vt ostensum est) eam infidelitatem non pendere essentialiter à reuelatione vt reipsa existente, sed vt iudicata existere, concedendum est omnino, illud peccatum esse irremissibile essentialiter.

Obiicies tamen adhuc contra resolutionem nostram. Non repugnat aliquod peccatum quod essentialiter pendeat ab ea reuelatione vt actu reipsa existente, & non solùm apparenter proposita: quæ enim hinc sequuntur duo prædicata contradictoria? ergo saltem illud erit irremissibile essentialiter. Respondeo: cùm in mea sententia actus naturales voluntatis non diuersificétur per cognitionum diuersitatem, si idẽ omnino obiectum secundùm eamdem amabilitatẽ & odibilitatem proponant, vix posse assignari actum vllum peccati, quod ita pendeat ab ea reuelatione actu existente, vt nec diuinitus potuerit fieri, si re ipsa non præcessisset reuelatio, esto tamen præcessisset alius actus naturalis repræsentans eamdem obligationem credendi, quam proponeret actus ille verus essentialiter, seu essentialiter pendens ab existentia reuelationis. Nã peccatũ non dirigitur propriè à reuelatione ipsa, sed à cognitione obligationis credendi: ea autẽ cognitio est naturalis & posset existere, esto obiectu non existeret: quia actui naturali intellectus non est essentialis veritas, vt aliunde suppono. Denique addo, si adhuc contendatur non repugnare eam dependentiam peccati alicuius à reuelatione vt in se existente, dici debere, illud peccatum fore irremissibile: quod tamen iuxta dicta probandum non est ex eo præcisè, quòd talis reuelatio existat, & quòd ei non credatur.

32 *Replica: An possit aliquod actus peccati pendere ab hac reuelatione vt existere. Respondetur.*

Si dependeret aliquis actus ab hac certa reuelatione vt existente posset dari peccatum essentialiter irremissibile.

Obseruo tamen, non propterea fore impossibilem veram Pœnitentiam de illo peccato: licet enim non esset remittendum, posset homo de illo dolere, posset habere contritionem: posset etiam talis homo habere amorem Dei super omnia etiam post illud peccatum, esto Deus non remitteret illud: quia solùm ex acceptatione libera Dei sufficit ad remissionem actualem peccati ille amor & illa contritio: quòd si adhuc velimus eum casum ponere, in quo Deus non solùm reuelasset se non dimissurum peccata, sed nec daturum auxilium peccatori ad eliciendam contritionem vel amorem Dei super omnia, tunc eodem modo dicendum esset, post illud peccatum infidelitatis circa reuelationem præteritam non posse dari contritionem aut amorem Dei super omnia. Verùm de illis casibus solùm diuinitus possibilibus satis.

De peccato essentialiter irremissibili posset dari Pœnitentia.

SECTIO IV.

Vtrùm sit aliquod vel qualitate adeò graue vel numero adeò magnum peccatum, vt Deus deneget propter illud auxilium ad veram Pœnitentiam.

33 QVÆRIMVS, Vtrùm non solùm vera Pœnitentia deleat quælibet peccata, sed etiam nullum sit peccatum, pro quo non possit reipsa haberi ea pœnitentia Dico nullum esse peccatum; loquor enim priùs de qualitate peccati; an scilicet Deus habeat decretum ob certam aliquam speciem peccati non dandi auxilia ad Pœnitentiam necessaria. De multitudine autem peccatorum, seu de consuetudine peccandi, paulò pòst dicam. Respondeo, Inter Catholicos certissimum esse nullum dari adeò graue peccatum, post quod homo non possit Pœnitentiam agere, quia Deus vniuersaliter sine limitatione inuitat ad Pœnitentiam, & vix est vlla species peccati assignabilis, in qua non sint aliqua in sacra Scriptura exempla actæ Pœnitentiæ, vt Latronis Petri negatio, Dauidis adulterium & homicidium, Adami inobedientia, Manassis idololatria, & alia grauissima peccata. Huius autem conclusionis veritas magis declarabitur ex dicendis statim circa dubium secundo loco propositum, Vtrùm scilicet quocumque tempore post quamcumque peccatorum multitudinem sit possibilis vera & fructuosa Pœnitentia.

Nullum est peccatum tã graue, vt de eo non possit dari Pœnitẽtia fructuosa.

An post quãlibet peccatorum multitudinem sit possibilis Pœnitentia.

SVBSECTIO PRIMA.

Proponitur sententia negans.

34 *Negant.* HEnricus quodlib. 8. quæst. 1. Abulensis in Exodum c. 4 q. 12. & in Deuter. c. 2. q. 10. Medina lib. 3. de Recta in Deum fide cap. 5. Catherinus Opusculo de Reprobatione & prædestinatione, Rossensis art. 36. contra Lutherum, censent nonnullos peccatores in hac vita ad eum statum & cumulum peccatorum peruenire, vt iam non valeant sufficientem Pœnitentiam agere: id quod probabile existimat Ruardus art. 7. Fundamẽtũ huius doctrinæ est duplex; vnũ ex variis locis sacræ Scripturæ, in quibus id videtur insinuari: vt Rom 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* item Eccles. 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* & Psalmo 80. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum*: & similia: quibus tamen vno verbo respondeo Primò, Ex eis non probari vllam regulam generalem in hac materia, sed quod aliquos Deus permittat perire. Secundò respondeo, Neque eis ostendi quidquam de impotentia ad Pœnitentiam, sed quod Deus eis hominibus negauerit auxilia efficacia, per quorum subtractionem possunt explicari commodissimè omnia loca, quæ de induratione peccatorum tractant, vti Patres, quando loquuntur ordinariè de obduratione. Dixi, *quando ordinariè*, quia nonnulli habent quædam verba aliquantulum difficiliora: vti Isidorus de Summo bono cap. 15. dicens: *Nonnulli ita desperationi traduntur à Deo, vt non possint mala plangere, etiamsi velint.* & de Pharaone Augustinus propositione 62. in inchoata expositione ad Romanos ait *ita illum fuisse à Deo desertum, vt iam impœnitentia non imputaretur ei ad culpam, sed ad pœnam*: est etiam difficilis locus apud Ioan. 12. cap. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, Excæca cor*, vbi Caietanus docet illos non potuisse Pœnitentiam agere ex defectu gratiæ præuenientis Potest tamen responderi, eiis omnibus locis solùm denotari difficultatem summam in talibus hominibus ad Pœnitentiam, vt ratione illius reputetur hæc impossibilis. Adhuc tamen Augustini locus est difficilis, 35 quia eo ipso quòd negat imputatam fuisse Pharaoni ad culpam eam impœnitentiam, negat omnino eum habuisse potentiam ad illam vitandam: nam ad peccandum sufficit potentia physica. Respondeo tamen Primò, Augustinum non loqui ibi de impœnitentia quatenus dicit omissionem contritionis (vt putat Suarez & alij) sed quatenus positiuè Pharao contra Deum operabatur nolens populum dimittere: ac proinde testimonium hoc non est contra præsentem quæstionem. Respondeo Secundò, Augustinum quidem valdè ibi obscurè loqui: nam ea vna parte docet Pharaoni non imputatum, quòd non obtemperauerit, quia obdurato corde obtemperare non poterat: quibus planè verbis videtur libertatem omnem excludere ab eo, esto dicat id factum fuisse in pœnam præcedãtium peccatorum. Inferiùs tamen videtur contrarium dicere cùm ait, Non tamen ideò auferri homini liberum arbitrium siue ad bonum, siue ad malum. Video adhuc posse in vltimis his verbis Augustinum explicari de libero arbitrio, per quod Pharao promeritus fuerat obdurationem: non quia iam obduratus illud habuerit. Vnde valdè propendo ad credendum sensisse Augustinum, Pharaonem verò non habuisse libertatem circa finem vitæ, sed fuisse tamquam stultum, incapacem iam meriti & demeriti Vnde consequenter noto Augustinum nullo modo dixisse, Pharaon imputatam eam impœnitentiam ad supplicium, licet non ad culpam, vt Suarez insinuat num. 4. in fine. Etenim si libertate necessaria ad culpam caruit Pharao, non potuit haud dubiè mereri per eas actiones supplicium: quia vbi culpa non est, etiam deest meritum pœnæ. Non ergo Augustinus loquitur de imputatione actionum illarum ad supplicium, sed ait illam obdurationem seu illam carentiam libertatis fuisse supplicium ob priora peccata: quod longè aliud est. Dici nihilominùs potest Augustinum non absolutè negasse Pharaoni omnem libertatem, ac proinde nec omnem omnino culpam, sed quia ex passione erat valdè excæcatus: ideò illum multò leuius peccasse quam antea: ea enim quæ fiunt cum aliqua excusatione, licet omnino sufficiente ad tollendam omnem culpam, solemus absolutè dicere non fuisse culpabilis. Vti idem Augustinus in Psalm. 63. de Pilato agens vehementer illius culpam extenuat, eò quòd ad instantiam Iudæorum Christum crucifixerit: & tamen illa instantia non ita turbarit Pilato libertatem, sicut excæcatio Pharaoni.

Explicatur peculiaritas loci S. Augustini.

S. Augustinus sentit probabiliter Pharaonem in fine vitæ caruisse libertate:

Et dicit illã obdurationẽ fuisse supplicium peccatorum eius.

36 Secundum fundamentum eius sententiæ sumitur ex congruentia quadam, quòd scilicet peccatum habeat cõdignitatem ad hoc, vt Deus propter illud neget locum Pœnitentiæ, & aliunde expediat ad terrorem aliorum ita fieri. Item, quòd Deus maiori sæpè pœna de facto re ipsa puniat peccatores, quàm hæc sit: aliquando enim illos interfecit miraculosè in ipso actuali peccato, aliquando etiam corpore & animo demergit

Sanctli Patres explicantur.

Soluitur.

Fundamentum huius doctrinæ in sacra Scriptura.

Secundum fundamentũ negantium à congruentiis

mergit ad inferos: è contrario etiam multos confirmat in gratia in hac vita; cur ergo non alios grauissimos peccatores obdurabit in peccatis? Hæc tamen ratio nimiùm probat, scilicet ob quodcumque peccatum debere Deum eam pœnam imponere, quia quodlibet illam meretur. Secundò probat etiam tales homines non habere libertatem ad fugienda obiecta mala; ac proinde si tententur ad furtum, ad luxuriam, non posse non furari, luxuriari, &c. sicut confirmati in gratia è contrario non possunt peccare; id autem manifestè est etiam contra hos ipsos Auctores, quia licet eis negent libertatem ad Pœnitentiam non tamen docent illos in actionibus malis non peccare. Absolutè ergo respondeo, Esto omnes eas congruentias pro ea parte concedamus, nihil inde solidè inferri, quia è contrario possunt multò plures adduci, debuisse scilicet in hac vita semper esse locum Pœnitentiæ, ne homines desperarent, & in grauiora sine fine ruerent peccata; maximè cùm Christus Dominus in maximorum peccatorum conuersione præcipuè ostendat passionis suæ efficaciam, qui (vt de semit) non venit vocare iustos, sed peccatores. Quòd verò aliquando in ipso actuali peccato repentina morte punierit, non infert regulam generalem: expediens enim fuit hoc aliquando fieri, ne audaces nimium fierent homines: expediens etiam est, ne vlla sit in eo puncto certa regula generalis, ne (vti suprà diximus) homines desperantes salutem in grauissima quæque scelera ruerent: nihil est ergo, quod nos vllo modo cogat ad eam sententiam defendendam.

Soluitur.

SVBSECTIO SECVNDA.

Prima pars nostræ sententiæ.

37 *Nullus est de facto numerus peccatorum, ob quē Deus regulariter neget auxilia ad veram Pœnitentiam. Probatur.*

SIt ergo in hoc puncto prima CONCLVSIO; Nullus est numerus peccatorum in hac vita, ob quem ex aliqua regula generali Deus neget auxilia ad pœnitentiam veram. Hæc est communissima apud omnes ferè Scholasticos, vt videre est apud Suarez suprà num 6 & probatur manifestè ex omnibus locis sacræ Scripturæ, quibus omnes peccatores inuitantur ad pœnitentiam; ex definitionibus Conciliorum, maximè Lateranensis suprà, quod docet semper esse locum in hac vita pro Pœnitentia agenda. Adducit Suarez etiam ex Tridentino, quòd Deus in hac vita neminem desperat, nisi ipse priùs ab homine deseratur. Hæc tamen probatio meo iudicio non multùm vrget, quia facilè respondèrent Aduersarij, Per peccata illa, quibus homo meruit indurationem, deseruisse iam Deum. ac proinde Deum non deserere antequam deseratur. Et sanè (vt suprà vidimus) Augustinus hoc modo de Pharaone discurrit. Meliùs idem probatur ex Cypriano lib. 4. Epist. 2. Chrysostomo Homilia 4. de Lazaro, Augustino Epistola 59. q. 2. & lib. de prædestinatione & gratia cap. 14. Hieronymo, qui pulchrè ait; *Si per singulos dies erraueris, per singulos dies corrige te*: Gregorio, Epiphanio & aliis, quos videre licet apud eumdem Suarez. Res enim est certissima, & ex mente omnium Catholicorum, qui in hora mortis quantumcumque grauem peccatorem ad Pœnitentiam hortantur, supponentes adhuc esse locum pro venia: vnde si homo tunc nolit agere pœnitentiam, & sibi præsens sit, omnes supponunt cum grauiter in hac ipsa impœnitentia peccare ergo omnes supponunt illam tunc possibilem ei homini fuisse.

38 *Amplius reiicitur sententia contraria.*

Deinde sic argumentor: Quia aduersa pars non potest vlla prorsus ratione determinare, quis sit numerus peccatorum, & qualium, ob quæ Deus deneget necessaria auxilia ad pœnitentiam, vnde infero primò, Eos non nisi diuinando & sine vllo aliunde desumpto fundamento discurrere. Secundò infero, Cùm de eo numero & qualitate non constet vllo modo, non posse etiam vllum casum individualem adduci, vnde probetur illorum sententia, Tertiò, Non expediuisse vllo modo ita statui, quia esset occasio vt peccatores graues aliqui vel iudicarent, vel dubitarent, vtrùm iam ipsi essent ex eo numero, ac proinde valdè ab ea procuranda deterrerentur.

Sæpè tamen Deus non dat peccatoribus locum Pœnitentiæ.

Dixi *nullum numerum ex regula generali esse*, quia certissimum est, sæpè siue ob multa, siue ob vnum aliquod graue peccatum, aliquibus non dari locum Pœnitentiæ, quia vel in ipso actuali peccato moriuntur, qui sine dubio locum non habuere de eo peccato Pœnitentiam agendi vt qui in actu ipso luxuriæ diuinitus extincti repentè sunt, vel immediatè post incidunt in amentiam perpetuam, ac proinde non habent necessariam libertatem ad illam Pœnitentiam: vel quia distracti ad alia non cogitant amplius, de eadem Pœnitentia agenda. Id quod in Gentilibus contingit frequentissimè. Pro quo reuocanda est in memoriam doctrina inter omnes certissima, scilicet Deum ad danda auxilia, seu vocationes pro Pœnitentia, non vt miraculis, sed se accommodare causis naturalibus v. g. dormit quis, tunc naturaliter est incapax benè operandi, aut Pœnitentiam agendi, Deus illum non excitat è somno miraculosè, aut extraordinariè, eo animo vt ille agat Pœnitentiam; ergo tunc est illius incapax. Item homo est naturaliter planè distractus, cogitans de aliis rebus, non excitat Deus illi miraculosè species de Pœnitentia &c. ad danda ergo proximè auxilia ordinariè expectat, vt homo ille cogitet de emendatione vitæ de turpitudine peccati, &c. eiusmodi autem cogitationes excitantur in homine vel per Concionatores vel dum alij de iis rebus loquuntur, vel per librorum spiritualium lectionem, eo planè modo quo excitantur species de aliis obiectis: ergo quamdiu tali homini species illæ non excitantur non habet proximum libertatem ad Pœnitentiam: contingit autem sæpè vt post vltimum peccatum homini non excitentur species de Pœnitentia ante mortem quia se posuit ad dormiendum, & in somno est mortuus: vel quia, dum distractus esset, confoditur ab alio, aut tangitur apoplexia, &c. ergo ille non habuit potentiam proximam ad pœnitentiam: hoc tamen, vt dixi, non prouenit ex aliqua lege generali Dei, sed ex concursu causarum naturalium, quas Deus noluit impedire: & hoc eodem modo dicendum est etiam multos caruisse potentia proxima non solùm ad Pœnitentiam, sed ad veram Fidem: vti multi Gentiles, qui numquam nec rationem quidem dubitandi habuerunt: essétne eorum fides falsa? Quomodo autem hi tales habuerint potentiam vt saluarentur explicui in materia de Prædestinatione: eò quòd si illi suam vitam meliùs instituissent, vt potuerunt, Deus eis dediset auxilia vlteriora ad Fidem.

Deus in dandis auxiliis non vtitur miraculis sed accommodat se causis naturalibus.

39

Multi pereũt quia non excitantur eis species de Pœnitentia.

40 *Si cui excitetur species de Pœnitentia, Deus nũquam negat auxilia sufficientia.*

Secundò ergo dico ad rem noſtram, Homini cui iam eſt excitata ſpecies Pœnitentiæ, ſeu malitiæ peccati, &c. quamuis grauia & multa habeat peccata, Deum non negare excitationes ad Pœnitentiam tales, quibus ſit ille cooperaretur, dare illi Deus adhuc maiores: non dico quòd daret efficaces: id enim apertè falſum eſt: nam nulli ex his qui damnantur habent efficaces alioquin re ipſa non damnarentur: dat ergo ſufficientes, quibus homo ille poſſit reſpondere, eſto re ipſa reſponſurus non ſit: & hoc maximè intendimus in præſenti. Ratio autem eſt, quia cùm homo, quamdiu adhuc viuit, ſit in via, videtur valdè congruum, vt Deus non deneget ei in occurrentibus occaſionibus vires & auxilia eadem Pœnitentia.

Inſtitiam de confirmatis in gratia ſufficere priori allatam ſolut Suarez: ſed non ſufficienter.

Ad inſtantiam de confirmatis in gratia, qui etiam adhuc ſunt in via, & tamen non poſſunt peccare, reſpondet Suarez Eam confirmationem eſſe fauorem & beneficium, ac proinde valdè & ipſi homini oprabilem, & Deum decentem, negationem autem auxiliorem homini eſſe malam, ac proinde non decentem Deum: qui antequam via hominis finiatur, non debet incipere illum punire. Hæc diſparitas meo iudicio non eſt admodum efficax, quia cùm homo ipſe per ſua peccata iam ſit totum id promeritus, non eſt cur in rigore dicatur dedecere Deum eam pœnam illi infligere. Secundò, quia ſi tali homini non eſt datum Deus auxilium efficax, profectò negatio ſufficienti non videtur eſſe mala homini illi, imò potiùs bona: quia per eam impeditur peccatum, quòd commiſſurus fuiſſet non agendo Pœnitentiam: ſi enim careat ſufficienti auxilio, carentia Pœnitentiæ non erit peccatum; eſſet verò, ſi haberet vocationem: aliunde autem nullum apparet bonum eſſe homini prouenientis ex auxilio purè ſufficienti. Dixi ſæpè congruentias eſſe valdè debiles ad probandas concluſiones Theologorum, quia facillimè poteſt homo eas trahere in quamcumque partem. Ideò concluſionem hanc non melius probari poſſe iudico quàm auctoritate & ſenſu communi ſuprà adductis.

Soluitur melius ſolùm auctoritate.

41 *Obiectio: An cui eſſet reuelata eius dãnatio & obſtinatio, poſſet dolere de peccatis. Reſpondetur affirmatiuè.*

Obiicies adhuc; Si alicui reuelaretur ſua damnatio, & (vt grauiùs vrgeat argumentum) etiam obſtinatio in peccato, non poſſet dolere de illo etiam phyſicè; ergo poteſt aliquando homo eſſe etiam ſine phyſica libertate ad Pœnitentiam. Hanc obiectionem tangit Lugo diſput. 8, ſect. 1. à num. 18. eique benè reſpondet. Nos vno verbo dicimus, eam reuelationem, cùm ex ſua natura ſupponat operationem futuram liberã voluntatis, nõpoſſe in priori naturæ tollere libertatem ad eã obſtinationem, neque ad dolorem in communi de ſuis peccatis. Dico *in communi*, quia ſi homo ille ex ea reuelatione prodiiſſet in odium Dei, eò quòd non daret ſibi auxilium congruum, non poſſet expreſsè conteri de eo odio: quia iam hoc ſupponeret futuram impœnitẽtiam, cùm niteretur reuelatione illius: (quod benè ibi notauit Lugo:) poſſet ergo dolere de cæteris peccatis, & impedire ne illud odium hîc & nunc exiſteret: ergo ex hoc capite homo ille etiam moralem potentiam habere poſſet ad ſalutem. Circa odium verò, caſu quo exiſteret, vtrùm eſſet naturâ ſuâ eſſentialiter irremiſſibile, vide quæ paulò antè diximus vniuerſaliter de peccato infidelitatis ſupponente reuelationem Dei de non condonandis peccatis.

Non tamen de peccatis ex ipſa reuelatione certis.

SVBSECTIO TERTIA

Altera pars noſtræ doctrinæ.

SEcunda principalis CONCLVSIO in hac materia ſit, Sæpè aliquos homines tum ex naturæ iniquitate, tum ex grauiſſimorum & multorum peccatorum acquiſitis intentiſſimis habitibus adeò eſſe prauè affectos, vt non habeant potentiam moralem proximam ad Pœnitentiam, etiamſi de illa excitentur in eis ſpecies: & probabiliter talis fuit Pharao: tales etiam aliqui, de quibus in Hiſtoriis Eccleſiaſticis legitur, quòd circa horam mortis, dum à Confeſſario & circumſtantibus ad Pœnitentiam vrgerentur, ipſi nihil aliud repoſuerint quàm ſe eſſe damnatos, neque iam ſibi locum eſſe Pœnitentiæ: inter quæ verba infelicem animam efflarunt. Et ſaltem hanc concluſionem perſuadent ea loca Auguſtini & aliorum Patrum, de quibus ſuprà.

42 *Dantur aliqui homines moraliter impotentes pœnitere.*

Suadetur id ex Sanctis Patribus.

P. Suarez & Lugo non ſibi inuicem nec nobis cõtrarij.

In hac concluſione videmur habere contrarios Patrem Suarium & Cardinalem Lugonem, quia videtur concedere vniuerſaliter in omnibus potentiam etiam moralem, vti illum Lugo explicat: hunc verò, quia media via incedens docet ad Pœnitentiam quidem ipſam immediatè & proximè aliquando dari impotentiam moralem: addit tamen ſemper talem hominem poſſe abſolutè agere Pœnitentiam, ſi faciendo opera alia bona faciliora paulatim ſibi redderet minùs difficilem eam pœnitentiam: ita enim à Deo obtineret vberiora auxilia ad Pœnitentiam. Reſpondeo, Neque Suarium eſſe contrarium Cardinali: nam ille præcisè dicit idem quod Lugo. Legatu numerus 22. vbi valdè clarè oſtendit ſe non admittere potentiam immediatam ad Pœnitentiam, ſed vel ad illam, vel ad donum aliquod gratiæ, quo ſe homo ad eam pœnitentiam paulatim diſponat: id quod eſt ipſa doctrina Cardinalis: non ergo illi ſunt ſibi contrarij, neque nos vlli ex ipſis in hac concluſione, quia eam ſolam immediatam potentiam negauimus, de remo a verò nihil diximus hucuſque, iudico tamen Tertiò eſſe valdè probabile, neque illam in aliquibus reperiri. Et ſanè citata loca Patrum, quibus maximè Lugo vult ſatisfacere, abſolutè negant potentiam ad eam Pœnitentiam: quod autem alicui poſſibile eſt, licet priùs ponendo aliquod aliud medium non ſolet vllo modo dici abſolutè impoſſibile, vti licet ego non poſſim nutriri niſi priùs comedendo cibos: ſi tamen hos poſſum habere, non poteſt abſolutè dici mihi impoſſibilis nutritio; ergo Patres tam mediatam quàm proximam potentiam negarunt: ergo ſi eos non explicamus de phyſica potentia, debemus ſaltem de morali, quam omnino peccatoribus talibus negaſſe videntur. Secundò id videtur deduci ex dictis, quia vehemens paſſio & inclinatio ad malum non ſolùm obdurat moraliter immediatè animum circa Pœnitentiam & dolorem de peccatis, ſed etiam circa alia opera bona.

43

Probabile eſt aliquos homines nec mediatè eſſe moraliter poſſe pœnitere. Probatur Primò ex Sanctis Patribus.

Probatur Secundò.

Dubium præterea eſt, Vtrùm tales eſto efficerent illa opera bona, obtinerent certò per illa auxilia ad Pœnitentiam: ſi autem hæc auxilia non eſſent neceſſariò connexa cum illis operibus, profectò potentia ad ea bona opera non continuò cauſaret potentiam nec mediatam ad Pœnitentiam: vt enim finis aliquis dicatur eſſe in mea poteſtate, non ſufficit quòd habeam aliquod medium ex ſe valens aliquando cauſare

Probatur Tertiò, quia licet poſſent ponere alia bona opera, illa tamen non inferunt neceſſariò Pœnitentiam.

eum

eum finem, si ea caussatio etiam me inuito impediri potest. Vnde licet quis petat Cardinalatum aut Episcopatum à Papa, & Papa possit illi annuere; quia tamen hoc est adæquatè in libertate Pontificis, etiam posita illa petitione non potest ille qui petit dici absolutè habere in sua potestate Cardinalatum aut Episcopatum; vti nec ego possum absolutè dici potens volare, quia possum id à Deo petere, & Deus etiam potest annuere; si autem posita mea petitione teneretur id concedere, tunc rectè dici possem habere potentiam mediatam ad volandum. Ergo cùm in certissimum sit, an per eaopera talis peccator esset obtenturus auxilia vberiora ad Pœnitentiam; non potest propterea dici, quòd impotestate morali sit ea Pœnitentia. Denique, etiamsi habeat attentionem perfectam rationis, potest tamen grauitate morbi ac dolorum simul cum inclinatione ad peccata (de qua paulò antè) adeò reddi incapax eorum operum bonorum, vt necessitatus moraliter sit ad impatientiæ ac querelarum actus etiam in Deum, vt ex omni planè parte illi sit moraliter impossibile per bona opera se disponere ad Pœnitentiam, nisi Deus det illi vberiora auxilia; quæ tamen sæpissimè non dat in pœnâ præcedentium grauissimorum peccatorum. Ipse autem Suarez fatetur aliquos ita esse dispositos, vt cum ordinaria gratia difficillimè possint conuerti. Quòd si hoc verum est (vti est verissimum) certè cùm non constet Deum cuilibet dare gratiam excedentem mensuram ordinariam & omnibus communem, imò cõtrarium sit dicendum; nam si illæ extraordinariæ gratiæ darentur omnibus, iam illæ ipsæ essent ordinariæ; cuius oppositum supponimus; profectò dicere debemus, multos sæpè relinqui cum ea morali impossibilitate ad Pœnitentiam. Quòd si, vt superiùs diximus, saltem ratione somni aut aliarum caussarum naturalium impedientium attentionem sæpè peccatores relinquuntur etiam sine libertate physica ad conuersionem, non est iudicandum mirum, si etiam stante aduertentia, licet tunc habeant physicam potentiam, non tamen habeant moralem.

44 *Probatur Quarto.*

Obiicitur: Quare ergo hortamur tales ad Pœnitẽtiam? Respondetur.

Potest tamen adhuc obijci ex dictis suprà; Hortamur tales homines in hora mortis vt agant Pœnitentiam; ergo supponimus illos etiam moraliter facere illam posse; alioquin gratis id suadendo fatigaremur: quia quod est moraliter impossibile numquam fit. Respondeo, posse; nos non aduertere tunc tam grauem impotentiam, vel certè conari, vt per nostras adhortationes, precés, orationes, &c. reddatur minor. Denique vti homo tenetur resistere tentationi, licet impotens sit moraliter ad illam vincendam ita possumus nos tunc illum hominem adhortari vt resistat.

SECTIO V.

Vtrùm mortale remittatur de facto, aut possit saltem remitti partialiter.

45 *Ratio dubitandi.*

HÆc difficultas nobis restat pro complemento effectus Pœnitentiæ seu remissionis peccati mortalis, potestque ratio dubitãdi pro illa desumi ex remissione pœnæ debitæ peccato: hæc enim (vt dicemus infrà fusiùs) remittitur paulatim, si v.g. aliquod mortale fuerit promeritum centum dies pœnæ, remitti hodie per vnum bonum opus potest vna dies eius pœnæ, altera dies per secundum opus, &c. Quærimus ergo, An non eodem modo, si mortale in Deo fundauit ius ad odium vt centum, possit remitti per aliquod bonum opus ea dignitas ad odium vt nonaginta, &c. Confirmari hæc ratio dubitandi potest ex humanis; solemus enim ob satisfactiones partiales successiuè nobis exhibitas paulatim deponere odium & inimicitiam in alium; nec videtur esse ratio cur in Deo idem non possit contingere. Hoc dubium in disputationibus publicis audiui aliquoties moueri; ex propositio autem tractatum solùm vidi apud Cardinalem Lugo ea disput. 8. sect. 2. à num. 72. vbi illud extendit etiam ad remissionem venialis; & teneturà eadem est in illo ratio dubitandi.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de diminutione per condonationem extrinsecam.

46 *Cardinalis Lugo docet peccatum partialiter remitti posse, de facto tamen sic non remitti*

EO loco Cardinalis Lugo duo docet circà condonationem extrinsecam; vnum est, de facto non remitti per partem peccatum: alterum est, diuinitus tamen posse. Primam partem ait non benè probari ex eo quòd illud remittatur de facto per gratiam habitualem, quæ totum extinguit peccatum. Etenim licet gratia cohærere non possit cum reatu grauis odij, potest tamen cum leui, vti cohæret cum venialibus. Iam ergo est difficultas, cur sicut per gratiam commutatur reatus pœnæ æternæ in reatum temporalis compossibilem cum gratia, eodem modo etiam reatus ad offensam grauem non permutetur in reatum ad offensam leuem; qui reatus non repugnat cum gratia. Deinde in ipsis venialibus est difficultas, cur reatus ille leuis non remittatur partialiter per opera bona, quæ licet ex totó non sint condigna satisfactio, sunt tamen ex parte. Denique obiicit sibi; Si dicatur id semel esse possibile diuinitus, videri necessariò concedendum ita etiam de facto fieri quia nostra bona opera licet non sint adæquata satisfactio pro peccato mortali, habent tamen bonitatem magnam ex qua habent aliquid de satisfactione, quam ex parte tenetur Deus acceptare; & ex illa parte eo ipso peccator diminuit suum debitum. Quod argumentum in primis probat secundam partem eius doctrinæ, scilicet diuinitus posse fieri eam diminutionem saltem per condonationem extrinsecam, Deo aliquid de iure ad graniorem offensam remittente, retinente tamen ad leuiorem: neque in hoc vlla penitus ostenduntur contradictoria. Ratio verò à priori est; nam Deus, qui est Dominus illius iuris, sicut potest totum retinere, vel totum condonare, ita poterit dicere; *Volo grauem offensam de ponere, retinere tamen leuem*; seu *Volo ex parte remittere, non ex toto.* Id ipsum posse fieri, si remittatur peccatum per gratiam habitualem, videtur ex dictis suaderi, ita vt offensa, quæ maneat, non sit mortalis; quia talis repugnat gratiæ: quo vltimo casu peccatam illud quà mortale deleri debet, & transire in veniale.

Ratio à priori.

47 *Nostra doctrina contraria Lugo. Non potest Deus remittere partialiter peccatum. Odium peccati grauis non tantùm ponit intensionem, sed specie differt ab odio venialis.*

Ego quidem censeo hæc satis probabiliter dicta; non tamen minùs, imò magis probabile mihi videtur contrarium. In quo suppono, odium Dei in Petrum peccatorem ob luxuriæ peccatum v.g. non solùm esse maius quasi intensiuè;

quàm sit odium eiusdem in eumdem Petrum ob mendacium leue, sed esse essentialiter omnino diuersum in specie; vti malitiæ ipsæ sunt essentialiter specie inter se diuersæ: Deus enim odit peccatum iuxta eius naturam, vti amat virtutem iuxta illius naturam: appretiatio enim, quam Deus habet de actu amoris sui super omnia, valdè differt specie ab amore & appretiatione, quam habet de actu temperati haustus. His suppositis sic argumentor: Peccator per peccatum odij Dei v.g. non posuit fundamentum nisi ad illud specie odium, & ad illam displicentiam in specie, quam Deus habet facto contra talem hominem; vnde non fuit in potestate Dei illum alio diuerso specie odio prosequi; ergo si vult illum hominem odio prosequi, non poterit nisi illo odio specifico. Patet consequentia, quia ad aliud caret fundamento; sine fundamento autem non potest Deus prosequi hominem odio spectante ad inimicitiam vel offensam: erit ergo in illius potestate vti aut non vti illo fundamento ad prosequendum odio hominem; at verò vnum odium mutare in alterum non poterit, quia non potest ipse mutare prioris odij fundamenta in fundamentum alterius odij; quia nec potest mutare ipsas essentias peccatorum; vti nullo modo potest habere circa amorem Dei super omnia illam complacentiam, quam habet circa diuersum actum etiam leuiorem. Si amores aut odia illa differrent eo modo, quo amor noster intensus differt à remisso, facillimum foret concipere, quomodo mutari posset grauior offensa in leuiorem; at supposita diuersitate specifica, quam diximus, res est difficilis.

48 *Disparitas inter reatum culpæ & pœnæ.*

Et hinc statim apparet disparitas inter reatum pœnæ & inter reatum culpæ, vnde superiùs desumpsimus rationem primam dubitandi; nam pœna maior & minor solùm differrent penes magis & minus intra eamdem speciem; ac proinde facile est remittere aliquid, & aliquid retinere. Deinde cùm taxatio pœnæ pro culpa sit in libera potestate iudicis punientis, facile est intelligere, eum pro sua libertate taxare hanc vel æquiualentem, etiam minorem: at in ordine ad displicentiam & odium longè est (vt vidimus) ratio diuersa. Constat etiam ex hac doctrina disparitas respectu alterius instantiæ de debito pecuniario, quia illud est penes magis minùs intra eamdem speciem.

Confirmatur nostra doctrina ab inflatia actuum in relatis & voluntatis.

Ratione a priori desumpta ex quodam principio ab omnibus omnino Auctoribus recepto confirmo hanc doctrinam: Nam actus omnes intellectus & voluntatis essentialiter sunt diuersi iuxta obiectorum diuersitatem; volitio creandi mundum essentialiter deffert in suo conceptu à volitione infundendi iusto gratiam, cognitio mundi essentialiter à cognitione mysterij Incarnationis, & sic de ceteris omnibus actibus: neque potest Deus facere, vt si amat Incarnationem, ille actus sit eiusdem speciei aut rationis cum amore Petri; vti facere non potest, vt cognitio formicæ sit eiusdem ordinis & essentiæ cum Angeli cognitione. Cùm ergo (vt iam ostendimus) mortale differat plus quàm specie à veniale, repugnat, Deum respicientem illud idem odij obiectum quod anteà, id est illud idem peccatum mortale efficere, vt actus ille transeat in alium respectum; qualis esset, qui respiceret veniale: quæ ratio etiam habet locum in mutatione actuum etiam solo numero diuersorum; nam nec cognitio, quæ est solius Petri, potest trãsire in cognitionem Pauli, aut è contrario

Dices tamen, Hoc discursu probari quidem manifestè, displicentiam Dei grauem in odium sui non posse mutari in displicentiam leuem, in mendacium: at nullo modo ostendi, non posse mutari in displicentiam leuem intra ipsum genus odij: & (ne fortè dicas in materia odij Dei non posse esse veniale, nisi ex defectu integræ libertatis (ponamus exemplum in furto.) Cur enim odium Dei in Petrum ob furtum centum florenorum non poterit remitti, ita vt maneat odium in eumdem Petrum, ac si furatus fuisset solùm nonaginta: & rursus displicentia in furtum vt nonaginta remitti per partes vsque ad displicentiam in solo furto leui: eo enim casu semper illud odium maius & minus maneret intra speciem odij propter furtum. Confirmatur: Quia saltem intra ipsum genus mortalis multa differunt tantùm penes magis & minùs, vt furtum centum à furto mille: ergo saltem in his poterit Deus remittere culpam vt mille, & retinere culpam vt centum, & illum qui furatus est mille præcisè odio habere ac si solos centum esset furatus. Idem est quando peccatum mortale maius constitit in maiori intensione actus: poterit enim tunc remitti odium grauius, & retineri leuius.

46 *Obiectio An possit odium peccati grauis mutari in leue intra eiusdem peccati genus.*

Aut intra genus peccati mortalis.

Respondeo Quoad hoc secundum de intensione me non habiturum vllam difficultatem, quia reuerà videtur valdè efficacitèr probatum replica facta. Quoad primum verò de odio graui, vt sic dicam, mortali, mutato in odium veniale etiam intra eamdem materiam peccati furti, luxuriæ, &c. nego consequentiam; quia etiamsi illa duo odia sint intra materiam furti, aut intra materiam luxuriæ, nihilominùs tamen inter se differunt specie, imò fortè genere, & quidem multò magis quàm differant duo odia grauia, vnum ob furtum, alterum ob luxuriam: fundamentum enim ad vnum est specie morali diuersum à fundamento ad alterum: ergo non potest Deus depositio vno assumere alterum, quia ad illud secundum non habet fundamentum.

Respondetur: De posteriori conceditur, de priori negatur.

50 *Obiectio secunda: An peccatũ graue det æquiualenter imperfectio leue.*

Dices Secundò: Licet formaliter furtum graue non det fundamentum ad displicentiam venialem, dat tamen æquiualenter: nam qui mihi dat occasionem vt illum respiciam tamquam inimicum, æquiualenter dat mihi occasionem vt circa eum habeam displicentiam aliquam leviorem. Respondeo negando antecedens: nam illa leuis displicentia est totaliter diuersa ab eo prioti odio: dicit enim: *Displicet mihi hic homo, quia intra amici limites me offendit leuiter.* Hanc displicentiam Deus habere non potest propter mortale, quia non est tale fundamentum in eo homine. Neque nouum est aliqua inferiora prædicata non contineri in superioribus: vti incorruptibilitas quantitatis non continetur in anima equi aut leonis, nec æquialenter propriè; licet illæ animæ habeant maiorem longè perfectionem in alio genere, ob quam etiam absolutè sint perfectiores. Dixi *æquialenter propriè*: nam quatenus aliunde in alio genere fit compensatio, potest concedi æquialentia, non tamen in ordine ad alia prædicata, seu effectus, qui possunt ex perpetuitate prouenire. Ita dico in ordine ad illud specificum odium, esto leuius, quo prosequitur Deus hominem ob furtum veniale, non haberi nec formaliter nec æquialẽter fundamentum in furto mortali, esto

Negatur.

Sapè superiora prædicata non continent in se æquialenter propriè inferiora.

hoc

hoc si multo grauius,& eo sensu,quatenus maius, dicatur æquiualere furto leui.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de diminutione per satisfactiones partiales

51 *Non potest peccatum partialiter deleri per partiales satisfactiones. Probatur à Lugo.*

DIco Secundò à fortiori ; Non potest fieri ea permutatio ratione satisfactionis inæqualis exhibitæ ab ipsa creatura. In hac conuenio cum Lugo suprà. Fundamentum huius Auctoris est quia si id fieri posset, sequeretur posse hominem per suas satisfactiones inæquales tandem delere peccatum, hoc autem est absurdum, ac contra sententiam ferè omnium Theologorum, ergo. Sequela probatur; Quia si quis esset reus sacrilegij v. g. & per opus bonum deleret aliquam partem satisfactionis debitæ, licet leuissimam, ita vt iam Deus non auerteretur ab illo, nisi vti auertitur ab eo qui commisit furtum v. g. quod est aliquantulum leuius ex se quàm sacrilegium ; ergo per aliam satisfactionem poterit iterùm aliam partem eius debiti delere; ergo cùm illud peccatum non sit infinitum, neque eius malitia constet infinitis gradibus intensis æqualibus vni tertio, necessariò dicendum esset, post longum tempus & multiplicatis operibus satisfactoriis tandem delendum totum illud peccatum.

Ratio Lugo non valet pro venialibus

Hæc ratio in veniali, quod potest ab homine de condigno deleri, non videtur absolutè habere locum; quia ibi non est absurdum, si dicamus hominem iustum per bona opera multiplicata posse delere veniale : nihilominùs hic auctor etiam pro veniali ea vitur, quia sequeretur ipsum peccatorem de facto per attritionem & bona opera ante iustificationem facta delere re ipsa veniale ; nam satisfactiones pro culpa Deus tenetur acceptare, licet non satisfactionem pro pœna, eò quòd determinatio pœnæ pertinet ad iudicem, determinatio verò satisfactionis pro culpa ad offendentem, dummodò veram exhibeat. Atqui absurdum est, quòd homo peccator satisfacere possit pro veniali; ergo nec veniale potest deleri per partes.

52 *Et absolutè non urget: Primò,*

Hoc argumentum mihi non probatur ; Primò quia Deus nõ tenetur ab homine acceptare satisfactionem, etiamsi alioquin esset æqualis: (de quo alibi fusiùs:) ratio autem est; nam Deus habet ius petendi nostra omnia opera ob alios diuersos titulos; ac proinde non id ò cogitur ad præsentiam eorum operum, esto essent æqualia peccato, hoc remittere, nisi priùs cesserit aliis titulis. Secundò, quia esto per opera nostra bona aliquid minueretur de reatu culpæ mortalis, nequaquam inde sequeretur, tandem totum minuendum. Pro quo suppono certam inter omnes doctrinam, quæ est etiam huius Auctoris; Mortale esto non sit infinitæ grauitatis (vt iudicant aliqui) nihilominùs adeò esse in altiori ordine, vt etiamsi infinita opera bona puræ creaturæ, & omnium creaturarum simul sumpta, offerantur Deo, non possint adæquate grauitatem eius peccati : vnde clarè colligitur in eo peccato esse vnam grauitatem æquiualentẽ omnibus omnino illis operibus bonis omnium creaturarum. Infertur hinc vlterius euidentissimè illud odium Dei in mortale æquiualere, imò & præponderat infinitis illis diuinis complacentiis in ea opera infinita; ergo licet conciperemus illud odium per eas complacentias extingui, adhuc non extingueretur totum, sed semper posset in infinitum decrescere. Ad quod non est necessarium concipere realiter infinitas partes in illo odio, sufficit enim concipere illud in altiori ordine: hoc enim ipso esto mutaretur post vnam satisfactionem in aliud minus, hoc ipsum tamen ita esset minus, vt adhuc maneret in altiori ordine etiam respectu omnium satisfactionum possibilium; & sic de reliquis : possumus enim odia concipere possibilia, inter illud & odium venialis infinita, se excedentia ; vti inter hominem & murem possumus concipere possibilia infinita animalia nobiliora & nobiliora in infinitum ; per quod non infertur hominem esse infinitum, aut habere partes infinitas, sed vnam perfectionem in altiori ordine consistentem ; ergo etiamsi mutaretur odium in aliud minus post quamlibet satisfactionem, numquam tamen posset venire ad mutationem in tam debile odium, vt non posset esse debilius; ac proinde non sequitur vllo modo illud inconueniens, quod hic Auctor intulerat. Neque ad hoc decrementum debemus concipere descensus per partes determinatas, v g. ex odio vt octo ad odium vt sex, & ex hoc ad odium vt quatuor, vt in argumento dicebatur: hoc enim modo intra tres dies veniremus ad fundum, sed ad odia sine gradibus intensionis, essential ter tamen minora & minora apprehiatiuè : qualia diximus esse possibilia infinita. Quæ doctrina frequens apud Doctores in similibus materiis, Vti e contrario esto complacentia diuina in animali, musca immediate altiori, sit maior quàm in ipsa musca, & sic alcendẽdo per alia animali, numquam tamen successiuè : & neque verò simul omnes illi excessus complacentiarum facient vnam æqualem ei, quam Deus habet circa hominem, esto hic non sit infinitus Idem ergo è contrario esse posse per descensum illius odij.

53 *Non debet hoc decrementum odij concipi per partes determinatas & quasi intensiuè, sed per odia sine gradibus intensionis essentialiter apprehiatiuè minora.*

Secundò ratione à priori idem probat, quia qui est offensus ab aliquo, & ab eo coactus recessit per odium ab illo, non debet cogi ad hoc, vt redeat ad illum deposito odio, nisi reuocetur ab ipso offendente: debet autem reuocatio esse efficax & æqualis expulsioni : nam si frigidè tantùm reuocet, non tenebitur alter redire. Hæc etiam ratio non satisfacit, quia debemus duplicem reditum considerare in eo casu: vnum totalem, seu quo deponatur odium ex integro : cumque pro hoc reditu frigidè alter reuocet, fatemur libenter tunc offensum non teneri eo modo redire. Alter reditus est solùm ad permutandum odium grauius in minus : pro hoc autem reditu dicent Aduersarij eam satisfactionem fuisse non frigidam, sed sufficienter calidam, ac potuisse necessitare Deum ad eum reditum: &, ne abeamus à similitudine frigidæ reuocationis eã retorqueo ego pro me efficaciter: pono hîc calidum fortissimum, veniat frigidum remissum : certè ad extinguendum illud calidum, &, vt sic dicam, ad reuocandum illud ex integro, nullo modo valet illud frigidum remissum : at vt extrudat octauum gradum caloris sufficiens est, ac pro hoc effectu sufficienter vrget, sufficienter clamat, &c. ergo ex illa ratione potius contrarium infertur, scilicet debere Deum facere eam mutationem in odium minus. Secundò vrgeo instantia quam hic Auctor obiecit sibi, & videtur non satis solutam: ea autem desumitur ex homine habente v. g. quatuor peccata venialia

Probatur à Lugo Sect. 1.

Etiam hæc probatio vitiatur Primò

Secundo. Licet per bona nostra opera semper de peccato mortali minueretur non tamen ideò veniretur ad finem, vt totum deleretur quamuis peccatum non sit infinitum.

venialia tantùm, qui ratione omnium illorum simul sumptorum dat vnum ius integrum Deo ad displicentiam in eo homine; & tamen non exhibita æquali satisfactione pro toto illo iure, seu pro quatuor illis venialibus, potest pro vno satisfacere; debet ergo concedi, posse ius Dei fortasse extingui ab offendente etiam per partes, si offerat aliquid æquale partiali iuri Dei.

54 *Reiicitur Secundò instantia ab homine habente simul plura venialia, quorum vnum sine altero dimittitur.*

Respondet Lugo Primò,

Huic obiectioni respondet Primò negando consequentiam, quia ea quatuor peccata non faciunt vnum ius, sed quatuor iura; ac proinde benè potest vnum sine altero extingui. Secunda solutio, quam iudicat meliorem, est negando antecedens, quia singula peccata, quæ aduenium. tedeunt difficiliorem remissionem prioris; vnde fit, vt qui est in peccato mortali, non possit condignè satisfacere etiam pro veniali; rationem autem à priori reddit, quòd illa peccata successiuè posita integrant vnam rationem, & causant maiorem auersionem: quæque non extinguitur, nisi ponatur causa æqualis ad reuocandam totam illam offensam.

Secundò.

Secunda Lugo responsio refutatur:

Hanc secundam responsionem ego (vt verum fatear) non capio: Quomodo enim dicitur, quòd si sint duo venialia peccata, non possit pro vno satisfieri, nisi vtrumque simul deleatur, cùm de facto in omnium omnino sententia vnum tollatur sine alio per contritionem? Si enim habeo mendacium leue, & furtum leue, & conteror de mendacio, non de furto, remittitur mihi mendacium, non furtum, & quidem, iuxta multorum sententiam de condigno: iuxta alios verò, etsi dicant non de condigno de facto, quia ea contritio occupatur in merito gloriæ; si tamen id non obstaret, tolleret de condigno illud veniale: ergo in satisfactione pro venialibus vt vnum deleatur nullo modo est necessum delere omnia; neque vt offeratur æqualis satisfactio pro vno, debet offerri pro omnibus; nullo ergo modo potest negari illud obiectionis antecedens: iam autem eo admisso reiicitur prima solutio, quia reuerà consequentia videtur esse bona. Nam sicut propter illa peccata quatuor venialia dicitur esse quadruplex ius, ideoque exhibita satisfactione æquali pro vno debet illud tolli, etiãsi alia intra maneant. Itain nostro casu ius ex mortali potest dici multiplex, quia est ad diuersissimas displicentias Dei inæquales, ergo quando offertur Deo æqualis satisfactio pro deponenda maiore displicentia, tenebitur id facere; non secus ac deponere debet displicentiam in vno veniali, quando ei sufficiés datur satisfactio pro illo; adhuc ergo vrget illa instantia contra argumentum huius Auctoris.

55 *Reiicitur & prima iuxta principia Lugo.*

Probatio nostra.

Omissis ergo illis, conclusio nostra secunda debet probari eodem planè modo quo prima; quia scilicet satisfactio inæqualis non mutat fundamentum odij, nec transfert illud in fundamentum odij leuis; ergo numquam potest inuere odium Dei. Et sicut quando grauissimo alicui corpori imprimo impulsum non adæquatum, tam parum efficio quàm si nullum penitùs impressissem; ita quando non do adæquatam satisfactionem, qua Deum ex suo (sic dicam) moueam odio in me, tam parum efficio dando illi inæquales satisfactiones, ac si nihil dedissem. Id ipsum passim in multis effectibus cernitur? nam si totalis & adæquata dispositio pro præcipua forma intenta non ponitur, nihil omnino efficitur: cuius ratio à priori reducenda est ad eam vnicam possibilem displicentiam, quæ eo ipso non potest deponi, nisi tota deponatur.

Similitudo ab impulsu:

Dices tamen; Ergo saltem quando peccatum mortale est grauius ob maiorem sui intensionem aut ob duplicatam materiam, sicut furtum mille florenorum respectu furti centum: quo casu admisimus posse Deum odium vt mille deponere, retento opio vt centum, poterit fieri ea depositio odij grauioris ad exigentiam satisfactionis ex sufficientis pro illo excessu, licet non pro toto reatu. Respondeo; Si possibilis sit inæqualis ea satisfactio, posse etiam per illam deleri illum excessum; addo tamen, eam non esse possibilem à nobis, quia excessus ille in mortalibus supponitur grauis; ac proinde sicut non possumus pro mortali dare satisfactionem, ita nec pro eo excessu. Non enim in odio, quod Deus habet in peccatorem ratione offensæ grauis, considerandæ sunt quasi infinitæ partes ratione nostra distinctæ odij leuis, quæque simul sumptæ faciant odium graue: vt enim ex materia de Peccatis suppono, etiamsi homo haberet infinita venialia, & consequenter etiamsi Deus haberet infinitas displicentias leues in eum hominem, omnes tamen illæ simul sumptæ adhuc non facerent vnam displicentiam grauem, qualem habet ob vnum mortale: neque illi æquiualerent. Debet ergo ea displicentia considerari vt quid etiam ratione nostra indiuisibile ac proinde incompensabile per vlla opera creaturæ. Si loqueremur de satisfactione Christi infinita, applicata non totaliter, sed partialiter, facilè concederem posse tunc tolli illud odium in furtum vt mille, & conuerti in odium furti vt centum, eo modo diximus posse per condonationem extrinsecam fieri eam permutationem.

56 *Obiectio: Poenitens intra mortalia mandando deponi ob satisfactionem partialem grauis odij & assumi leuius.*

Responsio Ob nostrã satisfactionem non potest:

Ob satisfactionem Christi posset.

Ex his conclusionibus facilè deducitur tertia, (in qua etiam cõuenio cum Cardinale) de facto nõ tolli mortale per partes: quia si id diuinitus fieri non potest, à fortiori de facto non fit. Illud solum nunc restat explicandum, quod suprà in ratione dubitandi est insinuatum, Cur in humanis possit, & re ipsa sæpè fiat ea placatio per partes, non tamen ea possit in Deo contingere. Respondeo, In nobis ideò id fieri, quia ordinariè magna illa auersio, qua initio habuimus, consistebat tantùm in intensione odij ex vehementi propositione iniuriæ in nos commissæ: ea autẽ intensio sine dubio potest per partes successiuè diminui: & idem de propositione vehementi quæ paulatim minuitur, ac proinde etiam paulatim infert odium leuius. Hæc autem in Deo cõtingere non possunt ob rationes hucusque allatas: ideóque non potest minuere odium nisi in casibus positis.

57 *Conclusio: De facto non tollitur mortale partialiter. Cur in humanis effusa potest per partes diminui.*

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De volitione Dei condonantis peccatum.

EXPLICATA virtute contritionis seu Pœnitentiæ ad mouendum Deum pro remissione peccati, oportet explicare, quomodo seu quâ volitione re ipsa Deus illud remittat; qua etiã occasione tractari solet de constitutiuo ipsius habitualis peccati. De quibus punctis fusissime aliqui Auctores disputant, quia reuerà grauis in eis est difficultas, maximè circa condonationem ipsam diuinam. Quia verò vtrumque punctum ego tractaui alibi; primum quidem de constitutiuo habitualis Tomo 3. tota disput. 4. secundum verò Tomo 4. de Legibus disput. 2. ideò ab his breuiùs me expediam: imò nihil de illis dicerem, nisi aliqua denouo vidissem in aliquibus Auctoribus, quæ pro maiori intelligentia doctrinæ nostræ ibi traditæ exigunt discussionẽ aliquam; omnem ergo repetitionem fugiens dicam quæ occurrunt addenda.

Breuiter hæc quæstio hic expedietur, quia alibi tractata.

SECTIO I.

Quid de constitutiuo peccati habitualis.

1 CERTO eo loco Tomi 3. d. 21. peccatum habituale adæquatè consistere in ipsa præteritione physica illius vt actualis, & in carentia condonationis diuinæ & æqualis satisfactionis; sententias verò varias de qualitate quadam morbida, de priuatione gratiæ habitualis, tam vt constitutiuo adæquato quàm inadæquato, ibidem efficaciter reieci.

In quo consistat peccatũ habituale.

SVBSECTIO PRIMA.

An priuatio gratiæ possit partialiter admitti pro constitutiuo habitus saltem indeterminatè.

Affirmat Lugo

HOc dubium moueo propter Cardinalem Lugo, qui cùm disput. 7. de Pœnitentia sect. 2. optimè propugnasset hanc sententiam nostram, quam dixi esse inter Retentiores communem, ac respondisset argumentis, quæ contra illam fiunt; in fine tamen sectionis addidit, posse priuationem gratiæ admitti partialiter ad constitutionem habitualis non determinatè, sed indeterminatè, quatenus habituale dicit condonationis carentiam. Condonatio autem potest duobus modis fieri, vel purè extrinsecè, vel per infusionem gratiæ, seu intrinsecè. Nam Deus dupliciter potest condonare peccatum; vno modo purè extrinsecè sine infusione gratiæ, vt contra Vasquez & paucos alios supponit communis sententia; altero verò modo per infusionem gratiæ necessum ergo est vt habituale dicat in suo concepto carentiam eius infusionis gratiæ, quæ alioquin destruitur. Hanc autem doctrinam ideò tradidisse videtur, vt faciliùs explicet, quod sit obiectum condonationis diuinæ; nam eo casu, quo tolleretur peccatum per gratiæ infusionem, necessarium non esset aliud obiectum eius remissionis assignare quàm ipsam physicam infusionem gratiæ, quæ satis est clarum obiectum volitionis diuinæ.

3 Hanc doctrinam ego iudico minus veram, & non consequentem ad principia eius Auctoris; & quidem statim noto, minùs benè dictum esse, eam priuationem gratiæ constituere indeterminatè peccatum habituale: debuisset enim dici constituere determinatè. Aliud enim est; quòd peccatum ipsum possit indeterminatè tolli, vel per gratiam, vel per condonationem extrinsecam; (id quod nunc admittimus, de gentiùs paulò post discutiendum;) aliud verò quòd essentia habitualis indeterminatè consistat in ea priuatione gratiæ. Hoc secundum falsum est, & non sequitur ex primo, imò contrarium planè inde sequitur. Dico ergo, dato eo duplici modo ablationis peccati, omne omnino habituale peccatum dicere essentialiter priuationem gratiæ, ac proinde determinatè constitui per eam priuationem, non indeterminatè, qua possit esse aliquod peccatum quod eam priuationem non dicat, vt formale constitutiuum partiale sui. Probatur id clarè, quia eo ipso quòd gratia posita manere nequeat vllum mortale, necessum est omne mortale includere priuationem gratiæ, ergo omnia determinate & non indeterminatè includunt eam priuationem. Ostenditur id in carentia æqualis satisfactionis & condonationis diuinæ; nam eo ipso quòd sola satisfactio æqualis posita, aut sola condonatio tollat peccatum, necessum est hoc dicere, non solam carentiam condonationis, aut solam carentiam satisfactionis æqualis, sed vtramque carentiam determinatè; licet ablatio illius peccati fieri possit indeterminatè, vel per condonationem diuinam, vel per satisfactionem æqualem, si daretur illa; ergo vox *indeterminatè* non debet cadere supra constitutionem peccati, sed supra eius ablationem. Et hæc obiter circa modum illum loquendi.

Reijcitur Primò, quia malè vsurpat vocẽ, constituere peccatum indeterminatè: sed dicere debuisset, tolli peccatum indeterminatè per gratiam.

4 Quoad punctum verò priuationis dico; eò quòd illis duobus modis intrinsecè & extrinsecè possit peccatum remitti, nihil omnino inferri de constitutiuo illius per priuationem. Pro quo aduerte, etiam quando remissio peccati habet talis fit intrinsecè per gratiam, & non per condonationem solùm extrinsecam, debere vltra infusionem gratiæ interuenire volitionem Dei remittentis peccatũ & solum ideò tunc dici peccatum remitti intrinsecè, quia infunditur vna forma intrinseca, quæ petit eam remissionem, non verò quia ipsa gratia sit formaliter remissio. Exemplorem meo iudicio manifestè declarabo: Dupliciter potest mihi calor auferri, vno modo intrinsecè, altero extrinsecè; extrinsecè, si nullo mihi super addito frigore Deus mihi caloré auferret, relicta mea manu neque frigida neque calida; & hoc solum potest fieri miraculosè; intrinsece vero tollitur, quando producto in me intrinsece frigore ei calori contrario expellitur calor. Ac tã in secundo hoc modo quàm in primo debet interuenire

Secũdo quia formalis est per gratiam tolli peccatum. Etiam quando in condonatione peccati interuenit infusio gratiæ requiritur volitio Dei remittentis peccatum.

uenire cessatio physica actionis Dei, qua conseruabatur calor: quæ cessatio est immediata & proxima causa eius desitionis; nam productio positiua caloris non est ipsa frigoris destructio, sed id quod exigit destructionem. Deus enim præuiso calore cogitur naturaliter ad volendum cessare ab actione positiua conseruatiua frigoris; aut è contrario præuiso frigore cogitur ad cessandum à conseruatione caloris; & tunc immediatè cessat calor: vnde nullus potest inferre, essantiam frigoris consistere vllo modo determinatè aut indeterminatè in carentia caloris, aut è contrario calorem in carentia frigoris. Idem prorsus est in nostro casu; nam etiam si, quando gratia habitualis infunditur homini, qui anteà erat peccator, dicatur ei peccatum intrinsecè remitti; hoc tamen nihil penitùs aliud sonat, quàm quòd infusum sit ei homini vnum donum, quod naturaliter exigit, vt Deus remittat peccatum; per quod non tollitur vllo modo, quo minùs exister debeat in Deo Actus voluntatis condonans, qui formaliter non habet pro obiecto infusionem gratiæ, quam iam supponit, & ex qua vt ex causa ille actus concipitur. Id autem maximè locum habet in sententia, quam Auctor hic passim insinuat, gratiam scilicet habitualem diuinitùs posse stare cum peccato. Vbi clarè constat; eam gratiæ carentiam nullò penitus modo petinere ad conceptum peccati habitualis, ne quidem definitiue.

Gratia non tollit formaliter, sed tantùm exigit, vt tollatur peccatum.

5 *Licet gratia essentialiter pugnaret cũ peccato in eodem subiecto, adhuc eius infusio non esset ipsa formalis condonatio, aut sublatio peccati. Explicatur à paritatibus.*

Dixi *maximè habere locum, si dicamus gratiam habitualem posse diuinitus cohærere cum peccato*, nam esto dicamus virtualiter contradictorie ea duo pugnare, sicut pugnat amor & odium in subiecto eodem; nihilominùs vis mei argumenti tota manet: quia sicut tunc etiam deberet interuenire immediate ipsa physica cessatio actionis conseruatiuæ odij, aut è contrario amoris, vt statim magis declarabo; ita in præsenti post volitionem Dei de gratia infundenda debet interuenire ipsa remissio peccati. Vnde addo, eodem modo quoad hoc punctum esse discurrendum, si habituale tolleretur per vnionem hypostaticam superuenientem, quam nos suo loco docuimus cum communi sententia essentialiter repugnare cum peccato: ratio autem est; nam licet odium & amor, assensus & dissensus circa idem obiectum repugnent inter se essentialiter, non tamen ideò productio assensus est formaliter destructio dissensus; sed hæ destructio oritur ex illa quasi efficienter: eo enim ipso quòd Deus vide productum priùs natura dissensum v.g. tenetur statim cessare à conseruatione assensus; ea autem cessatio formaliter est ipsa destructio assensus; vnde tenetur Deus tunc habere duas voluntates, vnam, quâ dicat, *Volo concurrere ad productionem dissensus* alteram, quâ dicat, *Volo cessare à conseruatione assensus*: ac proinde si per impossibile hæc volitio secunda non sequeretur posita prima, manerent re ipsa simul assensus & dissensus. Hæc quidem secunda volitio oritur necessariò ab illa; non tamen propterea desinit esse ab ea realiter distincta: illa enim prior potuit esse sine hac, si anteà in subiecto non fuisset assensus; tunc enim per eamdem numero volitionem dicere potuisset Deus, *Volo producere dissensum*. Secunda item è contrario potuit esse realiter sine prima; nam si nullo succedente dissensu cessaret homo ab assensu, deberet Deus habere volitionem cessandi à productione illa. Idem omnino est in præsenti: licet enim admittamus gratiam non posse cohærere nec quidem diuinitus cum peccato; (vt admittimus vnionem hypostaticam omni peccato diuinitus repugnare,) hinc tamen solùm sequitur, eò ipso quòd Deus vult producere gratiam, necessitari ad secundam volitionem qua dicat, *Condono tibi peccata*. Quæ duæ volitiones inuincem separabiles sunt; nam prima infundendi gratiam potuit esse sine secunda, quo casu homo non habuisset anteà peccatum: hæc item secunda potuit esse sine prima, si peccatum illud per solam Dei extrinsecam condonationem remitteretur. Ratio huius est clara, suppositis his quæ de peccato habituali nos docemus cum hoc Auctore; nam illud non consistit in carentia eius pulchritudinis positiuæ, quæ in gratia habituali aut in vnione hypostatica reperitur, sed in auersione voluntaria & libera à Deo nondum per satisfactionem æqualem deleta, aut nondum à Deo remissa, pulchritudo autem illa physica gratiæ cùm nec sit ipsa remissio, nec satisfactio, non potest auferre per se immediatè illam positiuam maculam, sed summùm potest Deum obligare ad hoc, vt eam auferat: id quod maximè habet locum (sicut insinuaui) si hic Auctor doceat posse gratiam & peccatum cohærere diuinitus inter se.

Licet gratia opponeretur essentialiter peccato, adhuc infusio gratiæ & condonatio peccati essent separabiles.

Ex hac immediatè deducta ratione colliges impugnationem cuiusdam doctrinæ, quam hic Auctor adfert loco citato num. 162. vbi ait, Gratiam, eò quòd per suam naturam & entitatem sit maxima animæ pulchritudo, reddere animam pulchram & amabilem, perinde ac si homini fœdo adderentur tales animæ dotes, quæ superarent eam fœditatem, redderentque illum simpliciter amabilem; cum hac tamen differentia, quòd fœditas illa, cùm sit quid physicum, non tollatur per eas dotes; at turpitudo habitualis, quæ est quid morale, tolleretur per gratiam. Colligo inquam huius doctrinæ impugnationem; nam turpitudo illa peccati cùm non sit negatio gratiæ (vt hic Auctor ait) sed sit quid positiuum, aut certè (ne faciamus iam quæstionem de cõstitutiuo Formali peccati actualis saltẽ si in priuatione consistit,) non fuit gratiæ priuatio, sed alterius rei, non potest tolli formaliter per gratiam, sed vel per satisfactionem æqualẽ; qualis non est gratia habitualis: vel per condonationem Dei; gratia autem non est condonatio Dei: hæc enim dicit ex suo conceptu formali actum Dei; infusio verò gratiæ non est actus Dei. Vrgeo hoc ipsum ex doctrina eiusdem, quia num. 157. & 158. optimè docuit, Voluntatem infundendi gratiam non esse condonationem peccati. Hinc enim infero; Ergo ipsa infusio gratiæ non potest esse forma, quâ solâ positâ tollatur illa macula habitualis, quæ vel positiua est, vt dixi, vel si negatiua, alterius sanè rei quàm sit gratia.

7 *Licet gratia sit pulchritudo animæ, illi tamen in eo consistit carentia peccati.*

Responderi fortè potest ex eius doctrina, Eam voluntatem producendi gratiam esse causam condonationis, non condonationem; nam si per impossibile Deus post totam eam voluntatem non produceret re ipsa gratiam, non condonasset formaliter peccatum, sed præcisè voluisset condonare; ergo non voluntas, sed ipsa gratiæ infusio est actualis condonatio. Sed contra, quia nisi abutamur vocibus, gratiæ infusio non potest dici condonatio, quia condonatio significat formaliter actum voluntatis; sed summùm dici debet ablatio physica peccati; sicut si per æqua-

8 *Responsio pro Lugo facta, Voluntatem infundendi gratiam non esse condonationem, sed causam condonationis Reiicitur. Quid significet Tò condonatio.*

lem-

lem satisfactionem tolleretur peccatum, illa ipsa satisfactio non diceretur condonatio, sed ablatio peccati. Quidquid vero de voce & modo loquendi sit, hic argumentor Primò: Si ipsa gratiæ infusio est actualis ablatio iuris, & actualis delerio peccati. ergo voluntas, qua Deus vult gratiam infundere homini, erit ipsa formalis cessio, seu condonatio iuris: quod tamen hic Auctor negauerat eo num. 157. Probo autem ex ipsius doctrina hanc consequentiam: ait enim donationem in genere esse voluntatem illam, qua donator vult esse in donatario ius ad vtendum pallio v. g. pro suo libitu: condonationem verò formalem & formalissimam esse voluntatem illam qua offensus, aut creditor vult nullũ esse in offendente passiuum jus ad odium, aut in debitore nullam obligationem ad soluendum hæc illæ quibus sic argumentor: Gratiam esse in subiecto, in Petro v. g. & non esse in illo fundamentum vllum ad odium, idem omnino sunt (vt pro præsenti discursu permittimus huic Auctori.) ergo dum Deus vult esse in homine gratiam, seu dum vult hanc homini infundere, vult formalissimè non esse in homine vllum ius ad odium: ergo ea voluntas infundendi gratiam non est causa condonationis, vt hic Auctor docet in vltima solutione, sed est ipsa formalis condonatio peccati: non sunt ergo duæ illæ doctrinæ cohærentes sibi.

Si infusio gratiæ, [illa] est ablatio peccati: ergo voluntas infundendi gratiam est ipsa condonatio iuris.

9 Responderi adhuc potest Secundò, Hoc, quod est expellere peccatum, solùm esse secundarium effectum gratiæ, non primarium: quia potest gratia infundi nullo præuio peccato quo expellatur; voluntas ergo Dei circa gratiæ infusionem non est voluntas expellendi ius ad odium ex illo subiecto: quia voluntas producendi formam in aliquo subiecto non est ex suo conceptu essentiali voluntas effectus secundarij eius formæ, sed præcisè effectus primarij & essentialis: ita illo num. 158. Ego tamen solutionem puto hanc duplici ex capite clarè posse refutari: Primò, quia licet sub terminis illis *expellere peccatum* non sit effectus essentialis seu primarius gratiæ, quia potest hæc infundi quando peccatũ nullum præcessit; at sub terminis, quibus ego sum vsus, scilicet, *Carere omni fundamento seu iure ad odium*, aut sub his, *Non esse in subiecto fundamentum ad odium*, est effectus essentialis seu primarius gratiæ: quia hæc essentialiter repugnat illi iuri ad odium: ideòque essentialiter elicit, ne illud fundamentum odij sit in subiecto, siue illud non esse iuris, siue illa non admissio iuris dicatur expulsio peccati, quando hoc priùs fuerat in subiecto, siue non dicatur expulsio: hoc enim accidentarium est pro præsenti puncto. Sic ergo argumentor ex hac suppositione: Reddere subiectum immune ab omni fundamento odij diuini, seu ab omni iure passiuo ad odium diuinum, est gratiæ effectus primarius seu essentialis; ergo volitio Dei cognoscens clarè & distinctè eam naturam gratiæ, dũ illam vult infundere subiecto, vult eo ipso formalissimè reddere subiectum illud immune ab omni iure odij, seu vult illud subiectum verè & realiter non habere vllum debitum odij: siue, vt dixi, ea non-habitio debiti vocanda sit hic & nunc expulsio iuris, quia hoc præcesserat: siue non sit vocanda nisi pura non-habitio. Atqui iuxta hunc Auctorem illa volitio, quæ vult in subiecto non esse vllum debitum ad odium, est condonatio formalis & formalissima: ergo voli-

Respuitur secunda facta pro Lugo: Expellere peccatum esse effectum secundarium gratiæ.

Reijcitur, quia idem est effectus expellere peccatũ, & impedire fundamentũ ad odium diuinum.

10

tio Dei de infundenda gratia erit ipsa formalis condonatio. Ratio à priori huius impugnationis est: Nam quòd ab infusione gratiæ habitualis possit separari hic effectus expulsionis peccati, nullo modo prouenit ex eo quòd gratiæ ad præstandum eum effectum debeat aliquid addi: aut quia impediri ille possit infusa gratia: sed prouenit ex pura puta denominatione quadam antecedenti qua semel suppositâ positio gratiæ subit denominationem expulsionis eius iuris: ea verò non præsuppositâ, gratiæ infusio non dicitur illius iuris expulsio, sed impeditio: in vtroque tamẽ casu habet semper gratia sibi essentialiter annexam carentiam eius iuris. Vtl, quòd mea existentia in instanti A dicatur continuatio esse aut potiùs inceptio, non prouenit, à prædicato illo positiuo superaddito ei existentiæ, sed præcisè ab eo: quòd extiterim aut non extiterim in instanti antecedenti. Vnde, eo ipso quòd me Deus viderit existentem in instanti A, & velit mihi dare durationem pro instanti necessario essentialiter, vt sic dicam, dat mihi continuationem esse: ergo Deus volens homini, quem præuiderat immediatè antè in peccato, dare nunc gratiam, eo ipso vult expellere ab eo ius ad odium: ergo eo casu voluntas infundendi gratiam est formalissima volitio carentiæ iuris: ergo ea voluntas est formalis condonatio: præterquam, quod iam dixi, non esse nobis necessarium vti eis terminis expulsionis: sufficit enim si vtamur illis, *Vult non esse in eo subiecto ius vllum passiuum ad odium*: eo autem ipso condonat iuxta dicta.

Ratio à priori. Expellere peccatum differt tantum ponendo denominationem extrinsecam ab eo, quod est impedire ius ad odium Dei.

Sicut existentia & continuatio, seu conseruatio.

Secundo argumentor contra eam solutionem: Quia si expellere è subiecto habituale peccatũ non est primarius effectus gratiæ, rogo, An pro eo effectu secundario causando post gratiæ infusionem debeat Deus habere nouam volitionem, an non? si debet nouam habere, iam redit tota difficultas, quam hic cupit vitare per eam doctrinam, quam suprà notaui: quale scilicet sit eius voluntatis obiectum. Quòd si non sit necessaria noua volitio, ergo prima illa necessariò habuit pro obiecto eum effectum, quem dicit secundarium: quia omnes hi effectus, maximè hic remissionis peccati, deberent esse Deo voluntarij, seu ab illo volitis: ergo prior illa volitio voluit etiam expressè expulsionem iuris ad odium ex illo subiecto: ac proinde iam eo ipso illa fuit formalissima condonatio etiam iuxta hunc Auctorem: quia (vt ostendimus) illam vocat condonationem, quæ directè vult expulsionem, seu carentiam debiti ad odium. Vides eam doctrinam non sufficienter cohærere & cum veritate & cum principiis eiusdem Auctoris, vt initio dixi: ex quibus concludo, eam sententiam de constitutiuo peccati habitualis in ipso actuali præterito, & in carentia tam æqualis satisfactionis quàm condonationis Diuinæ sine vlla alia gratiæ priuatione constanter defendendam, vti nos eo Tomo 3. cum Recentioribus multis defendimus.

11 *Reijcitur Secundò. Quid habet pro obiecto Deus, quando vult illum secundarium gratiæ effectum?*

SVBSECTIO SECVNDA.

Discutitur breuiter hac occasione, quomodo in Sacramento Pœnitentiæ peccatum remittatur per gratiam.

DIximus superiùs, tunc remitti peccatum habituale intrinsecè per gratiam, quando 12

ob huius infusionem Deus moueatur ad habendam volitionem illud condonandi. Hinc autem oritur occasio disputationis præsentis: Nam Sacerdos nomine Christi remittens peccatum per illa verba, *Ego te absoluo*, non significat priùs gratiæ infusionem, & deinde remissionem peccati, sed è contrario priùs remissionem peccati, & eius causa infusionem gratiæ. Vnde videmur admittere, de facto peccatum remitti formaliter per condonationem extrinsecam: quod est contra communem sensum Theologorum. Hanc difficultatem mouet contra se Cardinalis; ei autem respondet, Etiam per eam absolutionem remitti peccatum intrinsecè, seu per gratiæ infusionem: quando enim Sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, nondum remittitur peccatum, sed id fit in sequenti instanti naturæ, quando Deus intuitu eorum verborum infundit illi pœnitenti gratiam: tunc enim Deus cum Sacerdote remittit peccatum. Ego hanc solutionem, etsi veram fortè doctrinam contineat, non puto satisfacere rationi dubitandi paulò antè propositæ: nam in absolutione non dicitur iuxta hunc Auctorem, *Dono tibi gratiam*, sed *Condono tibi peccatum*. Et sanè si Deus voluisset remittere peccatum per solam extrinsecam condonationem nulla gratia (vti potest diuinitùs etiam iuxta hunc Auctorem) non potuisset aliis verbis vti quàm illis, *Absoluo te à peccatis*: quòd autem simul per Sacramentum Pœnitentiæ infundatur de facto gratia, videtur ad vim eius significationis omnino per accidens, & solùm id prouenire ex ratione communi omnium nostrorum Sacramentorum, quæ causant gratiam, licet nihil dicant de absolutione à peccatis: habétque hæc ratio maximam vim in sententia huius Auctoris, qui admittit posse Sacramentum Pœnitentiæ dari validum & informe. Quo etiam casu sine dubio vera debent esse verba illa, *Ego te absoluo*; nam per verba falsa repugnat fieri Sacramentum verum & validum: ergo ea verba non significant infusionem gratiæ, sed aliam absolutionẽ; cuius obiectum oportebit inuestigare non aliter quàm pro condonatione à culpa. Vnde vlteriùs argumentor; Ergo quando subiectum est paratum ad absolutionem à culpa, illam debent ea verba significare immediate, & non gratiæ infusionem, iuxta principia huius Auctoris.

Ratio dubitandi.

Solutio Lugo.

Non satisfacit.

23 *Solutio nostra. Absoluo te, id est Confero gratiam.*

Difficultati ergo suprà positæ respondeo in meis principiis, de quibus infrà, Eam nullam esse: censeo enim eorum verborum, *Absoluo te*, hunc esse sensum: *Confero tibi gratiam ex vi remissiuam peccati*: vnde priùs natura est etiam tunc infusio gratiæ quàm remissio peccati: ideóque verum est etiam, tunc illud non remitti per solam condonationem extrinsecam. Pro maiori tamen explicatione dubitari adhuc potuit, qui fiat vt infusio gratiæ sit prior natura quàm remissio peccati, cùm potiùs absolutio seu remissio sit causa eius infusionis: deinde cùm gratia repugnet peccato, quo pacto ea possit intrare in subiectum adhuc existens in peccato. Confirmatur ratio dubitandi: nam eo priori, quo infunditur gratia, adhuc Deus habet libertatem, vt possit odio habere eum hominem: ergo hic debet tunc supponi habens peccatum, quia Deus non concipitur potens odio habere nisi peccatorem.

Dubium Quo modo possit gratia esse prior remissione.

Eo priori, quo infunditur gratia, est ius ad odiũ, ergo & peccatum.

Responsio quorundam inepta.

Hoc argumentum maximam difficultatem ingessit Recentioribus aliquibus apud Cardinalem Lugo: vt verò ei satisfacerent dixerunt, In eo priori signo naturæ ante gratiæ infusionem non concipi illum hominem existentem aut carentem existentia ideóque neque dignum odio: sed priùs Deum debere se determinare, an velit illi homini peccatum remittere, aut è contrario non remittere; post hanc autem volitionem primò incipere concipi existentiam illius. Optimè reiicit hanc doctrinam Cardinalis suprà, quia eo instanti, quo homo per contritionem v. g. se disponit ad gratiam, priùs naturâ existit, quàm sit gratia: id quod ex libertate, quâ ille homo eo instanti exercet eum actum, & ex causalitate ipsa in actum eumdem euidenter suadetur; ergo Deus eo instanti, antequam præmideat vt ùm sit condonaturus peccatum nécne, videt necessariò iam eum hominem existere: & (vt verum fatear) non scio quomodo Recentiores hi potuerint contrarium dicere,

24 *Respondetur Primò, Esse diffi ultatem communem.*

Ad difficultatem ergo respondeo Primò, Eam non esse huius loci, sed planè communem omni remissioni mortalis, siue fiat per Baptismum, siue per contritionem, siue per confessionem, siue per alia Sacramenta (si ea cum attritione deleãt aliquando peccatum;) nam in omnibus his casibus priùs natura infunditur gratia, & posteriùs remittitur peccatum ad connaturalem gratiæ exigentiam. Respondeo Secundò, Mihi hanc difficultatem videri nullius planè momenti, & verò etiam generalem ad alias materias diuersas à remissione peccati (de qua sola nunc agimus) quomodo scilicet possit Deus relaxare votum, cùm in priori naturæ oporteat vt adhuc sit aliqua obligatio in homine: quandoquidem potest Deus eo instanti eam obligationem seu ius retinere aut soluere. Respondeo ergo, Non esse necessarium vt in eo priori concipiatur aliqua obligatio actu existens: sufficit enim si fuerit in instanti reali præcedenti & in eo priori nondum concipiatur destructa: eo enim ipso potest permanere: sicut in priori naturæ, quo Deus liberè destruit lucem, non est necessum vt tunc concipiatur illa lux existere: sufficit enim quòd fuerit & adhuc non concipiatur destructa: eo enim ipso potest manere aut non manere in eo instanti: cùm ergo in eo priori ante gratiæ infusionem Deus noscat hominem priùs fuisse in peccato & adhuc non videat quidquam positum, quod petat, ne illud duret, potest Deus dicere, *Volo illud remittere*; cùmque adhuc etiam è contrario nihil videat, quod petat illud durare, dicere etiam è contrario potest, *Volo infundere gratiam quæ me ad remittendum illud peccatum obliga-bit*. Vides quam res sit facilis: vnde vlteriùs nisi de vocibus contendamus, non arbitror esse vllo modo necessarium pro hac difficultate dicere, in eo instanti esse aliquod debitum, saltem radicale in homine (vt dixit Lugo:) quia etsi tunc nullum sit, iam dixi sufficere, quòd fuerit, & adhuc in eo priori non concipiatur homo liber ab illo, sed præscindatur: quia verò hæc ipsa præcisio potest fortè vocari ius remotum, dixi quæstionem esse posse de voce: in qua tamen si velimus propriè loqui, certè ob solam præcisionem non possumus dicere dari in Deo vllum ius: nam eo instanti, quo homo benè operatur, potens tamen liberè peccare debemus in priori naturæ admittere præcisionem illam à iure ad odio habendum, & ab eius carẽtia: & tamen nemo dicet Deum eo instanti habuisse aliquod ius etiam remotum ad odio habendum hominem ea solùm de causa, quòd

Respondetur Secundò.

Non est opus, vt eo priori concipiatur vllum ius, sed tantum instanti reali præcedenti.

25 *An possit dici tunc esse debitum ius radicale quæstio est de voce.*

ille

ille homo potuerit eo instanti peccare. Est quidem fateor aliqua differentia inter hos duos casus,quòd in hoc secundo homo etiam in instanti antecedenti non habuerat vllum peccatum,in primo verò casu iam fuerat peccatum , à quo homo non poterat se liberare nisi per Dei gratiam; & ratione cuius poterat Deus, si voluisset,retinere odium.Vnde potiori iure dici potest in eo primo casu remotè solùm fuisse obnoxium iræ:sed tamen hoc,vt notaui,ad vocem spectat.

SECTIO II.

Aliqua circa nostram sententiam de obiecto condonationis Diuinæ notantur.

16 PRÆCEDENTI sectione dixi Cardinalem Lugo putare,nullam esse difficultatem in explicando eo obiecto , quando remittitur peccatum per gratiæ infusionem; ego tamen(quod & ibi obseruaui) iudico eamdem esse in vtroque casu condonationis siue intrinsecæ siue extrinsecæ:id quod ex parte sectione præcedenti ostendi,dum probaui , post infusionem gratiæ debere subsequi in Deo voluntatem remissiuã; cuius obiectum tunc oportebit explicare.Secundò dico , Esto vnico indiuisibili actu voluisset & infusionem gratiæ & remissionem peccati, adhuc difficultatem totam manseram; quia quando supponitur peccatum in homine , & Deus illi infundit gratiam , non dicit præcisè, *Volo tibi gratiam infundere*:id quod diceret , si homo ille , cui gratia infunditur , nullum habuisset antea peccatum:sed debet hæc duo dicere,*Dono tibi gratiam , & simul condono propter illam peccatum.* Iam ergo explicare oportebit, quod sit hoc speciale obiectum volitionis eius præ illa altera, quæ solùm diceret *Infundo tibi gratiam*:est autem per accidens pro hac difficultate, quòd ea duo vnico actu aut duobus distinctis amentur, cùm id , quod per secundam voluntatem de nouo amatur,non possit explicari per illud quod amat prior voluntas, id est per gratiæ infusionem. Obiectum ergo hoc inquirimus,& in eo est tota difficultas,quæ in cõdonationis obiecto esse potest ; per accidensque est, vt dixi,quòd vnica volitione realiter & virtualiter vtrumque obiectum ametur , aut quod duabus ratione nostra.Nam obiectum illud duplex est,& ex se,vt dixi,amabile per duas distinctas volitiones : ergo etiam quando per vnam vtrumque amatur, debet tamen in obiecto ipso assignari diuersitas Ergo per gratiam habitualem non explicatur quidquam de obiecto condonationis. Restat adhuc ergo tota difficultas circa hoc obiectum:nam physica præteritio peccati, quæ est vna pars habitualis, non potest iam tolli;altera verò pars non est nisi ipsa carentia condonationis:nam satisfactio æqualis non potest ab homine exhiberi:& licet posset,non tolleretur tunc peccatum per condonationem,de qua nunc agimus:ergo illa condonatio non videtur posse aliquid aliud velle quàm tollere carentiam sui:hoc autem est formalissimè se solam habere pro obiecto:id quod planè est absurdum. De hac difficultate occasione voluntaris legislatiuæ egi eo Tomo 4.disp.2.vbi tripliciter quoad punctum præsens respondi.

Manet difficultas explicandi obiectũ cõdonationis , licet peccatũ remittatur per infusionẽ gratiæ:& licet id fiat vnico actu.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de carentia odij.

17 PRimò ergo docui,Posse dici obiectum condonationis esse carentiam odij:nam iuxta mea principia , cùm Deus essentialiter habeat odio peccatum, videtur dicendus, eo ipso quòd cessare velit ab eo odio,tollere peccatum.Contra hanc explicationem obiecit mihi id quod ĩ inuenio per diuersissimas instantias, omnes tamen in vnum omnino recidentes, à Cardinali Lugo deductum,aliud esse,velle cessare ab vsu alicuius rei , aliud à iure in illam.: vti possum vouere,me nolle meum pallium à Petro repetere:per quod tamen licet auferam à me quasi vsũ pallij,non aufero vllo modo dominium seu ius in illud.Deus item potest nolle à me petere id quod ego ipsi voui:& tamen non ideò dispensat in voto,neque aufert à se ius His omnibus instantiis vno verbo respondeo,& dico,Quidquid sit de illis, in ordine tamen ad odium Dei in peccatores,adhuc nostram solutionem subsistere:quia supposito quòd Deus essentialiter sit necessitatus ad odio habendum peccatum,profectò eo ipso quòd vult cessare ab odio,vult indirectè saltem tollere peccatum.In allatis autem instantiis potest manere ius sine actuali vsu,ideó que etiam potest quis nolle vti retento iure : si tamen poneremus talem casum, vt omnino repugnaret aliquem esse dominum alicuius rei, nisi actu illa vteretur,profectò eo ipso quòd ea vti nollet vllo modo, cederet iure suo:id quod videtur ex terminis planè notum:ergo supposito quòd in Deo ius ad odium in peccatorem non possit manere sine odio,iam eo ipso quòd ille velit non odio habere,seu non vti eo iure, eo ipso cedit illo , ac consequenter condonat peccatum.

Si Deus essentialiter odit peccatum,potest esse obiectum cõdonationis carentia odij peccati.

Obiectio : Aliud est nolle vsum, aliud, nolle ius rei.

Soluitur. Quia in hac sententia vsus & ius quasi sunt idem.

18 Contra hanc doctrinam duo vel tria obiici nunc possunt:Primum est, quòd saltem in condonatione iuris ad pœnam non videatur defendi id posse: certissimum enim est posse Deum retinere ius ad puniendum hominem peccatorem, & tamen eum actu non punire:ergo velle cedere iure aliquid amplius dicit:si autem semel in cessione iuris ad pœnam relinquimus eam difficultatem de obiecto eiusdem cessionis possumus eam relinquere in condonatione offensæ quà talis:quia quà viâ explicare poterimus vnum obiectum,poterimus & aliud.Respondeo, Posse nos id ipsum dicere in pœna quod in odio,scilicet eo ipso quòd Deus nolit nos vnquam punire , condonare formaliter debitum pœnæ ex culpa ortum.Videbitur id fortasse alicui mirum: si tamen res benè ponderetur , apparebit satis probabile.Pro quo aduerte,tripliciter me posse per peccatum hodiernum mereri pœnam : Primò, vt eam promerear pro tota æternitate ab ipso puncto quo pecco; Secundò, vt eam promerear pro vnica tantùm die hac vel illa indeterminatè; Tertiò,vt in potestate Dei sit determinare vel tempus vel quantitatẽ pœnæ:quod tamen vltimum mihi minùs placet , quia puto ipsam grauitatem culpæ determinare sibi quantitatem pœnæ : ac proinde id in Deo non esse arbitrarium, licet possit eam quantitatem in hac vel illà materia ipse determinare : pro præsenti tamẽ quæstione totum hoc admitto vt possibile. Hoc ergo supposito dico:Si secundo modo ego promereor pœnam,tunc sine dubio posse Deum

Difficilior obiectio prima de condonatione iuris ad pœnam.

Soluitur. idem dicendo de pœna quod de culpa.

Tripliciter possum mereri pœnam.

Explicatur solutio data per partes.

me nolle hodie punire, retento tamen iure ad pœnã. At in eo casu non solùm non cedit Deus iure ad puniendum, sed nec vult cessare ab actuali punitione; quia etsi hodie nolit me punire, non propterea me non vult punire cras; per quam crastinam punitionem ego soluerem quod deberem, Ex hoc ergo casu non potest adferri instantia, quasi possit Deus nolle actu punire, retento tamen iure; quia tunc per *tò non vult actu punire* non adimitur quidquam (vt ostendi) non solùm de iure, sed nec de actuali & totali punitione. In eo ergo casu dico; Si Deus diceret, *Nolo te neque hodie, neque cras, neque vnquam punire*, eo ipso etiam debere admitti mihi condonatam esse pœnam, & ius in eam ablatum esse à Deo. Si primo modo culpa mereatur pœnam, tunc etiam dico volitionem non puniendi esse cessionem iuris. Vnde si Deus nõ vult me incipere hodie punire, sed cras, dico iam condonare pœnam hodiernam, esto non crastinam, ac proinde cedere iure ad pœnam hodiernam, non ad crastinam: quia sicut pœna haberet latitudinẽ, ita ius ipsum: quo ergo pacto actu non vult punire, eodem modo actu cedit iure ad puniendum? Nec video quo argumento positiuo possit probari, in Deo non esse idem dicere, *Nolo te in æternum punire*, ac dicere, *Condono tibi pœnam in æternum & ius ad illam.* Item pico; Si peccatum non mereatur certam pœnam, sed taxatio illius pertineat ad Deum; tunc enim si taxat minorem, tollit sibi & vlum & ius ad maiorem; si nullam velit taxare, aut infligere, ex integro sibi tollit ius in illam, seu eam condonat.

20 *Obiectio secunda: Si Deus necessariò odit peccatũ, quid concipitur in illo priori, quo Deus est potens condonare, vel non condonare.*

Secunda difficultas contra eam solutionẽ est magis speculatiua; quia si Deus necessariò tenetur odio habere peccatorem quamdiu talis est, rogo, Eo priori, quo concipio Deum potentem condonare, aut non condonare, seu odio habere, & non odio habere, quid concipiatur antequam Deus odio habeat re ipsa peccatorem? Non potest dici, Quòd sola præteritio peccati; nam hæc etiam concipitur postquam est condonatũ peccatum, v.g. nunc respectu Sancti Petri; & tamen id nullo modo sufficit, vt Deus odio possit habere pro nunc Diuum Petrum; ergo neque ea sola præteritio sufficit, vt odio habeat peccatorem. Nec potest responderi tunc, Vltra præteritionem physicam concipi carentiam condonationis; hoc inquam dici non potest, quia ab ea carentia tunc præscinditur, quandoquidem etiam præscinditur ab odio; quomodo ergo ille homo tunc est indifferens, vt odio habeatur, aut non habeatur? Explico argumentum; Vel pro illo priori concipimus iam peccatum, & tunc non poterit non odio haberi à Deo, quia (vt diximus) Deus necessariò odit peccatum; vel pro illo priori nondum concipitur peccatum, & tunc non poterit Deus illum hominem odio habere, quia non præcognoscit in illo adhuc fundamentum odij, hoc est peccatum; non potest autem dici quòd per ipsummet odium constituat hominem in ratione digni odij, cùm debeat præcedere dignitas ex parte ipsius hominis, antequam odio habeatur. Respondebis ad hoc, Vt Deus possit odio habere peccatorem in hoc instanti, sufficere, quòd nouerit illum peccasse, & pro præcedenti instanti reali non fuisse adhuc remissum peccatum; eo enim ipso habet sufficiens fundamentum, vt eum odio habeat, & hoc ipso odio compleat, vt sic dicam, peccatum habituale: habet item libertatem, vt nolit eum hominem odio habere, cùm pro eo priori etsi non videat iam remissum peccatum, nondum tamen illud videt esse completum in ratione habitualis: ideoque nihil adhuc videt quod eum cogat ad odio habendum eum hominem. Hæc responsio nullo modo potest sustineri iuxta nostra principia; nam vel in eo priori concipitur homo ille peccator, vel non: si nondum concipitur, ergo non est adhuc sufficiens obiectum odij pro eo instanti; quòd enim pro aliis fuerit non reddit illum odibilem pro hoc, alioquin deberet semper esse odibilis, neque vnquam posset ei remitti peccatum: quòd enim dicebatur ad hoc, vt odio habeatur sufficere, illud peccatum nondum cognosci esse remissum; hoc inquam non potest defendi, quia licet non cognoscatur dimissum, nondum tamen cognoscitur completum; vt autem odio habeatur eo instanti, necessum est cognosci completum pro eo ipso instanti. Si autem ideò quis dicat, in eo priori iam cognosci peccatum completum, fateri deberemus Primò, eo instanti deleri non posse tale peccatum, quia non potest quod supponitur completum in aliquo priori naturæ destrui in eodẽ instanti reali, vt sæpè diximus. Sequetur Secundò, non posse Deum non odio habere illum hominem, quia iuxta nostram sententiam Deus est necessitatus ad odio habendum hominem, in quo videt peccatum; vnde idem est Deum posse illum odio habere, & ad id teneri.

21

Fortè alicui videri posset hæc difficultas communis omni sententiæ; priùs enim quàm dicat Deus, *Condono peccatum*, vel supponitur esse iam peccatum, vel non: si supponitur, ergo non potest in eo instanti reali destrui, vt immediatè antè diximus; quia nihil potest destrui in aliquo instanti reali, si in eo supponebatur priùs natura existens: quòd si nondum supponebatur existens, quomodo ergo Deus erat potens ad odio habendum hominem illum & ad non condonandum peccatum; Adhuc tamen hæc difficultas longè maior est in nostra sentẽtia de voluntate condonatiua, quam dicimus consistere in voluntate non odio habendi; nam si ea condonatio explicetur per aliam volũtatem, dici optimè potest, Deum in instanti B.v.g. antequam concipiatur potens odio habere aut non habere hunc hominem, concipi potentem ad condonandum peccatum vel non condonandum; ad hoc autem non requiri vt illud peccatum tunc sit, sed quod fuerit, & nondum per condonationem fuerit remissum, vti ad hoc vt Deus in hoc instanti sit liber ad destruendam vel conseruandam albedinem (idémque est de quacunque alia forma) non requiritur in priori naturæ esse illam formam, aut illius carentiam, sed sufficit illam fuisse in instanti præcedenti, & adhuc nec concipi destructam neque è contrario productam. Quod si Deus se determinet ad non condonandum, iam eo ipso concipietur peccatum durans; & secundo eo signo Deus erit potens odio habere eum hominem. Hæc duo signa, vnum priùs ad condonandum, antequam videatur positiuè durans peccatum, & alterum ad odio habendum post non-cõdonationem, dicimus iuxta nostra principia, quòd idem sit condonare, & odio eum nolle prosequi, non posse habere locum; ideóque obiectio prima facta habet in nostris principiis difficultatem, quam in aliis non patitur.

22

Hæc difficultas non ita vrget alias sententias.

Igitur

Solvitur tamen: Antequam Deus possit peccatorem odisse, debet priùs se reflexè determinare ad nolendam carentiam odij.

Igitur censeo in hac nostra sententia debere ita responderi, vt Deus antequam concipiatur potens habere odio, se determinet reflexè ad nolendam carentiam odij; eo autem ipso iam intelligitur peccatum durans, & homo constitutus in ratione obiecti capacis odij: ac proinde Deus iam erit proximè potens, imò & necessitatus ad odio illum habendum. Quòd verò Deus debeat se determinare ad non volendam carentiam odij antequam se ipsa sit potens odio habere, non est vllum inconueniens: nam (vt paulò ante dixi) in omnium sententia, etiam antequam odio habeat, debet se determinare ad non condonãdum, alioquin non posset agnoscere hominem proximè capacem odij: illam autem determinationem ad non condonandum, quam alij aliter explicant, ego dico esse per voluntatem reflexam dicentem, Nolo velle omissionem odij.

SVBSECTIO SECVNDA.

Replica contra dicta soluitur.

Replica: Prius debet esse peccatum, quàm Deus possit nolle carentiam odij.

23 REplicabis: Vt possit Deus dicere, Nolo imperare carentiam odij, debet iam videre eum hominem dignum odio, quomodo enim si nondum nosci, vtrùm ille sit dignus odio, potest nolle habere voluntatem cessandi ab odio? Confirmatur; nam vt dicat, Nolo velle omissionem odij, debet noscere, posse se habere odium; vt autem hoc noscat, debet iam noscere hominem esse in peccato; ergo de primo ad vltimum debebit ante eam volitionem iam agnoscere peccatum habituale in hoc homine; hoc autem repugnat omnino iuxta suprà dicta aliàs non posset tunc remitti illud peccatum. Respondeo, Eamdem vim habere hanc replicam contra omnes; nam antequam Deus dicat, *Nolo condonare*, seu, *Volo retinere peccatum*, videtur etiam eodem modo debere præuidere, posse se retinere odium in illum hominem; ergo iam debet illum vt odio dignum agnoscere; alioquin quomodo potest noscere esse sibi liberam continuationem odij? si autem illum agnoscit vt dignum odio, ergo vt peccatorem. Respondeo ergo vniuersaliter, Eo priori, quo dicere potest Deus, *Nolo velle cessare ab odio*, ipsum non agnoscere hominem proximè capacem odij pro eo signo; quia vti nolle ab odio cessare non est propriè odio habere; ita non requiritur vt pro eo signo sit iam homo dignus odio, sed vt pro signo sequenti, pro quo quasi imperatur odium, agnoscat fore illum hominẽ capacem eius odij. Hoc autem haud dubiè agnoscit Deus tunc, quia scit, eo ipso quòd per hanc nolitionem impediat condonationem, durabit peccatum, ac proinde homo hic erit capax odij. Quòd in replicæ confirmatione dicebatur, ad hoc vt Deus dicat, *Nolo cessare ab odio*, necessariò requiri vt cognoscat se habere posse odium, ad hoc autem rursus iam debere nosci peccatum, Respondeo iuxta dicta, Ad eam nolitionem non requiri vt pro eo priori cognoscatur Deus iam capax odio habendi hominem; quia tunc Deus non concipitur proximè potens ad odium, sed ad imperandum illius volitionem vel nolitionem; sufficit ergo si pro sequenti instanti naturæ, pro quo imperatur ipsum odium, seu cessatio ab illo, videat Deus hominem fore obiectum sufficiens illius odij: quando enim impero aliquem actum non est necessum, vt tunc iam existat obiectum eius actus imperati, sed sufficit, si eo tempore, aut eo signo quo actus imperatus erit, videatur etiam futurum obiectum illius. Cum ergo Deus sciat tunc eo ipso quòd nolit condonare, durabit peccatum, & eo ipso homo erit dignus odio: sine dubio potest dicere tunc etiam expresse, *Nolo pro eo signo futuro imperare cessationem odij.*

Hæc replica contra omnes:

Soluitur. Eo priori non videt Deus hominem proximè capacem odij.

24

Quando impero aliquem actũ sufficit, si eo tempore vel signo vt deum futurũ obiectum actus imperati.

Respondetur Secundò toti huic secundæ obiectioni.

Respondeo secundò potest toti argumento, Hoc, quod est dicere, *Nolo condonare*, seu *Nolo velle carentiam odij*, totum quantum posse haberi, etiamsi adhuc nihil noscatur de futuro peccato in signo sequenti: nam ea volitio non dicit, *Volo odio habere*: ad quod fortè deberet cognosci futurum peccatum: sed purè putè dicit, *Non volo reflexè velle odij carentiam*; cum quo stat benè, eam carentiam, etiam reflexè non reiiciatur, re ipsa tamen dari: quia potest quis non odio habere etiamsi non dixerit reflexè, *Non volo nolle odio habere*: nam dicere, *Nolo reflexe imperare amorem aut eius carentiam*, stat optimè cum hoc, quod est in actu exercito habere amorem aut illius carentiam: ergo in illa voluntate reflexa non condonandi nihil Deus dicit de positiuo odio futuro, sed purè putè quòd nolit se impedire reflexè ad illud odium, si aliunde habuerit, vt sic dicam, occasionem illius: posita autem hac voluntate se non impediendi, dicimus peccatum, quod pro præcedenti instanti fuerat, per hanc nolitionem impedimenti constitui formaliter in ratione durantis pro hoc instanti, & eo ipso facere Deo facultatem, imò etiam cogere illum ad habendum odio eum peccatorem.

25 Hæc tamen vltima solutio videtur inde habere difficultatem, quòd cùm respectu Dei pura omissio non habeat locum (vt alibi sæpè diximus) eo ipso quòd Deus dicat, Nolo habere volitionem reflexam carentiæ odij, iam eo ipso dicit, volo odio habere: ergo iam eo ipso se determinat ad odium. Imò hinc oritur difficultas grauis contra dicta in prioribus solutionibus: nam Deum dicere, *Non volo imperare carentiam odij*, & dicere, *Volo odio habere*, videntur esse synonyma: ergo quando agnoscit ius in se ad dicendum *Non volo imperare carentiam odij*, iam agnoscit se posse odio habere, & consequenter iam debet agnoscere ex parte illius hominis capacitatem vt odio habeatur. Quòd verò dicebatur, Deum eo signo cognoscere se futurum in sequenti signo capacem ad odio habendum, videtur repugnare in terminis; nam signa rationis, quæ in vno instanti reali ponimus, sunt signa independentiæ: vnde non possumus dicere, ea quæ sunt in secũdo cognosci quasi de futuro in primo: in signis enim rationis nulla est futuritio: ergo Deus non potest imperare pro signo secundo nolitionem omissionis odij, si in eo primo signo nondum videt peccatum; vel si potest imperare, iam agnoscit peccatum; ideoque redibit tota ea secunda difficultas suprà tacta.

Respondeo ad primam partem obiectionis, Eã manifestè ostendi, non posse absolutè sustineri solutionem eam, quam secundo loco immediatè antè adhibui, ideoque standum primæ. Ad secundam partem obiectionis, quatenus impugnat etiam solutionem primam dico; Etiamsi per eam volitionem se determinet Deus ad odio habendum, & idem sit dicere, Non volo imperare carentiam odij, ac dicere, Volo odio habere, non tamen consequi inde vllo modo, Deum eo signo, quo concipitur potens id dicere, debere cõcipi

cipi potentem odio habere proximè; quia determinare se ad odium deinde habendum, non est odium habere; ergo ad eam determinationem non requiritur idem quod ad odium ipsum; sufficit ergo Deum tunc noscere hæc; *Esto adhuc Petrus non sit integrè dignus odio, si tamen habuero hanc volitionem reflexam, qua est non condonatio, eo ipso erit dignus odio*: data enim hac cognitione potest optimè dicere, *Non condono*, 26 seu, *Volo non imperare carentiam odij*, & virtualiter, *Volo deinde odio habere*. Neque est ibi vlla signorum confusio, prout in obiectione dicebatur; nam ea illatio dignitatis odij est necessaria, sicut calefactio ex igne approximato; seu sicut ex agentibus aliis necessariis sequitur necessario effectus in secundo signo. Nam ex eo quòd Deus non velit remittere peccatum, seu velit non imperare carentiam odij, necessariò sequitur fore illum hominem peccatorem habitualem, ac proinde dignum odio; ergo sine vlla confusione signorum rem totam explicamus. Nec facimus in priori signo eam futuritionem secundi, quam alibi diximus repugnare; ea enim repugnantia solùm habet locum in rebus liberis: in priori enim, quo concipio hominem potentem amare, aut non amare, non concipio adhuc amorem vel illius carentiam futuram, quia neutrum est cum eo principio coniunctum, & neutrum est causa sui; quando autem vna res est naturaliter connexa cum altera, benè potest in priori naturæ dici, *Si hæc sit, illa sequetur deinde*; ergo stante cognitione illius illationis benè potest Deus nolle remittere peccatum, seu nolle velle carentiam illius, & ibi virtualiter se determinare, vt in tertio signo odio habeat, pro quo iam videt, si ponat eam volitionem, fore hominem dignissimum odio.

Obiectio tertia: Quod sit obiectum condonationis humanæ.

Tertia difficultas contra eam doctrinam est Nam saltem inter homines potest quis nolle alterum odio habere actu, & tamen iniuriam ei non condonare; tunc autem debebimus explicare, quod sit obiectum voluntatis condonantis: quòd si semel hoc voluerimus in humanis explicare, poterimus id ipsum trãsferre ad Deum Respondeo Primò, Me non teneri nunc nisi diuinæ condonationis obiectum explicare, siue posteà in creaturis maneat difficultas, siue non; disparitatem autem posse me facilè assignare ex eo, quòd homo & Angelus non teneatur necessariò habere odio suum hostem: & verò de facto quandocumque homo vel dormit, vel est distractus, re ipsa illum odio non habet: ac proinde non mirum, quòd in humanis velle actu odio non habere, non sit condonatio offensæ sicut in Deo, qui, vt diximus, non potest non odio habere peccatorem, non tamquia est ipsius Dei inimicus, quàm quia eo ipso est moraliter malus, iniustus, impius, &c. Deus autem, qui est summa & infinita sanctitas, necessariò sibi displicet in impietate: *mundi enim sunt oculi eius*, neque possunt non auerti ab impietate: hinc autem clarè colligitur, eo ipso quòd amplius nolit sibi in eo homine displicere, tollere re ipsa illam maculam, seu illam condonare: hoc autem non habet creatura. Quòd si ex hac disparitate remanet adhuc explicandum obiectum creaturæ condonantis iniuriam, id ad me iam non pertinet, quia hic de solo Deo disputo.

27 *Respondetur, Id huc non pertinet.*

Habacuc. 1.

Respondetur Secundò absolutè,

Respondeo tamen absolutè, Vix posse intelligi etiam in ipsis creaturis, quòd dicat aliquis hosti aut inimico suo; *Ego te nullo vnquam tempore volo odio habere*; & quòd tamen eo ipso non condonet illi iniuriam; sicuti dix suprà, vix posse concipi quòd aliquis dicat, *Ego te in nullo vnquam casu puniam*, & quòd non eo ipso remittat ei pœnam absolutè. Quidquid verò de hoc puncto sit,

28 *Respondetur Tertiò: Homines condonando concipiunt se aliquod ius resultans destruere, quod nõ potest dici de Deo.*

Respondeo Tertiò, In hominibus facilius posse nos assignare illud obiectum condonat onis quàm in Deo: etenim homines sine fingendo, siue impropriè res concipiendo, semper apprehendunt ius ad rem aliquam per modum cuiusdam entis realis, non amplius distinguentes quid illud sit, & quales partes habeat; ac proinde facilè, dum volunt illud ius destruere, aut è contrario volunt illud manere, re ipsa per illam voluntatem inducunt aut destruunt formaliter illud. In Deo autem, qui distinctissimè nosci obiectum sui actus & partes illius, non possumus ponere voluntatem vllam confusam ad illud ius, ideò debemus magis reale obiectum quærere distinctumque ab ipsa volitione Dei; ac proinde debemus recurrere ad carentiam illam omnimodam odij, ad quam non cogimur in creatura: vti enim quando cognoscimus Angelum v.g. cognoscimus illum per modum iuuenis formosi, alati, &c. licet re ipsa talis non sit; Deo autem talem cognitionem non possumus tribuere; ita in præsenti dico hominem valdè confusè & imperfectè concipere illud ens; sicut quando concipit hominem, ignorans tamen eius definitionem, ac proinde fortasse re ipsa se reflectit in confuso supra illam ipsammet voluntatem suam simul apprehendendo aliquid fictum, illam scilicet potestatem per modum entis realis sine vlla vlteriori distinctione.

SVBSECTIO TERTIA

Alij duo modi explicandi idem obiectum condonationis.

SEcundò docui ea disput. 2. Tomo 4 n. 40. Si sola ea carentia odij non sufficit, addi posse pro obiecto iudicium quoddam dicens; *Hic homo mihi iam nihil debet*; ita vt condonatio dicat duo hæc, Nolo te ampliùs odio habere, &, Volo te iudicare ac si me nunquam offendisses: offendi autem ibi, quomodo hoc posset dici sine vlla reflexione tam ex parte voluntatis supra se quàm ex parte iudicij. Et videtur sanè ea explicatio maximè iuxta sensum hominum, qui dum condonant culpam, aut pecuniarium debitum, dicere solent; Iam ego te in posterum iudicabo perinde ac si me numquam offendisses, aut mihi numquam quidquam debuisses.

29 *Præter illam carentiam odij potest pro obiecto condonationis assignari quoddã iudicium dicens Hic homo mihi iã nihil debet.*

Potest etiam condonatio diuina explicari per specialem effectũ huius naturæ.

Tertiam solutionem addidi desumptam ex actuum voluntatis diuersitate: vti enim circa idem omnino obiectum datur volitio efficax differens ex natura sua ab inefficaci, dari præterea potest inter inefficaces vna purè putè complacens sibi in obiecto, illud non desiderans, alia verò vltra complacentiam addens desiderium: quas differentias nos non possumus magis explicare, sed debemus id in naturam actuum illorum experientiia cognitorum refundere; ita dixi, experientia nobis esse cognitam vnam speciem actus, qui natura sua vt ex speciali modo, quo respicit obiectum, v.g. carentiam odij, aut productionem alicuius rei, si supponatur in persona

sona illum habente sufficiens auctoritas, sit verum mandatum, aut condonatio inutiæ, ideoque inducat veram obligationem. Quæ doctrina etiam ad votum, &c. transferri debet. Varias autem obiectiones contra illum ibi discussi, quas propterea nunc omitto.

Tandem docui ibidem, vt sufficienter declaretur obiectum condonationis diuinæ, non requiri vt totum obiectum illius actus sit distinctum ab ipsomet actu; quia non repugnat reflexio inadæquata alicuius actus supra se: id quod sæpe variis in locis ostendi. Posita autem hac doctrina dici potest vlteriùs, Actum condonationum Dei habere pro obiecto & carentiam odij, & simul repugnantiam ad illud idem odium resumendum, esto ea repugnatia sit desumpta inadæquatè ex ipso actu. Admitti autem posse in actibus aliquibus voluntatis eam reflexionem est communis Theologorum & Philosophorum sensus, adeò vt aliqui putêt omnes omnino actus nostros habere eam reflexionem quam opinionem sæpè insinuat Patet Suarez: quidquid autem sit, an omnibus conueniat certè id negari nõ debet vniuersaliter esse possibile in creatis, multò autem minùs in actibus diuinis, vt statim magis declarabo. Ex hoc ergo capite, si possimus inuenire vnum obiectum saltem partiale distinctum ab ipsa volitione condonatiua, per quod explicemus eam condonationem, puto nos satis clarè & distinctè discursuros.

30 *Non repugnat reflexio inadæquata actuum supra se.*

Videamus quid contra hanc doctrinam communem de reflexione inadæquata obiiciat Cardinalis Lugo ea sect. 9. n. 136. ait ergo; Vel ea condonatio diuina seipsam habens pro inadæquato obiecto respicit se vt existentem; & vt sic magis erit gaudium de condonation quàm positio condonationis. Deinde si præcedit cognitio sui ipsius vt existentis, eo ipso volitio præcedit seipsam; priùs enim natura est rem existere, quàm videri existentem; ergo ea volitio erit prior quàm scientia sui; cumque scientia (vt supponimus) sit etiam prior volitione, à fortiori illa volitio erit prior seipsa: quod omnino repugnat. Deinde sequeretur, eo ipso eam condonationem non fore Deo liberam; quod est absurdum: sequela patet, quia actus ille non est liber, quia præsupponit aliquid necessario connexum cum eiusdem actus existentia: id quod vt omnino certum ex materia de Libertate suppono. Atqui cognitio Diuina affirmans extitutam volitionem habet connexionem cum ipsa volitione, quia omnis cognitio Diuina est essentialiter vera, ac proindè habitura necessariò obiectum pro instanti, pro quo illud affirmat; ergo daretur aliquid prius natura connexum cum ea volitione, ac proinde tolleretur illius libertas Quòd si ideò dicitur condonationem ferri ad seipsam vt purè possibilem, sicut voluntas efficax fertur ad suum obiectum; hoc etiam est valdè durum, quia omnis voluntas efficax habet influxum saltem improprium respectu obiecti; nihil autem potest habere influxum in id à quo nec ratione distinguitur.

Obiectio Cardinalis Lugo contra reflexionem inadæquatã:

31 *Quòd ea condonatio non foret libera:*

Quod volitio efficax habeat aliquem influxum respectu obiecti:

Quòd si respondeas, Voluntatem necessariam, qua Deus seipsum amat, habere etiam seipsam pro obiecto partiali, & hocidem posse dici in condonatione libera; negat paritatem, quia volitionem necessariam potest præcedere cognitio intuitiua ipsius vt existentis pro instanti saltem sequenti, sicut præcedit in Patre æterno cognitio ipsius Verbi producendi pro instanti seu signo sequenti;; hoc autem repugnat volitioni liberæ; nam inconueniens solum esse potest, quòd destruatur libertas per illud iudicium (vt paulò antè diximus;) hoc autem ibi nullum est, quia iam supponitur ea volitio necessaria; & hinc sumitur discrimen in ordine ad volitionem liberam, quia ad hanc, vt dictum est, ratione libertatis repugnat cognitionem requisitam de ipsa eam repræsentare vt existentem; non ergo valet argumentum illud: Amor necessarius Dei potest esse reflexus per modum gaudij supra se; ergo etiam poterit & liber.

32 *Soluitur: Posse volitionem liberam Dei, imò necessariò debere esse reflexã inadæquatè supra se.*

Nihilominùs censeo non esse recedendum à posita suprà doctrina: iudico enim volitionem etiam liberam Dei esse posse reflexam inadæquatè supra se; imò de facto id necessariò dicendum, Nam Deo (vt communiter Theologi docent) non solùm est libera sua volitio in actu exercito, sed etiam in actu signato; id est, non solùm liberè amat, sed etiam liberè vult amare, ita vt amor & sit volitus, & sit volitio. Cuius rei ea est ratio, quia hoc modo perfectiùs explicatur voluntarium Dei in suis actibus. Deinde sic idem vrgetur Ille amor liber est Dei obiectum bonum & sufficiens ad terminandum vt quod amorem Dei, cùm Deus illum reflexe cognoscat ergo etiam illum Deus amat. Patet consequentia, quia Deus non potest se pure omissiuè habere circa obiecta cognita; imò hic Auctor neque id in homine admittit; negat enim puram omissionem liberam; ergo Deus debet vel velle illum amorem, vel respuere; respuere autem non potest, quandoquidem voluntariè illum habet; ergo illum amat. Hoc certum. Vlteriùs; Non amat illum amorem per alium nec ratione distinctum, ergo per ipsum; ergo ille est reflexus supra seipsum Vtraque consequentia bona est; antecedens probatur clare, quia si illum amaret per alium amorem distinctum, de illo distincto facerem idem argumentum, & probarem illum etiam debere amari ob rationem immediatè antè factam; ergo vel per ipsum, & sic habeo intentum, scilicet illum secundum amorem esse reflexum supra se, & directum supra primum; quod autem dicitur de secundo, posset dici de primo. Si verò dicatur etiam secundum amari per alium tertium distinctum, de illo rursus redibit idem argumentum; & sic in infinitum debebimus concedere in Deo infinitos actus liberos ratione nostra distinctos, reflexos supra se, secundum supra primum, &c. quod ex ipsis terminis apparet falsum: & hi idem Auctores meritò hoc in alia occasione negant in Deo, quia ex tali processu infinito sequeretur esse vnum actũ ratione nostra, qui à Deo nullo modo cognosceretur, & amaretur: quod omnino falsum est: de quo processu in infinitum, si actus illi ratione nostra supra se reflexi admittantur, fusiùs egi Tom. 1. in materia de Visione Dei: vide ibi dicta.

Debet ergo necessariò concedi, posse aliquem actum liberum Dei habere seipsum pro obiecto inadæquato: in eo autem infringitur totum argumentum suprà contra nos positum.

Responderi fortè posset, Non sequi istum processum infinitum, etiamsi prima volitio libera Dei non posset esse reflexa supra seipsam, sed indigeat secunda: nam illa secunda non indigebit alia tertia, sed per se poterit esse supra se reflexa: nec ex hac valere argumentũ ad primam;

33 *Responsio ad nostram solutionem.*

nam prima est libera, vnde non potest iuxta suprà dicta ad ipsam præcedere cognitio de ipsius existentia, ne tollatur illi libertas; at secunda, quia non est formaliter libera, sed necessaria (nam eo ipso quod Deus v.g. velit creare Petrum, necessariò sibi complacet in ea volitione) potest habere ante se cognitionem aliquam connexam cũ ipsius existentia, ideoq; poterit esse gaudium de seipsa. Sed contra, quia licet Deus in genere suppositâ voluntate creandi Petrum debeat in illa voluntate sibi complacere, tamen hoc potest facere per hanc vel illam complacentiam ex diuersis motiuis, vel ex diuerso modo amandi illum; ergo amare illum hoc potiùs modo quàm illo est liberum Deo, etiam suppositâ existentia primæ voluntatis; ergo ex hac parte non minùs repugnat secundam esse reflexam supra se quàm primam, quandoquidem vtraque formaliter est libera; ergo vel debet admitti processus infinitus, vel volitio libera supra se reflexa. Absolutè ad argumentum respondeo, Non esse de essentia actus efficacis habere causalitatem aut quasi causalitatem in suum obiectum; si enim hoc requireretur, non posset Deus nec per actum rationis nostra distinctum velle efficaciter actum proprium; quia distinctio solius rationis non sufficit ad causalitatem aut quasi causalitatem. Debet ergo actus efficax cum obiecto habere quoad existentiam connexionem, id est, vt rectè inferatur, *Existit actus efficax; ergo existit eius obiectum.* Hoc autem perfectiùs reperitur, quando actus non distinguitur ab obiecto; quia rectè infertur, *Existit actus; ergo existit eius obiectum;* quandoquidem sunt idem inter se: sicut rectè infertur, *Existit homo: ergo existit animal rationale.* Secundò dico, Illam condonationem posse esse gaudium de seipsa, eo ipso quòd sit supra se reflexa; nam ad hoc vt possit esse gaudium sui, non requiritur priùs natura cognitio de seipsa vt iam existente, sicut hi obijciunt; sed sufficit cognitio, quæ sic dicat; *Si extiterit volitio creandi mundum, illa erit reflexa etiam supra se*: hoc enim supposito habet Deus sufficientem cognitionem præuiam, vt possit se determinare ad eam volitionem; quæ, eo ipso quòd existat, erit gaudium de seipsa: aliunde autem ex prædicta cognitione non infertur vlla necessitas in eo actu, quia nihil præcedit ipsum, quod habeat connexionem absolutam cum illo vt futuro; ergo.

Reijcitur.

Solutio secunda obiectionis à Lugo facta suprà: Non est opus vt actus efficax habeat vllam causalitatem in suum obiectum.

34 *Alia eiusdem obiectionis solutio. Condonatio potest esse gaudium de seipsa.*

Adhuc tamen vrgebis; Nihil volitum quin præcognitum: atqui quando dicit volitio, *Placet mihi quod existam*, adhuc nulla est cognitio, quæ dicat voluntati, *Iam existit hæc volitio*; quo modo ergo poterit prorumpere Deus in volitionem dicentem, *Placet mihi mea existentia?* hoc enim idem est ac dicere, *Placet mihi quod existam*; & tamen, vt supponimus, adhuc non nouit ea voluntas se existere: quòd enim anteà nouerit, si existat volitio mundi, illa erit volitio sui, nondum voluntati dicit, *Existit illa*: stante enim tota ea cognitione conditionali potest adhuc manere in esse purè possibilis ea condonatio: vnde ergo Deus scit eam existere, vt prodeat in gaudium de existentia illius?

Replica: Nil volitum quin præcognitum.

Retorquetur, & ostenditur per difficultates in volitione non libera.

Respondeo Primò, Argumentum hoc etiam habere difficultatem, si res benè ponderetur, in volitione necessaria; nam illa etiam gaudet se existere; quis autem antequam existeret dixit voluntati, *Existit iam hæc volitio*? quod enim respõdebant hi, id dici per cognitionem antecedentem, quæ in instanti A dixerat; *Existet pro instanti B talis volitio*; vnde rectè potest voluntas in illam eamdem volitionem prorumpere dicendo, *Gaudeo me existere iam in instanti B*: hæc inquam solutio non satisfacit, quia etiam iuxta illam vix vitatur mutua prioritas: etenim illa cognitio quæ dicit, *Existit amor in instanti naturæ B*, pendet essentialiter in eo instanti reali ab ipso amore, non minùs quàm è contrario amor à cognitione in eodem instanti; cur ergo non æquè amor erit prior natura cognitione, quàm è contrario; quandoquidem prioritas naturæ necessariò debet fundari in independentia, & hæc non maior est, vt dixi, in cognitione quàm in ipso amore: quòd enim cognitio aliquando possit esse tempore prior quam obiectum, vt patet in cognitione futurarum creaturarum, quam habet Deus ab æterno, nequaquam probat posse in eodem instanti reali cognitionem esse priùs naturâ amore, si essentialiter pendeat ab eo vt ab obiecto. Ratio disparitatis est clara: nam in eodem instanti reali prioritas solùm sumitur, vt dixi, ex independentia ab eo quod est posterius, & simul ex huius dependentia ab illo: quæ duo iam ostendi non magis esse in cognitione respectu amoris, quam è contrario in amore respectu cognitionis: ergo fatendum est, vel ibi esse mutuam prioritatem, quæ certissimè repugnat, vel admittendum, posse aliquem actum voluntatis per modum gaudi esse reflexum supra se, esto non videatur iam existens, aut futurus in secundo instanti naturæ, sed simul sint & cognitio illius vt existentis & ipsius existentia. 35 *Ratio.*

Respondetur absolutè: Vt voluntati placeat existentia amoris non est opus eam existentiam iam productam præcognosci, sed tantùm possibilem.

Hinc ad argumentum dico: Vt voluntati placeat existentia amoris non esse necessarium eam existentiam præcognosci iam productam: sufficit enim si cognoscatur possibilis. Idquod optimè declaratur in mea sententia de obiecto scientiæ mediæ, visionis, ac simplicis intelligentiæ: ostendi enim idem omnino esse triũ earum scientiarum obiectum cum hac sola differentia, quòd vna dicat, *Si existat*, altera dicat *Existet* sine illa conditionali: conditio autem non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte modi illud cognoscendi. Nouerat ergo Deus totam quantam essentiam illius condonationis modo suprà dicto, *Si existat, erit bona & amabilis:* habuit ergo sufficiẽtem notitiam, vt posset prorumpere saltem per actum distinctum in complacentiam aliquam, qua diceret, *Placet mihi hæc condonatio*: ergo ratione cognitionis etiam potuit per ipsammet condonationem dicere, *Placeo ego mihi*: eo autem ipso quòd illa dicat, *Placet mihi mea existentia*, est gaudium de seipsa, quia necessariò debet existere illa ipsa existentia. Vnde ad obiectionem nego ad hoc, vt ille actus dicat, *Placet mihi mea existentia*, seu, *Placet mihi quòd existam*: quæ duo re ipsa idem sunt: (nam vò *quòd existam* non se tenet propriè ex parte obiecti: sola enim existentia est quæ terminat actum, & quæ placet:) ad hoc inquam nego esse necessarium vt priùs per cognitionem proponatur volũtati iam re ipsa dari à parte rei existentia: sufficit enim eam totam existentiam cognosci: id quod fieri optimè potest, etiamsi cognitio præuia non dicat, *Existit.* Et satis de hac conditionis reflexione inadæquata supra se, ad ostendendum quod dixi, si aliud partiale obiectum inueniatur, per quod simul cum ipsa reflexa condonatione explicari

possi

possit præsens quæstio, eam non adeò esse difficilem.

SECTIO III.

Discutitur breuiter alia eiusdem obiecti explicatio.

36

Cardinalis Lugo explicat condonationem diminam per volitionem quantum est in se efficacem, ne peccatum præteritum det amplius ius ad odium

vultque per hoc euitare reflexionem actus supra se

CARDINALIS Lugo à n. 148. ait voluntatem condonatiuam talem esse, vt Deus, quantum est ex parte sua, velit efficaciter peccatum præteritum iam ampliùs non dare ius ad odium: id quod est velle restituere hominem ad pristinum statum, quem habuit ante peccatum: nec verò ea condonatio sit reflexa supra se, dicit Deum non velle absolutè efficaciter peccatum præteritum non daro ius, quia ad hoc requireretur, vt vellet efficaciter ipsam condonationem; cuius positio est omnino necessaria, ne peccatum illud fundet ius; solùm ergo vult efficaciter, quantum est ex se, obiectum aliquod, quod verè est impossibile. Quasi diceret Deus; *Si esset possibile vt peccatum præteritum amplius non fundaret ius, ego vellem hoc libenter*: ad modum quo peccator, dum retractat peccatum, vult non quidem absolutè & efficaciter, vt non fuerit peccatum; hoc enim est impossibile; sed id vult quantum est in se, id est sub hac conditione; *Si esset possibile vt non fuisset peccatum illud, ego id efficerem* neque hic modus volendi Deo est impossibilis velle enim impossibile, sub conditione quod esset possibile, non dicit imperfectionem. Deinde non repugnat apprehendere rem impossibilem, cognoscendo tamen esse impossibilem, & id affirmando, imò hoc modo cognoscit Deus similes has veritates; *Angelus per suam essentiam non potest esse lapis: homo non potest per essentiam esse Deus.* Item; *Homo non animal rationale est chimæricum & repugnans.* Hæc ergo voluntas licet in ratione volitionis non sit efficax absolutè, est tamen formaliter efficax; quatenus per seipsam formaliter tollit peccatum habituale, quod consisteret in carentia huius voluntatis. Sicut volitio efficax quâ decerem, *Si haberem occasionem, occiderem meum hostem*; licet in ratione volitionis non sit efficax absolutè, in ratione tamen peccati est efficax, id est, ponitur peccatum per ipsam, quia ipsa est peccatum. Hæc ille; quæ in re tam difficili sunt ingeniosè excogitata.

37

Examinatur doctrina Lugo:

Concedo libenter modum volendi obiectum impossibile sub ea conditione, si non repugnaret, posse Deo conuenire; & eum posse ens rationis cognoscere non quidem vt verum, sed vt fictum: ideoque non puto repugnare prædictam voluntatem in Deo ex hoc capite: adhuc tamen ex duplici alio sentio hîc magnam difficultatem: Primò, quia vix potest saluari, quomodo ea voluntas non non sit reflexa supra se: etenim ius ad odium non fundatur à solo peccato præterito: hoc n. manet etiam post cõdonationem, quando iam non fundatur ius: fundatur ergo hoc à peccato præterito cum carentia condonationis: ergo quando Deus vult illud obiectum impossibile, scilicet non fundationem iuris, non vult præcisè, vt à sola præteritione peccati non fundetur ius: hoc enim non est impossibile, imò est necessariò existens, quia sola præteritio peccati diui Petri & diui Pauli non fundat, & verò neque potest fundare ius: ergo vult vt illud ius non fundetur ex eo fundamento, ex quo re ipsa fundatur, id est ex peccato præterito, & ex carentia condonationis. Quasi diceret Deus: *Si esset possibile, vt ex peccato commisso, & non condonato, non resultaret ius ad odium, ego hoc vellem.* Tunc vterius: Hæc voluntas, quâ hoc vult Deus, est ipsa condonatio: ergo illa dicit hoc modo: *Vellem vt peccatum commissum adhuc me re ipsa non existente* (hoc enim tonat illud *non existente condonatione*) *non fundaret ius*; ergo iam illa volitio habet seipsam pro obiecto quandoquidem vult vt adhuc ipsa non existente non fundetur ius: eam autem reflexionem maximè volunt vitare hi Auctores.

Quæ non euitat reflexionem actus supra se.

38

Responsio quadam:

Reiicitur.

Respondeti fortè potest pro ea sententia, Deum nihil dicendo de ipsa condonatione hoc velle: *Cuperem, quantum est ex me, vt peccatum præteritum nullam omnino haberet vim nec inadæquatam fundandi ius ad odium.* Contrà tamen, quia quando Deus dicit *nec inadæquatam*, facere videtur distinctionem inter alteram partem, cum qua peccatum fundat illud ius: ac proinde semper sit reflexio supra ipsam condonationem, quia fit supra illius carentiam: quod, vt dixi, vitare maximè hic Auctor vult.

Secundò oppugnatur doctrina Lugo.

Secundò principaliter impugno eam solutionem, quia nullo modo Deus, dum condonat, vult vt peccatum, quantum est ex se, non habeat vim fundandi ius: quia id esset velle, vt Deus non haberet vllam occasionem remittendi peccatum. Deus ergo potiùs gaudet, quòd peccatum habet eam vim, vt misericordiam suam possit ostendere: quam non potuisset exercere, si peccatum vim hanc non haberet, potiùs ergo dicit: *Gaudeo quod peccatum talem vim habeat, vt ego etiam habeam quod condonem, vti de facto condono, ac proinde ego contra ipsam exigentiam peccati volo vt non fundetur hîc & nunc illud ius, quod peccatum potest fundare.* Certè hæc est quasi connaturalissima descriptio eius voluntatis condonatiuæ, vbi necessariò videtur fieri illa reflexio supra ipsam carentiam condonationis.

Tertiò oppugnatur eadem doctrina, quia tale non affluit habet Deus respectu omnium peccatorum

Tertiò impugno eam opinionem, quia non sufficit illa volitio ad remissionem peccati: nam quòd Deus velit, quantum est ex se efficaciter, vt ampliùs non fundetur ius ex peccato, non est cessio iuris: sicut quòd velit Deus, quantum est ex se vt homo non peccet, seu non peccauerit, & consequenter vt non fuerit nec sit ius cõtra peccatorem, non est formaliter condonatio peccati: nam respectu omnium peccatorum habet Deus hanc voluntatem, quantum est ex se, efficacem. Id est: *Si per me solum staret, non fuisset peccatum illud*: & tamen non ideò condonat Deus omnia peccata.

39

Responsio pro Lugo ad hoc tertium oppugnatum

Posses respondere, Discrimen magnum esse inter has duas voluntates: nam illa prior vult, vt etiamex suppositione, quòd fuerit peccatum, non resultet ius: hoc autem propriè est condonare peccatum. At secunda voluntas vniuersalis, qua Deus vult, quantum est ex se, vt non sit aut fuerit peccatum, solùm est quasi impeditiua peccati quantum ad primum esse, non autem condonatiua ex suppositione, quòd illud fuerit: vnde illa stante potest Deus habere simul voluntatem ex suppositione, quòd iam fuerit peccatum, nolle illud condonare: id quod non co-

si consideremus illud peccatum vt offensam Dei, præscindendo per impossibile à ratione malitiæ & deformitatis moralis, posset Deus fortè iure in odium cedere, seu remittere suam offensam, etiam dum hæc existit; quia tamen in peccato est malitia moralis, & per illud homo redditur moraliter deformis, impius, maculatus, moraliter non potest non Deus infinitè Sanctus necessariò displicere sibi in ea deformitate, & in eo homine deformi. Et sanè maior est ille conceptus sanctitatis, in quo includitur necessitas ad displicendum in malitia morali, quàm si ea necessitate careret; ergo Deus infinitè Sanctus necessitatus est ad simile odium; ac proinde non poterit non odio habere peccatum pro eo instanti, quo hoc existit.

DISPVTATIO XIV.

De Pœnitentia pro remissione venialis.

QVIA difficultatem hanc ferè ex integro tractaui Tomo 4. disput. 47. agens de gratia sanctificante, vt comparata cum remissione venialis, & Tom 5. disputans, Vtrùm contritio sit adæquata satisfactio pro mortali; eadem enim via discussi, An saltem sit adæquata pro veniali; ideò in præsenti citrò me ab hac quæstione expediam: insinuabo breuissimè quæ ibi tradidi, & vnum vel alterum punctum addam, quod ibi minùs explicui; vt quidquid pro præsenti materia de Pœnitentia tam pro mortali quàm veniali considerari potest, hic possit facilè reperiri. 1

SECTIO I.

Proponitur difficultas materiæ, & variæ sententiæ

ADVERTO autem hanc materiam esse valdè dubiam, quia cùm venialia non opponantur gratiæ sanctificanti, vti opponuntur mortalia, non possumus habere certum fundamentum, ex quo circa illorum remissionem discurramus. Deinde, cùm venialium remissio sit minoris momenti quàm mortalium, longè fuere Concilia minùs solicita de explicando modo, quo illa remittuntur, quàm de remissione mortalium; vnde solùm definierunt, in vniuersum posse venialia per confessionem remitti, esseque alios varios & diuersos modos, quibus etiam possunt tolli, adeoque non esse obligationem ea subiiciendi clauibus Ecclesiæ; qui autem sint illi modi nequaquam declararunt; vnde factum est, vt Doctores valdè in hoc puncto inter se dissideant; quidam enim etiam per dolorem naturalem putant ea posse tolli, alij per quamcumque infusionem gratiæ, etiamsi non adsit detestatio illorum, dummodò non sit actualis complacentia in illis; alij per quemcumque actum bonum supernaturalem; alij per quamcumque attritionem; alij è contrario non nisi per contritionem aut per attritionem coniunctam cum Sacramento Pœnitentiæ; alij verò etiam per attritionem & alia Sacramenta: & quod grauius est, ipse D. Thomas valdè obscurè loquitur quæst. 87. art. 1, 2. & 3. vbi non videtur satis consequenter discurrere; ait enim pro venialis remissione non esse necessariam gratiæ infusionem, sed sufficere actum aliquem, etiam per quem gratiæ infusio non obtineatur. Quæ doctrina est valdè difficilis, cùm venialia non remittantur, nisi vel quando homo gratiam remissiuam mortalis simul accipit, vel certè quando iam constitutus in gratia efficit illud opus bonum, de quo D. Thomas loquitur: omne autem opus bonum supernaturale (imò in multorum sententia etiam naturale) factum in gratia est meritorium augmenti illius, vt aliunde suppono; quomodo ergo Sanctus Doctor ait sufficere pro remissione venialium actum, qui non sufficiat pro merèdo augmento gratiæ & gloriæ; Docet etiam idem Sanctus Doctor art. 2. expressè, venialia non tolli per infusionem gratiæ habitualis; nam licet admittat aliquando remitti veniale, quando infunditur gratia habitualis; expressè tamen docet tunc non correspondere illam remissionem infusioni gratiæ, sed actui, quem de nouo elicit homo illensita in responsione ad 1. posteà verò a. 3. planè videtur docere contrarium; ait enim tripliciter remitti peccata venialia; primo modo in quantum infunditur gratia habitualis; quo pacto dicit ea per omnia Sacramenta remitti: ne autem videretur id docere eo modo, quo diximus paulò antè, vt remittatur tunc veniale non ratione gratiæ, sed ratione actus alicuius boni, qui tunc fiat, addit secundum modum, scilicet remitti etiam ratione actus alicuius boni, qui in infusione gratiæ solet excitari. Ecce iam & ratione gratiæ & ratione actus docet fieri venialium remissionem; quod priùs negauerat. Neque euacuatur difficultas, eò quòd hoc ipso art. 3 expressè dicat, ad remissionem venialis non requiri infusionem gratiæ habitualis: aliud enim est non requiri infusionem, aliud verò eam non sufficere; tantùm ergo in præsenti asserit non requiri; sufficere verò expressè tradit dum eos tres modos remissionis ponit, quod videbatur negasse eo articulo 2. Sufficiat nobis ostendisse materiam hanc valde esse dubiam, ne quærantur rationes concludentes in iis quæ dicturi sumus.

Venialia non opponuntur gratiæ sanctificanti.

Concilia Patrū loquuntur de remissione venialiū.

Diuersi sensus Doctorū.

D. Thomas in hoc puncto obscurus.

SECTIO II.

Veniale non remittitur nisi per actum supernaturalem & augmentum gratiæ.

PRIMÒ docui citatis locis, veniale numquam de facto remitti, nisi simul infundatur gratia habitualis; quia numquam remittitur veniale homini in mortali existenti, neque inò, nisi efficiat aliquē actum bonū, quo eo ipso mereatur augmentum gratiæ, vel suscipiat debitè aliquod 2

Veniale numquam de facto remittitur, quin simul infundatur gratia.

aliquod Sacramentum; quo casu etiam ei augebitur gratia habitualis. Duo in hac doctrina cõtinentur; vnum est actus naturales non esse sufficientes ad remissionem venialis: alterum, de facto non remitti veniale nisi per augmentum gratiæ habitualis. In primo puncto etsi contrarius nobis videatur D. Thomas, vt paulò antè notaui, est tamen pro nobis. Alij verò, quos refert Suarez disp. 11. sect. 1. qui dicunt, per actum naturalem ei veniali oppositum posse illud deleri, clarè nobis aduersantur; vt Durandus in 4. dist. 16. q. 2. & dist. 2. q. 1. alij autem vt Gabriel Maior, & Nominales, ea distinctione 16. (in quod etiam propendet Scotus distinctione 21.) dicũt; sustinendo debitam pœnam veniale illud remitti, quia non relinquit post se nisi reatum pœnæ, qui sine dubio tollitur sufferendo debitam pœnam. Nihilominùs nostra conclusio quoad eam primam partem est omnium aliorum Auctorum; & videtur valdè certa ex principiis quæ tradidimus Tomo 3. agentes de peccatis; ibi enim diximus veniale etiam esse Dei offensam, licet leuem, & relinquere post se maculam habitualem leuem, distinctam à reatu pœnæ. Id quod in præsenti materia est mihi ferè euidens ex sensu totius Ecclesiæ & Tridentini; supponũt enim omnes veniale remitti quoad culpam per absolutionem Sacramentalem; & tamen adhuc supponunt manere reatum pœnæ alicuius: vnde totius Ecclesiæ recepta praxis (in qua sine errore dici non potest Ecclesiam errare) imponit pœnitentiam, etiamsi homo de solis venialibus fuerit confessus; ergo omnes illi supponunt, post remissam totam culpam venialem posse adhuc manere reatum aliquem pœnæ. Ex hac certè doctrina facilè suadetur nostra conclusio, quia illa macula, & illa offensa exigit sine dubio aliquam satisfactionem sibi æqualem, vt de facto tollatur; & licet, quia offensa est leuis, non habeat eam summam grauitatem, quam tribuimus peccato mortali, ob quam diximus Tomo 6. de Incarnatione à pura creatura non posse ad æqualitatem pro illo satisfieri; negare tamen non possumus, quin ex Maiestate Dei (esto leuiter, propriè tamen offensi) aliquem habeat ordinem altiorem, ratione cuius improportionati sint ei actus purè naturales; fortasse etiam omnes simul sumpti.

Actus naturales non sufficiunt ad remissionem venialis.

Probatur.

Veniale non tantum reatũ pœnæ, sed & culpæ post se relinquit.

Vnde valdè dubium censeo id quod nonnulli tradunt, scilicet in pura natura veniale posse tolli per æqualem satisfactionem; non enim facilè mihi persuadebo vnum aut alterum actum naturalem tam esse potẽtem ad placandum Deum, quàm fuerit peccatum ad offẽdendum. Adhuc si ad multos actus, eosque intensos valdè, simul sumptos recurratur, fortasse id posset habere aliquam probabilitatem, licet & hoc ipsum sit mihi dubium: & absolutè Suarez id negat, eò quòd etiam in eo statu homo ob alios titulos deberet sua opera naturalia Deo. Verùm hæc ratio iam est diuersa à nostro intento, & habet etiam locum in actibus supernaturalibus. Melius ergo ex grauitate Dei offensi debet id persuaderi Secundò, quia si eo casu actus naturales essent ei peccato æquales, etiam essent in hoc ordine, ac proinde nunc per actus naturales possemus obtinere remissionem venialium: id quod apertè falsum est. Vbi obiter noto, Tannerum d. 6. de Pœnitentia, q. 4. num. 37. iudicare, in pura natura veniale posse facilius remitti etiam per actus naturales; quia tunc illud peccatum alterius foret rationis, hoc est, non deordinans à fine supernaturali. Addit tamen Secundò, etiam esse valdè probabile nec tunc remittendum per opera naturalia. Hanc secundam partem omnino iudico veram; prima tamen mihi valdè displicet, quia (vt sæpè dixi) si homo peccans venialiter ignorat ex integro eam eleuationem ad finem supernaturalem, vel esto habitualiter id non ignoret, inuincibiliter tamen eius non recordatur, dum venialiter peccat; profectò illud peccatum nullam planè malitiam maiorem aut diuersam nunc habebit, quàm haberet, si non esset homo eleuatus ad eum finem, quia circumstantia omnino inuincibiliter ignorata non potest malitiam vllo modo augere; si ergo malitia non augetur, profectò non potest plus nunc requiri de satisfactione quàm eo tẽpore, quia satisfactio solùm debet esse æqualis offensæ; ergo quando offensa est eadem, eadem sufficiet satisfactio.

4 In pura natura non posset veniale tolli per æqualem satisfactionem.

Probatur

An in pura natura peccatũ veniale posset facilius quàm nunc remitti.

Negatur.

Ad rem nostram dicimus contra Auctores suprà citatos, remissionem venialis non fieri nisi ratione alicuius doloris, aut actus supernaturalis id quod debet maximè fundari in principio generali de gratia, quòd nullo modo, nec de congruo, possit opus esse meritorium augmenti gratiæ & gloriæ, nisi sit supernaturale. Quæ doctrina in hac satisfactione pro veniali locum habet: quia plus videtur esse necessarium ad satisfaciendum æqualiter pro offensa Dei, quam ad augendam iam gratiam iam habitam. Et ita absolutè defendit hanc doctrinam D. Thomas, qui locis citatis semper ait veniale non remitti nisi per aliquem actum bonum procedentem ex gratia; articulo autem 4. in responsione ad 2. ait requiri ad eam remissionem actum gratiæ, qui non potest esse in eo qui subiacet mortali; actus autem naturales boni sine dubio possent esse in peccatore. Fateor in hac ratione esse aliquam difficultatem, quia attritio etiam supernaturalis esse potest in peccatore; & ea sufficit ad delendum peccatum in homine iusto. Explicandus est ergo D. Thomas, vt dicat eam attritionem, vt sufficientem ad delendum veniale, non posse esse in peccatore; quia licet secundùm suam entitatem esse possit, sola tamen sine gratia dignificante subiectum non sufficit ad maculam venialis delendam. Defendunt etiam hanc sententiam Auctores communiter, Abulensis, Petrus Soto, Suarez, Vasquez, Henriquez; quos refert & sequitur Tannerus suprà n. 7. estque valdè conformis sacræ scripturæ, in qua sanguini Christi maximè tribuitur, quòd emundat nos ab omni peccato: ita Ioannes Epist. 1. cap. 1. & 2. ea autem, quæ vnicè tribuitur sanguini Christi, maximè spectatur ad ordinem supernaturalem: Probari etiam solet, eò quòd in Oratione Dominica id petamus à Deo, *Et dimitte nobis debita nostra.* Hæc tamen probatio debilis est, quia etiam petimus in eadem Oratione panem quotidianum; per quem multi intelligunt victum necessarium, qui sine dubio est res naturalis. Probari etiam potest Secundò, quia remissio venialis valdè confert ad salutem: omnia autem quæ ad salutem conferunt sunt ex gratia Christi. Hæc etiam ratio habet contra se instantiam, quia multò magis confert ad salutem fugere mortale; & tamen ea fuga in sententia ferè communi potest sæpè fieri viribus naturæ, debet ergo ea sententia probari ex his quæ diximus, eam scilicet offensam non sufficienter compensari per actum naturalem.

5 Ratio, cur veniale non possit tolli per actus naturales.

Est conformis sacræ Scripturæ.

6 Rationes aliæ minùs efficaces.

Dices:

Obiectio: Cur actus naturalis non satisfacit saltem de congruo.

Dices: Veniale non remittitur per opera supernaturalia de condigno, vt dicemus; quia illorum dignitas occupatur in promerendo augmento gratiæ & gloriæ; ergo præcisè concurrunt de congruo; hoc autem modo, cur non poterit concurrere actus naturalis, etiamsi non habeat condignitatem cum veniali? Respondeo; Si Deus voluisset ex sua libertate eo modo acceptare actum naturalem quantumuis improportionatum, sine dubio potuisset. At non habemus vllum fundamentum ad dicendum, de facto ita acceptasse; imò in contrarium vrget ratio insinuata, quòd ad finem supernaturalem, ad quem ea remissio maximè ordinatur, non acceptauerit Deus de facto etiam per modum meriti congrui opus, quod non sit ordinis supernaturalis.

Solvitur.

7

An possit tolli veniale, quin simul infundatur gratia. Affirmat P. Tannerus

In secunda parte nostræ sententiæ quoad infusionem gratiæ habemus contrarium Patrem Tannerum, qui disput. 6. de Pœnitentia q. 4 dub. 2. ait actum attritionis in homine iusto sine imperio charitatis actuali aut virtuali non esse meritorium augmenti gratiæ & gloriæ, esse tamen satisfactorium pro culpa veniali; quia hæc remissio est quoddam præmium secundarium, quod tantùm consistit in carentia culpæ; qua ratione putat D. Thomas in 4. dist. 21. q. 1. art. 3 q. 1. ad 4. concedi in Purgatorio opus meritorium præmij accidentalis, seu maioris gratiæ & gloriæ; potest ergo in huius Auctoris sententia esse remissio venialis sine infusione gratiæ habitualis. Hæc tamen doctrina mihi valdè displicet: & quidem quòd ait ad meritum augmenti gratiæ & gloriæ esse necessarium charitatis imperium, fusè est à me reiectum Tomo 3. vnde ea de re nihil cogito hîc repetere. Quòd verò addit Tannerus, hanc venialis remissionem esse præmium secundarium, ac proinde minùs longè ad illam obtinendam de condigno requiri quàm ad augmentum gratiæ & gloriæ, indiget longè maiori consideratione; & quidem si illa ratio, quòd hoc præmium consistat in peccati carentia, quidquam valeret, etiam probaret remissionẽ mortalis esse minus præmium quàm augmentũ gratiæ: quod apertè falsum est, & contra ipsum Tannerum. Pro intelligentia ergo huius aduertendum est, etiamsi ipsa carentia peccati in se non sit planè vllum bonum positiuum, in ratione tamen præmij debere considerari respectiuè ad grauitatem offensæ quæ deletur; ac proinde si offensa in genere mali æquiualet attritioni in genere boni, tunc remissio eius offensæ erit adæquatum, & (vt sic dicam) primarium & essentiale præmium eius attritionis; & illud præmiũ tunc erit æquale augmento gratiæ & gloriæ, æquale inquam non ratione sui, sed ratione iurium, quibus Deus cedit condonando illam offensam, & quibus erat obnoxius peccator. Iam autem, Vtrùm offensa leuis accipiat à Deo infinito offenso leuiter tantam grauitatem, quantã habet bonitatem attritio, aut alij actus supernaturales, est valdè dubium; de quo nos nonnihil statim. Vnde colligo totum illud de præmio primario aut secundario, quod Tannerus adducit, esse extra intentum nostrum. Addo, cùm Tridentinum videatur longè magis clarè omnibus operibus supernaturalibus iustorum tribuere meritum augmenti gratiæ & gloriæ quàm meritum remissionis venialium, me valdè mirari hunc Auctorem tam securè negare meritum ei attritioni ob defectum imperij charitatis, concedere tamen illi meritum condignum remissionis venialis. Neque D. Thomas ei fauet; nam quòd animabus Purgatórij concedat meritum remissionis venialis, negat verò augmenti gratiæ & gloriæ, non fundat in eo, quòd hoc sit maius quam illud; sed quia remissio venialis est ibi necessaria, non autem augmentum gratiæ; & quia mereri gratiam est proprium viatoris: animæ autem Purgatorij iam sunt extra statum vix. At satisfacere pro veniali cùm per hoc nihil augeatur de præmio, non requirit eum statum: vnde D. Thomas illud meritum satisfactionis tribuit contritioni, quæ sine dubio ex se etiam erat sufficiens pro merendo augmento gratiæ & gloriæ.

Cur Diuus Thomas concedat animabus Purgatorij meritum remissionis venialium, non verò meritum gratiæ & gloriæ.

Reijcitur.

Ad hæc omnia dicere posset fortasse Tannerus, eis probari, non tolli de condigno venialia per attritionem: cum quo tamen stat quòd tollantur de congruo, sicut tolluntur mortalia per contritionem: ac proinde esto contritio illa non mereatur augmentum gratiæ, eam tamen sufficere ad delenda venialia. Sed contra, quia esto sine dubio potuisset ita Deus instituere, vt quátumuis attritio sine charitatis imperio non mereretur augmentum gratiæ, acceptaretur tamen ab ipso ad remissionem venialis: vt tamen de facto dicamus ita contingere nullum habemus fundamentum: & sanè hic Auctor de condigno vult esse eam remissionem, non de congruo: quòd si ei dat remissionem de congruo, cur quæso non dat etiam meritum gratiæ de congruo, vti contritioni, quæ etiam mereatur re ipsa gratiam & gloriam? Constet ergo non remitti veniale sine augmento gratiæ.

9

Cur attritio, licet non meretur gratiã: non possit ad. huc dici mereri remissionem venialis de congruo.

Conclusio.

Secundò principaliter eo loco tradidi contra Patrem Vasquez, eam remissionem, esto cum infusione gratiæ coniunctam, non tamen esse proprium effectum illius (vt paulò antè diximus tradi à D. Thoma.) Ratio est, quia gratia in quocumque gradu est compossibilis cum veniali.

Infusio gratiæ non est causa remissionis venialium.

Tertiò docui, illud posse tolli per attritionem solam extra Sacramentum, siue hæc attritio sit æqualis siue non: vti tollitur mortale per contritionem, etiamsi hæc non sit æqualis ei mortali: nam Deus, qui (vt eodem loco fusè probaui) potest per solam extrinsecam condonationem tam mortale quàm veniale remittere, à fortiori poterit posita ex parte peccatoris attritione de eo veniali: quæ attritio aliquam habet cum veniali repugnantiam: hoc tamen paulò post est magis declarandum.

Veniale potest extra Sacramentum tolli per attritionem.

8

An remissio venialis sit effectus secundarius attritionis.

SECTIO III.

Quomodo contritio aut attritio sint æquales remissioni venialis.

10

Contritio est adæquata satisfactio pro veniali Probatur. Possunt dari tã multa & eo genere tã grauia venialia, vt eis vna cõtritio non æquiparet. Probatur.

QVARTO docui, probabilius esse contritionem natura sua esse adæquatam satisfactionem pro veniali: quia licet ex aliis rationibus in auctoritate maximè fundatis, & ex grauitate infinita personæ per mortale offensæ, dicamus contritionem non æquiualere mortali: in veniali tamen, quod est offensa leuis, cessant illæ rationes: ac proinde non est cur negemus contritioni eam æqualitatem cum illo.

Hanc tamen doctrinam ita intelligendam velim, vt vna contritio sit æqualis vni veniali: non enim dubito quin multiplicari possint ita venia-

lia,& in suo genere adeò esse grauia,vt vna sola contritio illis omnibus æquiualere non possit. Ratio à priori est meo iudicio satis efficax,quia licet dicamus cõtritionem esse æqualem venialibus,& tamen dicamus illam esse in altiori ordine respectu venialium,eo modo quo mortale est in altiori ordine respectu omnium operum bonorum puræ creaturæ, non habemus vel leuissimum fundamentum. Fortasse contritio de vno mendacio illud purè adæquat tunc si cadat supra duo mendacia,iam erit media ex parte minor ac proinde non poterit vtrumque de condigno delere:fortasse est duplo aut triplo maioris valoris quàm sit demeriti illud mendacium, tunc sufficeret pro tribus mendaciis,non pro quatuor multò minus pro centum,& pro aliis venialibus grauioribus simul sumptis ergo non est cur dicamus quamlibet sufficere pro omnibus. Quod argumentum à fortiori vrsi contra Patrem Vasquez ad probandum,etiamsi ei permitteremus vnam contritionem esse satisfactionem adæquatam pro vno mortali, nullam tamen penitus posse adduci rationem ad asserendum, quamlibet contritionem esse adæquatam satisfactionẽ pro omnibus omnino mortalibus simul sumptis. Quæ doctrina etiam habet locum, esto diceremus contritionem per modum formæ sanctificantis habere repugnantiam cum omnibus mortalibus, vti gratia habitualis in quolibet gradu habet repugnantiam cum quolibet mortali & cum omnibus simul sumptis. Aliud enim est vnam indiuisibilem formam habere repugnantiam cum infinitis aliis:ac proinde dum ipsa est in subiecto non dare locum vlli ex illis : quæ oppositio est propria omnium contrariorum. Aliud verò longè est illam indiuisibilem formam habere tantum perfectionis æquialenter, quantum habent aliæ formæ ei oppositæ simul sumptæ. Hoc secundum nullo modo sequitur ex primo, imò omnino repugnat sequi : alioquin daretur ibi mutuus excessus in perfectione, qui claram inuoluit contradictionem. Explico: Vnus gradus gratiæ repugnat omnibus peccatis simul sumptis, si inde colligitur illum gradum in bonitate æquiualere peccatis omnibus in malitia: ego argumentum inuertam,dicámque hoc modo:Peccatum leuissimum mortale excludit etiá ex anima infinitos gradus gratiæ habitualis, si hos ibi inueniat:ergo illud peccatum solum habet plus malitiæ,quam bonitatis habeãt omnes gradus gratiæ. Vides quomodo inde sequatur & vnum gradum gratiæ esse altiorem omnibus peccatis,& è contrario vnum peccatum esse altius omnibus gratiis : quæ duo manifestè sunt contradictoria:ex repugnantia igitur mutua in subiecto non infertur,vnam contritionem æquialere omnibus peccatis.

11 *Idem dicendum esse de mortalibus in comparatione ad quæ.*

Aliud est formam aliquã opponi alijs infinitis,nullaque ex illis dare locum in subiecto, dum ipsa in eo est : & aliud habere tantam perfectionẽ æquivalenter,quantam omnes formæ oppositæ simul sumptæ.

12 Vnde vlteriùs addo,Cùm ad rationem æqualis satisfactionis non sufficiat dari aliquid repugnans cum offensa,sed debeant dari obsequia tam grata quàm sunt ingratæ offensæ simul sumptæ:certè esto poneremus naturalem repugnantiam inter vnam contritionem & omnia habitualia mortalia, non ideò capio quo fundamento dicere possimus, vnicam contritionem, quantumuis leuem,esse obsequium tam bonum tam acceptabile,quàm omnia mortalia grauissima simul sumpta:ergo esto concederemus Patri Vasquez aliquam contritionem esse æqualẽ aliquibus peccatis,asseri tamen nullo modo potest,esse æqualem pro omnibus : quæ ratio, vt dixi,habet etiam locum suo modo in venialibus.

Dices fortè : Contritio, eo quòd sit de pluribus peccatis,augetur illi perfectio:ergo si,quando de solo vno peccato habetur,est illi æqualis, eo ipso quòd habeatur de duobus:erit illis duobus æqualis:ac proinde semper erit æqualis omnibus de quibus habetur, Respondeo Primò: Etiamsi, quando expressè & distinctè ferretur ea contritio in quodlibet ex illis peccatis, aberet locum solutio data, nullo tamen modo posse habere,quando confusè contritio respicit omnia.Explico : Pono duos homines, quorum vnus solùm habuit duo mortalia,& quidem ex leuioribus,alter habuit millena & millena grauissima:vterque planè immemor quæ & quanta habeat peccata,elicit contritionem æquè intensã, &c.profectò illa contritio non est nobilior, aut maioris valoris, maioris obsequij,&c. in eo qui habet illa innumera peccata quàm in altero;quia ea præcedentia plurium peccatorum habet se tunc per accidens ad bonitatem operantis:ergo non sequitur vllo modo, quòd æquiualeat illis omnibus peccatis in bonitate, esto æquiualeat duobus : neque enim per eam præcedentiam plurium accipit maiorem bonitatem vt obiectio contendebat. Respondeo Secundò, Valdè dubium esse, Vtrùm etiam quando est aduertentia ad plura peccata,habeat maiorem bonitatẽ, quàm si esset de paucis:quia contritio non habet bonitatem à grauitate aut à multitudine peccatiimò fortasse inde decrescit.vnde conteri de veniali fortè est maioris meriti, quam conteri de mortali:eo quòd quò minor est malitia,eò magis laudabile & mágis generosum est eam fugere,quàm quando est maior:hæc enim quodammodo necessitat ad odium sui. Tertiò, quia licet dicamus inde crescere æqualiter bonitatem,non potest cum vlla probabilitate dici, quòd crescat in duplum,vt scilicet contritio sub eodem motiuo & intensione de duobus peccatis sit eo ipso duplo melior,quàm si esset de vno: ergo ex eo excessu non potest dici,illam, quæ si esset de vno, æquiualeret vni mortali, debere æquiualere duobus distinctis, si sit de duobus.

Obiicis: An contritio de pluribus peccatis sit nobilior quàm de vno

Respondetur Primò, De contritione confusa.

13 *Respondetur Secundò,De contritione explicita.*

Respondetur Tertiò.

Hanc doctrinam suo modo extendendam esse ad attritionem de venialibus mihi omnino certum videtur:hoc est,si fortasse attritio aliqua supernaturalis hominis iusti habeat condignitatem cum aliquo veniali leui,ideóque possit illud delere formaliter:non tamen continuò dicendum eam esse æqualem omnibus venialibus simul sumptis:in quo puncto non est noua difficultas supra præcedentem : imò à fortiori ex illis sequitur,quia si in contritione(quæ est ex se longè nobilior) potest dari ea insufficientia respectu omnium peccatorum venialium,à fortiori dari poterit in attritione.

SECTIO IV.

An reipsâ,& quomodo tollantur venialia per contritionem aut attritionem.

14 *Contritio de facto non tollit venialia per modum qualis satisfactio & meritum sint duo genera disparata se inuicem non impedientia.*

QVINTÒ docui eo loco : Etiamsi contritio hominis iusti sit ex se condigna & æqualis satisfactio pro veniali,de facto tamen nullo modo tollere venialia per modum æqualis satisfactionis:quia contritio & attritio hominis iusti ex integro occupantur in promerẽdo augmẽto gratiæ

gratiæ & gloriæ. Quod enim dixere nonnulli, satisfactionem & meritum esse duo genera inter se disparata, quæ inuicem se non impediunt, est à me ibi refutatum; quandoquidem ille ipse effectus satisfaciendi non aliter causatur quam ob bonitatem, quæ placet Deo, & eum obligat, vt remittat ius suum. Certum est autem quòd sit duplex præmium adæquatum homini, propter illud opus bonum donare ei præmium tantum quantum illud opus valet, & insuper ei donare ius, quod etiam iterùm valet tantum quantum opus illud: sunt enim re ipsa duæ donationes integræ, esto vna dicatur per modum præmij, alia per modum satisfactionis: id quod ad solum modum loquendi pertinet. Ex hoc ergo capite dixi non tolli de facto nisi per modum meriti congrui.

An quouis contritio de facto acceptetur à Deo ad delctionem omnium venialium.

Ex his dubium oritur duplex: Primum, An sicut contritio etiamsi adæquata non sit pro omnibus mortalibus, de facto tamen acceptatur à Deo ad remissionem venialium omnium, suprà quæ cadit; & quidem cùm plus sit acceptari ad remissionem omnium mortalium, videtur dicendum, à fortiori acceptari ad remissionem venialium omnium. Ex altera verò parte videtur esse

Ratio dubij

minor ratio, quia ad mortalium omnium remissionem ideò acceptatur, quòd vnum non remittatur de facto sine altero, per contritionem autem infunditur gratia, quæ habet repugnantiam naturalem cum omnibus illis peccatis. Deinde in mortalibus fuit valdè necessarius ille fauor Dei, vt homo posset habere remedium pro sua salute; quod non haberet nisi cum summa difficultate, si tot requireretur contritiones distinctæ, quot sunt mortalia. Hæ autem rationes

15 cessant in venialibus, quia nec remittuntur per formam, quæ ex se sit repugnans cum omnibus; vnde vnum sine altero potest remitti; nec eorum remissio in hac vita est adeò necessaria: deinde potest alijs multis modis fieri; vnde non fuit necessum à Deo de facto per modum meriti congrui acceptari quamlibet contritionem ad remissionem omnium venialium, etiamsi suprà omnia illa cadat. Quæ doctrina à fortiori habet locum in attritione quæ est minùs perfecta.

Ex hoc capite mihi redditur resolutio huius dubij satis sobria; & licet communiter tradere videantur Auctores, per contritionem quamlibet, cadentem suprà venialia, omnino illa deleri, ego tamen valdè dubito ob dicta; & sanè

De attritione videtur probabile, quòd non acceptetur ad remissionem venialium.

in attritione omnino iudico ita dicendum, vt licet sit acceptata à Deo etiam extra Sacramentum ad delenda venialia, non tamen vniuersaliter ad omnia, sed iuxta maiorem vel minorem illius perfectionem, durationem, intensionem, &c. plura aut pauciora remitti. Ex quo capite facilè potest explicari quomodo per Sacramentum confessionis possint deleri venialia; quia esto præcesserit de illis omnibus attritio, non tamen est necessum, vt omnia ante absolutionem ipsam remittantur. De quo infrà.

16 *Obiectio:*

Dices: Si attritio cadit æqualiter suprà omnia illa peccata, nõ est maior ratio, cur dicamus hoc potiùs quàm illud remitti; ergo debebimus dicere, vel omnia, vel nullum: hoc autem vltimum asseri non potest, quia (vt eo Tomo 4. dixi) valdè probabiliter ex Tridentino deducitur, attritionem etiam extra Sacramentum sufficere ad remissionem venialis. Respondeo tamen Primò, Posse dici, Deum determinasse vt illa deleantur, quæ sunt antiquiora, si v. g. ratione huius attritionis hîc & nunc non possunt deleri nisi duo & homo habeat decem, deleantur duo antiquiora, ad eum modum quo in physicis sententia docens gradus intensiùs esse homogeneos, ac proinde gradum contrarij, caloris v. g. aduenientem non habere nunc maiorem repugnantiam cum vno frigoris quam cum alijs præcedentibus, ait Deum tunc determinare vt ille destruatur, qui diutius est in subiecto. Quia verò in nostro casu fortasse aliunde habere grauem difficultatem posset hæc solutio, nam aliquando cõting ret, quòd attritio esset tam remissa, vt esto esset acceptata, vt de congruo deleret venialia duo peccata leuia non tamen vt deleret duo grauiora, & eo casu ea antiquiora duo essent ex grauioribus, ac proinde attritio etiam de congruo pro illis non sufficeret. Ideò posset Secundò & melius, responderi, Deum se determinare liberè, an priora, an antiquiora, an media delenda sint neque esse nouum in his similibus quæstionibus ad determinationem diuinã recurrere.

Soluitur Secundò. Deus determinat, quòd veniale debeat prius remitti.

17 *Attritio nem infallibiliter sequitur remissio alijus venialium.*

Vbi aduerte, me non docere, Deum pro solo suo libitu iam dimittere venialia omnia, iam non, ad præsentiam attritionis (vt aliqui docẽt:) puto enim Deum in hac materia regulam generalem seruare, & ita attritionem esse congruam dispositionem pro remissione venialium, vt sit infallibilis, & non ad eum modum quo ratio iam obtinet quod petit ia n non. Dico ergo, Deum, quoad numerum & grauitatem peccatorum, habere decretum infallibile ratione attritionis: solùm ergo doceo, Eum, quando attritio est inæqualis omnibus peccatis modo explicato determinare, quæ tunc venialia sint condonanda, quæ non.

Suarez & alij putant quamcumque contritionem esse condignã pro omnibus, supra dixi, & de facto omnia delere.

In vtroque puncto nobis est contrarius Pater Suarez in contritione quidem, quia planè iudicat quamcumque esse condignam pro omnibus venialibus, de quibus habetur, & de facto delere omnia. Id quod etiam Tannerus suprà num 9. censet esse omnino certum, citatque D Thomam quæst. 87. a. 10. vbi tamen nihil pœnitus dicit Sanctus Doctor de hac vniuersalitate, quòd omnis contritio tollat omnia venialia suprà quæ cadit: etiam citat Caietanum, Valentiam Henriquez & alios: qui omnes in eo fundantur, quòd si contritio tollit mortalia omnia, à fortiori venialia. Dico *omnia suprà quæ cadit*: quia si non sit retractatio illorum, non videtur vllo modo apta esse ad eorum remissionem: & D. Thomas ita videtur discurrere, quando ait de actu, per quem remittuntur venialia. Quoad attritionem verò est etiam contrarius Suarez & Tannerus, etsi ille aliquantulùm dubitet, si ea comparetur cum multis & grauibus venialibus: quia potest esse remissa & imperfecta: ex alia tamen parte, quia informatur à gratia, putat eam habere maiorem condignitatem quàm habeat contritio, prout est prior quàm infusio gratiæ, cùm eo priori non possit dignificari per gratiam.

Idem ferè docent de attritione in iusto.

18 *Refelluntur Primò*

His tamen non obstantibus persistendum est in nostra resolutione: Primò, quia etiam contritio non tollit venialia de condigno, quantumuis dignificetur per gratiam: occupatur enim in merito augmenti gratiæ & gloriæ, ideoque non manet ei vlla condignitas ad satisfaciendum, iuxta paulò antè dicta: quòd si solùm concurrit de congruo, iam eo ipso non valet argumentum ad venialia ex mortalibus: quia in his, quæ Deus ex congruitate facit, aliquando concedit maiora, non tamen minora. Certè plus est concedere re-

Soluitur Primo:

missionem mortalis quàm auxilium efficax ad non peccandum; & tamen hoc secundum non cõcedit contritioni etiam hominis iusti, ac proinde etiam dignificatæ per gratiam habitualem; illud tamen prius & grauius concedit contritioni, etiam pro priori naturæ, seu nondum adhuc dignificatæ; ergo quòd eidem contritioni concedat de congruo tollere omnia mortalia, quod maius est, nullo modo probat etiam concedere vt tollat venialia: quod minus est; haberéque Deus potest pro hac diuersitate fauoris causas à nobis supra tactas, quæ sunt satis efficaces. Respondeo Secundò: Licet, si ex vna parte comparetur remissio sola venialium, & ex alia sola remissio mortalium, hæc sit longè maior quàm illa; at maius quid erit remittere simul & omnia venialia & omnia mortalia; ergo potest fieri, quòd peccator aliquis grauis habens multa mortalia & venialia efficiat contritionem aliquam remissam, quæ sufficiat pro mortalibus, non verò simul pro venialibus. Video hìc posse replicari, illam contritionem, quantumuis remissam, futuram sufficientem ad remittenda etiam alia innumera mortalia, præter illa quæ de facto inuenit: atqui magis fuisset illa simul emittere cum his, quam si cum his mortalibus loco illorum aliorum mortalium adderemus sola venialia; vnde semper infertur, contritionem habere vim ad remittenda simul & mortalia & quæcumque venialia; ergo. Video quidem ita esse: id tamen prouenit ex eo, quòd (vt diximus superiùs) gratia, quæ causatur per contritionem, pugnat cum mortalibus omnibus: non quia inde sequatur illam esse tam bonam, quam ea omnia peccata sunt mala. Aliunde autem lumine naturæ videtur esse certum principium, quod assumpsimus in hoc argumento: faciliùs esse æquiualere solis mortalibus, quàm illis omnibus & simul venialibus: ac proinde non esse bonum hoc argumentum: *Deus acceptat siue de congruo siue de condigno* (quod iam non curo in hoc argumento) *contritionem in satisfactionem pro omnibus mortalibus: ergo etiam illam acceptabit simul pro mortalibus & venialibus.* Constet ergo nullo modo esse certum, venialia de facto omnia tolli per quamcumque contritionem: sed valdè probabile, aliquando adeò posse hanc esse remissam, & venialia adeò multa & grauia, vt non deleantur omnia simul cum mortalibus: quòd si tunc talis ad confessionem accedat, & se de venialibus accuset, liberabitur vi Sacramenti ab illis omnibus, à quibus anteà non fuerat etiam quoad culpam liberatus.

Secundò.

19 Replica: Cur si contritio deleret omnia mortalia, non deleret simul etiam venialia.

Soluitur.

Iam verò quoad attritionem videtur ex dictis quasi certò inferri, non quamlibet esse æqualem omnibus venialibus: quod autem ait Suarez eam dignificari à gratia habituali, nonnihil quidem auget eius valorem, non tamen ideò illam facit æqualem omnibus venialibus. Adde, eam totam quantam cum sua condignitate occupari, vt diximus, in merito: ideóque condignitatem nullam illi restare, nec quidem ad satisfaciendum pro vno veniali: solùm ergo per modum dispositionis congruæ liberaliter de facto acceptatur à Deo ad illam remissionem: si autem liberaliter & de congruo, deberemus aliunde ostendere, Deum re ipsa quamlibet acceptare ad remissionem quorumcumque venialium: hoc autem nullibi potest ostendi. Constet ergo longè probabilius esse, ad dispositionem cuiuslibet attritionis non remitti omnia venialia.

20 Reijcitur Suarez etiam de attritione.

Illud nunc notandum contra Patrem Tannerum, quia à n. 22. ait actum mereri & augmentum gratiæ, & simul remissionem peccati; quia nullum præmium magis proportionatum esse potest pro eo actu quàm offensæ remissio. ostendit autem vtrumque posse per vnum actum obtineri: nam Christus Dominus vno eodémque actu promeruit nobis dona gratiæ & remissionem peccati. Hæc doctrina mihi est valdè difficilis: & in primis non rectè desumpsit ab operibus Christi instantiam: nam illa cùm fuerint valoris infiniti, habere potuerunt condignitatem ad satisfactionem & meritum: qua infinitate cùm nostra opera careant, non possunt simul cum vtrumque effectum præstare: & ex hoc capite sumitur fundamentum ad totam doctrinam reiiciendam. Nam licet sub diuersis respectibus aliqui in vno eodémque actu, etiam nostro, admiserint meritum & satisfactionem, quos tamen ego non iudico adhuc satis solidè discurrere, vt paulò superiùs notaui: nullus tamen admittet, per modum præmij posse vnum eumdémque actum nostrum obtinere de condigno & gratiam & remissionem culpæ: suppono enim actus hominis iusti occupari secundùm totam suam rationem meriti in augmento gratiæ & gloriæ. Nam si aliquid de hoc præmio debito adimeretur, fateor, posset fieri compensatio per remissionem venialium: at ea permutatio esset homini valdè nociua, quia priuaretur in æternum illo augmento gratiæ. Si autem tota ratio meriti occupatur in gratia profectò repugnat, intra eamdem rationem meriti adhuc illum actum retinere vim ad obtinendam remissionem venialis: quia id esset habere vnum præmium adæquatum, & alterum inadæquatum. Addit Tannerus citato dubio, assertissimè, eam satisfactionem etiamsi condignam, non tamen esse ex toto rigore iustitiæ; quia rigorosa iustitia excludit omnem gratiam factam debitori: hæc autem satisfactio necessariò supponit aliquam gratiam factam puro homini.

P. Tannerus docet eumdem actum mereri gratiæ aug. mentum & peccati remissionem.

Refutatur.

21 Etsi concederemus eumdem actum mereri simul & satisfacere, non tamen adhuc discerimus an posse vtrumque consequi per modum præmij.

P. Tannerus docet, contritionem non esse satisfactionem ex toto rigore iustitiæ, erò sit condigna.

Obiicit autem sibi, hinc sequi, Deum, seruato toto iustitiæ rigore, potuisse non acceptare satisfactionem hominis iusti pro veniali: vnde de potentia Dei absoluta posset iustus priuari beatitudine ob solum veniale: ac proinde sequitur, veniale, quantum est ex se, priuari in æternum beatitudine & vltimo fine, nec natura sua differre à mortali: quod est contra certam Catholicorum doctrinam. Ego quidem in hoc dubio Primò censeo, rigorem iustitiæ, nisi abutamur vocibus, non impediri per gratiam aliquam factam debitori antecedenter ad ipsum contractum. Nam si Rex mihi ob aliam causam donauit mille, possum optimè per illa, deinde ex toto rigore iustitiæ emere ab ipso aliquod dominium, v.g. quod valeret mille, aut illi satisfacere pro aliqua iniuria in eum commissa, quæ esset illis mille æqualis: de quo puncto fusiùs egi Tomo 6. de Incarnatione.

Obiectio: An Deus potuisset non acceptare satisfactionem pro veniali, adeoque ob veniale excludere iustum à beatitudine.

Respondetur Primò: Gratia prauia facta non impedit rigorem iustitiæ.

Secundò iudico quoad illam perpetuitatem venialis me mirari ex eo, quòd possit veniale ex natura sua durare in æternum, inferri, illud non differre specie à mortali: quandoquidem etiamsi in æternum duret, præcisè fundat perpetuam leuem displicentiam, non autem inimicitiam, quam fundat mortale. Deinde pœnam ignis non exigeret æternam: hanc enim, etiamsi non remitteretur veniale, posse finiri est mihi certissimum,

Secundò: Etsi ob venialia non remissum posset homo aeternùm priuari cœlo, adhuc vix illa differret à mortali.

certissimum, maximè in homine iusto, qui eam acceptaret voluntariè; ergo ex hoc capite esset diuersitas plusquã specifica ex naturã rei inter mortale & veniale, esto Deus, attento toto rigore iustitiæ, posset non acceptare satisfactionem hominis iusti pro veniali.

Responsio P. Vasquez. minùs bona.

Tertiò dico, Minùs benè Patrem Vasquez ab eodem Tãncro ibi citatum putare difficultatem hãc solui, si dicatur contritionem hominis iusti tollere veniale etiam independenter ab omni acceptatione Dei: etenim etiã hoc admisso perpetuitas venialis manet; nã licet posita ea contritione deberet tolli veniale, abhuc tamẽ Deò esset liberrimum in ordine illo non dare gratiam efficacem ad efficiendam illam contritionem, seu illum amorem; ergo ex hoc capite adhuc illud peccatum posset esse æternum, & vrgeret difficultas immediatè tacta. Addo præterea, etiamsi omninoda sit æqualitas inter contritionem ac veniale, nihilominùs Deum non teneri ad illius acceptationem pro remissione; quia potest illum actum petere ob alios titulos vel acceptare illum in merito augmenti gratiæ & gloriæ (vt de facto diximus occupari), ideóque non remaneret illi locus, vt mereretur remissionem venialis, aut vt satisfaceret pro veniali: ac proinde etiam ex hoc capite non placet ea solutio. Patris Vasquez

Licet contritio esset omnipotens veniali, Deus tamẽ non tenetur acceptare eam pro remissione venialis.

23

Quoad substantiam verò difficultatis iudico, si gratia finalis dat absolutè verum ius ad æternam beatitudinem, Deum obligari naturaliter ad remittendum illud veniale, per quod impeditur visio perpetua: siue id faciat per condonationem extrinsecam, siue excitando hominem ad actum æqualem ei veniali, &c.

Si gratia finalis dat ius ad beatitudinem, tenetur Deus remittere veniale.

Obiicitur:

Dices: Ius ad gloriam non causatur à gratia, nisi supposito quòd nullum sit impedimentum; eo autem casu esset impedimentum venialis, Respondeo, Mihi longè probabilius esse non solùm conditionatè, sed absolutè causari illud ius à gratia finali, ac proinde eam omnino exigere vt tollatur illud impedimentum peccati. Id quod maximè iudico verum, si simul interuenere merita; quia hæc; quando per mortem finiuntur, petunt à Deo stipendium solui pro labore (vt loquitur Tridentinum:) non videtur autem Deus posse non concedendo homini auxilium ad veniale liberari ab obligatione soluendi mercedem operariis, & negare hæreditatem filiis in perpetuum: esset enim deceptio quædam (si liceat loqui more humano) excogitata ad non soluendum debitum prætendendo eas leues dispicentias. Dixi, Si Deus semel opera bona acceptauit ad meritum gloriæ & gratiam acceptauit ad hæreditatem: nàm loquendo in toto rigore non dubito quin possit Deus infundere gratiam habitualem alicui etiam in perpetuum, non acceptando illam ad gloriam, possitque eleuare nos ad benè operandum supernaturaliter, & petere à nobis ea bona opera, nihil de præmio promittendo, sed vtendo variis aliis titulis Domini, Creatoris, Benefactoris, &c. de quo puncto fusiùs egimus in materia de Merito. In quam solutionem relabi videtur ea, quam Tannerus suprà num 32. ex Patre Suario & aliis tradit quòd Deus potuerit iustum in gratia decedentem in æternum non acceptare ad gloriam, non titulo iudicis punientis, sed vt supremus Dominus creaturarum.

Soluitur. Probabilius gratia finalis causat absolutè ius ad beatitudinem.

Posset absolutè Deus infundere gratiam habitualem alicui non acceptando illam ad gloriam.

SECTIO V.

Digressio de remissione venialium per Sacramentum.

CIRCA remissionem venialium per Sacramentum Pœnitentiæ dixi eo loco, probabile esse remitti multa, etiam quæ homo non confitetur, neque habet dolorem, dummodò non ponat positiuum obicem complacentiæ in illis: & per hoc explicui communem sensum multorum, quòd in confessione facilùs deleantur venialia quam mortalia: id quod alij diuersâ viâ tentant explicare, insufficienter tamen, vt ibidem ostendi.

24

Intra Sacramentum Pœnitentiæ delentur venialia, etiam quæ quis non confitetur, quæ de illis tolerabiliter dummodò sibi in eis non complaceat.

Obiectio. Hoc non esse contra vim absolutionis.

Dices, Per hoc non satisfieri difficultati totæ; nam eo casu quo illa venialia ita remitterentur, propriè & in rigore non remitterentur vi absolutionis Sacramentalis, nec vi clauium, sed quasi concomitanter: cùm enim non sint eà peccata materia confessionis, non possunt remitti vi absolutionis; nam ea *Ego te absoluo*, debet intelligi iudiciariè ab his peccatis, quæ ego vt iudex noui, & de quibus tu vt reus & testis te accusas.

P. Suarez. concedit.

Pater Suarez omnino concedit vi absolutionis numquam remitti sola venialia, neque id iudicat absurdum; quem etiam sequitur Tannerus num. 55. quòd autem communiter dicantur per Sacramentum ea posse remitti, putant explicari sufficienter per hoc, quòd simul cum mortalibus remitti possint; item quòd cadere supra illa etiam remissa possit absolutio eo modo, quo cadit supra mortalia, de quibus homo iam non est contritus, aut quæ iam simul subiecit ritè claubus Ecclesiæ. Quæ doctrina mihi etiam valdè est probabilis; displicet tamen valdè Cardinali Lugo disput. 9. num 19. vbi ideò ait attritionem extra Sacramentum non sufficere ad delendum veniale: quòd autem non possit dici, venialia numquam remitti per Sacramentum, probat ex sensu communi fidelium, qui ideò ad confessionem venialium accedunt, vt eorum obtineant absolutionem; ergo supponunt per talem confessionem formaliter deleri. Huic tamen argumento dici potest, ideò fideles accedere tum vt maiorem certitudinem habeant de remissione; quia quòd remittantur per solam attritionem est dubium: tum vt augmentum maius gratiæ recipiant: vel etiam venialia, de quibus fueramus confessi, iterùm confitemur; tum vt remissionem pœnæ maiorem obtineant per idem Sacramentum.

Et quidem probabiliter: Sed displicet Lugo, qui docet per attritionem non tolli venialia extra Sacramentum.

25

Quomodo remittantur venialia in confessione.

Quidquid tamen de hoc sit, possumus etiam respondere. Omnino remitti sæpè venialia per Sacramentum Pœnitentiæ formaliter: id quod facillimè explicatur ex doctrina paulò antè tradita, quæ est media inter sententias Patris Vasquez & Cardinalis ex vna parte, & Suarij ac Tanneri ex altera, scilicet esto attritio extra Sacramentum sæpè sufficiat ad delendum vnum aut alterum veniale, non tamen ad omnia simul, maximè quando est valdè remissa. Hinc sequitur, sæpè esse locum vt accedens cum attritione de eis venialibus accipiat vi Sacramenti remissionem eorum: quia absolutio ad omnia se extendit quæ sunt materia: habet enim ex meritis Christi maiorem vim quam attritio: deinde verba ipsa, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, sunt

vniuerſalia,ab omnibus ſcilicet de quibus te accuſas cum vero dolore ſupernaturali.

Quid ſit attritio ſi Primò in illo inſtanti,quo eſt abſolutio.

Poſſet fortaſſe etiam Tertiò reſponderi ; Si contingat vt ipſa attritio de venialibus non ſit niſi in inſtanti,quo datur abſolutio , tunc poſſe ea venialia deleri per abſolutionem vi Sacramenti , quod ſimul cum attritione operaretur

Reſpõdeo, qui ſic dolorem differret,peccaret grauiter.

tunc. Hæc tamen ſolutio non poteſt abſolutè ſuſtineri, Primò,quia qui eo modo confiteretur ſine dolore,& cum primò haberet cùm datur abſolutio, planè grauiter peccaret ; quia dolor vtpote diſpoſitio , præcedere debet abſolutionem ; & licet in rigore ſi quis eam ſimultaneitatem certò cauſare poſſet, forte ſatisfaceret:nõ eſt tamen dubium , quin ſe exponendo ei periculo Sacramentum perficiendi ante diſpoſitionem peccaret grauiter:vti qui, quando non eſt copia Confeſſarij , poteſt cum ſola contritione celebrare, aut communicare, peccaret mortaliter, ſi vellet contritionem differre ad vltimum punctum, quo verè Euchariſtia dicitur manducata.Secundò : Ea ſolutio non poteſt ſuſtineri, quia recurrit ad caſus planè extraordinarios & quaſi metaphyſicos , cùm ſenſus communis fidelium, quòd venialia deleantur ſæpè per confeſſionem Sacramentalem, ſit de caſibus ordinariis, & qui eam reſpectu hominum plebeiorum euenire poſſunt ; ea autem ſubtilis dilatio non cadit in tales homines. Clariùs ergo res tota per priorem ſolutionem componitur.

26

Etiam per alia Sacramenta deleantur venialia.

Docui præterea loco ſuprà citato , etiam per alia Sacramenta remitti venialia , maximè per Euchariſtiam & Extremam Vnctionem, etiamſi homo non ſit de illis venialibus attritus dummodò in illis non habeat complacentiam,obicémque eo ipſo non ponat.

Probatur à D Thoma.

Circa rationem verò,vnde probari poſſit aliis Sacramentis ineſſe eam vim remittendi veniale varia dici poſſunt.D.Thomas hac q 87 art. 3. rationem reddit,eò quòd per omnia Sacramenta infundatur gratia habitualis, quæ eſt remiſſiua peccati. Hanc rationem iudicat Suarez difficilem Lugo verò illam probat,eò quòd, quandocumque homo ad nouos amplexus diuinæ amicitiæ eleuatur,æquum eſt, vt aliqui defectus leues ei remittantur:vti in humanis videtur contingere:quam explicationem etiam Suarez tetigerat.Ego tamen , cùm Cardinalis Lugo benè contra nonnullos docear non per quamcumque infuſionem gratiæ remitti venialia,niſi adſit aliqua eorum deteſtatio,iudico illam rationem de amplexu & eleuatione ad maiorem amicitiam debilem eſſe, quia illa tota quanta videtur eſſe independens ab eo , quòd homo poſitiuè deteſtetur veniale. Nam ſi ad deteſtationem recurramus,fortaſſe quis potiori iure dicet tunc quidem remitti veniale,non tamen ratione maioris gratiæ , aut ratione noui illius amplexus , ſed propter ipſum motum doloris in peccatum : id quod D. Thomas ſatis apertè inſinuat art. 2, dum ait veniale poſſe remitti ſine infuſione gratiæ ob motum aliquem implicitum virtutis , quem ſupponit poſſe eſſe ſine ea infuſione. Et verò idem D.Thomas eo loco à Lugo citato expreſsè condiſtinguit modum remittendi veniale per infuſionem gratiæ à modo remittendi per actum doloris tunc influentem,hunc enim ponit tamquam ſecundum modum diſtinctum à primo de ſola infuſione gratiæ:vnde Sanctus Doctor grauiſſimum dedit fundamentum illis Auctoribus, qui dixerunt,Etiamſi homo non doleat de venialibus,nihilominùs ſemper aliqua remitti quandocumque homini infunditur gratia maior : non ergo defendit Cardinalis rationem D Thomæ prout à Sancto Doctore traditur.

Et Lugo,

Minùs benè.

27

Probatur Secundò à Suario probabiliter.

Alias rationes adducit Suarez,quæ etiam non placent Cardinali Lugo : vt quod omnia Sacramenta poſſunt cauſare gratiam crimen, ſi cum attritione & bona fide ad ea accedatur ; ergo à fortiori remittent venialia.Et antecedens diſplicet Lugo, qui cenſet non cauſare omnia Sacramenta remiſſionem mortalis:conſequentia etiã diſplicet;nam ſi Sacramenta remittunt eo caſu mortalia, id fit ob repugnantiam , quam habet gratia cauſata à Sacramentis cum mortali ; at cum venialibus nullam habet gratia oppoſitionem.De antecedenti nos egimus ſuo loco, Illúdque cum Suario defendimus vt probabilius. Conſequentia autem etſi non ſit efficax in omni rigore, eſt tamen ſatis probabilis ; cumque probabiliter tantùm tribuamus hanc vim Sacramentis, non ſcio cur non debeat hæc ratio ſufficere;quia reuerà ſi dedit Deus Sacramentis vim remittendi mortalia,ſatis apparenter dicitur, à fortiori dediſſe etiam remittendi venialia.

Probatur Tertiò.

Denique cum ex inſtitutione Sacramenti non magis Euchariſtia quàm Matrimonium & alia Sacramenta videantur ordinari ad remiſſionem venialium,& Euchariſtiæ hanc vim tribuat Tridentinum. valde probabiliter id cæteris omnibus tribuimus.

An etiam Sacramentalia,&c. habeant vim remittendi venialia.

De aqua benedicta,benedictione Epiſcopali, Oratione Dominica, eleëmoſyna , confeſſione generali,& pane benedicto, quibus tribui ſolet, quòd remittant venialia, dixi id quidem verum eſſe ſæpè, occaſionaliter tamen,quatenus,vt ait D. Thomas,hæc omnia excitant in hominibus dolorem aliquem de peccatis : nam his rebus à Chriſto Domino non inſtitutis, ſed ab Eccleſia, quæ ex ſe non habet poteſtatem ad remittenda venialia,non video qua probabilitate poſſimus ex ea inſtitutione Eccleſiæ eis annectere vim illam remittendi veniale,aut cauſandi gratiam ex opere operato.

SECTIO VI.

Quid de remiſsione venialis poſt hanc vitam tam in iuſtis quàm in reprobis.

28

Veniale in iuſtis poſt hãc vitam remittitur per cõtritionem. vt condignam ſatisfactionẽ.

CIrca remiſſionem venialium in iuſtis poſt hanc vitam dixi probabilius eſſe, ea non per ſolam Dei condonationem , ſed per actum contritionis,qui immediatè poſt mortem ab eis iuſtis efficitur, tamquam per condignam ſatisfactionem, non verò tamquam per purum putã conditionem,remitti.Hæc eſt contra Suarium, Tannerum,Lugo & alios : eò enim quòd tempus alterius vitæ non ſit tempus viæ, dicunt illam contritionem non eſſe meritum. Secundò, eò quòd illa contritio non ſit ibi ſatisfactoria pro pœna , dicunt non eſſe ſatisfactoriam pro culpa;vnde vniuerſaliter inferunt,Illud tempus non eſſe ſatisfaciendi, ſed ſatispatiendi. Noſtra tamen reſolutio eſt expreſsè D. Thomæ in 4. diſt.21. q. 1. a. 3. q. 1. ad 4. vbi in Purgatorio concedit opus meritorium præmij accidentalis, ſeu remiſſionis venialis peccati, non tamen meritum gratiæ & gloriæ:vnde minùs benè citatur pro ſe à Patre Tannero , eò quod q. 7. de malo

Ita D.Thomas.

malo art. 11. in fine corporis dicat, Quia in altera vita non est tempus merendi, ideò actum dilectionis non mereri absolutionem vel diminutionem pœnæ sicut in hac vita. Dico *minùs benè citari*, quia expressè duo ibi distinguit D. Thomas; vnum remissio culpæ, alterum remissio pœnæ: de primo expressè docet remitti eis eodem modo quo in hac vita. Cumque D. Thomas videatur supponere culpam venialem dimitti in hac vita de condigno propter amorem Dei super omnia, idem sentiet etiam in altera vita; licet meritum alterum remissionis pœnæ illis neget; quod & nos etiam illis negamus. *Probatur.* Hanc conclusionem probaui eo citato loco meo iudicio efficaciter; quia cùm contritio ex se habeat condignitatem (vt etiam ipsi aduersi Auctores fatentur) ad satisfaciendum adæquatè pro venialibus, & in Purgatorio non occupetur in merito augmenti gratiæ & gloriæ, ac denique illam Deus exigat pro remissione non video cur dicendum sit, eum nolle illam acceptare secundum suam condignitatem, aut quid incommodi ex ea acceptatione vel apparenter sequi possit; cùm potùs è contrario magis sit iuxta rei naturam, eam tunc concurrere secundum totam suam actiuitatem.

29 *Explicatur magis.* Quod vt melius intelligas aduerte, me nequaquam contendere cum Vasquez, eam contritionem talis esse naturæ, vt non potuerit à Deo non acceptari; hinc enim fortasse sequeretur illud inconueniens suprà insinuatum, quòd etiam teneretur Deus eam acceptare ad remissionem pœnæ, quia etiam pro illa est condigna. Dico ergo illam omnino potuisse non acceptari, quia Deus habet varios titulos, ob quos potest eam exigere, nihil illi de præmio aut satisfactione dando; imò ex hac ipsa Dei potestate ad acceptandum vel non acceptandum ego discurro in præsenti, & duas opiniones valdè certas explico commodissimè. Dico Deum eam contritionem potuisse non acceptare ad vllum ex eis effectibus, potuisse è contrario ad vtrumque, potuisse denique ad vnum satisfaciendi pro culpa, non ad alterum satisfaciendi pro pœna. Dico præterea, de facto illum pro sua libertate eam acceptasse pro remissione culpæ, non verò pœnæ. Neque in hoc puncto discurro sine fundamento: etenim eo ipso quòd Deus (vt omnes fatentur) eam acceptauit tamquam conditionem pro remissione eius culpæ, longe probabilius est, quòd permiserit se ea moueri iuxta capacitatem & vim illius; quia hoc est magis cõforme naturis rerum, dum scilicet aliqua causa, continens alioquin ex se adæquatè effectum, concurrit ad illum, connaturalius esse eam operari secundùm suam virtutem, & non se habere purè pute vt conditionem. Neque (vt verum fatear) possum videre vllam vtilitatem, quæ sequatur ex eo, quòd ad eius præsentiam remittat Deus culpam, non tamen ob bonitatem illius æqualem omnino ei remissioni; quia ex eo capite nec sequitur homines faciliùs in hac vita commissuros venialia, nec minùs curaturos hîc satisfactionem pro illis, cùm pro iplis, si semel remittuntur venialia per contritionem, non minùs momenti aut vtilitatis id afferat, si id fiat ea contritione se habente vt pura conditione; quam afferret, si fieret illa se habente vt merito condigno: id quod ex terminis patet. Quod ad libertatem verò Dei attinet etiam nulla est difficultas: quia si res prudenter consideretur, æquiualenter se res habet, quocumque modo fiat: quòd enim videtur relucere magis in hoc, quòd condonetur quasi purè liberaliter, & non ad exigentiam satisfactionis à creatura exhibitæ; hoc ex alia parte diminuitur, dum Deus acceptare non vult eam condignitatem in satisfactione repertam. Id quod possemus facilè explicare in nostris merituis suppositis sententia communi, quòd non obstante illorum condignitate potuerit Deus ea non acceptare, si hoc posito Deus quidem ad præsentiam meritorum daret nobis eandem gratiam quam iam, ita vt se haberent merita tamquam conditio pura, essent tamen tam requisita quàm nunc profectò, iuxta prudentem rationem, non magis quàm nunc ostenderet suam libertatem in nos; ergo.

Probatur, quòd Deus acceptet contritionem post hanc vitam vt condignam satisfactionem, quia id est magis connaturale.

Nec esset liberalior Deus, si eam acceptaret tantùm vt conditionem.

Secunda verò pars de non-acceptatione eiusdem contritionis ad satisfactionem, supposito quòd, non obstante priore satisfactione, potuit hæc secunda non esse, probatur optimè ex ipsa communi sententia negante de facto talem acceptationem. Adde iuxta principia mea, quæ sæpè insinuaui, hanc secundam partem plane ex priori sequi. Nam cùm dixerim contritionem non habere condignitatem ad satisfaciendum simul pro culpa est simul pro pœna, quia fortasse nec quælibet contritio habet cõdignitatem cum quibuscumque venialibus etiam solùm quoad culpam; rectè infertur, Si illa occupatur eo instanti in satisfactione pro culpa, non posse simul pro pœna; quidquid verò de hoc sit, quia posset dici vt conditionem saltem remittere pœnam, clarissima est congruentia, cur Deus id voluerit; quia scilicet si homines essent primo instanti post vitam à Purgatorij pœnis per contritionem aut actum amoris Dei tunc eliciendum liberandi, certè nec curarent in hac vita venialia, nec de eis per satisfactionem extinguendis quoad culpam & reatum pœnæ essent vllo modo soliciti. Vndes ergo quàm congruenter in hac nostra sententia discurratur,

30 *Quare contritio post hanc vitam non tollat etiam reatũ pœnæ*

An peccet & meritur in venialibus

Illud pro complemento huius materiæ est notandum, nonnullos apud D. Thomam ea q. 3. de malo putasse hominem peccare, si moriatur in venialibus; quia id arguit maximam salutis negligentiam. *Negatur.* Quam opinionem D. Thomas bene reiicit, quia fieri potest, vt homo iustus habens venialia, & nihil de morte cogitans, ac tetur repentè aut somno oppressus, morbo instantaneo obruatur, & moriatur; tunc autem non potuit vllam habere obligationem delendi ea peccatta venialia: putat tamen D. Thomas hominem iustum se ad mortem præparantem semper elicere contritionem de venialibus, ac proinde semper illa in hac vita talibus remitti. Verùm hoc secundum mihi est valdè dubium; Primò, quia non est vlla talis ratio & obligatio habendi eam contritionem de venialibus, imò in multorum & communi sententia nec quidem de mortalibus, si habeat quis copiam Confessarij. Et sanè multi, maximè ex rudioribus, re ipsa cum sola attritione moriuntur, & limitata quidem ad sola mortalia. Secundò, quia iam dixi suprà esse mihi valdè dubium, Vtrùm quælibet contritio de facto acceptetur ad venialium omnium remissionem etiam quoad solam culpam; non potest ergo dubitari contingere etiam ex hoc capite sæpissime multos iustos mori cum venialibus adhuc non dum quoad culpam remissis.

An omnis iustus se ad mortem præparans moriatur in contritione. Videtur quòd non.

Circa quod quæri vlteriùs potest; Vtrùm

An omnis contritio sicut in hac, ita in altera vita tollat aliquid de pœna temporali.

sicut supra Suar. & alij quidam tradidere, quandocumque per contritionem tollitur reatus pœnæ æternæ, etiam tollatur aliquid de pœna temporali, eò quòd illa contritio semper est intensior quàm simpliciter foret necessaria ad tollendum peccatum, ita eodem modo per contritionem, qua in Purgatorio tollitur veniale, semper aliquid remittatur de pœna temporali debita.

Negatur.

Communiter omnes negant, & meritò, quia non est vnde id asserere possimus. Quòd enim in hac vita priuilegium hoc dederit Deus nostris actibus, nihil omnino probat de altera, quando iam homo est extra viam. Adde iuxta mea principia rem facilè declarari. Diximus enim contritionem, secundùm quod est actus omnino liber & propriè meritorius, nullo modo satisfacere pro pœna etiam in hac vita saltem de condigno; quia vt sic totus quantus occupatur in merito vitæ æternæ, etiam quatenus est afflictiuus; quia ex hac ipsa afflictione creuit formaliter meritum. Cùm ergo in Purgatorio ille actus nihil inferat à se distinctum quod sit pœnalitas, ratione cuius possit satisfacere pro pœna, videtur sequi, eum esse similem omnino ei, cui etiam in hac vita negamus satisfactionem pro pœna; quòd si in hac vita eam illi negamus, à fortiori negabimus in altera, quia ibi minor locus est satisfactionis, & solùm per satispassionem res tota debet declarari.

Obiectio prima.

Dupliciter potest contra hanc rationem obiici; Primò, etiam in anima separata posse ex ipsa contritione formaliter libera sequi aliquos actus doloris & tristitiæ, qui non sint liberi nisi radicaliter; quoad hoc enim eadem est ratio de anima separata quæ est de vnita corpori; quia etiam dum est in corpore, sequuntur tamen in ipsa, & non solùm in appetitu sensitiuo actus doloris & tristitiæ spiritualis; qui vti in sola anima, non in corpore recipiuntur, ita possunt sequi, esto anima sit à corpore separata. Secundò potest obiici, quando contritio in via habetur, ideò non esse satisfactoriam; quia tota quanta occupatur in merito, vt insinuatum est: At in altera vita cum cesset hoc impedimentum, quia ibi non est locus meriti, vt diximus, poterit commodissimè satisfacere pro pœna loco meriti gratiæ. Quòd si respondeas, eam tunc occupari satisfaciendo de condigno pro culpa, ideoque non posse pro

Secunda.

42

Quæstio amplius urgetur.

pœna; adhuc vrgebitur contrà: Nam probabile, imò ferè certum est, eam contritionem non solùm durare vno instanti, sed pluribus, & quidem cum noua libertate; ergo postquam in primo instanti se expediuerit à culpa, poterit in secundo satisfacere pro pœna. Quòd si in actu contritionis esset aliqua difficultas, & vellet nõ nemo eum, ablata omni culpa, iam locum non habere, saltem versabitur in amore Dei super omnia, quem haud dubiè perpetuò illæ animæ eliciunt; talis autem actus non minùs est dignus ea remissione pœnæ quàm contritio; neque id est necessum illum esse doloriferum aut afflictiuum; nam satisfactio non desumitur per ordinem ad dolorem, sed quatenus datur creditori seu personæ offensæ aliquid tam ei placens, & tanti valoris, quanti erat ius, quod habebat ad odio habendum, vel ad puniendum ratione peccati: ergo si reus per actum sibi nullo modo doloriferum nihilominus dat offenso tantum bonum, quantum ei intulerat damni, cur non satisfaciet tam pro pœna quàm pro culpa? Ob hæc iudico eam specialem probationem desumptam ex meis principiis circa satisfactionem huius vitæ non esse solidam; ideoque probandam communem sententiam ratione suprà allata, quòd scilicet nullum penitus sit fundamentum ad dandam ei talem vim: id quod confirmatur amplùs; nam si in primo instanti aliquid deleret, cur non quæso in secundo, cur non in tertio? & sic per omnia instantia; concedere autem quod animæ illæ perpetuò per actum contritionis, aut per amorem Dei super omnia, & non per solam physicam tolerãtiam pœnarum satisfaciant, repugnat planè sensui omnium Theologorum: & sanè cùm illæ erumpant in maximum Dei amorem & dolorem de peccatis ob motiua tunc sibi potentissimè proposita, non possent non intra breuissimum tempus totam illam pœnam extinguere: quod est contra sensum fidelium & receptissimas Historias, quòd animæ non tantùm vno, sed multis annis in grauissimis pœnis sæpè detineantur.

Solutur vtraque obiectio.

Confirmatur. solutio.

33 *Damnatis nũquã remittitur venialis quoad culpam.*

Occasione remissionis peccati venialis in iustis aliquid dicendũ esset breuiter de remissione eorum venialium in altera vita, quando coniunguntur cum mortali aut originali in damnatis, de hac quæstione tractaui Tomo 3. disp. 53. sect. 4. vbi ostendi, quoad culpam non remitti, ob rationem generalem, quod homo peccator nec facit opus condignum pro ea satisfactione, nec si faciat, acceptetur à Deo, peccato mortali iustè eam non acceptationem exigente: quoad pœnam verò eam omnino finiri per satispassionem, quia hæc nõ requirit nec culpæ remissionem, nec voluntariam acceptationem pœnæ. Hinc dixi, multò minùs cum qui cum solo veniali & Originali moreretur esse puniendum pœna æterna sensus addidique, cum in pueris (vt ratio naturalis videtur requirere, quæ à minoribus ad maiora progreditur) frequenter sit imperfectus vsus rationis sufficiens ad veniale, nõ ad mortale; deinde sint aliqui tota vita semistulti, habentes capacitatem venialis, non mortalis, non posse adeò rarum casum esse mortis cum Originali, & solo veniali, vt quidam putant, sed fortasse esse valde frequentem: qua autem pœna tales Deus in altera puniat donec satispatiantur, est nobis incognitum; nec est necessum recurrere ad pœnã ignis; habemus enim ex multis Historiis aliquos aliis modis purgari. Quòd si ad ignem sit recurrendum, cur non eos Deus etiam extra Purgatorium in alio loco igne torquere poterit, vti etiã Dæmones extra infernum, & animæ Purgatorij extra illum locum sæpè torquentur? Denique nec quia nobis sit incognitus locus debemus negare possibiles esse casus mortis cum solo Originali, qui in Gentilibus, nisi ad miracula recurramus, frequentissimi debent esse ob dicta.

Remittitur tamen quoad pœnam.

Vt & ij qui habent Originale.

Multi morãtur cum solo Originali & venialibus.

DISPVTA

DISPVTATIO XV.

Vtrùm peccata reuiuiscant de facto, aut saltem diuinitùs possint reuiuiscere.

POSTQVAM explicuimus effectum pœnitentiæ, qui in remissione peccatorum consistit, necessum est explicare, an ea remissio talis tamque potens sit vt amplius nullum peccatis locum relinquat resurgendi, è contrario verò, an eadem remissio restituat omnem statum, qui fuerat antequam peccata superuenirent. De his quæstionibus aliqui valdè fusè, & fortassis non satis distinctè, maximè de secunda: Primò enim agunt de reditu antiquæ gratiæ, ac deinde de reditu meritorum; cùm tamen, vt ostendimus inferiùs, redire antiqua merita nihil penitùs aliud esse possit, quàm gratiam illis debitam redire: ne ergo bis eadem repetamus sub diuersis vocibus, sensum quæstionis diligenter oportet explicare. Agemus priùs de peccatorum reditu, quia minorem habet difficultatem, deinde de meritis.

SECTIO I.

Status quæstionis, & varia sententia circa reditum peccatorum dimissorum.

An peccatis actuale redire possit, saltem diuinitus.

NOn loquor de peccato actuali, quia hoc redire non potest, nisi physicè producatur idem numero actus physicus, qui præcesserit: hoc autem naturaliter non potest fieri (vt suppono ex Physicis) estque difficultas communis omnibus aliis rebus semel destructis, potest tamen fieri diuinitùs, quia in hoc nulla apparet repugnantia. neque enim ille actus physicus fuit essentialiter alligatus his circumstantiis temporis, loci, &c. quibus productus est, nisi loquamur in sententia Cardinalis Lugo: Actus intellectus & voluntatis identificantis cum suis durationibus alligaris huic & illi tempori: quam sententiam alibi examinauimus. Nihilominùs tamen etiam ab ea sententia abstrahendo P. Suarez obiicit; Si miraculosè reproduceretur idem numero peccatum, Deus esset propriè causa illius; (quod repugnat,) quia productionis miraculosæ Deus est propriè causa. Respondeo, Nullam hic difficultatem esse; nam in sententia ipsius P. Suarez, & omnium benè sentientium, licet Deus non determinet ad speciem actus, determinat tamen ad indiuiduationem; quasi hoc modo diceret, *Ego non te determino vt fureris, sed tua id relinquo voluntati, vt facias, vel non facias, prout libuerit; non tamen paro tibi concursum nisi ad hanc indiuiduam voluntatem furandi*; vnde sequitur, casu quo ille homo velit furari, non posse habere aliam voluntatem nisi hanc numero. Hoc ergo supposito ad rem nostram dico, Deum, quando secundò parat concursum eidem peccatori vt ferretur vel non, eadem planè facilitate, qua potest illi determinare concursum ad indiuiduum volitionis B, etiam posse loco illius parare ad indiuiduum A, quod prius fuerat productum. Cùm enim illa duo indiuidua sint omnino inter se æqualia, & Deus teneatur dare concursum ad vnum ex illis; certè quod det potiùs ad A quàm ad B, aut è contrario, nullam nec apparentem indecentiam dicit; & ad punctum nouæ, maioris aut minoris malitiæ per accidens omnino est, quòd illud indiuiduum iam fuerit aut non fuerit productum: ac proinde sicut potuisset Deus, casu quo anteà non extitisset, determinare suum concursum modo dicto ad illud, ita eodem modo potest, esto extiterit; quia non est ideò maioris malitiæ, quàm si non extitisset. Fateor ergo Deum esse specialem causam, non quòd ille homo furetur, sed quòd, casu quo furetur, ad faciat per hunc numero actum potiùs quàm per alterum omnino similem; in quo, vt diximus, nulla est indecentia, esto sit actio miraculosa.

Negat Suarez.

Reiicitur.

Hoc tamen ad rem nostram obseruandum; Etiamsi eo casu rediret idem numero peccatum quod anteà fuerat, non tamen illum reditum esse eum de quo in præsenti agimus: eo enim casu offenderetur quidem Deus per illum actum, sicut fuerat offensus priùs: non tamen offenderetur, quia hic homo olim Deum offenderat per eum, sed quia iam illum offendit; ac proinde moraliter non rediret antiquum peccatum, sed quasi nouum omnino æquale primo committeretur. Quæstio ergo est, An homine non peccante de nouo in ea materia, eo tamen ipso quòd aliud peccatum facit, odio habeatur, aut haberi possit à Deo, non solùm ob nouum peccatum, sed etiam ob antiquum, quod fuerat iam illi remissum. Agimus de reditu peccati; nam de habitibus malis non est nobis sermo; hi enim possunt etiam cum ipsa gratia manere, & per illos Deus non offenditur vllo modo. De quo puncto alibi fusè.

Licet idem Peccatū actu. alio reproduceretur, non tamē diceretur moraliter redire anti. quū pe catū.

Quæstio est solùm de pec. cato habituali.

Erit ergo quæstio de reditu peccati habitualis tam quoad maculam quàm quoad pœnam in qua non defuêre Antiquiores aliqui qui affirmauerint; referunt Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis Par. 4. cap. 9. & Gratianus dist. 4. de Pœnitentia c. 10. &c. quod grauius est, Magister Sententiarum in 4. dist. 22. quæstione in vtramque partem disseusa ait; Vtrique parti quæstionis probati fauent Auctores; ideoque alicui parti non præiudicans, studioso Lectori iudicium relinquo. Medina verò Codice de Pœnitentia, dum respondere conatur argumentis in contrarium, videtur velle insinuare eam sententiam esse probabilem.

Sententia Hurtad. Peccata de facto non reuiuiscere neque quoad pœnam, neque quoad malitiam, neque quoad offen-

Thomas Hurtadus, è RR. Patribus Clericis Minoribus, in suo Præcursore Theologico dis. 2. de Reuiuiscentia operum, Controuersia 1. ait adeò certum esse, peccata de facto non reuiuiscere neque quoad pœnam, neque quoad malitiam, neque quoad offensam, vt id iudicet esse

esset de Fide; quia nullus est ex Catholicis, qui asserat peccata perfectè reuiuiscere; nam Hugo Victorinus, Gratianus, Guilielmus Parisiensis & Magister in 4. dist. 22. solùm loquuntur de reditu peccati ob ingratitudinem imbibitam in peccato subsequente. Idem verò Hurtadus posteà Controuersia 2. membro 1. vt P. Vasquez sentientem, nec de potentia absolulta posse peccata redire, faciliùs reiiciat, hæc habet: *Hanc sententiam prorsus falsam existimo; multi enim antiqui Patres existimant per subsequens peccatum vel per aliquod in particulari redire omnia peccata antiqua non solùm de potentia absoluta, sed etiam de facto.* Hæc ille. Vide manifestam contradictionem: scio illum paulò pòst dicere, se non putare Patres ita sensisse. Verùm in hoc ipso addit nouam contradictionem; nam si Patres non ita sentiunt, quomodo quæso dicit sententiam Patris Vasq. quòd de potentiæ absoluta nequeant redire peccata, esse prorsus falsam & contrariam omnibus antiquis & pluribus Patribus; quomodo item paulò post ita loquitur: *Magistri qui dicunt de potentia absoluta vel de facto posse peccata redire, sicut Magister, Gratianus, Hugo Victorinus,* &c. post quæ addit: *At Vasquez nullum adducit pro se Auctorem antiquum.* Vbi duas vel tres contradictiones huius Auctoris considera, non tamen ex alia causa prouenientes, quàm ab animo perturbato ex odio in Patrem Vasquez, quem amarulentè ibi passim excipit quasi male affectum in Patres, quasi carentem luce doctrinæ, quasi impingentem Patribus passim hæreses, quasi minùs benè loquentem de alijs Doctoribus: quæ omnia quàm sint à veritate aliena, summum nomen, quod apud omnes benè sentientes Pater Vasquez semper habuit, manifestè ostendit. Sed iam contradictiones huius Auctoris videamus.

4

Contradictiones Prima.

Prima est, quòd cùm à Recentioribus Primò mota sit hæc quæstio de potentia absoluta, non apparet vnde Vasquez doctrina quoad hanc possibilitatem possit esse antiquis contraria, qui de illa non egerunt; nisi dicat, Esto expressè de ea non egerint; quia tamen docent de facto peccata redire, eo ipso à fortiori eos sentire etiam de potentia absoluta posse. Verùm si hoc dicat, eo ipso fatetur Patrem Vasquez iure optimo dixisse eos antiquos esse in tali sententia; fatetur etiam se malè dixisse superiùs, nullum esse pro ea sententia; & certum esse de Fide, non dari talem reditum: non enim dicet de Fide id, quod omnibus antiquis & pluribus Patribus est contrarium.

5 *Secunda*

Secunda huius Auctoris cõtradictio est, quòd cùm superiùs dixerit Gratianum, Magistrum, &c. non de reditu peccati in sensu præsenti, sed ratione ingratitudinis, quæ in subsequenti peccato imbibitur, locutos esse, iam hìc, vt ostendat Patrem Vasquez nullum habere pro se Auctorem, dicit illos locutos de hoc reditu. Et reuerà si Hurtadus legit Magistrum, nescio quomodo ausus est dicere, eum non egisse de proprio peccatorum antiquorum reditu: cùm enim in 2. §. eius distinctionis 22. agat expressè. Magister de sententia explicante reditum hunc per ingratitudinem, & hanc dicat esse aliorum sententiam; quis non omnino cæcus non videat, Magistrum in priori sententia, pro qua citauit tot Patres, egisse de vero peccatorum reditu in sensu præsenti, & pro eo illos citatos esse Patres, quos Vasquez deinde citauit, ob quam citationem adeò in Vasquez Hurtadus exarsit: Et sanè Magister non est ausus prædictos Patres explicare pro sententia de ingratitudine; imò addidit, vtramque sententiam habere pro se probatos Doctores; ideoque alicui parti non præiudicando, studioso Lectori iudicium ille relinquit. Et reuerà adeò clarè aliqui ex Patribus loquuntur de eo reditu, vt diligenter rem consideranti appareat expositionem huius Auctoris de reditu per ingratitudinem esse violentam.

Auctoris probationes. Prima:

Id quod facilè probo. Primò, quia multi ex illis id limitant ad certas species peccati; ob quas solas dicuntur antiqua redire: at ingratitudo omnibus subsequentibus peccatis conuenit; ergo illi non de ingratitudine loquuntur, sed de proprio reditu. Nec sufficit dicere, illis specialibus peccatis conuenire speciaiiter ingratitudinem: hoc inquam dicere non sufficit ad mentem Auctorum illorum & Patrum, quia illi non dicunt antiqua peccata specialiter per aliquas nouas species peccatorum redire, sed absolutè dicunt per aliquas redire, per aliquas non; hæc autem negatiua omnino est falsa iuxta explicationem de ingratitudine, in qua omnia redeunt, licet non omnino æqualiter.

6 *Secunda:*

Secundò, ideò ea explicatio est insufficiens; quia ea ingratitudo (æpissimè non interuenit, quandocumque scilicet homo peccat sine cogitatione peccatorum antiquorum, aut non aduertens ea esse sibi remissa; hæ autẽ inaduertentiæ passim in talibus peccatoribus contingunt, qui dum peccant (maximè ex repentina passione) non se reflectunt facile ad statum suum præteritum, & ad hoc quòd iam antea de alijs peccatis egerint pœnitentiam. Auctores verò qui eum reditum ponunt, non limitant suam sententiam ad casus, in quibus non obliuiscitur peccator antiquorum peccatorum.

Tertiò:

Idem Tertiò probo, quia ea ingratitudo non solùm inuenitur in primo peccato quo ille homo iterùm amittit gratiam, sed etiam in omnibus alijs peccatis, quæ deinde committit; vnde quò plura tunc de nouo committit, eò magis auget ingratitudinem, quatenus non solùm est Deo ingratus ob iustificationem sibi olim concessam, sed quia eum Deus adhuc sustinet post commissa noua peccata. Atqui Patres & Theologi qui dicunt redire antiqua peccata, solùm loquuntur de peccato illo primo, quo iustificationem amittit hic homo; ergo agunt non de circumstantia ingratitudinis communi omnibus peccatis, sed de vero reditu odij & pœnæ ob præcedentia peccata.

7 *Vltima.*

Vltimò id ipsum probo, quia ea ingratitudo nõ desumitur ex peccatis antiquis, sed ex illorum condonatione, quatenus homo est beneficio diuino ingratus; vnde illa tota malitia noua purè putè se teneat ex parte noui peccati, quod redditur grauius ex ea circumstantia. Atqui Patres aliqui clarissimè dicunt eum hominem puniri non solùm ob nouum peccatum, quod agnoscit iam esse grauius, & consequenter etiam grauiùs punir; sed addunt puniri etiam ob ipsa præterita. Quo sensu loquitur Magnus Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 60. vbi ita ait: *Ex quibus constat, quia si hoc, quod in nos deliquimus, non ex corde dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam fuisse dimissum gaudebamus.* Ex quibus verbis efficaciter argumentor: Peccatum ingratitudinis, & malitia illa inde accrescens non fuerat nobis remissa

missa; sed primò deindè committitur. Atqui Gregorius ait illud ipsum, quod fuit remissum, exigi à nobis; ergo non agit de peccato futuro, sed de ipso iam remisso. Quo etiam sensu ferè loquitur Rabanus relatus cap. 2. de Pœnitentia: *Considerandum*, inquit, *quod dicit vniuersum debitum, quia non solùm peccata, quæ post Baptismum hoc egerit, reputabuntur ei ad pœnam, verum etiam peccata Originalia, quæ in Baptismo ei dimissa sunt.* Vbi pondera hunc Auctorem cum emphasi dixisse *vniuersum debitum*: hoc autem non potest per ingratitudinem saluari; nam licet demus ex ea crescere aliquantulùm peccata, non potest cum apparentia probabilitatis dici homini, cui sunt dimissa innumera & grauissima peccata, si deinde per ebrietatem amittat gratiam, eam ebrietatem apud Deum mereri tantum odium tantámque pœnam, quantam omnia illa innumera peccata simul sumpta, & quodlibet in se grauissimum, merebantur, vt optimè ostendit D. Thomas 3. part. quæst. 88. art. 3. in corpore; ergo non reddit per ingratitudinem quidquid antè debebatur, seu vniuersum debitum; quod tamen, vt dixi, cum emphasi pondérat Rabanus. Præterea non ait hic Auctor, Peccata, quæ post Baptismum egerit, erunt maiora & grauius punientur; sed, Et hæc & illa punientur. Vides hæc & similia Patrum verba adeò ei sententiæ clarè fauere, vt nisi cum aliqua violentia nequeant explicari de ingratitudine; vnde (vt dixi suprà) neque ipse Magister Sententiarum ausus est eis explicationem vllam dare; sed secundam sententiam de ingratitudine ponens, neutram determinatè tenet. De Augustino, ob cuius citationem etiam reprehendit Vasquezium Hurtadus, multa essent dicenda. Illud certè mirandum est, quod dixerit Hurtadus, Augustinum nec leuiter eam sententiam insinuasse, cùm Diuus Thomas in Augustino versatissimus eum sæpiùs adduxerit, saltem vt eum explicaret. Verùm hic Auctor in gratiam, vt dixi, impugnandi Vasquez videtur sui & veritatis oblitus; nam Magister Sententiarum citat Augustinum pro ea sententia; dicat iam Hurtadus, cur ea loca D. Thom. non adduxerit, saltem vt ea explicaret, nisi velit etiam ipsum Magistrum Sententiarum reprehendere tanquam male citantem Augustinum. Præterea ipsemet Hurtadus membro 1. videtur omnino supponere Augustinum difficulter in hac materia locutum, cùm ad eum excusandum recurrerit ad extrinsecas rationes, quòd scilicet D. Prosper Augustini discipulus, qui à suo Magistro non solet discedere, contrarium expressè docuerit. Certè si Augustinus nec leuiter id insinuasset, non fuisset opus ad Prosperum recurrere, sed vno verbo dicere; Nihil ex Augustino affertur, quo ea sententia vel leuiter insinuetur. Denique licet fortè ea loca contra Donatistas possent facilè explicari, tamen Tomo 10. Serm. 15. absolutè asserit hunc reditum peccatorum, ideóque indiget explicatione de reditu ratione ingratitudinis. Vides ergo etiam iuxta hunc Auctorem Augustinum insinuasse saltem leuiter eam sententiam? Cur ergo eum D. Thomas non citauit, aut cur Vasquez reprehenditur eum citans cum Magistro, & absolutè eum explicans in bonam partem? Et satis de hoc Auctore in Iesuitas iniquo animo passim insurgente, & de censura ipsius in sententiam vniuersaliter affirmantem, per quodlibet peccatum sequens redire dimissa peccata.

8

Alij igitur Auctores etsi vniuersaliter de omnibus peccatis id dicere non audeant, quatuor tamen species grauiores assignant, ob quas eum reditum de facto concedunt, hæ autem sunt, odium in fratres, apostasia in fide, contemptus confessionis, & dolor de actu priùs Pœnitentiæ. Fundatur hæc opinio in illa parabola Matt. 18. de seruo, cui dominus remiserat omnem debitum suum; postea verò, quia noluit ipse dimittere conseruo suo, iterùm dominus debitum repetiit ab eo, & curauit in carceres intrudi quoadusque redderet vniuersum debitum, post quæ addit Christus Dominus: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ex quo loco licet ad primam tantùm speciem ex quatuor enumeratis videtur argumentum posse desumi, & ita nonnulli Auctores de ea sola prima specie loquantur; alij tamen vniuersaliter inde discurrerunt, quia non est maior ratio de illa prima specie quàm de aliis tribus.

9

Quidà dicit certa quatuor peccatorum species reuiuiscere:

Eorum fundamentum.

Circa eum igitur locum P. Vasquez hìc q. 89. art. 1. putat, vt supra diximus, aliquos sanctos Patres vt Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum & alios motos hac parabola sensisse, saltem propter peccatum crudelitatis redire dimissa peccata. ipse verò ibi post refutatas varias expositiones eius loci in illam maximè inclinat, quam ait se maluisse videre apud alium, quàm primùm illam tradere, scilicet Deum frequenter punire simile peccatum, permittendo vt homo ille labatur in tot ac tam grauia peccata quàm fuerant illa priùs remissa, ideóque æquiualenter dici posse illa redire Probabilis expositio, cùm tamen Christus in parabola videatur generalem quasi regulam tradere, & permissio hæc non sit infallibilis in pœnam eius peccati, videri posset non omnino satisfacere.

Explicatio fundamenti suprà ex sacra Scriptura positi facta à P. Vasquez. est probabilis.

Secundò alij dicunt, peccatum illud post remissa peccata accipere ex circumstantia ingratitudinis tantam malitiam, vt quodam modo videatur æquare omnia priora. Hæc tamen solutio est summè difficilis; nam Christus Dominus non est locutus vniuersaliter de omnibus peccatis, quæ habere possunt eam circumstantiam ingratitudinis, sed solùm de proximi odio. Potest autem ille, cui innumera & grauissima peccata sunt remissa peccare deinde in alio genere, v.g. infidelitatis, blasphemiæ, &c hæc autem peccata non minorem acciperet debent grauitatem ex ea ingratitudine, quàm acciperet proximi odium quare ergò Christus specialiter de hoc odio loquens dixit; *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*: ergo ea solutio nulla est. Displicet eadem Secundò, quia potest contingere, vt homo post peccata dimissa peccet sine vlla aduertentia planè ad obligationem, quam habet ratione remissorum peccatorum: sine aduertentia autem non potest crescere ea malitia. Tertiò, quia esto maiorem ex eo capite habeat sequens peccatum contrarietatem cum ratione, est tamen valdè dubium, quanta ea maior malitia sit; & fortasse vix æquiualebit duobus aliis peccatis distinctis; vnde non potest ratione illius dici quòd æquiualenter redeant peccata iam dimissa.

10

Secunda explicatio mihi bona.

His ergo & aliis explicationibus reiectis, quas Suarez discutit disp. 3. sect. 1. à num. 7. mihi facilior illa videtur, quæ dicit non fuisse seruum illum punitum postea propter debitum iam antea

Explicatio melior.

tea illi remissum, sed propter peccatum nouum, seu propter voluntatem suffocandi consetuum; illa verò verba *Quoadusque redderet vniuersum debitum*, non de debito priùs remisso, sed de nouo contracto intelligenda esse: nolebat enim amplius Deus illum seruum expectare, 11 sicut expectauerat pro priori debito. Quod tam vltimum non est ita intelligendum, vt numquam Deus expectet ad pœnitentiam eum quē simili odio in fratres peccauit; seu quòd numquam talibus det auxilia etiam efficacia ad pœnitentiam: certum enim est sæpè tales re ipsa illam agere, & saluari: sed quia ex se peccatum illud videtur talem pœnam promereri, quam etiam frequenter Deus infligit; quod autem paulò superiùs insinuauimus, Christum ibi regulam generalem videri tradidisse, ex quo capite dixi, fortasse alicui non probandum solutionem Patris Vasquez, non est cum omni rigore intelligendum; quia ex nulla ferè parabola potest regula generalis desumi. Mihi ergo ex hoc capite non displicet solutio Vasquez, sed quia pœna, de qua loquitur, valdè rarò videtur infligi in pœnam eius peccati, vnde non potest in regulam non solùm vniuersalem omnino, sed nec moraliter generalem accipi.

Explicatio alia etiam bona.

Secundò principaliter responderi potest; Esto in ea parabola esset sermo de reditu peccatorum in sensu quæstionis nostræ, nihil tamen inde efficaciter contra nos: nec enim omnia, quæ in parabolis continentur, applicātur postea in toto rigore ipsi veritati: multa enim ponuntur quasi ad ordinandam parabolam; quod facilè ex multis aliis possemus ostendere, nisi res esset valdè certa. Solùm ergo est in parabolis pensandus finis præcipuè intentus: in hac autem præcisè fuit ostendere grauitatem crudelitatis in fratrē, & quàm seuerè Deus illam puniat; & quòd reddatur quasi inexorabilis propter hoc peccatum: quòd autem alia redeant, vel non redeant, est extra intentum parabolæ.

12 *Respondetur aliis locis sacræ Scripturæ.*

Ad ea verò loca, quibus petitur, ne Deus recordetur antiquorum peccatorum, dici potest, nomine antiquorum non intelligi ibi peccata iam remissa, sed olim commissa, & nondum expiata, ob quæ Deus adhuc distulit pœnam; quámque videtur seruare in diem iræ. Petitur etiam, ne ob illa moueatur iam Deus ad noua permittenda, vel ad negandum locum pœnitentiæ: quod idem suo modo dici potest, etiamsi de iam remissis loquamur; quia ob eam circumstātiam ingratitudinis (de qua paulò superiùs) licet non crescant peccata eo sensu, quo Auctores aliqui loquuntur; moueri tamen Deus frequentissimè solet ad negandum locum secundæ pœnitentiæ.

Fundamentū aliud affirmantium peccata remitti sine.

A ratione non video, quid possit pro hac sententia obiici, nisi quòd pœna debita pro peccatis iam dimissis, si nondum est soluta ab eo qui damnatur, sit futura æterna in inferno; quòd si redit æternitas pœnæ remissæ, ergo redit & culpa: hac enim non redeunte, iniquum esset illam redire; pœna enim vt talis dicit ordinem ad culpam.

Soluitur.

Hoc argumentum satis magnam difficultatem habet in eorum sententia, qui nullam in inferno admittunt satispassionem, ob quam etiam sunt in varias solutiones diuisi; quas omnes meo iudicio efficaciter reiecī Tomo 3. disp. 53. à n. 14. vbi defendi vt longè probabiliorem sententiam Scoti docentis, pœnam debitam pro mortalibus iam remissis quoad culpam, vel pro venialibus nondum remissis, non durare vltra illud tempus quo deberent durare, si homo non fuisset damnatus; quia nec peccata præcedentia vt præcedentia reddūntur ex aduenīēte nouo mortali digna maiori pœna, nec satispassio requirit esse amicū eum, qui satisparitur, nec petit voluntariam acceptationem. Nec denique ex eo quòd culpa duret, debet durare pœna: quia culpa illa vt præcedens solùm merebatur duos dies v.g. pœnæ: his autem toleratis etsi maneat culpa, non manet dignitas ad alios duos dies, quia hoc esset nouam dignitatem resurgere in eo peccato: sed si volumus dicere manere illam dignitatē, ita id intelligendum, vt de præsenti verum sit dicere, Hoc peccatum est dignum pro tali differentia temporis ea præcedenti pœna, quam tunc tulit: sicut in propositionibus dici solet, quòd 13 maneant de præsenti affirmantes cursum v.g. Petri non pro instanti quo durant propositiones, sed pro eo quo primò productæ sunt, maximè in illis de Fide: *Christus nasceturus*; quam habuit Iudæus immediatè antequam nasceretur Christus, in qua durauit vsque post natiuitatem: manet enim illa propositio affirmans semper; *Nasceturus respectu eius instantis, quo primo exstiti*; ita dignitas illa pœnæ manet hoc modo, quasi dicens, *Hoc peccatum est dignum ea pœna pro eo instanti, quo illam tulit*: seu, *Hac est illa dignitas, cui iure fuit imposita talis & talis pœna*: non licet autem dicere. *Hæc est dignitas ad aliam pœnam* (suppositā priorē) *imponendam*: hæc enim valdè diuersa sunt, ac proinde esto maneret dignitas præcedens, nihil tamē de protractione pœnæ inferre licet. Vide hæc omnia fusè ibi discussa.

Addo nunc pro præsenti materia, si peccata non sint remissa quoad culpam, tunc etiamsi diceremus illorum pœnam esse æternam, nihil tamen inde cōtra præsentem difficultatem, quia solùm agimus de reditu peccatorum; eo autem casu cùm non sint adhuc remissa, non posset esse reditus propriè; quod verò pœna tunc protraheretur, non valet nisi ad inferendam aliam conclusionem à nostro intento disparatam, quòd scilicet si non remittatur peccatum quoad culpam, non remittatur quoad pœnam.

SECTIO II.

Proponitur certa & communis sententia eum reditum negans: vbi de reditu pœnæ sensus.

CONTRARIA ergo sententia docens, peccata semel dimissa non amplius redire, est certissima inter omnes ferè Scholasticos, vno vel altero, vt dixi, excepto, cum D. Thoma hic quæst. 88. art. 1. & in 4. dist. 22. probari autem solet ex Ezechielis 18. cap. vbi hæc habentur; *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Mihi tamen non videtur hic locus admodum efficax, cùm eadem ferè verba è contrario dicātur ab eodem Propheta de opere bono, si postea sequatur peccatum: & tamen merita admittuntur redire 14

Probatur, hæc sententia, sed non sufficienter.

Tannerus

Tannerus ait esse valdè diuersum vnum testimonium ab altero, in quo autem sit ea differentia non declarat, & reuerà penitus nulla est: nam quòd dicat sacra Scriptura, *Non recordabuntur, Non recordabor*, ad intentum præsens nihil omnino facit. Quòd verò dicitur à Suario & aliis, diuersissimè dimitti peccata quam mortificentur merita, hoc inquam etiamsi in se verissimum sit, nihil tamen penitus iuuat ad loca sacræ Scripturæ cum ea distinctione intelligenda: nam in eis nihil omnino dicitur de ea diuersitate. Aliud autem est, sententiam aliquam rationibus persuadere, aliud verò auctoritatibus sacræ Scripturæ & Patrum.

Secundò probatur etiam inefficaciter.

Secundò probatur alio testimonio Pauli, quo D. Thomas est vsus in argumento *Sed contra*: ad Romanos enim 11 ait; *Sine Pœnitentia sunt dona Dei*: ergo Deus non resumit iterùm peccata iam dimissa. Circa quem locum dico, ex eo non probari conclusionem nostram: quia solùm dicitur in eo non pœnitere Deum de his quæ concessit: id quod verissimum est, quia Deum non pœnitet, quòd remiserit peccatum: at per hoc non ostenditur vllo modo eam remissionem fuisse cum hac vniuersalitate, vt licet iterùm homo peccaret, nollet eum odio habere ob præcedentia peccata.

15 *Probatur efficaciter.*

Relictis ergo his locis probatur faciliùs ea sententia ex Gelasio Papa in cap. *Diuina*, de Pœnitentia distinctione 4. vbi ait: *Diuina clementia dimissa peccata in vltionem redire non patitur.* Idem habet S. Prosper in responsione ad 2. obiectionem Gallorum: quam auctoritatem D. Thomas citat ex Augustino in libro Responsionum Prosperi. Duo ergo hi Patres ita habent: *Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit: sed non in quod remissum est recidit, nec Originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficitur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur.* Ponderat autem Cardinalis ibi (quòd etiam in Thoma Hurtado disp. 2. controuersia 2 memb. 1. inuenio ponderatum) Prosperum sensisse esse de Fide peccata non redire, ùm dicat tam falsum esse asserere eum reditum, quàm dicere non esse illum damnandum, qui post gratiam acceptam labitur in peccatum, & in eo moritur. Quod vltimum sine dubio est hæreticum, Hæc tamen ponderat o nullo modo est solida: nam Prosper in prioribus verbis (quæ & ipse Lugo citat) quibus eam fecit comparationem, non egit de hac quæstione Hæc enim sunt formalia Prosperi verba: *Sed relapsum post Baptismum ad infidelitatem & impios mores qui negat fuisse Originali peccato purgatum, tam falsa opinatur, quam qui eumdem asse it non æterna morte esse damnandum.* Vides comparationem esse circa remissionem veram peccati præcedentis, non circa negationem reditus peccatorum: de quo solo reditu nunc agimus. Sufficiat ergo Prosperum absolutè esse pro hac nostra sententia.

Probatio à ratione.

In probatione illius à ratione non conueniunt inter se Actores: communiter id probant, quia omnino repugnat talis reditus etiam diuinitus. Cùm enim malum culpæ procedere debeat ab homine: Deus enim solus non producit peccatum: repugnat illud à solo Deo iterùm produci: nam homo, eò quòd nouum committat, non reproducit antiquum, vt per se est clarum: & licet tunc illud reproduceret, iam non puniretur propter antiquum, sed propter nouam productionem, quæ esset perinde ac nouum peccatum. De huius argumenti efficacia non potest melius quidquam dici quàm ex secunda quæstione statim discutienda, Vtrùm scilicet peccata semel dimissa possint diuinitus redire.

16 *Quid de reditu pœnæ sensus.*

Priùs tamen explicandum secundum punctum in titulo positum de re sit: pœnæ sensus debitæ ob peccata dimissa. Dico *pœne sensus*: nam de reditu pœnæ damni dicam sectione sequenti. Est autem in hoc reditu ex vna parte minor difficultas; nam esto Deus solus nequeat producere culpam, pœnam tamen solus potest infligere. Aliunde verò Suarez adducit vnum vel alterum locum sacræ Scripturæ, quasi eum reditum pœnæ specialiter insinuaret: vt 3. Reg. 17. *Quid mihi & tibi o vir Dei? tu ergo es, vt memoretur iniquitates meæ?* & imprecatio Psalm. 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* Respondeo tamen, Hæc loca tam esse de reditu & memoria nouæ culpæ quàm pœnæ, quia nulla fit ibi omnino mentio specialis pœnæ: & idem dico de tertio testimonio ex Psalm. 37. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*: quasi propter stultitiam noui peccati recreduerint antiqua. Dico enim, neque in hoc mentionem esse de pœna specialiter, ac proinde non esse ad rem. Respondeo Secundò absolutè (sicut paulò antè dixi ad alia pro prima quæstione allata:) sto ibi esse sermonem de pœna peccati tam damni quàm sensus (de qua nunc loquimur) non tamen esse sermonem de peccatis remissis, sed de olim commissis: quæ fortè poterat quis putare quasi humano modo in obliuionem coram Deo venisse, eò quòd ea non puniisset. Tertiò dico, Neque esse sermonem de reditu eius pœnæ inferni, sed alicuius temporalis: vel certè, quòd Deus ob ingratitudinem hominis in beneficia accepta permitteret labi in noua peccata. Quod item dicitur, *in memoriam redeat iniquitas patrum eius*, ex eo rursus capite non est ad rem, quia ibi parentes illi iam ponebantur mortui prudenter: ergo pœn. illis debita non poterat redire nunc ratione peccati de nouo ab iis commissi: de quo solùm puncto nunc disputamus. Præterea non redibat ea pœna in parentes qui peccauerant, sed in filios: id quod reducitur ad aliam quæstionem, Vtrum scilicet possint filij puniri ob delicta parentum. Denique illud de putrefactione delictorum multi probabilissimè explicant de putrefactione ob dilatam pœnitentiam, alij de relapsu in alia antiquis similia ob non vitatas causas peccatorum: sicut solet ad eumdem morbum secundò labi infirmus, si secundò faciat excessum quem priùs: nihil ergo omnino est quod vel de reditu pœnæ: vel de reditu culpæ ex eis locis colligi possit.

Loca Sacræ Scripturæ, videntur probare reditum pœnæ.

Conclusio. Deus de facto non punit.

Absolutè autem dubio proposito respondendum, neque pœnam de facto redire. Ita omnes quos diximus suprà stare contra reditum peccatorum, qui absolutè indiscriminatim loquuntur. Adducitur in confirmationem huius doctrinæ locus ille Nahum. 1. *Non iudicabit Deus bis in idipsum*: verùm optimè P. Suarez ostendit eum non esse ad rem: negabunt enim statim Aduersarij fore ibi punitionem bis, cùm prima peccata adhuc non fuerint punita semel. Faciliùs ergo suadetur Primò ex eis locis, quibus vsi sumus pro prima quæstione: quia in illis magis adhuc excluditur reditus pœnæ quàm culpæ.

Probatur.

vt benè notauit idem Suarez: qui ratione illam

Probatio Suar. vt minùs bona.

probat; nam Deus non potest retractare suam voluntatem, neque agere contra suum decretum: atqui per primam remissionem abstulit simpliciter & absolutè debitũ pœnæ; ergo hæc non potest iam redire. Hæc ratio supponit id quod est probandum; nam Aduersarij dicunt Deum non nisi sub hac conditione pœnam remisisse; *Nisi homo iterùm laberetur in peccatum.* Contra quam solutionem non facit quod Suarez ibi fusè probat; Deus etsi tamquam Dominus possit infligere dolores, eos tamen tunc pœnæ rationem non subituros; concedimus enim hoc, negamus tamen eo casu fore id necessarium, cùm remissa nondum fuerit absolutè pœna debita peccato remisso quoad culpam. Quæ solutio maximè habet locum iuxta doctrinam quam tradit ibidem Suarez; & ego etiam omnino censeo veram, quòd diuinitus possit remitti culpa, esto reatus pœnæ æternæ maneat.

18 *Probatio P. Vasquez in pluribus pec. cans.*

Secundò idem potest ex Vasquez probari, quia si quis iustificatur per contritionem, extinguitur omnino peccatum tamquam per adæquatam satisfactionem; ergo totum debitum pœnæ æternæ extinguitur: si verò iustificatio fiat per gratiam habitualem, hæc etiam extinguit, non tegit aut sopit peccatum; ergo debet omnem reatum pœnæ æternæ delere; ergo cùm per subsequens peccatum non redeant antiqua, non poterit redire reatus eis antiquis respondẽs. De hac ratione iure dixit Suarez, multa falsa supponere fundamenta, vnum est, quòd contritio sit satisfactio adæquata pro mortali tam quoad culpam quam quoad reatum pœnæ æternæ: id quod & nos ponderauimus suprà, & fusiùs reiecimus Tomo 5. Secundò ea doctrina videtur falsa, quia si contritio planè extinguit pœnam æternam, vix, aut ne vix quidem potest, quomodo relinquat reatum pœnæ temporalis; quandoquidem peccato non debebamus duplex pœna, vna æterna, altera temporalis.

Si contritio de condigno extinxit pœnã æternã, vix potest offendi, quomodo reflet pœna temporalis.

Fortè dicet quis æternam tolli, quia est incompossibilis cum gloria, ad quam contritio dat ius; at temporalem posse cohærere cum eo iure, ideoque non mirum si non tollatur. Solutio hæc licet in aliorum principiis possit omnino subsistere, iuxta ea tamen quæ hic Auctor docet, quòd ea pœna æterna planè tollatur de condigno ex valore contritionis, non potest huc applicari; nam si ea tollitur ex adæquato valore Deo dato, ergo non est liberum Deo aliam temporalem loco illius substituere. Denique (vt idem Suarez benè notauit) saltem prima contritio, aut primus amor Dei supet omnia elicitus post iustificationem, deberet extingnere totam illam pœnam temporalem, quæ longè est minor quàm sit illa æterna, quam extinxit prima contritio; & verò cum secunda hæc habeat prærogatiuam illam præ prima, quòd in fieri dignificetur gratia habituali, maiorem longè deberet inde habere vim ad extinguendam pœnam. Hoc idem vrgeri potest etiam in ipsa prima contritione, quæ non ita instantaneè durat vt libertatem nouam aliquam non habeat; ea autem noua duratio libera tam meritoria est noui præmij adæquati, quàm si loco illius homo ille aliam numero distinctam eliceret; quia & id pro Dei honore est idem, & ex parte hominis nihil minus Deo offertur: quod fusiùs deduxi Tomo 3.

19 *Dissoluitur*

Nunc autem occurrunt duo verba circa instantiam quandam ex creatis; vnde video aliquos inductos ad negandum æquale meritum in continuatione actus: ea autem est: Nam si ego alicui offero semel donum aliquod non mereor tantumdem de nouo in oblatione secunda eiusdem doni quam in prima, idem ergo erit respectu Dei.

instantia à creatis desumpta, cur in re prima donatione eiusdem rei nõ mereat inter homines mereat apud Deum.

Hæc instantia contra me ab aliquibus, vt dixi, facta declarat efficaciam meæ doctrinæ: etenim in his rebus, quæ semel oblatæ alicui iam non manent amplius in potestate offerentis, ideóque siue ego reuocem voluntatem, siue non, siue offeram ea secundò, siue non, semper erit ea res illius, cui eam donaui; neque ego eam magis minúsve pono in ipsius potestate per secundam quasi donationem; proinde dubio habere non possum nouum æquale meritum peream secundam oblationem; & verò non solùm non habebo æquale, verùm neque indiuisibile accrescet ex parte rei obiatæ; sed summùm magis protestabor meum affectum: id quod verum erit, licet per actum omnino nouum post cessationem à primo rem illam iam donatam offeram. Non sic contingit in merito nostrorum actuum respectu Dei. Nam actus ille non idcò placet, quia aliud à se donet Deo, sed quia seipsum dat; quia seipso placet Deo, & per suam existentiam recreat (loquor more humano) Deum: atqui ex eo quòd recreauerit pro vno instanti, non recreat pro secundo; ergo dum nouam illius actus liberam continuationem Deo offero, nouum donum offero (quia quilibet actus non est donum nisi pro instanti quo durat) perinde ac si eo actu cessante alium omnino similem ei offerrem. Et satis de hac digressione.

Ex qua ad rem nostram probo eam contritionem in secundo instanti, quo post remissum mortale libere conseruatur, debere tantam pœnam extingnere de condigno, quantam in instanti priori extinxit; ac proinde vix posse capi, quo modo maneat vlla pœna temporalis in Purgatorio toleranda. Quòd verò Vasquez & alij dicunt, non posse hominem manere dignum pœna, si culpa non maneat cùm ea dignitas sit passio culpæ, habet difficultatem contra hunc Auctorem; quia illa ipsa pœna temporalis, quæ in sententia Catholica solet manere, est etiam passio culpæ; ideóque maior non est difficultas in permanentia huius, quàm esse potest in permanentia æternæ. Dicimus ergo; Vti in physicis aliquando manent multa ex accidentibus, quæ videbantur tantùm à substantia destructa prodire; vt in homine mortuo violenter permanet calor, mollities, &c. ita posse in mortalibus manere illum reatum pœnæ etiam ablata culpa. Quidquid verò sit de physicis, in genere moris res est clarissima, quia permanentia illa moralis est solùm in ordine ad memoriam, vt sic dicam Dei; potest autem, etsi deponat odium in hominem, ideoque remittat illi peccatum quoad culpam, adhuc tamen retinere ius ad puniendum, quia noluit hoc remittere: erat enim dominus vtriusque iuris, ideóque potuit vel vtrumque condonare, vel vnum tantùm; ex quo capite etiam pœnæ æternæ reatus potest diuinitus manere ablata culpa in ratione culpæ, vt paulò superiùs insinaui.

20 *Potest manere reatus pœnæ ablata culpa.*

Iam verò ad alteram partem de remissione culpæ per gratiam dicimus, Esto gratia natura sua sanctificet subiectum, peratque non tegi, sed tolli culpam, hinc tamen præcisè inferri, tolli

Gratia vt sanctificans non tollit reatum pœnæ.

culpam

culpam in ratione culpæ;at de dignitate pœnæ nihil inde colligi,quia hæc dignitas ad pœnam optimè potest redire quando ablata fuerit gratia ex subiecto,esto, dum hæc durat, non possit esse reatus ille:quia aliud est dicere, Quamdiu hæc forma gratiæ durat , debet abesse reatus; aliud,Hæc forma etiam quando non existit ampliùs , impedit tamen me ne redeat reatus. Id quod clariùs infertur ex doctrina,quam, ostendendo etiam quoad culpam posse redire peccata , paulò post trademus. His ergo rationibus omissis non putarem melùs posse communem eam sententiam probari(vt in simili de præcedenti dixi)quàm quòd Deus de facto totum planè remiserit simpliciter & absolutè; de hac autem voluntate nobis constare ex auctoritate superiùs allata;neque esse nunc quærendam rationem ex principiis ipsis naturalibus desumptam, cùm simus in quæstione ferè mere ex sola Dei voluntate desumpta Habet autem hæc doctrina locum quoad pœnam restantem mortali dimisso,aut venialibus nõ dimissis;iam enim dixi neque hanc fore æternam ob nouum peccatum superueniens.

SECTIO III.

Quid de reditu pœnæ damni.

21 PATER Suarez supra à num. 16. ad 31. de hac quæstione disputans ait vix posse decidi,quid sit in ea sentiendum.Iudico tamen ad rem nostram dubium hoc esse ferè inutile , & meo iudicio facillimum,ac,nisi de vocibus , vix posse esse vllam in eo dissensionem.Pro quo aduerte,varia posse circa eam pœnam quæri; Primò , Vtrùm redeat eadem numero aut specie quæ anteà erat; Secundò, An ea sit æqualis in omnibus; Tertiò,si inæqualis,vnde ea inæqualitas desumatur.Hæ duæ vltimæ quæstiones non sunt ad rem nostram,quia eamdem omnino habent difficultatem , esto peccata non redeant vllo modo:potest enim in duobus peccatoribus inæqualibus,qui numquam fuere iustificati,habere difficultatem eamdem : & de illa egi Tomo 3. disputans de pœnis peccatorum. Prima verò etsi huc videatur spectare , nullius tamen est difficultatis,explicatis terminis dicam breuissimè circa illas omnes meum sensum Supponendum tamen est dupliciter posse considerari eam pœnam : Primò , vt est in se carentia visionis beatæ:vbi duplex iterum potest esse consideratio:prima, vt est pura carentia visionis:secunda,vt est priuatio. Alterum quod in ea pœna potest considerari est dolor , seu afflictio quam damnati habet de ea carentia : quæ afflictio proximè & immediatè torquet hominem: nam illa carentia obiectiua si non cognoscatur, potest esse homini mala , at non afflictiua:sicut quando pauper v.g.dormit, eodem modo caret diuitiis ac quando vigilat : nullo tamen modo tunc affligitur ea carentia magis quàm si esset ditissimus omnium : vti è contrario diues tam parum delectatur , quando de diuitiis suis non cogitat, quam si mendicissimus esset.His suppositis quæ sunt apud omnes omnino certa,

Pœna damni variè potest considerari.

22 PRIMÒ DICO:Per peccatum nouum rediit pœnæ damni obiectiua tota quanta.quæ erat anteà, si consideretur secundum rationes negationis iuxta primum sensum sup a positum : in hoc non potest esse vlla ratio dubitandi:non tamen redit quatenus pœna præcedentium peccatorum,sed ratione noui tunc commissi. Probatur prima pars manifestè:nam homini anteà in mortali non solùm debebatur carentia huius aut illius visionis , huius aut illius gradus , sed plane omnium omnino graduum possibilium: hoc in dubium verti non potest: iam etiam per nouum mortale est eodem omnino modo reus omnium omnino carentiarum visionis beatæ possibilium:ergo habet ex parte obiecti easdem nunc carentias quas anteà,quia præter possibiles omnes, quas anteà habebat in reatu , nullæ aliæ sunt , quas nunc possit habere : quòd si rursus nunc habet omnes possibiles.habet adæquatè easdem quas antea, ex parte item subiecti earum carentiarum eadem omnino anima est quæ anteà:ergo circa illam primam pœnam non potest esse difficultas vlla. Quoad secundam partem, quòd illa pœna obiectiua non redeat intuitu antiqui peccati,est etiam certo certius:nam quodlibet mortale habet eam incompossibilitatem cum omnibus omnino visionibus : ac proinde quodlibet ex se infert adæquatam obiectiuam carentiam omnium possibilium ergo ad eam hic & nunc inferendam per hoc nouum peccatum habet se omnino per accidens antiquum,ac proinde nihil inde sequitur de reditu pœnæ:quia hæ carentiæ visionis non infligentur propter antiquum.

Per nouum peccatum redit tota pœna damni obiectiua,non tamen vt pœna priorum peccatorum.

Hinc infero.Etiam quando quis supra peccatum mortale adhuc non remissum addit aliud, nullam nouam negationem visionis induci per hoc secundum : quia nulla est(vt diximus)quæ possit ampliùs induci. Additur quidem nouus titulus ad illas easdem,ita vt si per possibile vel per impossibile tolliatur primus titulus, seu primum peccatum, & maneret secundum , adhuc manebit homo reus omnium illarum negationum,non tamen erit reus nouæ carentiæ,

Peccator addens nouum peccatum nõ incurrit nouã pœnam dãni.

23 SECVNDÒ DICO, Si ea carentia visionis consideretur quatenus subiectum illud habebat capacitatem aliquam ad visionem beatam, seu sedùm rationem priuationis , adhuc dupliciter posse nos loqui, vel vt homo ille erat non solùm capax visionis remotè,quatenus poterat habere multa merita,sed vt etiam proximè , quatenus habebat iam ius ad illam. In hoc sensu constat non posse esse dissensionem vllam , sed debere omnes fateri , illum , qui plures gradus gratiæ habebat anteà,acquirere nunc maiorem priuationem:hoc est, plura perdidisse quàm alterum,qui habebat minora merita:id quod explicatis terminis certissimum est.Si verò ea carentia consideretur etiam quoad esse priuationis,non rei iam acquisitæ,sed quam poterat absolutè assequi,cùm,quantum est ex se,Deus omnes remotè æqualiter eleuarit ad gloriam,& qui libet potuerit esse tam sanctus quàm alij omnes, habebunt omnes æqualem priuationem in esse priuationis.Hinc infertur,Per nouum peccatum post iustificationem non redire æqualem priuationem gratiæ iuxta primum sensum, sed maiorem in eo qui anteà fuit sanctior : iuxta secundum verò sensum redire æqualem.

Qui plura bona habuit merita acquirit peccando maiorẽ priuationem visionis beatificæ proximam.

Priuationem verò remotã acquirunt omnes æqualem.

Neque hinc sequitur , quòd Suarez obiicit num.21. priuationem visionis posse esse minorem in eo qui grauissimè peccauit, si antea nullam vel exiguam gratiam habuerat,quam in eo qui leuissimè peccauit , & anteà habuit magna

Obiectio Solutio.

merita; hoc autem est absurdum, quia tunc pœna damni grauiùs puniretur ille, qui minùs peccauit; cùm tamen maximè hæc pœna debeat respondere culparum grauitati & multitudini; hoc inquam non sequitur ex nostra doctrina, quia quòd plus damni passus sit ille qui fecit naufragium multarum mercium, quàm qui exiguarum, est euidentissimum ex terminis. Cùm ergo nos accipiamus eam denominationem priuationis pro carentia gloriæ, ad quam anteà quis obtinuerat ius, non potest explicatis vocibus negari, maiorem priuationem sequi in eo qui plus habuit, quàm in eo qui minus: sicut si vnus habens pretiosas vestes denudetur omnino, pluribus priuabitur quèm alter qui solùm habebat indusium, quo nunc exuitur. Addimus tamen, dolorem, seu afflictionem ob eam carentiam, fore maiorem in eo, qui cum grauioribus peccatis damnatur; ac proinde non sequi in ratione pœnæ propriè loquendo esse eum excessum, quem Suarez meritò dicebat esse absurdum.

24 *An pœna damni non infligatur peccato, nisi quatenus bonus fuisset actus illi peccato contrarius, & in quantum gloriam fuisset promeritus. Negatur.*

Hinc vlteriùs colligo ponderationem quamdam eiusdem Auctoris, quòd carentia gloriæ non consideretur in ratione priuationis, seu per modum pœnæ, nisi attenta bonitate, cui opponebatur peccatum, per quod demeritus est quis gloriam; hanc inquam considerationem non niti solido fundamento, nec rem præsentem declarare: non quidem fundamento solido, quia (vt fusè suo loco) malitia moralis sæpe consistit in positiuo; odium enim Dei, v.g. quando non est imperatus vllus amor, non habet priuationem (qua constituatur in esse mali) vllius actus boni; quia ad nullum actum bonum tenebatur homo tunc, summumque ad aliquem indifferentem, quo diceret, *Nolo odio habere*; odium autem illud sinè dubio habet malitiam longè maiorè, quàm requirebatur de bonitate in eo actu ad hoc, vt non esset peccatum, ergo taxari non potest pœna illa priuationis iuxta mensuram gloriæ, quam actus contrarius, ad quem hìc & nunc obligabar, posset mereri. Fortasse quando peccatum consistit in priuatiuo, vt in omissione libera actus præcepti, posset locum habere ea doctrina; quia tunc quanta debebat esse perfectio & meritum actus imperati, tanta dici posset è contrario malitia eius omissionis. Verùm neque hìc locum habet ea doctrina, quia præcepto audiendi Sacrum poterat optimè quis satisfacere non merendo quidquam de gratia, non solùm quia in peccato illud Sacrum audire potuit, sed quia potuit audite & satisfacere præcepto sine vllo prorsus actu supernaturali; ergo tunc iuxta hanc doctrinam potiùs dici deberet, nullam priuationem beatitudinis incurrere, quia nulla verè debebatur actui oppositi, quo me priuat illa omissio Sacri.

25 Alias autem priuationes, quæ in ipso actu malo secundùm rationem genericam actus fingi solent, iam non reiicio, quia fusè eas suo loco vt improbabiles reieci. Nunc Secundò ad rem nostram addo, illas esse inutiles ad taxandam priuationem gloriæ; quia si actus ille consideretur secundùm rationem genericam, nulla certa ei debebatur intensio meriti, sed infima sufficiebat; ergo summùm respondere ei potuisset infima priuatio gloriæ: & quidem omnibus peccatis responderet eadem, quia secundùm rationem genericam omnibus illis solùm debebatur infima perfectio actus virtuosi; hoc autem apertè falsum est, & contra intentum huius Auctoris.

TERTIÒ DICO; Vtrùm cuilibet mortali debeatur pro pœna priuatio omnis beatitudinis, an verò certorum tantùm graduum iuxta grauitatem maiorem vel minorem peccatorum (de quo puncto agit Suarez) est res non necessaria & incerta: non necessaria, quia siue per modum pœnæ, siue alio modo diuerso, certum est, quodlibet mortale esse repugnans non solùm cum certis aliquibus gradibus visionis, sed cum omnibus omnino (vt fusiùs paulò antè deduxi) ac proinde de facto quodlibet mortale inferre eâ integram carentiam omnium, ergo parum refert ad rem præsentem, quòd hoc aut illo modo res explicetur. Dixi etiam esse incertam, quia non facilè possunt ostendi principia, ex quibus colligamus, quid sit in hoc puncto. Probabile iudico peccatum tam per modum pœnæ quàm per modum contrarij repugnare cum omni visione Dei: & quidem per modum contrarij est certo certius, quia inimicitia repugnat communicationi bonorum; qualis sit per visionem beatam. Quòd verò per modum pœnæ id mereantur, videtur esse satis probabile: quæ enim magis proportionata pœna, quàm inimicum eiicere ex præsentia amici?

An cuilibet mortali debeatur vt pœna priuatio omnis beatitudinis, est incertum.

Dices cum Suario; Ergo quolibet mortale meretur pœnam infinitam, quandoquidem petit puniri priuatione infinitæ visionis; hoc autem est absurdum, ergo. Respondeo negando eam esse pœnam infinitam propriè, quia (vt alibi dixi) non proportionatur negatio alicuius boni, in ratione mali, bono ipsi cuius est priuatio: neque enim catere Pontificatu est malum tam grande, quàm est bonum ipsa dignitas; nec Beatissima Virgo catēs vnione hypostatica potest dici tam mala, quàm è contrario Christus illam vnionem habens sit bonus. Nec sufficit dicere, nobis non fuisse debitam eam vnionem, ac proinde non habere in nobis rationem priuationis & mali hoc inquam dixi non sufficere, quia si res benè ponderetur, non carentia ipsa non nocet minùs ex eo quòd sit pura carentia, quàm quòd sit priuatio. Nec enim lapidi minùs est mala carentia oculorum, etiamsi non habeat capacitatē illius, quàm eadem carentia sit mala homini cæco. Fateor eam diuersitatem priuationis aut puræ negationis conducere multum ad dolorem reflexum, quem homines solent habere de ea carentia; quia quò homo vicinior fuit bono, eò fortiùs dolet se illud amisisse. At inde non probatur ipsam carentiam in se priuare hominem maiori aut minori bono. Dico ergo eam carentiam visionis infinitè intensæ non esse infinitè malam; potest ergo potiori iure cadere sub meritum cuiuscumque peccati, quàm cadat æternus cruciatus, qui est pœna positiua. Certè in humanis id videmus; nam quæcumque grauis offensa in alium facta reddit hominem dignum, cui persona offensa nullum omnino beneficium gratuitum conferat; ac proinde esto ea persona potuisset offendenti donare graris infinita, iure merito potest ea omnia illi negare. Ratio est clara, quia ad impediendas beneficia ad quæ alioquin nemo tenetur, facilè intelligitur, quomodo habeat vires etiam vnica, si tamen grauis sit, offensa.

86 *Obiectio: Soluitur. Negatio boni non est tam mala, quàm bonum est ipsum bonum: nam aliud est priuatio.*

Carentia visionis in finitè intensa non est infinitè mala

Denique in hoc puncto dico, damnatos ex maiori & vehementiori apprehensione earum carentiarum obiectiuarum, in quibus iuxta dicta sunt æquales, magis affligi iuxta maiora peccata: vnde è contrario docui, pueros in Lymbo, etiam

27 *Inæqualiter affligentur damnati ex pœna damni ob inæquales apprehensiones*

etiamsi æqualẽ habeant carentiam quod ad defectum visionis attinet) cum alijs damnatis, nullum tamen inde dolorem sentire. Ex hac ergo inæqualitate afflictionis constat eam pœnam esse inæqualem, & proportionati grauitati peccatorum ; ac proinde post peccatum nouum commissum non redire pœnam damni anteà debitam; quia licet redeat ipsa carentia obiectiua visionis, afflictio tamen non redit, sed homo solùm eam apprehendit iuxta grauitatem noui peccati, propter quod damnatur. Quomodo autem ex eadem carentia magis minusve apprehensa sit maior dolor, est minus nobis experientia notum: duo enim eumdem defectum honoris aut bonorum patientes inæqualiter affliguntur ex inæqualitate apprehensionum. Imò idem ipse homo iam magis iam minùs affligitur, prout appehensio est fortior aut debilior. Deus ergo damnatis infundit eas vehementes apprehensiones, vt per eas illos puniat iuxta grauitatem peccatorum : quod etiam habet locum, quando homo numquam est iustificatus, habet tamen peccata grauiora ; vnde etiamsi aliquis vicinior fuerit maximæ beatitudinis, & posteà ob vnum leue mortale peccatum damnatur, non tamen magis affligetur per illud damnum ? Deus enim non permittet illum torqueri vltra debitum peccati, quod supponimus fuisse ex minoribus. E contrario verò ille qui numquam habuit actu ius in gloriam, & consequenter nihil amisit proprie, si tamen grauiora habeat peccata, grauiùs apprehendet visionem, ad quam creatus fuerat; ideoque grauiùs de eius carentia dolebit. Et per hoc explicantur sufficienter omnia quæ ad eas carentias & reditum earum pœnarum spectant; quibus expeditis,

Ex peccato nouo non redit pœna damni vt afflictiua est.

SECTIO IV.

Vtrùm peccata semel dimissa possint diuinitus redire quoad culpam.

28 *Difficultas grauis.*

DIFFICVLTAS hæc est valdè gauis, & à qua ferè pendet exacta resolutio præcedentis de actuali reditu peccatorum; nam si dicatur peccatum nec diuinitus posse redire, facile est statim inferre; Ergo de facto non redit si autem asseratur posse, tunc necessum est in solam ferè voluntatem Dei reducere causam, cur de facto non redeant.

SVBSECTIO PRIMA.

Proponitur affirmatiua sententia.

IGitur P. Valentia Tomo 4. disp. 7. qu. 5. puncto 1. secutus Scotum in 4. dist. 22. quæst. vnica, art. 1. affirmat. Quia verò hi duo minùs bonis principijs nituntur, non magnam ei sententiæ auctoritatem tribuunt; Valentia quidem, quia putat peccatum habituale consistere in sola priuatione gratiæ ; Scotus verò, quia illud in solo reatu ad pœnam constituit. P. Coninch. disp. 1. de Pœnitentia, dub. 18. à num. 149. cùm satis incline in hanc Scoti sententiam, in fine tamen dubij dicit vtramque esse probabilem, & difficulter posse iudicari quæ sit vera. Thomas verò Hurtadus in suo Præcursore Theologico, de quo suprà, disp. 2. Controuersia 2. memb 1. adeò veram iudicat hanc sententiam, vt contrariam dicat esse omnino falsam, & contra omnium ferè antiquorum sensum, & contra plures Patres Ecclesiæ; licet hoc videatur iterùm retractare, vt Patrem Vasquez pluries refutet: addit vlteriùs, sententiam negantem possibilem esse hunc reditum (quam non nisi Vasquez sententiam nominat) nullum habere pro se Auctorem antiquum vel Patrem : verùm quomodo in his censuris sibi contradicat, in gratiam Patris Vasquez superiùs fusiùs dixi. Nunc solum reijcio eam censuram tamquam sine vllo fundamento prolatam, cùm neque ipse Hurtadus velit agnoscere vllum Patrem antiquum egisse de possibilitate huius reditús de potentia absoluta; nam qui fortassis poterant adduci, quatenus videntur admittere, etiam de facto peccata redire, hi inquam ab Hurtad. explicantur de solo reditu per circumstantiam ingratitudinis in nouo peccato. Vnde illi Patres non sunt locuti iuxta hunc Auctorem in nostræ quæstionis sensu. Vbi est ergo ea repugnantia contrariæ sententiæ cum antiquis Patribus; Quidquid ergo de hac minùs considerata censura sit, censeo probabiliorem longè esse sententiam affirmantem, diuinitus possibilẽ omnino esse eum reditum peccatorum: id quod oportet exactè explicare quod vt faciam supponendum est quod tradidimus suprà, peccatum habituale esse peccatum præteritum non sufficienter retractatum & condonatum; deinde de facto, imò & de possibili non posse à puro homine per æqualem satisfactionem illud tolli, ac proinde semper tolli per condonationem, etiamsi hæc fiat ad exigentiam gratiæ habitualis. His positis,

29 *Si peccatum tollatur per æqualem satisfactionem, non potest redire.*

PRIMA CONCLVSIO; Si peccatum tollatur per æqualem satisfactionem, omnino repugnaret illud semel ablatum redire. In hac omnes vt puto conuenient; quia qui dicunt posse redire peccatũ, loquuntur de ablato per condonationem Dei. Ratio conclusionis est facilis, quia æqualis satisfactio abstulit totum fundamentum odij & iuris in Deo existentis; seu abstulit vnam partem essentialem peccati habitualis, scilicet carentiam satisfactionis æqualis; non potest autem posteà fieri, vt non fuerit exhibita seu posita ea æqualis satisfactio ; ergo non potest eius carentia redire, prout deberet, ad hoc vt rediret illud habituale iam remissum; ergo non est in potestate offensi illud peccatum habituale suscitare quia sicut non fuit deletum ex ipsius voluntate, sed quia ipsi est redditum tantum, quantum per offensam fuerat illi ablatum ; ita iam non potest ampliùs iustè esse offensus, quantumuis velit : nec potest item redire ex voluntate offendentis: nam licet hic possit offendere secundò Deum cõmittendo nouum peccatum, non tamen potest efficere, vt redeat antiquum, seu vt ius, quod habeat Deus ex antiquo peccato, redeat : nam illud fundabatur in carentia æqualis satisfactionis: iam autem dixi, fieri non posse vt hæc carentia sit quia ad præteritum non datur potentia : fuit quidem in eius potestate protrahere illud peccatum habituale non dando eam saisfactionem : ea tamen semel exhibita, iam non potest efficere, vt habeatur odio propter illud : sed si nouum committat, incurret nouum odium ob hoc secundum, non ob primum

30 *Secundus casus : Si Deus condonet peccatum absolutè, non potest redire peccatum.*

SECVNDA CONCLVSIO : Si Deus condonet peccatum omnino absolutè, & sine vlla conditione

tione in posterum, etiam non poterit illud nec diuinitus redire. Quia non potest Deus reuocare eam voluntatem; imò etsi per impossibile id posset, adhuc nihil efficeret: nam licet fuisset in potestate ipsius cedere vel non cedere iure ex peccato contra peccatorem contracto; postquam tamen semel omnino cessit, iam non potest resumere illud ius, licet reuocet voluntatem. Sicut Dominus manumittens seruum, quantumuis ipsum posteà pœniteat, & reuocet voluntatem, non tamen ideò secundò faciet illum suum seruum. Hoc modo de facto à Deo condonantur peccata; ideoque stante modo præsenti, nec diuinitus possunt redire: in quo conuenio cum his qui negant posse peccata diuinitus redire.

Et sic de facto condonantur peccata.

Tertius casus: Si Deus promittat condonationem sub conditione futura, non potest redire peccatum.

TERTIA CONCLVSIO; Si Deus dicat, *Condono tibi peccatum, si cras ieiunaueris, aut oraueris*, &c. non potest etiam redire peccatum, quia in hoc casu nondum est de præsenti vlla remissio, sed promissio illius in crastinum, si conditio posita fuerit; ac proinde quousque crastina die homo se determinauerit ad ieiunandum, remissio erit suspensa pro tempore futuro. Dico *pro futuro*, nam de præsenti adhuc homo ille manet peccator: sicut si dicerem Petro, *Do tibi pallium, si cras ad me veneris*, hodie de præsenti non est dominus pallij, siue te ipsa venturus sit, siue non; translatio autem aut omnimoda carentia dominij in diem sequentem differtur, quando requisita conditio est ponenda, aut omittenda. Hinc vlteriùs fit, vt si posteà non posita conditione requisita peccatum duret, non id proueniat, quia reuiuiscat, sed quia numquam fuerat mortuum, sed semper viuens; eò quòd non fuit posita cõditio necessaria pro eius morte, seu pro abolitione; si verò posteà ponatur conditio, tunc primò extinguetur peccatum, & iam ampliùs non poterit redire, sicut in casu præcedentis conclusionis.

31 Quartus casus: Si Deus absolutè condonet, ita tamen vt reseruet sibi ius sub conditione odiũ resumendi, potest peccatũ redire. Explicatur hic quartus casus:

Ex hac conditionali remissione decepti sunt nonnulli Auctores, qui quando audiunt dici sub his terminis peccata posse redire, si sub conditione à Deo remittantur, putant sermonem esse de hac conditione futura & necessaria ante remissionem; ideoque inculcant eam rationem quam nos posuimus: quòd tunc non sint de præsenti peccata remissa, sed primò remittenda, quando conditio id ponetur: quod nos eis libentissimè fatemur, neque conclusionem suprà positam eo modo defendimus. Ideò sit

QVARTA CONCLVSIO: Potest Deus aliter condonare peccatum hoc modo; *Ego tibi statim de præsenti condono absolutè peccatum independenter pro præsenti condonatione ab vlla conditione; ita tamen condono, vt si posteà iterùm peccaueris, possim esse tibi inimicus tam pro peccato tunc committendo, quam pro hoc, quod de præsenti tibi condono.* In hoc sensu puto veram esse sententiam Scoti & Valentiæ affirmantium peccata semel dimissa iterùm redire posse diuinitus, & in hoc solo sensu eam suprà approbaui.

Antequam verò eam probem, aduerte multos hunc secũdum modum condonandi confudisse cum præcedenti, ideoque (vt paulò antè notaui) non admisisse possibilem eum reditum peccatorum. Differentia tamen est clarissima, qui in condonatione tertiæ cõclusionis non fit de præsenti remissio peccati, sed expectatur positio futuræ conditionis, vt tunc fiat; at in hoc quarto modo condonatio & depositio iræ est de præsenti, & non pendet à conditione futura, sola verò resumptio iræ & inimicitæ pendet à conditione futura. Dicit enim Deus: *Ego iam nunc tibi condono peccatum de præsenti nulla expectata conditione; sed resumam iram, si aliud peccatum feceris.* Vnde infertur euidenter probatio nostræ conclusionis: sicut enim illi dicebant, & meritò, de præsenti non esse condonatum peccatum, quando Deus dicit, *Condonabo, si feceris*; quia quousque ponatur conditio, non ponitur condonatio; ita etiam è contrario, quando dicit Deus, *Resumam iram, si posteà peccaueris*, non intelligitur habens simpliciter & absolutè de facto inimicitiam, nec ius ad illam, sed habiturus posteà, si fortè homo iterùm posuerit eam conditionem. Imò hunc modum condonandi de facto habet Deus ex parte; licet enim omnino absolutè & irreuocabiliter peccatum præcedens condonet, tamen iram & odium non deponit omnino absolutè & in perpetuum, neque in suam amicitiam me absolutè & in perpetuum recipit, sed semper cum hac conditione, Nisi posteà nouum peccatum mortale commiseris: sicut ergo homo absolutè de facto est iustus & amicus Dei, licet sit verum, quòd cadet ab hoc statu, si posteà peccaueris; ita etiam potest esse absolutè de facto liber à peccato præcedenti, esto verum sit, quòd si iterùm nouum peccatum fecerit, erit debitor non solùm pro nouo, sed etiam pro antiquo. Exemplo potest hoc explicari, si Pontifex v. g potens relaxare votum ieiunandi, orandi, &c diceret alicui; *Ego tibi votum relaxo de præsenti vt non ampliùs tenearis orare, nisi posteà feceris iramentum de eadem oratione; data enim ea conditione volo vt redeat obligatio, quam nunc habes ratione voti*, profectò in tali casu, quando homo ille se rursus non obligat per iuramentum, tam liber est ab obligatione voti quàm ab obligatione iuramenti, quia non magis est in potestate ipsius, ne hæc surgat, quàm ne illa resurgat: quòd enim vna fuerit anteà, alia verò adhuc non, quid quæso facit de præsenti & de futuro ad libertatem maior m aut minorem ab vna quàm ab alia, quando æquè est in potestate illius efficere, ne vlla ex illis in posterum sit; Fatemur libentissime fuisse illum sub vna olim, non verò sub altera; at fuisse non facit esse de præsenti aut fore, ergo sicut de præsenti sum omnino liber ab obligatione iuramenti, ita liber sum ab obligatione voti. Quòd denique iuramentum illud, si existat, sit inductum duas obligationes, vnam ratione sui, alteram per modum conditioni, vt redeat votum, planè nihil facit ad præsentem statum; ita in casu nostro, quòd positio illius conditionis, seu noui peccati faciat me esse debitorem tam pro nouo peccato quàm pro præcedenti, non facit me de præsenti vllo modo debitorem: sicut enim non sum debitor illius conditionis, ita nec illius, quod pendet essentialiter ab illa conditione. Ille ergo modus condonandi in ordine ad tollendum de præsenti peccatum & inimicitiam Dei tam potens est, quàm si nihil dixisset de eo conditionato reditu, & solùm inde infertur, talem hominem, si postà peccet, fore dupliciter Deo inimicum: quæ futuritio conditionata nihil de præsenti ponit (vt paulò post fusiùs declarabo;) ergo si hoc modo peccata à Deo condonentur clarè intelligitur, quo pacto ea possint diuinitus redire. Quòd autem Deus tali modo possit peccata dimittere, est certo certius: cùm enim ille

Et probatur.

32

Instantia in humanis.

33

Potest Deus condonare modo in quarto casu posito.

sit

sit perfectus Domini iuris ex peccato resultantis, & in ipsius potestate sit, vel illud in perpetuum retinere, vel in perpetuum condonare, sine vlla planè conditione aut onere, cur quæso non poterit media via incedere, & condonare cum ea conditione; sæpè enim diximus donatorem, seu condonatorem (hæc enim duo idem sunt pro præsenti intento) posse apponere conditiones quas velit, dummodò alioquin sint in se honestæ.

Certum est autem homini, quem Deus poterat habere in perpetuum pro inimico, gratiam maximam facere, si eum ita ab ea inimicitia liberet, vt planè, nisi ipse homo ex sua nequitia secundò peccet, non possit reddi inimicus: tam liber enim est iam, quàm si numquam Deum offendisset; ergo. Hæc nostra sententia magis confirmabitur tum ex solutione argumentorum oppositæ opinionis, tum ex impugnatione aliorum modorum, quibus eadem nostra doctrina ab aliis defenditur: de hoc subsectione tertia, de obiectionibus in secunda.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur argumentis contrariæ doctrinæ.

COntrariam sententiam tenent Vasquez hic quæst. 88. art. 1. dubio vnico, Ludouicus Torres & Moncæus apud Thomam Hurtadum suprà, qui, vt ibidem insinuaui, graviter in hanc inuehitur, dum putat esse oppositam omnibus ferè antiquioribus & pluribus Patribus Ecclesiæ. De qua censura egi supra fusiùs. Eamdem sententiam negantè posse diuinitus peccata redire defendit Suarez rem obiter tractans d. sput. 13. sect. 1. Cardinalis Lugo disput. 10. sect. 1. & Tannerus disput. 6. quæst. 5. dubio 3. pro qua sic potest obiici. Si culpa solum remittitur sub conditione, non remittitur absolutè; nec poterit dici illa culpa ablata, nec homo mundatus & purificatus ab illa; condonare enim est radicitus excidere, euellere radicem offensæ; si autem manet alta mente repostum peccatum præteritum & radix querelæ, ergo non est condonata offensa; quia non est reducta ad statum antiquum, quandoquidem Deus adhuc sibi reseruat ius querelæ & offensæ. Nec sufficit dicere, interim dum homo non peccat, eum odio non haberi: etenim licet tunc non odio habeatur, manet tamen ius in Deo, vt possit illum odio habere: qui enim aliquid debet sub conditione, absolutè debet: & per illud ius Dei impeditur, quò minùs homo ille sit iustus & purus ab omni labe, ac proinde, quo minùs possit esse sanctus per gratiam habitualem; quia illud conditionale debitum repugnat cum ea gratia. Confirmatur, quia illa macula sic mortificata seu sopita non posset cohærere cum hypostatica vnione, quæ cùm afferat secum puritatem & sanctitatem infinitam, non posset non extinguere omnino quamcúque maculam peccati: nec videtur posse concipi, quòd Deus assumat alicuius peccatoris humanitatem ad vnionem, & tamen non condonet omnia peccata absolutè, sed solùm pro tempore quo duraret vnio: & sanè posset homo ille iustè tum orare Deum, vt sibi remitteret hoc peccatum; ergo ille status culpæ dimissæ tolùm sub conditione est verè labes & macula repugnans cum perfecta puritate & sanctitate. Hæc opposita Auctores, maximè Cardinalis Lugo. Quæ tamen nullo prorsus modo nobis officiunt; & in primis dico hic fieri posse quæstionem de nomine, Vtrùm scilicet eo casu dicenda sit omnino perfecta & absoluta illa condonatio. Si enim hi Auctores dicant nomine perfectæ condonationis eam solam significari, in qua nullum nec cõditionatum ius manet in Deo, nemo poterit dicere, tunc veram & absolutam fore condonationem. At in hoc ipso est tota difficultas, Vtrùm tale odium sub conditione futurum, seu vtrùm ius ad illud sufficiat ad hoc, vt peccatum non dicatur simpliciter & absolutè condonatum, esto impediat, ne dicatur omni omnino modo possibili condonatum quod longè aliud est; vti aliud est, equum, leonem esse absolutè & simpliciter animal, aliud verò, esse perfectissimum animal. Primum est verum, secundum autem falsum. In hac autem quæstione de nomine non probant hi Auctores eam partem, licet probent secundam, quia ex terminis constat esse perfectiorem modum, quando sine conditione remittitur.

34 Obiectio

Confirmatur.

35 *Responsio.*

Licet illa condonatio sub priori casu quoad esse non sit perfectissima, est tamen perfecta & vera.

Quia tamen difficile est in quæstionibus de voce hærere; nam quilibet pro suo libitu dicet, *Hoc ego significo, non illud*; nec libenter immoror in eis, illud erit de re, an cum ea condonatione possit cohærere sanctitas & amicitia Dei, imò & vnio hypostatica, licet (vt id obiter obseruem & ostendam eam confirmationem ex vnione non esse efficacem, esto cum illa non cohæreret talis remissio) non sequeretur vllo modo quidquam contra nos; quia cùm sanctitas ex vnione hypostatica proueniens sit infinita, potest exigere longe maiorem abolitionem peccati, quàm exigat gratia habitualis & amicitia, vt sic dicam, creata Dei: quòd ergo ille exigat abolitionem perfectissimam, non probat gratiam habitualem non esse cum ea imperfecta abolitione contentam. Vti vnio hypostatica non admittit maculam peccati venialis, quam tamen admittit gratia habitualis; & in sententia huius Auctoris vnio non admittit potentiam peccandi, & amittendi per peccatum ipsam vnionem, hanc tamen potentiam admittit gratia habitualis, non ergo benè ex vnione trahitur argumentum ad gratiam. Sed iam ad rem ipsam.

Ad confirmationem responsio.

Licet illa condonatio non posset stare cum vnione hypostatica, posset tamen stare cum gratia.

Pro qua obseruo doctrinam inter Catholicos certissimam, nempe peccatum & meritum, vt futurum tantùm sub conditione, non esse de præsenti absolutè & simpliciter meritum aut demeritum: ex hoc enim capite Augustinus contra Semipelagianos, qui dicebant infantes saluari aut damnari ob peccata quæ erant facturi, si ad rationis vsum venirent, aut ob iustitiam, quam habituri tunc essent; ex hoc inquam capite meritò respondet. Illa merita aut demerita sic futura non esse absolutè merita aut demerita, ac proinde in ordine ad Deum esse perinde ac si futura non essent. Vnde nec Iudas debet hodie dici sanctus, eò quòd sub auxilio tali & tali, si positum fuisset, illa & illa habuisset merita; sicut nec è contrario Diuus Petrus debet dici peccator eò quòd, si diuersum ei auxilium datum fuisset, peccasset, & fuisset odio habitus à Deo. Hinc manifestè infero, hoc, quod est me esse hodie debitorem odij præcisè sub hac conditione, *Si eras peccauero*, mihi non officere hodie, nec me reddere hodiem acutatum, aut inimicum Dei; vti è contrario si Deus diceret hodie peccatori, *Si feceris aliquando actum naturalem contritionis vel attritionis, remit-*

36 *Explicatur magis.*

tam tibi ex integro peccatum, & dabo tibi gratiam, non continuò antequam ea conditio ponatur, facit hominem sanctum, iustum, carentem peccato; aut (vt melius dicam) nihil omnino ea futuritio conditionata iustitiæ in eo minuit de dignitate præsenti ad odium, & de præsenti inimicitia. Confirmo & explico rem hanc meo iudicio euidentissimè. Omnes iusti (etiam ipsa humanitas Christi Domini) de facto obnoxij sunt huic debito conditionali, scilicet, si peccauerint cras v. g. erunt inimici Dei, poterunt odio à Deo haberi, ac proinde etiam Deus habet ius sub conditione ad illud odium; & tamen per hoc debitum sub conditione, seu per ius, quod Deus de facto habet, vt posita conditione possit habere illos odio, nemo dixit illos de præsenti esse maculatos, aut de præsenti debitores absolutè; neque per hoc quidquam derogatur de gratia & amicitia præsenti, ergo nec ex eo, quòd debitor sit conditionatè ratione præcedentis peccati illius odij, quidquam impeditur de gratia & sanctitate præsenti. Explico id adhuc magis, & pono exemplum in Petro, cui eo modo remissum est peccatum furti promerens v.g. quatuor gradus intensionis odij & inimicitiæ; remissum inquam est sub ea conditione, *Si iterùm cras admiseris simile furtum vt quatuor, ego te odio habebo vt octo, vt quatuor propter nouum furtum, vt quatuor autem ob antiquum.* Rogo Estne Petrus hodie reus odij vt octo necne; Dici non potest illum esse, quia peccatum sub conditione futurum non facit eum de præsenti reum; ergo nec est reus odij vt quatuor: hanc consequentiam euidenter probo, quia non potest ille incurrere odium vt quatuor, nisi simul incurrat vt octo iuxta casum positum; nec Deus nunc habet maius ius ad illum odio habendum vt quatuor quàm vt octo. Vbi ergo quæso est maior macula ex vno quàm ex altero debito? aut quid quæso facit ad punctum libertatis præsentis Petri præ me, qui non peccaui, quòd ille, si peccet, debeat esse inimicus vt octo, ego verò solùm sim futurus inimicus vt quatuor; quandoquidem tam inimicitia vt quatuor quàm vt octo, quando existit absolutè, repugnat cum gratia & amicitia Dei; Si ergo esse sub conditione reum inimicitiæ vt quatuor nō tollit amicitiam hodiernam; profectò nec eam impedier, quòd sim reus hodie, sub eadem tamen conditione inimicitiæ vt octo, & vt centum. Quòd item vna dignitas, seu (liceat barbarè loqui ad rem magis explicandam) vna reitas fundetur in antiquo peccato, alia verò in futuro, etiam nihil penitus ad rem facit, quia inde solùm licet colligere per vnam reitatem me olim fuisse maculatum, & olim inimicum Dei, & olim incapacem gratiæ: quæ omnia libentissimè concedimus at quòd de præsenti magis sim per vnam quàm per alteram maculatus, nec quidem apparenter probatur; quandoquidem quoad futurum) vt iam ostendi) nulla est differentia. Quod autem ante annum fuerim hostis, non facit me hostem
37 hodie; ergo de præsenti tam sum liber à primo vno iure quàm à secundo. Ratio à priori est manifestissima meo iudicio; nam vt aliquis sit absolutè & simpliciter liber à debito pecuniario, à carcere, à supplicio, &c. nihil aliud requiritur, quàm quòd, nisi ipse velit dare nouam caussam, non teneatur aut soluere, aut ire ad carcerem, nec possit torqueri: quòd enim, si de nouo peccauerit, sit puniendus vt quatuor, aut vt duo, per accidens planè se habet ad hoc, vt de præsenti dicatur debitor aut liber; ergo cùm hic homo non possit odio haberi, nisi liberè ipse det caussam, nemo potest prudenter dicere, eum esse iam vel reum, vel ligatum, vel obligatum, &c.

Respondetur in forma obiectionis suprà posita.

Facillimum hinc erit forma respondere eis argumentis. Ad primum, quòd si culpa solùm remittitur sub conditione, non remittitur absolutè, nec dici posset illa culpa ablata, respondeo, Culpam non remitti sub conditione, sed absolutè & simpliciter; conditionem autem solùm apponi ad hoc, vt Deo redeat ius in eum hominem: vnde potiùs ego euidenter infero; Ergo culpa est absolutè ablata: resumptio autem iuris ad odium solùm potest esse data ea conditione: ac proinde ea resumptio non est simpliciter in manu Dei, nec ad illam habet nunc Deus ius, sed habebit, si homo peccauerit. Vti sine dubio, si Petrus me offenderit cras, potero ego illi esse offensus: at non propterea habeo ego hodie ius vt illi offendar, &c. sed tunc primò habebo, si fuerit posita ea conditio. Ego ergo hodie non habeo nisi capacitatem, vt posita illa conditione habeam ius: ea autem capacitas de præsenti non facit vllo modo illum inimicum mihi nec reddit eum incapacem amicitiæ meæ: ita dico, Deum hodie non habere propriè ius vllum, sed capacitatem, vt si homo ille cras peccauerit habeat ius ad eum odio habendum non solùm ob peccatum futurum, sed etiam ob præteritum. Quòd si tamen velis hoc vocare ius de præsenti, ne in vocibus hæreamus, admittam id nunc: at debebit mihi eodem modo concedi, quòd Deus hodie etiam contra illum, qui numquam peccauit, habeat ius ad odio eum habendum, si peccauerit, seu posita conditione. Debebit etiam Secundò concedi, tale ius nullo modo esse contrarium amicitiæ; alioquin nullus esse posset amicus Dei, quia contra omnes habet Deus hoc ius conditionatum.

36 *Tunc nō ma. neret peccatū alta mente repositum:*

Quòd autem vrgebatur, manere illud peccatum alta mente repostum, non vrget; quia hæc ratio vltra argumenta iallata, quibus iam respondimus, nihil addit nisi medium carmen; cui tamen respondeo, Absolutè & simpliciter non manere alta mente; sed mansuram, seu, vt melius dicam, redituram ad altam mentem, si homo ille peccauerit: iam autem offendi id quod esset, si talis conditio poneretur, non continuò esse de facto. Neque enim est Pontifex de facto ille, qui esset, si eligeretur. Manet etiam absolutè de facto in Dei mente, vel Deus nosci hunc peccasse; at & id scit de Petro & Paulo, quibus omni modo condonauit iniuriam. Quod dicebatur hominem non esse restitutum ad statum antiquum, ex parte est verum, non tamen obest nobis, quia ad amicitiam præsentem non requiritur ea integra restitutio. Dixi *ex parte esse verum*, quia de præsenti planè est in statu antiquo, cùm homo ille tam habeat in sua potestate ne ampliùs eum Deus odio possit habere, quàm habet quicumque qui non peccauit. Hinc colligo minùs benè dici, Deum sibi reseruasse ius odij; etenim sibi nullum reseruauit, sed potiùs totum tradidit ipsi homini hoc modo; *Ius ad te odio habendum totum à me abdico, totum tibi trado, tu, si volueris, poteris mihi illud restituere peccando, si nolueris, tuum erit*; profectò in hoc casu potiùs est dicendum personam quæ offendit, esse dominum illius iuris, non autem Deum.

Quamuis ex parte esset verum, quòd homo non sit restitutus in statum antiquum:

Falsum tamen esset, quòd Deus sibi reseruarit ius odij.

Deum. Vnde non solùm Deus cessat ab odio, sed etiam à iure ad illud, cùm illud transferat, vt dixi, in creaturam. Hinc etiam colligitur non benè dici, illam maculam non esse deletam, sed sopitam: est enim deleta & extincta absolutè.

Quod Quartò dicebatur, non posse gratiam cohærere cum peccato sic remisso, reiectum est satis. Quod Quintò vrgebatur de vnione hypostaticam non est vllius momenti; Primò, quia suprà ostendi, consequentiam nullam esse ad gratiam habitualem: Secundò, quia ipsum antecedens est dubium; & qua facilitate asseritur, eadem negatur: iam enim efficaciter suprà ostendi, etiam in omnibus iustis & in ipsa Christi humanitate dari eo modo ius illud conditionatum ad odium, si peccauerit; nam quòd illud ius desumatur à peccato, quod antè fuit, dummodò de præsenti non sit (vti non esse probatum est) vel à peccato sub conditione futuro, nihil efficit pro tempore præsenti.

40 *An homo possit orare vt illa condonatio tendens in perfectè absolutam.*

Quod denique dicebatur illum hominem posse orare, vt illud conditionatum ius remittatur, in primis in humanitate vnita Verbo, de qua loquebatur hic Auctor, non habet locum; quia si illa sciat certò se non amissuram vnionẽ hypostaticam, ac proinde se non daturam occasionem pro eius od j resumptione, non erit cur oret. Si enim ego haberem hanc obligationem, quòd si venirem Constantinopolim, essem eo ipso mactandus, & aliunde scirem per reuelationem me illuc numquam venturum; profectò non curarem liberari ab ea obligatione conditionata, quia nihil mihi de facto officit aut officere potest, supposito, vt dixi, quòd illuc non sim venturus. Quidquid verò de hoc sit, admitto eam humanitatem posse petere liberationem, non quia de præsenti obsit, sed quia pro eo casu conditionali esset ipsi melius non incurrere odium nisi vt quatuor, quàm incurrere octo: vt si quis faciat votum de se non inebriando, potest nunc petere relaxationem ius voti, non quia per eam obligationem constituatur Deo odiosus, aut inimicus, sed quia iudicat sibi melius esse, casu quo se inebriet, solùm peccare contra vnum præceptum, quàm contra duo, seu (vt magis ad rem præsentem loquar) quia melius est incurrere odium vt duo quam vt octo; per hoc tamen de præsenti nullum incurrit: ita in nostro casu de præsenti nullo modo est inimicus Dei: petit tamen liberationem, quia si fortè posteà si peccaturus, melius illi erit incurrere odium Dei ob solum vnum peccatum, quàm simul etiam ob antiquum. Addo, fortasse in eo casu melius illi esse non liberari, quia per hoc habet maiorem rationem cauendi illud nouum peccatum, eò quòd sit incursurus quasi duo peccata: vti ob similem vtilitatem facimus votum cauendi etiam ea, quæ alioquin ex se sunt intrinsecè mala.

Dices Fortasse: Si ego dono pallium Petro sub hac conditione, quòd si me aliquando offenderit, teneatur mihi illud restituere, non facio illum verè dominum pallij: ac proinde nec potest illud abalienare, multò minùs consumere: ergo cùm Deus in nostro casu solùm mihi condonet ius ex antiquo peccato sub simili conditione, non faciet me perfectè dominum eius iuris, ac proinde non ero absolutè liber à peccato. Respondeo Primò retorquendo Argumentum: Etiam tunc ego donans pallium Petro non maneo dominus illius pallij, & sanè multò minùs quàm ipse Petrus: ergo neque Deus manebit dominus illius iuris, ac proinde non poterit esse mihi offensus. Secundò respondeo, Illam esse veram donationem, ac proinde verum dominium transferri in Petrum, esto cum aliquo onere, vt qui accipit rem cum incapacitate illam vendendi, est verè dominus illius (vti hic Auctor expresse tradit sæpè Tomo de Iustitia) licet aliquo modo habeat ligatum dominium. Tertiò respondeo, Esto in casu pallij non fit verum dominium apud Petrum, in nostro tamen omnino esse: quia cùm Petrus, casu quo offenderet donatorem, deberet pallium illud idem numero restituere, possibile autem sit quòd offendat, nec sciat ipse certò quid sit factutus, non potest distrahere pallium, ne se reddat incapacem ad eam restitutionem: si autem, eò quòd non posset vti liberè, non est dicendus verè dominus illius, id iam ego permittam; at si per reuelationem sciret se non offensurum donatorem, posset tunc pallium comburere, donare, &c. & idem esset, cum primùm donator moreretur, & cessaret iam occasio eum offendendi; vnde potiùs è contrario debemus dicere eum fuisse verum dominum, vsum verò pallij fuisse suspensum. In nostro autem casu cessat ea tota ratio, quia esse dominum alicuius iuris nihil aliud est, quàm in potestate ipsius esse retinere illud, aut transferre in alium; quia illud ius non est resvsu consumptibilis; cùm ergo non sit in potestate Dei, sed hominis peccare, aut non peccare, & per hoc efficere, vt Deus habeat, aut non habeat ius ad odio habendum eum hominem, sine dubio homo ille, non Deus, erit propriè dominus eius ius; ac proinde libertimus erit homo, quandiu non committit nouum illud peccatum; nihil ergo ex illo casu donationis pallij infertur contra nostram sententiam.

41 *Obiectio.*

Disparitas.

42

Iam hinc videre licet, cur, si Deus diceret, *Integro hoc anno te odio non habebo*, non posset dici peccatum esse remissum per eum annum (vt aliquid putant inferri ex nostra doctrina: etenim tunc homo non esse liberatus debito odij, sed etiam hoc ipso anno independenter à propriâ voluntate haberet reatum odij, in nostri verò casu nihil haberet quod eum faceret debitorem. Da dimitti duos ex carceribus; vnum hoc modo, *Per hanc hebdomadam poteris vagari, sequenti tamen iterùm debebis redire*; alterum verò hoc modo, *Absolutè es liber, nec vnquam teneberis redire, nisi voluntariè tu ipse velis; tunc enim iterùm coniicieris in vincula, sicut hucusque fuisti*; procul dubio maxima esset inter eos duos diuersitas, & nemo puden diceret illum primum fuisse absolutè liberatum; vti è contrario nemo prudens posset negare, fuisse hunc secundum absolutè & simpliciter ac rigorosè liberum: hoc secundum ponimus in nostro casu, ac proinde facimus eum hominem simpliciter liberum à peccato.

Soluitur alia quædam obiectio.

SVBSECTIO TERTIA.

Examinantur alij modi defendendi nostram sententiam.

NOstra hæc sententia alia via probari solet à nonnullis, inter quos P. Coninch hic; quia peccatum commissum potest intelligi postea interrumpi, ita vt nullo modo maculet, donec aliqua nunc conditio resultet. Id quod probatur

43 *Primus modus: Quòd peccatum commissum possit interrumpi.*

Soluitur.

probatur clarè in peccato Adami, quod licet fuerit commissum ante millenos annos, toto tamen tempore intermedio, vsque ad meam v.g. conceptionem, me non maculabat; posita autem conceptione me maculat. Vt verò hoc argumentum magis vrgeatur, ponamus animam diuinitus à Deo produci priùs tempore quàm vniatur corpori; in eo casu verissimum esset dicere de ea anima, *Peccauit in Adamo*; & tamen antequam vniretur corpori, non esset maculata illo peccato; quia Originale non contrahitur nisi per vnionem ad corpus ex generatione humana; ergo illo tempore intermedio sopitum fuisset peccatum illud Originale, ita vt nullo modo maculauerit. Confirmatur hoc ipsum; Nam si Deus annihilaret animam peccatoris, sine dubio illa desineret esse Deo offensa, maculata, &c. si verò reproduceretur à Deo, iam eo ipso inficeretur antiquo peccato; ergo potest peccatum semel destructum redire.

Reiicitur à Lugo.

De hoc argumento Patris Coninch fusè agit Lugo suprà à num. 13. cui primò respondet negando consequentiam ab Originali ad actuale: qui in Originali quà tali etiâsi supponatur peccatum commissum in Adamo, non tamen supponitur esse peccatum eius animæ, quousque ea vniatur corpori; in nostro autem casu supponitur iam illud peccatum esse huius hominis; ac proinde nihil penitus desideratur vt illum maculet. Quòd si vrgeas viteriùs; De anima adhuc ante vnionem est verum dicere, quòd aliquando peccauit, & quidem simul cum Adamo, neque adhuc est ei condonatum peccatum: est ergo verè in peccato: id quod magis vrgetur, si ponatur anima illa iam creata, quando Adamus iam peccauit: ergo necessariò de illa verum fuit dicere, *Peccat*: quòd si posteà maneat aliquamdiu ante vnionem ad corpus, de illa dici potest, *Peccauit, & non est ei condonatum peccatum*; hoc autem formalissimè est esse in peccato habituali. Aliunde verò Theologi omnes supponunt Originale non contrahi nisi in ipso puncto generationis: ergo non potuit verè de illa anima dici, quòd iam contraxisset Originale. Respondet Lugo dupliciter: Primò, tunc temporis non potuisse de ea anima dici, *Peccauit antè in Adamo*, sed primò id debere dici post vnionem illius ad corpus. Neque repugnat, iniquit, in moralibus, vt propositio aliqua de tempore præsenti sit vera de præterito, & quòd tamen eo ipso tempore præterito non fuerit vera de præsenti. Vti si alicui nouo Cardinali daret Pontifex antiquitatem perinde ac si ante viginti annos fuisset creatus, potest de eo dici, *Hic moraliter est creatus ante viginti annos*; & tamen ante viginti annos non fuit verum de præsenti dicere, *Iam Petrus Creatur Cardinalis*: & verò fortasse tunc non erat capax Cardinalatus, quia erat vxoratus, vel non baptizatus (meliùs dixisset, quia necdum erat conceptus; hoc enim maius impedimentum est ad Cardinalatum.) Vnde iuxta hanc solutionem admittit eo tempore intermedio eam animam posse esse vnitam non solùm gratiæ habituali, & ab ea reddi sanctam, sed etiam Verbo hypostaticè. Hanc solutionem putat probabiliorem.

44

Secundam tamen addit, quòd possit concedi eam animam tunc verè esse in peccato habituali: quia licet non sit adhuc vnita corpori, est tamen absolutè vnienda: & ex ea futuritione accipit de præsenti denominationem actu maculatæ: cùm enim effectus ille non sit physicus sed moralis, optimè potest desumi à futuritione vnionis. Vti de facto re ipsa nos dicimur peccasse moraliter in Adamo, etiamsi tunc non extiterimus physicè: quia tunc erat verum dicere, quòd essemus concipiendi ex ipsius semine. Solumque ait huic solutioni obsistere communem modum loquendi Theologorum, qui dicunt maculam Originalis non contrahi, nisi in ipso instanti conceptionis. Huic tamen replicæ ait responderi posse, Thelogos loqui de facto, quando animæ non nisi in ipso instanti conceptionis creantur: non enim loquuntur de casibus his solùm de potentia absoluta possibilibus. Quod si iterùm replicetur, iuxta solutionem hanc, etiam in priori naturæ, quo anima existit ante vnionem, debere concedi, illam iam esse maculatam: quia etiam tunc est verum dicere de futuro, *Hæc anima vnietur corpori ex semine Adæ*; Respondet (& quoad hoc benè) In illo instanti naturæ nihil esse de futuritione: quod & ego sæpè alibi dixi: quia illa signa solius sunt causa. litatis: at futuritio aut eius carentia se habent per accidens ad illud signum, & potiùs sunt effectus illius prioris signi; ergo.

45

Noster sensus de probatione Patris Coninch.

Ego circa has difficultates possem me vno verbo expedire; neque enim indigeo eo argumento Coninc. pro meæ sententiæ probatione vt ex dictis constat. Deinde licet hinc probetur posse hominem à peccato liberari, ipso peccato quasi adhuc manente; id tamen totum non esse ad quæstionem præsentem, in qua solùm agimus de reditu peccati iam dimissi: in casibus autem argumenti peccatum non dimittitur, sed aufertur subiectum illius; ex cuius ablatione non datur effectus formalis peccatoris, qui requirit peccatum seu formam vnitam subiecto. Ex quo fortasse posset inferri, Si sine remissione peccati homini anteà peccatori vniretur Verbum, cessaturum in eo peccatum quod est cum vnione impossibile, rediturum posteà si vnio auferretur.

Oppugnatio Lugo facta contra Coninch non discurrit consequenter.

Quidquid verò de hoc sit, mirum mihi sanè videtur, quòd cùm iuxta primam solutionem admittat Cardinalis illam humanitatem certò & infallibiliter futuram, deinde obnoxiam peccato & odio Dei, & quidem omnino independenter à libertate eius humanitatis; ex quo capite longè clarius apparet, quomodo totum ius ad eam odio habendam & puniendam sit ex parte Dei; cùm inquam hæc admittat, nihilominùs dicat eam humanitatem intermedio eo tempore posse esse sanctam, iustam non solùm per gratiam habitualem, sed etiam per vnionem hypostaticam; & tamen videatur huic Auctori difficile, quòd in nostro casu, quando debitum incurrendi nouum odium no est certum & infallibile, sed potiùs est adæquatè in libertate eius hominis illud non incurrere; vnde incomparabiliter est magis liber quàm ea anima (de qua in obiectione;) dicat tamen hic Auctor eum hominem non posse esse gratum Deo, nec habere vnionem hypostaticam. Certè, si res diligenter consideretur, maiorem longè de præsenti arguit indecentiam, & magis dicit esse maculatam, quòd debeat incurrere odium Dei independenter à sua libertate, quàm si non teneatur illud incurrere, nisi casu quo per nouum & graue peccatum propria libertate factum; quia hinc solùm sequitur, quòd si peccet, sit incursura odium paulò grauius, quàm alioquin illud nouum peccatum meretur; illud autem maius aut minus per accidens

46

est

est de præsenti ad excludendã gratiam & vnionem, quia hæc tam benè eliciuntur per vnum peccatum mortale quàm per duo. ergo de præsenti, quod homo debeat odium vt duo sub conditione libera futuri peccati, vel debeat vt quatuor sub eadem condisione, non habet specialem oppositionem cum gratia & vnione. at quòd certò illud ita debeat independenter à sua libertate pro crastina die, sine dubio dicit de præsenti grauem indecentiam; quomodo ergo hæc indecentia non repugnat cum vnione, sic verò illæ duæ ergo hæ impugnationes meæ & Patris Coninch sententiæ non sibi benè cohærent.

Secundò, sicut hic Auctor dicebat contra nos, eam animam vnitam Verbo eo intermedio tempore posse à Deo petere, vt sibi absolutè remitteretur peccatum sine vlla conditione, & hoc reputat inconueniens, nonne hoc idem clariùs infertur in casu de peccato Originali à posset enim multò potiori iure anima vnita Verbo orare Deum, ne peccatum Adami ipsam macularet posteà, quando dimissa vnione ad Verbum vniretur corpori ex semine Adami formato. Certè efficaciùs hoc deberet petere quàm in nostro casu, quia hîc non pendebat ea futuritio ab animæ illius libertate, sicut pendet in nostro casu.

47 Quòd si respondeatur in prædicto casu de Originali, eam animam, etsi peccauerit, non tamen sub eo statu vnionis ad Verbum, nec sub eodem posteà contracturam peccatum, sed vtcumque sub carentia vnionis; eodem modo nos dicemus in nostro casu peccatum fuisse commissum ab homine antequam haberet gratiam vel vnionẽ ad Verbum, eóque remisso sub illa conditione, habuisse gratiam & vnionem; qua retenta non poterat redire peccatum illud sic remissum, sed necessariò vt rediret, requireretur aliud peccatum per quod ea anima caderet ab vnione & à gratia; tunc autem vltra nouum peccatum commissum resurgeret etiam ipsum dimissum. Vides non posse cum consequentia doctrinæ impugnari meam & Patris Coninch sententiam.

Quid absolutè sentiendum de doctrina Lugo.

Tertiò, circa solutionis illius substantiam idẽ nunc iudico, quod dixi Tom. 3. in Incarnatione disp. 16. sect 4. nam hic Auctor tres explicandam immunitatem Beatæ Virginis à proximo debito peccati vsus est hac eadem doctrina, & attulit instantias similes: quod enim hîc de Cardinalatu dixit ibi de professione religiosa, si scilicet professus duorum annorum v. g. fieret ex priuilegio professus, octo annorũ, tertiò trahendam professionem ad illos octo annos, sicut hîc dixit de Cardinalatu. Circa hanc ergo doctrinam, quam ibi fuse examinaui, dixi non videri per eam vllo modo satisfieri sensui Theologorum, quando dicunt nos in Adamo peccasse; non enim solùm volunt dicere, in nos esse destinatum aliquem effectum ex peccato Adami, sed verè nos in illo peccasse. & planè duo hæc omnino distinguunt, in illo peccasse, & inde in tempore contraxisse peccatum. Vnde maior pars Auctorum liberat quidem Beatam Virginẽ ab ipso peccato Originali, quod alij homines contrahunt in instanti conceptionis; & tamen admittunt Beatam Viginem in Adamo peccasse,

48 nam licet non desint qui & hoc ipsum negent, tamen maior pars id affirmat. Denique & qui negant & qui affirmant, supponunt hoc secundum non esse idem cum primo; alioquin malè negaretur vnum, alterum verò concederetur; & gratis etiam disputaretur, Vtrùm supposito quòd vno caruisset, careret etiam altero. Sunt ergo ea duo iuxta mentem omnium Theologorum diuersa. At hic Auctor per omnes illas instantias, & per totam illam primam solutionem, nihil aliud docet esse, peccasse in Adamo, quam contrahere post à peccatum; id autem solum decerni meo iudicio clarissimè ostendo ex illis instantiis. Nam quòd Cardinali hodie creato, aut professo hodie facto Pontifex tribuat antiquitatem decem annorum, nihil aliud penitus est nec physicè nec moraliter, quàm dare eis effectus seu priuilegia Cardinalium & professorũ octo annorum: vnde implicat in terminis concipere in hoc casu, quòd illi tales fuerint æquiualenter ante octo annos facti & Cardinalis & professus nisi quatenus hodie datur talis huiusmodi priuilegium; si autem hoc non fuisset datum, quomodo, rogo de his possemus cum vlla probabilitate dicere moraliter seu æquiualenter, Ante octo annos facti sunt Cardinalis & professus? ergo iuxta eam explicationẽ peccasse in Adamo ac iam peccare idem omnino sunt diuersis vocibus; hoc autem, vt dixi, est contra sensum Theologorum. Propterea secunda solutio mihi multò melior apparet, iuxta quam dicendum omnino esset, eo tempore intermedio ante vnionem vere fuisse eam animam in peccato, & incapacem vnionis ac gratiæ. Addo tamen quod innuaui suprà) neque nos teneri ad eam recurrere, sed fortasse posse P Coninch concedi, esto ea anima ante peccauerit moraliter in Adamo, & nondum esset condonatum peccatum, non tamen ideo sequi, eam esse tunc actu in habituali peccato, seu in actuali Originali. Ratio facilis est iuxta principia de peccato Originali, quia illa anima peccauerat moraliter respectiuè tantùm pro statu, quo deberet vniri corpori ex semine Adæ concepto; ergo cùm adhuc eo intermedio tempore non sit vnita corpori adhuc non contraxit Originale sed habet tantùm denominationem, quòd contraxerit seu incurrerit debitum contrahendi deinde suo tempore Originale. interim tamen suspensum est illud debitum ac proinde non odio habetur. Verùm quidquid de hoc sit, pro intento nostro curo hoc argumentum ob rationem superiùs dictam.

Quid est dari v.g. alicui recenter creato Cardinali antiquitatem decem annorum.

49 Hanc eamdem nostram sententiam defendit (vt dixi suprà) Thomas; Hurtados. eam tamen explicat meo iudicio improbabiliter; Primò enim dicit, Etiamsi Deus retineat ius ad odium, adhuc tamen, eo ipso quòd non odio habeat actu peccatorem, remittere verè illud peccatum; rationem reddit; nam ius ad odium tenet se ex parte ipsius Dei, ac proinde non potest maculare ipsum hominem. Vnde infert Secundò. Si Deus dicat peccatori, *Te toto hoc anno non prosequar odio, post annum illud resumam*, & interim pro hoc anno infundat ei gratiam habitualem, censet futurum omnino sanctum & iustum. Hic tamen modus explicandi nostram doctrinam, nisi ad quæstionem de voce reducatur, non potest vllo modo sustineri. Id quod fere est iam in superioribus ostensum: nam si manet in Deo adhuc ius ad odio habendum, necessariò debemus dicere, etiam manere ex parte hominis peccatum: nam ius illud nihil aliud omnino est quàm ipsum peccatum habituale, seu ipsa malitia moralis deformans animam. Neque enim fingere hic debemus entia aliqua moralia media inter entia rationis & vera (vt alibi diximus)

Secundus modus, qui Thomas Hurtadus defendit meã sententiam, improbabilis.

mius;) ius ergo illud etiamsi dicatur residere in Deo, id tamen eâ solâ ratione intelligendum est quatenus Deus ratione peccati residentis in Petro, eumque maculantis potest illum odio habere; vti ius, quod ego habeo contra furem, vt ille mihi restituat pallium v. g. nihil aliud est, quàm quòd ille sit mihi illud furatus, & nondũ restituerit; & ius, quod ergo habeo; vt possim irasci Ioanni, qui me offendit, nil aliud est quam ipsa præcedens in me offensa, & quòd nondum ille mihi satisfecerit, illud ergo idem formalissimè, quod Petrum reddit furem & iniquum retentorem, est meum ius ad repetendum pallium; ergo eo ipso quòd hic Auctor concedat manere
50 in Deo ius ad odiũ, debet admittere manere in homine peccatum. Secundò, etiamsi concederemus dari aliqua entia moralia media, in quibus macula peccati, ius Dei, &c. consistant; & licet concederemus macula peccati esse distinctam à iure Dei, adhuc dicimus repugnare intrinsecè ablata macula manere ius. Nam ius Dei ad hoc est maximè, imò vnicè, vt eum hominem tamquam malum odio habeat, eique iustè irascatur, & sibi in illo tamquam in inimico displiceat; repugnat autem in terminis Deum habere ius vt odio habeat tamquam malum id, quod non est reuerà malum; & idem est de iure ad displicentiam in illo vt inimico, si ille iam non est inimicus. Vnde videtur sibi hic Auctor, clarè contradicere, dum ait manere in Deo ius ad odio habendum, & tamen hominem non esse malum, cùm obiectũ odij formaliter sit malitia; ergo eo modo quo manet ius, deberet manere malitia. Quòd autem sit Deum suspendere eo tempore intermedio odium, nihil omnino facit ad rationem remissionis; nam cùm hic Auctor dicat odium esse distinctum à peccato, procul dubio ablatio odij non est nec formaliter nec virtualiter ablatio peccati: vti quia odium, seu displicentia iusta, quam ego possum habere in eum, qui me iniquè offendit, nõ est ipsa offensa, ideò licet ego dormiam, illumque odio non habeam; imò licet dicam, *Nolo te hodie ob eam offensam odio habere*; non ideò ille desinit esse reus & moraliter capax displicentiæ. Idem est de illo, qui est reus mortis, licet dicam, *Ego nolo te hodie damnare, vel punire, sed cras primò*, nemo dicet, nisi planè abutatur vocibus, esse illi condonatam iniuriam; vti neque est remissum debitum ei, cui dicit creditor, *Hodie non peto à te debitum, sed cras mihi solues*; ideò dixi suprà, eum, qui dimittitur ex carcere cum obligatione redeundi post tres dies, non esse vllo prorsus modo propriè liberum; secùs si ita liberatus fuerit, vt nisi propria voluntate se reddiderit reum; non possit secundò pelli ad carceres. Vnde concludo, eum tali tempore non minùs esse peccatorem, quàm si nullo modo cessasset Deus ab odio illius, & licet gratia habitualis ei infundatur, non fore propriè sanctum; quia reuerà esto Deus illum non odio habeat, seu (vt loquitur hic Auctor) licet ille non odiatur, potest tamen Deus eum odio habere; ac proinde necessariò agnoscit in illo capacitatem & debitũ eius odij. Constet ergo eam sententiam defendi non posse nisi eo modo quem nos tradidimus; & nisi (vt paulò antè notaui) abutamur vocibus, & dicamus eum, à quo actu creditor nnn petit solutionem, esse liberum à debito: id quod planè est contra omnium sensum.

SVBSECTIO QVARTA.

Aliqua alia difficultates circa nostram doctrinam.

51 NOstram sententiam alij etiam reiiciunt argumentis suprà ex Lugo tactis, vt, quòd posset peccatum verè ad vnum tantùm annum exempli gratia remitti, cui iam ex integro satisfecimus. Secundò, eo quòd Deus non possit miraculosè reproducere peccatum: verùm & hoc tetigimus suprà, diximusque, peccatum non reproduci, sed Deum resumere odium, quod ipse potest directissimè velle; erat enim potès ad odio habendum hominem per totam æternitatem, & dicere poterat reflexè, *Volo illum in æternum odio prosequi*;) aut si carentia odij non efficit condonationem iuxta aliorum sententiam) dicere poterat, *Nolo in æternum huic homini condonare peccatum*; ergo potuit etiam hanc eamdem non-condonationem dato eo, vt diximus, nouo fundamento resumere sine vlla indecentia. Igitur non est cur de ea conclusione nostra dubitetur ex hac parte.

Prima: An possit remissoria pœna

Circa quam posset in dubium verti Primò, An etiam pœna dimissa possit redire diuinitùs. Verùm cùm iuxta nostra principia possit pœna manere tota, etiam culpa omni modo quo potest in ratione culpæ dimissa, à fortiori poterit dimitti sub ea conditione quam hucusque posuimus, si homo se non iterùm reddat dignum noua pœna.

Secunda: An possit tunc dici pœna illa verè & absolutè remissa

Circa quem casum adhuc quæres Secundò; Vtrùm posset tunc dici pœna illa verè & absolutè remissa. Respondeo consequenter; Si culpa potest dici remissa, posse etiam à fortiori idem dici de pœna Vti in humanis remissa est absolutè pœna ei, qui nisi ex sua libertate nouum committat peccatum, non potest iam propter antiquum puniri.

52 Tertiò dubitari potest: An qui de facto peccatum per habitualẽ gratiam remittitur, ita extinguatur connaturaliter debitum pœnæ, vt non possit redire. Dixi *connaturaliter* nam re ipsa extingui pœnam æternam, & nec quidem temporalem, quæ remanet, fieri æternam, iam dixi sæpè. Est ergo quæstio, Vtrùm id perfectioni gratiæ habitualis debeatur. Hæc difficultas ex parte recidit in eam, quam agentes de meritorum reditu discutiemus, Vtrùm exigat gratia restituta, ne homo priuetur in pœnam præcedentium peccatorum vllo gradu gratiæ ex his, quos antèà habebat; eò quòd illa priuatio esset pœna æterna. Respondeo, Mihi rem esse valdè dubiam: nam cùm adhuc non desint Auctores, qui putent gratiam etiam naturaliter esse posse cum macula ipsa peccati, à fortiori dicent tales illam posse esse cum debito pœnæ: debitum enim hoc multò minùs repugnat sanctitati quàm fundamentum ad odium.

Tertia: An gratia extinguat pœnæ reatum connaturaliter.

Res est dubia

Secundò, cùm gratia potiùs expellat debitum pœnæ æternæ tamquam quid incompossibile cum gloria, ad quam dat ius, & non se habeat sicut compensatio seu satisfactio extinguens in Deo quidquid habebat iuris cõtra peccatorem, valdè dubium est, An non tollat illud debitum præcisè pro tempore, quo ipsa gratia habitualis est in subiecto: concedere enim ei exigentiam, qua de præsenti petat, vt licet ipsa ex subiecto pellatur, adhuc tamen non redeat debitum pœ-

næ,

nr, est(vt dixi)mihi valdè dubiũ:& reuera ex vi virtutis sanctificatiuæ omnino iudico id non inferri: vtrùm autem ex specifica sua perfectione id petat, quis decidet, cùm nobis sit ignota quantitas perfectionis gratiæ habitualis,ceteraque prædicata, quæ formaliter non spectant ad effectum sanctificandi de præsenti animam? Istum enim effectum ex Conciliis, ex Patribus & communi Theologorum sententia deducimus satis probabiliter.

53 Vnde vlteriùs infero, Longè magis dubium esse, vtrùm quoad secundum illum effectum restituendi totam gratiam antiquam habeat etiã eam vim gratiã habitualis: eam quidem illi tribuit Cardinalis Lugo absolutè, & inde probat deinde debere redire totam antiquam gratiam, etiam illum quæ data fuerat sine meritis: est tamen,vt dixi,mihi hoc longè incertius,quia multò minùs videtur ad gratiam pertinere ius reuocandi totum antiquum statum quem homo habebat, quam possit pertinere, omnino tollere pœnam æternam debitam peccato; quia hic effectus videtur omnino spectare ad extinguendum peccatum perfectè: reuocare autem antiquos gradus gratiæ longè plus est quàm extinguere perfectè peccatum, quia hoc potest esse perfectissimè extinctum sine vlla habituali gratia restituta: vti in pura natura poterat perfectissimè condonari sine vlla gratiæ infusione. Habet autem hæc ratio longè maiorem vim,si aliquis diceret per peccatum tolli gratiam habitualem(nihil dico de meritis,aut de gratia data per merita, sed de alia infusa gratis)non solùm per modum pœnæ, sed per modum formæ incompossibilis simul: tunc enim esto & culpa & pœna tota ex integro remitteretur,adhuc possent non restitui antiqui gradus gratiæ,non quidem ita vt ea non-restitutio illorum se haberet per modum pœnæ:sed qui, cùm semel perierint ex aduentu contrarij,nec sit vlla positiua causa, quæ illorum exigat reditum non possunt redire; aliud enim longè est cessare eam causam, quæ hominem occidi v.g.aliud, debere eo ipso restitui ei vitam; vti in habitibus qui destruuntur per actus aut alios habitus contrarios,si ego per habitum iustitiæ v.g.destruxi habitum iniustitiæ, quem habebam anteà, esto postea per solam cessationem actuum (iuxta multorum sententiam) pereat habitus ille iustitiæ, & consequenter esto pereat forma, quæ expulit iniustitiæ habitum: non tamen ideò hic statim resurget, sed manebit homo sine vllo habitu in bonum aut in malum,sicut est infans recens natus carens vtroque.Nec facile percipitur, quomodo ex solo defectu formæ oppositæ resurgat 54
antiqua in subiecto,nisi subiectum illud natura sua habeat exigentiam vnius ex illis duabus determinatè.Homo autem non habet naturalem exigentiam aut gratiæ aut peccati; potest enim vtroque naturalissimè carere: & licet daremus hanc exigentiam gratiæ aut peccati, cùm iam supponamus homini dari nouam gratiam, eam scilicet quæ respondet nouis meritis,aut nouæ dispositioni cum Sacramento, per quod iustificatur, non video quomodo colligatur ex defectu,vt dixi, antiqui peccati,quod ex forma contraria expulit antiquam gratiam, debere hanc redire, cùm noua causa illius non sit:iam enim dixi nouam, quæ venit ex eo, quòd de facto sanctificet,non petere, nisi expellere de facto peccatum antiquum perfectissimè, & gratum reddere suum subiectum, si est gratia vt octo, gratum vt octo,si vt sex,gratum vt sex. Ad hunc autem effectum antiquæ gratiæ restitutio nullo prorsus modo requiritur: dubia ergo valdè est ea quæstio, nec nisi planè diuinando videtur posse decidi. Si tamen in re dubia aliquid dicendum est,magis propendeo ad negandam ei talem vim: quia non debemus concedere sine fundamento gratiæ habituali perfectiones, quæ annexæ ex conceptu suo non sunt ei prædicato, quod nos præcisè de ea gratia aliunde nouimus: non enim licet rebus quæcumque prædicata, quæ ex se non repugnant concedere,nisi positiuum habeamus fundamentum. Iam autem ostendi,neque in conceptu sanctificantis perfectissimè de præsenti hoc includi,neque aliunde nobis suppetere rationem vllam posi iuam aut auctoritatem id dicendi:de auctoritate constabit ex sequenti quæstione, in qua ferè maior pars negat reipsa eam gratiam datam sine meritis redire:ex his verò qui eum reditum concedunt, ferè omnes in solam liberalitatem Dei id reuocãt:ergo neque ratio vllæ suppetit pro eo reditu. *Probabilius negatur.*

DISPVTATIO XVI.

Vtrùm merita & gratia per peccata interrupta resurgant per Pœnitentiam.

1 GRATIA iustificans homini data est duplex: vna in præmium bonorum operum in gratia factorum: altera data sine merito suscipientis virtute Sacramentorum: quæ dari solet dari ex opere operato. De vtraque in præsenti quærimus, An resurgat per Pœnitentiam tota quæ ceciderat per culpam.

Aduerte, ad præsentem quæstionem per accidens Primò, quod redeat eadem numero gratia, dummodò redeat alia illi æquiualens, etiamsi numero distincta: Secundò esse etiam per accidens,quòd peccata tollantur per contritionem aut per attritionem in Sacramento. Nihil dico si tolleretur peccatum per æqualem & condignam satisfactionem:quo casu omnis omnino pœna deberet tolli. De hoc ergo casu nihil dico,quia de facto est impossibilis:non enim nos possumus talem exhibere satisfactionem. Vtrùm autem ex satisfactione æquali à Christo exhibita aliquid colligatur, dicemus posteà. Quærimus ergo,An ablato peccato de facto reuiuiscat tota gratia,quæ priùs fuerat. Non suppono cum aliquibus, merita siue gratiam non extingui, nec mori per peccatum, sed solùm mortificari: quia hæc ipsissima est quæstio, de

qua in præsenti agimus, Vtrùm scilicet omnino pereat gratia per peccatum, siue moriatur, an verò solum mortificetur ita, vt postea redeat; non est autem conclusio ipsa, de qua agimus supponenda, nec quidem sub aliis terminis. Quia verò diuersa ratio dubitandi est de gratia data per merita, quàm sit de data sine meritis, duas eas quæstiones diuidemus.

SECTO I.

Gratia data per merita reuiuiſci.

2 *Idem est redire merita & redire gratiam.*

ADVERTO, gratiam datam per merita redire post iustificationem, idem esse formaliſsime ac redire merita præcedentia: non enim agimus de reditu physico meritorum; si enim id fieret, potiùs esset noua merita habere, quàm redire antiqua. Solùm ergo potest reditus ille esse ratione præmij propriij eorum meritorum, quod est gratia & gloria; ergo redire merita idem est aliis terminis ac redire gratiam debitam iis meritis. Vnde non video quomodo P. Tannerus quæst. 5. dub. 1. priùs statuat redire totam antiquam gratiam; id quod fusè probat; deinde tamen dub. 2. disputet; Vtrùm antiqua merita redeant. Quidquid igitur sit de minùs exacta explicatione huius quæstionis,

Variæ sententiæ.

Variæ fuêre in hoc puncto sententiæ, Quidam solo nomine hunc reditum admittunt; quidam solùm ex parte; quidam solùm in fine vitæ; quidam illum concedunt iuxta dispositionis intentionem, qua peccator resurgit; quidam dicunt redire ad solum præmium accidentale, hoc est ad gaudium quoddam accidentale maius, quod habebit Beatus, eò quòd fecerit talia opera. Harum sententiarum diuersos Auctores qui videre voluerit, legat Suarium in Opusculis, Relectione de reuiuiscentia meritorum, vbi hanc rem fusissimè tractat. Potest etiam legi P. Tannerus loco immediatè citato. Ex probatione nostræ

Nostra sententia.

sententiæ colligetur, quid sit de aliis sentiendum. Communis ergo sententia docet absolutè merita redire, licet, iuxta paulò antè notata, vel sola voce, vel inadæquatè hic reditus à variis explicetur. Ita cum D. Thoma omnes Thomistæ, & alij quos Suarez refert suprà sect. 2. disput. 1. Nos tamen non solùm hunc abstractum sensum intendimus, sed dicimus illa redire perfectè quoad omnes gradus, quos anteà homo habuit ob ea merita, additis etiam his qui respondent nouo actui iustificanti, siue ille sit contritio siue attritio cum Sacramento. In hoc sensu conclusio hæc defenditur à Suario suprà disput. 2. sect. 7. Vasquez 1. 2. disput. 233. n. 45. & hîc art. 5. dub. 2. Durando, Scoto, Almaino, Maiore, Aureolo, Medina, Ochamo, Marsilio, Henrico, & aliis apud Suarez ea disput. 2.

3 sect. 2. num. 17. & Tannerum suprà num. 38. Et in primis quòd merita reuiuiscant, abstrahendo iam à modo quo id fiat, communiter probatur ex Ezechielis 18. capite, vbi hæc habentur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Hinc putant multi valdè efficaciter fundi nostram sententiam; nam si merita non redirent ergo Deus ad non dandum præmium recordatur eorum peccatorum. Nihilominùs hunc locum puto pro hoc intento inefficacem quia Deus ibi non aliud dicit, quàm eum hominem agentem pœnitentiam non retardandum à vita noua per antiquas iniquitates, nec Deum fore memorem ad eum odio habendum ob antiqua peccata; per quod nihil penitus insinuat de reditu meritorum: nam si dicamus ea extincta per peccatum, etiò Deus illa non remuneretur; non faciet tamen eò quòd peccatorum recordetur, sed quia iam re ipsa non sunt merita vlla, perinde planè ac si non peccando carnisset eis meritis quo casu etsi Deus nullius peccati recordatus fuisset, nihilominùs de præmio pro talibus operibus, quæ non fuerant, nullo modo cogitasset. Potrò ibi non agi de reditu meritorum videtur mihi clarum; Primò, quia ibi non agitur de peccatore, qui ante peccatum fuerat iustus, & posteà secundò redit ad Deum, sed absolutè de quolibet peccatore etiam, qui anteà semper fuerat in peccatis; vti sine dubio non habet locum reditus meritorum, de quo loquimur. Secundò, quia eodem modo agit de iusto cadente in peccatum, ac è contrario de peccatore agente pœnitentiam; ait enim; *Omnes iustitiæ eius non recordabuntur*; & tamen nemo dicit peccata redire; ergo neque vi eorum verborum debet dici merita redire. Et ob hanc causam dixi suprà hunc locum non esse sufficientem ad probandum non redire peccata, cùm è contrario non obstante eodem tenore verborum dicantur redire merita.

4 *Probatur ex loco Diui Pauli.*

Melius ergo id potest suaderi ex Paulo ad Hebræos 6. cap. vbi cùm illos reprehendisset grauiter, quòd defecissent à iustitia, hortatur eos ad pœnitentiam, inter alia motiua illis proponendo Deum non esse in vltum, *vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.* Ex hoc loco videtur colligi clarè, apud Deum adhuc esse memoriam eorum operum bonorum quæ olim facta fuerunt, & interrupta deinde sunt per peccatum. De hoc testimonio fusè agit Suarez disput. 1. sect. 1. vbi explicationes quasdam contrarias huic nostro discursui reiicit. Quidam enim dixerunt esse vbi sermonem de operibus in peccato factis, per quæ homo iustificationem de congruo meretur. Cui expositioni fauet D. Thomas ad eum locum lectione 3. contra quam ait Suarez stare Ambrosium, Hieronymum, Theodoretum, Theophylactum, Chrysostomum & alios. Et reuerà ex ea distinctione, quam ibi facit Apostolus, *Ministrastis, & ministratis*, videtur satis clarè colligi eum agere de operibus in diuersis statibus, gratiæ scilicet & peccati factis, quia loquebatur Apostolus vniuersaliter cum omnibus illis; non est autem credibile omnes illos tunc fuisse in peccato. Si verò de tempore materialiter tantùm diuerso ageret, quid ad oblitionem Dei faciebat, quòd tunc aut vna die antè fuissent ea opera, in peccato tamen omnia facta? Deinde Deus non tenetur operibus in peccato factis quidquam ex vlla iustitia dare. Dicit autem Apostolus Deum futurum iniustum, si non retribuat; ergo loquitur de factis in gratia, pro quibus idem D. Paulus alibi dixit sperare se coronam iustitiæ.

Quidam conantur D. Paulum aliter explicare.

Secunda aliorum explicatio est, D. Paulum loqui cum illis tantùm qui nondum ceciderant, neque obesse quòd eos terrefecerit, quia id non dixit, vrà lapsu eos excitaret, sed vt impediret, ne caderent. Id quod satis videtur confirmari

ipsa

ipsa ponderatione à nobis facta contra priorem explicationem, quòd scilicet dicat D.Paulus futurum alioquin Deum iniustum, si eis præmium non reddat : hoc autem non cadit supra opera mortificata ; Primò, quia Deus non obligatur ex iustitia ad vocandos hos homines ad pœnitentiam: Secundò, quia (vt diximus infra) est valdè dubium, an hic reditus meritorum, si admittatur, si ex iustitia, an ex misericordia sola; ergo non potest D.Paulus de eo loqui: Nihilominùs benè ostendit ibi P.Suarez ex multis Patribus & glossis ad eum locum, ex ipso etiam contextu Epistolæ D.Pauli, eum loqui cum Hebræis, quorum magna pars saltem ceciderat è gratia, ideóque facere illam distinctionem, *Ministrastis, & ministratis* ; quæ (vt suprà etiam notaui) non debet sumi in ordine ad solum tempus præsens & præteritũ, nisi accipiatur sub diuersis statibus, antiquo in gratia, à qua excidistis, & præsenti in quo iam multi ex vobis estis in gratia. Confirmatur, quia nè vt obliuiscatur Deus, non potest intelligi, si illi adhuc essent in gratia; etenim ea de re nemo dubitare poterat, scilicet opera bona eorum, qui sunt in gratia, esse in memoria Dei in ordine ad præmiandum, si decedant in gratia: neque potest dici, quòd Deus non obliuisceretur in ordine ad dandam pro illis perseuerantiam finalem (vt aliqui interpretãtur;) quia Deus nullo modo tenetur ex iustitia dare iustis, quantumuis multa bona opera fecerint perseuerantiam finalem; vnde neque e contrario potest Deus auxilium efficax negans iusto dici iniustus: ergo non id potuit intendere D. Paulus: agit ergo etiam de illis qui antea in gratia benè operati sunt. & vt eis reddat faciliorem pœnitentiam, proponit illis reditum meritorum: agit etiam cum his qui adhuc erant in innocentia, vel redierant ad gratiam.

6 Quòd verò superiùs obiiciebatur Primò, Deum ex iustitia non teneri lapsis dare auxilium vt redeant, ergo non agebat de his Apostolus, non vrget : nam sensus D. Pauli ibi non est hic; *Quia non est Deus iniustus, ideò vos restituet in gratiam antiquam* : sed hoc modo est declaranda ea adhortatio : *Rogo vos vt Deo ad pœnitentiam vos vocanti respondeatis; nam si id feceritis, non est iniustus: Deus, vt non remuneret antiqua merita* : quæ est clara deductio. Quod Secundò item obiiciebatur, dubium esse, Vtrùm esto merita redeant, redeant ex iustitia, an verò ex sola misericordia, non vrget: quia facile explicabimus paulò pòst, quomodo reditus hic possit dici ex iustitia. Constet ergo ex hoc loco valdè probabiliter suaderi hanc sententiam. Probari illa præterea solet & simul confirmari allata expositio loci D. Pauli ex Tridentino Sessione 6. cap. 16. vbi ait; *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, sive amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino : non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Vbi notandum factam à Concilio distinctionem illam: *Sive acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, sive amissam recuperauerint* ; per quam clarè insinuat se loqui de bonis operibus interruptis per peccatum, & deinde resuscitatis: cúmque pro hoc intento adducat verba citata D. Pauli, iam videtur simul confirmare explicationem à nobis allatam. P. tamen Suarez suprà optimè notat hunc locum ita posse explicari, vt loquatur quidem Concilium de iustificatis post lapsum, non autem de operibus factis ante lapsum, sed de factis post pœnitentiam; vt sensus sit: *Opera in gratia facta, sive ea gratia perpetuò fuerit conseruata, sive amissa, ac tam recuperata, apud Deum mercedem habebunt.* Quam explicationem meritò fatetur Suarez non posse facilè redargui: nihilominùs minùs videtur probabilis, quia iuxta illam Tridentinum fecisset eam distinctionem planè gratis, si solùm intendisset docere, etiam illum, qui amissam gratiam recuperauit, esse capacem meriti : hoc enim nimis certum erat: nemo enim dixit vmquam D.Paulum aut D.Petrum non meruisse per opera quæ post peccatum suum fecerunt : ergo loquitur etiam de operibus mortificatis: nam de his esse poterat aliqua ratio dubitandi. Eadem explicatio confirmatur ex alio loco eiusdem Concilij eodem capite, vbi ait iustos per bona opera mereri gloriam, *si tamen decesserint in gratia*: non dixit, Si post ea opera perpetuò perseuerauerint, sed *Si in gratia decesserint.*

Confirmatur Secundò.

Secundò principaliter ex sancto Paulo probatur ea sententia: nam scribens ad Galatas lapsos ex gratia, vt ea aspera verba ostendunt: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* volens eos ad pœnitentiam reducere ait cap. 3. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa* : ostendens per hanc aduersatiuam adhuc locum esse, vt ea opera non sint inutilia, si iustitiam amissam recipiant. Quæ est clarissima explicatio Hieronymi: vnde confirmatur etiam valde nostra sententia. Verba Hieronymi hæc sunt : *Simul & hic aspiciendum, vt quicumque ob Christi Fidem laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa passus dicitur dum peccat, sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem & antiquum statum reuertatur.* Eodem modo explicant Ambrosius, Anselmus, D. Thomas, Chrysostomus, Theophylactus & Theodoretus: vnde tantorum Patrum consensus valdè facit hanc explicationem certam, & consequenter sententiam nostram summè confirmat.

Probatur Secundò nostra sententia ex D. Pauli & Sanctis Patribus.

Vltimò probatur auctoritate Patrum, qui independenter etiam ab hoc loco Pauli illam tradunt: vt Hieronymus ad locum Aggæi 1. Chrysostomus in Epistola 5. ad Theodorum lapsum: Augustinus lib. de Vera & falsa pœnitentia cap. 4. idem sentit. Vbi mirandus est quidam Thomas Hurtadus in suo Præcursore Theologico disp. 2. Controuersia 2. §. 2. qui sinistrum affectum in doctissimum Patrem Vasquez dissimulare non valens, ait se non posse assequi ingenium Vasquez aliena obnubilantis vt sua appareant: vnde ait eum ostendere, se habere partũ lucis, siquidem lucere non potest nisi absconditis aliis. Fundamentum autem huius tam acerbæ admirationis non aliud est, quàm quod Vasquez dixerit difficillimum esse probare auctoritate & ratione reditum hunc meritorum : impingit autem illi Hurtadus, quòd exploserit ferè omnes auctoritates sacræ Scripturæ & Patrum. Debuisset sanè hic Auctor, antequam talem virum carperet, attentiùs considerare quid ille dixerit. Certè Vasquez hac quæst. 89. art. 5. dubio vnico, vnde illum citat Hurtadus, modestissimè & efficaciter ostendit vnum vel alterum locum Augustini, qui à Soto adducitur pro hac sententia, non esse efficacem : quod idem de Chryso-

Confirmatur nostra doctrina ex Tridentino.

stomo & Ambrosio probat. Neque video quid ibi reprehensibile admiserit Vasquez. Ex scriptura autem licet locum Ezechielis non censuerit efficacem, vti reuerà non esse ostendimos etiam nos, eò quòd eodem modo Propheta loquatur de bonis & malis operibus, cùm tamen peccata non reuiniscant; id quod non considerauit Hurtadus; licet inquam hunc locum non approbet, ex Paulo tamen, ex Ioële & Tridentino eam sententiam optimè deducit Vasquez. Vnde potiùs laudandus est Vasquez, qui diligenter verba Patrum discutit, an eorum sint, & quo sensu intelligenda. Sed de sinistro huius Auctoris in Patres Societatis affectu dicam aliquid inferiùs.

Vt verò ad rem nostram reuertamur, clarissimè hanc communem sententiam tradidit Felix Papa III. apud Baronium anno Christi 483; scribens enim ad Acatium dpiscopum lapsum ait: *Vbi est, frater Acati, labor tuus, quo tyrannidis haereticæ tempore defudasti? patieris hoc damno scientiæ tuæ eiusmodi perire mercedem?* Vbi manifestè insinuat ea merita reparari posse per pœnitentiam. De hoc ergo reditu absolutè loquendo non potest esse dubium, per quod prima pars nostræ sententiæ suadetur; an autem sit ex iustitia necne, dicetur inferiùs.

SECTIO II.

Ea gratia reuiniscit secundùm omnes antiquos gradus.

9 *Est contra D.Thom.*

QVOD merita redeant secundùm omnes antiquos gradus, non est tam commune, ideoque nec tam certum; maximè cùm D.Thomas hac quæst. art. 5. ad 5. non alium admittat reditum quàm ad gaudium quoddam accidentale, quod homo habebit de illis operibus, vt dixi supra; vnde valdè miret Patrem Suarez ea disp. 2. sect. 1. ad initium: referentem hanc sententiam de gaudio accidentali, dicere, eam non inueniri apud Scholasticum in terminis, cùm ipsemet Suarez alibi locum hunc D. Thomæ, quo eam sententiam expressis verbis tradit, fusissimè discutiens fateatur se non posse in bonum sensum D.Thomam explicare. Nostra ergo sententia tenenda est, etiamsi in ea videatur nobis contrarius Diuus Thomas: etenim loca Scripturæ & Patrum, quando loquuntur de merito bonorum operum, & de præmio illorum, semper intelliguntur de eo merito & præmio, quod simpliciter & absolutè dicitur præmium; hoc autem est præmium essentiale: nam illud gaudium accidentale non vocatur præmium operum nec propriè dicitur vita æterna & merces, &c. & (vt benè notarunt Suarez, Lugo, & alij) illud gaudium accidentale etiam habebunt Beati de operibus bonis factis in peccato; quæ tamen in omnium sententia non obtinebunt præmium nec reuiniscent, &c. quod autem sint tale gaudium de iis habituri est certissimum: etenim per illa opera sæpè de congruo obtinuerunt iustificationem; Secundò, per illa suo modo laudarunt Deum, eique placuerunt, &c. hoc autem materia est gaudij in cœlo non minùs quam ob opera facta in gratia; imò fortassè maior erit occasio gaudendi propter illa, quia hæc nõ iuuerunt eos ad surgendum sicut illa. Quoad D.Thomam ingenuè fateor, ea responsione ad 3. re-

Probatur.

Beati habebunt gaudiũ accidentale etiam de operibus bonis factis in statu peccati.

10

nuisse hanc sententiam; cùm enim dicat hominem non surgere ad maiorem gratiam quàm anteà, nisi habeat actum magis intensum, colligitur manifestè eum sensisse, nihil penitus de gratia dari ob antiqua merita supra eam, quam promeretur quis per actum, quo recuperat gratiam: supponamus enim illum hominem anteà habuisse sex gradus gratiæ, habeat nunc dispositionem vt sex, rogo, an præter gratiam vt sex, quæ huic dispositioni respondet, detur aliquis gradus ob antiqua merita, an non? si non datur, teneo intentum scilicet nihil de eo præmio essentiali redire; si verò aliquis gradus additur, ergo iam gratia erit intentior quàm anteà: fuit enim præcisè vt sex, iam verò est vt sex ratione dispositionis, & aliquid amplius additur ratione meritorum antiquorum; hoc autem est contra D.Thom. qui iuxta notata non admittit posse hominem resurgere ad maiorem gratiam, quam habet dispositio præsens. Vnde quòd P. Suarez ait in præsenti ad art. 5. D. Thomæ dub. 3. Sanctum Doctorem sentire tantùm restitui antiquam gratiam quando datur dispositio æqualis gratiæ antiquæ, est clarè contra Sanctum Doctorem; nam tunc daretur duplex gratia, vna ob merita antiqua, alia ob dispositionem præsentem; quam pono esse vt sex. & consequenter daretur gratiã vt duodecim: id quod D. Thomas aperte negat art. 2. huius quæstionis, non admittens posse ad maiorem gratiam hominem resurgere quàm sit dispositio, quâ se præparat. Constet ergo D. Thomam in hoc puncto valdè obscurè loqui, non tamen ideò debemus à communi sententia recedere.

Quòd verò Bañes & alij Thomistæ docent, redire merita etiam ad gratiæ præmium, non quia detur propter illa aliquis nouus gradus gratiæ, sed quia hæc, quæ datur, datur etiam intuitu præcedentium meritorum, est adhuc longè improbabilius; quia hoc reuerà non est redire merita, nec quidem quoad addidentale præmium, sed sola voce hoc autem est facere ridiculam eam promissionem S. Pauli. Quid enim vtilitatis & emolumenti illi Hebræi essent habituri ex eo, quòd Deus diceret illis, Petro v.g. *Haec tibi ob duos titulos do, tibi verò Ioanni praecisè ob vnum*, si res data sit eadem? Si item non sum recepturus nec vnum indiuisibile ampliùs ob illa opera mortificata, quo iure non dicat ego in illis sine caussa laborasse? Hæc sententia Bañes ferè fundatur in alia eiusdem Auctoris, quòd homo iustus per noua opera non mereatur nouum gradum gratiæ, nisi ea sint intensiora quàm gratia existens in subiecto; vt autem explicet Concilij Tridentini auctoritatem definientis, iustos per omnia opera bona mereri, ait tunc augeri nouum titulum pro gratia iam habita. Quam doctrinam vt omnino improbabilem in materia de merito reiecimus. Qui voluerit, legat Suarium ea lectione disp. 2. sect. 2. in qua fusissimam digressionem facit circa hoc punctum, quam ferè Secundò repetit sect. 3. Nos quia cum præsenti materia ea difficultas est connexa, breuissimè dicimus, eam planè dare occasionem ad contemnenda opera bona, maximè in eis hominibus qui gratiam habent valdè intensam, & vix possunt efficere actus intensiores quàm ea sit ac proinde vt summè periculosa ea opinio debet reiici. Probatur autem assumtum; nam ad animandos homines ad labores parum refert illis dicere, *Laborate, desudate strenue*

11 *Redire merita non est tãtùm dari nouam gratiã etiã intuitu antiquorum meritorum.*

12 *Quæ opinio est periculosa*

strennè : habebitis enim ingens præmium : quia licet non dabitur vobis quidquam de maiori gloria pro centum operibus quam pro vno : illa tamen eadem gloria dabitur vobis ob centum titulos. Quis enim vnquam diceret iustum esse Regem, qui hoc modo suos milites & Duces præmiaret, non dando illis propter noua facinora nec teruntium, sed solùm addendo nouum titulum: Certe hoc modo posset quis vnico floreno præmiare alterum, etiamsi fecisset mille gloriosissima facinora, dando illi eum ob mille titulos. Hoc ex se apparet ita ridiculum & falsũ, vt vix possit vllus prudens id non respuere: sicut è contrario esset ridiculum in pœna, ad deterrendos fures, v. g. à nouo furto, minari illis maximam pœnam: quæ tamen solùm in hoc consisteret, vt ea, quàm anteà debebant subire, sit posteà nouo titulo infligenda : certè parum illi curarent eos nouos titulos, si dolorem non haberent maiorem. Vnde Tridentinum apertè definiuit omnibus operibus correspondere augmentum gratiæ & gloriæ, non dixit nouos titulos ad eamdem gratiam : hoc enim quid ponit in præmio ? Huius rei eam reddo rationem à priori, quia ille titulus nihil est aliud quàm denominatio desũpta ex ipso opere de nouo promerente. si autem nihil ab illo distinctum datur, ergo solùm præmiatur illud opus per ipsummet opus, quod est contra omnem rationem præmij exigentis essentialiter distinctionem à merito.

13 *Obiectio : Quòd eadem res, vt est corona alicuius certaminis, sit magis æstimabilis. Soluitur.*

Quod verò solet Bañes pro se adducere, eamdem rem datam in certamine vt coronam esse magis æstimabilem quàm si simpliciter donaretur: hoc inquam est extra quæstionem præsentem: nam in eo casu non habet rationem præmij entitas ipsa rei datæ secundùm se : quale enim præmium constituunt quatuor folia lauri aut palmæ: Est ergo ibi præmium honor: hic autem est maior, quando ex nobiliori datur certamine: at in præsenti non loquimur de præmio prouenient Beatis ex honore maiori, sed ex entitate physica gloriæ & visionis Dei : Hæc enim est præmium : ergo hæc debet augeri per merita. Adde, etiamsi in cœlo honor esset præmium, adhuc futuram per accidens eam multiplicationem titulorum, dum enim omnibus Beatis constaret me fecisse omnia illa bona opera, eumdẽ sanè haberem honorem ex illis, licet beatitudo solùm esset data ob vnum, ac si ob duo, aut ob omnia: quia non facit me dignum honore, quòd hic detur ob opera, sed quòd ego illa opera fecerim, & alij id sciant: ergo etiam ex hac parte est impertinens illa titulorum multiplicatio.

Confirmo id meo iudicio valdè clarè, nam si præter Deum & me nulla alia esset persona rationalis, apud quam ego habere possem laudem & gloriam ex meo opere, non ideò opus illud factum cum eadem intensione, &c. cum qua nunc mereretur minus præmium, quàm de facto mereatur: quia meritum non ponderatur ex aliorum honorum existentia, sed ex gratia quam habeo ex intensione, specie, &c. illius: ergo in eo casu deberet habere suum præmium: atqui tunc cùm & Deus & ego iam sciremus me fecisse ea bona opera, & nullus maior honor mihi ampliùs posset prouenire ex eo, quòd daretur mihi illa visio ob hunc titulum, quàm si ob priorem tantùm gratiam : quia inde nec Deus neque ego me magis æstimarem: æstimatio enim (iuxta paulò antè dicta) desumitur ex ipsa honesta & gloriosa actione, non verò ex eo quòd alter posteà dicat, *Benè fecisti* : & summùm ad eam gloriam spectat diuulgatio eius facti: profectò quando diuulgatio noua esse non potest, non potest concipi facilè, quo modo sit ibi maius præmium: ergo deberent tunc non tituli, sed visio ipsa augeri, ne opus illud maneret sine præmio : ergo cùm in hoc ordine rerum ego per similem actum, vt dixi, idem merear quod tunc, debebit mihi nunc visio ipsa noua dari in præmium, non verò nouus tantùm titulus, qui eam visionem nequaquam adæquat.

14 *Obiectio secunda : quòd nullum agens intendat passũ vltra se. Reiicitur.*

Quòd item hic Auctor vtatur eo principio physico, scilicet nullum agens intendere passum supra se parum illum iuuat : etenim in causis physicis intensio oritur ab agente, quod non intendit nisi vel assimilare sibi passum: ac proinde si iam inueniat simile, nihil habet quod agat: vel si dicamus gradus intensionis esse heterogeneos, & octauum perfectiorem quàm sit septimus repugnat agens vt septem, quod non continet perfectionem octaui gradus, illũ producere: quia iuxta certum Philosophorum principium, nemo dat quod non habet. Hæc autem omnia cessant omnino in merito respectu gratiæ. Nam actus amoris Dei v. g. aut actus humilitatis, iustitiæ, &c. non intẽdit assimilare sibi animam, quæ est passum, sed intendit vel leuare miseriam pauperis vel Deo placere: ex eo verò quòd sit dignificatus gratia, quòd sit bonus supernaturalis, &c. habet vim Deum prouocandi ad remunerationem. Vti quando laborat in mea vinea mercenarius, non intendit passum tibi assimilare, sed vineam colere; & quia mihi rem gratam facit, & vtilem, &c. mercedem à me meretur, & quidem eamdem, etiamsi ille habeat domi centum florenos, quàm si non haberet nummum, ac proinde cessat hic tota ea ratio, cur non possit augeri gratia super eam quam habet operans sicut opus mercenarij promerens florenum obtinet hunc, etiamsi, quia operarius ille habet centum & vnius floreni : quæ est maior quàm intensio illius laboris in vinea. Quoad secundum verò de causa efficienti, non habet locum in moralibus ; nam in illis intensius præmium non causatur ab ipso merito physicè, sed à Deo præmiante ; Deus autem continet perfectè totam illam præmij intensionem, meritum verò per suum valorem mouet voluntatem diuinam ad dandum præmium in ordine autem ad hanc motionem per accidens se habet, quòd homo iam supponatur ex præcedentibus meritis habens intensiorem gratiam quàm sit nouum meritum: sicut enim hinc non impeditur, quò minùs habeat proprium valorem & laudabilitatem ex præsupposita gratia; ita etiam non impeditur, ne moueat voluntatem Dei ad nouam remunerationem : imò quia meliùs homo priùs certauerit, tantum abest vt reddatur indignior præmio, vt potiùs videatur ceteris paribus ex hac parte dignior vt ei augeatur. Adde, si vellemus stare huic rigori physico, non solùm deberet dicere Bañes, non augeri gratiam per opus remissius, sed nec per vllum opus quantumuis intensum posse nos mereri gratiam ; quia hæc est multò perfectior substantialiter quàm opus; nihil autem physicum potest aliud se perfectius producere vt causa principalis; quale est in genere moris meritum respectu præmij ; hoc autem dicere esset planè hæreticum.

Præmium nõ producitur à merito, sed à præmiante.

SECTIO III.

Opportuna digressio, quâ ostenditur merita non esse dispositionem physicam ad gratiam.

15 QVia in hoc puncto de proportione dispositionis physicæ valdè magnam vim faciunt aliqui Thomistæ, iudicaui me hîc aliquid de eo puncto debere dicere. Duo ergo noto; nos nec leuissimum quidem habere fundamentum, si res prudenter consideretur, ad dicendum, nostra merita esse dispositionem physicam pro gratia, secundum, esto dicerentur dispositio physica, adhuc tamen nihil sequi de ea proportione, quam Thomistæ volunt intrudere. Vt primam partem ostendam, suppono nos de gratia habituali & meritis nihil penitus scire, nisi ex Fide, ex qua scimus homines mereri per sua bona opera, & accepturos prout gesserint in hac vita, sanctiores futuros qui maiora fecerint, &c. ex Concilio verò Viennensi & Tridentino colligere nos valde efficaciter, gratiam sanctificantem esse qualitatem seu habitum infusum nobis physicè inhærentem. Hinc meo iudicio formo argumentum valdè efficax; eò quòd gratia detur nobis in præmium bonorum operum, & ipsa sit quid physicum, nullo prorsus modo aliud potest inferri, quàm nostra opera esse per modum meriti illius; atqui ex genere suo ratio meriti nihil penitus dicit, quòd debeat esse physica dispositio, sed purè putè moralis, vt patet in omnibus alijs meritis. Nam miles in bello aut Iurisperitus in pace exhibens Principi obsequia, per quæ meretur vel dignitates vel bona stabilia, nõ ponit vllam physicam conditionem pro eis bonis aut honore, sed purè putè moralem; Christus etiam nobis promerens auxilia pro remissione peccatorum, &c. non ponit suis operibus physicam dispositionem in nobis; nec è contrario auxilia nobis data in eo recipiuntur; propriè autem & proprijssimè ipsius opera habent rationem caussæ meritoriæ; ergo, eò quòd nostra opera mereantur nobis gratiam, nihil penitus probatur, quòd sint dispositio physica, sed purè putè esse caussam meritoriam seu moralẽ: quòd si semel ea ratio cessat, nullum aliud fundamentum est aut in ratione naturali, aut in Patribus ad eam physicam dispositionem adstruendam: sine fundamento autem non licet pro libidine dicere, *Debet esse dispositio physica*, ego id

16 nego, tu asseris; asserentis est probare: ostende ergo vnde id probes; iam enim ego probaui nullum esse fundamentum. Neque valet, quòd Tridentinum dicat esse dispositionem, hoc enim optimè saluatur de dispositione morali: sicut dici potest optimè de militibus strenuè dimicantibus, quòd præmientur à Rege iuxta suam dispositionem. Secundò circa hoc dico, Concilium hanc vocem dispositionis solùm tribuere illis actibus, quibus peccator iustificatur: quos ideò vocat dispositiones ad gratiam, quòd condigni non sint gratiæ: ex hoc autem capite multò magis apparet eos non esse physicã dispositionem, sed moralem pro eadem gratia, cum non existant physicè quando hæc datur. Constet ergo nullum esse fundamentum pro ea physica dispositione.

Probatur, merita non esse dispositionem physicam ad gratiam:

Sed tantùm dispositionem moralem:

Quia nulla est ratio id dicendi.

Iam verò positiuè ostendo eos non esse dispositionem physicam Primò, quia dispositiones physicæ ad aliquam formam non solùm concurrunt in fieri, sed in facto esse: sicut dispositiones pro forma hominis sunt etiam necessariæ vt ea forma conseruetur: merita autem non durant physicè quamdiu durat gratia: ergo nnn sunt dispositiones physicæ, sed morales, quæ vti moraliter caussarunt gratiam, ita dum moraliter perseuerant in Dei acceptatione, sici iure optimo possent moraliter etiam perseuerare in illa gratia. Vides quàm clarè & facile res tota explicetur non quærẽdo vllas physicas proportiones?

Probatur id ipsum positiuè, Primo.

17 Secundò argumentor positiuè: Nam sæpè dum confertur illa gratia non existunt physicè illa opera, quæ sunt dispositiones ad illius infusionem iuxta Tridentinum. Etenim quò quis per intensiorem attritionem & actum spei se disponit ad Sacramentum Pœnitentiæ, accipit maiorem gratiam per ipsam absolutionẽ iuxta communem sententiam, etiam iuxta Diuum Thomam: & hoc maximè videtur voluisse ibi Tridentinum definire. Atqui sæpissimè illa attritio, illi actus, quibus homo disponitur, non existunt in ipso vltimo instanti, quo completur absolutio, & confertur gratia (vt omnes fatentur fieri posse:) & verò sæpe re ipsa fieri, quia pœnitens tunc est distractus, &c. aut quia iam est alienus à sensibus: postquam enim confessus est, ante datam absolutionem amittere potest vsum rationis, adhuc tamen est capax absolutionis: iam non loquor de eo qui absente Confessario dedit signa doloris; nam ibi negarent forte hi posse dari valide absolutionem; loquor ergo quando Confessario præsenti dedit signa, & etiam confessus est integrè, ante absolutionem tamen vsum rationis amisit; ibi certè non existunt physicè ea opera, quando datur illi gratia; ergo illa non sunt dispositio physica, sed solùm moralis; patet, quia repugnat aliquid non existens physicè esse physicè dispositionem, maximè post notabilem moram. Hoc addo, ne rẽm claram faciam dependentem ab alijs opinionibus ad rem præsentem disparatis; qualis est illa quorumdam Thomistarum, quòd res non existens potest in primo instanti immediatè sequenti physice operari, Ab hac opinione etsi falsa abstraho; id oque dixi, *Saltem post aliquam moralem*: nam quòd res, quæ ante mediam horam extitit physice, possit iam physicè caussare, nemo dixit, hãbet autem maiorem vim hæc ratio in dispositionibus, quæ in genere caussæ formalis concurrunt: hoc enim non possunt præstare, nisi per seipsa existant, quidquid fortè sit de efficienti causalitate, quæ extrinsecè ipsi caussæ; non possunt ergo ea merita esse physica dispositio, sed moralis.

Secũdò, quia merita (cùm nõ existãt in) datur gratia

18 Secundò iam probo: Esto concederemus ea opera esse physicam dispositionem, non posse tamen nos ad eas proportiones physica, quas Thomistæ aliquid ponunt, confugere. Pro quo aduerto, nobis, etiam in aliis rebus physicis, nullo modo constare, qualis proportio seruetur inter dispositiones & formam ipsam: quando agentia sunt eiusdem rationis, colligere possumus calidum vt duo v.g. non intendere passum supra seipsum, quia id docet ipsa experientia: at in rebus diuersi generis, vt inter calorem & formam substantialem, nil certi possumus dicere. Certe experientia magnam in hoc ipso ostendit diuersitatem iuxta differentiam subiecti: nam vt stupa recipiat formam ignis, longè minorem

Probatur. Licet merita essent dispositio physica ad gratiã, nil posse admitti proportionis Thomisticæ.

norem calorem requirit, quàm vt eam recipiat materia ferri: quomodo ergo nos poterimus solidè dicere, Tot gradus hic tot ibi requiruntur: Cùm ergo gratia habitualis sit longè diuersæ rationis quàm ipsa merita, vnde sciemus, quanta proportio requiratur inter ea duo, an meritum intensum vt duo sufficiat ad gratiam vt duo, an tantùm ad gratiam vt vnum? Deinde vnde sciemus, semel iam dispositio subiecto per merita etiam præcise vt vnum, non posse accipere gratiam maiorem, quæ tamen non detur propter illud meritum, sed ob alios titulos? Vnde Secundò infero, Nullatenus posse colligi, an cùm homo pro gratia vt sex habeat iam dispositionem, quæ in præcedentibus meritis consistit, an inquam non sufficiat pro nouo gradu gratiæ addi nouum gradum meriti, nam licut hic gradus gratiæ cum antiquis facit gratiam vt septem, ita hoc opus, quod se habet per modum dispositionis, faciet cum antiquis operibus dispositionem vt septem, ac proinde semper sibi hæc respondebunt: quantumuis enim actu de præsenti non existant illa opera antiqua, poterunt facere vnam dispositionem in ordine ad mouendum Deum cum præsenti actu. Id quod maximè habet locum, si dicamus gradus ipsos intentionis esse homogeneos. Constet ergo minùs benè adstrui necessitatem meritorum per modum dispositionis physicæ; de quo adhuc sequenti sect. aliquid dicem, probans gratiam habitualem ex se posse dari à Deo etiam sine vllis meritis.

SECTIO IV.

Recentior quidam Bañes sententiam confirmans reiicitur.

19 QVæ hæc pro prælo iam disposita haberé, ad meas manus venit Præcursor Theologicus Thomæ Hurtadi, Clerici minoris; de quo suprà; in quo refutatam iam à nobis opinionem Dominici Bañes conatur valdè fulcire disp. 2. controuersia 2. & licet nihil noui adferat, sed solùm repetat quæ dixit Bañes, iudicaui tamen debere me hanc sectionem propter illum addere. In Præfatione autem ait se id facere in defensionem antiquorum Thomistarum; quibus ait illuxisse veræ lucis radium. Sæpè dixi, etsi de Diuo Thoma optimè sentiendum sit, vtpote de quo Pontifices, ipsaque Veritas grande reddit testimonium, me tamen non videre, à quo Pontifice sit ideò definitum, Soncinatem, Capreolum, Bañes fuisse à Deo illuminatos, aut eis illuxisse veræ lucis radios, aut ad intelligendum D. Thomam eis fuisse à Deo data specialia auxilia: non enim id reduci potest ad hoc, quòd sint eiusdem Religionis cum Sancto Doctore; tum quia inde deberemus inferre, D. Thomam, qui alterius est Ordinis, non tam benè intellexisse sanctum Augustinum, quàm hunc intelligant Religiosi S. Augustini: tum quia, si hæc ratio bona esset, non scio quo titulo hic Auctor putet se meliùs intelligere Diuum Thomam quàm eum intellexerit Suarez: non enim ipse magis gestat vestem sancti Dominici, quàm eam gestauerit Suarez: ac proinde non scio, quomodo ipse præsumat sibi à Deo infusam intelligentiam Diui Thomæ, ita vt putet se iam non indigere oratione ad eum intelligendum; ideoq; membro primo in ea tam superba verba contra Societatē & tam gloriosa per se erperit. *Valeat ergo Schola Iesuitarum, & oret Deum, vt mentem D. Thomæ illis aperiat*: quo modo etiam paulò ante in sapientissimum ac modestissimum Doctorem Franciscum Suarez debacchatur, dicens *se nescire, qua fronte dixerit eam sententiam esse improbabilem.* Bene est; quòd Francisc. Suarium totus Orbis sit admiratus, quòd ipsi Ecclesiæ præcipui Episcopi & supremi Inquisitores Lusitaniæ alterum huius sæculi Augustinum dixerint. Bene est quòd Paulus ipse Quintus, summum Ecclesiæ Caput, de Suar. dixerit, totam Ecclesiam ei valde multum debere: vbi enim sunt tam fortia testimonia pro Suar. non poterunt cuiúsdam ferè ignoti hominis & ipsis verbis iniquum affectum in totam Religionem Societatis præseferentis, scommata nocere. Sed his omissis ad rem veniamus.

Thomas Hurtadus conatur defendere Thomistas antiquos.

Et carpere Doctores Societatis Iesu.

20 Fusè ergo (vt notaui) hic Auctor, quod dixerat Bañes de gloria eadem data, variis titulis transfert, Primò ad gratiam, vt inde faciliorem suæ doctrinæ viam sternat ad gloriam; putat enim eamdem qualitatem physicam gratiæ data tam ex maiori Dei affectu esse quid maius in esse gratiæ; ideoque fusè distinguit membro secũdo gratiam in esse qualitatis ab eadem in esse gratiæ vnde ait, Esto merita mortificata reuiuiscere dicantur, non tamen gratiam redire secundùm entitatem physicam, sed quatenus datur à Deo ob plures titulos. Probat autem id, quia si Deus ab homine iusto sine illius culpa auferret gratiam habitualem, maneret ille homo in diuina acceptatione gratus, & cum iure ad gloriam; ergo entitas physica gratiæ aliquid distinctum est à dignitate morali. Confirmat, quia dignitas virtutis Fidei & Spei est aliquid distinctum ab earum entitate: manēt enim hæ entitates in peccatore, & non manet dignitas virtutũ. Confirmat Secundò, quia actus boni in peccatore habent suam entitatem physicam, & non habent dignitatem in ordine ad meritum. Denique, si gratia simul diuinitus sit cum peccato, habebit suam entitatem, & tamen non habebit dignitatem moralem; ergo: quod autem ex eo affectu, quo à Deo gratia datur, habeat dignitatem nouam moralem, probat ex operibus Christi, quæ accipiunt à persona infinita dignitatem moralem infinitam: & idem est in operibus aliarum virtutum, quæ ex imperio charitatis accipiunt speciale valorem & dignitatem ad meritum. Potest ergo gratia per peccatum omnino physice perire, ita vt nullo modo redeat, licet maneat secundùm esse morale & dignitatem, secundùm quam est efficax ad producendum hominem in vitam æternam.

Doctrina Thomæ Hurtadi:

Distinguit gratiam in esse qualitatis & in esse gratiæ.

Hæc doctrina nullo modo potest sustineri, nec vllo modo cohæret cum principijs huius Auctoris, vt facilè ostendo; & in primis æquiuocat illam vocem *gratia*: hæc enim aliquando significat fauorem Dei, qui tamen hominem non reddit iustum aut sanctum in ordine supernaturali pulchrum ac formosum, quo sensu auxilia, vocationes diuinæ, etiam illa quibus peccator resistit, sunt sine dubio gratia Dei, fauor Dei; per ea tamen auxilia homo, vt dixi, non redditur amabilis, iustus, &c. Alia est acceptio gratiæ habitualis, non solùm vt denotat fauorem Dei, sed vt est forma physica pulchritudine animam reddens decoram, sanctam, gloriæ hæredem, &c. hæc prædicata sunt illi essentialia,

21 *Reiicitur Æquiuocatio in voce gratia*

& non debent confundi cum prioribus illis; vnde fi, vt possit ipsa entitas gratiæ esse in vno minor fauor, & minor gratia in primo sensu, esto in secundo nihil plus addat: id quod à nullo potest negari, quia si eosdem gradus quatuor gratiæ infundat Petro peccatori, & Ioanni anteà existenti sine vllo peccato, sed creato in pura natura, certissimum est longè maiorem fauorem in ea infusione facturum Deum Petro, qui ob peccatum præcedens exigebat, ne ea gratia infunderetur, quàm eam dando Ioanni, qui non erat inimicus, iuxta illud Apostoli Rom. 5. *Ostendit Deus charitatem suam in nobis; quod cum adhuc inimici essemus*, &c. & tamen nullus Theologus adeò ineptè discurrit, vt ex eo capite dixerit Ioannem per eos quatuor gradus gratiæ futurum minùs Deo gratum, minùs pulchrum, heredem minoris gloriæ, quàm Petrum similes quatuor gradus accipientem; ergo quòd ea gratia sit maior fauor, aut maior gratia, iuxta eum sensum, est planè impertinens in ordine ad secundum, de quo nunc agimus. Vnde non scio, quid mucusque aliquis Theologus, præter hunc, dixerit duos homines, æqualem omnino gratiam habitualem habentes, posse ex sola extrinseca Dei voluntate esse inæqualiter iustos, inæqualiter in ordine spirituali formosos; loquor in sententia eorum, qui dicunt gratiam habitualem ex sua intrinseca natura sanctificare: & idem est in aliis formis physicis. Non enim est in potestate Dei efficere, vt si eadem albedo ponitur in duobus subiectis capacibus eodem modo physicè vnita, vnum reddat magis album, aut formosum quàm alterum.

22 *Soluuntur argumenta Thomæ Hurtad. Primum*

Iam verò argumenta huius Auctoris facilè reiicientur. & ex solutione clariùs apparebit veritas nostræ & communis doctrinæ. Ad primum de casu illo quo Deus auferret ab homine gratiam sine culpa illius, respondeo Primò, Eum tunc non mansurum iustum, filium adoptiuum Dei, formosum, &c. non minùs quàm si ab humanitate Christi auferretur vnio hypostatica, non maneret amabilis, infinitè sancta, &c. sicut ablata pulchritudine physica à Petro non potest manere pulcher. Nec video qua probabilitate hic Auctor proiecerit eam propositionem sine vlla vlteriori probatione, ac si res esset omnino certa. Respondeo Secundò; Etiamsi id concederemus; nihil tamen esset contra nos, quia in eo casu ille affectus esset purè moralis, vti discurrimus in peccato habituali: censetur enim perseuerare gratia secundùm suum esse, perinde ac si physicè existeret; vnde solùm potest inferri, Posse gratiam moraliter existentem perinde se habere ac si existeret physicè; ea tamen dignitas non oriretur tunc à maiori aut minori Dei affectu, neque à diuersis prædicatis gratiæ in esse gratiæ, & in esse qualitatis, sed quia tota illa potest præstare absens id quod præsens. Quòd si eo sensu dicat hic Auctor hominem, postquam surrexit à peccato, manere tam charum Deo, tam formosum, tam iustum, quàm anteà, esto ea gratia in se non producatur physicè, tolerabiliùs discurreret; at tunc deberet etiam fateri, per eam dari ius ad eosdem gradus visionis beatæ, ad quos anteà habebat ius ille homo; quia in visione, quæ non est forma moralis, sed physica beatitudo & voluptas, non potest vlla probabilitate admitti, deficiente physicè visione, manere hominem tam beatum quàm fuerit anteà.

Secundum argumentum de dignitate virtutum fidei & spei, & omnium actuum meritoriorum, nullum planè est, quia illa dignitas est ipsa gratia vnita subiecto faciēs illud tāctū capax meriti de condigno, &c. non est autem ibi quidquam de volitione diuina aut fauore extrinseco, & idem est in sāctitate operum Christi Domini: id enim totum oritur ex physica ipsa vnione hypostatica, quæ sāctificat intrinsecè illud subiectum & operationes illius. Quod denique dicebatur, casu quo peccatum & gratia essent simul, &c. nihil vrget, quia nos dicimus effectum grati, sancti ac iusti, formosi, in ordine spirituali duo dicere & physicam entitatem gratiæ, & carentiam peccati deformantis; vti vt homo sit actu pulcher debet habere eas partes, quæ formositatem positiuam faciunt, & carentiam aliarum, quæ deformare possunt: ibi autem nihil est de extrinseco fauore aut volitione dantis, sed quæ partes physicæ, vna positiua, altera negatiua, quibus positis æqualiter in duobus hominibus æqualiter erunt formosi, esto à diuersis & inæqualibus causis illæ prouenerint. 23 *Secundum.*

Ostenditur Thomam Hurtadum inconsequenter discussisse.

Iam ostendam euidenter eum Auctorem non esse sibi in hac doctrina constantem, & vt voces illa, quibus rem totam intricat, vocando, contra omnium etiam D. Thomæ modum loquendi, præmium essentiale gaudium illud accidentale, quod solum gaudium iuxta eum redit ex antiquis meritis; has inquam voces omittendo, rogo, An per reditum eius gaudij & tituli constituatur homo tam sanctus, tam gratus Deo, tam beatus, quàm si rediret physicè tota antiqua gratia (& idem dico à fortiori de iure ad gloriam in antiquo gradu) an non? si non redit, sed homo est minùs sanctus & beatus quàm antea, clarissimè sibi hic Auctor contradicit; nam vt meritorum reditum probaret, affert locum illum, quem etiam adducunt omnes ferè, ex Ioëlis 2. cap. *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta*; vbi Glossa ait, *Non patiēr perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidistis.* Ecce hic locus totam vbertatem dicit redire, nihil perire quidquid comedit locusta reddendum, &c. ergo; dum hic Auctor deinde docet, non redire nisi multò minùs, iam clarè opponitur huic loco; item & illi ad Hebræos 6. *Non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur*: si enim solùm recordatur mediæ partis, aut fortè minoris, & reliquam relinquit, profectò valdè obliuiscitur: quòd si ideò dicat illud gaudium accidentale æquiualere omnibus gradibus præteritis actu existentibus, profectò, præterquam quòd docet rem contra omnium sensum, etiam D. Thomæ, qui semper iudicat gaudium illud esse accidens beatitudinis, solùm esse aureolam; ac proinde semper iudicat esse longè inferius præmium, vti accidens est longè inferius quàm substantia; præter hanc inquam impugnationem adhuc reiicitur Secundò euidenter, quia si æquè crescit beatitudo & sanctitas per augmentum præcisè eius gaudij, sine vllo augmēto physico gratiæ & gloriæ, eo ipso cessant omnia omnino argumenta ad probandum gratiam physicè augeri per opera bona etiam intensiora; & idem dico de augmento ipsius visionis; ac proinde omnes omnino Beati erūt in physica entitate gratiæ & visionis æquales, & solùm different in gaudio illo: hoc autem est apertè contra hunc Auctorem, & contra omnes ferè Catholicos. Sequelam probo meo iudicio ratione morali euidenti, quia in hac materia 24

de

de augmento gloriæ & gratiæ nihil habemus ex rationibus naturalibus,cùm sit res pure putè ex Fide credita;ex Fide autem solùm habemus, Beatos in cælo futuros inæquales, sicut stella differt à stella in claritate, & stationes multas fore in cælo,& quemlibet recepturum iuxta ea quæ gessit in vita:& quod Tridentinum definit, quolibet bono opere nostro in gratia facto nos mereri augmentum gratiæ & gloriæ. Hæc sunt principia, ex quibus nos in hac materia discurrere possumus: & nulla alia. Atqui si vera est doctrina, quam in hac responsione ex hoc Auctore supponimus,quidquid his testimoniis dicitur, saluatur perfectissimè sine vllo physico augmento gratiæ vel gloriæ, & quidem æquè perfectè,ac cum hoc augmento per solum augmentum illius gaudij,quod hic Auctor dicit ex integro quoad omnia æquiualere ei augmento physico:ergo cessat ratio hoc physicum ponendi:imò nec ratio ne ponamus illud,quia tam in ordine gratiæ quàm naturæ est verissimum id quod dicitur communiter:Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora:& non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate.

SECTIO V.

Noua illius obiectiones soluta;vnde clarius ea sententia reiicitur.

25 *Obiectio prima:*

OBIICIT Primò:Non infunditur gratia nisi iuxta mensuram dispositionis, iuxta Tridentinum;ergo non potest infundi maior, quàm sit ipsa dispositio,quâ auferatur peccatum.

Solvitur. Hoc est vnicum huius doctrinæ fundamẽtum, quod patitur æquiuocationem quam suprà explicuimus; nam ea gratia, quæ datur propter antiqua merita, non datur propter præsentem dispositionem: hæc enim in ordine ad illam reuiuiscentiam non aliud facit quàm auferre obicem; quo ablato redit gratia propter antiqua merita. Vnde Tridentinum non adducitur ad rem, quia illud loquitur de gratia, quam homo meretur de nouo, tunc

Replica: Replicabis:Iam Deus semel satisfecit illis meritis;ergo non tenetur eis dare nouam gratiam: sicut si ego promeritus sum equum à Rege, & ille mihi illum dat,ego autem postea eum amitto, iam non tenetur Rex dare mihi alium, quia

Soluitur. iam satisfactum est illi merito. Hoc argumentum & laborat æquiuocatione;&si quid probat, sanè contra eius Auctorem. Etenim si est satisfactum merito,& ego mea culpa illud præmium destruxi;ergo non resurgent vllo modo merita, vti in eadem instantia de equo.Nam si ego,casu quo primus equus à Rege in præmium donatus, mihi periisset, facerem nouum seruitium, quo promererer à Rege alium equum; certè Rex dans mihi hunc secundum, nihil penitus diceret de antiquo titulo, nec ibi augeretur gaudium accidentale; nec daretur mihi, hic secundus propter antiqua facinora,quia iam illa fuere remunerata. Vides defectum consequentiæ; Absolutè respondeo,Esse in hoc puncto ingentem differentiam inter casum nostrum & equum illum.Nam quando ego accipio equum à Rege non tenetur ille ampliùs conseruare mihi equum multò minùs in æternum: vnde siue moriatur, siue furto accipiatur, mihi soli perit;& Rex nihil penitus curat, quid cum equo fiat. At merita petunt vt Deus det mihi gratiam,vt ex verbi causa, in perpetuum, quandiu ego per peccatum illam non impedio; ac proinde esto mihi eam abstulerit quandiu fui in peccato, cùm tamen primùm liberor à peccato,debet mihi illam restituere, siue illam numero, siue aliam eiusdem speciei:hoc enim est per accidens pro præsenti quæstione. Clarius adhuc ex. mplum ego ponam in ipso Rege pro me: Si enim rob egregium aliquod facinus dedissel mihi clauem auream cum hac conditione, *Ego tibi hanc do quamdiu non fuerim tibi grauiter offensus*, si posteà illum grauiter offenderem, & auferret illam à me,certe si satisfacerem posteà illi, vel ipse mihi condonaret offensam,eo ipso teneretur mihi vel eãdem numero,vel aliam clauem eiusdem æstimationis restituere: quòd si, dum satisfacio illi, efficerem aliquod opus, quod ex se mereretur nouum præmium, haud dubiè & clauem restituere, & illud aliud præmium reddere deberet. Idem potest ostendi in dignitate Eccl siastica; Si enim mihi Papa eam concederet hoc modo *Hanc tibi in perpetuum ao quamdiu non manseris in excommunicatione*; si incidam deinde in excommunicat onem, amitto pro eo tempore illam dignitatem: quòd si ego ab ea excommunicatione absoluar, tenetur iam Pontifex vi prioris pacti restituere eam dignitatem non in præmium absolut onis ab excommunicatione;nam etiam si e vlla mea actione liberarer, deberet mihi restitui, sed vi prioris meriti,quod voluit cum ea vniuersalitate remunerare Pontifex, quodque habuit, vt supponimus condignitatem cum ea perpetuitate. Quòd si nouo aliquo facinore mererer simul nouam dignitatem, & simul absolutionem ab excommunicatione, ego redderer dignus alia noua dignitate cum prima compossibili, nemo posset dicere,tunc redire mea merita antiqua, aut mihi satisfieri pro antiqua promissione dando mihi hanc solam dignitatem, quam de nouo mereor; & dicendo mihi. *Hanc do pro hoc opere & pro antiquo*; profectò hæc instantia manifestè declarat rem pro nobis.

26 *Exempla in humanis.*

27 *Obiectio secunda:*

Secundò obicit: Merita mortificata reuiniscunt ad hanc numero gloriam,ad quam habebant ante peccatum efficaciam;at respectu gratiæ in esse physico non possunt redire,quia illa est annihilata:aliam autem numero gratiam non possunt mereri,quia sunt determinata ad hanc numero:sicuti hic numero ignis est determinatus ad hunc numero calorem vt octo;& è contrario hic numero calor determinatus ad hanc numero formam ignis. Respondeo, Hoc argumentum multa supponere falsa, & planè esse *Soluitur.* contra hunc Auctorem.Primò enim falsum est quod de ea determinatione dicit. Nec capio quomodo dicat hanc numero formam aquæ (de qua est idem quod de igne)esse determinatam ad hos numero gradus frigoris:nam hi corrumpuntur quando aqua calefit:dum verò secundò frigefit,necessariò alij noui producuntur, quia ipse supponit non redire idem numero accidens:alioquin ergo etiam dicerem redire eamdem numero gratiam corruptã:est ergo ea forma ex se indifferens ad eos diuersos calores. Cur ergo non idem dicam de merito ad hanc vel illam numero gratiam: Secundò,quidquid sit de causis physicis,cùm merita non nisi moraliter concurrant petendo præmium, non ca-

pio

pio, vnde hic dicat hoc numero meritum esse determinatum ad hoc numero præmium. Sicut si ego meo facinore mererer equum valentem mille, & Rex habeat duos, quemlibet valentem mille, sintque inter se omnino similes, quis vnquam dicere poterit, non esse pro meo merito per accidens, quòd detur mihi hic numero & non alius numero equus? Sed age, demus eam alligationem; sic argumentor manifestè: Sicut hi dicunt merita esse alligata huic gratiæ numero, & è contrario ego infero; Ergo hæc numero gratia est alligata huic numero gloriæ, & è contrario: imò cùm merita non respiciant gloriam immediatè, sed ratione gratiæ quam immediatè merentur, repugnat hæc numero merita esse alligata huic numero gloriæ, nisi quia sunt alligata huic numero gratiæ, & hæc numero gratia est alligata huic numero gloriæ. Vnde infero vlteriùs; Ergo si non redit hæc numero gratia, repugnat, quòd illa eadem gloria, quæ antè debebatur, maneat, vt hic Auctor supponit. Secundò efficaciùs argumentor ad hominem: Hæc numero merita sunt alligata huic numero gloriæ, (iam nihil curo de gratia intermedia;) ergo distincta numero merita sunt alligata distinctæ numero gloriæ: ergo repugnat, quod eadem numero illi gloria detur ob antiqua merita, & simul propter nouum meritum; ergo si antiqua reuiuiscunt, debet dari distincta gloria ob antiqua, & distincta propter noua. Explico id euidentissimè: Demus Petrum habentem merita vt duo peccare, & posteà per actum amoris Dei vt quatuor resurgere ex peccato, & mereri quatuor gradus gloriæ: sic argumentor: Eumdem amorem Dei numero potuisset hic efficere, esto non peccasset, quem iam efficit post peccatum; (pro maiori enim efficacia pono illum oblitum omnino se offendisse Deum, efficere illum amorem super omnia;) etenim præcessio peccati non facit illum amorem esse diuersum. Ecce, si non peccasset ille, habuisset & illos duos numero gradus gloriæ antipuos respondentes priori merito, quod fuit vt duo: & simul habuisset nouos alios quatuor gradus ob hunc actum intensiorem: ergo etiamsi peccauerit, si tamen recepta gratia redit eadem numero gloria debita antiquis meritis, debet redire alia numero distincta ab ea, quæ debetur huic amori: quia iam ostendi, eis actibus diuersas gratias deberi, & eos actus potuisse esse eosdem numero, siue intercessisset peccatum, siue non: ergo ex principio huius Auctoris, quòd his numero meritis debeatur hæc numero gloria, euidenter infertur, non posse ob antiqua & noua merita eamdem gloriam dari: ergo debent dari distincti numero gradus, qui debebantur antè, & hi qui iam ob nouum & distinctum meritum debentur, & qui antea nullo modo erant debiti. Vides totum hoc argumentum esse contra hunc Auctorem; vnde vel sola voce adstruit reuiuiscentiam meritorum, vel debet admittere distinctos gradus saltem gloriæ, quicquid iam sit de gratia.

28

Obiicit Tertiò: Peccata ideò non redeunt, quia sunt abolita, sed etiam gratia in esse physico est destructa; ergo. Miror hoc argumento vti eum Auctorem, cùm ipso teste peccata neque moraliter, neque vllo modo redeant, vti redeunt merita: hinc enim infertur clarissimè, nullam esse consequentiam ab vno ad alterum. Respondeo absolutè, Peccata non ideò non redire, quia de facto non sint; ipse enim Auctor (vt vidimus supra) fatetur ea posse diuinitus redire; sicut è contrario potuit Deus efficere, vt non rediret merita. Ratio ergo est, quia Deus peccata condonat sine vlla omnino conditione, ac proinde non possunt redire; at merita, ex liberalitate licet Dei, quasi radicaliter habent tamen ius ad gratiam ac gloriam, quamdiu non sunt actu impedita per peccatum: vnde fit, vt eo ipso quòd auferatur peccatum, redeat ius ad antiquam gratiam; vt in exemplis paulò antè deductis est à me clarè ostensum.

26 Obiectio tertia.

Edititur.

Obicitur Quartò: Aliquid potest esse æquale in entitate physica visioni, & maius in ratione præmij essentialis; ergo etiamsi non detur nisi eadem entitas physica visionis, quæ respondet dispositioni, qua tollitur peccatum, potest præmium essentiale esse maius. Consequentia est bona; antecedens patet è contrario in pœna; nam carentia visionis eadem est in illo damnato, qui habebat antè magnam gratiam, & posteà ob vnum solùm mortale damnatur, quàm in alio quo grauissimo peccatore, qui numquam fuit in gratia; & tamen hic multò maiorem pœnam etiam damni habebit quàm alter; ergo. Respondeo, Hoc argumentum esse leuissimum; & quidem si iuxta doctrinam D. Thomæ, quam hic Auctor defendit, & ego etiam veram iudico, discurramus, apertè sibi contradicit. Nam Diuus Thomas totam quantam beatitudinis essentiam constituit in visione, nullo modo in amore, aut gaudio inde secuto, ergo repugnat visionem esse minorem, & beatitudinem esse maiorem; vnde cùm D. Thomas præmium essentiale quà tale in sola beatitudine constituat, qua probabilitate dici potest præmium essentiale esse maius, esto beatitudo, seu visio Dei, vt visio sit minor? Instantia de pœna damni nulla est; nam (vt ipse benè ait) ea carentia, quæ quoad obiectum est eadem in omnibus damnatis (sicut etiam beatitudo obiectiua è contrario est eadem in omnibus Beatis, id est idem Deus) in ratione pœnæ, completur formaliter per dolorem, quem habent damnati de ea priuatione, hic dolor est inæqualis, & maior in eo qui grauiora peccata habet, ideoque etiam formaliter habet maiorem pœnam damni, licet obiectum sit idem. Hæc ratio non habet locum in nostro casu ob immediatè dicta; nam beatitudo formalis tota adæquatè, iuxta principia huic Auctori & nobis communia, in ipsa visione, quà visio est, consistit; ergo repugnat, vt si visio sit in esse visionis (quod est adæquatum physicum esse illius) minor, possit beatitudo essentialis esse maior: quæ est clarissima impugnatio huius sententiæ. Vnde Diuus Thomas negans dari ob antiqua merita alios gradus gratiæ, numquam dixit beatitudinem essentialem, seu præmium essentiale esse maius; dixit tamen fore gaudium aliquod accidentale ex illis operibus.

Obiectio quarta.

30 Soluitur.

Et hinc reiicitur quod hic Auctor sæpè inculcat, in humanis sæpè rem aliquam in se leuem physicè reputari magnum præmium, eò quòd sit signum honoris, si detur à Rege, &c. hoc inquam refutatur, quia in humanis ratio præmij tunc desumitur ex honore, qui apud alios inde consurgit, non surrecturus alioquin, si illam rem, seu illud signum, non habuisset; vnde si sine eo signo, eodem modo constaret apud omnes eum fuisse victorem in tali & tali occasione, & ita iudicatum à Rege, nihil homo curet ea signa, illam scilicet coronam lauream,

31 *Reiicitur illud, quòd in humanis sæpè res, licet leuis, possit reputari magnum præmium ratione gratiæ, qui ex ea consequitur.*

aut

aut ex palmis. Hoc nec quidem apparenter locum habet in cælo; nam ibi siue Deus dicit, *Do tibi hanc gloriam ob illa bona opera quæ fecisti antequam peccares*, siue id non dicat, omnes sciunt illum ea opera bona fecisse, sciunt illa fuisse Deo grata; ex eo autem quòd Deus dicat, *Do tibi hanc numero gloriam etiam ob illa, & non solum propter vltimum bonum opus*, vel ex eo quòd dicat, *Do ob solum vltimum opus*, nihil plus laudis, plus honoris ille habet: de gaudio autem iam dixi idem fore, etiamsi Deus id non diceret; quia per hoc non minùs fuissent bona opera Deo grata; ergo per illud gaudium penitus nihil explicatur de præmio essentiali, quod in visione ipsa quà tali, quà clarior, intentiori, &c. consistit, vel, quod grauius nec quidem de præmio accidentali aliquid explicatur, quia esto merita non remanerent, esset adhuc gaudium illud totum. Quod item inculcat ad suum nouum modum loquendi eò firmandum, illud gaudium esse præmium essentiale, cùm radicetur in præmio ipso essentiali, & ab illo proueniat, est plane futile; Primò, quia gloria corporis etiam radicatur in beatitudine, & ab illà proueniat; ac proinde quò beatitudo essentialis est maior, eò etiam gloria corporis est maior in omnium sententia; quis autem ideò dixit corporis gloriam esse beatitudinem essentialem, aut si manentibus in duobus eadem numero visione vni daretur maior gloria corporis quàm alteri, ideò illum dicendum magis beatum essentialiter, seu maiorem habere beatitudinem essentialem? Secundò ideò ea solutio nihil valet; nam gaudium illud maius non oritur à visione, quia illa eadem fuisset, etsi homo ille omnino caruisset antiquis meritis; habuisset tamen de facto eam dispositionem, quâ iustificatus est reipsa, & cui respondet visio in esse physicæ visionis & beatitudinis essentialis; eo autem casu non habuisset illud gaudium; ergo hoc non oritur à beatitudine illa physica, quæ est propriè beatitudo, sed à meritis: ergo solùm habet rationem præmij accidentalis.

32 *Ostenditur malè ab hoc Auctore præmium accidentale vocari essentiale.*

Amplius rejicitur doctrina Thomæ Hurtadi propter inconsequentiam.

Illud nunc obiecto contra hunc Auctorem: Quòd cum semper faciat vim in eo, quòd in omnibus formis intensibilibus intensio contingat iuxta dispositionem subiecti physicam, non moralem, & gratia sit forma physica: ergo debet intendi secundùm quantitatem physicam subiecti, seu secundùm dispositionem physicam: cùm inquam hoc sæpè repetat in quo vniuersalis ratio, eodem modo vrget de omni intensione gratiæ, quocumque modo fiat, manifestè posteà sibi contradicere, dum per Sacramenta ex opere operato admittit intendi gratiam vltra dispositionem subiecti, iam & tunc gratia intenditur, & tamen non secundùm physicam dispositionem subiecti: cur ergo non idem in meritis? Fortasse dicet tunc intendi ob merita Christi, quæ sunt æqualia ei intensioni maiori: sed contrà euidenter: ergo etiam quando remanent merita, etiamsi dispositio præsens sit minor: quia tamen gratia illa antiqua non datur propter eam dispositionem, sed propter antiqua merita, hæc autem sunt æqualia ei maiori intensioni: nihil nos dicemus, quod hic etiam non dicat. Secundò reiicitur euidenter ea solutio, quia merita Christi non sunt dispositio physica subiecti, in quo recipitur gratia: ergo non est verum vniuersaliter, quòd gratia solùm intendatur secundum dispositionem physicam subiecti, & quòd non sufficiat moralis dispositio. Vnde clare colligitur eodem modo dicendum, nec eam gratiam debere dari subiecto, nisi iuxta physicam dispositionem actuum illius: id quod apertè est falsum; vt patet in gratia data infantibus. Ex quibus omnibus potius probatur, gratiam ex se non petere vllam physicam dispositionem, aut intensionem meritorum, sed esse quamdam formam supernaturalem, quam Deus pro suo libitu vel gratis, vel ex meritis potest infundere, quando autem merita requiruntur, concurrunt præcisè in genere moris, vti omnia merita respectu præmij, de quo suprà; ac proinde nequaquam debere attendi, an physicè sint eiusdem intensionis cum gratia nécne, sed quales habeant valorem moralem, non considerando, vtrùm homo habeat iam anteà alios gradus physicos, & numero æquales eis, quos de facto habet ipsum opus meritorium. Et satis occasione huius Auctoris, contra quem etiam in præcedentibus dixi satis multa, quia dum vult se Thomistam ostendere, sequitur vnam singularem sententiam, quam solus Bañes & nec quidem vniuersaliter defendit: cùm (vt dicemus) admittat gratiam antiquam non respondentem meritis infundi etiam vltra intensionem actus, in quo & principium de dispositione physica deseritur, vt immediatè notaui, & non adhæretur D. Thomæ, qui nullo casu admisit redire maiorem gratiam, quàm sit dispositio ad iustificationem.

Gratia non petit physicè dispositionem

SECTIO VI.

Reiiciuntur variæ limitationes sententiæ communis.

CONTRA hanc tandem nostram sententiam stant alij: qui admittunt quidem redire etiam aliquid de antiqua gratia, id tamen limitant ad quantitatem dispositionis, qua homo resurgit ex peccato; hoc tamen ipsum variè ab eis explicatur: aliqui enim dicunt, Si dispositio sit secundùm totas vires subiecti, tunc restituendam totam gratiam antiquam; si verò sit media ex parte minor quàm posset, tunc solam mediam partem gratiæ restituendam, & sic pergendo vlteriùs. Hoc Valentia reputat absurdum, & meritò, quia videtur eadem dispositio requiri pro restitutione antiquæ gratiæ, quando hæc fuit vt octo v.g. ac quòdo fuit vt mille; id quod plane est absurdum: id. ò ipse recurrit ad incertam nobis determinatam tamen à Deo proportionem, ac si pro gratia vt quatuor restituenda sit necessaria dispositio vt duo, pro gratia vt octo erit dispositio vt quatuor; addítque, si prima vice homo totam non recuperet, per sequentes actus plus & plus recuperare, donec tandem tota ei reddatur. 34

Alij verò dicunt, Si dispositio sit vt octo v.g. tunc restituendam gratiam vt octo, præter illam quæ propter nouam dispositionem datur. Fundamentum horum est, quia dispositio sufficiens ad nouos quatuor gradus gratiæ sufficit etiam ad quatuor ex antiquis. Hi omnes Auctores fingunt istas propositiones, ne videantur premi argumẽto Bañes supra posito ex Physicis, scilicet non posse agens suprà se intendere passum: sed licet hoc illis concederemus etiam in genere moris, adhuc tamen illud argumentum in præsenti

Fundamentũ horum Auctorum.

Soluitur.

senti non habet locum; nam gratia antiqua, quæ restituitur, non datur propter nouam dispositionem, vt propter meritum aut causam; sed præcise ea dispositio requiritur, vt conditio remouens impedimentum pro illis octo gradibus, id
35 est peccatum. Cùm ergo hoc tam perfectè remoueatur per contritionem vt vnum quàm per contritionem vt mille; nam æquè mundat animam gratia vt vnum à peccato ac gratia vt mille; per accidens est ad restitutionem meritorum antiquorum, quòd dispositio sit intensior, aut æquè intensa, etiamsi id requireretur, vt primò causaretur gratia æquè intensa.

Reiiciuntur hæ limitationes:

Deinde etiam Auctores hi loquuntur minùs consequenter, quia omnes admittunt vltra gratiam de nouo datam, quæ æquatur dispositionis intensioni, etiam latiquidde antiqua; ergo iam hîc & nunc datur intensior gratia quàm sit dispositio; si autem semel admittas posse aliqualiter dari intensiorem, eo ipso corruit totum argumentum ex Physicis; vbi nec ad indiuisibile potest agens supra se intendere passim. Præterea non consequenter adiicitur posse dari duplo maiorem gratiam quam sit dispositio, non verò triplo aut quadruplo, prout fuerit ea gratia ante peccatum.

Reiiciuntur etiam ex Tridentino.

Denique omnes hi reiiciunt eo loco Tridentini suprà ponderato, in quo eis operibus, vt argumentum gratiæ mereantur, nihil amplius deesse dicunt, quàm vt sint in gratia & postea homo in gratia decedat: at hi præter hoc exigunt, quòd homo resurgat cum tanta vel tanta intensione ex aut conatu è peccato, qui si desit, non obtinebit antiquorum meritorum præmium; ergo iam aduersantur Concilio: nam dicere, *Requiritur amplius*, & *Non requiritur amplius*, haud dubie sunt opposita; ergo.

Obiectio:

Obiiciunt aliqui ex his: Antiqua merita dum reuiuiscunt, dignificantur de nouo per gratiam habitualem; hæc autem non potest dignificare ad intensius præmium quàm ipsa sit; ergo non possunt merita resurgentia habere nunc magis intensum præmium quàm sit gratia, per quam tollitur peccatum, & consequenter quàm sit intensa dispositio, iuxta quam tunc conferetur gratia. Respondeo, Hoc argumentum destruere id totum quod supponunt eius Auctores; eo enim probatur non dari plus gratiæ homini resurgenti quàm sit intensio dispotionis, prout suprà diximus doceri à D. Thoma; vnde probauimus efficaciter ab eo sentiri, nihil penitus dari de priori gratia, alioquin illud plus coniunctum cum gratia, quæ ob præsentem intensionem datur, faceret aliquid maius quàm sit intensio dispositionis. Probat Secundò hoc argumentum;
36 Si duo iusti habentes gratiam æqualem v.g. vt duo operentur inæqualiter, & vnus efficiat amorem Dei vt centum, alter verò non nisi vt duo, non mereri illum plus quàm hunc; quia gratia dignificans ea merita non est nisi vt duo, ac proinde non poterit meritum esse nisi vt duo; quis autem hoc non dicat plusquam erroneum; Præterea non est verum à gratia maiori aut minori reddi opus dignius maiori aut minori præmio, de quo egi in materia de Gratia Tomo 4. Et quidquid sit de certitudine eius doctrinæ, fateri debemus, omnes, præsens punctum de reuiuiscentia meritorum esse omnino independens ab ea difficultate: cuius ratio à priori est; nam antiqua merita solùm redeunt ex eo, quòd auferatur impedimentum, nempe peccatum; hoc autem, vt dixi, ex integro aufertur per quamcumque dispositionem; ergo quantitatis gratiæ, quæ iam infunditur, est per accidens ad punctum præsens. Denique si loquendum sit in rigore scholastico, gratia data intuitu dispositionis non est prior quam antiqua, quæ redit: nec ea gratia dignificat opera, cùm sit effectus ipsorum operum; sed cùm primùm Deus videt hominem iam sufficienter dispositum, vel per contritionem extra Sacramentum vel per attritionem intra illud, eo ipso dat vtramque gratiam, & eam quæ debetur antiquis meritis, & quam noua dispositio requirit.

Et ostenditur quòd, nimis multum probet.

Ad falsum supponat.

Quod denique ab his ex Tridentino inculcatur, non dari gratiam nisi iuxta cuiusque dispositionem, ac proinde numquam infundi intensiorem quàm sit dispositio, non est ad rem, & in primis eo probaretur, etiam opera facta in gratia, & non interrupta per peccatum, non mereri gratiam nisi sint intensiora (vt dicunt Patres; ab his tamen cum quibus iam disputo negatur.) Denique hoc argumento premuntur etiam, quia (vt paulò ante ostendi) saltem aliquo modo admittunt gratiam posse esse intensiorem ipsa dispositione. Absolutè & facilè ei respondetur, Concilium definire gratiam, quæ datur propter dispositionem, non esse maiorem ipsa dispositione; (de quo in præsenti non tractauimus, & libenter nunc illud admittimus:) per hoc autem non negatur, gratiam resurgentem posse maiorem quàm sit contritio, per quam tollitur obex: quia ea contritio non se habet vt causa respectu eius gratiæ, sed solùm vt remouens prohibens: pro quo sufficit, vt omnino expellat peccatum: id quod perfectè præstat, quantumcumque sit remissa, quandoquidem obtinet gratiam quæ secundùm omnes omnino suos gradus est incompossibilis cum peccato.

37 *Soluitur obiectio ex Tridentino.*

Tandem nostræ sententiæ aduersantur hi qui admittunt quidem reuiuiscere merita ad totam intensionem gloriæ quam antè merebantur & ad gratiam: dicunt tamen hanc non dari nisi in fine vitæ. Verùm hi Auctores omnino diuinant, quia nullum nec apparens fundamentum reperitur, cur debeat ea gratia differri ad finem vitæ, quandoquidem ipsi fatentur manere condignitatem ad illam & ablatum esse impedimentum, id est peccatum: nec potest dici, requiri intensiorem dispositionem, quia hoc argumentum suprà reiectum est; deinde si quid probat, probat etiam nec in fine vitæ debere dari eam gratiam, nisi tunc sit intensior ea dispositio; est autem valdè incertum quòd eam sit habiturus, maximè si ille homo habeat anteà valdè multa merita: vnde enim constat debere eam tunc habere dispositionem illis omnibus æqualem; imò esto eam haberet, adhuc vrgeret difficultas; nam illa dispositio tunc ratione sui mereretur tot gradus gratiæ quot ipsa habet intensionis; ergo si vltra hos addantur omnes antiqui ad eam horam dilati, profectò iam dabitur valdè multum vltra eam dispositionem; si autem tũc datur vltra, cur non id fieri potuit, quando homo primò redit ad statum gratiæ?

Quidam dicunt merita non reuiuiscere nisi in fine vitæ.

48 *Reiiciuntur.*

His ergo limitationibus eius sententiæ reiectis, conclusio tenenda est prout à nobis vniuersaliter est tradita; quæ vel inde sufficienter probatur; Primò, quia testimonia quæ redituri meritorum probant, eum reuerà suadent: ceteræ enim explicationes, vt vidimus, vel nomine tenus satisfaciunt eis testimoniis, vel illa interpretantur abusiuè,

Conclusio nostra amplius probatur, & stabilitur.

abusiuè, dum loco præmij, quod solum dicitur visio beata, ponunt nescio quæ accidentalia gaudia: vel denique non ex integro illum reditum admittunt, cùm (vt ostensum est) ratio, quæ inadæquatum reditum probat, quia scilicet auferatur impedimentum illorum meritorum, nempe peccatum, idem omnino probet de integro reditu; ac denique nihil vllius momenti contra nos obiiciatur, quod cogat ad non credendum ex integro veritati.

SECTIO VII.

Vnde hic reditus proueniat.

39 ILLVD nunc declarandum, An hic reditus sit ex iustitia, an ex misericordia, an ex natura rei, an solùm ex liberalitate Dei.

SVBSECTIO PRIMA.

Referuntur variæ sententiæ; & quædam pro decisione notantur.

Non prouenit ex pura misericordia Dei.

NOnnulli dixere id prouenire ex sola Dei misericordia. Hoc tamen, nisi aliter explicetur, nullo modo verum est, quia inde sequeretur hominem non ex meritis præcedentibus habiturum eos gradus antiquos gratiæ, sed ex sola voluntate Dei: quod videtur esse contra Tridentinum, quod ad hoc, vt merita sint verè condigna gloriæ, solùm requirit, vt homo moriatur in gratia, etiamsi hæc interrumpatur per peccatum: ergo merita mortificata, postquam homo iterùm resurgit, habent veram condignitatem ad gloriam: ergo hæc non datur ex pura misericordia & liberalitate Dei, sed etiam propter meritorum valorem.

Sententia P. Vasquez.

Pater Vasquez disp. 221. in 1. 2. cap. 3. & 4. & hîc dub. 1. docet ita merita reuiuiscere ex natura rei, vt nec Deus id potuerit impedire, supposito quòd peccator recuperet gratiam: monetur, quia si possent à Deo impediri, ne resurgerent, non resurgerent ex iustitia, sed ex misericordia: quod videtur esse contra Tridentinum & Paulum suprà citatos. Pater Suarez suprà & disp. 1. sect. 3. concedit merita de se habere dignitatem fundamentalem, vt possint à Deo acceptari ad reuiuiscentiam; addit verò etiam potuisse non acceptari; vnde infert, debere intercedere aliquam misericordiam quoad ipsam acceptationem, qua, misericordia supposita, merita illa ex iustitia inferunt præmium: quia Deus ex iustitia tenetur seruare suas Leges ad remunerandum statutas.

Et P. Suarez.

40 *Notandum Primò: Non fit iniuria, si pretium, aut condignum, non acceptetur.*

Pro solutione huius dubij aduerte Primò etiamsi aliqua res, pretium v. g. ex se sit condignum, & æqualis valoris cum aliquo præmio, aut cum re emenda, non tamen ideò necessariò illud promereri ita, vt si ei denegetur, fiat ipsi iniuria. Ratio est clara, quia præter condignitatem inter datum & acceptum requiritur voluntas dandi & acceptandi: potest autem citra omnem iniuriam non acceptare quis pretium condignum, imò & superabundans, quod sibi offertur pro equo v. g. si tamen velit acceptare, & contractum faciat, iam emptio & venditio erunt ex omni rigore iustitiæ; nec dicetur ille homo tunc dare illum equum gratis, hoc ipsum reperiri in meritis nostris respectu gloriæ dixi Tomo 1. sunt quidem illa ex se æqualis valoris cum præmio gloriæ, non tamē tenetur ea Deus acceptare: quòd si tamen acceptare velit, contractus ille erit ob pretium condignum: quo sensu erit ex iustitia; abstraho nunc ab aliis conditionibus iustitiæ, & consequenter abstraho ab hoc, an rigorosa iustitia intercedat inter nos & Deum; quia hæc difficultas etiam est communis operibus non mortificatis. Hinc obiter infero, Minùs benè Patrem Vasquez intulisse, Deum non posse denegare præmium operibus mortificatis, si ipsa ex se habeant condignitatem: id autem probo, quia in remuneratione gloriæ interuenit quasi quidam contractus dari & accepti; non tenetur autem Deus vendere gloriam, quantumuis homo ei auferat æquale pretium pro illa: id quod non solùm verum est in merito mortificato, sed etiam in viuo: ergo ex hac parte, quòd requiratur libera voluntas Dei acceptandi merita mortificata non benè infertur. Illa merita nō esse de se condigna: neque probat largitionem præmij posteà non fieri ex iustitia: similis enim libera voluntas requiritur in omni contractu, vt dixi, quantūcūque sit ex rigorosa iustitia.

Reiicitur doctrina P. Vasquez.

41 *Notandum Secundò.*

Aduerte Secundò, solùm in præsenti quæri à nobis, An sicut merita non mortificata habent ex se condignitatem cum gloria, siue obligent ex iustitia, siue non; ita etiam interrupta, postquam homo redit ad gratiam, habeant iterùm eamdem condignitatem, quam anteà habuerunt, siue ea sit ex iustitia stricta, siue non. In quo non videtur consequenter loqui Pater Suarez, dum ex vna parte solùm dicit dari eis operibus gloriam ex fidelitate Dei: quam fidelitatem vocat iustitiam: non inquam loquitur consequenter, quia ex hac fidelitate etiam posset illis correspondere gloria, licet nullam haberent condignitatem, sed omnimodam improportionem, perinde ac si Deus omnino liberaliter, seu independenter ab vllis bonis operibus, eam gloriam promisisset; ergo aliquid amplius in præsenti requiritur quàm hæc iustitia, seu fidelitas diuina, qua Deus tenetur stare promissis: quærimus ergo æqualitatem inter datum & acceptum, etiamsi Deus potuerit non acceptare ea merita iuxta suprà dicta. His positis,

Reiicitur doctrina P. Suarez.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de quæstione.

NOnnulli vt eam æqualitatem explicent, duo dicunt: Primum, Si peccatum remittatur per gratiam iustificantem, merita mortificata redire ex natura rei: quia gratia petit natura sua dimitti omnem pœnam æternam, quam peccatum iam ablatum incurrerat: ergo petit restitutionem meritorum, imò & omnis alterius gratiæ, quæ etiam sine meritis data erat illi homini: alioquin per totam æternitatem priuaretur homo gloria illa anteà sibi debita, ideóque plineretur pœna æternà, saltem priuatiua: debet ergo illi restitui tota ea antiqua gloria. Secundò dicunt; Si peccatum remittatur per solam Dei condonationem sine gratia, tunc merita non pétere ex sua natura reuiuiscere, quia nihil est quod fundat illud ius: poterunt ergo tunc reuiuiscere, si Deus non solùm condonet offensam, sed etiam omnem pœnam æternam ex illa contractam: poterunt item è contrario non resur-

42 *Quidam docent. si peccata remittantur per gratiam, merita reuiuiscere ex natura rei.*

Si verò remittantur per condonationem, tunc nō reuiuiscere ex natura rei, sed aliunde posse reuiuiscere vel non reuiuiscere.

gere, si non condonet omnem pœnam, prout potest liberè non condonare; in hoc ergo casu, quòd resurgant vel non resurgant merita, omnino pendebit ex voluntate libera Dei.

Examinatur hæc doctrina, & reiicitur.

Duo in hac doctrina examinanda forent, ex quibus eius veritas pendet; Primum, Vtrum ablatio gratiæ & dignitatis ad gloriam sit solùm pœna peccati mortalis, an verò etiam effectus formalis secundarius illius. Secundum, An gratia petat omnem pœnam æternã remitti. Verùm quia de his aliquid suprà occasione reditus pœnæ sensus, facilè me ab hac difficultate nunc expediam. Et quidem priuationem gratiæ & gloriæ esse pœnam peccati mortalis est certissimũ; nam hoc meretur æternam torturam & inimicitiam Dei; ergo meretur etiam carentiam gloriæ & amicitiæ Dei. Quòd item peccatum expellat gratiam per modum formæ contrariæ, & non solùm per modum demeriti, nihil est certissimum; quia gratia est forma causans amicitiam Dei, peccatum verò fundat inimicitiam; amicitia autem & inimicitia formaliter expelluntur, & opponuntur inter se multò magis quàm calor & frigus, aut aliæ formæ naturaliter contrariæ. Confirmatur: Etiamsi Deus vellet nullo modo punire hominem actu peccantem, eo tamen ipso quòd hic peccet, habet repugnantiam naturalem cum gratia, & illam expellit, vt fatentur hi Auctores, & res est clara; quia homo actu moraliter grauiter defœdatus, & oppositus grauiter Deo præcipienti, ac naturæ rationali, cuius Deus est supremum caput, redditur omnino naturaliter incapax gratiæ habitualis, quæ est animæ pulchritudo; atqui in prædicto casu non est incapax per modum demeriti, vt supponimus, ergo per modum habentis formam contrariam moraliter gratiæ. Vrgetur vlteriùs; Etiamsi Deus de potentia absoluta eidem peccatori actuali gratiam infunderet, velletque illum nullo modo punire, adhuc tamen non posset facere; vt quando homo habet peccatum, posset esse sanctus, filius adoptiuus Dei, & habens ius ad gloriam; ergo peccatum non solùm per modum pœnæ meretur ablationem iuris ad gloriam, sed etiam per modum formæ contrariæ & repugnantis illi iuri, & natura sua petentis expelli gratiam.

43 *Peccatum expellit gratiam non solùm per modum demeriti, sed & per modum contrarij.*

44 Hinc infero; Etiamsi his Auctoribus concedamus, gratiam petere remitti omnem pœnam, adhuc non subsistere eorum doctrinam, quòd scilicet ea gratia petat reddere merita, siue antiquam gratiam; quia hæc non solùm in pœnam peccati, sed formaliter ex contrarietate cum peccato fuit expulsa; quando autem semel est aliqua forma destructa ex aduentu alterius contrariæ, non ideò ablata hac contraria redit illa, vt superiùs ostendi, nisi quando non datur naturaliter medium inter ea duo contraria, vti non datur inter calorem & frigus; at inter merita & carentiam gratiæ datur medium, nempe habere gratiam & non habere ea merita, vti in infante contingit; item datur medium non habere gratiam, nec peccatum, ergo ex ablatione perfecta peccati nequaquam sequitur necessariò reditus meritorum aut antiquæ gratiæ.

Replica ostendens disparitatem inter formas phy: sicas aliàs, & inter gratiam per merita acquisitam.

Responderi fortasse posset, id quidem esse verissimum, si loquamur de gratia data sine vllis meritis; at in gratia data propter merita necessario debere admitti eum reditum, si tota pœna cesset; etenim merita sæpe exitit in memoria Dei, in qua habent suam vim causatiuam; ergo eo ipso quòd tollatur culpa, quæ exigebat ne illa actu mouerent Deum ad dandum præmium, necessariò illum mouebunt; ac proinde inferent restitutionem gratiæ, quæ fuerat antea data propter illa: & hinc sumitur disparitas inter hunc casum & alia exempla physica, quæ in contrarium obiici possunt; quando enim homo moritur ex nimo calore v. g. esto cesset posteà ille calor, non tamen ideò vita ei homini restituitur; & idem est in innumeris alijs exemplis; inter hæc ergo & nostrum casum assignatur ex dictis clarissima disparitas. Nam hæ formæ physicæ si semel destruuntur, esto cesset iam omnino causa destructiua illarum, non continuò possunt redire, nisi detur de nouo positiua causa, quæ illas producat, quia iam omnino perierunt. At in formis moralibus, qualia sunt merita, hæc doctrina non habet locum; nam huiusmodi formæ cùm primùm semel extiterunt, semper deinde existunt moraliter, semper eodem modo Deum mouent, ac si actu existerent, quia semper Deo placent: quòd enim inseruierim Deo semper est ei gratum; ac proinde semper habent ea obsequia vim mouendi, vt Deus det præmium illis proportionatum; nec ea vis censetur moraliter extincta, nisi postquam est ei satisfactum per præmium: tunc enim etiamsi duret complacentia Dei in illis operibus, motio tamen actualis ad dandum nouum præmium iam cessat. Cùm ergo per aduentum peccati non tollatur ea complacentia Dei in illis operibus pro sua differentia temporis, & nondum sit eis datum præmium illud, ad quod habent conditatem, adhuc habebunt suam vim motiuam causatiuam moraliter volitionis Dei de danda gloria, quam non causabant præsente peccato, quod eam causalitatem impediebat; per hoc tamen vis in actu primo non fuit eis ablata: Vnde remoto impedimento, necessariò producitur seu causatur moraliter ea motio; hoc est, iterum inducunt Deum, vt velit dare gloriam.

45

Explico rem instantia clara; Mandat mihi Superior vt faciam hanc aut illam rem; mandatum illud mouet me moraliter etiam postquam physicè extitit, occurrit interim impedimentum essentiale, quò minùs possim exequi rem præceptam, tunc quidem mandati vis suspenditur; cessat posteà impedimentum, iam eo ipso redit vis motiua præcepti; quia non mouet ratione suæ existentiæ physicæ hîc & nunc, sed ratione illius quam olim habuit, quando fuit validum & quia adhuc non est moraliter annullatum, sed purè putè est positum impedimentum pro executione; & huc videtur collimasse Tridentinum dum dixit, bonis operibus in gratia factis ad merendum gratiam & gloriam nihil deesse, nisi quòd homo moriatur in gratia, quasi diceret, per illam receptionem gratiæ auferri impedimentum interpositum pec peccatum ea merita mortificans.

46 *Confirmatur.*

Respondetur.

Respondeo, Probabiliter valdè hoc modo rem præsentem declarari; ac proinde puto merita, si semel remittatur culpa & pœna, redire naturaliter ex hoc capite. Quod vt meliùs intelligas, aduerte duplex in nobis esse ius ad gloriam; vnum per modum hæreditatis, quod prouenit formaliter à gratia habituali, vt constituente hominem iustum, amicum ac filium adoptiuum Dei: hoc ius omnino petit cum gratia, adeoque etiamsi nulla ex parte nostra intercueniente culpa auferretà nobis Deus duntaxat gratiam, eò ipso non esset iam in nobis vllum ius

Duplex est in nobis ius ad gloriam.

ad

ad gloriam; de hoc iure non agimus nunc. Aliud
47 est, quod fundatur in præcedentibus meritis: perseuerantia huius est quid morale; & licet cùm primò acquisitum illud fuerit, debuerit esse gratia dignificans opera ad meritum condignum: eo tamen primo instanti elapso iam hoc ius non pendet ab actuali existentia gratiæ; ac proinde si (vt dixi paulò antè) ausetur diuinitus gratia ab homine sine vlla culpa, merita illa, seu ius ab eis meritis causatum maneret æquè viuum quam iam est, dum manet gratia.

Obiectio contra immediatè dicta:

Obiicies, Nimis multum probari hac ratione, scilicet etiam dum est actu peccatum, merita esse viua: id quod apertè est falsum, & contra omnes. Sequela autem patet: nam vt eo tempore dicerentur mortificata, deberet saltem interrumpi memoria Dei, vel certè complacentia in illis meritis: neutrum autem in Deo potest interrumpi (vt ex dictis constat:) nam neque Deus potest obliuiscì vllius rei: complacentiam autem pro tempore, quo ea opera sunt facta, semper retinet Deus: nam quantumuis illi displiceat Pertrum de
Soluitur. facto esse in peccato: quòd tamen olim fuerit benè operatus, semper est Deo gratum. Respondeo negando sequelam: nam licet merita moueant ratione suæ existentiæ præteritæ & complacentiæ diuinæ in eis, actualis tamen motio seu voluntas danda pro eis gloriàm non est ea complacentia, sed volitio ratione nostra inde resultans; pro eo ergo tempore peccati licet habeat Deus actualem complacentiam, non tamen habet voluntatem eis dandi gloriam: sed prior voluntas pro eo tempore omnino est suspensa, quousque videat Deus, vtrùm ille homo surgat à peccato, & moriatur in gratia.

48 *Replica:* Replicabis: Hoc sensu, etiam antiquam mortificentur ea opera: non habet Deus voluntatem absolutam illam præmiandi, quia adhuc non videt, vtrùm homo ille sit casurus ex gratia: & tamen non ideò opera tunc temporis possunt dici mortificata: ergo nec poterunt dici mortificata
Soluitur. quando est peccatum. Respondeo licet absolutam voluntatem dandi gloriam non habeat Deus, etiamsi homo actu sit in gratia, quousque mortem in ea gratia videat: nihilominùs, quamdiu in iustitia perseuerat, habet Deus voluntatem dandi ei gloriam secundùm præsentem statum: è contrario verò circa peccatorem habet voluntatem secundùm eum statum non dandi illi gloriam, sed potiùs infligendi æternam pœnam: iure ergo merito bona opera dicuntur tunc mortificata, viua autem, quando homo est in
Ius ad gloriam non tollitur per peccata non finalia. gratia, etiamsi adhuc non sciatur, vtrùm sit in ea gratia discessurus; vnde possumus dicere, ius ad gloriam ortum ex meritis non expelli naturaliter à peccato, nisi sub ea reduplicatione, si fuerit morte consummatum. Cetera verò peccata non finalia quatenus non possunt auferri viribus naturalibus, ac proinde naturâ suâ sunt perpetua dici possunt radicaliter pugnare cum iure ad gloriam, formaliter verò & immediatè non illud tollere, sed suspendere: neque in hoc puncto maius aliquod mysterium quærendum est.

Aliunde adhuc est difficultas in sententia initio subsellionis posita. Addidi suprà, Ex hoc capite dici, posse naturaliter redire merita, si ex integro tota pœna remittatur: adhuc enim manet aliunde difficultas ex his quæ paulò superiùs notauimus, quòd scilicet Deus in acceptatione meritorum ad gloriam ineat quasi contractum quemdam cum homine, & possit ea merita absolutè non acceptare etiam non mortificata: potuit ergo à fortiori dicere, *Accepto ea sub hac conditione, quòd per superueniens mortale non retractentur:* Si autem talis conditio non apponeretur, profectò quantumuis deinde pœna tota condonaretur, non propterea naturaliter redirent merita: ergo adhuc non est verum, quòd remissa tota pœna, debeant necessariò redire merita: neque item est vniuersaliter verum ideò præcisè merita mortificari, quia peccatum id exigit per modù pœnæ.

Præterea absolutè est mihi in hac sententia dubium, Vtrùm gratia exigat naturâ sua condonari totam eam pœnam, quia reuerà (vt suprà notaui) effectus formalis gratiæ, hoc est actu sanctificare & tollere deformitatem peccati, &c. non exigit ex conceptu suo eam condonationem pœnæ: vti manifestè patet in debito pœnæ temporalis in Purgatorio soluendæ, quam in omnium sententia relinquit.

49 *Adhuc ostenditur difficultas illius sententiæ. Gratia non videtur naturæ suæ exigere condonationem omnis pœnæ:*

Dices, Aliam esse rationem de pœna temporali, aliam de æterna, quia aliquandiu puniri ob culpam non repugnat amicitiæ: at verò in æternum puniri est valdè illi contrarium. Respondeo, Hanc disparitatem asseri quidem, non tamen sufficienter probari: nam rogo, An quando illa temporalis pœna infligitur, homo in toto rigore à Deo ametur amore amicitiæ, & quidem tam multum, quàm amatur, dum actu non punitur, an non? Non potest hoc secundum dici, alioquin illud debitum pœnæ macularet actu hominem reddendo illum minùs amicum, minùs dignum amore Dei: id quod est contra sensum communem: ergo debet dici primum: ergo etiamsi pœna esset duratura per æternitatem, cùm non impediat vllo modo rigorosam amicitiam, non opponetur gratiæ: cuius effectus primarius solùm est reddere hominem dignum amicitiâ Dei: neque idem opponetur alteri effectui eiusdem gratiæ, scilicet facere hominem dignum gloria seu visione beatifica. Nam hæc dignitas, ad quam dat ius illa gratia noua tota manet integra, potéstque habere suum effectum beatitudinis, etiamsi non detur illi homini gratia antiqua: & consequenter licet videatur puniri pœna æterna in carentia eius antiquæ gratiæ consistente: ea tamen talis qualis punitio non est contra effectum formalem, quem gratia dat de de præsenti: ac proinde non video quomodo ea exigentia inde possit inferri. Ex his autem appa-
Exigit tamè condonationè pœnæ sensus. ret è contrario, cur gratia exigat remitti pœnam æternam sensus, quia scilicet hæc est contraria beatitudini quam exigit ipsa gratia.

50 *Obiectio 2*

Dices: Talis homo carens per totam æternitatem illa gloria antè debita potest habere occasionem sufficientem doloris: id quod videtur esse contrarium statui beatitudinis. Respondeo, *Soluitur* Si velimus attendere ad causas iusti dolotis, maiorem longè futuram in eo beato ratione peccati commissi, quàm quòd minorem habeat gloriam: nam peccatum fuit malum morale & contrarium Deo: pœna autem licet physicè sit mala, moraliter tamen bona est: ergo Beati, qui perfectissimè sunt conformes rationi, magis deberent dolere, quòd commiserint offensam contra Deum, quàm quòd careant intensiori gloria in pœnam illius offensæ: sicut ergo dolorem de offensa dicimus suspendi diuinitus, idem possumus dicere de dolore ob amissam gloriam. Adde, cùm illis Beatis factum fuerit pœnè infinitum beneficium, eò quòd qui fuerant iustè promeriti pœnas æternas & omnis gloriæ carentiam, à Deo tamen ad pœnitentiam vocati sint,

& dimissa sint eis mortalia, condonata pœna æterna, & è contrario beatitudo perpetua concessa: huius beneficij summa æstimatio meritò potest illis omnem omnino dolorem ex vlterioti gloria amissa extinguere:

Conclusio. Igitur in hac difficultate dicendum est Primò, Deum, siue gratia habitualis id exigat naturâ suâ, siue non, ex libertate tame condonare omnem omnino pœnam, ob quam possent non redire merita: item quando acceptauit merita ad vitam æternam, seu (iuxta suprà dicta) quando contraxit de danda gloria ob merita ei gloriæ æqualia, non apposuisse in eo contractu aliam conditionem, quàm quòd homo decedat in gratia: quod vltimum videtur valdè clarè à Tridentino definitum loco suprà citato, dum dixit bonis operibus nihil deesse ad meritum; dummodò homo in gratia decedat. Ex his duobus suppositis clarissimè colligitur ea merita redire radicaliter quidem ex misericordia, quatenus iuxta dicta Deus gratis condonauit eam pœnam; ex iustitia tamen, quatenus condonata pœna habent merita totum suum valorem ac condignitatem ad gloriam. Neque est contra iustitiæ rationem, quòd præsupponatur necessariò aliqua liberalitas (vt diximus paulò antè) repetiri in quolibet contractu; nam licet pecunia v.g. quæ offertur sit æqualis; non tamen mercator cogitur ad contrahendum, seu ad dandas merces: & tamen suppositia ea volitione iam ibi iustitia intercedit; ita dicimus merita mortificata vt redeant indigere liberali condonatione pœnæ, ea autem supposita exigere necessariò eum reditum. Vnde fit, vt licet fauor ille condonandi pœnam omnem fuerit æqualis ex parte Dei respectu omnium, non tamen ideò omnes resurgant ad æqualem gloriam; quia ea resurrectio duo dicit, ablationem præsentis impedimenti, & vim natiuam meritorium, quæ operari possunt etiam in æternum, si impedimentum auferatur; ideòque quò merita sunt maiora, magis operantur, minùs verò, quò sunt minora, esto ablatio impedimenti æqualis sit, vt dixi, pro omnibus. Vti si ingens copia aquæ detineatur, quò minùs fluat, ablato impedimento fortiùs fluit quàm extingua simili impedimento detenta. Ideò in modo loquendi semper debet cum distinctione responderi, quando rogatur, Vtrùm merita redeant ex iustitia, an ex gratia? cum distinctione inquam est dicendum redire ex misericordia quoad ablationem impedimenti: & quidem in hoc purè putè ex misericordia, quia merita nullo modo exigebant eum reditum, seu eam ablationem peccati subsecuti: neque enim merita antiqua Deum obligant vllo modo, nec de congruo, vt remittat mihi peccata grauia, quæ admisi post ea merita; est ergo reditus ex hac parte omnino gratiosus. Quoad vim verò obligandi, iam ablato impedimento dicendum est omnino ex iustitia ea merita concurrere, & quidem ad proportionem suæ magnitudinis, id est, fortiùs maiora, debiliùs minora. Explicato meritorum reditu, quæri posset, quo ordine antiqua & noua gratia conferatur: de hoc tamen dicemus commodiùs sect. sequenti post dubium de reditu gratiæ datæ sine meritis.

Merita reuiuiscũt ex misericordia & iustitia simul.

51

SECTIO VIII.

An redeat gratia data sine meritis.

52 *Sententia negatiua:*

PATER Vasquez 2. 2. disput. 221. cap. 7. quem sequitur Ludouicus de Torres 2. 2. de Fide & Spe, disput. 69. dub. 3. & Gaspar Hurtadus disput. 2. difficult. 25. docet gratiam datam virtute Sacramentorum, seu ex opere operato, non redire remisso peccato; quod inde probat, quia ea gratia, cùm non sit debita homini, non redit ex natura rei; ergo si rediret, id esset ex pura Dei liberalitate; non habemus autem argumentum vllum ad asserendam de facto in Deo hanc liberalitatem; nam testimonia ex Sanctis & Concilio Tridentino desumpta non nisi de meritis seu bonis operibus loquuntur; cessante autem fundamento non possumus rem adeò supernaturalem adstruere gratis. Nihilominùs contraria sententia tenenda est, quam defendit Suarez suprà disput. 2. sect. 24. Coninch disp. 2. de effectu pœnitentiæ, dub. 2. concluf. 3. imò Bañes, qui gratiam correspondentem meritis dixit) vt suprà vidimus) non redire, nisi quando dispositio est intensior; gratiam tamen datam per Sacramenta dicit totam redire, quia cùm non fuerit data propter dispositionem operantis, nec ad mensuram illius, non est necessum ad hoc vt resurgat attendere intensionem dispositionis, sed solùm quòd auferatur impedimentum: hoc est peccatum. Vtrùm autem hæ duæ doctrinæ sint sibi cohærentes nécne, alia est quæstio. Idem tenet Tannerus ea q. 5. dub. 1. n. 8. citatque pro ea Valentiam, Ockamum, Grabrielem, Almainum, Maiorem, Ioannem Medinam: eamdem defendit Cardinalis Lug disp. 11. sect. 3.

Reiicitur.

53 *Affirmatiua probatur Primò ab auctoritate.*

Probari autem Primò potest ad hominem contra Vasquez, qui suprà cap. 2. adducit, & meritò, ad probandam meritorum reuiuiscentiam locum Ioëlis 2. quem etiam D. Thomas adduxerat priùs; vbi dicitur: *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus*, &c. id quod Hieronymus intelligit de vbertate gratiæ amissæ postea perturbationibus peccatorum: quod idem intelligit Glossa: Atqui per peccatum non solùm erit deperdita gratia data per merita, sed etiam data gratis: & hæc etiam reputatur inter annos antiquos: ergo quando hi dicuntur restituendi, etiam dicitur restituenda gratia tota, siue per merita siue sine illis data fuerit. Ad hoc idem potest induci parabola de filio prodigo: cui per pœnitentiã redeunti mandat parens restitui stolam primam, id est gratiã antiquam; vt ibi Chrysostomus Homilia 4. in Lucam Tomo 2. explicuit, & communiter alij; ergo tota gratia antiqua restituitur, quocumque modo fuerit data. Et reuerà multa loca Patrum, quæ superiùs pro reuiuiscentia meritorum adduximus, loquuntur indifferenter de gratia antiqua; ideoque negari nequit maximum esse in auctoritate pro hac opinione fundamentum. Ratione probatur à P. Suarez, Tannero & nonnullis Recentioribus: quia in Sacramentis datur nobis gratia ob Christi merita illis applicata, & quasi facta nostra: atqui merita Christi non sunt inferioris valoris apud Deum quàm nostra; ergo si nostra redeunt, redibunt & Christi in Sacramentis. Hæc est bona congruentia, vt Deus potuerit ita rem instituere, & fortasse re ipsa

Probatur secundò ratione congruæ.

ipsa instituerit, noua tamen absolutè urget; nam licet merita Christi ex se habeant infinitum valoremad eam reuiuiscentiam, ideoque, si Christus voluisset, hoc potuerit multò melius quam nostra; quia tamen Christus applicuit sua merita nobis & Sacramentis cum limitatione; neque enim nobis datur ob illa infinita gratia, cuius sunt condigna, nec perseuerantia finalis est illis annexa, licet potuerit esse; consequenter possumus forte timere, ne reipsa de facto sua merita Sacramentis cum hac limitatione applicuerit, vt non redeant, si homo cadat ex gratia.

54 *Probatio Lugo minùs urget.*

Cardinalis Lugo ea disput. 1. sect. 3. inde argumentatur; Quia si non restitueretur ea gratia, puniretur homo per totam æternitatem priuatione illius; quod est contra statũ amici Dei petentis non puniri pœna æterna. Suprà tamen ostendi hanc rationem non esse ex duobus capitibus efficacem; Primò, quia gratia non auferetur tolùm per peccatum in modum pœnæ, sed etiam per modum formæ contrariæ: vnde etsi careret homo per æternitatem ea gratia, non ideò diceretur puniri pœna æterna. Secundò, quia nõ est certum gratiam petere remitti omnem pœnam æternam, si hæc non sit repugnans cum statu beatifico. Vide ibi dicta, vbi assignaui disparitatem inter gratiam datam ob merita, & inter datam sine meritis.

Probatio alia ineffcax à paritate, quòd Sacramenta in peccato suscepta eam/sut gratiam eo peccato ablato.

Tertiò alij probant hanc sententiam; quia sicut multi dicunt Sacramẽta in peccato suscepta ablato posteà obice causare gratiam, ne perpetuò homo ille defraudetur fructu Sacramenti; ita etiam videtur dicendum, debere redire gratiam datam per Sacramentum, & ablatam per peccatum recedente posteà obice, ne priuetur in perpetuum gratia Sacramentali ordinata ad exercendas recte functiones ad illud Sacramentum pertinentes. Hæc ratio assumit minùs certum ad probandum magis certum: nam hæc reuiuiscentia gratiæ Sacramentali à solo ferè Patre Vasquez & duobus eius discipulis negatur. Illud autem de Sacramentis fictè susceptis (excepto Baptismo) & à Vasquez & à Scotistis ex omnibus negatur. Deinde disp. 5. de Sacramentis sect. 3. ostendi non defraudandum hominem gratia actuali Sacramentali, etiamsi no daretur posteà recedente obice gratia habitualis: quod idem in præsenti dico, scilicet etsi non rediret gratia habitualis, posse tamen postea hominem in occasionibus occurrentibus virtute Sacramẽti suscepti habere auxilia specialia sacramẽtalia.

55 Dices; Hæc non dantur immediatè propter Sacramenta, sed propter gratiam habitualem à Sacramentis concessam. Nego suppositum nam gratia data per Sacramẽta cùm sit eiusdem omnino rationis in vno Sacramento ac altero, non erit ex se eam diuersitatem auxiliorum, quæ commodiùs petitur immediatè ab ipsis diuersis Sacramentis: hæc enim cùm habeant valorem ex meritis Christi ad promerendum immediatè gratiam habitualem, non video, quo fundamento debeamus negare vim, vt etiam immediatè promereantur auxilia gratiæ, esto non redeat gratia habitualis data per eadem Sacramenta.

Conclusio nostra firmatur.

Dicendum ergo, Pro reditu gratiæ habitualis datæ sine meritis non facilè inueniri posse rationem efficacem. Dùm enim hæc res tota pendeat à sola voluntate Dei probanda est vnicè ex auctoritate: hanc autem diximus pro nobis stare: & sufficiens est testimonium Ioëlis suprà positum: præterea communis modus loquendi Patrum, qui sine vlla limitatione de omni gratia amissa loquuntur, quando dicunt ea redire; denique fere omnium Theologorum sensus: cùm præsertim pro contraria nullum sit argumentum quod difficultatem aliquam habeat.

Obiectio:

Obiicies tamen, Sequi ex nostra doctrina, semper hominẽ resurgere ad maiorem gratiam quàm antea habebat: quia habet totam antiquam, & aliam propter nouam dispositionem concessam: hoc autem videtur absurdum. Respondeo concessa sequelã: nego tamen inde vllum absurdum sequi. Replicabis: Ergo tali homini profuit peccatum. Nego consequentiam: quia ille non habet maiorem gratiam ratione peccati sed quia supra merita antiqua nunc habet actum contritionis, vel suscipit cum attritione aliud Sacramentum: quod idem potuisset facere, etsi non habuisset peccatum imò multò plus: quia toto tempore intermedio, quo fuit in peccato, etiamsi habuerit bona opera supernaturalia, non tamen auxit gratiam: quam tamen auxisset, si caruisset eo peccato: obfuit ergo illi, non profuit peccatum, etiamsi ad maiorem gratiam deinde resurgat.

Solutur. Homo post peccatum ad maiorem gratiã resurgit, quàm habuerit ante peccatum.

56 *Obiectio secunda.*

Dices Secundò: Constat hominem post peccatum semper esse debiliorem ad bene operandum: ergo non recuperauit tam intensam gratiam quam antea habebat: cum gratia enim etiã dantur antiqui habitus, & consequenter antiqua facilitas ad bene operandum. Qui dicunt habitus infusos dare facilitatem, forte premerentur hac obiectione: at ego id nego: vnde nego vlteriùs ex eorum incremento augeri facilitatem. Adde posse etiam responderi, licet hi habitus dẽt facilitatem, & ex hac parte peccator conuersus, quia intẽsiores habitus acquirit, sit facilior quia tamen per habitum ex peccato acquisitum inclinantem ad contrarios actus minuitur aliquo modo facilitas habitus supernaturalis, ideò non sequi omnibus pensatis futuram maiorem facilitatem quàm antea.

Solutur.

Eodem modo dicendum de reditu gratiæ in Adamo.

Quæ diximus de reditu gratiæ in conuersis peccatoribus, intelligenda etiam sunt de Adamo quia nulla est ratio cur illi hic fauor denegetur, præsertim cum forte magnam partem gratiæ etiam habuerit per bona opera, quæ procul dubio exercuit & numero & qualitate magna ante peccatum. verum autem cum hoc stet totam gratiam Adami fuisse ex meritis Christi, alibi explicatum est: nunc sufficit dicere saltem ratione reuiuiscentiæ illum eam habere dependenter à meritis Christi.

An priùs infundatur merita, an antiqua gratia. Respondetur, noua probabiliter.

Quæ nunc supersunt difficultates non magni momenti Prima, Vtrum priùs natura infundatur gratia antiqua quam noua, an è contrario: an verò simul. Respondeo probabiliter dici, Priùs natura infundi nouam. Moueor, quia iuxta Concilij & Patrum loquendi modum reuiuiscentia antiquæ pendet ex remissione peccati: ergo hæc remissio est priùs naturâ quàm antiqua gratia: sed remissio peccati de facto est posterior ad gratiã: fit enim ad exigentiã gratiæ datæ subiecto: ergo de primo ad vltimũ antiquæ gratiæ re paratio erit posterior natura productione nouæ.

57 *Obiectio.*

Dices: In Sacramentis fictè susceptis, quando reuiuiscunt, non infunditur priùs gratia à nouo Sacramento, quo tollitur obex, quam ab antiquo, sed simul ab vtroque, solùm præcedente natura dispositione requisita ex parte hominis: ergo idem dicere possumus in præsenti de antiqua & noua gratia. Nego consequentiam. Dis-

Solutur.

paritas est, quia Sacramentum nouum in illo casu non præsupponit gratiam, vt possit illam causare: at reuiuiscentia meritorum supponit peccatum remissum: fit enim dependenter ab hac remissione: cùm ergo hæc remissio supponat gratiam necessariò, à fortiori antiqua reuiuiscentia eam supponit.

Probabile etiam est vtramque gratiam simul infundi.

Dixi *hoc esse probabile.* Nam satis etiam probabiliter dici potest, vtramque gratiam infundi simul naturâ. Ad obiectionem autem factam, quòd reuiuiscentia pendeat à remissione peccati, respondetur, Deum, vt antiquam gratiam velit restituere, non expectare actualem remissionem peccati, sed præuisa iam sufficienti causa eius remissionis, vnico actu simul velle & nouam infundere, & antiquam restituere: & hanc solutionem suprà insinuaui hîc tradendam: & ferè magis in eam quam in præcedentem inclino. Res est tamen dubia, quia Deus potuit vtroque modo id facere: quem autem elegerit non possumus nisi ferè diuinando dicere.

58

Quomodo componantur in subiecto antiqui & noui gradus gratiæ.

Secunda difficultas: Quomodo componantur in subiecto antiqui & noui gradus gratiæ. Respondeo, In mea sententia docente eos esse homogeneos, nullam esse difficultatem, quia antiqui possunt esse secundi, licet olim fuerint primi, & è contrario: imò propriè dum sunt in subiecto nulla esset diuersitas primi & secundi: omnes enim immediatè inter se & cum anima vniuntur: illa autem est pura denominatio ab eo, quòd prius vel posterius fuerint infusi: adde non redire eosdem numero antiquos, sed alios similes. In sententia verò docente eos esse heterogeneos difficultas est, & quidem non parua, esto communis non solùm reuiuiscentiæ meritorum, sed etiam meritis non mortificatis: quo pacto scilicet actus remissus ex se non merens nisi primum gradum gratiæ possit obtinere vigesimum, qui est multò perfectior eo primo. De qua difficultate egi in materia de Merito. Quoad præsens solùm aduerto in hac sententia de heterogeneitate graduum, si (vt in prima difficultate diximus) gratia, quam meretur homo de nouo, priùs infundatur quàm vigesimus gradus, debere Deum pro illo signo naturæ miraculosè eum vigesimum gradum producere; naturaliter enim non potest existere, nisi priùs alij, quos ex natura sua præsupponit, præexisterent. Et ex hoc capite potest etiam dici absolutè probabilior ea secunda solutio suprà tradita, quòd scilicet omnes illi gradus gratiæ simul infundantur. Posset tamen adhuc Secundò dici, cùm supponamus nullo modo redire eosdem numero gradus gratiæ, qui anteà fuerunt, sed alios illis æquiualentes, & hunc hominem ratione antiquæ gratiæ, & ratione eius quam de nouo promeretur, debere habere decem gradus v. g. ex media pars debetur propter antiquum statum, & media pars propter dispositionem nouam. Dico *media pars*, non quoad numerum, sed æquiualenter: cùm enim altiores gradus sint nobiliores, eo ipso pauciores ex illis æquiualent pluribus ex inferioribus. Demus ergo exempli gratia quinque inferiores æquiualere tribus ex superioribus, & cum hominem anteà habuisse quinque, iam promereri de nouo tres æquiualentes illis quinque; hoc posito dicimus, etsi Deus prius moueatur ad infundendam gratiam ratione nouæ dispositionis, & verò priùs illam re ipsa infundat, infundere tamen quinque gradus primos; quia licet hi formaliter non debeantur huic nouæ dispositioni, sed vltimi tres: quia tamen, vt dixi, tres vltimi æquiualent quinque primis, id est moraliter infundere quinque primos ac tres vltimos: e contrario verò ratione antiquorum quinque infundere tres vltimos illis quinque æquiualentes: fieri autem à Deo hanc permutationem (quæ respectu præmij debiti nulla est, iuxta dicta) vt priùs infundat priores, qui naturaliter iuxta eam sententiam de heterogeneitate graduum prærequiruntur ad infusionem secundorum, & simul saluetur id quod pro hac doctrina supponimus, scilicet Deum priùs natura moueri ob nouam dispositionem ad infundendum præmium ei debitum, & posteriùs natura ad restituendam gratiam, quam ante peccatum habuerat hic homo.

59

Secundò.

In sententia docente gradus heterogeneos habet hæc quæstio difficultatem:

Soluitur tamen Primò,

DISPVTATIO XVII.

De obligatione faciendi Pœnitentiam.

1

EXPLICVIMVS hucusque partes & effectus veræ pœnitentiæ, prout abstrahit à Sacramento confessionis: de quo fusiùs infrà. Iam oportet explicare, An sit obligatio eam pœnitentiam faciendi: vnde illa proueniat: pro quo tempore sit: & ad quos actus. Quæ omnia hac & sequenti disputatione declaranda sunt; in hac quidem de substantia obligationis, in sequenti de aliis punctis.

SECTIO I.

Datur ea obligatio.

SVPPONIMVS vt omnino certũ inter Catholicos, sine pœnitẽtia non remitti mortale: iam quærimus, An sit obligatio eam faciendi, ita vt qui eam voluntariè negligit, nouũ committat peccatum. Et licet hucusque de ea pœnitentia egerimus, quæ potest fieri sine Sacramenti susceptione; pro hoc tamen dubio cõprehendimus tam pœnitentiam extra Sacramẽtum quam intra illud; hoc est, Vtrùm sit obligatio agendi pœnitentiam, siue ea sit per contritionem solam, siue per attritionem cum Sacramento. Vtrùm autem determinatè sit obligatio contritionis, etiamsi suscipiarut Sacramentum, dicetur infrà. Ante decisionem verò obserũo, aliquos confusè hanc quæstionem discutere; inter quos est Tannerus disp. 6. quæst. 6. dub. 3. vbi assertione prima ait extare aliquod præceptum contritionis perfectæ: id quod dicit esse inter omnes certissimum contra Nauarrũ in Manual. cap. 1. num. 57. vbi duo non approbo; primum

Aliqui confundunt hic quæstiones.

mum est, quòd citet Nauarrum pro contraria, qui expressè hanc, quam Tannerus dicit communem, defendit, & ponit eosdem casus, quos ipse Tannerus; solúmque ait hoc præceptum, quia est affirmatiuum, non obligare pro semper, sicuti nec cætera præcepta affirmatiua: quod verissimum est, & ab omnibus admittitur.

Secundò displicet, quòd cùm in conclusione Primò diuisset obligationem esse de contritione perfecta, postea diuisim loquatur de contritione vel attritione cum Sacramento; ponit quidem in mortis articulo etiam obligationem perfectæ contritionis, id tamen nequaquam ex sententia communi, sed vnius vel alterius Auctoris, & quidem sub formidine. Conclusio autem ea prima posita erat vt planè communis inter omnes: ergo poni debet quæstio vti à nobis insinuata est, in qua communis omnium sentis est dari præceptum pœnitentiæ vt abstrahentis à contritione, & ab attritione coniuncta Sacramento Pœnitentiæ, vt à D. Thomas hac quæst. 84. art. 7. ad 1. Canus, Ioannes de Medina, Sotus, Viguerius & Vega apud eumdem Tannerum, quibus ipse subscripsit; apud quos etiam alij plures videri possunt; item Suarez d. p. 15. sect. 1. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 2. Lugo disp. 7. sect. 12 & alij communiter. Solus Victoria apud Canum R. lectione de Pœnitentia Parte 4. pro contraria refertur. Dixi *solus*, quia immediatè ante ostendi Nauarrum, quem etiam cum Victoria Tannerus iungit, planè esse in sententia nostra communi.

Datur præceptum tam pœnitentiæ.

Probatur Primo non sufficienter.

Probari autem hæc veritas solet ab his Auctoribus ex Ieremiæ cap. 8. vbi dicitur: *Numquid qui cadit, non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci?* Hic tamen locus meo iudicio planè est insufficiens: etenim in eius prima parte insinuatur tantùm potentia ad pœnitentiam faciendam; in secunda miratur Propheta, cur nullus eam faciat: quæ admiratio nullatenus requirit præceptum de illa faciendo: sufficit enim, quòd per illam possit homo tam ingens bonum obtinere; quale est iustificatio, & liberatio a reatu odij diuini & pœnæ æternæ. In vltima denique parte Propheta reprehendit eos, qui nec agnoscere volunt se peccasse, dum dicunt *Quid feci*? Profectò hinc nihil de eo præcepto colligitur. Citantur etiam alia loca, quibus dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis*, hæc tamen per se loquendo, seu in rigore, non ostendunt præceptum, nisi per rationem & discursum inde inferatur. Vide hæc P. Suarez supra ea disp. sect. 1. ideò ea sic vrget; quia ex similibus locis in sacra Scriptura colligimus præceptum de Eucharistia, Baptismo & Sacramento Pœnitentiæ: ergo etiam debemus colligere præceptum de Pœnitentia vt abstrahente ab eo Sacramento. Verùm neque sic confirmata illa testimonia mihi videntur vtilia: & quidem si pro lege gratiæ solùm loquatur Pater Suarez, minùs bene videtur in confirmationem adduxisse tertio loco præceptum de Sacramento Pœnitentiæ, quia illud non est distinctum à puncto præsenti, in quo sumus: agimus enim tantum de præcepto Pœnitentiæ, siue vt dicit Sacramentum Pœnitentiæ, siue alio modo, vt paulò ante contra Tannerum obseruauimus: proinde qui per Sacramentum Pœnitentiæ iustificatur, non tenetur per se vllo alio præcepto Pœnitentiæ: non ergo hinc propriè definitur in tantia, cùm potiùs sit ipsa materia, in qua sumus. Quidquid tamen de hoc puncto sit, dico consequentiam ab his Sacramentis nullam esse, maxime ex Eucharistia: quia hæc non est instituta ad causandum primam gratiam, imò supponit hominem iam iustificatum; ergo dum sacra Scriptura dicit, *Nisi manducaueritis*, &c. debuit præceptum denotari de illa: alioquin ex defectu sumptionis ipsius non posset vllo modo homo periclitari. At cùm sine pœnitentia non remittantur peccata præcedentia, iure merito (esto de illa non sit nouum præceptum) dicitur, *Nisi illam egeritis, peribitis.* Nam licet non pereat homo propter nouum peccatum in omissione pœnitentiæ commissum, peribit tamen propter antiqua, quæ ex pœnitentiæ defectu non fuere deleta: vti de facto illi omnes pereunt, qui habuerunt peccata mortalia, & mortui sunt antequam agerent pœnitentiam, esto eam non neglexerint culpabiliter id quod in Eucharistia non potest intelligi, nisi præceptum sit de illa. Quod de Eucharistia dixi, intelligendum etiam est de Baptismo: nam licet sit institutus ad causandum gratiam, non tamen ita, vt sine illo causari ea non possit. Vidit hanc replicam suarez, addidit tamen nullius esse momenti: quia etiam ipsa pœnitentia non requiritur ad gratiam ex natura rei, sed ex institutione Dei, sicut Baptismus & Sacramentum Eucharistiæ. Nihilominùs iudico impugnationem nostram esse euidentem: etenim siue ex natura rei id oriatur, siue ex sola Dei voluntate (neque enim in hac ego facio vllam vim) certissimum est de facto re ipsa nullum omnino peccatorem posse saluari sine pœnitentia, prout hæc abstrahit a Sacramento Pœnitentiæ & à contritione: at certum & certissimum est è contrario sine Eucharistia posse saluari, vti sine Baptismo reipsa suscepto, ergo quando sacra Scriptura dicit, *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis* intelligere id optimè possum: *Peribitis ratione præcedentium peccatorum, non ratione noui commissi in omissione pœnitentiæ*, (vt paulò ante dicebam:) at quando Scriptura ait, *Nisi Eucharistiam susceperitis, peribitis*, non potest intelligi *vi peribitis* ratione præcedentium peccatorum, quia illa non remittuntur per Eucharistiam: ergo id debet intelligi ratione omissionis Eucharistiæ: ergo oportuit eam esse sub præcepto. Pro qua differentia non video, vt dixi, quid faciat, quòd sine pœnitentia non remittantur peccata de facto nisi ex sola voluntate Dei: vndecumque enim id veniat, satis est, quòd non aliter reipsa fiat.

Disparitas inter præceptum de SS. Eucharistia, & de Pœnitentia Ioan. 6.

Probatur Secundò etiam insufficienter.

Nec satisfacit explicatio Patris Suarij

3

Secundò fortasse responderi posset ex eodem P. Suario, Etiam in hoc sensu illam differentiam non esse bonam: nam si contingat hominem iustificari per solum amorem, adhuc tenebitur ad formalem pœnitentiam: ergo tunc non poterit dici perire cum hominem ratione præcedentiũ peccatorum, sed ratione noui commissi in ipsa omissione pœnitentiæ: ergo etiam de hac impenitur præceptum eis in locis. Sed contra, quia in hoc puncto videtur committi circulus: nam formalem pœnitentiam esse necessariam ad salutem probauerat solùm ex his locis: iam verò, vt probet hæc loca debere intelligi de pœnitentia formali supponit illam esse necessariam per se loquendo: probat ergo necessitatem ex his testimonis: & suppositâ necessitate probat hæc loca debere de ea necessitate intelligi. Quidquid

4

Secunda explicatio Patris Suarij

Rejicitur.

verò de hoc circulo sit, secundò impugno eã solutionem; nam amor Dei super omnia in ordine ad iustificationem in phrasi sacræ Scripturæ est idem ac pœnitẽtia; ac proinde ex sacra Scriptura non potest vllo modo suaderi, stante amore Dei super omnia, quo homo iustificatur, debere adhuc sequi pœnitentiam, de quo fusiùs supra.

Tertia explicatio eiusdẽ non sufficiẽs.

Tertiò addit P. Suar. eo ipso quod pœnitentia sit necessaria necessitate medij, recte colligi, illam esse sub præcepto. Hoc totum admitto, vt statim videbimus; per illud tamen non ostenditur in sacra Scriptura tradi præceptum, sed explicari necessitatem pœnitentiæ; ex qua necessitate nos deinde adiunctis alijs principijs colligimus esse obligationem de ea habenda.

An possit probari ex sanctis patribus.

Adduci etiam solent aliqua testimonia Patrum, quæ tamen non tam præceptum quàm necessitatem pœnitentiæ probat. Solus Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 4. expressè docet à Deo præceptam esse pœnitentiam.

SECTIO II.

Explicatur difficilis locus D. Thoma in contrarium.

5

PRIVSQVAM ostendamus, quomodo ex pœnitentiæ necessitate inferatur præceptũ illius oportet explicare locum D. Thomæ, qui videtur contrarium sentire; & fortasse ratione illius negauit præceptum hoc Victoria; ait ergo Sanctus Doctor 2. 2. q. 14. art. 2. impœnitentiam, prout dicit solam negationem pœnitentiæ vsque ad mortem, non esse speciale peccatum, sed circumstantiam peccati; prout verò dicit propositum non pœnitendi, esse speciale peccatum. Fusissimè Auctores de intelligentia huius loci disputant, Vasquez, Suarez, Lugo, Coninch, & alij. Mihi tamen in primis videtur non esse ad rem; nam eum expressè doceat Sanctus Doctor voluntatem non pœnitendi esse speciale peccatum profectò necessariò necessarissimè debuit sentire, esse præceptum aliquod speciale pœnitendi; quia repugnat voluntatem non faciendi aliquid esse peccatum, nisi illud, quod non fit sit sub obligatione, vt ex terminis constat; sensit ergo D. Thomas re ipsa pœnitentiam esse sub præcepto. Quomodo autem cum hoc nihilominùs simul iudicauerit, non pœnitere sine ea voluntate reflexa vsque ad mortem, non esse peccatum speciale, sed circumstantiam illius, est, vt verum fatear, satis difficilè: nam si diceret, *Nolo audire Sacrum*, est speciale peccatum; profectò etiam voluntariè omittere idem Sacrum sine vlla voluntate positiua erit peccatum. Præterea difficile est creditu D. Thomam hic per *non pœnitere vsque ad mortem* intellexisse de non-pœnitentia per puram omissionem; nam ibi non agebat de ea diuersitate inter puram pœnitentiæ omissionem sine omni actu positiuo, & inter omissionem pœnitentiæ per actum reflexum. P. Suar. sect. 2. tetigit ferè omnes expositiones, quæ ei loco adhiberi solent easque examinauit. Ex eis Pater Coninch illam secutus est, quæ dicit D. Thom. agere de impœnitentia non voluntaria. Dura hæc explicatio visa est Cardinali Lugo, quia inuoluntaria omissio non est, nec quidem circumstantia aliorum peccatorum.

D. Thom. sensit dari præceptum Pœnitentiæ.

Difficultas.

Verùm impugnationem hanc tetigerat priùs ipse Suarez, eique responderat, non agere D. Thomam de circumstantia in genere moris, quæ addat malitiam, sed de circumstantia quasi Physica. Mihi verò hoc ipsum videtur difficile creditu, quia D. Thomas ibi agebat de genere morali & de malitia, ac proinde non debuisset dicere absolute esse circumstantiam peccati, sed facilius & clariùs ad rem dicendum erat; *Ea autem permanentia non est peccatum*; iudico ergo adhuc cum Lugo eam, Suarij expositionem non esse sufficientem.

Nec P. Vasq.

Pater Vasquez elegit explicationem, quam Suarez secundo loco posuerat, scilicet D. Thomam agere de proposito non pœnitendi ex cõtemptu; quod peccatum dicit esse contra Spiritum sanctum. Suar. & post ipsum Lugo habent in hoc difficultatem, quia Sanctus Doctor nullam distinctionem agnouit in eo proposito, vnde omne propositum non pœnitendi videtur iudicare sufficiens ad eam malitiam. Ipse ergo Suarez tertiam approbat, quod D. Thomas veramque impœnitentiam dicat esse peccatum absolute, eam tamen, quæ per directam volitionem amatur, quæ potè magis proprie voluntariam dicat speciale peccatum, & quidem contra Spiritum sanctum; aliam autem omissionem indirectè voluntariam non dicat esse contra Spiritum sanctum: vtrùm autem habeat specialem malitiam distinctam à peccatis alis, ait Suarez non decidia D. Thoma ibi: quia præcise erat solicitus, vt ostenderet, sub quacumque illa impœnitentia esset peccatum contra Spiritum sanctum. Addit verò Suar. re ipsa non differre eas duas impœnitentias, nisi eo modo, quo voluntarium indirectum à directo. Hanc explicationem Lugo reiicit, quia D. Thom. conatur in his locis constituere diuersitatem specificam inter peccata, quæ dicit contra Spiritum sanctum; nec videtur esse contentus diuersitate solùm numerica. Hæc impugnatio habet vim aliquam; posset tamen pro Suario dici D. Thom. diuersitatem aliquem quæsiuisse, maiorem quidem ea numerica, quæ ordinariè reperitur inter duo peccata eiusdem infimæ speciei; hanc tamen reperiri inter voluntarium directum & indirectum: certum enim est maiorem esse differentiam inter homicidia duo; vnum directe v. g. dare nouum homini periclitanti in aquis neglexit ex alio motiuo, & sic submersus est ille; & alterum homicidium directe volitum & causatum à me; maiorem inquam differentiam quàm sit inter duo homicidia æqualiter directè aut æqualiter indirectè volita: & hoc mihi videtur sufficiens ad saluandum eum difficilem locum D. Thomæ.

Explicatio facta à Patre Suarez, est bona.

7

Explicatio Lugo probabilis.

Aliam explicationem adhibet Lugo, D Thomam nomine impœnitentiæ non eã intelligere, quæ est purè habitualis, sed loqui de permanentia actuali in ipsis peccatis, quando quis non solùm non agit pœnitentiam de facto v. g. sed nec furari cessat; hanc autem impœnitentiam, seu permanentiam, dicit esse circumstantiam peccati, quia maior minórve duratio peccati ab omnibus iudicatur circumstantia; esse verò hanc mentem D. Thomæ probat id Auctor ex eo art. 3. 2. Sententiarum, vbi in responsione ad tertium comparat impœnitentiam cum virtute contraria, id est cum perseuerantia in bono, quam ait non esse specialem virtutem prout solùm includit perseuerantiam actualem in bono

Explicationis varia.

P. Coninch non satisfacit.

6

opere

opere; quatenus verò dicit voluntatem expressam perseuerandi, esse specialem virtutem: ergo loquitur de impœnitentia vt est actualis permanentia in ipsis peccatis. Satis probabilis est hæc explicatio habet tamen contra se quatuor difficilia: Primum, quod siue Sanctus Doctor loquatur de perseuerantia etiam actuali, siue de habituali, loquitur sanè de perseuerantia in impœnitentia planè vsque ad mortem inclusiuè: hoc enim ipsa verba clarè demonstrant; *Non pœnitere vsque ad mortem*; si enim supposuisset ibi eum hominem ante mortem agere pœnitentiam, profectò id debuisset dicere expresè; alioquin commisisset in ea voce *vsque ad mortem* æquiuocationem maximam, dum agens de proposito non pœnitendi, eam vsurpat vsque ad mortem inclusiuè; agens verò de ipsa actuali nõ pœnitentia eam vsurpauit exclusiuè, ita vt ante mortem admitteretur pœnitentia: hæc autem æquiuocatio non cadit D. Thomam, quòd si ille egit de actuali impœnitentia finali, & quidem libera & voluntaria vsque ad mortem, iam debuit ibi necessariò admittere peccatum diuersum ab ipsis voluntatibus præcedentibus furandi, etiam iuxta ipsum Cardinalem: ergo aliter debet explicari Sanctus Doctor.

Difficultates tamen contra eam. Prima,

8 Secunda difficultas contra eam explicationẽ est, quòd D Thom. videatur nomine obstinationis (quam ponit vt peccatum distinctum ab ea impœnitentia etiam reflexè volita: eam enim ponit inter sex peccata contra Spiritum sanctũ) plane intelligere eam perseuerantiam actualem in peccato: non enim aliud possumus intelligere nomine furis obstinati, quàm furis, qui non vult cessare à furto. Quòd si ideò dicas nomine obstinationis debere intelligi furem, qui etiam nolit cessare vsque ad mortem inclusiuè, non ideò excludes eum ab impœnitentia finali: nam & ibi illa necessariò includitur: ac proinde D. Thomas non sufficienter distinxisset obstinationem ab impœnitentia, cùm tamen ea duo ponat inter sex peccata contra Spiritum sanctum.

Secunda,

Tertia,

Tertia difficultas, quòd nondum saluet, quo pacto D. Thomas dixerit eam impœnitentiam finalem esse circumstantiam actus: id quod maximè videtur hic Auctor velle explicare: etenim non est credibile D. Thomam agere de eo, qui constanter maneat in libera ea volitione actuali occidendi v.g. aut luxuriandi vsque ad mortẽ, sine vlla interruptione physica etiam valdè notabili per somnum, per negotia alia occurrentia, quæ iam eo ipso efficiant, vt ea secunda repetitio volitionis furandi aut fornicandi non sit circumstantia: sed nouum peccatum saltem numero distinctum: quod propriè circumstantia dici non potest: & verò neque vllus Auctor id vocat circumstantiam. Vrgeo clarissimè: est aliquis v.g. homo luxuriosus, qui hodie cum hac, cras cum illa, hodie pollutione, cras etiam sodomia peccat: vel est fur, qui constanter furatur hodie ab vno, cras ab altero, hodie pecuniam, cras vestes, &c. hos dicit Cardinalis intellexisse D. Thomam nomine impœnitentium vsque ad mortem, etiamsi habeant voluntatem in fine vitæ agendi pœnitentiam. Atqui in talibus nemo dicet furtum hodiernum mille aureorum v. g. esse circumstantiam respectu furti hesterni, quo pallium, vestes, aut quid simile furatus est: & idem constat in luxurioso, qui hodie cum vna, cras fornicatur cum altera, volens tamen ad finem vitæ pœnitere: profectò ea secunda fornicatio cum Ioanna à nullo dicitur circumstantia fornicationis cum Francisca, sed nouum & distinctum peccatum: ergo neque iuxta hanc explicationem saluatur modus loquendi D. Thomæ: quòd scilicet ea impœnitentia sit circumstantia, non verò nouum peccatum: ob hunc autem modum loquendi præcisè reiecit hic Auctor explicationes Suarij & Vasquez: ergo.

9 Quarta & vltima difficultas contra eam est, quam ipsemet tetigit, quòd scilicet D. Thomas ea quæst. 4. art 1. tradiderat, peccatum contra Spiritum sanctum debere esse ex contemptu: atqui ea voluntas non agendi pœnitentiam ex pigritia non est ex contemptu: ergo non intelligit illam ibi nomine peccati specialis. Respondet Cardinalis, D. Thomam non requisiuisse ad peccatum contra Spiritum sanctum eum contemptum, sed id tantùm ex aliena sententia posuisse. Hæc tamen solutio nullatenus satisfacit: imò illius occasione reiicio. Quartò clarissimè eam explicationem circa mentem D. Thomæ: quia licet Sanctus Doctor in corpore eius articuli tantùm retulerit aliorum sententias; in responsione tamen ad tertium expresè docet, ad peccatum contra Spiritum sanctum requiri contemptum: habet enim hæc formalia verba: *Ad tertium dicendum, quòd peccatum ex certa malitia, secundùm quod prouenit ex inclinatione habitus, non est speciale peccatum, sed quædam generalis conditio peccati: prout verò est ex speciali contemptu affectus Spiritus sancti in nobis, habet rationem specialis peccati.* Et hæc dixit D. Thomas ex propria sententia; posteà addit iuxta sententiam secundam, quæ fuit Augustini, peccatum in Spiritum sanctum non esse speciale: ac denique concludit, impœnitentiam finalem posse esse circumstantiam cuiuslibet generis peccati. Quæ verba nullo modo patiuntur limitationem huius Auctoris: quòd scilicet D Thomas loquatur de homine, qui etsi velit perseuerare in furto v. g. ad mortem, ita tamen vt in hora ipsa mortis velit agere pœnitentiam: de hoc enim euidenter non agit D. Thomas, dum vtitur illis verbis, *Impœnitentia finalis.* Hanc ergo ibi docet Sanctus Doctor, si non fiat ex contemptu, non esse speciale peccatum, sed posse esse circumstantiam omnium; ergo clarissimè reiicit eam explicationem huius Auctoris.

Quarta.

10 Potest ergo cum Vasquez dici, D. Thomam locutum de impœnitẽtia, secundùm quod est ex contemptu: quia reuera in vtroque eo articulo requirere maximè videtur talem contemptum ad peccatum contra Spiritum sanctum, quale dicit esse illam impœnitentiam. Quòd verò ipsum non pœnitere solùm dicat esse posse circumstantiam omnium peccatorum, intelligo quoad motiuum peccandi; quia ex amore huius & illius obiecti possum non cessare à voluntate furandi, luxuriãdi, &c. Vtrùm verò ea omissio tunc habeat aliam specialem malitiam, quæ tamen non sit contra Spiritum sanctum, de quo agebat ibi D. Th. non explicuit. Et de eo satis.

Explicatio nostra.

Obiici etiam contra eam obligationem, pœnitendi posset Primò, quòd sequeretur nullum damnari propter vnicum peccatum propter furtum v.g. sed necessariò debere interuenire secundum, id est impœnitentiam, & verò etiam de hac secunda nouam impœnitentiam, & sic in infinitum. Respondeo negando sequelam; quia potest quis mori repentè ante tempus, quo obligatus

Obiectiones contra præceptum Pœnitentiæ. Soluuntur.

obligatur ad pœnitentiam;& tunc non damnabitur ob impœnitentiam;potest item in amentiam perpetuam incidere: quod verò de eis reflexionibus dicebatur non est vllius momenti;, quia homo non se solet tam procul reflectere, in infinitum autem non potest.

Secundò obiicitur quia non apparet,an hoc præceptum sit naturale ,an positinum, an diuinum, an humanum. Huic tamen obiectioni respondebimus statim explicando,vnde illud præceptum colligatur.

SECTIO III.

Quomodo ea obligatio agendi pœnitentiam probanda sit.

SVBSECTIO PRIMA.

Examinantur duo fundamenta

11 *P.Suar.dicit nos teneri ex iustitia valdè probabiliter.*

DAtur Suarez tria capita ponit;primũ est iustitiæ,quâ quis tenetur satisfacere iniuriæ in alterum commissæ. Non placet hoc caput Vasq. Hurtado & Lugo ; eò quòd saltèm non omnia peccata sint contra iustitiam;deinde,quia contritio non est perfecta satisfactio.Ego duas has impugnationes non puto sufficientes : non primam,quia alibi fusè ostendi,omne peccatum esse contra iustitiam : non secundam,quia licet non possit homo satisfacere ex integro,tenebitur saltem dare quod,potest. Vt enim optimè dicit P.Suar.ea disp. 15. sect. 3. Iustitia quæ obligat ad æqualitatem faciendam integrè , si illa possibilis est;consequenter, vel à fortiori obligat ad faciendam illam ex parte,seu,ad inæqualitatem minuendam quantum possibile sit , seu ad dandum quod potest,si dare nequit quantum debet; quod vti respectu creditoris creati obligat,ita respectu diuini. Confirmat id Suar. his optimis instantiis:prima ; nam licet non possit homo gratias condignas pro Beneficiis acceptis agere,debet tamen quas potest;item,non potest adorationem & cultum dignum tãtæ Maiestati tribuere,tenetur tamen colere provt potest;non est ergo cur ex hoc capite hæc obligatio agẽdi pœnitentiam non reducatur ad virtutẽ iustitiæ.

Difficiliùs fortasse obiici posset contra eam Suarij rationem, nam si bona est, videtur etiam probate teneri hominem ad agendam cùm primùm pœnitentiam:hoc autem est valdè dutum, ergo. Respondeo ; Etiamsi ob rationes , quas agentes de iustitia nostra erga Deum attulimus, non teneamur statim satisfacere, quia Deus ex dilatione satisfactionis non patitur vllum nouũ detrimentum;nihilominùs tamen aliquãdo nos teneri ad id faciendum,quia verè ratio naturalis dictat teneri nos humiliari coram summo Principe,quem offendimus grauiter , si autem dicatur hominem teneri ad eam satisfactionẽ, certè maximè debet obligari ante mortem , quia id deinde præstare non poterit. Non caret ergo magna probabilitate ea ratio prima Patris Suarez:quæ sic est intelligenda,vt ea obligatio non sit ad faciendam pœnitentiam ex speciali motiuo virtutis Pœnitentiæ, sed,sufficiat à fortiori si id fiat ex motiuo charitatis,aut in Sacramẽto ex motiuo iustitiæ:quod cùm benè hîc notauerit idem Suarez , non debuisset suprà docuisse, esse per se obligationem faciendi pœnitentiam ex motiuo huius virtutis:Quam doctrinam nos ibidem reiecimus.

12 *P.Vasq.dicit nos teneri ex charitate in Deum etiam probabiliter.*

Patet Vasquez quæst. 8. art. 2. dub. 3. etsi hanc rationem Suarez reiiciat,vt dixi,quantum ad iustitiæ rigorosæ punctum,eam tamẽ approbat,si intelligatur de iniustitiâ secundùm quid ait enim nos illud iniustum secundùm quid, quod per peccatum commisimus contra Deum, teneri ex charitate in Deum tollere,& ei reconciliari. Quæ ratio non caret magna probabilitate, etiam admissa illa altera obligatione iustitiæ,quam cum Suario concessimus Primò Hæc est secunda ratio,quâ eam obligationem Suarius probat;ait enim virtutẽ charitatis obligare hominem,vt amicitiam ipsius redire satagat.Displicuit etiam hæc ratio Cardinali Lug.quia lex charitatis non me obligat ad procurandum , vt me amet amicus,sed præcisè vt ego illum amem,vnde putat,si actus contritionis consideretur præcisè vt medium ad impetrandam remissionẽ peccati,non fore ex lege charitatis obligationem ad illum habendum Puto tamen rectissimè & Suarium & Vasquez dixisse, ex charitate oriri eam obligationem : quia maximè videtur obligare lex amicitiæ vt me reddam amabilem amico:seu ne ille quidquam hãbeat,ratione cuius possit cõtra me esse offensus. Vnde sicut facit contra regulas amicitiæ, qui amicum offendit,esto simul cum ea offensione illum per possibile vel impossibile summè amaret:ita qui non curaret reconciliari amico,esto amorem in illum renouaret, in omniũ prudentum iudicio non segereret iuxa regulas amicitiæ : quia qui esse alterius amicus vult,non solùm amare,sed amari vult,aut saltem esse dignus amore. Denique quatenus charitas obligat ad amendum Deum super omnia, fatetur ipse Lugo esse obligationem retractandi saltem implicitè peccatum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Tertia ratio de charitate in seipsum.

13 *Tertia ratio est optima.*

PRæter has duas rationes tertia efficacissima & clarissima desumitur ex charitate in seipsum; quia si homo videat imminere sibi æternam damnationem , si non agat pœnitentiam, procul dubio tenetur incomparabiliter magis ad eam agendam ex amore sui,quàm ex eodem tenetur ad non permittendum se mori fame, si habet quod possit comedere. Quæ ratio solùm habet locum in hoc statu rerum, quando Deus vult per pœnitentiam remittere peccatum nam si decreuisset non remittere vllo modo peccatum homini pœnitenti,cum tunc non vitaretur æterna damnatio per pœnitentiam,non esset ex hoc capite vlla obligatio eam agendi. de simili obligatione orta ex necessitate medij egimus fusè Tomo 7. de Sacramentis, disp.de necessitate Baptismi.

Sed habet solùm locum in hoc rerum statu.

P.Vasq.suprà dub.3.putat hanc malitiam nõ esse propriam impœnitentiæ finalis , sed communem omnibus peccatis, quæ nos exponimus periculo æternæ damnationis. Tetigerat etiam priùs hanc impugnationem Vega lib. 13. in Tridentinum cap. 20. eique bene respondérat, alia peccata non afferre illud damnum ; quia esto homo se alicui periculo exponat , quatenus potest repentè statim mori ; hoc tamen periculum non est adeo graue , vt inde sit noua obligatio non committendi illud peccatum. Id

Obiectio.

Soluitur Primò,

quòd

quod optimè confirmat Lugo, quia omnes ferè Catholici quando peccant, sperant se dein acturos pœnitẽtiam; ac proinde non peccant eo peccato impœnitentiæ. De inde, quia postquam quis iam peccauit actualiter, non peccat denuò differendo per mensem pœnitentiam; & tamen non minùs, imò multò magis per hanc dilationem se exponit nouo periculo, quàm se exposuit per effectionem ipsius peccati; quia hæc durauit fortè vno solo instanti, aut media hora, intra quod tempus non tam facilè occurrere potest periculum mortis quam intra mensem; ergò si ratione periculi videantur omnia peccata habere eam malitiam, in cellarium esset in omni noua dilatione pœnitentiæ nouam malitiam inuenire, saltem numero distinctam; quia semper est nouum periculum. Tertiò idem ostendo, quia si ego haberem reuelationem, quòd essem actutus pœnitentiam, adhuc tamen furtum hodie à me commissum haberet suam malitiam grauem; & tamen nullo modo esset ratione æternæ damnationis contra charitatem in seipsum, vti esset, si vellem mori in peccato, & damnari.

Secundò.

Tertiò.

Non acquiescit tamen Cardinalis Lugo, quia si possibilitas remedij tollit, ne peccatum sit contra charitatem in seipsum; ergo si quis sciret esse aliquem virum sanctissimum, qui posset & vellet suscitare Petrum v. g. à mortuis, non esset peccatum contra charitatem eumdem Petrum occidere. Deinde etiam sequeretur, Iudæos, qui sciebant Christum ab inferis resurrecturum (tenebantur enim id fide diuina credere) non peccasse peccato homicidij, sed solùm ratione ignominiarum & grauium dolorum, quos in ea illi inflixerunt; consequens autem est absurdum: ergo similiter, licet facilis sit resurrectio animæ à morte spirituali, non ideò peccatum excusabitur à grauí malitia contra studium propriæ salutis: quia peccans, quantum est ex se, occidit animam irreuocabiliter. Hinc deducit, argumẽta esse grauia pro vtraque parte, nec facilè posse decidi, vtrùm non quodlibet peccatum habeat eam malitiam, quam tribuimus impœnitentiæ, vt Vasquez sentit.

14 *Replica contra solutionem.*

Censeo tamen hanc replicam nullam omnino habere difficultatem; & quidem si ita poneremus casum, vt nullum aliud damnum esset secutum ex hoc, quòd ego occiderim Petrum, quàm quòd ad sex vel octo horas quasi dormiret; profectò tunc temporis non putarem fore peccatum homicidij. Id quod ego explico ex quorumdam doctrina, quam ego ipse ab illis audiui, in se quidem lepida, ad rem tamen nostram declarandam valdè vtili. Dicunt ergo illi, dormiente homine animam separari à corpore, & huc illuc que vagari; quo casu sine dubio homo ille dormiens in toto rigore scholastico debet dici mortuus, quia absente anima à corpore non est homo. Ecce in hoc casu, quòd ego dum homini medicinam ad hoc vt dormiat, esto inde sequatur, quòd sit eo tempore futurus mortuus; quia tamen certa est reunio, seu resuscitatio, nullum penitus est peccatum homicidij; ergo si mihi euidenter constaret de resurrectione Petri statim post eas sex horas somni futura, non peccarem peccato homicidij, si sine vllo dolore ipsius aut vllo alio penitus damno, ei auferrem vitam.

Soluitur. Esse reo peccati homicidij occidere hominẽ, quem scio resurrecturum.

15 Quòd de Iudæis Christi interfectoribus dicebatur, etiam non vrget: quia illi non crediderunt eum resurrecturum, & directè intenderunt eum perpetuò occidere. Denique quod dicitur quodlibet peccatum occidere spiritualiter animam, includit æquiuocationem aliquam: nos enim iam non loquimur de occisione spirituali, quæ re ipsa actu causatur per peccatum; nam hæc est de præsenti grande malum, hominem defædat, facit illum dignum odio, &c. & hæc eadem esset per totam æternitatem, etiamsi Deus non esset puniturus vlla pœna peccatorem. Agimus ergo de tormentis æternis, seu de periculo ea incurrendi. Ab his tormentis dicimus reddi specialiter malam eam impœnitentiam finalem, quia tenetur per eam incurritur de facto talis mors; at per alia peccata diximus non incurri actu, sed summùm periculosè & remotè; vnde non habent ea peccata malitiam eamdem cum impœnitentia. Quod vt declarem obseruo, Etiamsi aliquando actio aliqua ratione periculi mali moralis contrahat aliquam malitiam, non tamen continuò illam fore eiusdem speciei cum illa altera proxima & formali. Hoc exemplo facilè & clarè. In peccato luxuriæ omnes docent tactus luxuriosos ideò esse peccatum, quia per se ordinantur ad fornicationem, seu quia remotè ad illam disponunt, non tamen propterea dicunt esse peccatum eiusdem speciei cum ipsa fornicatione: ergo licet concedamus remotum periculum dãnationis in quolibet mortali, quia potest homo mori antequam ei liceat agere pœnitentiam; nihilominùs non potest illa malitia eiusdem esse speciei cum ipsa voluntate moriendi in peccato; cui voluntati certò & infallibiliter annexa est ipsa damnatio æterna. Potest ergo ex eo capite impœnitentia finalis cõstituere peccatum speciale à reliquis distinctum. Ratio à priori eius diuersitatis specificæ facilis est: quia reliqua peccata etsi habeant illud periculum, habent tamen simul capacitatem admittendi remedij, & possint committi cum animo remedium illud applicandi; eam autem capacitatem non habet impœnitentia. Atqui habere capacitatem impediendi damni imminentis est prædicatum spec e diuersum etiam moraliter ab hoc, quod est actu incurrere damnum ipsũ sine vlla euadendi spe. Vnde in ipsa materia occisionis externæ, quæ est maximè similis ei de qua nunc agimus, id videtur manifestum. Nam potest quis, etiam nullo modo peccando contra præceptum se non occidendi, exponere se manifesto periculo mortis temporalis, sicut peccator se exponit periculo dãnationis æternæ ob defectum pœnitentiæ; ergo ratione huius periculi non incurretur ea specialis malitia, quam ambo incurrerent, si vnus se euidenter occideret physicè, alter moraliter in æternum. Consequentia est euidens; antecedens autem probo manifestè; Nam qui longam nauigationem suscipit, tam se exponit periculo vitæ temporalis, quàm peccator periculo non habendi locum pœnitentiæ, imò longè maiori; nam incomparabiliter plures passi sunt naufragium, quàm qui inter Christianos sunt mortui repentè, immediatè post ipsum actuale peccatum, antequam haberent locum eliciendi dolorem seu actum contritionis, aut confitendi; & tamen infinitè propè maior est numerus peccantium quàm nauigantium; ergo maius est periculum in nauigatione quàm hic. Quòd si ille qui nauigare volebat non conscenderet nauim, sed supra fluctus ambulare vellet, & vbi à nemine extrahi posset; profectò iam cõtraheret malitiam totam homicidij sui ipsius. Vides ergo in ordine ad contrahẽdam malitiam

16

ob

ob damnum futurum imminens ex aliqua actione nostra esse maximam disparitatem ex eo quòd damnum certò & irreparabiliter sequatur, vel tantùm sub dubio, & quidem valdè remoto & raro?

17 Maiorem sanè difficultatem ego haberem ad excusandum à peccato ratione huius damni illum hominem, qui, postquam in Paschate satisfecit præcepto confessionis, admisit peccatum luxuriæ, aut furti v.g. & diceret, *Ego non confitebor nisi sequenti Paschate*, hic enim per hanc voluntatem incomparabiliter maiori se exponit periculo incurrendi illud damnum per mortem subitaneam, quàm se exposuerit per ipsum peccatum furti aut luxuriæ; & tamen ea dilatio potest sine peccato vllo amari, quia nõ tenetur ille sub obligatione noui peccati ad citiùs agendam pœnitentiam, nisi præuideat aliquod aliud vitæ periculum. Vides ergo quàm sit clara & bona ea ratio tertia, quæ est communis fere omnium pro hac obligatione pœnitentiæ, nec Vasquez nec Lugo obiectiones debilitent;

Replic à secunda. Vna tamen adhuc mihi supereſt difficultas contra illam. Nam verum est, quodlibet peccatum non habere specialem malitiam ex eo capite, sequeretur, non posse nos ob motiuum pœnæ æternæ dolere de eis peccatis; & idem dico de motiuo beatitudinis: nam quomodo dolebo quòd peccauerim, & me exposuerim periculo inferni, si peccatum illud ex eo periculo non habuit specialem malitiam? Maximè autem vrgetur ea difficultas, si quis sciret certò, dum peccauit, se eliciturum posteà dolorem de eo peccato: tunc enim (vt diximus suprà nullo modo fuisset expositus tali periculo: & tamen etiam tunc sine dubio ex odio pœnarum vel ex amore beatitudinis, posset quis habere attritionem de illo peccato, ergo. Respondeo tamen, Quoad priorem partem nullam esse difficultatem, quia vt doleam de peccato ratione inferni sufficit, quòd peccatum ex se illum promereatur, & quòd hîc & nunc fuerim re ipsa in periculo illum incurrendi. Ad secundum casum dico, Eo tempore fortasse non fore locum tali dolori; quia reuerà perinde foret, ac si re ipsa nullus infernus esset debitus peccato. Secũdo tamen dico, Etiam tunc posse esse locum tali dolori; ad quem sufficit, quòd ex se peccatum habeat eam dignitatem pœnarum inferni eo enim ipso possum do fere me admisisse culpam, quæ puniri ex se mereretur tali pœna.

Solvitur.

SECTO IV.

Explicatur magis hæc obligatio Pœnitentiæ vbi, An Deus possit in ea dispensare.

18 *Ad quod præceptum spectet hæc obligatio,* AD LIQVA dubia discutienda sunt pro maiori notitia huius obligationis; inter quæ primum est; Ad quod præceptum ex decem ea reducatur. Pater Vasquez suprà eo art. 2. dub. 3. air, Non omnia præcepta naturalia reduci ad decem; nam illa duo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum*, non sunt è numero decem præceptorum, sed aliquid vniuersale & quasi transcendens: primum enim præceptum est, *Vnum Deum colas*: idem dicit de præcepto eleëmosynæ, aut misericordiæ; quod non reducitur ad vllum ex decem,

Probabilis est hæc doctrina, etsi contrarium videatur probabilius. Nam amor Dei videtur omnino includi in illo primo præcepto Deum colendi, & solum illum pro Deo habendi; colitur enim Deus & amore, & adoratione, &c. misericordia autem & eleëmosyna in præcepto non occidendi; quia eleëmosyna ordinatur ad famem, morbos, aliasque miserias proximi pellendas, quæ videntur per se ordinari ad mortem hominis. Ne verò in hoc puncto hæreamus, respondendum est quæstioni iuxta tria capita suprà assignata.

Responſio. Nam si ad iustitiam referatur ea obligatio, reuocabitur ad præceptum quintum non faciendi furtum: ea enim impœnitentia est quoddam furtum respectu satisfactionis Deo debitæ. Quòd si cum secunda explicatione id reducatur ad charitatem in Deum, generalis erit quæstio, Ad quod præceptum spectet amor Dei; iam dixi debere ad primum reduci. Denique si ex charitate in seipsum, reducetur ad illud, ad quod spectat se non occidere, non mutilare, &c.

An ea obligatio ſit naturalis vel ſecùs. Reſponſio. Secunda quæstio est, An ea obligatio sit purè naturalis, Respondeo, Si ratione iustitiæ aut charitatis in Deum oriatur (vt in prima & secunda ratione diximus) eam esse purè naturalem; si verò procedat ex periculo æternæ damnationis iuxta tertium caput, tunc dicendum eam esse præsuppositiuè positiuam, quatenus pendet ab hoc, quòd Deus instituerit contritionem aut pœnitentiam pro remedio in hoc rerum ordine sufficienti ad condonationem peccati: hoc enim non ex natura rei, sed ex positiua Dei voluntate pendet. Assignata autem semel ea sufficientia remedij, per se oritur naturaliter ea obligatio, perinde ac si non haberem vllum cibum, quo vitam sustentarem, sed deberem fame mori; Deus tamen miraculosè mihi suppeditaret panem; obligatio illa tunc comedendi eum panẽ, ne morerer, esset præsuppositiuè miraculosa; suppositio autem miraculo, necessariò naturaliter planè sequeretur: & hæc est sententia expressa D. Thomæ, Soti, Caietani, Cani, Alensis & aliorum multorum, quos refert Suarez suprà sect. 3. & explicat in sensum à nobis traditum; quem etiam ipse ibi defendit. 19

An poſſit Deus in hac obligatione diſpenſare. Tertia quæstio est; Vtrùm Deus possit dispensare in hoc præcepto naturali. Pater Suarez ait non posse. Nam licet indirectè remittendo peccatum possit homini tollere obligationem agendi pœnitentiam; hoc tamen nõ est propriè dispensare, sed auferre occasionem, vt sic dicam, illam pœnitentiam faciendi. Cardinal. verò Lugo sect. 12. neque hoc modo vult posse auferri eam obligationem; putat enim, etiamsi Deus remittere peccatum sine vllo actu peccatoris, adhuc obligationem eam manſuram; quia sicut non potest Deus cedere iure ad amorem & cultum, ita vt cesset in nobis obligatio eum amandi & colendi manente adhuc infinita bonitate & excellentia ipsius, quæ amorem & cultum exigit, ita non potest per condonationem seu cessionem iuris tollere obligationem, quam ipsius infinita bonitas & excellentia inducit iure naturæ ad reuocandam offensam, & exhibendum ei hunc cultum. Si verò dicas sufficere tunc quòd homo peteret veniam, & humiliaret se Deo, argumentatur contra; Nam esto apud homines, qui cordis secreta non penetrant, petitio veniæ acceptari solear, quia saltem implicitè indicatur culpæ detestatio; apud Deum tamen, qui cordis intima intuetur, sola postulatio veniæ, absque interna

na facti reprobatione, non exhibet cultum, quem exhibere debet peccator.

10 *Responsio affirmativa.*

Ego tamen non solùm per condonationem culpæ iuxta Suarez, sed etiam sine ea condonatione censeo posse à Deo dispensari in illa obligatione quantumuis naturali; Pro quo aduerte, hos Auctores debuisse distinguere inter præcepta affirmatiua & inter negatiua: in negatiuis Deus non potest dispensare vmquam, at in affirmatiuis omnino potest. Ratio autem differentiæ est manifesta, quia negatiua prohibent obiecta ex sua extrinseca natura & essentialiter mala, ac proinde quæ numquam possunt licitè amari; at affirmatiua solùm præcipiunt actum aliquem, bonum quidem in se: cuius tamen non affectio, seu omissio à Deo amari, imò & præcipi potest, quia licet Deus essentialiter non possit amare malum, non tamen ideò est necessitatus ad amandum efficaciter omne bonum creatum, etiamsi sit bonum inter creata è maximis; vnde potest circa creaturas quantumuis perfectas, etiam perfectissimas, habere volitionem eas non producendi, vt circa vnionem hypostaticam, circa actus amoris perfectissimos: ac proinde non solùm potest Deus mihi dicere, *Ego tibi non offendar de nouo, etiamsi me non ames:* sed potest dicere ob diuersa motiua, quæ possunt ei occurrere, *Mando etiam tibi ne me ames.* Vti si daremus pro hoc puncto id quod ego quidem absolutè verum iudico cum Patre Suario, & pro præsenti quæstione Lugo saltem debet permittere, dari posse iustitiam inter nos & Deum: certè etsi homo ex ea iustitia teneretur Deo offerre aliquem actum, posset tamen illi dicere Deus, *Ego nolo vt illum mihi offeras*; & quidem posset id facere iuxta principia Cardinalis, non ablato iure iustitiæ; ergo idem dicendum de amore & cultu Dei. Ea ergo, instantia, quam adfert hic Auctor, quòd Deus non possit dispensare, vt manente infinita bonitate & excellentia Dei, ego non tenear illum amare, est fortè longè minùs certa quàm noster casus: quia facilius non præcedente peccato potest Deus cedere iure ad amorē & cultum, quàm in homine peccatore cedere iure, vt peccator non obligetur ad amorem; quia in hoc sunt plures tituli quàm in illo: ea ergo probatio assumit rem magis dubiam pro suadenda minùs dubia.

11

Secundò dico: Esto Deus non posset dispensare in præceptis affirmatiuis, optimè tamen posse tollere eam obligationem per solam remissionem culpæ, vt docet Suarez; quòd enim obiiciebatur in contrarium etiam tunc vrgere obligationem retractandi peccatum, asseritur, non probatur: ea enim obligatio non videtur posse aliunde desumi, quàm vt homo cum Deo redeat in gratiam: id autem iam est factum per condonationem: & sanè si per habitualis gratiæ infusionem Deus condonaret diuinitus peccatum, non maneret vlla obligatio eliciendi illum actum.

Denique quod dicitur, petitionem veniæ non sufficere apud Deum, qui cordis intima penetrat, sicut sufficit apud homines, qui interiora non noscunt, non videtur mihi ad rem, quia si petitio veniæ apud Deum non sit exterior solùm, sed etiam interior, non scio quid faciat illa differentia, quòd ipse noscat etiam interiora, quia iam ibi noscet tam seriam petitionem interiorem, quàm homines noscant in aliis petitionem exteriorem: ergo. Et verò petitio interior veniæ vix potest moraliter esse sine displicentia in ipso facto: solùm autem hanc displicentiam videtur hic Auctor exigere, nec multùm curat, vtrùm ea fiat ex motiuo amoris Dei super omnia, an verò ex timore pœnarum & amore beatitudinis. In quo puncto (vt verum fatear) non mihi videtur omnino consequenter loqui: nam istæ humiliationes & retractationes plus accedunt ad concupiscentiam propriam, quàm ad pœnitentiam illam, quæ desideratur à natura rationali in homine, qui Deum offendit: videtur enim ab eo exigi, vt pro compensatione grauissima infinitæ Maiestatis diuinæ offerat illi actum quem potest nobilissimum. Quòd si è contrario semel tollitur hæc obligatio, quando à Deo condonatur peccatum sine vllo peccatoris actu, non video cur debeamus transferre eam obligationem ad actum illum minùs perfectum, & non potiùs cum Suario dicere, eam omnino cessare, quia iam est ablata tota culpa.

Confirmatio nostra responsionis, posita condonatione non tenetur ad contritionem, ergo nec ad aliam pœnitentiam.

SECTIO V.

An obligatio Pœnitentiæ cadat aliquando determinatè supra actum contritionis.

DIXIMVS tantùm de obligatione Pœnitentiæ siue in Sacramento, siue extra: iam quærimus duo: Primùm, Vtrùm, casu quo non sit copia confessionis faciendæ, & obliget ad pœnitentiam, satisfaciam ei obligationi amando Deum, an verò teneat etiam propriè conteri. Secundum, vtrùm esto sit facta confessio validè, dari adhuc possit obligatio habendi contritionem aut amorem Dei super omnia. De primo in hac subsectione, de altero in sequenti. 12

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de quæstione extra articulum mortis.

SVpponimus quæ diximus suprà, si homo eliciat amorem Dei super omnia sine actu formal contritionis, nihilominùs iustificandum: quâ doctrinâ posità, ad casum præsentem dico præceptum naturale non cadere determinatè supra contritionem, quia non cadit nisi supra medium illud, quòd hic & nunc est necessarium ad expellendum peccatum: eo autem ipso quod vel dilectio, vel contritio sufficiat, neutra est necessaria determinatè: ergo neutra est sub præcepto hoc naturali, de quo loquimur. Vtrùm autē sit de facto positiuum præceptum de contritione, diximus suprà fusè, vbi negantem partem defendimus. Licet enim homo, qui aduertit ad peccatum, & Deum amat super omnia, non possit se ab eo dolore continere; ea tamen cōtritio non videtur tunc necessaria nec necessitate præcepti, nec necessitate medij. Hanc eamdem sententiam defendit Vasquez suprà dub. 2, quem sequitur Lugo sect. 12. vbi benè docet, quocumque actu, siue amoris Dei super omnia, siue dolore expresso, siue dolore ob Deum super omnia amatum, siue retractatione, siue proposito in futurum tollatur peccatum, non teneri deinde ad reliquos actus vi præcepti naturalis pœnitentiæ: quia neque ad finem obtinendæ gratiæ, cum iam hæc supponatur obtenta, sunt necessarij, neque ad retractandum peccatum, cùm

Præceptum naturale non cadit determinatè supra contritionem.

cum iam hæc retractatio obtineatur per quem libet ex illis actibus Vnde non video quo fundamento suarez dicat, Deum de facto non acceptare amorem Dei super omnia ad remissionem peccati, nisi quatenus est votum contritionis, quòd non acceptet contritionem, nisi quatenus est votum Sacramentalis confessionis, habemus ex Tridentino & sensu Ecclesiæ at de voto contritionis vt condistincta ab amore nullum extat testimonium nec ratio vlla id probat, vt ex dictis constat: non est ergo, cur nos id admittamus.

28 Addat etiam bene Vasquez, ex amore Dei super omnia, si homo recordetur peccatorum, sequi necessariò dolorem formalem illorum: id quod nos defendimus supra cum hac limitatione, si scilicet iam non sint remissa ea peccata, quia tunc malum est præsens: & qui amat aliquem vehementer, si videat illum pati aliquod damnum, non potest non dolere de illo: quando verò damnum iam est ablatum, non sequitur necessariò ille dolor: præteritum enim damnum, iam tamen emendatum, non habet tantam vim ad extorquendum necessariò dolorem. Quæ duo benè hic notauit Lugo; minùs tamen benè superiùs negauerat eam connexionem amoris Dei super omnia cum dolore expresso peccatorum, etiam in homine eorum memore. Quid verò sit de consequentia, doctrina hæc mihi videtur certa.

Quid si Deus nulli actui remissionem annexuisset?

Circa quam illud præterea quæritur, Quid esset dicendum, si Deus non voluisset remissionem peccati vlli omnino actui annectere, dedisset tamen auxilia ad eos actus efficiendos, relicta sibi libertate condonandi quando vellet. Hanc quæstionem tetigit Suarez, & ait talem modum prouidentiæ non videri Deo consentaneum: eo tamen admisso probabile esse manuram obligationem amandi Deum super omnia: quia talis actus in dubio deberet ab homine eligi vt maximè proportionatus ad placandum: ceum: addit tamen Secundò, non fore tunc specialem obligationem eliciendi actus contritionis, quia non obligaretur ad credendum talem actum fore tunc necessarium ad obtinendam veniam; iudicare enim posset sufficere amorem, maximè si adiungeret instantem petitionem veniæ.

Adhuc probabiliter obligaremur ad contritionem simul & amorem.

Probabiliter hoc dictum, non tamen caret probabilitate contrarium, scilicet etiam cum fore obligatum ad contritionem simul cum amore: quia cùm contritio quodam modo ratione doloris, quem inducit, habeat magnam proportionem ad obtinendam veniam: certè in dubio, quis ex illis duobus actibus sufficeret, non deberet iudicari grave, obligare ad habendum vtrumque, maximè cùm (vnta paulò ante dicta) contritio naturaliter & expressè oriatur in homine cogitante de suis peccatis, eo ipso quòd Deum amet super omnia.

24 *Quid in pura natura?*

Hac occasione, quæ ad casum illum in alio ordine rerum possibilem excutimus, quæri etiã obiter potest, Quid sit dicendum de pura natura, An posito peccatum teneretur homo aliquem amorem naturalem & dolorem elicere, etiamsi Deus tunc non reuelasset, quem actum vellet habere pro remissione consequendam, imò etiamsi non constaret, an reipsa esset remissurus peccatum. Respondeo consequenter ad dicta immediatè ante, Fore hominem obligatum ad amorem naturalem super omnia, & ad dolorem de suis peccatis; quia tunc temporis illi actus essent maximè proportionati ad veniam: nec posset in dubio homo ille commodius medium vllum parare.

Responsio: Adhuc obligaremur ad contritionem & amorem.

Dices, Posset obligari ad eliciendos hos actus, & etiam alios quotquot posset: nam illos omnes deberet Deo ratione peccati. Respondeo, Si de debito ob grauitatem iniuriæ loquamur, extra controuersiam esse, quòd illos & infinitos alios deberet Deo: adhuc enim per omnes illos simul sumptos non satisfaceret pro peccato: nihilominùs tamen non videtur illi imponenda tam gratis obligatio, quia moraliter fuisset inoleralibilis, & nec posset scire, vtrùm eam adimpleret nè;ne;& vix posset sine scrupulo peccati grauis aliud agere, quam constanter elicere actus virtutum; non ergo debemus ei imponere talem obligationem; ea ergo sufficeret, quam diximus de eliciendo amore Dei naturali super omnia & dolore de peccatis: fortasse etiam obligaretur petere frequenter à Deo eam veniam. Quòd si, vt in altera parte dubij diximus, nulla esset spes veniæ, adhuc tamen teneretur ad amorem & dolorem, vt ex se faceret quod moraliter posset ad compensandum pro offensa; erate tunc pro venia non petenda, vt supponimus constaret illam non esse a Deo concedendam.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de obligatione determinata contritionis in articulo mortis, etiam supposita cum sola attritione.

25 *P. Suarez dicit esse obligationem;*

PAter Suarez eo sect. 4. ait talem quidem ad eam contritionem teneri, non tamen vi præcepti Pœnitentiæ, sed ex charitate in Deum & in seipsum: teneriin præceptum amoris Dei obligat sæpe: nec sufficit semel in vita cum amorem elicuisse: sed maximè videtur id in morte vrgere: deinde, quia postquam homo per subsequens peccatum quasi retractauit antiquum amorem, casu quo illum elicuisset, tenetur illum renouare. Ex charitate verò in seipsum, quia cùm non sit omnino certum attritionem etiam cum Sacramento sufficere, non debet homo in re tanti momenti, & plane irreparabili, se exponere ei periculo damnationis æternæ. Eandem sententiam tenet Nugnius, Valentia, Granadus, Thomas Sanchez, Zambranus, & aliqui Recentiores apud Lugo sect. 13 ipse tamen cum Laymanno, Salas, Becano, Turriano & Platuvo Fabio contrariam sentit. Ego quidem valde propendeo in sententiam Suarez, quam etiam Tannerus supra defendit, non ob eam incertitudinem, quam illi Auctores ponunt, quòd scilicet non sit certum, vtrùm attritio intra Sacramentum iustificet. Hæc enim doctrina mihi videtur ferè esse de Fide; vnde nullo modo puto esse curandum vnum fortè aut alterum qui contrarium dixerunt stante adeò clara Tridentini definitione pro hac sententia. Ex hoc ergo capite acquiesco Auctoribus secundæ sententiæ, & per hoc effugio aliqua argumenta, quæ illi contra Suarium & alios obiiciunt; & in hoc solo sensu locutus sum Tomo 3. disput. 24 num. 19. vbi agens de obligatione sequendi opinionem certam præ incerta, dixi non esse obligationem in hora mortis habendi contritionem, quia quòd attritio sufficiat intra Sacramentum etiam, vt talis cognita, non est sub opinione: de quo solo capite ibi agebam; de altero verò fundamento, quod nunc subiungo, nihil tractaui. Igitur

Cuius sententiam approbamus, non verò rationem.

aliunde mihi videtur esse obligatio in ea hora
16 mortis habendi contritionem, quia ex parte ad-
Probatur alia ratione. ministrantis Sacramentum confessionis potest esse magna incertitudo de valore illius; Primò, quia potest fieri, vt reuera non sit Sacerdos. sed se talem fingat; vt aliquoties contigit: vel licet ipse bona fide credat se esse Sacerdotem, tamen inuincibiliter erret, quia in consecrante ipsum fuit aliquis defectus: vel quia licet Sacerdos sit, animum tamen absoluendi ex aliqua nequitia non habet in re autem pro ipso homine quasi infiniti momenti, & in occasione planè irreparabili, non debet vlli prudenti videri grauis & sine fundamento imposita obligatio adhibendi adhuc aliquod medium, per quod ille homo, quantum potest, prudenter omnia illa pericula adeo grauia effugiat: non tamen tenebitur ille tunc elicere contritionem & amorem simul: sed vnum ex illis sufficiet. Id quod etiam Suarez concedit.

Non est tamen obligatio ad amorem simul: Obiectio prima:

Obiicies tamen Primò: Ergo Confessarius tenebitur infirmum admonere de ea obligatione: cùm enim ea à nobis desumatur ex periculo damnationis, spectabit maximè ad Confessarium ea de re monere infirmum: hoc autem videtur esse contra sensum totius Ecclesiæ, quia numquam Confessarij se ad id obligatos iudicarunt: imò hinc graues è contrario orirentur scrupuli: addiditque Cardinalis se nouisse vnum Confessarium, qui audita hac opinione omnes infirmos periculosos fugiebat. Non posset item Confessarius talem absoluere, si non conaretur elicere amorem aut contritionem, quia non haberet animum seruandi omnia præcepta. Respõdeo, Et quidem hoc vltimum de absolutione nõ multum vrgere; quia si infirmus bona fide procederet, habere haud dubiè posset animum seruandi omnia præcepta, etiamsi ex ignorantia inuincibili, quòd hoc esset vnum ex præceptis, illud non adimpleret. Vti ipsemet Cardinalis paulò inferiùs fatetur dari eam obligationem amoris Dei super omnia, non quidem ratione huius periculi, sed ratione præcepti charitatis, quo homo circa eam horam maximè videtur teneri & tamen hic Auctor docet non teneri Cõfessarium monere infirmum de illa obligatione ad habendum eum amorem super omnia. Vnde respondetur ad primam partem obiectionis. Addo autem Confessarios maiori ex parte ita re ipsa facere; semper enim hortantur infirmos ad amorem Dei super omnia: quia tamen contraria sententia est probabilis, non solùm speculatiuè, sed in praxi, dico illos excusari ab ea admonitione, vt benè idem Cardinalis ibidem probat à num 272. Dixi *in praxi esse probabilem*: quia non solùm est probabile non esse reipsa obligationem eliciendi talem actum: sed etiam est probabile, quòd non obstante tota ea incertitudine contritionis, possit homo licitè esse contentus Sacramento confessionis cum sola attritione suscepto: ergo ex hoc capite possunt Parochi se accommodare ei opinioni.

Soluitur.

17 *Obiectio secunda.*

Secundò obiiciunt: Quia si ea incertitudo sufficit ad obligandum ad contritionem, à fortiori obligaretur ad non differendam contritionem post commissum peccatum, sed teneretur statim conteri: quia maior est incertitudo vitæ quàm incertitudo illa, an attritio cum Sacramento causet gratiam: imò teneretur etiam statim confiteri, quia multò difficiliùs est habere contritionem quàm attritionem intra Sacramẽtum. Confirmatur, quia etiam aliqui opinati sunt contritionem, ad hoc vt sufficiet, habere debere certam durationem & intensionem; alij verò dixerunt illam debere esse distinctam de quolibet peccato; & tamen non propterea qui contritionem habuit etiam per breuissimum tempus, & non in magna intensione, & vniuersalem tantùm de omnibus peccatis, obligatur ad nouam habendam: ergo. Respondeo, Hoc argumentum maiori ex parte non esse contra me, sed contra Suarez & alios, qui eam obligationem fundant in incertitudine eius sententiæ; *Vtrùm attritio in Sacramento sufficiat*: quæ incertitudo quia ex vno vel altero Auctore planè improbabiliter discurrente desumitur, nulla omnino est ad inducendam obligationem. Et hinc apparet confirmationem argumenti de vno aut altero Auctore circa intensionem & durationem contritionis aberrante à scopo non esse contra me. Item illa, quòd teneatur homo non solùm conteri, sed confiteri, quia maior certitudo est, quòd habeatur attritio quàm contritio, etiam me non vrget: quia ex eo capite, vnde ego desumo incertitudinem, falsum est suppositum: loquimur autem in hominibus qui prudenter possunt distinguere inter contritionem & attritionem. Fateor ergo faciliùs haberi posse attritionem quàm contritionem: nego tamen faciliùs decipi posse, qui prudenter iudicat se esse contritum, quàm illum qui iudicat se per Sacramentum cum attritione iustificatum: etenim illius iudicium est quasi physicè certum, quia est de solo actu, quem ipse in se experitur. At qui cum sola attritione accedit, habet etiam ferè totam rationem dubitandi, quam ille prior habebat: potest enim etiam dubitare, Vtrùm attritio illa sit prout requiritur. Secundò habet duo alia capita dubitandi, in quibus ipse non potest vllam nec moralem habere certitudinem: nempè, Vtrùm Confessarius sit verus Sacerdos: Secundò, Vtrùm habeat intentionem requisitam: vnde ille tunc ponit suam salutem in dicto & veracitate alterius hominis: quæ veracitas est valdè fallibilis: ponit præterea in veracitate aliorum quasi infinitorum, à quibus pendet valida ordinatio huius Confessarij in Sacerdotem. Nonne hic homo potest timere prudenter, ne fortè aliquis ex illis omnibus Episcopis vsque ad Apostolos, per quos est deriuatum meum Sacerdotium, habuerit aliquem defectum essentialem, vel quia inuincibiliter non fuit baptizatus, vel quia ipse ex nequitia non seriò suscepit Ordines, vel quia in aliquo ex Episcopis consecrantibus defuit voluntas, aut non fuit validè applicata materia? Profectò in tanta multitudine personarum, & tanta multitudine conditionum requisitarum, valdè morale est vnum saltem irrepsisse defectum, qui eo ipso meam salutem reddit nullam. Numquid ergo non est longè maior hic ratio dubitandi, & cùm negotium sit tanti momenti & vt suprà dixi, pro me quasi infinitæ æstimationis? nonne etiam rationabile est obligare hominem ad habendam eam securitatem maiorem, quæ ex contritione, quam ipse in se agnoscere potest, desumitur? Profectò hæc ratio fecit viris religiosis & valdè prudentibus tantum scrupulum, vt circa mortem non solùm de contritione fuerint soliciti, sed & diuersis Confessariis reconciliati sint, vt indirectè saltem hoc modo in aliquo illorum certam facerent absolutionem à peccatis omnibus, etiam illis,

Soluitur.

18

quæ cuilibet seorsum non confitebantur.

Vna adhuc pars argumenti secundi restat ex incertitudine vitæ, quæ etiam videtur esse magna; dico tamen eam non esse tantam, quantam immediatè ostendimus circa confessionem, quia ex pluribus longè capitibus hæc desumitur; illa autem in homine bene valente non est est tanta.

29 *Obiectio tertia:* Tertiò obiicies; ergo teneretur homo repetere contritionem, quia certius est Sacramentum confessionis cum sola attritione causare gratiam, quàm quòd fuerit vera contritio ea quam primò elicuit: iam autem diximus suprà, nos ad eam repetitionem nequaquam obligari. *Respondeo*, Hoc argumentum supponere, quòd nos fundemus eam obligationem in incertitudine sufficientiæ attritionis: id quod non facimus: sed in altera, quam iam dixi esse maiorem quam in homine prudente sit circa hoc punctum: Vtrùm reipsa fuerit contritio ea quam habuit. *Solvitur.*

Obiectio quarta: Vlimò denique potest obiici: Eadem incertitudo esse potest in Baptismo: & tamen Ecclesia non solùm non obligat ad illum secundò suscipiendum, sed id positiuè prohibet: & tamen est Sacramentum necessarium necessitate medij ad salutem infantis: ergo. *Respondeo*, Incomparabiliter minorem esse rationem dubitandi in Baptismo quàm in nostro casu. Nam pro Baptismo conferendo quælibet persona est capax: nec possunt esse illæ innumeræ circumstantiæ, ex quibus potest non esse in me validum Sacerdotium. Deinde ex parte infantis nulla penitus dispositio requiritur: ex parte etiam materiæ, quæ est aqua, exigua ratio dubitandi, quia facillimè agnoscitur; solùm potest ex parte baptizantis esse defectus intentionis, in quo conuenit cum intentione absoluentis: at ex hoc capite difficultas est etiam longè minor in Baptismo, quia non tam facilè potest contingere, vt homo contra infantem habeat aliquid, ratione cuius velit illum perire, cùm potiùs ipsa ætas omnes alliciat ad affectum in illos: at in adulto & odium & aliæ fortè rationes possunt occurrere quæ impediant ad eam deceptionem. *Respondeo* Secundò Baptismum rite collatum non esse iterabilem cum fructu primo, nec sine sacrilegio; nunc ergo quando humano modo est fortè certò collatus, non debet poni noua obligatio ad secundò illum conferendum quia esset fortè semper obligare ad conferendum illum étiam post quam esset re ipsa ritè collatus. At quòd homo obligetur ad contritionem post susceptum Sacramentum cum attritione sola in hora mortis, non esset obligatio iniqua, quia non esset ad rem: quæ sine sacrilegio iterari non possit, iteratur enim semper, & quidem cum maximo fructu: non ergo argumentum benè trahitur ab vno ad alterum. Conflet ergo valdè probabilem esse eam sententiam Suarez, & verè absolutè videri probabiliorem. 30

Probabilitas sufficeret pluribus aduersis Sacerdotibus confiteri.

Solùm posset respondeti, ad periculum hoc vitandum sufficere, si quis duobus vel tribus Sacerdotibus confiteatur: eo enim casu non posset nec quidem moraliter dubitari, quin vnus saltem ex illis validè daret absolutionem: neque esset necessarium cuilibet omnia confiteri peccata: sufficeret enim vel vnicum etiam veniale cum dolore se ad omnia extendente: eo enim ipso saltem indirectè absolueretur ab omnibus. *Respondeo*, Posse omnino id admitti: obligatio ergo contritionis immediatè tradita habet locum, quando vel pœnitens nolit eis duobus confiteri vel quando esto velit, non tamen possit, quia tantùm vnicus est Confessarius. Intelligenda sunt quæ diximus de obligatione ex periculo desumpta & de præcepto Pœnitentiæ vt tali: nam aliunde, ratione præcepti charitatis, quod obligat etiam eos qui non peccauere, longe certius videtur illud circa horam mortis maximè obligare, esto sit præmissa confessio, de quo nos suo loco.

DISPVTATIO XVIII.

Quoties & pro quo tempore obliget præceptum Pœnitentiæ.

1 EXPLICATA huius præcepti substantia, agendum erit de tempore, pro quo obligat: quæ res magnam habet incertitudinem ob sententiarum multitudinem.

SECTIO I.

Vtrùm hoc præceptum obliget ad sæpè agendam pœnitentiam.

DIFFICVLTAS hæc dupliciter potest intelligi: Primò, An etiamsi de peccatis commissis iam semel habuerim dolorem tenear tamen secundò de eisdem conteri, esto nullum de nouo ab ea contritione admiserim. Secundo modo potest ea quæstio intelligi, An si post primam pœnitentiam nouum commisi, tenear ad eliciendum dolorem de illo.

In hoc secundo sensu quæstio est facillima, quia pœnitentia præcedens non se extendit ad hæc noua peccata; ergo hæc exigunt nouam pœnitentiam perinde ac si nec commisissem alia peccata, neque habuissem de illis vllam pœnitentiam, sed iam primò in mea vita peccatem: tenerer haud dubiè dein aliquando habere pœnitentiam; quæstio ergo solùm in primo sensu habet difficultatem. Circa quam aduerto, non agere nos de obligatione confessionis ex præcepto Ecclesiæ, sed de naturali in communi ad pœnitendum. Hac de re fusè agit P. Suarez eadem disp. 15. sect. 4. à num. 2. vbi multos ex antiquioribus refert, qui dicunt hominem teneri ad eum dolorem, quoties peccata homini in mentem recurrunt. Communis tamen sententia, quam idem Suarez ibi ferè cum omnibus defendit; & Lugo breuiter sect. 12. neget eam obligationem; quia reuerà neque ex vllo textu potest constare de ea vt de præcepto positiuo diuino, nec vt humano. Ratione item naturali non potest

Non obligamur ad sæpè agendam pœnitentiam.

test ea obligatio suaderi, quia si semel est ablatum peccatum per veram pœnitentiam, iam videntur omnino cessare omnia fundamenta ad ponendam obligationem nouæ.

2 *Obiectio prima:*

Dices: Aliqui Patres frequenter inculcant, pœnitentiam esse semper agendam: item eum, qui grauiora peccata commisit, grauiorem debere pœnitentiam agere Quæ omnia requirunt haud dubiè plus quàm vnum amorem Dei super omnia, aut vnam contritionem cadentem supra omnia peccata. *Solutur.* Respondetur vno verbo, Patres dicere, pœnitentiam esse debere perpetuam, hoc est, quantum ad non repetenda iterùm peccata, seu quoad emendationem vitæ: item suadent id quod melius est, esto non sub obligatione; quòd verò dicant grauiùs debere dolere illum qui grauiùs deliquit, non ex præcepto id dicunt, sed ex congruitate; vel certè loquuntur in ordine ad satisfactionem pro pœna temporali, quæ (vt fusiùs infrà) non extinguitur tota simul sicut extinguuntur culpæ, sed iuxta magnitudinem pœnitentiæ.

Obiectio secunda: Incertum est, an prima contritio fuerit vera, ergo tenear eam repetere.

Secundò obiicies: Valdè incertum est, vtrùm homo habuerit contritionem, etiamsi iudicet ipse se eam habuisse; ergo cùm salus æterna sit tanti momenti; est enim maximum negotium quod homo tractare potest: oportebit vt aliquoties conetur ad similes actus, vt si prima vice re ipsa illam non habuit, habeat saltem secunda, & sic moraliter reddat securam suam salutem. *Solutur.* Respondeo, Hoc argumentum non carere aliqua difficultate, quia reuerà non deberet iudicari graue onus, si homo obligaretur ad ter aut quater procurandam contritionem; nihilominùs dico non esse obligationem hanc; id quod ex Ecclesiæ sensu clarissimè deduco: nam licet illa censeat ex Christi Domini institutione necessarium esse Baptismum necessitate medij ad salutem; non tamen imperat, vt ille sæpiùs repetatur. Certum est autem tam facilè posse contingere in illo deceptionem, quàm in hoc, quod putet homo se habere contritionem, re ipsa tamen illam non habeat. Nam in Baptismo potest esse defectus intentionis in baptizante; potest fortè ex parte materiæ intervenire defectus, si non sit aqua elementaris. Deinde hoc ipsum patet in Sacramento Pœnitentiæ, vbi rationes timendi, ne nullum illud sit, sunt longè plures; Primò, quia potest dubitari, an qui Sacerdos reputatur, sit verè ordinatus: Secundò, an habuerit intentionem: Tertiò ex parte pœnitentis est tota ratio dubitandi, an habuerit actum supernaturalem contritionis, aut attritionis: & tamen Ecclesia non obligat per se vnquam ad secundam confessionem eorumdem peccatorum; ergo ea incertitudo de vera existentia contritionis nó sufficit ad obligandum vt secundò ea habeatur. Ratio à priori est, quia certitudinem physicam non possumus nos habere de nostra iustitia, imò, iuxta Paulum, semper sumus dubij; sufficit ergo, si simus prudenter certi: hoc autem contingit, quando quis se benè reflectendo iudicat se doluisse de peccatis, eò quòd Deum infinitè bonum, quem supra omnia amat, offenderit. Addo tamen, si aliquando contingeret, vt non posset homo sufficienter iudicare se talem actum habuisse, fore tunc obligatum ad eliciendam secundò contritionem aut amorem Dei super omnia.

3 *Si quis non possit prudenter iudicare, se fuisse contritum, tenetur secundò contori. Explicatur locus Ecclesiastici 5.*

Dices præterea: Sapiens Ecclesiastici 5. ait: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; ergo præcipit vt secundò & tertiò simus soliciti de nouo actu doloris & de petitione nouæ veniæ: alioquin metus ille, nisi in ordine ad hunc effectum deseruiat, esset nobis planè inutilis. Respondeo Primò, Non omnia quæ ibi Ecclesiasticus suadet esse per modum præcepti rigorosi, sed multa esse consilium. Respondeo Secundò, In ordine ad hoc monere nę simus sine metu, quatenus de pœna temporali in Purgatorio luęda iustum metum habere possumus. Tertiò: Quia ipse timor potest nos facere cautiores in ordine ad futurum. Quartò, Ne simus nimium præsumentes & irritemus Deum contra nos.

4 *Obiectio tertia:*

Dices Tertiò: Si quando occurrunt memoriæ peccata, occurrat etiam cogitatio de habenda contritione de illis, non potest fieri, vt illa cõtritio omittatur saltem sine peccato veniali (vt ait Cano Relectione de Pœnitentia Parte 4.) qui enim honestus finis potest adhiberi ei omissioni? *Solutur.* Respondeo, Si hæc ratio quidquam probaret, illud sanè, numquam posse omitti vllum actũ bonum, si occurrat illius cogitatio, v. g. amor Dei, actus Fidei, aut aliarum virtutum dicam: enim ego eodem modo, Quis honestus finis potest ei omissioni applicari? Respondeo ergo absolutè: Quando occurrit occasio actus alicuius, qui non est sub obligatione, omissionem illius posse variis titulis cohonestari. possum enim illum omittere, vt alium hic & nunc magis necessarium efficiam: denique cùm supponatur ille non esse sub præcepto, repugnat illius omissionem esse peccaminosam, quantumuis occurrat occasio illum faciendi: potest ergo eo casu cessare vel per puram omissionem liberam, quam ego possibilem alibi dixi, vel per volitionem reflexam, qua quis dicat, *Nolo iam hunc actum elicere, sed illum alium*: potest per indirectum voluntarium, si se occupet homo in aliis actibus diuersis & incompossibilibus cum ea contritione. Non est ergo cur ex hoc capite noua obiiciatur contra dicta difficultas.

Ex his obiter infero, quod & supra fusiùs dixi contra Patrem Suarez, Si obtineatur iustificatio per amorem Dei, non manere obligationẽ eliciendi contritionem, nisi summũ ratione Sacramenti Pœnitentiæ. In quo puncto etiam est contrarius nobis Tanneras, qui num. 43. ait, Lumine naturæ esse notum ei, cui satisfacere ad æqualitatem nõ possumus, deberenos satisfacere eo modo quo possimus accommodatissimo & conuenientissimo: addit etiam non minùs euidens esse, supposito ordine gratiæ, modum satisfaciendi conuenientiorem nullum alium esse, quàm per contritionem perfectam, cùm actus charitatis nihil ex se pœnæ vel molestiæ habeat, & ad Deum veluti ad amicum non vt ad offensum referatur, nec adeò per se ad peccati expiationem ordinetur, ideóque ad exhibendam satisfactionem minimè sit aptus: maximè cùm lege naturali videatur præcipi, vt qui nimio plus sibi indulsit Deum offendendo. etiam aliquid contra suam inclinationem patiatur satisfaciendo, præterquam quòd in offensi reconciliatione primum locũ obtinet cognitio & detestatio offensæ. Hæc ille ibi: in quibus manifestissimus statim apparet consequentiæ defectus, & quem notaui suprà statim ad initium disputationis præcedentis de præcepto Pœnitentiæ: etenim argumentum hoc Tanneri totum quantum respicit contritionem: & verò ipse expressè illam nominat: interim fatetur sufficere attritionem cum

Sententia P. Tanneri quòd licet iustificatus per amorem teneatur ad eam contritionem.

5 *Reijcitur.*

Sacramento, cùm tamen in ea attritione nec sit ratio perfectissimæ satisfactionis, nec sit nobilis ille modus, quo homo potest Deo pro iniuria illata satisfacere, &c. ergo vel argumentum hoc nihil probat; vel certe dari obligationem, non obstante attritione in Sacramento Pœnitentiæ, ad habendam eam contritionem. Quòd si per attritionem intra Sacramentum tollitur ea obligatio rigorosæ contritionis, certè id non alia ratione potest fieri, quàm quia per attritionem deletur peccatum, & homo restituitur in gratiam ac amicitiam Dei; ac proinde nulla est obligatio nouæ satisfactionis; cùm igitur hoc idem obtineatur per amorem Dei super omnia in sententia Tanneri & omnium, non erit ampliùs necessitas habendi contritionem. Dixi, *Nisi quando est obligatio confessionis*, quia ad eam requiritur attritio vel contritio. Hæc quoad defectum consequentiæ in eis argumentis.

Absolutè autem respondeo, N mium planè eis probari, scilicet hominem teneri non solùm ad contritionem vtcumque, sed ad intentissimam quæ potest esse, & ad eam sæpè eliciendam, si homo debet facere quantum potest, & eligere modum perfectissimum; hoc autem manifestè
6 est falsum. Dicendum igitur, Etiamsi fortassis ex natura rei daretur obligatio tanta, casu quo Deus per misericordiam suam non fuisset contentus tam facilè nobis condonare peccatum; nihilominùs eo ipso quòd illud delet per actum amoris sui super omnia, vel ob attritionem intra Sacramentum iam non ampliùs esse obligationem contritionis, quia iam nulla offensa est, pro quia satisfaciamus. Potuisset quidem Deus eam obligationem imponere, vti imposuit post contritionem obligationem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; at cùm id non possit aliunde probari, non debemus nos eam obligationem ponere; certissimum autem est, etsi constet ex Ecclesiæ declaratione obligationem confitendi, esto homo per contritionem acceperit gratiam, nullam tamen esse Ecclesiæ aut sacræ Scripturæ declarationem, quòd homo per amorem Dei iustificatus teneatur contritionem elicere; ergo. Quæ dixi de iustificatione per amorem Dei, à fortiori sunt intelligenda de iustificatione in Sacramento etiam per solam attritionem obtenta: nulla enim tunc est obligatio habendæ contritionis, nisi fortè in hora mortis, ob dicta suprà: & quoad hanc partem consentiunt nobiscum & Tannerus & Suarez, quia, vt dixi, non constat Christum voluisse nos ad id obligare; & (vt benè Suarez notat) si esset ea obligatio, dicere deberemus Sacramentum Confessionis iustificare in voto contritionis: qui modus loquendi planè est in Ecclesia inauditus.

Non negamus etiã iustificatũ teneri ex charitate ad amorem Dei.

Aduerto tamen, nos non excludere etiam post iustificationem obligationem amandi Deum super omnia ortam ex charitate: hæc enim obligatio est communis, etiam his qui non peccauerunt; ac proinde sicuti hi, esto sint iusti, tenentur eum actum elicere, ita & illi, postquam iustificati fuerint, tenebuntur; quando autem & quoties illud præcatum obliget, dixi abbi.

***

SECTIO II

An hoc præceptum obliget statim post admissum peccatum.

QVARIMVS, An obligemur ad faciẽdam pœnitentiam statim commissum peccatum. Hac de re fusè disputat Suarez disput. 15. tota sect. 5. quæ est valde longa: vbi enumerans tria illa capita, ex quibus prius dixerat prouenire obligationem pœnitendi ostendit, nullum ex illis obligare statim. Lugo etiam hanc quæstionem fusè tractat, maximè contra aliquos Recentiores, quos non nominat; quique videntur fortiter agere pro sententia eam obligationem ponente; pro qua refert P. Suarez Guilielmum Parisiensem, Argentinam, Paludanum, Maiorem, Alensem, D. Antonium (qui non designatis locis citat pro se Bonaventuram) D. Tomam & Durandum. Eamdem etiam tenet Caietanus 2.2. quæst. 66. art. 3. & 1. Tomo opusculorum Tractatu 17. item Sotus, Abulensis & Archidiaconus apud eumdem Suarez; Lugo verò citat etiam Marsilium & Sylvestrum. Eamdem quæstionem tractat Tannerus suprà à n. 4. vbi eos Auctores pro affirmatiua sententia citat, atque illam speculatiuè esse valde probabilem; quod vltimum mihi etiam videtur. 7

Affirmatiua est speculatiuè probabilis

SVBSECTIO PRIMA.

Propositis argumentis sententiæ affirmantis statuitur negatiua:

8

FVndamenta ergo affirmantis varia sunt. Primum, quia nemo potest licitè dicere *Ego volo manere in peccato*; ergo ea permanentia est peccatum; alioquin illam positiuè velle non esset peccatum. Secundum, quod in re tanti momenti non debeat homo se exponere periculo morali; quale est occursus mortis antequam possit agere pœnitentiam. Tertium est, quòd peccatum est iniustitia contra Deum; ergo tenetur quis statim satisfacere; sicut qui retinet alienam rem iniustè, tenetur eam statim restituere. Quartum, licet minùs præcipuum, desumi potest ex reuerentia & charitate Deo debita: qui enim potentem aut Regem grauiter offendit, tenetur cùm primùm ab eo veniam petere. Addi Quintum potest ex instantia satis difficili de præcepto correptionis fraternæ; ad quam homo tenetur statim cùm primùm commodè potest; ergo à fortiori tenebitur respectu eam legem seruare se corrigendo, cùm charitas in rebus spiritualibus primò & per se obliget hominem erga seipsum. De his argumentis, quæ sine dubio non carent difficultate, dicemus paulò pòst.

Fundamentũ primum,

Secundum,

Tertium,

Quartum,

Quintum.

Contrariam sententiam negatiuam dicit Lugo iam esse communem inter Theologos, vno vel altero Recentiore excepto; pro qua citat Suarium, qui tamen non adeò communem eam dicit; imò nec multos pro illa refert, nisi Diuum Thomam, qui cùm in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 1. ad 4. addat illud aduerbium, *Præcipuè in hora mortis, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere*; profectò non absolutè negat eam obligationem, sed eam in illis occasionibus magis vrgere innuat. Fateor ex similitudine, quam adducit

Negatiua communis.

duxit Sanctus Doctor in responsione ad secundum, quòd non sit de necessitate salutis corporalis statim Medicum quærere, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similiter sit de morbo spirituali; ex hac inquam similitudine eum videri sentire, non esse statim obligationem agendi pœnitentiam; tamen quia in morbo corporali, si sit grauis, videtur obligatio vocandi Medicum statim vrgere; ideò nec post eam similitudinem iudico D. Thomam clarè stare pro sententia negatiua: pro qua etiam refertur Durandus, Angelus, Medina, Cano, Adrianus & Viguerius: eam tenet Vasqu 2 ar.2. dub.5. Lugo suprà. Tannerus & alij: eam etiam censeo probabiliorem; quam benè probant Auctores citati, Primò ex perpetuo sensu totius Ecclesiæ, quia nec pœnitentes se accusant vnquam de ea dilatione, nisi ille fuerit vltra tempus pro annua confessione ab Ecclesia præscriptum; neque ipsi Confessarij hac de re interrogant pœnitentes, ergo non est talis obligatio: quòd enim Recentiores illi apud Lugo respondent; Id totum procedere ex minùs perfecta institutione pœnitentium & Parochorum, meritò reiicitur à Cardinali, quia hoc videtur esse malè sentire de tota Ecclesia, quæ huiusmodi institutionem negligit agnoscit enim defectum, quia publicus est, & illum non corrigit; hoc autem esset Ecclesiam planè consentire in rem grauiter malam.

Est probabilior. *Probatur Primò ex sensu Ecclesiæ.*

Secundò probatur, quia alioquin vix vnquam liceret ad confessionem accedere cum sola attritione; nam inter peccatum & confessionem semper intercedit tempus, in quo haberi debuisset contritio. Secundò idem grauius olim visum est, quando Ecclesia Catechumenos non permittebat baptizari nisi in Paschate & Pentecoste, in iis autem præsupponebat haud dubiè aliquid peccatum antequam ad Fidem venirent: ergo supponebat eos habuisse contritionem antè, cùm post peccatum fuissent statim ad eam obligati, iuxta sententiam quam impugnamus; ergo supponebat eos tunc non iustificari, sed iam ante iustificatos: ac proinde debebat supponere Baptismum in eis non esse institutum ad regenerandum hominem Deo: id quod planè videtur esse contra sensum totius Ecclesiæ: nihil enim magis commune apud Patres Concilia & Fideles, quàm per Baptismum remitti peccata, & hominem Deo nasci, &c. nam licet non negemus id in multis per contritionem priùs fuisse obtentum, ipse tamen Baptismus hoc non requirit, nec dispositio ad illum necessaria hoc supponit, quia poterant per solam attritionem debitè accedere: id quòd in sententia quam impugnamus non erat ferè vnquam moraliter licitum: quia esto solum Originale illi habuissent, tenebantur de illo statim dolere, aut saltem, quia de illo propriè dolor esse non potest, per amorem Dei super omnia debebat illud deleri ne eo tempore ante Pascha periclitarentur de salute æterna: à fortiori autem ad id obligabantur, si habebant peccata actualia grauia.

Probatur Secundò.

Tertiò,

Tertiò probatur, quia sequeretur semper hominem singulis momentis de novo peccare, quamdiu differt pœnitentiam: quia semper est noua & noua obligatio pœnitendi: vnde vlteriùs deberet semper explicari tempus à quo commissum est peccatum mortale, & quoties homo se reflexisset supra illud: alioquin non posset Confessarius iudicium formare de conscientia pœnitentis: hoc autem iterùm est contra praxim totam Confessariorum & pœnitentium, quia neque hi sunt soliciti, vt dicant à quo tempore commiserunt mortale, de quo se accusant, neque Confessarij ea de re quidquam interrogant. 10

Quartò, sed nec efficaciter.

Quartò & vltimò probari solet ratione à priori quia præceptum pœnitendi est affirmatiuum, quod non obligat pro semper. Hoc tamen argumentum mihi no adeò placet; nam Auctores contrarij non dicunt obligare pro semper., sed tantùm obligare statim postquam commissum est peccatum. Quòd verò Auctores aliqui replicant, non esse vllum fundamentum ad dicendum tempus, pro quo obligat hoc præceptum esse ilud immediatum post commissum peccatum, facilè ab Auctoribus primæ sententiæ soluetur; dicent enim ea quatuor argumenta suprà allata esse fundamentũ. quo ostenditur pro eo tempore esse illam obligationem; & sanè communiter dicunt Auctores præceptum naturale diligendi Deum obligare pro hora mortis, & tamen longè minùs vrgentia argumenta adducuntur pro ea determinatione, quàm sint hæc præsentia, ergo.

Secundò ideò hæc quarta ratio mihi non videtur efficax, quia Auctores affirmantes fundant hanc obligationem in periculo grauis æternæ salutis; hoc est, ne homo per eam dilationem se exponat periculo moriendi non data deinde occasione pœnitentiæ; hæc autem obligatio est negatiua, ac proinde obligat ad numquam manendum in habituali peccato. Quòd verò dicitur, neque esse fundamentum ad hoc asserendum, negabitur ab Aduersariis, quia (vt paulò antè dixi) argumenta illa videntur satis probare, eam obligationem esse negatiuam; vti ob idem periculum (licet longè certius & maius) omnes dicunt hominem teneri in hora mortis agere pœnitentiam; sufficiant ergo tres priores rationes pro ea sententia.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur aliquibus ex obiectionibus.

IAm ad obiecta diluenda, in quo haud parum laborant, qui nostram sententiam tuentur, & quidem Pater Suarez probans (vt dixi suprà) ex nallo trium illorum capitum, vnde desumitur absoluta obligatio huius præcepti, oriri obligationem immediatè post commissum peccatum; Respondet satis fusè argumentis suprà factis. Circa primum autem non omnino dissentè loquitur; videtur enim supponere ex vna parte esse graue peccatum dicere, *Volo manere in habituali*: ex altera verò ait nullum esse peccatum dicere, *Nolo iam pœnitere, sed id faciam suo tempore*: quo etiam modo P. Tannerus respondet; Quia non omnia, inquit, qui vult antecedens vult etiam consequens, nisi hoc tamquam medium per se sit ordinatum ad antecedens: alioquin Deus volens punitionem, vellet etiam peccatum, quod ad illam requiritur: & idem esset de homine volente pœnitentiam: ad quam similiter idem peccatum requiritur. 11

Ad primum respondet P. Suarez & Tannerus.

Ego tamen (vt verum fatear) non capio, quomodo hæ instantiæ adferantur huc; etenim peccatum non est quid consequens pœnitentiam, aut punitionem, sed potiùs antecedens & prærequisitum: vnde quando homo nondum videtur absolutè peccasse, dicunt Auctores communiter non posse Deum efficaciter intendere pœnitentiam aut punitionem, quia inde sequeretur

Non bene.

retur debere intendere ipsum peccatum: de quo nos alibi egimus. At in præsenti permanentia in habituali non est quid antecedens, & præsuppositum ad voluntatem non pœnitendi, sed potiùs è contrario necessariò illa permanentia sequitur ex eo, quòd ego nolim agere pœnitentiam: & quidem suppositò quòd Deus nolit omnino gratis condonare peccatum, per se & essentialiter sequitur ea permanentia, eò quòd ego non agam pœnitentiam: ergo si permanentia illa vt talis est peccatum, erit etiam peccatum hîc & nunc non velle conteri, seu non agere pœnitentiam: quia ex hac carentia sequitur, vt dixi, per se & necessariò illa permanentia.

12 Secundò, cùm ipse Tannerus dicat ex dilatione pœnitẽtiæ sequi permanentiã peccati, non capio quomodo subiungat: *Ac proinde non qui vult hoc posterius, vult etiam prius*: debuisset potiùs è contrario dicere, *Non qui vult prius, vult secundum*: quia hoc secundum solùm per accidens sequitur ex primo. Sed quidquid de hoc, quod forte ex calami errore prouenit, rogo, An permanentia in habituali sit intrinsecè mala, etiam vt condistincta à peccato præterito, ita vt sit ibi noua malitia, an non? Si dicatur primum, profectò cùm ea permanentia sit homini voluntaria, saltem per puram omissionem, deberet in ea peccare de nouo; quia licet non per actum positiuum, per omissionem tamen diceret, *Volo permanere*. Imò in terminis repugnat illam esse peccatum, & tamen non peccare hominem aduertenter non facientem pœnitentiam; vti repugnat non auditionem Sacri esse peccatum, & tamen hominem liberè illud non audientem non peccare (suppono quod clarum est in tali non esse causam excusantem) siue voluntariè directè, siue indirectè, siue per puram omissionem liberè Sacrum non audiet. Quòd si propterea magis placeat dicere, eam permanentiam quà talem non esse peccatum: ergo non solum dicere *Nolo iam conteri*, sed etiam dicere, *Volo in peccato manere vsquequò tenear agere pœnitentiam*, non erit peccatum.

13 *Responsio nostra.* Vt ergo argumento respondeamus distinctione opus est. Duo enim in permanentia peccati habituali quà tali essentialiter includuntur; vnum est præteritio physica ipsius peccati; alterum est carentia meæ pœnitentiæ: (iam non loquor de carentia condonationis, quia non agimus nisi de permanentia ex defectu meæ pœnitentiæ:) hoc suppositò dico hoc secundum, quòd ea permanentia dicit, posse etiam directè amari; quia si nulla est obligatio me hodie ad pœnitentiam cogens: profectò ego dicere sine vllo peccato possum, *Nolo hodie pœnitentiam facere*, facturus eam cras, quando incipiet obligatio. Illud verò primum, scilicet præteritionem peccati, velle non potest homo licitè; quia velle peccatum, seu velle se peccasse, est quasi iterùm peccatum illud committere; non potest ergo dicere *Volo absolutè permanentiam habitualis*, quia hæc secundùm vnam partem dicit ipsum peccatum; vnde nullatenus ad rem nostram infertur, Ergo tenemur statim elicere contritionem; neque item infertur, Ipsum manere voluntariè in peccato adæquatè sumpto, non esse peccatum, quia iam dixi ibi includi peccatum ipsum præteritum: hæc autem præteritio non fit hodie ab homine, ac proinde ille hodie non peccat durans, peccaret tamen amans durationem ex ea parte. Vnde si subtili diuisione præmissa diceret homo, *Quòd peccauerim non mihi placet: & tamen peccato iam suppositò volo non agendo pœnitentiam permanere habitualiter in eo peccato*, nullo modo peccaret; ex quibus tandem iterùm infertur, eo argumento nihil probari, quòd teneamur statim agere pœnitentiam.

Ad secundum, quòd in re tanti momenti, qualis est æterna salus, non debeat homo se exponere periculo mortis repentinæ sine pœnitentia, respondemus, Illud periculum in homine benè valente non esse tantum, vt sufficiat ad tam grauem obligationem imponendam. Neque ex eo, quòd vnus aut alter moriatur sine ea commoditate agendi pœnitentiam, debet obligatio vniuersalis desumi. Quomodo autem hinc non inferatur quidquam contra nostram conclusionem in dubio præcedenti positam de obligatione contritionis aut amoris Dei habendi in hora mortis diximus suprà, ostendentes longè maiorem rationem dubitandi esse ibi quàm hîc. *Ad secundum respondetur.*

Replicabis tamen, Licet ratione eius periculi non obliget statim charitas propria, obligabit saltem ratione damni spiritualis grauis, quod homo patitur; nam sicut occidere seipsum spiritualiter est graue damnum, ideoque homo ex charitate in seipsum tenetur non peccare; ita plenè ex eadem charitate videtur teneri ad non continuandam mortem illam, seu damnum illud. Vrgetur; Si ego haberem in mea potestate & caussare primò, & deinde continuare morbum in Petro; haud dubiè non solùm peccarem caussando illum pro primo instanti, sed etiam de nouo illum continuando pro secundo & tertio, si possem etiam suppositis iam priori existentia efficere ne duraret pro secundo aut tertio, &c. Respondet Suarez & Lugo, Maiorem obligationem esse non inferendi sibi damnum corporale, quàm sit illud statim sanandi; ac proinde potiùs ex hac instantia confirmari nostram sententiam. Id quod declarat magis Cardinalis Lugo, quia qui abscindit sibi brachium vel pedem v.g. causat sibi grauissimum damnum tum ob defectum eius membri, tum ob periculum, quod incurrit de impotentia ad sanitatem recuperandam; hoc autem periculum non augetur per hoc, quòd non statim applicet sibi remedium; quia ea dilatio non caussat incertitudinem restitutionis: tota enim hæc oritur ex prima abscissione manus: & idem potest suo modo dici in febri, dolore capitis, &c. Nam quòd non statim applicetur remedium, non facit illum morbum incurabilem; supponimus enim tam facile fore remedium adhibere cras quàm hodie: vti contingit in peccato. Nam graue periculum æternæ damnationis ob peccatum certum & pœnitentiam incertam, idem est, esto differam aliquantulùm eam pœnitentiam: non enim propterea illa minùs est in mea potestate quàm anteà, ergo ex ea dilatione non incurritur incertitudo; ac propterea in illa non est graue damnum. Hæc tamen solutio duas habet contra se difficultates sat graues. Prima est, quia haud dubiè augetur valdè incertitudo remedij per eam dilationem, non quidem quoad qualitatem ipsius pœnitentiæ (vt hic Auctor benè ostendit;) nam pœnitentia cras facienda non erit minùs aut magis certa quàm facienda hodie; ratione tamen certitudinis vitæ non potest negari, quòd augeatur periculum; nam si, quia est incertum an sim victurus vsque ad mortalem sequentẽ, vt possim in ea pœnitentiam agere, incurro graue periculum *Soluitur à Suario & Lugo.* *Contra quam solutionem est difficultas prima.*

lum:ergo quando ex ea prima morula immediatè transfero pœnitentiam ad secundam aliam morulam,incurro profectò nouum & maius periculum,quia semper sum magis & magis morti proximus:si essem securus de vita,libenter concederem periculum esse idem.

15 *Secunda.* Secunda difficultas est:nam licet homo esset fide diuina certus se acturum pœnitentiam:nihilominùs peccatum mortale esset graue spirituale damnum hominis,quia ipsum deformat & deturpat;vnde etiam homo tunc peccaret contra charitatem in se non quidem ob periculum damnationis (admitto id nunc) sed propter grauem indecentiam, quam secum adfert peccatum; ergo quamdiu quis voluntariè protrahit eam grauem indecentiam (quicquid tam sit,an tunc incurratur incertitudo nécne) protrahit illud malum; ratione cuius in primo instanti fecit contra charitatem in se sibi illud caussando: & hic adhuc habet locum quod dixi, si caussare in hi grauissimum dolorem pro vno instanti est contra charitatem, profectò illum secundo & tertio instanti de nouo caussare erit peccatum nouum.

Respon sio nostra ad repli cam. Respondeo ergo, Quidquid sit de damnis corporis, quæ physicè continuantur (in quibus fortasse erit eadem ratio pro secundo instanti quæ pro primo)in peccato tamen aliam longè rationem esse;nam permanentia habitualis non est continuatio peccati aut damni,vti continuatio physici doloris est continuatio eius damni; & cõtinuatio cæcitatis est propriè continuatio eius damni, quod fuit in primo instanti: hoc enim modo sola continuatio ipsa libera peccati actualis protrahit malitiam, quæ sine dubio auget de nouo æqualiter illud peccatum,quoties est noua libertas; vti è contrario libera continuatio boni operis auget meritum; de quo fusiùs Tom.3. Non hoc modo protrahitur malitia per durationem peccati habitualis;in eo enim permanentia culpæ denominatur per solam denominationem extrinsecam ab actione præterita: & licet de facto Deus odio habeat hominem in habituali manentem, non tamen,eò quod nunc malè operetur;vt patet quando dormiens manens in habituali odio haberur à Deo,sed quia tunc odium durat propter malam operationem præteritam:dum ergo in habituali dormit quis, est quidem reprehensibilis, non tamen quia dormiens faciat aliquid contra rationem, aut quia malè operetur,sed quia malè operatus fuit; non ergo infert sibi nunc vllum damnum,sed intulit. Tota ergo indignitas & indecentia illius damni fuit in fieri ipsius peccati: iam autem quòd odium Dei in me diutiùs duret aliquantulùm,eò quòd non ago pœnitentiam, non est grauis indecentia, ac proinde non teneor ad illud statim per pœnitentiam auferendum.

16 *Replica secunda:* Replicabis:Saltem mors ipsa animæ per carentiam gratiæ continuatur propriè physicè quamdiu maneo in peccato,quia semperà noua & noua carẽtia gratiæ semper succedit:ergo si peccatum propter carentiam gratiæ quam infert in primo instanti,iudicatur inferre graue damnum, ideoque ego tunc pecco contra charitatem in me,profectò in secundo instanti,cùm continuẽ eam carentiam gratiæ,augebo de nouo malum etiam physicè, & tandem nouum committam peccatum.Respondeo,Physicam ablationem gratiæ, si consideretur tantùm ad tempus,non debere iudicari graue damnum; vnde si haberet quis potestatem physicè eam in se destruendi, & deinde recuperandi, non putarem eum peccaturum, si eam ad tempus in se destrueret (vt bene dixit Lugo etiam non peccaturum eum qui licet posset statim frui visione beata,id tamen libere ad vnum vel alterum annum differret (Ratio vlterior esse potest:nam in carentia bonorum procuranda, aut non caussanda, non tam facilè reperitur peccatum, quàm dum mala positiua voluntariè quis incurrit.Sic in omnium sententia,& planè ab hoc puncto independens,quantumuis ipsa gratia habitualis sit maximum hominis bonum, ac proinde augmentum illius sit etiam bonum maximum, iuxta illud principium, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*: si enim gratia vt octo est magnum bonum,profectò duplicatio illius erit duplo maius bonum:non tamen propterea negligere voluntariè illud augmentum est peccatum:alioquin quoties omitterem actum bonum aut intensionem illius, quo augere possim eam gratiam,peccarem graui:quod tamen falsissimum est:nam etiam sine veniali peccato possunt omitti opera consilij & multiplicatio actuum bonorum,quibus[merediter augeri haud dubiè posset gratia habitualis,& per illam beatitudo.Constet igitur ex eo, quòd ad tempus protrahatur ea gratiæ carentia, non sequi nouum peccatum in homine:ac proinde non ideò obligari nos ad faciendam statim pœnitentiam post peccatum.

SVBSECTIO TERTIA.

Replica contra dicta:vbi, An ex periculo de nouo peccandi oriatur obligatio agendi cùm primùm pœnitentiam.

17 *Replica.* REplicabis: Qui in peccato est, si non agat statim pœnitẽtiam,certò cadet iterùm in alia noua, iuxta communem Theologorum sententiam,quòd homo peccator non possit diu resistere tentationibus:ergo saltem ratione huius periculi non poterit ex charitate propria differre pœnitentiam. De argumento hoc agit Suarez à num.11. vbi probare vult ex Concilio Milevitano can.3. gratiam habitualem esse necessariam vt vitemus peccata. Nihilominùs non iudico vllo modo hunc locum ad rem nostram: nimis enim multum illo probaretur, scilicet peccatorem simpliciter non posse nec quidem vnum mortale vincere:id quod est præter mentem omnium Theologorum:nam alioquin peccator iam non peccaret,quia si careret simpliciter potentia ad vitandum peccatum, careret libertate:sine qua non est peccatum.Concilium autem non solùm dicit non posse sine iustificationis gratia peccatum vinci facilè,sed absolutè & simpliciter. Et verò etiam facilè vnam vel alteram tentationem vinci posse sine gratia habituali per auxilia ordinaria gratiæ fatentur omnes:& experientia sæpè deprehenditur aliquos in vno solo mortali ad multos menses mansisse: debet ergo Concilium explicari, vt intelligat nomine *gratia iustificationis* auxilia & gratias, quæ ad iustificationem ordinantur.Per hoc tamen non nego ex communi Theologorum illã propositionem, quòd scilicet Deus per se non det auxilia cõgrua longo tempore peccatori ad noua vitanda peccata,ac proinde vrget obiectio posita. Respondeo ergo cum eodem Suario & aliis, *Solvitur.*

Solvitur.

alias, Non constare quàm breue sit illud tempus, vltra quod sine gratia habituali non potest peccator vitare nouum mortale; ideoque non oriri ex hoc capite obligationem nisi summùm non differendi eam pœnitentiam ad longum tempus; potest autem fortasse iudicari vnius anni spatium non esse longum, idque esse ex mente Ecclesiæ non obligantis ad citiùs agendam pœnitentiam. Secundò respondeo, Cùm gratia habitualis per se & per suos habitus non faciliter hominem ad operandum, de quo diximus alibi fusè, ex defectu illius proximè & immediatè non reddi difficiliorem fugam noui peccati, gratiæ verò auxilia actualia Deus non denegat peccatori maximè fideli ad resistẽdum.

18 Solùm ergo potest oriri ille lapsus ex eo, quòd Deus beneficium illud dandi auxilium congruum seu efficax ad resistendum non faciat nisi iusto; hinc autem nulla omnino sequitur necessitas ad pœnitendum; nam (vt ex doctrina Societatis suppono) auxilium efficax à sufficienti nondiffert nisi ex futuritione conditionata præuisa per scientiam mediam: hæc autem futuritio non facit in actu primo suauiorem aut faciliorem effectum; vnde ille qui cadit potest esse tam facilis in actu primo ad resistendum, quàm qui vincit; ergo ex hoc capite qui pœnitentiam differt, non se reddit difficiliorem in actu primo ad vincendam tentationem; non ergo habet ex hoc capite vllam obligationem pœnitentiæ; alioquin etiam teneremur sub mortali ad vitanda venialia ea de causa, quòd Deus sæpè propter illa negat auxilia congrua ad vitanda mortalia. Ratio à priori est, quia non teneor ego Deum obligare vt mihi faciat beneficium speciale; sed solùm teneor illum non offendere. Adde, eam negationem auxiliorum efficacium magis esse ob præcedens peccatum quàm ob perseuerantiam; licet hæc sit aliqualis conditio.

Doctrina Cardinalis Lugo, cur peccator difficulter vitet peccata.

Cardinalis Lugo ea sect. 4. conatur in intrinsecam volũtatis inclinationem reducere eum lapsum in peccatum, quãdiu pœnitentia differtur; quia ea est natura & prõpensio nostri arbitrij ad propria commoda, & ad bona sensibilia, vt nisi violentia sibimet facta, & repetito desiderio efficaci salutis æternæ ac boni increati, resistere tentationibus contra legem Dei non possit; vt apparet in antiquis Philosophis; ille ergo qui admisso semel peccato mortali auertit se ab amore vltimi finis, conuertitque affectum suum ad bona sensibila, facilè labitur in alia peccata, quamdiu non reformat suum affectum, eumque ad vltimum finem non conuertit; non quia desint ei vires ad resistendum, sed quia modus aptior ad resistendum est per efficacem affectum ad bonum increatum. Quòd si dicas, Eum affectum ad sensibile bonum sufficienter corrigi per actum attritionis, qui tamen ad iustificationem non sufficiat; respondet, Moraliter non contingere, vt qui habet eam attritionem, non se vlteriùs disponat ad iustificationem vel per Sacramentum vel per contritionem. Hanc obiectionem & responsum fusè iterùm repetit à num. 244. hanc tamen obligationem non condistinguit ab obligatione seruandi reliqua præcepta.

19 *Examinatur, circa quam est difficultas prima,*

In hoc tamen puncto aliqua video difficilia; Primò, qui si homo habet vires morales ad resistendum tentationibus per actum amoris Dei aut contritionis vniuersalis; profectò à fortiori poterit resistere per alterum actum, quo dicat, *Nolo me inebriare*; id quod optimè Suarez notauerat; quia enim non videat longè facilius esse etiam pro homine ad bona sensibilia propenso dicere, *Nolo furari*, quàm dicere, *Nolo vllum omnino peccatum mortale committere, etiamsi ipsum infernum deberem propter hoc pati.* Neque est ad rem, quòd nobilior sit modus vincendi per illum affectum amoris Dei quàm per alterum particularem: inde enim non infertur illum esse faciliorem; de quo solo puncto nunc agimus; imò sequitur esse longè difficiliorem, quia plus includit quàm alter modus minùs nobilis, ergo si aduenient tentatione etiam ille, qui pœnitentiam distulit, potest resistere per amorem Dei super omnia, non tenebitur anteà pœnitentiam agere, nec etiam tunc, quia faciliùs poterit eo amore omisso resistere; & (vt verum fatear) non capio, quomodo ex propensione nostri liberi arbitrij ad sensibilia inferatur, nos non posse vnum peccatum vincere, & tamen possimus omnia fugere, & amorem Dei super omnia habere: ergo ad rem præsentem nihil iuuat illa pœnitentia.

Secunda difficultas, quam in hac doctrina video, est, eam non esse specialem necessitatem pro eo qui peccauit præ iustis omnibus; nam & hi habent arbitrium propensum ad sensibilia bona; ac proinde etiam debebunt ex hoc capite aduenient occasione peccati habere eamdem necessitatem eliciendi actum amoris Dei. At nos hìc solùm agimus de obligatione speciali illius qui peccauit præ iustis. Potrò eamdem esse rationem de iustis mihi videtur certissimum. Pone hominem qui ex aliquo graui timore ante mensem iurauit falsò, iam verò est eius peccati planè oblitus, ac si nihil effecisset; neque vllum aliud habet peccatum graue; pone etiam alium hominem, iustum tamen, vtrumque ex se æquè ad comedendum inclinatum; occurrat occasio ieiunij, cur quæso in hoc genere peccati difficiliorem se sentiet ille, qui ante mensem iurauit, quàm hic alter; Certè habitus iurandi directè non inclinat ad comedendum, vt per se est notum, Indirectè autem, quatenus qui semel vnum peccatum commisit, faciliùs nunc admittet alterum, etiam in tali casu non inclinat, quia id non potest non fieri, nisi ille sit memor se iam admisisse vnum peccatum; propterea supposui illum esse immemorem sui iuramenti falsi. Non loquimur nunc etiam de auxilio fortiori, quod Deus subtrahere potest ratione peccati; de hoc enim paulò antè; sed de maiori facilitate intrinseca ex minori propensione adiciunium; in quo puncto planè non est explicabile, quare maiorem vnus quàm alter habeat inclinationem, maximè cùm (vt suppono) habitus supernaturales, quos habet iustus præ altero, non inclinent, nec faciliteat ad actus, ideoque neque ex hoc capite possit vlla sumi differentia.

Secunda,

Tertia difficultas circa hunc discursum est; nam si bonus est, illud maximè probat hominem teneri statim ad pœnitentiam post peccatum commissum; nam habitus ille vitiosus relictus ex vnico illo iuramento falso (si tamen vnicus actus habitum producit; de quo alibi) maximè inclinat, quò recentior est: habitus enim, siue quia reuera pereunt otio, vt ego puto, siue quia (iuxta alios Auctores) obruuntur per alios actus certissimum tamen apud omnes est minùs inclinare successu temporis quàm dum recentiores sunt; ergo maximè tenebitur homo statim pœnitentiam agere, vt eam inclinationem tunc corrigat,

20 *Tertia,*

rigat, quando maxima est ; minùs autem obligabitur deinde, cùm successu temporis per se langueſcit, & debilis redditur, vnde cumque hoc prouenit, vt dixi ; consequens autem est omnibus contrarium; nam omnes dicunt ratione eius periculi non esse vllam obligationem faciendi statim pœnitentiã,quia ad breue tempus potest vitare noua peccata etiam peccator ; ergo etiam ex ea propensione nihil infertur.

Quarta, Denique quòd dicitur,eum affectum relictum ex peccato non toli sufficienter per actum attritionis,aut hunc non posse diu durare,nisi cogat ad contritionem,aut ad Sacramentum Pœnitentiæ, habet magnam difficultatem;etenim habitus ille naturalis iurandi primo eo actu aequitus tolli potest per actum contrarium, quo nolit iurare falsò vnquam, esto non ponat nisi motiuum aliquod indifferens,aut venialiter malum;ergo nec quidem rationabiliter dicitur casu necessaria : quòd si tamen ea sit,non stari in cogit ad iustificationem procurandam,si ea duret physicè per multos dies, fortasse id præstaret;at si semel habeatur post peccatum commissum, & deinde solùm maneat habitualiter, non video vnde obligare deinde debeat ad contritionem: actus enim iam non existens quomodo coget voluntatem ; Non est ergo ex hoc capite noua obligatio ad pœnitentiam deuenendam,nisi forte habitus vitiosi sint valdè intensi,tunc enim sine dubio grauior erit inclinatio, at hoc totum est per accidens ad rem nostram, quia hi habitus possunt etiam manere in iusto,vt sunt in inueterato peccatore recenter conuerso,& e contrario potest homo esse in peccato sine talibus habitibus intensis.

21 Reiicitur confirmatio. Lugo. Vnde confirmatio quam hic Auctor addacit pro suo intento, minùs est bona:ea desumitur ex experientia, qua videmus hominem, qui ardenter vel honorem vel corporis voluptates insectatur,etiamsi dolore aliquo remisso peccatum in confessione retractauerit, posteà tamen data occasione honoris aut voluptatis facillime relabi propter vehementiam affectus,quem in confuso tantùm retractauit.Vnde addit,nos non audere huiusmodi hominibus in confessione distinctè proponere pericula & tentationes quæ occurrere possunt ; quandò ergo magis necesse erit humano modo eos iterùm relabi, qui nec quidem eo modo remisso retractarunt suum peccatum per vllam actum pœnitentiæ;ergo tenetur homo hanc non differre valde diu propter obligationem seruandi reliqua præcepta. Dixi hanc confirmationem non esse bonam;Primò, quia ea non tam fundatur in peccato,quà purè habituale est, de quo nunc agimus, quàm in magna intensione habituum vitiosorum : quæ duo sunt inter se inuicem separabilia;nam,vt ostendi;potest homo esse in peccato habituali ob actum vincum, qui fortè nullum habitum inclinantem reliquit ; quia vnus solus actus non generat habitum, aut certè adeò remissum, vt statim euanescat, si eliciatur actus alias ei contrarius, esto non sit attritio cum contritione ; è contrario itè possunt esse vehementissimi habitus inclinantes ad peccatum sine peccato habituali & sine obligatione agendi pœnitentiam de qua præcisè nos hic agimus, vt constat in hoc ipso exemplo de quo agimus;illa ergo obligatio pœnitentiam agendi non rectè fundatur in ea proclinitate hominis ad peccandum.

SVBSECTIO QVARTA.

Respondetur aliis duabus obiectionibus.

TErtia desumebatur (vt suprà vidimus) ex eo, quòd peccatum sit iniustitia contra Deum,ideoque statim obliget ad satisfactionẽ. Huic putat Cardinalis Lugo non posse aliter respondeti,quàm negando peccatum esse veram & propriam iustitiam contra Deum.Ego tamen iudico per hanc solutionem neque satisfieri adæquatè argumento, neque pro resolutione necessariam tradi doctrinam : etenim hic Auctor licet dicat non omnia peccata esse iniustitiam contra Deum,id saltem admittit in multis : in illis autem habet locum obiectio posita, cùm Theologi,vniuersaliter loquendo,de nullo peccato præ alio dicãt esse obligationem peculiarem statim faciendi pœnitentiam, sed vniuersaliter de omnibus discurrant. Quòd verò necessaria ea doctrina non sit pro argumenti solutione, constat ex dictis à me Tomo 1. disp.3.n.42.vbi tetigi simile argumentum, quod fieri potest ad probandum peccata non esse iniustitiam contra Deum:respondi autem illi ex P.Hurtadi doctrina Tomo 1. in 3. Par. disp.12. à §.95. dixique obligationem statim restituendi aut satisfaciendi omni ex damno, quod per se patitur dominus quamdiu priuatur re propria;redditur enim illi impossibilis vsus illius,ac proinde tenemur statim restituere:quod idem est,si alteri iniuriosi in fama aut honore; teneor enim malam illam opinionem de tali persona à me in alios causatã & adhuc durantem auferre statim : quia quòd illi diu iudicent falsè me esse iniquum,est malum meum,ac proinde debet ille,qui hoc causauit, procurare cùm primùm vt restituat mihi eum honorem.Vnde si apud alios ingenerassem ego malam opinionem de Deo, teneret haud dubie statim procurare, vt illi reuocarent malum eum conceptum.Quando ergo è contrario ex iniuria Deo illata nullam aliud damnum extrinsecum ipsi secutum est,quàm quòd ego fuerim in illum irreuerens,tunc non est obligatio satisfaciendi statim : id quod (vt dixi) pulchrè P. Mandoza deduxit,& ego aliquid antea dixeram Tomo 6.Posseteque hæc res adhuc vlteriùs sic declarari : Nam obligatio nostra est(vt iam supponimus) tantùm ad semel habendam contritionem,aut amorem Dei:per hoc autem,quòd ego potiùs hodie quàm cras efficiam illum amorem, nihil plus minusve do Deo, quia semel tantùm pro vnica vice erat habiturus illum: attento autem præcisè iure iustitiæ non videtur esse res grauis momenti, quòd hodie detur vel cras,maximè cùm Deus qui ab æterno æqualiter videt res futuras hodie ac heri existentes, ideoque æqualem per totam æternitatem habet voluptatem ex bono opere, quod præuidet futurum post mille annos,ac quod vidit futurum ab initio mundi:ergo nihil omnino fit in damnum ipsius ex dilatione eius satisfactionis.At in rebus quæ habent vsum continuum,& respectu hominum sunt bonæ,pallium,agri,pecunia,&c. sine dubio ea dilatio est nociua,quia & impedit partem vsus aut opportunitatem vtendi iuxta placitum : ideoque dilatio est contra iustitiam, nisi dominus illius rei cedat suo iure in eam accelerationem institutionis aut satisfactionis Restat tamen adhuc respectu Dei alius titulus, vnde contra nostram doctrinam probari videtur ea obligatio statim agendi pœnitentiam;is autem

22 *Ad tertiam respondet Cardinalis Lugo:*

Sed reiicitur.

Responsio nostra.

Quando teneamur statim satisfacere.

23

Ad quartã an falsum rationis obscuritatis in Deum teneamur statim pœnitere:

tem est charitatis in ipsum: est enim contra amorem ipsi debitum velle permanere in inimicitia ipsius; vti filius qui parentem graviter offendisset, si nollet citò ab eo petere veniam, eique reconciliari, censeri prudenter deberet graviter de novo parentem offendere. Confirmatur Primò, quia si quis Deo aliquid dicenti non statim crederet, graviter peccaret; supponimus adesse motiva sufficientia ad credendum; ergo Secundò, si quis Regi sibi occurrenti non statim debitam reverentiam exhibeat, peccabit contra virtutem religionis, ergo eodem modo, qui postquam Deum offendit, non eum statim amat, & ab eo petit veniam, eique honorem debitum defert,

24 iam eo ipso illum iterùm offendet. Confirmatur Tertiò; nam si quis peccat peccato infidelitatis, tenetur statim iterùm credere, iuxta probabiliorem sententiam; ergo eodem modo tenebitur, postquam cecidit ex amicitia Dei, iterùm statim ad eam redire. Respondeo negando eam dilationem esse contra amicitiam Dei; est quidem præter amicitiam, non tamen contra eam, quia amicitia vt est præceptum negativum, tantùm obligat ad non offendendum amicum; quando autem data est iam semel contra illam rationis regulam offensa, cùm per dilationem illius non detur amico novus disgustus, aut nova illius occasio, non fit etiam contra regulas amicitiæ, nisi forte quis vellet semper manere in ea inimicitia habituali; qua parte verò amicitia est præceptum affirmativum, non obligat pro semper; deberetque aliunde ratio adduci ad probandum, quòd obliget statim post commissum peccatum: quamdiu enim sine vlteriori fundamento affirmatur id esse contra charitatem in Deum, eadem facilitate à nobis negatur.

Responsio negativa.

Replicabis; Ideò dare causam offensionis est peccatum, quia causso in amico molestiam illam, quæ est in ipsa offensione, & quæ est quoddam malum illius; atqui per dilationem pœnitentiæ efficio, vt continuetur in amico illa offensa, & illa displicentia, & illud malum; ergo novum peccatum committo in illa dilatione. Vti si caussarem aliquid, ex quo Ioanni sequeretur grauis dolor pro instanti A, v.g. profectò si cum nova libertate ego protraherem illam caussam doloris ad instans B, haud dubiè de novo peccarem. Respondeo, Me non facere contra leges amicitiæ propriè, eò quòd caussem in amico odium mei, quodque sit ipsi amico malum; nam odium mei non est malum amico, sed mihi: ipse enim concipit liberè illud odium, & per ipsum me potius punit; ergo ex hoc capite potiùs deberet, dici quòd in me protraho malum, non in amico; ideò ergo est malum, amicum offendere, quia ipsamet offensa est malum illius, sicut peccatum meum est Dei malum extrinsecum: at odiũ, quo me prosequitur, non est ipsi malum, vt dixi. Fateor frequenter inter homines non solùm sequi in offenso odium contra offendentem, sed aliquas afflictiones, quæ causare solent molestiam sat grauem ipsi offenso: id tamen est per accidens ad rationem amicitiæ, quia ille dolor fortè sequitur ex alijs capitibus, quia v.g. ipsum offendẽtem iudicabam ego mihi necessarium & vtilem: id quod ad amicitiam non spectat: quando enim alter redditus est indignus mea amicitia ego possum illũ odio habere sine vlla mea molestia. Neque propterea sequitur etiam posse in perpetuum me non cogitare de eadem amicitia recuperanda, quandoquidem per hoc, vt diximus, non datur offenso occasio alicuius malì in se continuandi: hoc inquam non sequitur, quia ille ipse contemptus, quòd amplius planè eum non curem est moraliter nova offensa dans fundamentum novi odij. Dilatio autem aliqualis in satisfactione exhibenda non est contemptus, ac proinde non est nova offensa, neque continuatio physica illius.

Replica. Permanentia in peccato caussat in Deo longiorem displicentiã, ergo tenetur statim punire.

25 *Soluitur.*

Odium peccatoris non caussat in Deo aliquam afflictionem.

Ad instantiam de filio, qui de novo parẽtem offenderet, si ei statim placari non curaret, respondeo, Homines frequenter, eò quòd offendens non petat statim veniam, iudicare, adhuc ei placere offensam, & consequenter eum manere in actuali illius physica conseruatione: id quod maximè parentes possunt sibi de filiis persuadere: cùm enim filius facilè possit obtinere à parente veniam, si se humiliet, ostendit profectò, dum id negligit, sibi adhuc placere datam offensam. Vnde faciliùs ex hoc capite quasi indirectè admitterem inter homines esse obligationem statim satisfaciendi, quàm in Deo, qui corda hominum perfectè nosci; ac proinde dum videt iam hominem omnino cessasse à volitione libera peccati, non habet nouam circa illum displicentiam, eò quòd aliquandiu maneat in peccato habituali pute pute accepto.

26

Faciliùs posset concedi in humanis obligatio statim satisfaciendi quàm in diuinis.

Confirmatio. ni suprà posita ab instantia in Fide respondet Lugo.

Secunda instantia de Fide est aliquantulò difficilior. Ex duobus capitibus Lugo assignat disparitatem inter eam & nostrum casum: Primò quod Fides sit magis necessaria ad bonos actus vnde necesse est eam cùm primùm recuperare. Secundò, quia Fides est quidam cultus intellectualis, quo diuinam veracitatem & auctoritatem colimus eo modo quo coli debet, scilicet credendo id quod per se immediatè vel per suos ministros ac nuntios nobis reuelat: esset autem irreuerentia, si Regi mihi aliquid narrati non statim crederem, sed assensu suspenso abirem. Quòd si vlteriùs vrgeas, Etiam bonitas diuina videtur exigere vt eam statim amemus: respondet Cardinalis, Disparitatem esse magnam inter charitatem & Religionem: nam cultus exigit, vt quando quis occurrit Regi, aut parenti, ei exhibeat reuerentiam & honorem: at Charitas non exigit, vt quando quis venit in conspectum alterius, illum amet.

Hæc disparitates etsi plausibiles sint, habent tamen plus de genere exornatiuo quam de scholastico rigore. Nam reuerà eodem modo ego dicam, de ratione maximæ alicuius pulchritudinis, & ex se exigentis tantum amorem, quantum excellentia exigit cultum, esse, vt cùm de novo venio in conspectum eius pulchritudinis, eam iterùm amem: gratis enim dicitur me tunc obligari ad nouum cultum, non tamen ad nouum amorem: cur enim excellentia de novo cognita petet cultum nouum, & infinita pulchritudo & honestas de novo cognita non petet nouum amorem: Vt verò id clariùs intelligas; aduerte, etiam præceptum Religionis non obligare ad hoc, vt quoties sum in præsentia alterius (cui alioquin debetur honor) ego illum colam, sed solùm requirere, ne aliquid faciam quod sit contra reuerentiam ei personæ debitam. Hinc fit, vt etiãsi agnoscam me vbique esse coram Deo; non continuò tenear exercere actum Religioni, etiam quando primò id agnosco, & quando secundò, aut tertiò, aut quartò de novo id mihi occurrit: vnde nec quando è somno excitor, esto me reflectam tum me iterùm quasi in conspectu esse Dei: non teneor exercere actum adorationis:

27

Sed inefficacitur. Ad quid obliget Religio.

idem

idem dico etiam coram imaginibus. Fateor quidem inter homines esse assignata quædam tempora,aut occasiones,in quibus si homo Regem, aut Imperatorem,aut alias personas non colat, censeatur positiuam irreuerentiam admittere; coram illo etiam debere me esse perpetuò detecto capite,aut non sedere,&c. At id nimis multum in nobis respectu Dei probaret,scilicet debere nos perpetuò esse in actuali adoratione ipsius;id quod est extra mentem horum & omnium aliorum Auctorum.Ratio à priori est,quia hæ actiones in hominibus non tam vsurpantur per modum cultus & adorationis quàm per modum signi inferioris meæ conditionis, & longè à Regia distantis. Vnde aliqui, qui sunt me in altiori honoris gradu,etiamsi alioquin & ipsi teneantur colere Regem vti ego, possunt tamen vel tegere,vel sedere coram illo; hæc autem respectu Dei nullo modo vrgent, quia distinctio mei à Deo aliunde est satis clara, ideóque non obligat nos cultus Dei ad eliciédos huiusmodi actus adorationis, quoties quasi de nouo sumus in ipsius conspectu:ergo ex eo quòd Fides sit cultus Dei,nihil planè infertur de ea obligatione, Quod verò dicebatur in prima ratione de necessitate maiori actus Fidei etiam non vrget: nam inde summùm posset probari,quòd teneret de nouo credere, quando occurreret ea necessitas efficiendi actum supernaturalem, pro quo ille Fidei esset necessarius:ea autem necessitas non tam citò occurrit; nam ad implenda ordinaria præcepta naturalia non requiritur actus supernaturalis in substantia, & pendens à Fide: ergo adhuc vrget ea instantia ex actu Fidei.

28

Reijcitur prima disparitas Lugo

Responsio ad 1ma,quia qui non credit statim,iudicat Deum esse mendacē.

Fortassis responderetur facilius,si diceremus, qui discredit Deo dicenti, eo ipso illum saltem implicitè iudicare mendacem: est ergo tunc apud eum hominem Deus in mala opinione,& habet,vt sic dicam, amissum suum honorem; ergo tenetur homo ille deponere cùm primùm eam malam opinionem de Deo;nam si dixissem ego alteri Deum esse mendacem, & ille hoc credidisset, sine dubio tenerer ego statim procurare, vt ille eam falsam opinionem de Deo deponeret: ergo si ego in meipso illam concepi, teneor illam statim deponere:totum enim damnum extrinsecum,quod patitur Deus, si Petrus illum iudicet esse fallacem, patitur, si ego idipsum iudicem: teneor ergo statim ego deponere eum malum conceptum: non possum autem illum deponere, nisi iudicando illum vera dixisse; hoc autem ipsum est iam illi credere; ergo. Non ita contingit in aliis peccatis, quia per illa non sentio malè de Deo: ac proinde esto statim pœnitentiam non habeam, non patitur quidpiam apud me bonum Dei nomen & fama: ergo etiamsi tenear hæresim aut infidelitatem statim abiurare, non tamen teneor agere pœnitentiam statim de quolibet peccato.

SVBSECTIO QVINTA.

Satisfit instantiæ de correptione fraterna.

29 QVinta obiectio est ex ea instantia de correptione fraterna:circa quam valdè multa dicuntur ab Auctoribus, quæ examinat Suarez disp.18.sect.5.& Lugo sect.11. à num. 205. ad 215.& Vasquez quæst. 86.art.2. dub. 5. vbi hic Primò refert solutionem Adriani & Medinæ asserentium, nos non teneri statim ad correptionem proximi; vnde facilè inferunt hi duo, nec teneri nos ad correptionem nostram statim seu ad pœnitentiam; Canus, quem Vasquez & Lugo sequuntur, reiicit hanc solutionem,quia correptio proximi data opportunitate non potest differri. Ego tamen (vt verum fatear) non video qua consequentia Vasquez & Lugo eam solutionem Adriani reiiciant, cùm ipsi paulò post absolutè respondeant, non esse obligationem corripiendi proximum statim, sed quando posteà occurret periculum committendi nouum peccatum:hoc enim tempus Adrianus & Medina dicere possent esse eam opportunitatem pro correptione:ac proinde ea solutio videtur planè relabi in solutionem Vasquez & Lugo, nisi fortasse Adrianus putauerit eam correptionem ordinari ad hoc, vt proximus exeat ex peccato; Vasquez verò tantùm ad impediendum nouum peccatum. Hæc tamen differentia in rigore non est ad rem præsentem, quia iam solùm dicimus non esse necessarium statim corripere proximum,ac proinde nec nos ipsos: quidquid verò sit de hoc puncto,

Reijcitur à Vasquez & Lugo inconsequenter.

Secunda solutio

Secunda solutio sit Cani apud Vasquez docentis,nos non esse dominos sed custodes bonorum proximi:ac proinde debere illum statim corripere,non verò nos ipsos.Hæc solutio meritò reiicitur à Vasquez:nam (quidquid sit de iustitiæ obligatione)saltem ratione charitatis,quæ æquè obligat me ad attendendum meis bonis spiritualibus sicut ad bona proximi, imò multò magis ad mea, tenebor efficere, ne damnum spirituale in me duret, si ex eadem charitate obligor ad illud in proximo non permittendum.Addo ego, nos in rigore non esse propr è dominos bonorum corporalium & spiritualium, etiam nostrorum: habemus quidem dominium physicum, quia physicè possumus ea producere aut destruere; sicut possum destruere pallium Petri v. g. quod apud me habeo. At non video ego, cur licitè magis, etiam intrà terminos iustitiæ, possim mihi mortem spiritualem inferre quam proximo: & similiter dico, nec nos esse verè dominos nostræ vitæ temporalis,de quo puncto alibi.

Reijcitur.

Adducit Canus vnam instantiam,quæ multis facessit negotium,ait enim: Si ego videam bouem proximi iacentem in fouea, & possim illum extrahere,teneor id facere,si tamen meum bouem videam, non teneor:ergo magis obligor circa proximi bona quàm circa mea.Vasquez ad hanc instantiam respondit, eamdem esse rationem de meis & proximi bonis:nam si proximus videat suum bouem iacentem, & id toleret; ego etiam non teneor extrahere,sicut nec meū. Lugo reiicit hanc explicationem Vasquez quia inde sequeretur nullam esse obligationem correptionis fraternæ; quia proximus voluntariè peccat.Facilè tamen Vasquez responderet; Se per eam doctrinam solùm voluisse ostendere instantiam à Cano allatam ex differentia illa circa meum & alienum bouem,nihil valere; quia eadem est obligatio circa vtrumque:per hoc tamē se non obligauit Vasquez ad dicendum,non teneri nos corripere proximum, etiam quando voluntariè aliquod malum incurrit;est ergo sufficienter explosa ea instantia Cani à Patre Vasquez Eidem instantiæ respondit aliter Suarez num.31.admittendo pro argumento, esse eam obligationem maiorem curandi alienum boue; (quod tamen non iudicat absolutè verum;) ne-

38

Replica

Soluitur: bene à Patre Vasquez.

Et à Patre Suarez.

Prima solutio.

quæ cuilibet seorsum non confitebantur.

Vna adhuc pars argumenti secundi restat ex incertitudine vitæ, quæ etiam videtur esse magna; dico tamen eam non esse tantam, quantam immediatè ostendimus circa confessionem, quia ex pluribus longè capitibus hæc desumitur, illa autem in homine bene valente non est est tanta.

29 *Obiectio tertia:*

Tertiò obijcies; ergo teneretur homo repetere contritionem, quia certius est Sacramentum confessionis cum sola attritione causare gratiam, quàm quòd fuerit vera contritio ea quam primò elicuit: iam autem diximus suprà, nos ad eam repetitionem nequaquam obligari. Respondeo, Hoc argumentum supponere, quòd nos fundemus eam obligationem in incertitudine sufficientiæ attritionis: id quod non facimus: sed in altera, quam iam dixi esse maiorem quam in homine prudente sit circa hoc punctum: Vtrùm reipsa fuerit contritio ea quam habuit. *Solvitur.*

Obiectio quarta:

Vltimò denique potest obiici: Eadem incertitudo esse potest in Baptismo: & tamen Ecclesia non solum non obligat ad illum secundò susscipiendum, sed id positiuè prohibet: & tamen est Sacramentum necessarium necessitate medij ad salutem infantis: ergo. Respondeo, Incomparabiliter minorem esse rationem dubitandi in Baptismo quàm in nostro casu. Nam pro Baptismo conferendo quælibet persona est capax: nec possunt esse illæ innumeræ circumstantiæ, ex quibus potest non esse in me validum Sacerdotium. Deinde ex parte infantis nulla penitus dispositio requiritur: ex parte etiam materiæ, quæ est aqua, exigua ratio dubitandi, quia facillimè agnoscitur; solùm potest ex parte baptizantis esse defectus intentionis, in quo conuenit cum intentione absoluentis: at ex hoc capite difficultas est etiam longè minor in Baptismo, quia non tam facilè potest contingere, vt homo contra infantem habeat aliquid, ratione cuius velit illum perire, cùm potiùs ipsa ætas omnes alliciat ad affectum in illos: at in adulto & odium & aliæ fortè rationes possunt occurrere quæ inclinent ad eam deceptionem. Respondeo Secundò Baptismum rite collatum non esse iterabilem cum fructu primo, nec sine sacrilegio; nunc ergo quando humano modo est fortè certò collatus, non debet poni noua obligatio ad secundò illum conferendum quia esset fortè semper obligare ad conferendum illum etiam postquam esset re ipsa ritè collatus. At quòd homo obligetur ad contritionem post susceptum Sacramentum cum attritione sola in hora mortis, non esset obligatio iniqua, quia non esset ad rem: quæ sine sacrilegio iterari non possit, iteratur enim semper, & quidem cum maximo fructu: non ergo argumentum benè trahitur ab vno ad alterum. Constet ergo valdè probabilem esse eam sententiam Suarez, & verè absolutè videri probabiliorem. 30

Probabiliter sufficeret pluribus aduersis Sacerdotibus confiteri.

Solùm posset responderi, ad periculum hoc vitandum sufficere, si quis duobus vel tribus Sacerdotibus confiteatur: eo enim casu non posset nec quidem moraliter dubitari, quin vnus saltem ex illis valide daret absolutionem: neque esset necessarium cuilibet omnia confiteri peccata: sufficeret enim vel vnicum etiam veniale cum dolore se ad omnia extendente: eo enim ipso saltem indirectè absolueretur ab omnibus. Respondeo, Posse omnino id admitti: obligatio ergo contritionis immediatè tradita habet locum, quando vel pœnitens nolit eis duobus confiteri vel quando esto velit, non tamen possit, quia tantum vnicus est Confessarius. Intelligéda tunt quæ diximus de obligatione ex periculo desumpta & de præcepto Pœnitentiæ vt tali: nam aliunde, ratione præcepti charitatis, quod obligat etiam eos qui non peccauere, longe certius videtur illud circa horam mortis maximè obligare, esto sit præmissa confessio, de quo nos suo loco.

DISPVTATIO XVIII.

Quoties & pro quo tempore obliget præceptum Pœnitentiæ.

1 EXPLICATA huius præcepti substantia, agendum erit de tempore, pro quo obligat: quæ res magnam habet incertitudinem ob sententiarum multitudinem.

SECTIO I.

Vtrùm hoc præceptum obliget ad sæpè agendam pœnitentiam.

DIFFICVLTAS hæc dupliciter potest intelligi: Primò, An etiamsi de peccatis commissis iam semel habuerim dolorem teneat tamen secundò de eisdem conteri, esto nullum de nouo ab ea contritione admiserim. Secundo modo potest ea quæstio intelligi, An si post primam pœnitentiam nouum commisi, tenear ad eliciendum dolorem de illo.

In hoc secundo sensu quæstio est facillima, quia pœnitentia præcedens non se extendit ad hæc noua peccata; ergo hæc exigunt nouam pœnitentiam perinde ac si nec commisissem alia peccata, neque habuissem de illis vllam pœnitentiam, sed iam primò in mea vita peccarem: tenerer haud dubiè dein aliquando habere pœnitentiam; quæstio ergo solùm in primo sensu habet difficultatem. Circa quam aduerto, non agere nos de obligatione confessionis ex præcepto Ecclesiæ, sed de naturali in communi ad pœnitendum. Hac de re fusè agit P. Suarez eadem disp. 15. sect. 4. à num. 2. vbi multos ex antiquioribus refert, qui dicunt hominem teneri ad eum dolorem, quoties peccata homini in mentem recurrunt. Communis tamen sententia, quam idem Suarez ibi fortè cum omnibus defendit; & Lugo breuiter sect. 12. neget eam obligationem; quia reuerà neque ex vllo textu potest constare de ea vt de præcepto positiuo diuino, nec vt humano. Ratione item naturali non potest

Non obligamur ad sæpè agendam pœnitentiam.

test; ea obligatio suaderi, quia si semel est ablatum peccatum per veram pœnitentiam, iam videntur omnino cessare omnia fundamenta ad ponendam obligationem nouæ.

2 *Obiectio prima:* Dices: Aliqui Patres frequenter inculcant, pœnitentiam esse semper agendam: item eum, qui grauiora peccata commisit, grauiorem debere pœnitentiam agere. Quæ omnia requirunt haud dubiè plus quam vnum amorem Dei super omnia, aut vnam contritionem cadentem supra omnia peccata. *Soluitur.* Respondetur vno verbo, Patres dicere, pœnitentiam esse debere perpetuam, hoc est, quantum ad non repetenda iterùm peccata, seu quoad emendationem vitæ: item suadent id quod melius est, esto non sub obligatione; quòd verò dicant grauiùs debere dolere illum qui grauiùs deliquit, non ex præcepto id dicunt, sed ex congruitate; vel certè loquuntur in ordine ad satisfactionem pro pœna temporali, quæ (vt fusiùs infra) non extinguitur tota simul sicut extinguuntur culpæ, sed iuxta magnitudinem pœnitentiæ.

Obiectio secunda: Incertum est, an prima contritio fuerit vera. ergo teneor eam repetere. Secundò obiicies: Valdè incertum est, vtrùm homo habuerit contritionem, etiamsi iudicet ipse se eam habuisse; ergo cùm salus æterna sit tanti momenti; est enim maximum negotium quod homo tractare potest, oportebit vt aliquoties conetur ad similes actus, vt si prima vice re ipsa illam non habuit, habeat saltem secunda, & sic moraliter reddat securam suam salutem. *Soluitur.* Respondeo, Hoc argumentum non carere aliqua difficultate, quia reuerà non deberet iudicari graue onus, si homo obligaretur ad ter aut quater procurandam contritionem; nihilominùs dico non esse obligationem hanc; id quod ex Ecclesiæ sensu clarissimè deduco: nam licet illa censeat ex Christi Domini institutione necessarium esse Baptismum necessitate medij ad salutem, non tamen imperat, vt ille sæpiùs repetatur. Certum est autem tam facilè posse contingere in illo deceptionem, quàm in hoc, quod putet homo se habere contritionem, re ipsa tamen illam non habeat. Nam in Baptismo potest esse defectus intentionis in baptizante; potest fortè ex parte materiæ interuenire defectus, si non sit aqua elementaris. Deinde hoc ipsum patet in Sacramento Pœnitentiæ, vbi rationes timendi, ne nullum illud sit, sunt longè plures; Primò, quia potest dubitari, an qui Sacerdos reputatur, sit verè ordinatus: Secundò, an habuerit intentionem: Tertiò ex parte pœnitentis est tota ratio dubitandi, an habuerit actum supernaturalem contritionis, aut attritionis: & tamen Ecclesia non obligat per se vmquam ad secundam confessionem eorumdem peccatorum; ergo ea incertitudo de vera existentia contritionis nó sufficit ad obligandum vt secundò ea habeatur. Ratio à priori est, quia certitudinem physicam non possumus nos habere de nostra contritione, imò, iuxta Paulum, semper sumus dubij; sufficit ergo, si simus prudenter certi: hoc autem contingit, quando quis se benè reflectendo iudicat se doluisse de peccatis, eò quòd Deum infinitè bonum, quem supra omnia amat, offenderit. Addo tamen, si aliquando contingeret, vt non posset homo sufficienter iudicare se talem actum habuisse, fore tunc obligatum ad eliciendam secundò contritionem aut amorem Dei super omnia.

3 *Si quis non posset prudenter iudicare, se fuisse contritum, tenetur secundò conteri.*

Explicatur locus Ecclesiastici 5. Dices præterea: Sapiens Ecclesiastici 5. ait: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; ergo præcipit vt secundò & tertiò simus soliciti de nouo actu doloris & de petitione noua veniæ alioquin metus ille, nisi in ordine ad hunc effectum deseruiat, esset nobis plane inutilis. Respondeo Primò, Non omnia quæ ibi Ecclesiasticus suadet esse per modum præcepti rigorosi, sed multa esse consilium. Respondeo Secundò, In ordine ad hoc monere nę simus sine meru, quatenus de pœna temporali in Purgatorio luēda iustum metum habere possumus. Tertiò: Quia ipse timor potest nos facere cautiores in ordine ad futurum. Quartò, Ne simus nimium præsumentes & irritemus Deum contra nos.

4 *Obiectio tertia:* Dices Tertiò: Si quando occurrunt memoriæ peccata, occurrat etiam cogitatio de habenda contritione de illis, non potest fieri, vt illa cōtritio omittatur saltem sine peccato veniali (vt ait Cano Relectione de Pœnitentia Parte 4.) qui enim honestius finis potest adhiberi ei omissioni? *Soluitur.* Respondeo, Si hæc ratio quidquam probaret, illud sanè, numquam posse omitti vllum actū bonum, si occurrat illius cogitatio, v. g. amor Dei, actus Fidei, aut aliarum virtutum dicam: enim ego eodem modo, Quis honestius finis potest ei omissioni applicari? Respondeo ergo absolutè: Quando occurrit occasio actus alicuius, qui non est sub obligatione, omissionem illius posse variis titulis cohonestari. possum enim illum omittere, vt alium hic & nunc magis necessarium efficiam: denique cùm supponatur ille non esse sub præcepto, repugnat illius omissionem esse peccaminosam, quantumuis occurrat occasio illum faciendi: potest ergo eo casu cessare vel per puram omissionem liberam, quam ego possibilem alibi dixi, vel per volitionem reflexam, qua quis dicat, *Nolo iam hunc actum elicere, sed illum omnem*: potest per indirectum voluntarium, si se occupet homo in aliis actibus diuersis & incompossibilibus cum ea contritione. Non est ergo, cur ex hoc capite noua obiiciatur contra dicta difficultas.

Ex his obiter infero, quod & supra fusiùs dixi contra Patrem Suarez, S. obtineatur iustificatio per amorem Dei, non manere obligationē eliciendi contritionem, nisi summū ratione Sacramenti Pœnitentiæ. In quo puncto etiam est contrarius nobis Tannerus, qui num. 43. ait, Lumine naturæ esse notum ei, cui satisfacere ad æqualitatem nó possumus, debere nos satisfacere eo modo quo possimus accommodatissimo & conuenientissimo: addit etiam non minùs euidens esse, supposito ordine gratiæ, modum satisfaciendi conuenientiorem nullum alium esse, quàm per contritionem perfectam, cùm actus charitatis nihil ex se pœnæ vel molestiæ habeat, & ad Deum veluti ad amicum non vt ad offensum referatur, nec adeò per se ad peccati expiationem ordinetur, ideóque ad exhibendam satisfactionem minimè sit aptus: maximè cùm lege naturali videatur præcipi, vt qui nimio plus sibi indulsit Deum offendendo, etiam aliquid contra suam inclinationem patiatur satisfaciendo, præterquam quòd in offensi reconciliatione primum locū obtinet cognitio & detestatio offensæ. Hæc ille ibi: in quibus manifestissimus statim apparet consequentiæ defectus, & quem notaui suprà statim ad initium disputationis præcedentis de præcepto Pœnitentiæ: etenim argumentum hoc Tanneri totum quantum respicit contritionem: & verò ipse expressè illam nominat: interim fatetur sufficere attritionem cum

Sententia P. Tanneri, quòd licet iustificetur, per amorem tenetur ad eam contritionem.

5 *Reiicitur.*

Sacramento, cùm tamen in ea attritione nec sit ratio perfectissimæ satisfactionis, nec sit nobilis ille modus, quo homo potest Deo pro iniuria illata satisfacere, &c. ergo vel argumentum hoc nihil probat; vel certè dari obligationem, non obstante attritione in Sacramento Pœnitentiæ, ad habendam eam contritionem. Quòd si per attritionem intra Sacramentum tollitur ea obligatio rigorosæ contritionis, certè id non alia ratione potest fieri, quàm quia per attritionem deletur peccatum, & homo restituitur in gratiam ac amicitiam Dei; ac proinde nulla est obligatio nouæ satisfactionis; cùm igitur hoc idem obtineatur per amorem Dei super omnia in sententia Tanneri & omnium, non erit ampliùs necessitas habendi contritionem. Dixi, *Nisi quando est obligatio confessionis*, quia ad eam requiritur attritio vel contritio. Hæc quoad defectum consequentiæ in eis argumentis.

Absolutè autem respondeo, N mium planè eis probari, se licet hominem teneri non solùm ad contritionem vicumque, sed ad intentissimam quæ potest esse, & ad eam sæpè eliciendam, si homo debet facere quantum potest, & eligere modum perfectissimum; hoc autem manifestè
6 est falsum. Dicendum igitur, Etiamsi fortassis ex natura rei daretur obligatio tanta, casu quo Deus per misericordiam suam non fuisset contentus tam facile nobis condonare peccatum; nihilominùs eo ipso quòd illud delet per actum amoris sui super omnia, vel ob attritionem intra Sacramentum iam non ampliùs esse obligationem contritionis, quia iam nulla offensa est, pro quia satisfaciamus. Potuisset quidem Deus eam obligationem imponere, vti imposuit post contritionem obligationem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; at cùm id non possit aliunde probari, non debemus nos eam obligationem ponere; certissimum autem est, etti constet ex Ecclesiæ declaratione obligationem confitendi, esto homo per contritionem acceperit gratiam, nullam tamen esse Ecclesiæ aut sacræ Scripturæ declarationem, quòd homo per amorem Dei iustificatus teneatur contritionem elicere; ergo. Quæ dixi de iustificatione per amorem Dei, à fortiori sunt intelligenda de iustificatione in Sacramento etiam per solam attritionem obtenta nulla enim tunc est obligatio habendæ contritionis, nisi fortè in hora mortis, ob dicta suprà: & quoad hanc partem consentiunt nobiscum & Tannerus & Suarez, quia, vt dixi, non constat Christum voluisse nos ad id obligare; & (vt benè Suarez notat) si esset ea obligatio, dicere deberemus Sacramentum Confessionis iustificare in voto contritionis: qui modus loquendi planè est in Ecclesia inauditus.

Non negamus etiã iustificatũ teneri ex charitate ad amorem Dei.

Aduerto tamen, nos non excludere etiam post iustificationem obligationem amandi Deum super omnia ortam ex charitate: hæc enim obligatio est communis, etiam his qui non peccauerunt; ac proinde sicuti hi, esto sint iusti, tenentur eum actum elicere, ita & illi, postquam iustificati fuerint, tenebuntur; quando autem & quoties illud præceptum obliget, dixi alibi.

***

SECTIO II

An hoc præceptum obliget statim post admissum peccatum.

QVARIMVS. An obligemur ad faciẽdam pœnitentiam statim commissum peccatum. Hac de re fusè disputat Suarez disput. 15. tota sect. 5. quæ est valde longa: vbi enumerans tria illa capita, ex quibus prius dixerat prouenire obligationem pœnitendi ostendit, nullum ex illis obligare statim. Lugo etiam hanc quæstionem fusè tractat, maximè contra aliquos Recentiores, quos non nominat; quique videntur fortiter agere pro sententia eam obligationem ponente; pro qua refert P. Suarez Guilielmum Parisiensem, Argentinam, Paludanum, Maiorem, Alensem, D. Antonium (qui non designatis locis citat pro se Bonauenturam, D. Tomam & Durandum. Eamdem etiam tenet Caietanus 2.2. quæst. 66. art. 3. & 1. Tomo opusculorum Tractatu 17. item Sotus, Abulensis & Archidiaconus apud eumdem Suarez; Lugo verò citat etiam Marsilium & Syluestrum. Eamdem quæstionem tractat Tannerus suprà à n. 4. vbi eos Auctores pro affirmatiua sententia citat, aitque illam speculatiuè esse valde probabilem; quod vltimum mihi etiam videtur. 7

Affirmatiua est speculatiuè probabilis

SVBSECTIO PRIMA.

Propositis argumentis sententiæ affirmantis statuitur negatiua:

8

FVndamenta ergo affirmantis varia sunt. Primum, quia nemo potest licitè dicere *Ego volo manere in peccato*; ergo ea permanentia est peccatum; alioquin illam positiuè velle non esset peccatum. Secundum, quod in re tanti momenti non debeat homo se exponere periculo morali; quale est occursus mortis antequam possit agere pœnitentiam. Tertium est, quòd peccatum est iniustitia contra Deum; ergo tenetur quis statim satisfacere; sicut qui retinet alienam rem iniustè, tenetur eam statim restituere. Quartum, licet minùs præcipuum, desumi potest ex reuerentia & charitate Deo debita: qui enim potentem aut Regem grauiter offendit, tenetur cùm primùm ab eo veniam petere. Addi Quintum potest ex instantia satis difficili de præcepto correptionis fraternæ; ad quam homo tenetur statim cùm primùm commodè potest; ergo à fortiori tenebitur respectu eam legem seruare se corrigendo, cùm charitas in rebus spiritualibus primò & per se obliget hominem erga seipsum. De his argumentis, quæ sine dubio non carent difficultate, dicemus paulò pòst.

Fundamentũ primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Contrariam sententiam negatiuam dicit Lugo iam esse communem inter Theologos, vno vel altero Recentiore excepto; pro qua citat Suarium, qui tamen non adeò communem eam dicit; imò nec multos pro illa refert, nisi Diuum Thomam, qui cùm in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 1. ad 4. addat illud aduerbium, *Præcipuè in hora mortis, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere*; profectò non absolutè negat eam obligationem, sed eam in illis occasionibus magis vrgere innuat. Fatcor ex similitudine, quam adducit

Negatiua sententia.

duxit Sanctus Doctor in responsione ad secundum, quòd non sit de necessitate salutis corporalis statim Medicum quærere, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similiter sit de morbo spirituali; ex hac inquam similitudine eum videri sentire, non esse statim obligationem agendi pœnitentiam; tamen quia in morbo corporali, si sit grauis, videtur obligatio vocandi Medicum statim vrgere; ideò nec post eam similitudinem iudico D. Thomam clarè stare pro sententia negatiua: pro qua etiam refertur Durandus, Angelus, Medina, Cano, Adrianus & Vigerius: eam tenet Vasquez 2. ar. 2. dub. 5. Lugo suprà, Tannerus & alij; eam etiam censeo probabiliorem, quam bene probant Auctores citati, Primò ex perpetuo sensu totius Ecclesiæ, quia nec pœnitentes se accusant vmquam de ea dilatione, nisi ille fuerit vltra tempus pro annua confessione ab Ecclesia præscriptum; neque ipsi Confessarij hac de re interrogant pœnitentes, ergo non est talis obligatio: quòd enim Recentiores illi apud Lugo respondent; Id totum procedere ex minùs perfecta institutione pœnitentium & Parochorum, meritò reiicitur à Cardinali, quia hoc videtur esse malè sentire de tota Ecclesia, quæ huiusmodi institutionem negligit agnoscere enim defectum, quia publicus est, & illum non corrigit; hoc autem esset Ecclesiam plane consentire in rem grauiter malam.

Est probabilior. *Probatur Primò ex sensu Ecclesiæ.*

Probatur Secundò.

Secundò probatur, quia alioquin vix vmquam liceret ad confessionem accedere cum sola attritione; nam inter peccatum & confessionem semper intercedit tempus, in quo haberi debuisset contritio. Secundò idem grauius olim vrsisset, quando Ecclesia Catechumenos non permittebat baptizari nisi in Paschate & Pentecoste; in ils autem præsupponebat haud dubiè aliquod peccatum antequam ad Fidem venirent: ergo supponebat eos habuisse contritionem antè, cùm post peccatum fuissent statim ad eam obligati, iuxta sententiam quam impugnamus; ergo supponebat eos tunc non iustificari, sed iam ante iustificatos: ac proinde debebat supponere Baptismum in eis non esse institutum ad regenerandum hominem Deo: id quod planè videtur esse contra sensum totius Ecclesiæ: nihil enim magis commune apud Patres Concilia & Fideles, quàm per Baptismum remitti peccata, hominem Deo nasci, &c. nam licet non negemus id in multis per contritionem priùs fuisse obtentum, ipse tamen Baptismus hoc non requirit, nec dispositio ad illum necessaria hoc supponit, quia poterant per solam attritionem debitè accedere: id quòd in sententia quam impugnamus non erat ferè vnquam moraliter licitum: quia esto solum Originale illi habuissent, tenebantur de illo statim dolere, aut saltem, quia de illo propriè dolor esse non potest, per amorem Dei super omnia debebat illud deleri ne eo tempore ante Pascha periclitarentur de salute æterna: à fortiori autem ad id obligabantur, si habebant peccata actualia grauia.

Tertiò,

Tertiò probatur, quia sequeretur semper hominem singulis momentis de novo peccare, quamdiu differt pœnitentiam: quia semper est noua & noua obligatio pœnitendi: vnde vlteriùs deberet semper explicari tempus à quo commissum est peccatum mortale, & quoties homo se reflexisset supra illud: alioquin non posset Confessarius iudicium formare de conscientia pœnitentis: hoc autem iterùm est contra praxim totam Confessariorum & pœnitentium, quia neque hi sunt soliciti, vt dicant à quo tempore commiserunt mortale, de quo se accusant, neque Confessarij ea de re quidquam interrogant.

10

Quartò & vltimò probari solet ratione à priori quia præceptum pœnitendi est affirmatiuum, quod non obligat pro semper. Hoc tamen argumentum mihi no adeò placet; nam Auctores contrarij non dicunt obligare pro semper, sed tantùm obligare statim postquam commissum est peccatum. Quòd verò Auctores aliqui replicant, non esse vllum fundamentum ad dicendum tempus, pro quo obligat hoc præceptum esse illud immediatum post commissum peccatum, facile ab Auctoribus primæ sententiæ soluetur; dicent enim ea quatuor argumenta suprà allata esse fundamentũ, quo ostenditur pro eo tempore esse illam obligationem; & sanè communiter dicunt Auctores præceptum naturale diligendi Deum obligare pro hora mortis, & tamen longè minùs vrgentia argumenta adducuntur pro ea determinatione, quàm sint hæc præsentia, ergo.

Quartò, sed nec efficaciter.

Secundò ideò hæc quarta ratio mihi non videtur efficax, quia Auctores affirmantes fundant hanc obligationem in periculo graui æternæ salutis; hoc est, ne homo per eam dilationem se exponat periculo moriendi non data deinde occasione pœnitentiæ, hæc autem obligatio est negatiua, ac proinde obligat ad numquam manendum in habituali peccato. Quòd verò dicitur, neque esse fundamentum ad hoc asserendum, negabitur ab Aduersariis, quia (vt paulò antè dixi) argumenta illa videntur satis probare, eam obligationem esse negatiuam; vti ob idem periculum (licet longè certius & maius) omnes dicunt hominem teneri in hora mortis agere pœnitentiam; sufficiant ergo tres priores rationes pro ea sententia.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur aliquibus ex obiectionibus.

11

IAm ad obiecta diluenda, in quo haud parum laborant, qui nostram sententiam tuentur, & quidem Pater Suarez probans (vt dixi suprà) ex nullo ritium illorum capitum, vnde desumitur absoluta obligatio huius præcepti, oriri obligationem immediatè post commissum peccatum; Respondet satis fusè argumentis suprà factis. Circa primum autem non omnino distinctè loquitur; videtur enim supponere ex vna parte esse graue peccatum dicere, *Volo manere in habituali*: ex altera verò ait nullum esse peccatum dicere, *Nolo iam pœnitere, sed id faciam suo tempore*: quo etiam modo P. Tannerus respondet; Quia non omnis, inquit, qui vult antecedens vult etiam consequens, nisi hoc tamquam medium per se sit ordinatum ad antecedens: alioquin Deus volens punitionem, vellet etiam peccatum, quod ad illam requiritur: & idem esset de homine volente pœnitentiam: ad quam similiter idem peccatum requiritur.

Ad primum respondet P. Suarez & Tannerus.

Ego tamen (vt verum fatear) non capio, quomodo hæ instantiæ adferantur huc; etenim peccatum non est quid consequens pœnitentiam, aut punitionem, sed potiùs antecedens & prærequisitum: vnde quando homo nondum videtur absolute peccasse, dicunt Auctores communiter non posse Deum efficaciter intendere pœnitentiam aut punitionem, quia inde sequeretur

Non bene.

retur debere intendere ipsum peccatum: de quo nos alibi egimus. At inpræsenti permanentia in habituali non est quid antecedens, & præsuppositum ad voluntatem non pœnitendi, sed potiùs è contrario necessariò illa permanentia sequitur ex eo, quòd ego nolim agere pœnitentiam: & quidem suppositò quòd Deus nolit omnino gratis condonare peccatum, per se & essentialiter sequitur ea permanentia, eò quòd ego non agam pœnitentiam: ergo si permanentia illa vt talis est peccatum, erit etiam peccatum hîc & nunc non velle conteri, seu non agere pœnitentiam: quia ex hac carentia sequitur, vt dixi, per se & necessariò illa permanentia.

12 Secundò. cùm ipse Tannerus dicat ex dilatione pœnitẽtiæ sequi permanentiá peccati, non capio quomodo subiungat: *Ac proinde non qui vult hoc posterius, vult etiam prius*: debuisset potiùs è contrario dicere, *Non qui vult prius, vult secundum*: quia hoc secundum solùm per accidens sequitur ex primo. Sed quidquid de hoc, quod forte ex calami errore prouenit, rogo, An permanentia in habituali sit intrinsecè mala, etiam vt condistincta à peccato præterito, ita vt sit ibi noua malitia, an non? Si dicatur primum, profectò cùm ea permanentia sit homini voluntaria, saltem per puram omissionem, deberet in ea peccare de nouo; quia licet non per actum positiuum, per omissionem tamen diceret, *Volo permanere*. Imò in terminis repugnat illam esse peccatum, & tamen non peccare hominem aduertentem non facientem pœnitentiam; vti repugnat non auditionem Sacri esse peccatum, & tamen hominem liberè illud non audientem non peccare (suppono quod clarum est in tali non esse causam excusantem) siue voluntariè directè, siue indirectè, siue per puram omissionem liberè Sacrum non audiet. Quòd si propterea magis placeat dicere, eam permanentiam quà talem non esse peccatum: ergo non solum dicere *Nolo iam conteri*, sed etiam dicere, *Volo in peccato manere vsquequò tenear agere pœnitentiam*, non erit peccatum.

13 *Responsio nostra.* Vt ergo argumento respondeamus distinctione opus est. Dato enim in permanentia peccati habituali quà tali essentialiter includuntur: vnum est præteritio physica ipsius peccati: alterum est carentia meæ pœnitentiæ: (iam non loquor de carentia condonationis, quia non agimus nisi de permanentia ex defectu meæ pœnitentiæ:) hoc supposito dico hoc secundum, quòd ea permanentia dicit, posse etiam directè amari; quia si nulla est obligatio me hodie ad pœnitentiam cogens: profectò ego dicere sine vllo peccato possum, *Nolo hodie pœnitentiam facere*, facturus eam cras, quando incipiet obligatio. Illud verò primum, scilicet præteritionem peccati, velle non potest homo licitè; quia velle peccatum, seu velle se peccasse, est quasi iterùm peccatum illud committere; non potest ergo dicere *Volo absolutè permanentiam habitualis*, quia hæc secundùm vnam partem dicit ipsum peccatum; vnde nullatenus ad rem nostram infertur, Ergo tenemur statim elicere contritionem; neque item infertur, Ipsum manere voluntariè in peccato adæquatè sumpto, non esse peccatum, quia iam dixi ibi includi peccatum ipsum præteritum: hæc autem præteritio non fit hodie ab homine, ac proinde ille hodie non peccat durans, peccaret tamen amans durationem ex ea parte. Vnde si subtili diuisione præmissa diceret homo, *Quòd peccauerim non mihi placet: & tamen peccato iam suppositò volo non agendo pœnitentiam permanere habitualiter in eo peccato*, nullo modo peccaret; ex quibus tandem iterùm infertur, eo argumento nihil probari, quòd teneamur statim agere pœnitentiam.

Ad secundum, quòd in re tanti momenti, qualis est æterna salus, non debeat homo se exponere periculo mortis repentinæ sine pœnitentia, respondemus, Illud periculum in homine benè valente non esse tantum, vt sufficiat ad tam grauem obligationem imponendam. Neque ex eo, quòd vnus aut alter moriatur sine ea commoditate agendi pœnitentiam, debet obligatio vniuersalis desumi. Quomodo autem hinc non inferatur quidquam contra nostram conclusionem in dubio præcedenti positam de obligatione contritionis aut amoris Dei habendi in hora mortis diximus suprà, ostendentes longè maiorem rationem dubitandi esse ibi quàm hîc. *Ad secundum respondetur.*

Replicabis tamen, Licet ratione eius periculi non obliget statim charitas propria, obligabit saltem ratione damni spiritualis grauis, quod homo patitur; nam sicut occidere seipsum spiritualiter est graue damnum, ideoque homo ex charitate in seipsum tenetur non peccare; ita plenè ex eadem charitate videtur teneri ad non continuandam mortem illam, seu damnum illud. Vrgetur; Si ego haberem in mea potestate & caussare primò, & deinde continuare morbum in Petro; haud dubiè non solùm peccarem caussando illum pro primo instanti, sed etiam de nouo illum continuando pro secundo & tertio, si possem etiam suppositâ iam priori existentia efficere ne duraret pro secundo aut tertio, &c. Respondet Suarez & Lugo, Maiorem obligationem esse non inferendi sibi damnum corporale, quàm sit illud statim sanandi; ac proinde potiùs ex hac instantia confirmari nostram sententiam. Id quod declarat magis Cardinalis Lugo, quia qui abscindit sibi brachium vel pedem v.g. causat sibi grauissimum damnum tum ob defectum eius membri, tum ob periculum, quod incurrit de impotentia ad sanitatem recuperandam; hoc autem periculum non augetur per hoc, quòd non statim applicet sibi remedium; quia ea dilatio non caussat incertitudinem restitutionis: tota enim hæc oritur ex prima abscissione manus: & idem potest suo modo dici in febri, dolore capitis, &c. Nam quòd non statim applicetur remedium, non facit illum morbum incurabilem; supponimus enim tam facile fore remedium adhibere cras quàm hodie: vti contingit in peccato. Nam graue periculum æternæ damnationis ob peccatum certum & pœnitentiam incertam, idem est, esto differam aliquantulùm eam pœnitentiam: non enim propterea illa minùs est in mea potestate quàm anteà, ergo ex ea dilatione non incurritur incertitudo, ac propterea in illa non est graue damnum. Hæc tamen solutio duas habet contra se difficultates sat graues. Prima est, quia haud dubiè augetur valdè incertitudo remedij per eam dilationem, non quidem quoad qualitatem ipsius pœnitentiæ (vt hic Auctor benè ostendit;) nam pœnitentia cras facienda non erit minùs aut magis certa quàm facienda hodie; ratione tamen certitudinis vitæ non potest negari, quòd augeatur periculum: nam si quia est incertum an sim victurus vsque ad mortalem sequentẽ, vt possim in ea pœnitentiam agere, incurro graue periculum 14 *Replica:* *Soluitur à Suario & Lugo.* *Contra quam solutionem est difficultas prima.*

lum:ergo quando ex ea prima morula immedia te transfero pœnitentiam ad secundam aliam morulam,incurro profectò nouum & maius periculum,quia semper sum magis & magis morti proximus:si essem securus de vita,libenter concederem periculum esse idem.

15 *Secunda.* Secunda difficultas est:nam licet homo esset fide diuina certus se actutum pœnitentiam:nihilominùs peccatum mortale esset graue spirituale damnum hominis,quia ipsum defœdat & deturpat;vnde etiam homo tunc peccaret contra charitatem in se non quidem ob periculum damnationis (admitto id nunc) sed propter grauem indecentiam, quam secum adfert peccatum; ergo quamdiu quis voluntariè protrahit eam grauem indecentiam (quicquid iam sit,an tunc incurratur incertitudo nécne) protrahit illud malum; ratione cuius in primo instanti fecit contra charitatem in se sibi illud caussando: & hic adhuc habet locum quod dixi, si caussare in hi grauissimum dolorem pro vno instanti est contra charitatem, profectò illum secundo & tertio instanti de nouo caussare erit peccatum nouum.

Responsio nostra ad replicam. Respondeo ergo, Quidquid sit de damnis corporis, quæ physicè continuantur (in quibus fortasse erit eadem ratio pro secundo instanti quæ pro primo)in peccato tamen aliam longè rationem esse;nam permanentia habitualis non est continuatio peccati aut damni,vti continuatio physici doloris est continuatio eius damni; & cõtinuatio cæcitatis est propriè continuatio eius damni, quod fuit in primo instanti: hoc enim modo sola continuatio ipsa libera peccati actualis protrahit malitiam, quæ sine dubio auget de nouo æqualiter illud peccatum,quoties est noua libertas; vti è contrario libera continuatio boni operis auget meritum; de quo fusiùs Tom.3. Non hoc modo protrahitur malitia per durationem peccati habitualis;in eo enim permanentia culpæ detimitur per solam denominationem extrinsecam ab actione præterita: & licet de facto Deus odio habeat hominem in habituali manentem, non tamen,eò quod nunc malè operetur:vt patet quando dormiens manens in habituali odio habetur à Deo,sed quia tunc odium durat propter malam operationem præteritam:dum ergo in habituali dormit quis, est quidem reprehensibilis, non tamen quia dormiens faciat aliquid contra rationem, aut quia malè operetur,sed quia malè operatus fuit; non ergo infert sibi nunc vllum damnum,sed intulit. Tota ergo indignitas & indecentia illius damni fuit in fieri ipsius peccati: iam autem quòd odium Dei in me diutiùs duret aliquantulùm,eò quòd non ago pœnitentiam, non est grauis indecentia, ac proinde non teneor ad illud statim per pœnitentiam auferendum.

16 *Replica secunda:* Replicabis:Saltem mors ipsa animæ per carentiam gratiæ continuatur propriè physicè quamdiu manco in peccato,quia reuerà noua & noua carẽtia gratiæ semper succedit:ergo si peccatum propter carentiam gratiæ quam infert in primo instanti,iudicatur inferre graue damnum, ideoque ego tunc pecco contra charitatem in me,profectò in secundo instanti,cùm continuò eam carentiam gratiæ,augebo de nouo malum etiam physicè, & tandem nouum committam peccatum.Respondeo,Physicam ablationem gratiæ, si consideretur tantùm ad tempus,non debere iudicari graue damnum; vnde si haberet quis potestatem physicè eam in se destruendi, & deinde recuperandi, non putarem eum peccaturum, si eam ad tempus in se destrueret (vt bene dixit Lugo etiam non peccaturum eum qui licet possit statim frui visione beata,id tamen libere ad vnum vel alterum annum differret (Ratio vlterior esse potest:nam in carentia bonorum procuranda, aut non caussanda, non tam facilè reperitur peccatum, quàm dum mala positiua voluntariè quis incurrit.Sic in omnium sententia,& planè ab hoc puncto independens,quantumuis ipsa gratia habitualis sit maximum hominis bonum, ac proinde augmentum illius sit etiam bonum maximum, iuxta illud principium, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*: si enim gratia vt octo est magnum bonum,profectò duplicatio illius erit duplo maius bonum:non tamen propterea negligere voluntariè illud augmentum est peccatum:alioquin quoties omitterem actum bonum aut intensionem illius, quo augere possim eam gratiam,peccarem graui ter:quod tamen falsissimum est:nam etiam sine veniali peccato possunt omitti opera consilij & multiplicatio actuum bonorum,quibus incredibiliter augeri haud dubiè posset gratia habitualis,& per illam beatitudo.Constet igitur ex eo, quòd ad tempus protrahatur ea gratiæ carentia, non sequi nouum peccatum in homine:ac proinde non idò obligari nos ad faciendam statim pœnitentiam post peccatum.

SVBSECTIO TERTIA.

Replica contra dicta:vbi, An ex periculo de nouo peccandi oriatur obligatio agendi cùm primùm pœnitentiam.

17 *Replica.* REplicabis: Qui in peccato est, si non agat statim pœnitẽtiam,certò cadet iterùm in alia noua, iuxta communem Theologorum sententiam,quòd homo peccator non possit diu resistere tentationibus:ergo saltem ratione huius periculi non poterit ex charitate propria differre pœnitentiam. De argumento hoc agit Suarez à num.11. vbi probare vult ex Concilio Milevitano can.3 gratiam habitualem esse necessariam vt vitemus peccata. Nihilominùs non indico vllo modo hunc locum ad rem nostram; nimis enim multum illo probaretur, scilicet peccatorem simpliciter non posse nec quidem vnum mortale vincere:id quod est præter mentem omnium Theologorum:nam alioquin peccator iam non peccaret,quia si careret simpliciter potentia ad vitandum peccatum, careret libertate:sine qua non est peccatum.Concilium autem non solùm dicit non posse sine iustificationis gratia peccatum vinci facilè,sed absolutè & simpliciter. Et verò etiam facilè vnam vel alteram tentationem vinci posse sine gratia habituali per auxilia ordinaria gratiæ fatentur omnes:& experientia sæpè deprehenditur aliquos in vno solo mortali ad multos menses mansisse: debet ergo Concilium explicari, vt intelligat nomine *gratia iustificationis* auxilia & gratias, quæ ad iustificationem ordinantur.Per hoc tamen non nego ex communi Theologorum illa propositionem, quòd scilicet Deus per se non det auxilia cõgrua longo tempore peccatori ad noua vitanda peccata,ac proinde vrget obiectio posita. Respondeo ergo cum eodem Suario & aliis,

Soluitur. *Soluitur.*

alias, Non constare quàm breue sit illud tempus, vltra quod sine gratia habituali non potest peccator vitare nouum mortale; ideoque non oriri ex hoc capite obligationem nisi summùm non differendi eam pœnitentiam ad longum tempus; potest autem fortasse iudicari vnius anni spatium non esse longum, idque esse ex mente Ecclesiæ non obligantis ad citiùs agendam pœnitentiam. Secundò respondeo, Cùm gratia habitualis per se & per suos habitus non faciliter hominem ad operandum, de quo diximus alibi fusè, ex defectu illius proximè & immediatè non reddi difficiliorem fugam noui peccati, gratiæ verò auxilia actualia Deus non
18 denegat peccatori maximè fideli ad resistẽdum. Solùm ergo potest oriri ille lapsus ex eo, quòd Deus beneficium illud dandi auxilium congruum seu efficax ad resistendum non faciat nisi iusto; hinc autem nulla omnino sequitur necessitas ad pœnitendum; nam (vt ex doctrina Societatis suppono) auxilium efficax à sufficienti nondiffert nisi ex futuritione conditionata præuisa per scientiam mediam: hæc autem futuritio non facit in actu primo suauiorem aut faciliorem effectum; vnde ille qui cadit potest esse tam facilis in actu primo ad resistendum, quàm qui vincit; ergo ex hoc capite qui pœnitentiam differt, non se reddit difficiliorem in actu primo ad vincendam tentationem; non ergo habet ex hoc capite vllam obligationem pœnitentiæ; alioquin etiam teneremur sub mortali ad vitanda venialia ea de causa, quòd Deus sæpè propter illa negat auxilia congrua ad vitanda mortalia. Ratio à priori est, quia non teneor ego Deum obligare vt mihi faciat beneficium speciale; sed solùm teneor illum non offendere. Adde, eam negationem auxiliorum efficacium magis esse ob præcedens peccatum quàm ob perseuerantiam; licet hæc sit aliqualis conditio.

Doctrina Cardinalis Lugo, cur peccator difficulter vitet peccata.

Cardinalis Lugo ea sect. 4. conatur in intrinsecam volũtatis inclinationem reducere eum lapsum in peccatum, quàdiu pœnitentia differtur; quia ea est natura & propensio nostri arbitrij ad propria commoda, & ad bona sensibilia, vt nisi violentia sibimet facta, & repetito desiderio efficaci salutis æternæ ac boni increati, resistere tentationibus contra legem Dei non possit; vt apparet in antiquis Philosophis; ille ergo qui admisso semel peccato mortali auertit se ab amore vltimi finis, conuertitque affectum suum ad bona sensibila, facilè labitur in alia peccata, quamdiu non reformat suum affectum, eumque ad vltimum finem non conuertit; non quia desint ei vires ad resistendum, sed quia modus aptior ad resistendum est per efficacem affectum ad bonum increatum. Quòd si dicas, Eum affectum ad sensibile bonum sufficienter corrigi per actum attritionis, qui tamen ad iustificationem non sufficiat; respondet, Moraliter non contingere, vt qui habet eam attritionem, non se vlteriùs disponat ad iustificationem vel per Sacramentum vel per contritionem. Hanc obiectionem & responsum fusè iterùm repetit à num. 244. hanc tamen obligationem non condistinguit ab obligatione seruandi reliqua præcepta.

19 *Examinatur, circa quam est difficultas prima,*

In hoc tamen puncto aliqua video difficilia; Primò, qui si homo habet vires morales ad resistendum tentationibus per actum amoris Dei aut contritionis vniuersalis; profectò à fortiori poterit resistere per alterum actum, quo dicat, *Nolo me inebriare*; id quod optimè Suarez notauerat; quia enim non videat longè facilius esse etiam pro homine ad bona sensibilia propenso dicere, *Nolo furari*, quàm dicere, *Nolo vllum omnino peccatum mortale committere, etiamsi ipsum infernum deberem propter hoc pati*. Neque est ad rem, quòd nobilior sit modus vincendi per illum affectum amoris Dei quàm per alterum particularem: inde enim non infertur illum esse faciliorem; de quo solo puncto nunc agimus; imò sequitur esse longè difficiliorem, quia plus includit quàm alter modus minùs nobilis, ergo si adueniente tentatione etiam ille, qui pœnitentiam distulit, potest resistere per amorem Dei super omnia, non tenebitur antea pœnitentiam agere, nec etiam tunc, quia faciliùs poterit eo amore omisso resistere; & (vt verum fatear) non capio, quomodo ex propensione nostri liberi abitrij ad sensibilia inferatur, nos non posse vnum peccatum vincere, & tamen possimus omnia fugere, & amorem Dei super omnia habere: ergo ad rem præsentem nihil iuuat illa pœnitentia.

Secunda, Secunda difficultas, quam in hac doctrina video, est, eam non esse specialem necessitatem pro eo qui peccauit præ iustis omnibus; nam & hi habent arbitrium propensum ad sensibilia bona; ac proinde etiam debebunt ex hoc capite adueniente occasione peccati habere eamdem necessitatem eliciendi actum amoris Dei. At nos hic solùm agimus de obligatione speciali illius qui peccauit præ iustis. Potiò eamdem esse rationem de iustis mihi videtur certissimum. Pone hominem qui ex aliquo graui timore ante mensem iurauit falsò, iam verò est eius peccati plane oblitus, ac si nihil effecisset; neque vllum aliud habet peccatum graue; pone etiam alium hominem, iustum tamen, vtrumque ex se æquè ad comedendum inclinatum; occurrat occasio ieiunij, cur quæso in hoc genere peccati difficiliorem se sentiet ille, qui ante mensem iurauit, quàm hic alter; Certè habitus iurandi directè non inclinat ad comedendum, vt per se est notum, indirectè autem, quatenus qui semel vnum peccatum commisit, faciliùs nunc admittet alterum, etiam in tali casu non inclinat, quia id non potest non fieri, nisi ille sit memor se iam admisisse vnum peccatum; propterea supposui illum esse immemorem sui iuramenti falsi. Non loquimur nunc etiam de auxilio fortiori, quod Deus subtrahere potest ratione peccati; de hoc enim paulò antè; sed de maiori facilitate intrinseca ex minori propensione adiciunium: in quo puncto planè non est explicabile, quare maiorem vnus quàm alter habeat inclinationem, maximè cùm (vt suppono) habitus supernaturales, quos habet iustus præ altero, non inclinent, nec faciliter ad actus, ideoque neque ex hoc capite possit vlla sumi differentia.

Tertia difficultas circa hunc discursum est; nam si bonus est, illud maximè probat hominem 20
teneri statim ad pœnitentiam post peccatum *Tertia,*
commissum; nam habitus ille vitiosus relictus ex vnico illo iuramento falso (si tamen vnicus actus habitum producit; de quo alibi) maximè inclinat, quò recentior est: habitus enim, siue quia reuera pereunt otio, vt ego puto, siue quia (iuxta alios Auctores) obruuntur per alios actus certissimum tamen apud omnes est minùs inclinare successu temporis quàm dum recentiores sunt; ergo maximè tenebitur homo statim pœnitentiam agere, vt eam inclinationem tunc corrigat,

tigat, quando maxima est; minùs autem obligabitur deinde, cùm successu temporis per se langueſcit, & debilis redditur, vnde vtrumque hoc prouenit, vt dixi; consequens autem est omnibus contrarium; nam omnes dicunt ratione eius periculi non esse vllam obligationem faciendi statim pœnitentiã, quia ad breue tempus potest vitare noua peccata etiam peccator; ergo etiam ex ea propensione nihil infertur.

Quarta. Denique quòd dicitur, eum affectum relictum ex peccato non tolli sufficienter per actum attritionis, aut hunc non posse diu durare, nisi cogat ad contritionem, aut ad Sacramentum Pœnitentiæ, habet magnam difficultatem; etenim habitus ille naturalis iurandi primo eo actu acquisitus tolli potest per actum contrarium, quo nolit iurare falsò vnquam, esto non ponat nisi motiuum aliquod indifferens, aut venialiter malum; ergo nec quidem ratio est vlla cur necessaria sit: quòd si tamen ea sit, non statim cogit ad iustificationem procurandam, si ea dur ret physicè per multos dies, fortasse id præstaret; at si semel habeatur post peccatum commissum, & deinde solùm maneat habitualiter, non video vnde obligare deinde debeat ad contritionem: actus enim iam non existens quomodo cogat voluntatem; Non est ergo ex hoc capite noua obligatio ad pœnitentiam desumenda, nisi fortè habitus vitiosi sint valdè intensi, tunc enim sine dubio grauior erit inclinatio, at hoc totum est per accidens ad rem nostram, quia hi habitus possunt etiam manere in iusto, vt sunt in inueterato peccatore recenter converso, & e contrario potest homo esse in peccato sine talibus habitibus intensis.

21 Reiicitur confirmatio. Lugo. Vnde confirmatio quam hic Auctor addueit pro suo intento, minùs est bonarea desumitur ex experientia, qua videmus hominem, qui ardenter vel honorem vel corporis voluptates insectatur, etiamsi dolore aliquo remisso peccatum in confessione retractauerit, posteà tamen data occasione honoris aut voluptatis facillimè relabi propter vehementiam affectus, quem in confuso tantùm retractauit. Vnde additur, nos non audere huiusmodi hominibus in confessione distinctè proponere pericula & tentationes quæ occurrere possunt; quamrò ergo magis necesse erit humano modo eos iterùm relabi, qui nec quidem eo modo remisso retractarunt suum peccatum per vllum actum pœnitentiæ; ergo tenetur homo hanc non differre valde diu propter obligationem seruandi reliqua præcepta. Dixi hanc confirmationem non esse bonam; Primò, quia ea non tam fundatur in peccato, quà purè habituale est, de quo nunc agimus, quàm in magna intensione habituum vitiosorum: quæ duo sunt inter se inuicem separabilia; nam, vt ostendi, potest homo esse in peccato habituali ob actum vnicum, qui fortè nullum habitum inclinantem reliquit; quia vnus solus actus non generat habitum, aut certè adeò remissum, vt statim euanescat, si eliciatur actus alius ei contrarius, esto non sit attritio cum contritione; è contrario ità possunt esse vehementissimi habitus inclinantes ad peccatum sine peccato habituali & sine obligatione agendi pœnitentiam de qua præcisè nos hic agimus, vt constat in hoc ipso exemplo de quo agimus; illa ergo obligatio pœnitentiam agendi non rectè fundatur in ea proclinitate hominis ad peccandum.

SVBSECTIO QVARTA.

Respondetur aliis duabus obiectionibus.

TErtia dissumebatur (vt suprà vidimus) ex eo, quòd peccatum sit iniustitia contra Deum, ideoque statim obliget ad satisfactionẽ. Huic putat Cardinalis Lugo non posse aliter respondeti, quàm negando peccatum esse veram & propriam iustitiam contra Deum. Ego tamen iudico per hanc solutionem neque satisfieri adæquatè argumento, neque pro solutione necessariam tradi doctrinam; etenim hic Auctor licet dicat non omnia peccata esse iniustitiam contra Deum, id saltem admittit in multis: in illis autem habet locum obiectio posita, cùm Theologi, vniuersaliter loquendo, de nullo peccato præ alio dicãt esse obligationem speciali statim faciendi pœnitentiam, sed vniuersaliter de omnibus disputant. Quòd verò necessaria ea doctrina non sit pro argumenti solutione, constat ex dictis à me Tomo 1. disp.3.n.42. vbi tetigi simile argumentum, quod fieri potest ad probandum peccata non esse iniustitiam contra Deum: respondi autem illi ex P. Lutradi doctrina Tomo 1. in 3. Par. disp.12. à §.95. dixique obligationem statim restituendi aut satisfaciendi oriri ex damno, quod per se patitur dominus quamdiu priuatur re propria; redditur enim illi impossibilis vsus illius, ac proinde tenemur statim restituere: quod idem est, si alterum læsimus in fama aut honore; teneor enim malam illam opinionem de tali persona à me in alios cautam & adhuc durantem auferre statim: quia quòd illi diu iudicent falsè me esse iniquum, est malum meum, ac proinde debet ille, qui hoc causauit, procurare cùm primùm vt restituat mihi eum honorem. Vnde si apud alios ingenerassem ego malam opinionem de Deo, teneret haud dubie statim procurare, vt illi reuocarent malum eum conceptum. Quando ergo è contrario ex iniuria Deo illata nullum aliud damnum extrinsecum ipsi secutum est, quàm quòd ego fuerim in illum irreuerens, tunc non est obligatio satisfaciendi statim: id quod (vt dixi) pulchrè P. Mandoza deduxit; & ego aliquid antea dixeram Tomo 6. Possetque hæc res adhuc vlteriùs sic declarari: Nam obligatio nostra est (etiam supponimus) tantùm ad semel habendam contritionem, aut amorem Dei; per hoc autem, quòd ego potiùs hodie quàm cras efficiam illum amorem, nihil plus minusve do Deo, quia semel tantùm pro vnica vice erat habiturus illum: attento autem præcisè iure iustitiæ non videtur esse res grauis momenti, quòd hodie detur vel cras, maximè cùm Deus qui ab æterno æqualiter videt res futuras hodie ac heri existentes, ideoque æqualem per totam æternitatem habet voluptatem ex bono opere, quod præuidet futurum post mille annos, ac quod vidit futurum ab initio mundi: ergo nihil omnino sit in damnum ipsius ex dilatione eius satisfactionis. At in rebus quæ habent vsum continuum, & respectu hominum sunt bonæ, pallium, agri, pecunia, &c. sine dubio ea dilatio est nociua, quia & impedit partem vsus aut opportunitatem vtendi iuxta placitum: ideoque dilatio est contra iustitiam, nisi dominus illius rei cedat suo iure in eam accelerationem institutionis aut satisfactionis. Restat tamen adhuc respectu Dei alius titulus, vnde contra nostram doctrinam probari videtur ea obligatio statim agendi pœnitentiam: is autem

22 Ad tertiam respondet Cardinalis Lugo: Sed reiicitur. Responsio nostra. Quando tenemur statim satisfacere.

23 Ad quartã An saltem ratione cbseruantiæ in Deum teneamur statim pœnitere:

tem

idem dico etiam coram imaginibus. Fateor quidem inter homines esse assignata quædam tempora,aut occasiones,in quibus si homo Regem, aut Imperatorem,aut alias personas non colat, censeatur positiuam irreuerentiam admittere; coram illo etiam debere me esse perpetuò detecto capite,aut non sedere,&c. At id nimis multum in nobis respectu Dei probaret,scilicet debere nos perpetuò esse in actuali adoratione ipsius;id quod est extra mentem horum & omnium aliorum Auctorum. Ratio à priori est,quia hæ actiones in hominibus non tam vsurpantur per modum cultus & adorationis quàm per modum signi inferioris meæ conditionis, & longè 28
à Regia distantis. Vnde aliqui, qui sunt me in altiori honoris gradu,etiamsi alioquin & ipsi teneantur colere Regem vti ego, possunt tamen vel tegere,vel sedere coram illo; hæc autem respectu Dei nullo modo vrgent, quia distinctio mei à Deo aliunde est satis clara, ideóque non obligat nos cultus Dei ad eliciẽdos huiusmodi actus adorationis, quoties quasi de nouo sumus in ipsius conspectu:ergo ex eo quòd Fides sit cultus Dei,nihil planè infertur de ea obligatione, Quod verò dicebatur in prima ratione de necessitate maiori actus Fidei etiam non vrget: nam inde summùm posset probari,quòd teneret de nouo credere, quando occurreret ea necessitas efficiendi actum supernaturalem, pro quo ille Fidei esset necessarius:ea autem necessitas non tam citò occurrit; nam ad implenda ordinaria præcepta naturalia non requiritur actus supernaturalis in substantia, & pendens à Fide: ergo adhuc vrget ea instantia ex actu Fidei.

Regeritur prima disputatio Lugo.

Responsio nostra,quia qui non credit statim,iudicat Deum esse mendacem.

Fortassis responderetur faciliùs,si diceremus, qui discredit Deo dicenti, eo ipso illum saltem implicitè iudicare mendacem: est ergo tunc apud eum hominem Deus in mala opinione,& habet,vt sic dicam, amissum suum honorem; ergo tenetur homo ille deponere cùm primùm eam malam opinionem de Deo;nam si dixissem ego alteri Deum esse mendacem, & ille hoc credidisset, sine dubio tenerer ego statim procurare, vt ille eam falsam opinionem de Deo deponeret: ergo si ego in meipso illam concepi, teneor illam statim deponere:totum enim damnum extrinsecum,quod patitur Deus, si Petrus illum iudicet esse fallacem, patitur, si ego idipsum iudicem: teneor ergo statim ego deponere eum malum conceptum: non possum autem illum deponere, nisi iudicando illum vera dixisse; hoc autem ipsum est iam illi credere; ergo. Non ita contingit in aliis peccatis, quia per illa non sentio malè de Deo: ac proinde esto statim pœnitentiam non habeam, non patitur quidpiam apud me bonum Dei nomen & fama: ergo etiamsi tenear hæresim aut infidelitatem statim abiurare, non tamen teneor agere pœnitentiam statim de quolibet peccato.

SVBSECTIO QVINTA.

Satisfit instantiæ de correptione fraterna.

29 QVinta obiectio est ex ea instantia de correptione fraterna:circa quam valdè multa dicuntur ab Auctoribus, quæ examinat Suarez disp.18.sect.5.& Lugo sect.11. à num. 205. ad 215.& Vasquez quæst. 86.art.2. dub. 5. vbi hic Primò refert solutionem Adriani & Medinæ asserentium, nos non teneri statim ad correptionem proximi; vnde facilè inferunt hi duo, nec teneri nos ad correptionem nostram statim seu ad pœnitentiam; Canus, quem Vasquez & Lugo sequuntur, reiicit hanc solutionem,quia correptio proximi data opportunitate non potest differri. Ego tamen (vt verum fatear) non video qua consequentia Vasquez & Lugo eam solutionem Adriani reiiciant, cùm ipsi paulò post absolutè respondeant, non esse obligationem corripiendi proximum statim, sed quando posteà occurret periculum committendi nouum peccatum:hoc enim tempus Adrianus & Medina dicere possent esse eam opportunitatem pro correptione:ac proinde ea solutio videtur planè relabi in solutionem Vasquez & Lugo, nisi fortasse Adrianus putauerit eam correptionem ordinari ad hoc, vt proximus exeat ex peccato; Vasquez verò tantùm ad impediendum nouum peccatum. Hæc tamen differentia in rigore non est ad rem præsentem, quia iam solùm dicimus non esse necessarium statim corripere proximum,ac proinde nec nos ipsos: quidquid verò sit de hoc puncto,

Reiicitur à Vasquez & Lugo insequenter.

Secunda solutio sit Cani apud Vasquez docentis,nos non esse dominos sed custodes bonorum proximi:ac proinde debere illum statim corripere,non verò nos ipsos. Hæc solutio meritò reiicitur à Vasquez:nam (quidquid sit de iustitiæ obligatione) saltem ratione charitatis,quæ æquè obligat me ad attendendum meis bonis spiritualibus sicut ad bona proximi, imò multò magis ad mea, tenebor efficere, ne damnum spirituale in me duret, si ex eadem charitate obligor ad illud in proximo non permittendum. Addo ego, nos in rigore non esse propr è dominos bonorum corporalium & spiritualium, etiam nostrorum: habemus quidem dominium physicum, quia physicè possumus ea producere aut destruere; sicut possum destruere pallium Petri v. g. quod apud me habeo. At non video ego, cur licitè magis, etiam intra terminos iustitiæ, possim mihi mortem spiritualem inferre quam proximo: & similiter dico, nec nos esse verè dominos nostræ vitæ temporalis,de quo puncto alibi.

Secunda solutio:

Reiicitur:

Adducit Canus vnam instantiam,quæ multis facessit negotium,ait enim: Si ego videam bouem proximi iacentem in fouea, & possim illum extrahere,teneor id facere,si tamen meum bouem videam, non teneor:ergo magis obligor circa proximi bona quàm circa mea. Vasquez ad hanc instantiam respondit, eamdem esse rationem de meis & proximi bonis:nam si proximus videat suum bouem iacentem, & id toleret; ego etiam non teneor extrahere, sicut nec meũ. Lugo reiicit hanc explicationem Vasquez,quia inde sequeretur nullam esse obligationem correptionis fraternæ; quia proximus voluntariè peccat. Facilè tamen Vasquez responderet; Se per eam doctrinam solùm voluisse ostendere instantiam à Cano allatam ex differentia illa circa meum & alienum bouem,nihil valere; quia eadem est obligatio circa vtrumque:per hoc tamẽ se non obligauit Vasquez ad dicendum,non teneri nos corripere proximum, etiam quando voluntariè aliquod malum incurrit;est ergo sufficienter explota ea instantia Cani à Patre Vasquez. Eidem instantiæ respondit aliter Suarez num.31.admittendo pro argumento, esse eam obligationem maiorem curandi alienum boũ; (quod tamen non iudicat absolutè verum;) ne-

38 *Replica.*

Soluitur bene à Patre Vasquez.

Et à Patre Suarez.

Prima solutio.

gat tamen consequentiam ad bona spiritualia; quia in his charitas magis obligat me circa meipsum quàm circa proximum: vnde rectissimè concludit, per eam instantiam non satisfieri argumento de correptione proximi. Neque hæc responsio placuit Cardinali Lugo num.10.quia adhuc manet difficultas, quomodo charitas, quæ solùm obligat ad diligendum proximum, sicut meipsum, magis tamen vrgeat me ad iuuandum proximum quàm meipsum. Verùm hæc impugnatio non est contra Suarez,qui expressè eo numero 31.dixerat, ex lege charitatis spiritualis, ad quam pertinet fraterna correptio, magis nos teneri erga nos quàm erga proximum; vnde dixerat optimè, quidquid de ea instantia Cani è bobus desumpta sit,nondum ab illo satisfactum argumento;quia saltem in rebus spiritualibus magis obligamur ad attendendum nobis quàm proximis;licet in corporalibus aliquando possimus magis negligere propria quàm aliena; contra quam responsionem non video quid faciat ea replica Cardinalis Lugo,qui relictis aliis solutionibus ait, principium illud correptionis fraternæ fundari in ea regula naturæ lumine nota; *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim Lex & Propheta*;quam Christus tradidit Matthæi 7. vnde infer, Nos non solùm obligari ad succurrendum proximo indigenti,sed etiam non indigenti; quia & nos etiam id nobis fieri vellemus vnde etiam si frater ad non peccandum non indigeat nostra opera;nam cùm liberè peccet,potest etiam sine nobis non peccare;nos tamen tenemur illum iuuare correptione,quia nos in similibus circumstantiis positi idipsum vellemus nobiscum fieri; ex qua regula infert aliquorum casuum resolutionem.

Solutio Cardinalis Lugo:

13 *Relicitur.*

Ego tamen in primis difficile iudico in ea regula sic intellecta posse fundari obligationem hanc sub peccato; quia nimis multum videtur probare illud principium, *Omnia quæcumque vultis vt vobis faciant homines, & vos facite illis.*Nam si Petrus v.g. habet centum millia aureorum,ego sanè vellem vt donaret mihi mille; non tamen ideò teneturille id sub peccato facere; neque ego,si ea centum millia haberem, teneret id facere ad Petri petitionem,vnde iudico eam sententiam Christi magis esse per modum consilij quàm strictæ obligationis. Responderi fortasse posset, *τὸ omnia quæcumque vultis, vt vobis faciant*, &c. debere non absolutè intelligi de quacumque voluntate, sed de rationabili. Sed contra,quia hic sensus etiam non est omnino verus; vel enim *τὸ rationabiliter* inteligitur præcisè pro *licitè*, & sic falsum est; nam licitè possum ego optare, vt qui habet centum millia deuet mihi mille,& tamen non ideò ille ad hoc tenetur: vel *τὸ rationabiliter* significat,quòd ita ego id velim,vt alter teneatur id facere:& in hoc sensu nihil declaratur,sed dicitur idem per idem. Putarem ego illud principium naturale, vt sit obligatorium,debere non tam per affirmatiuam quàm per negatiuam propositionem explicari,id est, *Damnum,quod tibi non velles inferri à proximo,alteri ne feceris*:& ita communiter dicitur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: hoc autem sensu non habet illam vniuersalitatem, quæ videtur esse difficilis.Quidquid verò de hoc sit,Secundò censeo in ordine ad correptionem posse nos vti hoc ipso principio per eam negationem explicato. Nam permittere hominem in peccatum labi,quãdo possumus illud impedire, est saltem indirectè facere proximo damnum graue, quod nos non possumus etiam in nobis licitè permittere; vnde fit, vt in hoc puncto eadem sit obligatio quoad nos,quæ quoad proximum;vti docent Vasquez,Suarez,Lugo,& priùs (vt notauimus suprà) videntur idem docuisse Adrianus & Medina;quare sicut ego ex charitate propria teneor non peccare,ita ex correptionis præcepto teneor non permittere proximum in peccatum labi, si possum illud impedire.Vti verò non teneor ego pœnitentiam statim agere, ita non teneor proximum in ordine ad hoc vrgere,seu corripere; vti denique data occasione, in qua quemlibet obligat pœnitentia,ego obligor ad illam faciendam; ita obligor, vt proximum inducam ad faciendam; seu obligor tunc ad correptionem fraternam.Vnde tandem constat ex hac instantia nihil contra nos inferri.

Nostra responsio,coincidens cũ solutione prima.

SECTIO III.

Pro quo tempore sit ea obligatio.

IAM restat explicare,quod tandem sit illud tempus, pro quo illa obligatio vrget. Et quidem si antea non sit facta pœnitentia,obligare circa horam mortis,aut quando est graue periculum vitæ,certo certius videtur;quia tunc est maxima necessitas illius,vt diximus. Præterea si tunc non vrgeret obligatio, numquam vrgeret, quia post hanc vitam non est locus agendæ pœnitentiæ;quæstio ergo est,Vtrùm ante illud tempus obliget,& quando. 32

SVBSECTIO PRIMA.

Quid sit in hac quæstione dicendum.

DIuus Thomas in 4. distinct. 17. quæst.1. art.4.agens de confessione vt est sub præcepto diuino, ait ad illam non obligari nos nisi in articulo mortis; & videtur esse eadem ratio de pœnitentia intentiori:pro eadem sententia citat Suarez Durandum, Medinam, Caietanum Scorum & Nauarrum, quos sequitur Vasquez hæc quæst.86. art.2. dub.6. qui solùm loquuntur ex natura rei, & per se,nisi ex præcepto Ecclesiæ citiùs obligemur, aut ratione alicuius actionis,ad quam hic & nunc teneamur,& eam licitè exercere nisi in gratia nõ possimus. Ratio huius est, quia nullum potest esse caput, quod ostendat alio tempore esse eam obligationem,vt ex præcedentibus colligi videtur;quandoquidem nec ratione periculi salutis,nec ratione charitatis in Deum potest citiùs esse ea obligatio.

Diuus Tho. mas.&c.docẽt nõ esse obligationẽ nisi in mortis articulo.

Contraria tamen sententia longè est cõmunior, pro qua afferri solent loca aliqua sacræ Scripturæ,quæ(vt benè notauit Lugo)non tam sunt contra homines differentes pœnitentiam, quàm contra non deferentes peccata.Ex Patribus faciliùs possent afferri testimonia aliqua, quia illi sæpè inuehuntur fortiter in eos qui differunt pœnitentiam;licet etiam hi ipsi magna ex parte disputent contra non cessantes à suis peccatis; fortasse vtrosque sæpè per modum vnius accipiunt,quia illi,qui omnino cessant ab actualibus peccatis, raro diu differunt pœnitentiam. Vbi obiter miror à Patre Suario & Tannero citari pro hac sententia verba hæc D.Bonauenturæ 33

Citraria sententia est cõmunior.

Tomo 1. Opusculorum, in Collatione de contemptu sæculi; vbi ita loquitur: *Hoc verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita.* Hæc inquam miror adferri, cùm expressissimè ibi sit sermo de persecutantibus in actualibus peccatis, vti verba ipsa manifestè sonant. Quidquid de his testimoniis sit, sententia hæc est communis inter Recentiores: eam Suarez tradit suprà sect. 6. Coninch d. p. 3. dub. 3. num. 35 Lugo ea sect. 11. Tannerus num. 61. & alij. Pater Suarez Primò ponit aliquos casus, in quibus quasi ab extrinseco potest esse ea obligatio: eosdem etiam ponit Tannerus n. 57. qui tamen non tradit eas considerationes ac limitationes circa illos, quas prudenter Suarez tetigit: quia reuerà (vt constabit) aliqui ex illis non videntur subsistere. Primus quidem, quando occurrit occasio obligans ad actionem, quam licitè in statu peccati facere non possumus, est clarissimus, & iam nos illum tetigimus: vt si cogor audire confessiones, aut aliud administrare Sacramentum, pro quo gratiæ status requiritur, de hoc casu explicatis terminis dubium esse non potest.

Varij casus, in quibus est illa obligatio.

Primus:

34 *Secundus:*

Qui tamen vix potest defendi.

Secundus sit ex Scoto & aliis, quando occurrit vehemens tentatio, pro qua superada sit necessaria moraliter amicitia diuina. Circa hunc tamen casum notat Suarez vix posse moraliter contingere, quia ad vincendam quamcumque tentationem sufficit auxilium gratiæ excitantis & adiuuantis; nullúmque est è contrario principium, vnde homo sibi persuadeat non posse tale auxilium obtineri sine gratia habituali. Notat Secundò, tunc eam contritionem non esse medium ad vincendam tentationem, sed esse ipsam victoriam; vbi optimè addit id (quod nos in simili notauimus contra Cardinalem Lugo) facilius longè tunc posse vinci eam tentationem per omissionem consensus in furtum v. g. quàm per contritionem; quæ est longè difficilior: vnde Scotus videtur exigere medium difficilius quàm sit ipse finis intentus. Denique addit, si consideretur ea pœnitentia, non vt necessaria ad vnâ numero tentationem vincendam, sed vniuersaliter ad totam vitam componendam, probabiliter posse ex eo capite illam dici nec sfariam: neque hoc tamen ipsum approbat, quia etiamsi homo non sit in statu gratiæ, potest tamen in quolibet tempore determinato sperare auxilia sufficientia ad vincendam tentationem.

Tertius sed improbabilis:

Tertius casus est, Si Reipublicæ immineat graue aliquod malum: at ad illud auertendum necessum sit hominem esse in statu gratiæ, vt Deum exoret. Verùm hic casus, vti duo priores, planè ab extrinseco desumitur, & sine fundamento sufficienti confingitur à Nauarro, Petro Scoto Adriano & Tannero: nam malum illud solùm obligat ad orandum Deum, vt pro sua misericordia illud impediat: ad quam orationem non est necessarius status gratiæ (vt benè notat Suarez) qui quidem non defendit hunc casum absolutè, vti eum refert Tannerus: cuius fundamentum est: nam quilibet, saltem ex charitate circa bonum commune, tenetur quoad potest remouere causam exardescentis aduersus communitatem iræ diuinæ: causæ autem sunt

35 peccata nostra: ergo. Deinde etiam eo casu tenetur tollere impedimentum, quod elicit, quò minùs Deus preces bono communi necessarias exaudiat. Vnde subiungit, hunc casum tam rarum non esse quàm Suarez putat. Nihilominùs ego iudico non esse absolutè admittendam eam obligationem, alioquin, quandocumque est bellum in Republica, quandocumque pestis, quandocumque siccitas, quandocumque fruges periclitantur, tenebitur homo sub peccato contritionem elicere, aut confiteri, si in mortali sit: cumque vna aut altera similis calamitas in Republica aut Regno vix vmquam absit, profectò semper deberemus eam obligationem admittere: hoc autem quis non dicet esse durissimum? Imo addo ego, ex hoc capite fore nos obligandos sub mortali etiam ad contritionem de venialibus, imò ad deserendas imperfectiones alias, quæ sæpè nec venialia sunt, vt in Religiosis regularum transgressiones; hoc autem apertè est falsum Probatur verò sequela, quia etiam ob similes imperfectiones Deus non audit nostras preces, immittit etiam similes calamitates: quòd si grauiter obligamur ad causas illorum vitandas, aut ad impedimenta quò minùs exaudiamur tollenda, etiam obligabimur grauiter ad deserenda omnia ea venialia. Certè S. Catharina Senensis tribuebat suis imperfectionibus causam bellorum illorum, quibus tunc temporis Christianus orbis exagitabatur: nemo tamen ob id dixit eas imperfectiones transiisse in culpas mortales: id quod etiam in eiusdem S. Virginis opinione habet locum. Absolutè ergo respondeo Primò, Prudentissimè posse quemlibet iudicare tunc alias esse causas, ob quas Deus ea mala permittat. Respondeo Secundò, Fortè nec me teneri orare, vt illa à nobis auertat: sc. posse me licitè acceptare illa patienter in satisfactionem peccatorum meorum aut saltem in aliquam castigationem: (eò enim quòd in mortali sim, non possum propriè satisfacere.) Vti non teneor, si sim infirmus, orare pro sanitate: multò ergo minùs tenebor tollere impedimenta planè dubia pro exauditione. His ergo casibus omissis, tum quia incertis, tum quia non ab intrinseca obligatione contritionis promanantibus, circa punctum præcipuum de tempore, quo per se obligat cõtritionis seu Sacramentalis confessionis præceptum (abstraho iam à lege Ecclesiastica) dicendum est cum Suario, Tannero, Lugo & aliis, non posse quidem nos vllum certum determinare ideóque potiùs explicandum hoc præceptum per modum negatiui, hoc est, non differendi ad mortem vsque pœnitentiam: quo autem tempore obliget, vix posse decidi: sed arbitrio prudentis viri hic & nunc ponderantis circumstantias, &c. decidendum.

Et nimis mul malitiam prob.

36 *Relicitum absolu è ille tertius casus;*

Nullam potest tempus determinari, quo per se teneamur ad pœnitentiam ante mortem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vnde ea sit obligatio probanda.

37 PAter Suarez putat eam obligationem non desumendam ex periculo æternæ salutis, quia semper potest sperare locum pœnitentiæ: quòd autem per statum peccati patiatur iacturam aliquam bonorum operum, non inducit obligationem: nemo enim tuetur speciali præcepto ad procurandum augmentum gloriæ: censet ergo ex charitate in Deum meliùs deduci hanc obligationem quia verò simile non est infinitam Dei bonitatem non obligare ad amorem sui nisi in articulo mortis: tanta enim dilatio est planè contraria fini præcepti, quod ordinatur ad diligendum & coniungendum hominem cum suo vltimo fine Deo: pro hac au-

P. Suarez probat ex bonitate in Deum.

tem directione non debeat articulus mortis exspectari, quia iam tunc non esset directio vitæ in Deum, sed mortis. Ego quidem omnino iudico præceptum amoris Dei obligare ante mortem, vt hæc obligatio non ex propriè ad pœnitentiam ratione peccati prius commissi, cùm to a ea obligatio sit in illo qui nũquam peccauit; nos autem quærimus hic obligationem pœnitentiæ qua talis, ac proinde ortam ex peccato commisso. In quo puncto (vt verum fateari) mihi maximè placet ea ratio, quæ ex charitate propria & periculo damnationis æternæ desumitur; & reuerà maximè videtur huiusmodi ratio è mente Christi Domini, qui passim in Euangelio eam vigilantiam suadet vt maximè necessariam; *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* item: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Id quod repetitur in Euangelio sæpè; non solùm autem volunt ea verba suadere cessationem à nouo peccato, sed de præcedente pœnitentiam: si enim hanc non fecit homo, profectò non est paratus ad Dominum excipiendum; non habet lucernas ardentes, non lampades accensas, &c. Neque potest etiam dici ibi Christum solùm dedisse consilium; etenim cùm agat de re in qua æterna salus consistit, in qua si erretur, nulla possit amplius esse correctio: profectò non consilium, sed obligationem significasse dicendus est. Neque Secundò potest responderi, Ibi solum esse impositum præceptum positiuum, nos verò solùm agere de naturali. Hoc inquam dici non potest, quia Christus eam necessitatem pœnitentiæ ostendit ex ipsa incertitudine vitæ & aduentus iudicis, quæ ex natura rei non ex præcepto positiuo oriuntur. Periculi item magnitudo circa æternam salutem antecedens est omne præceptum, ergo obligatio illa est naturalis.

Melius probatur ex charitate propria, & ex verbis Christi.

Matth. 24. Matth. 25.

Quæ ostendat obligationem naturalem.

38 Maior fortasse posset esse ratio dubitandi circa hunc locum, quod nimis multum probare videatur, scilicet non licere differre pœnitentiam, ne quidem ad mensem; quia etiam intra illud tempus vrget periculũ ex quo Christus eam obligationem desumsit. Respondeo, Illud periculum non debere accipi quasi metaphysicè, sed moraliter: ad vnum enim vel alterum mensem, maximè si homo benè valeat, moraliter res est exigua; quando tamen dilatio est ad longum valdè tempus, vt qui v.g. putat se victurum duos aut tres annos, ideoque non citiùs cogitat facere pœnitẽtiam; profectò suam salutem exponit periculo maximo, quia intra tam longum tempus, moraliter loquendo, multa valdè possunt euenire, quæ eam pœnitentiam ex integro impediant; mors repentina, morbus auferens vsum rationi, deinde quòd Deus ipse irritetur ad negandum locum pœnitentiæ homini, qui æternã suam salutem adeò parum curat.

Dubiũ, quòd ea verba nimiùm probent.

Soluitur.

Replica: Ergo non peccat, qui semper de die in diem, nõ verò vna vice in longũ tẽpus differt pœnitentiam.

Dices; Ea ratio habere potest locum, quando homo voluntariè habet propositum illud non faciendi pœnitentiam vsque ad mortem; quia tunc eo actu amplectitur totum illud periculum, quod intra longum tempus euenire potest: at si sine huiusmodi proposito, imò cum contrario v.g. agendi citò pœnitentiam, semper tamen eam procrastinet vsque ad mortem, non videtur peccaturus; quia tali modo numquam differt nisi ad breue tempus, ac proinde numquam se exponit graui periculo: si enim differre ex hodierna die vsque ad mensem v.g. non est periculosum; ergo neque erit periculosum deinde exillo mense deferre ad alium; quia per se loquendo non possunt maiora pericula occurrere illo mense quàm isto: vtrumque enim est æquale tempus. Respondeo, Verum quidem esse, non tam manifestè apparere malitiam in hoc secundo modo differendi pœnitentiam, quàm in illa volitione complectẽte totum illud tempus; nihilominùs quando ille cum eis suis limitatis dilationibus, quibus vel se, vel Deum vult decipere, peruenit iam ad longum tempus, & adhuc vlteriùs differt; dico eum iam implicitè velle longum tempus scilicet & præteritum, in quo iam supponitur neglecta pœnitentia; & alterum, quod superaddit, per quod facit longam dilationem. Vti quando à Petro furatus est quis materiam summam infra mortale, si velit addere iam vnam partem, esto in se leuem, peccat mortaliter, quia virtualiter fatetur materiam grauem. Quoad periculum ergo dicimus in primis in ordine ad Deum irritandum, ne homini non tribuat locum pœnitentiæ, idem omnino esse, & fortè peius, eo modo differre; quia illa ipsa inconstantia in eis propositis est quodammodò peior, quàm si vno actu distulisset pœnitentiam. Secundò quoad extrinseca pericula etiam est magna in ea dilatione temeritas; nam si feliciter euaserit vno anno, difficilius est, quod etiam feliciter secundo & tertio euadet; ac proinde graviori longè periculo se exponit quàm in primo solo. Vti qui ludit aleis, si prima vice cupiat vitare duas vnitates, seu infimum numerum in altis duabus, faciliùs potest id sperare, quàm postquam decies projecisset, & numquã prodiisset ille numerus, possit idipsum sperare pro vndecima projectione; quia postquã sæpiùs non obtigit, faciliùs imo magis necessariò iam euenit. Vnde dici solet, Toties testa ad fontem venit, donec frangatur; & sanè prima vice potest quis prudenter minùs timere fractionem quàm secunda, secunda minùs quàm tertia, & sic de reliquis. In periculis autem vitæ hoc ipsum est manifestum independenter omnino ab ea certa veritate, quòd res aliqua faciliùs intra centum dies eueniat quàm intra vnum. Nam homo quò magis ad senectutem accedit, habet naturam magis expositam morbis; ac proinde magis contingens est, quòd repentè aliqui ei eueniat, vnde impediatur à pœnitentia.

Talis implicitè vult longã dilationem, scilicet præteritam & ad. hunc futurã.

39

Quò quis senior, tãtò periculosius differt pœnitentiam.

Non acquiescès tamen, & contra hanc vltimam rationem dices, ea nimiùm probari, scilicet si aliquis valdè senex iam peccaret, non posse illum ad mensem differre pœnitentiam: quia faciliùs illi intra hunc mensem aliquid potest contingere ob grauem ætatem quàm iuueni aut viro, etiamsi hic distulisset pœnitentiam per duodecim annos: atqui hic tenetur eam nõ amplius differre, nec ad mensem, nec ad diem vt supponimus, & quidem propter pericula; ergo tenebitur etiam senex eam non differre post commissum peccatum, nec quidem ad diem; hoc autem est planè improbabile, nisi casu quo senex ille esset valdè morbidus, & specialiter morti repentinæ obnoxius. Idem argumentum fieri posset etiam in viris & iuuenibus; demus enim tempus longum, vltra quod differre pœnitentiam est mortale, esse tres vel quatuor annos; si adolescens sedecim annorum peccans, non potest ob ea pericula vitæ, nisi solùm ad vigesimum annum ætatis pœnitentiam

Replica: Ergo senex cogitur statim pœnitere.

40 *Idẽ vegetus in viris & iuuenibus.*

differre

differre, ergo & illi iuueni, qui peccasset mense ante vigesimum annum, licitum non esset etiam vltra mensem differre pœnitentiam: quia ad pericula incurrenda per accidens est (si est in eadem ætate cum altero) quòd commiserit, vt dixi, peccatum illud quatuor annis antè, aut certe solùm octo diebus; non debet ergo ex eo capite sumi vlla differentia. *Solvitur.* Respondeo negando sequelam: nam periculum hoc morale non conflatur solùm ex tempore ipso quasi physicè considerato, sed cum circumstantiis præcedentis periculi aut securitatis: hæc enim magnam faciunt ad rem nostram diuersitatem, vti etiam in aliis rebus moralibus. Pone aliquem, qui numquam aleas proiecit, alterum qui proiecit eas quinquies, & habuit semper 12. iam verò vterque velit vna vice proiicere, procul dubio longè faciliùs ille qui numquam proiecit, poterit sperare se habiturum duodecim, quàm ille qui iam quinquies ordine habuit duodecim; quia vix est morale, vt sexies ordine prodeant duodecim; est autem valdè morale, & verò frequenter contingit, vt dum quis proiecit prima vice habeat duodecim; eodem modo facilius est vt cantharus, qui iam aliquoties ad fontem pro aqua acceptus est, frangatur secunda aut tertia vice quà fertur, quàm alius qui simul cum illo prima vice accipitur; quia difficilius est tertia vice non periclitari, quàm non periclitari prima vice, & sic in aliis innumeris exemplis. Hinc dico, eum, qui iam aliquot mensibus in peccato euasit periculum mortis sine animo faciendi pœnitentiam, difficiliùs euasurum iam, etiam hoc vltimo mense, quàm euadet hoc eodem vltimo mense ille, qui primò nunc incipit esse in peccato; quia lumen naturale dictat difficiliùs esse euadere duodecim mensibus, quàm euadere vno.

41 *Replica noua contra solutionem:* Dices adhuc: Si iste illis vndecim præcedentibus mensibus, quibus fuit sine peccato, fuisset in illo, non propterea fecisset sibi pro hoc vltimo mense magis dubiam mortem repentinam, quàm si fuisset in gratia: quia status ille peccati aut gratiæ non addit aut adimit nouum periculum physicè loquendo, repentinæ mortis; ergo si priùs existens sine peccato non se exponeret nunc graui periculo confessionem differens ad mensem, neque etiam se exponet, estò fuisset totis illis vndecim mensibus in peccato. *Solvitur.* Respondeo, Totam hanc replicam pati instantiam in exemplis paulò antè à me allatis; nam etiam dicam ego, Ex eo quòd cantharus iuerit vigesies ad fontem, non facit physicè periculosiorem hanc vigesimam itionem, & tamen certissimum est magis periclitari quàm prima vice, vt superiùs est ostensum; ergo & idem in aliis exemplis. Respondeo ergo absolutè: Si homo ille vndecim elapsis mensibus fuisset in gratia, non fuisset expositus morti subitaneæ Theologicè loquendo, vti iam loquimur, quia coram Deo non fuisset mortuus subitò; si ergo primum iam incipit esse in peccato, iam incipit se exponere tali morti, ideóque non se exponere nisi vno mense: id quod moraliter non reputatur adeò grauiter periculosum. At si anteà fuisset in peccato, iam fuisset expositus tunc ei periculo repentinæ mortis, quòd si iam iterùm velit exponere se vno mense, profectò iam se exponit multo tempore; debet autem quilibet iudicare, facilius esse sibi non succedere infortunium aliquod intra primum mensem solum quàm si periculum euasit vndecim mensibus; quod non eueniet vltimo mense; quia hoc iam esset euadere duodecim mensibus; id quod difficilius est quàm euadere tantùm vnico. Vnde dico; Licet ratione peccati præcedentis per vndecim menses non sit propriè grauius periculum physicè loquendo ex pentinæ mortis hoc mense, quàm si eis vndecim fuisset in gratia negari tamen non posse, maiori periculo se exponere illum qui iungit hunc mensem cum periculo præcedentium, quàm qui incipit hoc mense tentare periculum; hoc autem sufficit, vt hic, qui præcedenti addit iam nouum, censeatur graviter Deum offendere, quia valdè parum curat salutem; ille verò, qui primò nunc incipit, non censeatur nimium præsumere, ac proinde nec censeatur graviter peccare.

42 *Ratio à priori.* Possumus etiam rationem moralem à priori reddere ex dictis, quia pentinæ mortes eueniunt ferè semper ex casualibus aliquibus euentibus, qui à Deo sine vllo planè miraculo per solas diuersas cogitationes, quas huic vel illi homini naturaliter inijcere potest, possunt euitari, v.g. transit hic per eam plateam, vbi ruit domus, vbi cadit tegula; it per aliam, in qua incidit in alium, cum quo, dum ex nugis incipiunt contendere, venitur ad gladios, & se occidunt; vel transit, vbi alij digladiantur, & dum vult eos componere ipse occiditur; vel it ad aliquod conuiuium, in quo se ita infarcit, vt deinde apoplexia extinguatur; aut nimis multùm independenter à conuiuio de cibo aliquo sibi nociuo comedit, &c. huiusmodi ferè solent esse occasiones; nam & illi qui repentè ex interiori aliquo morbo ruunt mortui, probabilissimè ex aliqua vel melancholia graui, vel excessu in hausta, cibo aut ambulatione: vltimò turbarunt in se humores alioquin inter se non benè ordinatos, vt mortem illam repentinam causarent: omnia ergo hæc Deus sine miraculo impedire potuit. Hinc dico, Eum, qui diu in peccato hæret ac diuina bonitate abutitur ad pœnitentiam differendam, sine dubio irritare per se Deum, vt vel non impediat similem casum imminentem, vel certè positiuè disponat, vt in talem incidat pœnam peccati præteriti, accedente tamquam conditione ea dilatione; quæ licet fortè ex se antecedenter ad hoc non sit peccatum, est tamen conditio ad hoc vt peccatum præcedens fortiùs Deum prouocet; ac proinde ex hoc capite reddetur etiam positiuè mala ea dilatio, quia ex eo capite auget periculum mortis sine pœnitentia; hoc autem periculum non augeret ille idem, si hucusque fuisset in gratia, & iam primò peccans solùm differret conuersionem ad mensem. Et satis ad ostendendum hanc obligationem pœnitentiæ non diu differendæ.

43 *Vltra quod tempus obligemur non differre pœnitentiam.* Iam esset noua difficultas in assignando tempore, intra quòd obliget: nam ob hanc ipsam incertitudinem temporis dixere nonnulli, non esse admittendam ante articulum mortis eam obligationem: quia cùm determinari non possit vllum aliud certum illius tempus non videtur futura vllius vtilitatis obligatio: quid enim ea prodest, si non sciatur hora, quam designat? Respondeo, Difficultatem hanc esse communem ferè omnibus præceptis affirmatiuis, in quibus non possumus fixum tempus determinare, quo obligent: non tamen propterea sunt

illa omnia neganda. Iam dixi suprà, valdè esse probabile, dilationé vltra annum esse materiam grauem ex natura rei. Et sanè si multi Auctores graues singulis Festis obligant, non debet videri vel durum, vel sine fundamentuo, dicere, quod obliget saltem singulis annis semel. Deinde ipsum præceptum amoris Dei super omnia, iuxta valdè communem sententiam, obligat singulis ferè annis; ergo à fortiori obligabit hoc pœnitentiæ, quia in eo est tota dilationis obligatio, & insuper ea, quæ desumitur ratione periculi æternæ dãnationis, quæ non est in præcepto amoris, nam si homo supponatur iam in statu gratiæ, nullo modo periclitatur in dilatione amoris: esto enim repentè moriatur, quia tamen supponitur iustus, certò saluabitur; ac proinde ibi bona fides circa dilationem potest excusare hominem; id autem non contingit, si in peccato manés præoccupetur morte repentina ante habitam pœnitentiam, quantumuis bona fide eam distulerit. Non potest ergo negari, quin probabile valde sit, non licere; ex natura rei longiorem in peccato moram texere; fortasse ex inuincibili ignorantia, aut ratione contrariæ opinionis probabilis, poterit excusari in ea maiori dilatione.

Probabiliter non vltra annum

Obiectio: Dices; Nos infrà agentes de præcepto confessionis docebimus, si quis confiteatur anno 40. v.g. prima Ianuarij, non teneri confiteri vsque ad vltimam Decembris 41. vbi interuenit spatium duorum annorum absque duobus diebus: quomodo ergo hic dicimus, non posse Pœnitentiam differri vltra annum; Respondeo, Nos ibi loqui de præcepto Ecclesiastico confessionis, quod potuit pro libitu Ecclesiæ longiorem aut breuiorem terminum habere; per quod nihil determinauimus circa obligationem naturalem pœnitentiæ, seu contritionis, aut amandi Deum super omnia. Concedimus ergo illum fore citiùs obligatum ad contritionem, si nolit confiteri.

Soluitur.

44 *Replica:* Replicabis tamen. Etiamsi ex hoc capite inter se non sint contrariæ hæ duæ doctrinæ, tamen si ad argumentum, quo paulò superiùs vsus sum, attendamus, videor planè contraria hîc docere his quæ infrà. Nam ex eo quod Ecclesia non obliget nisi intra annum semel, dixi esse contra illius mentem eam obligationem, quam nonnulli ponunt, habendi contritionem statim post peccatum, & aliorum, qui saltem singulis diebus Festis eam admittunt; eodem enim modo ego in præsenti argumentabor: Ecclesia est contenta, licet ille homo non confiteatur à commisso peccato intra duos annos absque duobus diebus; ergo sentit eodem modo non esse obligationem citiùs agendi pœnitentiam. Quòd si hæc consequentia hîc non est bona, neque erit superiùs. Accedit, quòd iuxta paulò ante dicta Ecclesia in hoc suo præcepto potuit longiorem moram præscribere, ergo malè superiùs ex Ecclesiæ præcepto illos Auctores reiecimus. Respondeo, Casum illum esse planè extraordinarium; nam si vno anno eo modo ille distulit confessionem, necessariò debuit sequenti intra spatium duodecim mensium confiteri: vnde ex illo casu nihil potest de sensu Ecclesiæ colligi. Respondeo Secundò, Ideò valdè multos docere, debere confessionem planè esse intra terminum vnius anni: Tertiò, Ecclesiam imponere præceptum de confessione, de altera verò obligatione contritionis nihil dicere; quando autem nos suprà diximus colligi ex sensu Ecclesiæ, non esse tam grauem obligationem statim post commissum peccatum eliciendi contritionem, probabiliter argumentati sumus à communi planè sensu, quòd intra anni spatium non sit ea obligatio. Vtrùm autem vltra annum possit adhuc prohiberi, ex Ecclesia in neutram partem potest colligi; sed nos aliunde probabiliter dicimus, non posse eam interiorem pœnitentiam diutiùs differri.

Soluitur.

SECTIO IV.

Vtrùm ex præcepto positiuo sit determinatum tempus pœnitentiæ.

ILLVD tamen quæri statim potest, Vtrùm saltem ex iure positiuo, siue illud diuinum sit, siue humanum, aliqua sit determinatio circa obligationem pœnitentiæ. Hanc quæstionem tractat P. Suarez ea citata disput. 5. sect. 6. à n. 10. vbi benè reiicit eos, qui dicunt singulis diebus Festis esse huiusmodi obligationem; pro qua afferunt locum Leuitici 23. cap. vbi dicitur: *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras: anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.* Dixi hanc sententiam benè reiici à Suar. quia nullum fundamentum est ad eam obligationem imponendam; nam præceptum de obseruandis Festis id non requirit; solùm enim petit cessationem ab opere seruili, & apud Christianos auditionem Sacri; quæ nullam contritionem requirunt. Addo autem ego Primò, cùm præceptum de colendis Festis nihil speciale imponat his qui peccauerunt præ aliis, non posse ex illo quidquam nisi diuinando colligi de obligatione habendæ contritionis, cùm eam non habeant qui non peccauerunt. Secundò addo, cùm præceptum nihil speciale dicat pro prima vice post commissum peccatum, præ vicibus sequentibus, & habita iam semel contritione non obligemur ad eam habendam secũdò, non apparere, quo fundamento possint Auctores hi dicere, præceptum de celebrandis Festis obligare ad contritionem primo die Festo post peccatum non verò sequentibus. Tertiò dico, Illum textum non benè adduci, quia vniuersalis est ad omnes Iudæos siue iustos siue iniustos; iusti autem sine dubio non tenebantur affligere animas suas, est ergo ibi sermo de alia afflictione. Adde, etsi de afflictione propter commissa peccata sermo esset, adhuc id nos non vrgere; Primò, quia huiusmodi præcepta legalia iam sunt antiquata. Secundò, quia (vt notat Suarez) ibi non est præceptum vniuersale pro omnibus Festis diebus, sed pro vno certò singulis annis; in quo fortassis singulariter eis præcipiebatur dolor de peccatis, vti nobis iam singulis annis præcipitur confessio. Quartò denique dico, Eam sententiam videri planè contrariam sensui totius Ecclesiæ tam hominum doctorum quàm idiotarum. Quis enim vmquam ex Confessariis, quando accedunt pœnitentes, eos examinat Primò, quot Festa sint elapsa à primo peccato mortali post vltimam confessionem; Secundò, Vtrùm in eis habuerit contritionem; Ego certè in hoc puncto numquam audiui ab vllo vel minimum dubium motũ; neque etiam

45 *Non est obligatio singulis Festis faciendi pœnitentiam.*

Explicatur citatus locus sacræ Scripturæ.

ipsi

ipsi pœnitentes in hoc habere solent scrupulum vllum; ergo non debet talis ac tam stricta obligatio poni.

45 *Non tenemur singulis annis pœnitere.*

Ideò sit secunda sententia, quam Petrus Soto lect. 13. de Pœnitentia tradit, obligari nos singulis annis, quando est præceptum confessionis annuæ, vt scilicet si confiteri non possumus, saltem conteramur; cuius ratio est, quia in præcepto confessionis includitur etiam obligatio ad contritionem; quæ est pars Sacramenti; ergo si non sit potestas ad faciendum totum, saltem tenebimur quod possumus facere, hoc est contritionem. Hæc sententia meritò etiam à Patre Suarez reiicitur; Primò, quia præceptum confessionis non obligat ad contritionem, sed summùm ad attritionem (de quo fusiùs infrà) Secundò, quia ad attritionem non obligat, nisi quatenus ea necessaria est ad valorem Sacramenti, seu ne irritum fiat Sacramentum; quando autem hoc non potest suscipi, iam cessat ex integro obligatio Ecclesiastica ad contritionem; vti dum Ecclesia præcipit orationem externam, præcipit attentionem internam, quæ est de essentia externæ orationis: vnde si cessat obligatio orãdi exteriùs, procul dubio cessat obligatio attentionis interioris. Hæc Suarez; quæ licet habeant aliquam difficultatem ratione orationis, quomodo scilicet eam posset Ecclesia præcipere (de quo fusiùs egi Tomo 4) sunt tamen ad rem præsentem optimè ponderata. Nam saltem multò minùs poterit Ecclesia puros actus internos, qualis esset ea contritio, præcipere. Ea autem doctrina, quòd actus purè internos nequeat Ecclesia præcipere, est communis inter fere omnes Scholasticos; ergo non potest præcipere putam contritionem, vti eam Soto docet præcipi. Quòd verò dicebatur, Ecclesiam præcipere Sacramentum Confessionis, non est ad rem; nam eo casu quando est impossibilitas illius, iam non potest illud præcipi; ad impossibilia enim non est præceptum; ergo tunc purè putè præcipitur actus interior. Explico: Illud præceptum debet exponi disiunctiuè, Mando confessionem externam, vel, si hæc non est possibilis, Mando tibi contritionem internam; certè in hac secunda parte disiunctionis præceptum illud est purè putè de actione interna, ac proinde est extra omnem auctoritatem Ecclesiæ, licet in priori sensu sit sub illa.

Conclusio: Nullum est præceptum positiuum de Pœnitentia intra certum tempus faciendo:

His ergo duabus sententiis reiectis Suarez meritò ait non extare vllum præceptum positiuum, neque diuinum, neque Ecclesiasticum, determinans tempus, intra quod sit obligatio agendi pœnitentiam; ac proinde ipse absolutè censet neque ex natura rei posse quidquam certò dici.

SECTIO V.

Appendix de obligatione agendi pœnitentiam pro remissione pœnæ.

47 LICET hucusque solùm egerimus de pœnitentia pro culpa qua tali, de satisfactione verò pro pœna acturi primò simus à sequenti disputatione, oportuit tamen hîc breuiter de obligatione huius secundæ satisfactionis aliquid dicere, quia res est cõnexa cum dictis hac disputatione, & alioquin pro immediatè discutiendis est necessaria. Quærimus ergo, An vti obligamur ad satisfaciendum Deo pro culpa, ita etiam obligemur & pro pœna: an verò possimus id ad alteram vitam differre. Supponimus ex Fide, remissa culpa non remitti semper totam pœnam, sed solùm æternam: pro ea verò residua posse nos satisfacere tam hîc quam in Purgatorio: de quo fusiùs infrà. Suppono præterea, de quo etiam infrà, actus internos liberos supernaturales bonos non satisfacere pro pœna, sed totos quantos iniusto occupari in merito augmenti gloriæ: in peccatore verò nullam esse satisfactionem, ac proinde hanc solùm fieri per actiones externas aut interiores, quæ non sunt formaliter liberæ, iuxta inferiùs dicenda. His positis,

Sententia affirmatiua.

Quidam apud Suarez suprà sect. 7. censuerunt dari talem obligationem. Videtur autem habere hæc doctrina aliquod fundamentum in Tridentino Sessione 6. c. 14. vbi ait Pœnitentiam Christiani hominis inter alia includere satisfactionem per ieiunium, eleëmosynas, &c. loquitur autem Concilium de Pœnitentia, quæ est sub præcepto naturali. Sancti etiam Patres sæpè dicunt, Eum, qui grauiùs peccauit, debere pœnitentiam maiorem agere: id quod sine dubio necessarium tantùm est propter remissionem temporalem pœnæ; nam quoad culpam quælibet, quantumuis remissa contritio extra, & attritio intra Sacramentum Confessionis tollit æqualiter innumera peccata, si ea inueniat in homine, ac si vnum ratùm repetisset. Ratio etiam videtur huic opinioni fauere, quia cùm non solùm animo, sed etiam corpore homo Deum offenderi, necessum est eum agere pœnitentiam tam corpore quàm animo.

48 *Negatiua est certa.*

Contraria tamen sententia est certissima: circa quam aduerto: nos iam non agere de obligatione acceptandæ satisfactionis, quæ in Sacramento Pœnitentiæ imponitur à Sacerdote: de qua inferiùs: est enim de illa diuersissima ratio dubitandi: sed de obligatione, vt dixi, ex natura rei, & independenter ab omni præcepto positiuo Sacramenti. In hoc ergo sensu sententia negans talem obligationem est communis, eamque tradidit D. Thomas expressè in 4. dist. 17. quæst. 3. a. 2. n. 1. & facilè suadetur, quia nullum planè fundamentum est, ex quo ea naturalis obligatio desumatur. Etenim quæ suprà nos attulimus ad obligationem pœnitentiæ suadendam nihil penitus probant de satisfactione pro pœna temporali: aliunde autem non potest ea necessitas ostendi: ergo. Fortassis etiam è contrario ratione à priori posset ostendi non esse talem obligationem: nam licet ille, qui alterum iniuria afficit, teneatur ab eo petere veniam, & procurare vt ei reconcilietur: vt tamen ipse pœnam aliam satisfactoriam sibi præscribat; eamque subeat, nulla penitus est obligatio: id quod maximè cernitur in reis respectu Iudicum: nam Iudices debent determinate & qualitatem & quantitatem pœnæ, & tempus quo debeat infligi: rei verò ante hanc determinationem nullam habent obligationem circa eam pœnam.

Probatur.

Quidquid verò sit de ea obligatione in humanis sic ergo argumentor adhuc meo iudicio euidentissimè contra eos Auctores. Nam certissimum est inter omnes Catholicos, licitum & sanctum esse omnes suas satisfactiones pro pœna temporali in alium iustum transferre: & licet sub lite adhuc sit, Vtrùm maioris perfectionis & meriti apud Deum sit eas sibi, quantum indi-

Probatur Secundò.

Hinc licet omnem satisfactionem suam alteri applicare.

get, applicare quàm aliis (de quo ego egi fusè Tomo 5.) nullus tamen vmquam dixit illicitam esse illam applicationem pro aliis, sed potiùs eam omnes commendant, vt dixi. Vnde argumentor euidenter; Ergo nulla est obligatio satisfaciendi specialiter pro ea pœna temporali. Probo consequentiâ, quia si ea obligatio esset, nequaquam liceret pro aliis applicare satisfactionem antequam per se. Sicut si per possibile vel impossibile esset in potestate hominis satisfacere pro culpa aliena vt culpa, & pro sua, nequaquam satisfaceret præcepto ad pœnitentiam obliganti, si suas satisfactiones offerret pro aliis, ipse verò maneret in peccato. Ratio à priori est; quia in rebus spiritualibus obligatoriis priùs homo debet pro se præceptum explere, deinde, si possit, liberum ei erit explere pro aliis.

49 *Probatur Tertiò.* Tertiò argumentor pro eodem intento; nam hæc obligatio satisfaciendi pro pœna esset planè occasio grauissimorum & innumerabilium scrupulorum. Nam cùm homo non possit scire, nec quidem probabiliter, quam debeat pœnam post confessionem, item quantam vim habeant extinguendi pœnas Purgatorij nostræ pœnalitates esset grauissimum & incertissimum onus obligare ad eas satisfactiones: semper enim haberemus scrupulum, vtrùm iam omnes eas pœnas extinxissemus nèene; ac proinde, an teneremur plures & plures pœnalitates subire. Non ita est in satisfactione pro culpa vt tali; nam hæc est certa iure, quia vna contritio, vel vna Sacramentalis confessio æquivalet vni & multis præteritis mortalibus; vnde obligatio ad huiusmodi satisfactionem est certa, &, vt sic dicam, pro vna vice; hæc autem alia habet grauem eam difficultatem insinuatam. Neque potest responderi, Non esse obligationem ad tollendam omnem pœnam: id enim vel est impossibile, vel valdè incertum, vt diximus, sed ad aliqualem. Hoc inquam dici non potest, quia gratis planè id assereretur. Cur enim quæso non licebit mihi reseruare totam pœnam in Purgatorio luendam, & licebit mihi partem tantùm? aut cur Deo obligabor ad satisfaciendum pro parte, & non pro toto, aut saltem quamdiu possum, quandoquidem ipse nullam in hoc puncto fecit determinationem aut declarationem?

Probatur Quartò Denique argumentor; Nam hæc dilatio in Purgatorium non est graue damnum, quia non est contra amicitiam in Deum, neque est irreparabile; cur ergo ad id sub mortali obligabimur?

Soluuntur rationes contra. 1. Prima, Rationes in contrarium non multùm vrgent; quæ ex auctoritate Tridentini desumitur facilis est: etenim Concilium vel loquitur ibi de satisfactione, quæ imponitur in Sacramento Pœnitentiæ, vel certè de dispositionibus, quibus homo solet obtinere à Deo auxilia, quibus ad veram pœnitentiam incitetur; quæ est optima quidem præparatio, non tamen necessaria: imò idem Concilium dum Sessione 4. cap. 10. docet pœnitentiam esse necessariam, eam non aliter declarat quàm per emendationem vitæ & detestationem præcedentium culparum.

50 *Secunda.* Secunda ratio ex modo loquendi Patrum etiam non vrget, quia Patres non de necessitate & obligatione stricta, sed de condecentia loquuntur, agunt item de necessitate casu quo homo velit euadere Purgatorium, seu omnino esse liber à culpa & pœna; per quod non dicunt esse obligationem absolutè loquendo.

Tertia. Ratio verò inde desumpta, quòd corpus simul cum animo peccet, non est ad rem; quia peccatum propriè & quà tale solùm consistit in ipsa anima; ac proinde ex hoc capite illa sufficeret etiam ad satisfaciendum pro pœna, vti sufficit in Purgatorio. Secundò, quia si aliquid valeret, etiam probaret, nec pro culpa posse satisfieri nisi per pœnas corporis: cur enim magis in satisfactione pro culpa debet concurrere corpus quàm in satisfactione pro culpa, cùm argumentum supponat ipsam culpam etiam quà talem commissam esse partialiter etiam per corpus; Tertiò, quia licet concederemus debere corpus pati, non tamen inde legitimè sequitur ea consequentia; *Ergo ipse homo tenetur sub peccato sibi infligere eam pœnam*; sed summùm colligitur *Ergo Deus debet disponere ita, vt antequam homo ille sit beatus, satisfaciat tam in corpore quàm in anima.* Nos autem in præsenti pure pute agimus de obligatione tenente se ex parte ipsius hominis sub peccato ad infligendam sibi eam pœnalitatem satisfactoriam. Denique ideo, deficit ea ratio, quia quando aliquis deliquit, non est necessum illum luere in ea parte corporis, qua peccauit; sufficit enim abundè, si vel in ea, vel in alia infligatur ipsi adæquata pœna pro peccato.

51 *Aliter respondet P. Suarez, sed inefficaciter.* Aliter respondet Suarez ei obiectioni; scilicet si dicatur nullum esse peccatum ita purè internum, cui non cooperetur in hac vita corpus, etiam posse dici, nullam esse satisfactionem pro culpa, seu nullam ita interiorem contritionem, cui non cooperetur etiam corpus; & hoc satis esse pro ea congruentia: maximè cum ipsa mors corporis, & quidquid homo in hac vita patitur possit esse pœna peccati. Hæc tamen responsio mihi non omnino probatur. Etenim quòd omnis actus satisfactorius pro culpa sit etiam æqualiter corpori pœnalis, ac proinde aliqualiter satisfactorius pro pœna, non extinguit difficultatem argumenti oppositi, cùm adhuc maneat alia pars pœnæ, & sæpe satis grauis, luenda in Purgatorio; ergo non tollit ab eo homine obligationem satisfaciendi per nouum actus, quia (vt paulò antè dixi reiiciens priorem sententiam) si consequenter in ea velimus loqui, non solùm debemus dicere, esse obligationem satisfaciendi parte pœnæ, sed etiam pro tota. Ex quo capite rursus diximus, ipsam sententiam esse intolerabilem, & scrupulis summè obnoxiam.

Quòd ait Suarez secundoloco, mortem esse pœnam peccati actualis, est etiam difficile: etenim mortem incurreret etiam ille homo siue numquam peccasset, siue infinities; siue etiam post peccata ex integro pro illis satisfeciisset: ea enim mors potiùs est pœna originalis quàm actualis; vt in infantibus patet. Aliquando solet Deus specialiter graues dolores morti adiungere, aut eam anticipare, aut disponere, vt sit infamis: & secundùm has considerationes poterit aliquid habere de satisfactione pro actuali; hoc tamen per accidens est ad ordinariam obligationem satisfaciendi pro debito pœnæ. Denique est etiam in hac solutione eadem difficultas, quam paulò antè tetigimus, scilicet per eam mortem non semper satisfieri nisi pro parte aliqua pœnæ, & fortè valdè leui, ac proinde superesse obligationem satisfaciendi pro reliqua. His ergo solutionibus omissis sufficiant illæ quas nos attulimus.

TRACTA

TRACTATVS SECVNDVS,
DE
POENITENTIA VT COMPARATA CVM REMISSIONE POENÆ:
VBI DE SVFFRAGIIS.

HVCVSQVE solùm egimus de Pœnitentiæ virtute vt comparata cum culpa; iam erit agendum de eadem quatenus ordinatur ad remissionem pœnæ. Pro quo sit

DISPVTATIO XIX.

Præuia ad satisfactionem pro pœna.
An & quomodo Deus eam condonet remissâ culpâ.

VT explicemus sequentibus disputationibus, quomodo nos tam per bona opera quàm per Indulgentias extinguamus pœnam ex peccato relictam, oportet hanc disputationem præmittere, in qua explicandum erit, An & quo pacto cum remissione culpæ vt talis sit connexa remissio pœnæ.

SECTIO PRIMA.

Statuitur Catholica veritas, non semper totam pœnam cum culpa remitti.

2 QVærimus, Vtrùm quandocumque remittitur per contritionem aut per attritionem coniunctam cum Sacramento culpa mortalis, remittatur non solùm pœna æterna, quæ est incompossibilis cùm visione beata, ad quam dat ius gratia habitualis, quâ remittitur mortale, sed etiam omnis omnino pœna peccato debita. Quæstio hæc magis est controuersistica quàm scholastica: de illa ex proposito contra hæreticos huius temporis egit Cardinalis Bellarminus lib. 4 de Pœnitentia à cap. 2. & Canisius noster in Catechismo de Sacramento Pœnitentiæ, Suarez hic disp 10. sect 3. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 1. & 20 & Lugo disp. 2. sect. 2. Nos breuissimè dicimus de Fide esse ex Trid. Sessione 6. c. 14. & Sessione 14. c. 8. & Can. 12 non semper cum culpa remitti totam pœnam. Probant hoc aliqui ex duplici alio dogmate Catholico, vno de Purgatorio, altero de suffragiis, nam si tota pœna remitteretur, gratis esset Purgatorium & suffragia. Mihi hæc probatio non videtur omnino solida, nam dici posset Purgatorium esse pro peccatis venialibus non dimissis in hac vita nec quidem quoad culpam, & consequenter habere etiam ibi locum suffragia. Quidquid ergo de ea probatione sit, præter sensum communem totius Ecclesiæ & traditionem ab initio eiusdem Ecclesiæ, quæ in Sacramento Pœnitentiæ etiam post remissam culpam imponit aliquam pœnitentiam, constat id etiam ex sacra Scriptura, in qua Deus post remissum peccatum, quoad culpam adhuc inflixit aliquam pro illo pœnam, vti Dauidi, Moysi, Aaroni; & de Adamo est fere certum, illum statim post reprehensionem diuinam doluisse de peccato, ad amicitiam Dei receptum; & tamen pœnæ multæ secutæ sunt illud peccatum. Denique in omni Republica benè ordinata id constat; nam etiamsi reo dolenti remittatur culpa in ratione culpæ; pœna tamen seu satisfactio adhuc aliqua ei imponitur.

Non semper remittitur omnis pœna cum culpa.

3 Varias calque omnes leues obiectiones hæreticorum vide apud prædictos explicatas; quæ enim ex sacra Scriptura adducuntur in qua dicitur Deus obliuiscì omnium iniquitatum, &c posita pœnitentia, debent explicari de obliuione quoad offensas & displicentiam. Aliæ obiectiones, quæ fundantur in Christi satisfactionum infinitate, vnde nostræ satisfactiones non videntur necessariæ debent reiici eodem planè modo quo eosdem hæreticos reiicimus, dum ex ciusdem Christi Domini meritis etiam negant necessitatem nostrorum bonorum operum. dicendum est ergo, Christum Dominum, etsi habuerit merita & satisfactiones infiniti valoris, eas tamen non applicuisse nisi ad promerenda nobis auxilia pro bonis operationibus, & ad gratiam quæ ex opere operato per Sacramenta confertur, ac ad satisfactiones quæ per Indulgentias nobis applicantur. De quo fusiùs infrà.

Quomodo Christus sua merita nobis applicuerit.

Occasione huius obiectionis solet quæri inter Scholasticos, Vtrùm satisfactiones nostræ ex meritis Christi sint maioris valoris quàm solæ, aut certè, an ab illo accipiant totum suum valorem. Similis quæstio potest tractari de meritis.

An nostra satisfactiones accipiant suum valorem ex meritis Christi.

Aliqui affirmant, vt Castro de Hæresibus verbo *Pœnitentia*, cui fauere videtur Ledesmà 2. Part. 4. q. 2. art. 7. dub. 1. Vasquez verò num. 11. omnino negat, quia nostræ operationes ex sola Dei acceptatione

non

alias, Non constare quàm breue sit illud tempus, vltra quod sine gratia habituali non potest peccator vitare nouum mortale; ideoque non oriri ex hoc capite obligationem nisi summùm non differendi eam pœnitentiam ad longum tempus; potest autem fortasse iudicari vnius anni spatium non esse longum, idque esse ex mente Ecclesiæ non obligantis ad citiùs agendam pœnitentiam. Secundò respondeo, Cùm gratia habitualis per se & per suos habitus non faciliter hominem ad operandum, de quo diximus alibi fusè, ex defectu illius proxime & immediatè non reddi difficiliorem fugam noui peccati, gratiæ verò auxilia actualia Deus non denegat peccatori maximè fideli ad resistẽdum.

18 Solùm ergo potest oriri ille lapsus ex eo, quòd Deus beneficium illud dandi auxilium congruum seu efficax ad resistendum non faciat nisi iusto; hinc autem nulla omnino sequitur necessitas ad pœnitendum; nam (vt ex doctrina Societatis suppono) auxilium efficax à sufficienti nondiffert nisi ex futuritione conditionata præuisa per scientiam mediam: hæc autem futuritio non facit in actu primo suauiorem aut faciliorem effectum; vnde ille qui cadit potest esse tam facilis in actu primo ad resistendum, quàm qui vincit; ergo ex hoc capite qui pœnitentiam differt, non se reddit difficiliorem in actu primo ad vincendam tentationem; non ergo habet ex hoc capite vllam obligationem pœnitentiæ; alio quin etiam teneremur sub mortali ad vitanda venialia ea de causa, quòd Deus sæpè propter illa negat auxilia congrua ad vitanda mortalia. Ratio à priori est, quia non teneor ego Deum obligare vt mihi faciat beneficium speciale; sed solùm teneor illum non offendere. Adde, eam negationem auxiliorum efficacium magis esse ob præcedens peccatum quàm ob perseuerantiam; licet hæc sit aliqualis conditio.

Doctrina Cardinalis Lugo, cur peccator difficulter vitet peccata.

Cardinalis Lugo ea sect. 4. conatur in intrinsecam voluntatis inclinationem reducere eum lapsum in peccatum, quãdiu pœnitentia differtur; quia ea est natura & propensio nostri arbitrij ad propria commoda, & ad bona sensibilia, vt nisi violentia sibimet facta, & repetito desiderio efficaci salutis æternæ ac boni increati, resistere tentationibus contra legem Dei non possit; vt apparet in antiquis Philosophis; ille ergo qui admisso semel peccato mortali auertit se ab amore vltimi finis, conuertitque affectum suum ad bona sensibila, facilè labitur in alia peccata, quamdiu non reformat suum affectum, eumque ad vltimum finem non conuertit; non quia desint ei vires ad resistendum, sed quia modus aptior ad resistendum est per efficacem affectum ad bonum increatum. Quòd si dicas, Eum affectum ad sensibile bonum sufficienter corrigi per actum attritionis, qui tamen ad iustificationem non sufficiat; respondet, Moraliter non contingere, vt qui habet eam attritionem, non se vlteriùs disponat ad iustificationem vel per Sacramentum vel per contritionem. Hanc obiectionem & responsum fusè iterùm repetit à num. 244. hanc tamen obligationem non condistinguit ab obligatione seruandi reliqua præcepta.

19 *Examinatur, circa quam est difficultas prima,*

In hoc tamen puncto aliqua video difficilia; Primò, qui si homo habet vires morales ad resistendum tentationibus per actum amoris Dei aut contritionis vniuersalis; profectò à fortiori poterit resistere per alterum actum, quo dicat, *Nolo me inebriare*; id quod optimè Suarez notauerat; quia enim non videat longè facilius esse etiam pro homine ad bona sensibilia propenso dicere, *Nolo furari*, quàm dicere, *Nolo vllum omnino peccatum mortale committere, etiamsi ipsum infernum deberem propter hoc pati.* Neque est ad rem, quòd nobilior sit modus vincendi per illum affectum amoris Dei quàm per alterum particularem: inde enim non infertur illum esse faciliorem; de quo solo puncto nunc agimus; imò sequitur esse longè difficiliorem, quia plus includit quàm alter modus minùs nobilis; ergo si adueniente tentatione etiam ille, qui pœnitentiam distulit, potest resistere per amorem Dei super omnia, non tenebitur anteà pœnitentiam agere, nec etiam tunc, quia faciliùs poterit eo amore omisso resistere; & (vt verum fatear) non capio, quomodo ex propensione nostri liberi arbitrij ad sensibilia inferatur, nos non posse vnum peccatum vincere, & tamen possimus omnia fugere, & amorem Dei super omnia habere: ergo ad rem præsentem nihil iuuat illa pœnitentia.

Secunda,

Secunda difficultas, quam in hac doctrina video, est, eam non esse specialem necessitatem pro eo qui peccauit præ iustis omnibus; nam & hi habent arbitrium propensum ad sensibilia bona; ac proinde etiam debebunt ex hoc capite adueniente occasione peccati habere eamdem necessitatem eliciendi actum amoris Dei. At nos hìc solùm agimus de obligatione speciali illius qui peccauit præ iustis. Potiò eamdem esse rationem de iustis mihi videtur certissimum. Pone hominem qui ex aliquo graui timore ante mensem iurauit falsò, iam verò est eius peccati planè oblitus, ac si nihil effecisset; neque vllum aliud habet peccatum graue; pone etiam alium hominem, iustum tamen, vtrumque ex se æquè ad comedendum inclinatum; occurrat occasio ieiunij, cur quæso in hoc genere peccati difficiliorem se sentiet ille, qui ante mensem iurauit, quàm hic alter; Certè habitus iurandi directè non inclinat ad comedendum, vt per se est notum, indirectè autem, quatenus qui semel vnum peccatum commisit, faciliùs nunc admittet alterum, etiam in tali casu non inclinat, quia id non potest non fieri, nisi ille sit memor se iam admisisse vnum peccatum; propterea supposui illum esse immemorem sui iuramenti falsi. Non loquimur nunc etiam de auxilio fortiori, quod Deus subtrahere potest ratione peccati; de hoc enim paulò antè; sed de maiori facilitate intrinseca ex minori propensione adiciunium; in quo puncto planè non est explicabile, quare maiorem vnus quàm alter habeat inclinationem, maximè cùm (vt suppono) habitus supernaturales, quos habet iustus præ altero, non inclinent, nec faciliter ad actus, ideoque neque ex hoc capite possit vlla sumi differentia.

Tertia difficultas circa hunc discursum est; nam si bonus est, illud maximè probat hominem teneri statim ad pœnitentiam post peccatum commissum; nam habitus ille vitiosus relictus ex vnico illo iuramento falso (si tamen vnicus actus habitum producit; de quo alibi) maximè inclinat, quò recentior est: habitus enim, siue quia reuera pereunt otio, vt ego puto, siue quia (iuxta alios Auctores) obruuntur per alios actus certissimum tamen apud omnes est minùs inclinare successu temporis quàm dum recentiores sunt; ergo maximè tenebitur homo statim pœnitentiam agere, vt eam inclinationem tunc corrigat,

20 *Tertia,*

rigat, quando maxima est ; minùs autem obligabitur deinde, cùm successu temporis per se langueſcit ; & debilis redditur, vndecumque hoc prouenit, vt dixi ; consequens autem est omnibus contrarium; nam omnes dicunt ratione eius periculi non esse vllam obligationem faciendi statim pœnitentiã,quiã ad breue tempus potest vitare noua peccata etiam peccator ; ergo etiam ex ea propensione nihil infertur.

Quarta, Denique quòd dicitur,eum affectum relictum ex peccato non toli sufficienter per actum attritionis,aut hanc non posse diu durare,nisi cogat ad contritionem,aut ad Sacramentum Pœnitentiæ, habet magnam difficultatem;etenim habitus ille naturalis iurandi primo eo actu aequissimus tolli potest per actum contrarium, quo nolit iurare falsò vnquam , esto non ponat nisi motiuum aliquod indifferens,aut venialiter malum;ergo nec quidem erat vllo etiam casu necessaria : quòd si tamen ea sit,non stari ei cogit ad iustificationem procurandam,si ea duraret physicè per multos dies, fortasse id præstaret;at si semel habeatur post peccatum commissum, & deinde solùm maneat habitualiter , non video vnde obligate deinde debeat ad contritionem: actus enim iam non existens quomodo coget voluntatem ; Non est ergo ex hoc capite noua obligatio ad pœnitentiam desumenda,nisi fortè habitus vitiosi sint valdè intensi,tunc enim sine dubio grauior erit inclinatio, at hoc totum est per accidens ad rem nostram , quia hi habitus possunt etiam manere in iusto,vt sunt in inueterato peccatore recenter conuerso,& è contrario potest homo esse in peccato sine talibus habitibus intensis.

21 Reiicitur confirmatio. Lugo. Vnde confirmatio quam hic Auctor addacit pro suo intento, minùs est bona:ea desumitur ex experientia, qua videmus hominem, qui ardenter vel honorem vel corporis voluptates insectatur,etiamsi dolore aliquo remisso peccatum in confessione retractauerit, postea tamen data occasione honoris aut voluptatis facillimè relabi propter vehementiam affectus,quem in confuso tantùm retractauit.Vnde addit,nos non audere huiusmodi hominibus in confessione distinctè proponere pericula & tentationes quæ occurrere possunt ; quamò ergo magis necesse erit humano modo eos iterùm relabi, qui nec quidem eo modo remisso retractarunt suum peccatum per vllum actum pœnitentiæ;ergo tenetur homo hanc non differre valde diu propter obligationem seruandi reliqua præcepta. Dixi hanc confirmationem non esse bonam;Primò , quia ea non tam fundatur in peccato,quà purè habituale est, de quo nunc agimus , quàm in magna intensione habituum vitiosorum : quæ duo sunt inter se inuicem separabilia;nam,vt ostendi;potest homo esse in peccato habituali ob actum vnicum , qui fortè nullum habitum inclinantem reliquit ; quia vnus solus actus non generat habitum , aut certè adeò remissum , vt statim euanescat, si eliciatur actus alius ei contrarius , esto non sit attritio cum contritione ; è contrario itẽ possunt esse vehementissimi habitus inclinantes ad peccatum sine peccato habituali & sine obligatione agendi pœnitentiam de qua præcisè nos hic agimus , vt constat in hoc ipso exemplo de quo agimus;illa ergo obligatio pœnitentiam agendi non rectè fundatur in ea procliuitate hominis ad peccandum.

SVBSECTIO QVARTA.

Respondetur aliis duabus obiectionibus.

TErtia desumebatur (vt suprà vidimus) ex eo, quòd peccatum sit iniustitia contra Deum,ideoque statim obliget ad satisfactionẽ. 22 *Ad tertiam respondet Cardinalis Lugo:* Huic putat Cardinalis Lugo non posse aliter responderi,quàm negando peccatum esse veram & propriam iustitiam contra Deum.Ego tamen iudico per hanc solutionem neque satisfieri adæquatè argumento , neque pro resolutione necessariam tradi doctrinam : etenim hic Auctor licet dicat non omnia peccata esse iniustitiam contra Deum,id saltem admittit in multis : in illis autem habet locum obiectio posita, cùm Theologi,vniuersaliter loquendo,de nullo peccato præter alio dicãt esse obligationem peculiarem statim faciendi pœnitentiam , sed vniuersaliter de omnibus discurrant. Quòd verò necessaria ea doctrina non sit pro argumenti solutione, constat ex dictis à me Tomo 1. disp.3.n.42.vbi tetigi simile argumentum , quod fieri potest ad probandum peccata non esse iniustitias contra Deum:respondi autem illi ex P.Hurtadi doctrina Tomo 1. in 3. Par. disp.12. a §.95. dixique obligationem statim restituendi aut satisfaciendi oriri ex damno , quod per se patitur dominus quamdiu priuatur re propria;redditur enim illi impossibilis vsus illius,ac proinde tenemur statim restituere:quod idem est,si alterum læsimus in fama aut honore; teneor enim malam illam opinionem de tali persona à me in alios causatã & adhuc durantem auferre statim : quia quòd illi diu iudicent falsè me esse iniquum,est malum meum,ac proinde debet ille,qui hoc causauit, procurare cùm primùm vt restituat mihi eum honorem. Vnde si apud alios ingenerassem ego malam opinionem de Deo , teneret haud dubie statim procurare, , vt illi reuocarent malum eum conceptum.Quando ergo è contrario ex iniuria Deo illata nullum aliud damnum extrinsecum ipsi secutum est,quàm quòd ego fuerim in illum irreuerens,tunc non est obligatio satisfaciendi statim : id quod (vt dixi) pulchrè P. Mandoza deduxit;& ego aliquid antea dixeram Tomo 6.Possetque hæc res adhuc vltiùs sic declarari : Nam obligatio nostra est(vt iam supponimus) tantùm ad semel habendam contritionem,aut amorem Dei:per hoc autem,quòd ego potiùs hodie quàm cras efficiam illum amorem , nihil plus minusve do Deo , quia semel tantùm pro vnica vice erat habiturus illum: attento autem præcisè iure iustitiæ non videtur esse res grauis momenti, quòd hodie detur vel cras,maximè cùm Deus qui ab æterno æqualiter videt res futuras hodie ac heri existentes , ideoque æqualem per totam æternitatem habet voluptatem ex bono opere, quod præuidet futurum post mille annos,ac quod vidit futurum ab initio mundi:ergo nihil omnino sit in damnum ipsius ex dilatione eius satisfactionis. At in rebus quæ habent vsum continuum,& respectu hominum sunt bonæ,pallium,agri,pecunia,&c. sine dubio ea dilatio est nociua,quia & impedit partem vsus aut opportunitatem vtendi iuxta placitum : ideoque dilatio est contra iustitiam, nisi dominus illius rei cedat suo iure in eam accelerationem institutionis aut satisfactionis. Restat tamen adhuc respectu Dei alius titulus, vnde contra nostram doctrinam probari videtur ea obligatio statim agendi pœnitentiam:is autem

Sed reiicitur.

Responso nostra.

Quando tenemur statim satisfacere.

23

Ad quartã An satisfactionis charitatis in Deum teneamur statim quando tenemur:

idem dico etiam coram imaginibus. Fateor quidem inter homines esse assignata quædam tempora,aut occasiones,in quibus si homo Regem, aut Imperatorem,aut alias personas non colat, censeatur positiuam irreuerentiam admittere; coram illo etiam debere me esse perpetuò detecto capite,aut non sedere,&c. At id nimis multum in nobis respectu Dei probaret,scilicet debere nos perpetuò esse in actuali adoratione ipsius;id quod est extra mentem horum & omnium aliorum Auctorum.Ratio à priori est,quia hæ actiones in hominibus non tam vsurpantur per modum cultus & adorationis quàm per modum signi inferioris meæ conditionis, & longè 28
à Regia distantis. Vnde aliqui, qui sunt me in altiori honoris gradu,etiamsi alioquin & ipsi teneantur colere Regem vti ego, possunt tamen vel tegere,vel sedere coram illo; hæc autem respectu Dei nullo modo vrgent, quia distinctio mei à Deo aliunde est satis clara, ideóque non obligat nos cultus Dei ad eliciẽdos huiusmodi actus adorationis, quoties quasi de nouo sumus in ipsius conspectu:ergo ex eo quòd Fides sit cultus Dei,nihil planè infertur de ea obligatione, Quod verò dicebatur in prima ratione de necessitate maiori actus Fidei etiam non vrget: nam inde summùm posset probari,quòd teneret de nouo credere, quando occurreret ea necessitas efficiendi actum supernaturalem, pro quo ille Fidei esset necessarius:ea autem necessitas non tam citò occurrit; nam ad implenda ordinaria præcepta naturalia non requiritur actus supernaturalis in substantia, & pendens à Fide: ergo adhuc vrget ea instantia ex actu Fidei.

Rejicitur prima disparitas Lugo.

Forrassis responderetur facilius,si diceremus, qui discredit Deo dicenti, eo ipso illum saltem implicitè iudicare mendacem: est ergo tunc apud eum hominem Deus in mala opinione,& habet,vt sic dicam, amissum suum honorem; ergo tenetur homo ille deponere cùm primùm eam malam opinionem de Deo;nam si dixissem ego alteri Deum esse mendacem, & ille hoc credidisset, sine dubio teneret ego statim procurare, vt ille eam falsam opinionem de Deo deponeret: ergo si ego in meipso illam concepi, teneor illam statim deponere:totum enim damnum extrinsecum,quod patitur Deus, si Petrus illum indicet esse fallacem, patitur, si ego idipsum iudicem: teneor ergo statim ego deponere eum malum conceptum: non possum autem illum deponere, nisi iudicando illum vera dixisse; hoc autem ipsum est iam illi credere; ergo. Non ita contingit in aliis peccatis, quia per illa non sentio malè de Deo: ac proinde esto statim pœnitentiam non habeam, non patitur quidpiam apud me bonum Dei nomen & fama: ergo etiamsi teneat hæresim aut infidelitatem statim abiurare, non tamen teneor agere pœnitentiam statim de quolibet peccato.

Responsio nostra,quia qui non credit statim,iudicat Deum esse mendacem.

SVBSECTIO QVINTA.

Satisfit instantiæ de correptione fraterna.

19 QVinta obiectio est ex ea instantia de correptione fraterna:circa quam valdè multa dicuntur ab Auctoribus, quæ examinat Suarez disp.18.sect.5.& Lugo sect.11. à num. 205. ad 215.& Vasquez quæst. 86.art.2. dub. 5. vbi hic Primò refert solutionem Adriani & Medinæ asserentium, nos non teneri statim ad correptionem proximi; vnde facilè inferunt hi duo, nec teneri nos ad correptionem nostram statim seu ad pœnitentiam; Canus, quem Vasquez & Lugo sequuntur, reiicit hanc solutionem,quia correptio proximi data opportunitate non potest differri. Ego tamen (vt verum fatear) non video qua consequentia Vasquez & Lugo eam solutionem Adriani reiiciant, cùm ipsi paulò post absolutè respondeant, non esse obligationem corripiendi proximum statim, sed quando posteà occurret periculum committendi nouum peccatum:hoc enim tempus Adrianus & Medina dicere possent esse eam opportunitatem pro correptione:ac proinde ea solutio videtur planè relabi in solutionem Vasquez & Lugo, nisi fortasse Adrianus putauerit eam correptionem ordinari ad hoc, vt proximus exeat ex peccato; Vasquez verò tantùm ad impediendum nouum peccatum. Hæc tamen differentia in rigore non est ad rem præsentem, quia iam solùm dicimus non esse necessarium statim corripere proximum,ac proinde nec nos ipsos: quidquid verò sit de hoc puncto,

Reiicitur à Vasquez & Lugo inconsequenter.

Secunda solutio sit Cani apud Vasquez docentis,nos non esse dominos sed custodes bonorum proximi:ac proinde debere illum statim corripere,non verò nos ipsos.Hæc solutio meritò reiicitur à Vasquez:nam (quidquid sit de iustitiæ obligatione)saltem ratione charitatis,quæ æquè obligat me ad attendendum meis bonis spiritualibus sicut ad bona proximi, imò multò magis ad mea, tenebor efficere, ne damnum spirituale in me duret, si ex eadem charitate obligor ad illud in proximo non permittendum.Addo ego, nos in rigore non esse propr è dominos bonorum corporalium & spiritualium, etiam nostrorum: habemus quidem dominium physicum, quia physicè possumus ea producere aut destruere; sicut possum destruere pallium Petri v. g. quod apud me habeo. At non video ego, cur licitè magis, etiam intra terminos iustitiæ, possim mihi mortem spiritualem inferre quam proximo: & similiter dico; nec nos esse verè dominos nostræ vitæ temporalis,de quo puncto alibi.

Secunda solutio.

Reiicitur.

Adducit Canus vnam instantiam,quæ multis facessit negotium,ait enim: Si ego videam bonem proximi iacentem in fouea, & possim illum extrahere,teneor id facere,si tamen meum bouem videam, non teneor:ergo magis obligor circa proximi bona quàm circa mea. Vasquez ad hanc instantiam respondit, eamdem esse rationem de meis & proximi bonis;nam si proximus videat suum bouem iacentem, & id toleret; ego etiam non teneor extrahere,sicut nec meũ. Lugo reiicit hanc explicationem Vasquez,quia inde sequeretur nullam esse obligationem correptionis fraternæ, quia proximus voluntariè peccat.Facilè tamen Vasquez responderet; Se per eam doctrinam solùm voluisse ostendere instantiam à Cano allatam ex differentia illa circa meum & alienum bouem,nihil valere; quia eadem est obligatio circa vtrumque:per hoc tamẽ se non obligauit Vasquez ad dicendum,non teneri nos corripere proximum, etiam quando voluntariè aliquod malum incurrit;est ergo sufficienter explota ea instantia Cani à Patre Vasquez. Eidem instantiæ respondit aliter Suarez num.31.admittendo pro argumento, esse eam obligationem maiorem curandi alienum boũ; (quod tamen non iudicat absolutè verum;) ne-

38 *Replica.*

Soluitur bene à Patre Vasquez.

Et à Patre Suarez.

Prima solutio.

gat tamen consequentiam ad bona spiritualia; quia in his charitas magis obligat me circa meipsum quàm circa proximum: vnde rectissimè concludit, per eam instantiam non satisfieri argumento de correptione proximi. Neque hæc responsio placuit Cardinali Lugo num.10.quia adhuc manet difficultas, quomodo charitas, quæ solùm obligat ad diligendum proximum, sicut meipsum, magis tamen vrgeat me ad iuuandum proximum quàm meipsum. Verùm hæc impugnatio non est contra Suarez,qui expressè eo numero 31.dixerat, ex lege charitatis spiritualis, ad quam pertinet fraterna correptio, magis nos teneri erga nos quàm erga proximum; vnde dixerat optimè, quidquid de ea instantia Cani è bobus desumpta sit,nondum ab illo satisfactum argumento;quia saltem in rebus spiritualibus magis obligamur ad attendendum nobis quàm proximis;licet in corporalibus aliquando possimus magis negligere propria quàm aliena; contra quam responsionem non video quid faciat ea replica Cardinalis Lugo,qui relictis aliis solutionibus ait, principium illud correptionis fraternæ fundari in ea regula naturæ lumine nota; *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim Lex & Propheta*;quam Christus tradidit Matthæi 7. vnde infer, Nos non solùm obligari ad succurrendum proximo indigenti,sed etiam non indigenti; quia & nos etiam id nobis fieri vellemus vnde etiam si frater ad non peccandum non indigeat nostra opera;nam cùm liberè peccet,potest etiam sine nobis non peccare;nos tamen tenemur illum iuuare correptione,quia nos in similibus circumstantiis positi idipsum vellemus nobiscum fieri; ex qua regula infert aliquorum casuum resolutionem.

Solutio Cardinalis Lugo:

13 *Relicitur.* Ego tamen in primis difficile iudico in ea regula sic intellecta posse fundari obligationem hanc sub peccato; quia nimis multum videtur probare illud principium, *Omnia quæcumque vultis vt vobis faciant homines, & vos facite illis.* Nam si Petrus v.g. habet centum millia aureorum,ego sanè vellem vt donaret mihi mille; non tamen ideò teneturille id sub peccato facere; neque ego,si ea centum millia haberem, teneret id facere ad Petri petitionem, vnde iudico eam sententiam Christi magis esse per modum consilij quàm strictæ obligationis. Responderi fortasse posset, *tò omnia quæcumque vultis, vt vobis faciant*, &c. debere non absolutè intelligi de quacumque voluntate, sed de rationabili. Sed contra,quia hic sensus etiam non est omnino verus; vel enim *tò rationabiliter* intelligitur præcisè pro *licitè*, & sic falsum est; nam licitè possum ego optare, vt qui habet centum millia denet mihi mille,& tamen non ideò ille ad hoc tenetur: vel *tò rationabiliter* significat,quòd ita ego id velim,vt alter teneatur id facere:& in hoc sensu nihil declaratur,sed dicitur idem per idem. Putarem ego illud principium naturale, vt sit obligatorium,debere non tam per affirmatiuam quàm per negatiuam propositionem explicari,id est, *Damnum,quod tibi non velles inferri à proximo,alteri ne feceris:*& ita communiter dicitur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* hoc autem sensu non habet illam vniuersalitatem, quæ videtur esse difficilis.Quidquid verò de hoc sit,Secundò censeo in ordine ad correptionem posse nos vti hoc ipso principio per eam negationem explicato. Nam permittere hominem in peccatum labi,quãdo possumus illud impedire, est saltem indirectè facere proximo damnum graue, quod nos non possumus etiam in nobis licitè permittere; vnde fit, vt in hoc puncto eadem sit obligatio quoad nos,quæ quoad proximum;vti docent Vasquez,Suarez,Lugo,& priùs (vt notauimus suprà) videntur idem docuisse Adrianus & Medina;quare sicut ego ex charitate propria teneor non peccare,ita ex correptionis præcepto teneor non permittere proximum in peccatum labi, si possum illud impedire.Vti verò non teneor ego pœnitentiam statim agere, ita non teneor proximum in ordine ad hoc vrgere,seu corripere; vti denique data occasione, in qua quemlibet obligat pœnitentia,ego obligor ad illam faciendam; ita obligor, vt proximum inducam ad faciendam; seu obligor tunc ad correptionem fraternam.Vnde tandem constat ex hac instantia nihil contra nos inferri.

Nostra resp. sio,coincidens cũ solutione prima.

SECTIO III.

Pro quo tempore sit ea obligatio.

IAM restat explicare,quod tandem sit illud tempus, pro quo illa obligatio vrget. Et quidem si anteà non sit facta pœnitentia,obligare circa horam mortis,aut quando est graue periculum vitæ,certo certius videtur;quia tunc est maxima necessitas illius,vt diximus. Præterea si tunc non vrgeret obligatio, numquam vrgeret, quia post hanc vitam non est locus agendæ pœnitentiæ;quæstio ergo est,Vtrùm ante illud tempus obliget,& quando. 32

SVBSECTIO PRIMA.

Quid sit in hac quæstione dicendum.

DIuus Thomas in 4. distinct. 17. quæst.1. art.4,agens de confessione vt est sub præcepto diuino, ait ad illam non obligari nos nisi in articulo mortis; & videtur esse eadem ratio de pœnitentia intentiori:pro eadem sententia citat Suarez Durandum, Mediñam, Caietanum Scorum & Nauarrum, quos sequitur Vasquez hæc quæst.86. art.2. dub.6. qui solùm loquuntur ex natura rei, & per se,nisi ex præcepto Ecclesiæ citiùs obligemur, aut ratione alicuius actionis,ad quam hic & nunc teneamur,& eam licitè exercere nisi in gratia nõ possimus. Ratio huius est, quia nullum potest esse caput, quod ostendat alio tempore esse eam obligationem,vt ex præcedentibus colligi videtur;quandoquidem nec ratione periculi salutis,nec ratione charitatis in Deum potest citiùs esse ea obligatio. *Diuus Thomas,& c. docẽt nõ esse obligationẽ nisi in mortis articulo.*

Contraria tamen sententia longè est cõmunior, pro qua afferri solent loca aliqua sacræ Scripturæ,quæ(vt benè notauit Lugo)non tam sunt contra homines differentes pœnitentiam, quàm contra non deferentes peccata.Ex Patribus facilius possent afferri testimonia aliqua, quia illi sæpè inuehuntur fortiter in eos qui differunt pœnitentiam;licet etiam hi ipsi magna ex parte disputent contra non cessantes à suis peccatis; fortasse vtrosque sæpè per modum vnius accipiunt,quia illi,qui omnino cessant ab actualibus peccatis, tardò din differunt pœnitentiam. Vbi obiter miror à Patre Suario & Tannero citari pro hac sententia verba hæc D.Bonauenturæ 33 *Cõtraria sententia est cõmunior*

Tomo 1. Opusculorum, in Collatione de contemptu sæculi; vbi ita loquitur: *Hoc verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita.* Hæc inquam mirot adferri, cùm expressissime ibi sit sermo de perseuerantibus in actualibus peccatis, vti verba ipsa manifestè sonant. Quidquid de his testimonijs sit, sententia hæc est communis inter Recentiores: eam Suarez tradit suprà sect. 6 Coninch d. p. 3. dub. 3. num. 33 Lugo ea sect. 11. Tannerus num. 61. & alij. Pater Suarez Primò ponit aliquos casus, in quibus quasi ab extrinseco potest esse ea obligatio: eosdem etiam ponit Tannerus n. 57. qui tamen non tradit eas considerationes ac limitationes circa illos, quas prudenter Suarez tetigit: quia reuerà (vt constabit) aliqui ex illis non videntur subsistere. Primus quidem, quando occurrit occasio obligans ad actionem, quam licitè in statu peccati facere non possumus, est clarissimus, & iam nos illum tetigimus: vt si cogor audire confessiones, aut aliud administrare Sacramentum, pro quo gratiæ status requiritur, de hoc casu explicatis terminis dubium esse non potest.

Varij casus, in quibus est illa obligatio.

Primus:

34 Secundus sit ex Scoto & aliis, quando occurrit vehemens tentatio, pro qua superanda sit necessaria moraliter amicitia diuina. Circa hunc tamen casum notat Suarez vix posse moraliter contingere, quia ad vincendam quamcumque tentationem sufficit auxilium gratiæ excitantis & adiuuantis; nullúmque est è contrario principium, vnde homo sibi persuadeat non posse tale auxilium obtineri sine gratia habituali. Notat Secundò, tunc eam contritionem non esse medium ad vincendam tentationem, sed esse ipsam victoriam; vbi optimè addit id (quod nos in simili notauimus contra Cardinalem Lugo) faciliùs longè tunc posse vinci eam tentationem per omissionem consensus in furtum v. g. quàm per contritionem; quæ est longè difficilior: vnde Scotus videtur exigere medium difficilius quàm sit ipse finis intentus. Denique addit, si consideretur ea pœnitentia, non vt necessaria ad vnâ numero tentationem vincendam, sed vniuersaliter ad totam vitam componendam, probabiliter posse ex eo capite illam dici nec ssariam: neque hoc tamen ipsum approbat, quia etiamsi homo non sit in statu gratiæ, potest tamen in quolibet tempore determinato sperare auxilia sufficientia ad vincendam tentationem.

Secundus:

Qui tamen vix potest defendi.

Tertius sed improbabilis:

Tertius casus est, Si Reipublicæ immineat graue aliquod malum: ad illud auertendum necessum sit hominem esse in statu gratiæ, vt Deum exoret. Verùm hic casus, vti duo priores, planè ab extrinseco desumitur, & sine fundamento sufficienti confingitur à Nauarro, Petro Scoto Adriano & Tannero: nam malum illud solùm obligat ad orandum Deum, vt pro sua misericordia illud impediat: ad quam orationem non est necessarius status gratiæ (vt benè notat Suarez) qui quidem non defendit hunc casum absolutè, vti eum refert Tannerus: cuius fundamentum est: nam quilibet, saltem ex charitate circa bonum commune, tenetur quoad potest remouere causam exardescentis aduersus communitatem iræ diuinæ: causæ autem sunt peccata nostra: ergo. Deinde etiam eo casu tenetur tollere impedimentum, quod efficit, quò minùs Deus preces bono communi necessarias exaudiat. Vnde subiungit, hunc casum tam rarum non esse quàm Suarez putat. Nihilominùs ego

35

iudico non esse absolutè admittendam eam obligationem, alioquin, quandocumque est bellum in Republica, quandocumque pestis, quandocumque siccitas, quandocumque fruges periclitantur, tenebitur homo sub peccato contritionem elicere, aut confiteri, si in mortali sit: cumque vna aut altera similis calamitas in Republica aut Regno vix vnquam absit, profectò semper deberemus eam obligationem admittere: hoc autem quis non dicet esse durissimum? Imo addo ego, ex hoc capite fore nos obligandos sub mortali etiam ad contritionem de venialibus, imò ad deferendas imperfectiones alias, quæ sæpè nec venialia sunt, vt in Religiosis regularum transgressiones; hoc autem apertè est falsum. Probatur verò sequela, quia etiam ob similes imperfectiones Deus non audit nostras preces, immittit etiam similes calamitates: quòd si grauiter obligamur ad causas illorum vitandas, aut ad impedimenta quò minùs exaudiamur tollenda, etiam obligabimur grauiter ad deserenda omnia ea venialia. Certè S. Catharina Senensis tribuebat suis imperfectionibus causam bellorum illorum, quibus tunc temporis Christianus orbis exagitabatur: nemo tamen ob id dixit eas imperfectiones transisse in culpas mortales: id quod etiam in eiusdem S. Virginis opinione habet locum. Absolutè ergo respondeo Primò, Prudentissimè posse quemlibet iudicare tunc alias esse causas, ob quas Deus ea mala permittat. Respondeo Secundò, Fortè nec me teneri orare, vt illa à nobis auertat: sed posse me licitè acceptare illa patienter in satisfactionem peccatorum meorum aut saltem in aliquam castigationem: (eò enim quòd in mortali sim, non possum propriè satisfacere.) Vti non teneor, si sim infirmus, orare pro sanitate: multò ergo minùs tenebor tollere impedimenta planè dubia pro exauditione. His ergo casibus omissis, tum quia incertis, tum quia non ab intrinseca obligatione contritionis promanantibus, circa punctum præcipuum de tempore, quo per se obligat cõtritionis seu Sacramentalis confessionis præceptum (abstraho iam à lege Ecclesiastica) dicendum est cum Suario, Tannero, Lugo & aliis, non posse quidem nos vllum certum determinare ideóque potiùs explicandum hoc præceptum per modum negatiui, hoc est, non differendi ad mortem vsque pœnitentiam: quo autem tempore obliget, vix posse decidi: sed arbitrio prudentis viri hic & nunc ponderantis circumstantias, &c. decidendum.

Et nimis mali malitiam probat.

36 *Relictum absolutè à illo tertius casus.*

Nullum potest tempus determinari, quoper se teneamur ad pœnitentiam ante mortem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vnde ea sit obligatio probanda.

37 PAter Suarez putat eam obligationem non desumendam ex periculo æternæ salutis, quia semper potest sperare locum pœnitentiæ: quòd autem per statum peccati patiatur iacturam aliquam bonorum operum, non inducit obligationem: nemo enim tuetur speciali præcepto ad procurandum augmentum gloriæ: censet ergo ex charitate in Deum meliùs deduci hanc obligationem quia verò simile non est infinitam Dei bonitatem non obligare ad amorem sui nisi in articulo mortis: tanta enim dilatio est planè contraria fini præcepti, quod ordinatur ad diligendum & coniungendum hominem cum suo vltimo fine Deo: pro hac autem

P. Suarez probat ex illa vitalis in Deum.

tem directione non debeat articulus mortis exspectari, quia iam tunc non esset directio vitæ in Deum, sed mortis. Ego quidem omnino iudico præceptum amoris Dei obligare ante mortem, vt hæc obligatio non sit proprie ad pœnitentiam ratione peccati priùs commissi, cùm tota ea obligatio sit in illo qui nunquam peccauit; nos autem quærimus hic obligationem pœnitentiæ qua talis, ac proinde ortam ex peccato commisso. In quo puncto (vt verum fatear) mihi maximè placet ea ratio, quæ ex charitate propria & periculo damnationis æternæ desumitur; & reuerà maximè videtur huiusmodi ratio è mente Christi Domini, qui passim in Euangelio eam vigilantiam suadet vt maximè necessariam; *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* item: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Id quod repetitur in Euangelio sæpè; non solùm autem volunt ea verba suadere cessationem à nouo peccato, sed de præcedente pœnitentiam: si enim hanc non fecit homo, profectò non est paratus ad Dominum excipiendum; non habet lucernas ardentes, non lampades accensas, &c. Neque potest etiam dici ibi Christum solùm dedisse consilium; etenim cùm agat de re in qua æterna salus consistit, in qua si erretur, nulla possit amplius esse correctio; profectò non consilium, sed obligationem significasse dicendus est. Neque Secundò potest responderi, Ibi solum esse impositum præceptum positiuum, nos verò solùm agere de naturali. Hoc inquam dici non potest, quia Christus eam necessitatem pœnitentiæ ostendit ex ipsa incertitudine vitæ & aduentus iudicis, quæ ex natura rei non ex præcepto positiuo oriuntur. Periculi item magnitudo circa æternam salutem antecedens est omne præceptum, ergo obligatio illa est naturalis.

Melius probatur ex charitate propria, & ex verbis Christi.

Matth. 24. Matth. 25.

Quæ ostendat obligationem naturalem.

38

Maior fortasse posset esse ratio dubitandi circa hunc locum, quod nimis multum probare videatur, scilicet non licere differre pœnitentiam, ne quidem ad mensem; quia etiam intra illud tempus vrget periculũ ex quo Christus eam obligationem desumpsit: Respondeo, Illud periculum non debere accipi quasi metaphysicè, sed moraliter: ad vnum enim vel alterum mensem, maximè si homo benè valeat, moraliter res est exigua; quando tamen dilatio est ad longum valdè tempus, vt qui v.g putat se victurum duos aut tres annos, ideoque non citiùs cogitat facere pœnitẽtiam; profectò suam salutem exponit periculo maximo, quia intra tam longum tempus, moraliter loquendo, multa valdè possunt euenire, quæ eam pœnitentiam ex integro impediant; mors repentina, morbus auferens vsum rationi, deinde quòd Deus ipse irritetur ad negandum locum pœnitentiæ homini qui æternã suam salutem adeò parum curat.

Dubiũ, quòd ea verba nimium probent

Soluitur.

Dices; Ea ratio habere potest locum, quando homo voluntariè habet propositum illud non faciendi pœnitentiam vsque ad mortem; quia tunc eo actu amplectitur totum illud periculum, quod intra longum tempus euenire potest: at si sine huiusmodi proposito, imò cum contrario v.g. agendi citò pœnitentiam, semper tamen eam procrastinet vsque ad mortem, non videtur peccaturus; quia tali modo nunquam differt nisi ad breue tempus, ac proinde nunquam se exponit graui periculo: si enim differre ex hodierna die vsque ad mensem v.g. non est periculosum; ergo neque erit periculosum deinde exillo mense differre ad alium; quia per se loquendo non possunt maiora pericula occurrere illo mense quàm isto: vtrumque enim est æquale tempus. Respondeo, Verum quidem esse, non tam manifestè apparere malitiam in hoc secundo modo differendi pœnitentiam, quàm in illa volitione complectẽte totum illud tempus; nihilominùs quando ille cum eis suis limitatis dilationibus, quibus vel se, vel Deum vult decipere, peruenit iam ad longum tempus, & adhuc vlteriùs differt; dico eum iam implicitè velle longum tempus scilicet & præteritum, in quo iam supponitur neglecta pœnitentia; & alterum, quod superaddit, per quod facit longam dilationem. Vti quando à Petro furatus est quis materiam summam infra mortale, si velit addere iam vnam partem, esto in se leuem, peccat mortaliter, quia virtualiter fatetur materiam grauem. Quoad periculum ergo dicimus in primis in ordine ad Deum irritandum, ne homini non tribuat locum pœnitentiæ, idem omnino esse, & fortè peius, eo modo differre; quia illa ipsa inconstantia in eis propositis est quodammodò peior, quàm si vno actu distulisset pœnitentiam. Secundò quoad extrinseca pericula etiam est magna in ea dilatione temeritas; nam si feliciter euaserit vno anno, difficilius est, quod etiam feliciter secundo & tertio euadet; ac proinde graniori longè periculo se exponit quàm in primo solo. Vti qui ludit aleis, si prima vice cupiat vitare duas vnitates, seu infimum numerum in altis duabus, faciliùs potest id sperare, quàm postquam decies projecisset, & nunquã prodiisset ille numerus, possit idipsum sperare pro vndecima projectione; quia postquã sæpiùs non obtigit, faciliùs imo magis necessariò iam euenit. Vnde dici solet, Toties testa ad fontem venit, donec frangatur; & sanè prima vice potest quis prudenter minùs timere fractionem quàm secunda, secunda minùs quàm tertia, & sic de reliquis. In periculis autem vitæ hoc ipsum est manifestum independenter omnino ab ea certa veritate, quòd res aliqua faciliùs intra centum dies eueniat quàm intra vnum. Nam homo quò magis ad senectutem accedit, habet naturam magis expositam morbis; ac proinde magis contingens est, quòd repentè aliqui ei eueniat, vnde impediatur à pœnitentia.

Replica: Ergo non peccat, qui sæpe de die in diem, nõ verò vna vice in longũ tẽpus differt pœnitentiam.

Talis implicitè vult tãgã dilationem, scilicet præteritam & adhuc futurã.

39

Quò quis senior, tãtò periculosius differt pœnitentiam.

Non acquiescẽs tamen, & contra hanc vltimam rationem dices, ea nimium probari, scilicet si aliquis valdè senex iam peccaret, non posse illum ad mensem differre pœnitentiam: quia faciliùs illi intra hunc mensem aliquid potest contingere ob grauem ætatem quàm iuueni aut viro, etiamsi hic distulisset pœnitentiam per duodecim annos atque hic tenetur eam nõ amplius differre, nec ad mensem, nec ad diem vt supponimus, & quidem propter pericula; ergo tenebitur etiam senex eam non differre post commissum peccatum, nec quidem ad diem; hoc autem est planè improbabile, nisi casu quo senex ille esset valdè morbidus, & specialiter morti repentinæ obnoxius. Idem argumentum fieri posset etiam in viris & iuuenibus; deinus enim tempus longum, vltra quod differre pœnitentiam est mortale, esse tres vel quatuor annos, si adolescens sedecim annorum peccans, non potest ob ea pericula vitæ, nisi solùm ad vigesimum annum ætatis pœnitentiam differre

Replica: Ergo senex tenetur statim pœnitere.

40

Idẽ vrgetur in viris & iuuenibus.

differre, ergo & illi iuueni, qui peccasset mense ante vigesimum annum, licitum non esset etiam vltra mensem differre pœnitentiam: quia ad pericula incurrenda per accidens est (si est in eadem ætate cum altero) quòd commiserit, vt dixi, peccatum illud quatuor annis antè, aut certe solùm octo diebus; non debet ergo ex eo capite sumi vlla differentia. *Soluitur.* Respondeo negando sequelam: nam periculum hoc morale non conflatur solùm ex tempore ipso quasi physicè considerato, sed cum circumstantiis præcedentis periculi aut securitatis: hæc enim magnam faciunt ad rem nostram diuersitatem, vti etiam in aliis rebus moralibus. Pone aliquem, qui numquam aleas proiecit, alterum qui proiecit eas quinquies, & habuit semper 12. iam verò vterque velit vna vice proiicere, procul dubio longè faciliùs ille qui numquam proiecit, poterit sperare se habiturum duodecim, quàm ille qui iam quinquies ordine habuit duodecim; quia vix est morale, vt sexies ordine prodeant duodecim, est autem valdè morale, & verò frequenter contingit, vt dum quis proiecit prima vice habeat duodecim; eodem modo facilius est vt catharus, qui iam aliquoties ad fontem pro aqua acceptus est, frangatur secunda aut tertia vice quâ fertur, quàm alius qui simul cum illo prima vice accipitur; quia difficilius est tertia vice non periclitari, quàm non periclitari prima vice, & sic in aliis innumeris exemplis. Hinc dico, eum, qui iam aliquot mensibus in peccato euasit periculum mortis sine animo faciendi pœnitentiam, difficiliùs euasurum iam, etiam hoc vltimo mense, quàm euadet hoc eodem vltimo mense ille, qui primò nunc incipit esse in peccato; quia lumen naturale dictat difficiliùs esse euadere duodecim mensibus, quàm euadere vno.

41 *Replica nona contra solutionem:* Dices adhuc: Si iste illis vndecim præcedentibus mensibus, quibus fuit sine peccato, fuisset in illo, non propterea fecisset sibi pro hoc vltimo mense magis dubiam mortem repentinam, quàm si fuisset in gratia: quia status ille peccati aut gratiæ non addit aut admit nouum periculum physicè loquendo, repentinæ mortis; ergo si priùs existens sine peccato non se exponeret nunc graui periculo confessionem differens ad mensem, neque etiam se exponet, estò fuisset totis illis vndecim mensibus in peccato. *Soluitur.* Respondeo, Totam hanc replicam pati instantiam in exemplis paulò antè à me allatis; nam etiam dicam ego, Ex eo quòd catharus inierit vigesies ad fontem, non facit physicè periculosiorem hanc vigesimam itionem, & tamen certissimum est magis periclitari quàm prima vice, vt superiùs est ostensum; ergo & idem in aliis exẽplis. Respondeo ergo absolutè: Si homo ille vndecim elapsis mensibus fuisset in gratia, non fuisset expositus morti subitaneæ Theologicè loquendo, vti iam loquimur, quia coram Deo non fuisset mortuus subitò; si ergo primum iam incipit esse in peccato, iam incipit se exponere tali morti, ideóque non se exponere nisi vno mense: id quod moraliter non reputatur adeò grauiter periculosum. At si anteà fuisset in peccato, iam fuisset expositus tunc ei periculo repentinæ mortis, quòd si iam iterùm velit exponere se vno mense, profectò iam se exponit multo tempore; debet autem quilibet iudicare, facilius esse sibi non succedere infortunium aliquod intra primum mensem solum quàm si periculum euasit vndecim mensibus; quod non eueniet vltimo mense; quia hoc iam esset euadere duodecim mensibus; id quod difficilius est quàm euadere tantùm vnico. Vnde dico; Licet ratione peccati præcedentis per vndecim menses non sit propriè grauius periculum physicè loquendo repentinæ mortis hoc mense, quàm si eis vndecim fuisset in gratia negari tamen non posse, maiori periculo se exponere illum qui iungit hunc mensem cum periculo præcedentium, quàm qui incipit hoc mense tentare periculum; hoc autem sufficit, vt hic, qui præcedenti addit iam nouum, censeatur grauiter Deum offendere, quia valdè parum curat salutem; ille verò, qui primò nunc incipit, non censeatur nimium præsumere, ac proinde nec censeatur grauiter peccare.

42 *Ratio à priori.* Possumus etiam rationem moralem à priori reddere ex dictis, quia repentinæ mortes eueniunt ferè semper ex casualibus aliquibus euentibus, qui à Deo sine vllo planè miraculo per solas diuersas cogitationes, quas huic vel illi homini naturaliter iniicere potest, possunt euitari, v.g. transit hic per eam plateam, vbi ruit domus, vbi cadit tegula; it per aliam, in qua incidit in alium, cum quo, dum ex nugis incipiunt contendere, venitur ad gladios, & se occidunt; vel transit, vbi alij digladiantur, & dum vult eos componere ipse occiditur; vel it ad aliquod conuiuium, in quo se ita infarcit, vt deinde apoplexia extinguatur; aut nimis multùm independenter à conuiuio de cibo aliquo sibi nociuo comedit, &c. huiusmodi ferè solent esse occasiones; nam & illi qui repentè ex interiori aliquo morbo ruunt mortui, probabilissimè ex aliqua vel melancholia graui, vel excessu in haustu, cibo aut ambulatione: vltimò turbarunt in se humores alioquin inter se non benè ordinatos, vt mortem illam repentinam causarent: omnia ergo hæc Deus sine miraculo impedire potuit. Hinc dico, Eum, qui diu in peccato hæret ac diuina bonitate abutitur ad pœnitentiam differendam, sine dubio irritare per se Deum, vt vel non impediat similem casum imminentem, vel certè positiuè disponat, vt in talem incidat pœnam peccati præteriti, accedente tamquam conditione ea dilatione; quæ licet fortè ex se antecedenter ad hoc non sit peccatum, est tamen conditio ad hoc vt peccatum præcedens fortiùs Deum prouocet; ac proinde ex hoc capite redderur etiam positiuè mala ea dilatio, quia ex eo capite auget periculum mortis sine pœnitentia; hoc autem periculum non augeret ille idem, si hucusque fuisset in gratia, & iam primò peccans solùm differret conuersionem ad mensem. Et satis ad ostendendum hanc obligationem pœnitentiæ non diu differendæ.

43 *Vltra quod tempus obligemur non differre pœnitentiam.* Iam esset noua difficultas in assignando tempore, intra quod obliget: nam ob hanc ipsam incertitudinem temporis dixere nonnulli, non esse admittendam ante articulum mortis eam obligationem: quia cùm determinari non possit vllum aliud certum illius tempus non videtur futura vllius vtilitatis obligatio: quid enim ea prodest, si non sciatur hora, quam designat? Respondeo, Difficultatem hanc esse communem ferè omnibus præceptis affirmatiuis, in quibus non possumus fixum tempus determinare, quo obligent: non tamen propterea sunt

illa omnia neganda. Iam dixi suprà, valdè esse probabile, dilationé vltra annum esse materiam grauem ex natura rei. Et sanè si multi Auctores graues singulis Festis obligant, non debet videri vel durum, vel sine fundamentuo, dicere, quod obliget saltem singulis annis semel. Deinde ipsum præceptum amoris Dei super omnia, iuxta valde communem sententiam, obligat singulis ferè annis; ergo à fortiori obligabit hoc pœnitentiæ, quia in eo est tota dilationis obligatio, & insuper ea, quæ desumitur ratione periculi æternæ dãnationis, quæ non est in præcepto amoris; nam si homo supponatur iam in statu gratiæ, nullo modo periclitatur in dilatione amoris: esto enim repentè moriatur, quia tamen supponitur iustus, certò saluabitur; ac proinde ibi bona fides circa dilationem potest excusare hominem; id autem non contingit, si in peccato manés præoccupetur morte repentina ante habitam pœnitentiam, quantumuis bona fide eam distulerit. Non potest ergo negari, quin probabile valde sit, non licere ex natura rei longiorem in peccato moram texere; fortasse ex inuincibili ignorantia, aut ratione contrariæ opinionis probabilis, poterit excusari in ea maiori dilatione,

Probabiliter non vltra annum

Obiectio:

Dices; Nos infrà agentes de præcepto confessionis docebimus, si quis confiteatur anno 40. v.g. prima Ianuarij, non teneri confiteri vsque ad vltimam Decembris 41. vbi interuenit spatium duorum annorum absque duobus diebus: quomodo ergo hic dicimus, non posse Pœnitentiam differri vltra annum; Respondeo, Nos ibi loqui de præcepto Ecclesiastico confessionis, quod potuit pro libitu Ecclesiæ longiorem aut breuiorem terminum habere; per quod nihil determinauimus circa obligationem naturalem pœnitentiæ, seu contritionis, aut amandi Deum super omnia. Concedimus ergo illum fore citiùs obligatum ad contritionem, si nolit confiteri.

Soluitur.

44 *Replica:*

Replicabis tamen. Etiamsi ex hoc capite inter se non sint contrariæ hæ duæ doctrinæ, tamen si ad argumentum, quo paulò superiùs vsus sum, attendamus, videor planè contraria hîc docere his quæ infrà: Nam ex eo quod Ecclesia non obliget nisi intra annum semel, dixi esse contra illius mentem eam obligationem, quam nonnulli ponunt, habendi contritionem statim post peccatum, & aliorum, qui saltem singulis diebus Festis eam admittunt; eodem enim modo ego in præsenti argumentabor: Ecclesia est contenta, licet ille homo non confiteatur à commisso peccato intra duos annos absque duobus diebus; ergo sentit eodem modo non esse obligationem citiùs agendi pœnitentiam. Quòd si hæc consequentia hîc non est bona, neque erit superiùs. Accedit, quòd iuxta paulò ante dicta Ecclesia in hoc suo præcepto potuit longiorem moram præscribere, ergo malè superiùs ex Ecclesiæ præcepto illos Auctores reiecimus. Respondeo, Casum illum esse planè extraordinarium; nam si vno anno eo modo ille distulit confessionem, necessariò debuit sequenti intra spatium duodecim mensium confiteri: vnde ex illo casu nihil potest de sensu Ecclesiæ colligi. Respondeo Secundò, Ideò valdè multos docere, debere confessionem planè esse intra terminum vnius anni: Tertiò, Ecclesiam imponere præceptum de confessione, de altera verò obligatione contritionis nihil dicere; quando autem nos suprà diximus colligi ex sensu Ecclesiæ, non esse tam grauem obligationem statim post commissum peccatum eliciendi contritionem, probabiliter argumentati sumus à communi planè sensu, quòd intra anni spatium non sit ea obligatio. Vtrùm autem vltra annum possit adhuc prohiberi, ex Ecclesia in neutram partem potest colligi; sed nos aliunde probabiliter dicimus, non posse eam interiorem pœnitentiam diutiùs differri.

Soluitur.

SECTIO IV.

Vtrùm ex præcepto positiuo sit determinatum tempus pœnitentiæ.

ILLVD tamen quæri statim potest, Vtrùm saltem ex iure positiuo, siue illud diuinum sit, siue humanum, aliqua sit determinatio circa obligationem pœnitentiæ. Hanc quæstionem tractat P. Suarez ea citata disput. 5. sect. 6. à n. 10. vbi benè reiicit eos, qui dicunt singulis diebus Festis esse huiusmodi obligationem; pro qua afferunt locum Leuitici 23. cap. vbi dicitur: *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras: anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.* Dixi hanc sententiam benè reiici à Suar. quia nullum fundamentum est ad eam obligationem imponendam; nam præceptum de obseruandis Festis id non requirit; solùm enim petit cessationem ab opere seruili, & apud Christianos auditionem Sacri; quæ nullam contritionẽ requirunt. Addo autem ego Primò, cùm præceptum de colendis Festis nihil speciale imponat his qui peccauerunt præ aliis, non posse ex illo quidquam nisi diuinando colligi de obligatione habendæ contritionis, cùm eam non habeant qui non peccauerunt. Secundò addo, cùm præceptum nihil speciale dicat pro prima vice post commissum peccatum præ vicibus sequentibus, & habita iam semel contritione non obligemur ad eam habendam secũdò, non apparere, quo fundamento possint Auctores hi dicere, præceptum de celebrandis Festis obligare ad contritionem primo die Festo post peccatum non verò sequentibus. Tertiò dico, Illum textum non benè adduci, quia vniuersalis est ad omnes Iudæos siue iustos siue iniustos; iusti autem sine dubio non tenebantur affligere animas suas, est ergo ibi sermo de alia afflictione. Adde, etsi de afflictione propter commissa peccata sermo esset, adhuc id nos non vrgere; Primò, quia huiusmodi præcepta legalia iam sunt antiquata. Secundò, quia (vt notat Suarez) ibi non est præceptum vniuersale pro omnibus Festis diebus, sed pro vno certo singulis annis; in quo fortassis singulariter eis præcipiebatur dolor de peccatis, vti nobis iam singulis annis præcipitur confessio. Quartò denique dico, Eam sententiam videri planè contrariam sensui totius Ecclesiæ tam hominum doctorum quàm idiotarum. Quis enim vnquam ex Confessariis, quando accedunt pœnitentes, eos examinat Primò, quot Festa sint elapsa à primo peccato mortali post vltimam confessionem; Secundò, Vtrùm in eis habuerit contritionem; Ego certè in hoc puncto numquam audiui ab vllo vel minimum dubium motũ; neque etiam ipsi

45 *Non est obligatio singulis Festis faciendi pœnitentiam.*

Explicatur citatus locus sacræ Scripturæ.

ipsi pœnitentes in hoc habere solent scrupulum vllum; ergo non debet talis ac tam stricta obligatio poni.

45 *Non tenemur singulis annis pœnitere.* Ideò sit secunda sententia, quam Petrus Soto lect. 13. de Pœnitentia tradit, obligari nos singulis annis, quando est præceptum confessionis annuæ, vt scilicet si confiteri non possumus, saltem conteramur; cuius ratio est, quia in præcepto confessionis includitur etiam obligatio ad contritionem; quæ est pars Sacramenti; ergo si non sit potestas ad faciendum totum, saltem tenebimur quod possumus facere, hoc est contritionem. Hæc sententia meritò etiam à Patre Suarez reiicitur; Primò, quia præceptum confessionis non obligat ad contritionem, sed summùm ad attritionem (de quo fusiùs infrà) Secundò, quia ad attritionem non obligat, nisi quatenus ea necessaria est ad valorem Sacramenti, seu ne irritum fiat Sacramentum; quando autem hoc non potest suscipi, iam cessat ex integro obligatio Ecclesiastica ad contritionem; vt dum Ecclesia præcipit orationem externam, præcipit attentionem internam, quæ est de essentia externæ orationis: vnde si cessat obligatio orãdi exteriùs, procul dubio cessat obligatio attentionis interioris. Hæc Suarez; quæ licet habeant aliquam difficultatem ratione orationis, quomodo scilicet eam posset Ecclesia præcipere (de quo fusiùs egi Tomo 4) sunt tamen ad rem præsentem optimè ponderata. Nam saltem multò minùs poterit Ecclesia puros actus internos, qualis esset ea contritio, præcipere. Ea autem doctrina, quòd actus purè internos nequeat Ecclesia præcipere, est communis inter ferè omnes Scholasticos; ergo non potest præcipere puram contritionem, vti eam Soto docet præcipi. Quòd verò dicebatur, Ecclesiam præcipere Sacramentum Confessionis, non est ad rem; nam eo casu quando est impossibilitas illius, iam non potest illud præcipi; ad impossibilia enim non est præceptum; ergo tunc purè putè præcipitur actus interior. Explico: Illud præceptum debet exponi disiunctiuè, Mando confessionem externam vel, si hæc non est possibilis, Mando tibi contritionem internam; certè in hac secunda parte disiunctionis præceptum illud est purè purè de actione interna, ac proinde est extra omnem auctoritatem Ecclesiæ, licet in priori sensu sit sub illa.

Conclusio: Nullum est præceptum positiuum de Pœnitentia intra certum tempus faciendo: His ergo duabus sententiis reiectis Suarez meritò ait non extare vllum præceptum positiuum, neque diuinum, neque Ecclesiasticum, determinans tempus, intra quod sit obligatio agendi pœnitentiam; ac proinde ipse absolutè censet neque ex natura rei posse quidquam certò dici.

SECTIO V.

Appendix de obligatione agendi pœnitentiam pro remissione pœnæ.

47 LICET hucusque solùm egerimus de pœnitentia pro culpa qua tali, de satisfactione verò pro pœna acturi Primò simus à sequenti disputatione, oportuit tamen hic breuiter de obligatione huius secundæ satisfactionis aliquid dicere, quia res est cõnexa cum dictis hac disputatione, & alioquin pro immediatè discutiendis est necessaria. Quærimus ergo, An vti obligamur ad satisfaciendum Deo pro culpa, ita etiam obligemur & pro pœna: an verò possimus id ad alteram vitam differre. Supponimus ex Fide, remissa culpa non remitti semper totam pœnam, sed solùm æternam: pro ea verò residua posse nos satisfacere tam hic quam in Purgatorio: de quo fusiùs infrà. Suppono præterea, de quo etiam infrà, actus internos liberos supernaturales bonos non satisfacere pro pœna, sed totos quantos iniusto occupari in merito augmenti gloriæ: in peccatore verò nullam esse satisfactionem, ac proinde hanc solùm fieri per actiones externas aut interiores, quæ non sunt formaliter liberæ, iuxta inferiùs dicenda. His positis,

Sententia affirmatiua. Quidam apud Suarez suprà sect. 7. censuerunt dari talem obligationem. Videtur autem habere hæc doctrina aliquod fundamentum in Trident. no Sessione 6. c. 14. vbi ait Pœnitentiam Christiani hominis inter alia includere satisfactionem per ieiunium, eleëmosynas, &c. loquitur autem Concilium de Pœnitentia, quæ est sub præcepto naturali. Sancti etiam Patres sæpè dicunt, Eum, qui grauiùs peccauit, debere pœnitentiam maiorem agere: id quod sine dubio necessarium tantùm est propter remissionem temporalem pœnæ: nam quoad culpam quælibet, quantumuis remissa contritio extra, & attritio intra Sacramentum Confessionis tollit æqualiter innumera peccata, si ea inueniat in homine, ac si vnum tãtùm reperisset. Ratio etiam videtur huic opinioni fauere, quia cùm non solùm animo, sed etiam corpore homo Deum offenderi, necesse sit eum agere pœnitentiam tam corpore quàm animo.

48 *Negatiua est certa.* Contraria tamen sententia est certissima: circa quam aduertimus iam non agere de obligatione acceptandæ satisfactionis, quæ in Sacramento Pœnitentiæ imponitur à Sacerdote: de qua inferiùs: est enim de illa diuersissima ratio dubitandi: sed de obligatione, vt dixi, ex natura rei, & independenter ab omni præcepto positiuo Sacramenti. In hoc ergo sensu sententia negans talem obligationem est communis, eamque tradidit D. Thomas expresè in 4. dist. 17. quæst. 3. a. 2. n. 1. & facile suadetur, quia nullum plane fundamentum est, ex quo ea naturalis obligatio desumatur. Etenim quæ suprà nos attulimus ad obligationem pœnitentiæ suadendam nihil penitus probant de satisfactione pro pœna temporali: aliunde autem non potest ea necessitas ostendi: ergo. Fortassis etiam è contrario ratione à priori poterit ostendi non esse talem obligationem: nam licet ille, qui alterum iniuria afficit, teneatur ab eo petere veniam, & procurare vt ei reconcilietur: vt tamen ipse pœnam aliam satisfactoriam sibi præscribat, eamque subeat, nulla penitus est obligatio: id quod maximè cernitur in reis respectu Iudicum: nam Iudices debent determinare & qualitatem & quantitatem pœnæ, & tempus quo debeat infligi: rei verò ante hanc determinationem nullam habent obligationem circa eam pœnam.

Probatur.

Probatur Secundò. Quidquid verò sit de ea obligatione in humanis sic ergo argumentor adhuc meo iudicio euidentissimè contra eos Auctores. Nam certissimum est inter omnes Catholicos, licitum & sanctum esse omnes suas satisfactiones pro pœna temporali in alium iustum transferre: & licet sub lite adhuc sit, Vtrùm maioris perfectionis & meriti apud Deum sit eas sibi, quantum indi-

Hinc liceat omnem satisfactionem suam alteri applicare.

TRACTATVS SECVNDVS,
DE
POENITENTIA VT COMPARATA CVM REMISSIONE POENÆ:
VBI DE SVFFRAGIIS.

HVcvsqve solùm egimus de Pœnitentiæ virtute vt comparata cum culpa; iam erit agendum de eadem quatenus ordinatur ad remissionem pœnæ. Pro quo sit

DISPVTATIO XIX.

Præuia ad satisfactionem pro pœna. An & quomodo Deus eam condonet remissâ culpâ.

VT explicemus sequentibus disputationibus, quomodo nos tam per bona opera quàm per Indulgentias extinguamus pœnam ex peccato relictam; oportèt hanc disputationem præmittere, in qua explicandum erit, An & quo pacto cum remissione culpæ vt talis sit connexa remissio pœnæ.

SECTIO PRIMA.

Statuitur Catholica veritas, non semper totam pœnam cum culpa remitti.

2 QVærimus, Vtrùm quandocumque remittitur per contritionem aut per attritionem coniunctam cum Sacramento culpa mortalis, remittatur non solùm pœna æterna, quæ est incompossibilis cùm visione beati, ad quam dat ius gratia habitualis, quâ remittitur mortale, sed etiam omnis omnino pœna peccato debita. Quæstio hæc magis est controuersistica quàm scholastica: de illa ex proposito contra hæreticos huius temporis egit Cardinalis Bellarminus lib. 4 de Pœnitentia à cap. 2. & Canisius noster in Catechismo de Sacramento Pœnitentiæ, Suarez hic disp 50. sect. 3. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 1. & 20 & Lugo disp. 2. sect. 2. Nos breuissimè dicimus de Fide esse ex Trid. Sessione 6. c. 14. & Sessione 14. c. 8. & Can. 12. non semper cum culpa remitti totam pœnam. Probant hoc aliqui ex duplici alio dogmate Catholico, vno de Purgatorio, altero de suffragiis, nam si tota pœna remitteretur, gratis esset Purgatorium & suffragia. Mihi hæc probatio non videtur omnino solida, nam dici posset Purgatorium esse pro peccatis venialibus non dimissis in hac vita nec quidem quoad culpam, & consequenter habere etiam ibi locum suffragia. Quidquid ergo de ea probatione sit, præter sensum communem totius Ecclesiæ & traditionem ab initio eiusdem Ecclesiæ, quæ in Sacramento Pœnitentiæ etiam post remissam culpam imponit aliquam pœnitentiam, constat id etiam ex sacra Scriptura, in qua Deus post remissum peccatum, quoad culpam adhuc inflixit aliquam pro illo pœnam, vti Dauidi, Mosi, Aaroni; & de Adamo est fere certum, illum statim post reprehensionem diuinam doluisse de peccato, ad amicitiam Dei receptum; & tamen pœnæ multæ secutæ sunt illud peccatum. Denique in omni Republica benè ordinata id constat, nam etiamsi reo dolenti remittatur culpa in ratione culpæ; pœna tamen seu satisfactio adhuc aliqua ei imponitur.

Non semper remittitur omnis pœna cum culpa.

3 Varias calque omnes leues obiectiones hæreticorum vide apud prædictos explicatas; quæ enim ex sacra Scriptura adducuntur in qua dicitur Deus obliuisci omnium iniquitatum, &c posita pœnitentia, debent explicari de obliuione quoad offensas & displicentiam. Aliæ obiectiones, quæ fundantur in Christi satisfactionum infinitate, vnde nostræ satisfactiones non videntur necessariæ debent reiici eodem planè modo quo eosdem hæreticos reiicimus, dum ex eiusdem Christi Domini meritis etiam negant necessitatem nostrorum bonorum operum. dicendum est ergo, Christum Dominum, etli habuerit merita & satisfactiones infiniti valoris, eas tamen non applicuisse nisi ad promerenda nobis auxilia pro bonis operationibus, & ad gratiam quæ ex opere operato per Sacramenta conferetur, ac ad satisfactiones quæ per Indulgentias nobis applicantur. De quo fusiùs infrà.

Quomodo Christus sua merita nobis applicuerit.

Occasione huius obiectionis solet quæri inter Scholasticos, Vtrùm satisfactiones nostræ ex meritis Christi sint maioris valoris quàm solæ, aut certè, an ab illo accipiant totum suum valorem. Similis quæstio potest tractari de meritis.

An nostra satisfactiones accipiant suum valorem ex meritis Christi.

Aliqui affirmant, vt Castro de Hæresibus verbo *Pœnitentia*, cui fauere videtur Ledesma 2. Part. 4. q. 2. art. 7. dub. 3. Vasquez verò num. 11. omnino negat, quia nostræ operationes ex sola Dei acceptatione

non

non posunt fieri dignæ ; debent enim ex se totum habere valorem.Christus ergo in eo opera non aliter concurrit quàm impetrando nobis auxilia.Lugo admittit quidem valorem & dignitatem non prouenire eis satisfactionibus ex meritis Christi; quòd tamen hic & nunc acceptentur ad finem satispassionis,ait oriri ex eis meritis, quia Deus(& idem est de quolibet iudice creato) non tenetur acceptare pro culpa eam satispassionem , quam reus ipse assumit , sed semper habet ius per se designandi quam velit. Ego circa hoc punctum illam video difficultatem , quòd licet determinare pœnam per se spectet ad iudicem,& ex hoc capite Deus non fuisset obligatus ad acceptandas nostras satisfactiones; non tamen ostenditur, eam acceptationem decretam esse de facto à Deo ob merita Christi immediatè,nisi quatenus Christus nobis promeruit auxilia ad illas , & destinationem ad gloriam : quibus positis fortasse Deus se determinauit ad acceptandas eas nostras satisfactiones sine speciali applicatione Christi ; hunc autem remotum influxum Christi in eas satisfactiones non negauit sine dubio Vasquez. Quidquid verò de dubio hoc sit, satis probabile est Christum etiam id immediatè nobis obtinuisse ; Et hæc circa eam digressionem.

4 *Cur contritio non deleat totam pœnã temporalem.*

Tertia obiectio hæreticorum,quæque apparenter habet aliquam difficultatem , est ; Contritio delet reatum pœnæ æternæ, qui est longè maior quàm pœnæ temporalis : ergo à fortiori poterit hunc delere.Quòd si respondeas, Consequentiam non esse bonam,quia magis est delere vtrumque simul quàm vnum tantùm:vrgeri adhuc vltetiùs poterit,Ergo licet contritio in primo instanti,quia tunc occupatur in delenda pœna æterna, non sufficiat ad delendam simul temporalem,saltem ipsa vt liberè durans vel,si vis,alia quæcumque quæ succedat post iustificationem dignificata per gratiam habitualem,cùm iam non inueniat reatum pœnæ æternæ,quem tollat,tollet reatum pœnæ temporalis qui est longè minor.Respondet Cardinalis Lugo , Contritionem longè faciliùs mereri vitam æternam,quàm satisfaciat pro pœna , quia in satisfactione operatur in præsentia contrarij validissimi,quod resistit,ne Deus placetur , ne ex facilitate placationis vilescat Dei offensa : at in ordine ad merendum vitam æternam nullum habet contrarium, ac proinde faciliùs operatur. Hæc solutio videtur mihi difficilis : Primò, quia non habet locum in ordine ad contritionem, quæ fit post remissum mortale (vt supponimus :) ergo tunc poterit extinguere debitum illud pœnæ temporalis,quia tunc nullum penitus habet contrarium , cùm peccatum iam sit remissum. Secundò quia illud principium,vnde hic Auctor desumit improportionem contrionis cum peccato , est à me efficaciter reiectum Tomo 6.de Incarnatione : vbi non ab eo periculo orto ex facilitate condonationis, sed aliunde dixi debere desumi eam improportionẽ ex principiis intrinsecis ipsius peccati : quia tamen in ordine ad punctum præsens parum interest,vnde ea inæqualitas desumatur , dummodò illa re ipsa detur, ideò argumentor secũdò:Nam si accipiatur ea contritio,quâ iustificatur homo,tunc tam ad merendum quàm ad satisfaciendum habebit contrarium peccatũ enim præexistens immediate antè non solũ petit,ne ob contritionem remittatur pœna,sed multò maximè, ne homini detur gloria æterna:si verò loquamur de secunda contritione habita in statu gratiæ,cùm iam remissum inueniat peccatum, nullũ habet,vt dixi,contrariũ tam in ordine ad satisfaciẽdum quàm in ordine ad meritum:quòd si tamen dicatur, etiã postquam est remissum peccatum adhuc resistere ne remittatur pœna;profectò eodem modo dicam ego,etiam illudpeccatum tunc resistere,ne ei homini detur gloria;quia illa eadem facilitas dandi gloriam erit occasio minùs æstimandi illud peccatum quandoquidem potest homo post illud tam facilè meritum augere,

5 *Melior alia assignãtur ratio.*

Meliùs ergo Secundò idem Cardinalis respondet, Contritionem illam totam quantam occupari in promerendo augmento gratiæ & gloriæ, ac proinde eam non posse extinguere pœnæ temporalis debitum.Qua ratione nos sæpè vsi sumus ad probandum,de facto per contritionem non deleri peccatum veniale , vt per æqualem satisfactionem , etiamsi contritio sit adæquata pro illo ex natura sua.

Vrgebis tamen.Licet non per modum meriti,saltem per modum satisfactionis poterit cõtritio delere eam pœnam.Confirmatur, quia ferè omnes Auctores dicunt, quamlibet contritionem delere aliquid de pœna temporali,ac tam intensam eam esse posse, vt planè deleat totam pœnam,& tamen etiam tunc tota contritio occupatur in promerendo augmento gratiæ & gloriæ;ergo ex hoc capite non explicatur, cur quælibet contritio facta in graria non tollat omnem reatum pœnæ temporalis.Multi Auctores putãt vim satisfactoriam pro pœna esse distinctam à ratione meriti in contritione ; qui quidem difficulter meo iudicio possunt respõdere huic obiectioni, quia reuerà etiam per modum satisfactionis ex gratia dignificante videtur quælibet contritio habere vim ad remissionem pœnæ temporalis cuiuscumque : non enim debemus in illa adstruere minorem vim satisfaciendi quàm merendi ; atqui meretur præmium æternum,ergo à fortiori satisfaciet pro pœna temporali.Ego quidem faciliùs, Respondeo Contritionem,si purè putè consideretur secundùm actum ipsum interiorem voluntatis liberum & meritorium non esse vllo modo satisfactoriam;quia quidquid in satisfactione impenditur deberet de merito detrahi: plus enim est mereri vt octo,& simul satisfacere pro pœna,quàm purè putè mereri vt octo:ergo si totam suam vim occupet in merito,non poterit simul de condigno satisfacere.Ratio à priori est, quia siue in ea contritione consideretur obsequij ratio,siue dolor,siue difficultas ipsius actus,&c. (ex quibus capitibus habere poterit rationem satisfactionis) ea omnia deseruiunt formaliter ad meritum maius:ergo si ea prædicata aliquo modo occupentur in satisfaciendo pro pœna , debebunt necessariò manere minùs potentiæ ad merendum de condigno.Porrò ea etiam ad meritum ipsum formaliter concurrere est certo certius , quiâ quò actus contritionis est difficilior, & magis pœnalis , eò magis est meritorius: ergo ratio satisfactionis non potest ei actui tribui sine detrimento meriti.Id quod videtur Durandus sensisse apud Pattem Suarez disp.10.sect.3.num.2.quem ipse Suarius reiicit, meo tamen iudicio minùs benè; quia (vt notaui)per eam pœnalitatem contritionis non satisfit nostro argumento. Verùm de hac doctrina inferiùs iterum,vbiagetur,An actus meritorius interitor sit de facto satisfactorius pro pœna: ibi enim ostendam satisfactionem solùm prouenire ab actibus illis interioribus aut exterioribus , qui ex se adferunt dolorem & molestiã homini,nec sunt formaliter liberi,ac proinde nihil addũt de merito:quo supposito respondeo,Illos actus nullo modo habere condignitatem cum quacumque pœna temporali Purgatorij (taceo cum æternâ) sed cum aliqua parte

6 *Contritio in se spectatè considerata non est satisfactoria.*

Ratio Cardinalis Lugo insufficiens.

Qui actus sint satisfactorij.

parte illius ; & quidem si considerentur vt non dignificati per gratiam habitualem , vix aut ne vix posset esse vlli comparatio:quid enim cum igne illo intensissimo Purgatorij proportionis esse potest in vno dolore leui aut in vna febricula:&c.quia tamen hi dolores ab ipsa voluntaria susceptione & à gratia dignificantur , habent aliquam proportionem cum ea pœna:vti ipsum bonum opus liberum, si consideretur vt præcisum à dignificatione gratiæ non habet condignitatem cum præmio vitæ æternæ:quanta autem condignitas ea sit ; & ad quotam partem pœnæ Purgatorij,non possumus nos decidere.

SECTIO II.

Quomodo pœna æterna commutetur in temporalem.

7 HÆc est in præsenti quæstione præcipua difficultas:etenim vel peccatum merebatur duas pœnas,vnam temporalem,quæ maneat remissa æterna;hoc autem dici non potest,cum tota dignitas peccati sufficienter puniatur per pœnam æternam imò(vt dixi alibi) si fides æternitatem pœnæ non probaret , numquam ratio naturalis potuisset concipere tam grauium tormentorum pœnam deberi vel ad vnum annum ob furtum v.g.vnius floreni,cùm igitur de duabus illis pœnis nihil fides dicat , quo probabili fundamento possumus nos eas ponere:Quod si ideò dicatur eam pœnam debitam morali vnicam esse difficile tunc intellectu erit,quomodo Deus , dum per gratiam debitum illius pœnæ remittit , aliam relinquat soluendam,quandoquidem nullum est nouum peccatum , cui ea pœna respondeat Suar.disp.10.sect.3.à n.1.refert Caietani opinionem docentis,duplici malitiæ peccati auersionis & conuersionis respondere duplicem pœnam,illi, quia est grauior , æternam,huic temporalem,quæ tamen si peccatum non remittatur, sit per accidens æterna : hanc dicit Caietan, manere remisso peccato.In quâ sententiam merito Suarez inuehitur ; Primo, quia pœna æterna etiã respondet conuersioni peccatoris ad creaturam. Secundò,quia pœna temporalis maximè est ad satisfaciendum pro auersione creaturæ à Deo;ac proinde necessariò debet æterna dici commutata in temporalẽ. Ego duas alias addo impugnationes. Prima est, quam proponendo rationem dubitandi tetigi, quod scilicet omnino gratis confingantur illæ duæ pœnæ,cùm vna ex illis, scilicet æterna,sit sufficientissima ad puniendam tam auersionem quàm conuersionem,quæ est in peccato, &,vt dixi,nisi eam æternitatem Fides poneret,nemo eam posset sibi persuadere. Secundam addo à priori quæ fortè solùm est declaratio maior prioris:nam conuersio ad creaturam nec quidẽ ratione nostra potest concipi mala nisi includẽdo formaliter auersionem à Deo : etenim nisi creatura concipiatur mala,repugnat in terminis conuersionem ad illam concipi malam. Vt autem 8 creatura concipiatur mala,in sensu nostro oportet illam concipere contrariam Deo; hoc autem ipsum est concipere auersionem à Deo, ergo non potest concipi conuersio vt promerẽs pœnam nisi ratione auersionis à Deo:ergo non potest esse duplex pœna eis prædicatis respondens. Faciliùs fortasse posset habere locum ea duplex pœna ratione duplicis auersionis,quæ est in peccato,& quæ quodammodo inuicem possunt ratione separari, imo etiam realiter,iuxta ea quæ dixi Tomo 3. Vna est auersio à natura rationali ; quæque esset,si per impossibile Deus non existeret,aut,quod fieri potest,si inuincibiliter ignoraretur. Secunda auersio est ab ipsõ Deo, quæ est longè grauior:ratione ergo illius prioris dici posset, deberi tantùm temporalem pœnam, ratione verò huius æternam. Verùm neque hoc habet locũ,quia esto concederemus eam duplicem pœnam, nulla tamen probabili ratione dici potest,ratione auersionis à natura rationali deberi eam grauissimam Purgatorij. Cur enim furtum vnius floreni, vt est contra Rempublicam rationalem,non sufficienter puniretur virgis, aut etiam alia minori pœna, quæ respectiuè ad Purgatorium nulla plane esset?

Tertiò principaliter mihi displicet ea doctrina Caietani,quatenus ait eam pœnam temporalem reddi per accidens æternam, si non remittatur mortale:etenim(vt Tomo 3.ostendi) satisfactio potest esse etiamsi culpa non remittatur , vt de venialibus fusiùs eo loco probaui:id quod eodem modo locum habet in præsenti Quam doctrinam inuenio optimè,licet breuiter , deductam à Patre Gaspare Hurtado disp.13 de pœnitentia,difficultate 5.Coninch etiam,licet cum formidine,eam iudicat probabiliorem. Hac ergo sententia Caietani reiecta;Suarez putat rem ita explicandam,vt Deus peccatis duplicem pœnam decreuerit,vnam æternam,si non remittantur,alteram temporalem,si remittantur,quo pacto facilè intelligitur ; eo ipso quod peccatum remittatur,& cessat pœna æterna, succedere alteram temporalem secundo loco ei peccato sub conditione destinatam.

Iudico tamen adhuc non satisfieri rationi dubitandi suprà factæ; nam hoc ipsum videtur esse difficile,nec Deum potuisse eas pœnas duas eo modo taxare , quia cùm per remissionem peccati destruatur essentia peccati,& aboleatur eius malitia debet etiam eo ipso deleri tota dignitas ad pœnam:ergo cùm non resultet noua alia malitia minor:non potest intelligi resultare in eo homine dignitatem ad eam pœnam temporalem minorem.Ego(vt verum fatear) vix vllam difficultatem inuenio in hoc puncto , nec iudico esse necessariũ recurrere ad eam anticipatam determinationem pœnæ , sed facillimè rem declarari,si supponamus duo vel tria, quæ apud omnes ferè certa sunt:vnum est in peccato esse dignitatem & ad odium & ad pœnam: Secundo, posse hanc manere illa ablata. Nam si Petrus me ita offenderet,vt iure possem esse eius inimicus,possum illi condonare iniuriam, & in gratiam meam & amicitiam eum iterùm recipere cum obligatione tamen aliqua pœnali, vt vel mihi aliquid soluat,vel se humiliet, vel aliquid aliud pœnale faciat,tũc inimicitia esset deleta, relictum tamen ex præcedenti peccato onus aliquod seu ius ad pœnam. Hoc ipsum in Deo posse cõtingere videtur ex terminis clarum,quia etiam Deus , dum cedit iuri vni,non tenetur cedere alteri:quo fundamento melior pars Theologorũ docet posse diuinitus remissa culpa graui retineri ius ad æternùm puniendum Tertium principium est contritionem non esse adæquatam ac perfectam satisfactionem pro mortali , sed ex acceptatione liberà Dei oriri ; quod

Prima pœna pro debita ob auersionẽ & conuersionem nõ est duplex

Explicatio commutatio pœnæ æternæ in temporalẽ in remissione culpæ

quòd de facto propter illam condonetur nobis mortale, Dico ergo, Esto Deus, quando statuit hominem in mortali decedentem æterna pœna damnare, nihil cogitauerit de statuenda alia pœna temporali, casu quo peccatum condonaretur, sed circa hoc præcisiuè se habuisset;, nihilominùs optimo iure postèà, dum decreuit acceptare nostram contritionem pro remissione culpæ, potuisse dicere, Etiamsi velim posita contritione in amicitiam meam te recipere, & æternitatem pœnæ condonare: nolo tamen totam pœnam remittere, sed ad hæc pro luxuriæ peccato v.g. duobus diebus, pro tali verò furto tribus, &c. punire te in Purgatorio volo, In hoc modo commutandi nulla est difficultas neque necessitas ponendi ibi nouum peccatum pro ea pœna; antiquum enim totam hanc promerebatur, & longè maiorem: nam quòd Deus debenti mille remiserit nongentos, non obligat illum vllo modo ad remittendum alios centum restantes. In his enim quæ dantur liberaliter non est conquirendum nobis, quòd plura non dentur, sed gratiæ agendæ pro his quæ sunt donata. Habuit autem Deus iustissimas causas rem ita disponendi, quòd enim æternam pœnam remiserit, fuit necessarium, quandoquidem hominem acceptabat ad visionem beatam & præmium æternum; cum, quo repugnat naturaliter æterna pœna: quòd verò aliquam adhuc infligendam retinuerit, iustissimè est factum; Primò, vt ea terrerentur homines à peccatis committendis: esto enim sperent veniam, timere tamen debent illam pœnam eos manentem etiam remissa culpa: Secundò, vt per eam Deo aliquo modo satisfacerent: Tertiò, vt iam iustificati excitarentur ad opera alia bona pœnalia, per quæ eam residuam pœnam delerent, & eadem via præmium essentiale valdè augerent. Vnde infertur vltimò, eam taxationem pœnæ temporalis non oriri ex natura rei & quasi necessariò, sed Deum pro suo libitu potuisse maiorem longè, potuisse minorem taxare, potuisse etiam totam condonare; ac proinde minùs benè eos discurrere, qui iudicant id totum ex natura rei prouenire independenter à voluntate Dei; nam licet in homine semel in gratiam recepto ex natura rei sequatur remissio æternæ pœnæ; quòd tamen debuerit Deus vllam adhuc retinere temporalem, item tantam, nec maiorem, nec minorem, nulla ratione potest ostendi, non fuisse putè putè in ipsius Dei libera voluntate.

10

Cur remissa pœna æterna, Deus adhuc temporalē sibi reseruet infligendam.

SECTIO III.

Expeditur dubium quoddam ex præcedenti resolutione ortum.

11 *An contritio præter pœnā æternam deleat aliquid etiā de tēporali in quam illa est mutata.*

ILLVD autem mouit Suarez suprà à n. 17. Vtrùm scilicet quandocumque homo iustificatur per contritionem, obtineat remissionem non solùm pœnæ æternæ sed etiam partis alicuius temporalis, in quam æterna fuerat à Deo commutata? Affirmat idem Suarez, pro quo supponit Deum cuilibet peccato mortali taxare certos gradus pœnæ æternæ, si non remittatur, certam etiam temporalem, si remittatur; ex hac ergo ait aliquid remitti semper per contritionem; cōtritio ergo si secundum se consideretur, delet solùm pœnam æternam; si verò consideretur vt posterius natura, delet aliquid de pœna temporali, siue ea contritio sit infima quæ esse potest, siue perfectior, siue intensior; id quod addit contra Dutandum, qui putat, quando contritio est infima, non sufficere nisi putè putè ad remissionem pœnæ æternæ.

Hanc sententiam fusè reiicit Cardinalis Lugo disp. 8. sect. 1. quia difficulter intelligi potest, Deum taxasse cuilibet peccato mortali aliquam pœnam temporalem, quam tamen exequi numquam velit; vt quid enim decernitur id, quod numquam est faciendum; Potrò Deum numquam executurum talem pœnam, pater, quia si mortale remittitur per Baptismum, vel martyrium, tunc omnis omnino pœna deletur etiam temporalis. Si verò per contritionem extra Sacramentum, remittitur aliquid de ea ipsa pœna, vt dicit Suarez, si denique per attritionem in Sacramento Pœnitentiæ, aut in aliquo alio Sacramento (si quod sit, quod causset primam gratiam) etiam debet remitti aliquid ratione dispositionis illius, seu ratione attritionis. Nam licet Suar. neget tunc quidquam remitti, quando attritio non durat ipso instanti quo infunditur gratia, seu quo confertur Sacramentum, Cardinalis tamen fusè conatur probare, etiam debere tunc aliquid remitti ob nobiliorem attritionem; vti etiamsi, dum gratia confertur per absolutionem, non duret nobilior attritio, qua homo sese ad illud Sacramentum disposuit; nihilominùs maior gratia illi confertur quàm alteri, qui per imperfectiorem attritionem se disposuit: eadem ratione debet dici, plus de pœna temporali tali homini remitti, quam si cum minùs perfecta attritione accederet; ergo numquam contingere potest, vt tota illa pœna, quæ est taxata, infligatur; ad quid ergo valuit taxatio illa?

12

Ego tamen putarem facillimè Suarium posse respondere huic argumento; Primò, Verum quidem esse numquam eam totam pœnam infligendam; non tamen ideò inutilem esse eam taxationem: deseruit enim ad hoc, vt Deus possit scire, quæ pœna maneat hominem post iustificationem luenda in Purgatorio. Si enim decreuit Deus aliquid remittere ratione contritionis, & quidem plus minúsve, iuxta ipsius contritionis maiorem aut minorem intensionem, necessum omnino fuit Deum scire, quanta esset ea summa, ex qua debebat demere vt sic sciret, an ablata pœna æterna soluenda foret pœna duorum v.g. dierum ob furtum centum florenorum; ergo cùm ratione contritionis deleantur tres horæ, manebunt duo dies absque tribus horis. Et (vt verum fatear) cùm ipse Cardinalis Lugo omnino admittat, quò perfectior est contritio, qua remittitur peccatum, plus remitti de pœna, non possum capere, quomodo id explicet sine decreto aliquo simili ei quod Suar. ponit. Suppono enim Deum non arbitrariè in vno homine præ altero id facere, sed æqualiter, si æquales illi sint, inæqualiter, si inæquales. Vt autem id intelligas, ponamus duos qui æqualiter peccarunt, Petrum & Antonium, conuersi autem sunt inæqualiter Petrus per contritionē vt octo, Antonius per contritionem vt quatuor; Antonio restāt in Purgatorio sex dies v.g. Petro quinque, ita vt ratione illorum quatuor graduum, quibus Petrus superauit Antonium, lucratus

Suarez fusè defensus contra Cardinalē Lugo. An Deus statuerit certā pœnā ob tēporale peccatis mortalibus remissis quoad culpā & pœnam æternam.

13

lucratus sit (vt ita loquar) vnum diem; profectò inde optimè argumentari licet: Ergo illis quatuor gradibus contritionis respondet vna dies, ergo aliis quatuor altera dies; ergo peccati illius æterna pœna si sine contritione fuisset per solam gratiam commutanda in temporalem, Deus decreuerat certum tempus septem dierum in Purgatorio: ex quo numero Antonius per contritionem vt quatuor abstulit vnam diē, Petrus per contritionem, vt octo abstulit duos: ac proinde Petro restant quinque, Antonio sex, soluendi. ergo necessariò debet admitti in Deo aliquod decretum formaliter vel æquiualenter statuens cuilibet peccato remisso ce tam pœnā temporalem: ex qua tamen per contritionem aliquid dematur iuxta maiorem vel minorem illius perfectionem. Dixi decretum illud formaliter vel æquiualenter eam pœnam determinare, quia idem est dicere, si non fuisset ablatum peccatum per contritionem, sed per solam gratiam liberaliter infusam, temporalis pœna talis peccati fuissent septem dies: idem inquam est ac dicere, si auferatur peccatum per contritionem quæ tollat ratione sui vnum diem, manebunt illi homini sex dies Purgatorij: ex hoc enim decreto rectè illud primum colligitur, & è contrario hoc secundum ex primo.

14 *An peccatū mortale ali. quando remittatur quoad culpā & pœnā æternam remanente integra pœna temporali in quam illa erat permutata.*

Secundò fortasse respondere posset Suarez, Dari etiam casum, in quo tota pœna taxata maneat, quando scilicet per attritionem non existentem dum datur gratia, remittitur peccatum: tunc enim de pœna temporali nihil remittitur, quia illa attritio numquam venit ad statum, in quo informetur gratia, cùm iam non existat, quando hæc datur: sine statu autem gratiæ non agnoscit Pater Suarez satisfactionem vllam pro temporali pœna. Quod verò in contrarium vrgebatur, scilicet, sicut ex maiori intensione attritionis confertur etiam tunc maior gratia, ita debere etiam remitti plus de pœna temporali: hoc inquam negatur à Suario, qui docet gratiam quidem conferri ob attritionē & contritionem, etiamsi non dignificentur, sed se habeant per modum dispositionum præviarum (vt colligi videtur ex Conciliis;) at satisfactionem pro pœna temporali non fieri nisi per modum condignæ satisfactionis, ideoque nisi opus dignificetur per gratiam saltem pro posteriori naturæ, nequaquam remitti quidquam de pœna: vnde si vera esset sententia Syluij (de qua nos suprà, quòd contritio, etsi semper adferat ius ad futuram iustificationem, non tamen semper actu illam causset; diceret consequenter Suarez, eo casu, quo non daretur gratia, nihil planè remittendum de temporali pœna, licet esset intensa valdè ea contritio. Ratio autem huius disparitatis est; Nam ad ponendum meritum congruū gratiæ in his dispositionibus habemus fundamentum in Conciliis & Patribus; vt verò purè congruam & non condignam satisfactionem pro pœna admittamus, omni caremus fundamento; non autem debemus in his rebus supernaturalibus plus admittere quàm auctoritate aut ratione cogamur.

16 *An contritio nondum dignificata à gratia exigat deletialiquid de pœna temporali, in quā fuit mutata æterna.*

Secunda difficultas, quam contra eam Suarij sententiam mouet Lugo, est, quòd contritio perfector, etiam antequam dignificetur per gratiam, debeat exigere deletionem maiorem illius pœnæ temporalis; ac proinde nō possit in illo priori facilè concipi, quo pacto in hominibus duobus habentibus inæquales contritiones possit Deus moueri ad commutandam pœnam æternam in temporalem; sed quòd necessariò debeat etiam in inæqualem commutare. Hæc etiam obiectio ex immediatè antè dictis soluitur, quia Suarez docet, eos actus, quousque informentur gratia habituali, non delere quidquam de pœna temporali, sed æternam indirectè, quatenus merentur gratiam & gloriam, cum qua est incompossibilis pœnæ æternitas vnde si non sequeretur in secundo signo ea informatio; contritio illa maneret sine vlla deletione pœnæ temporalis. Nec valet replicare, etiam in illo priori eam contritionem habere maiorem congruitatem vt acceptetur ad maiorem satisfactionem; respondebit enim Suarez, Meritum & satisfactionem, quando purè sunt intra terminos congrui, nec perueniunt ad condignitatem, non obligare vllo modo Deum ad acceptationem, adeóque sine vlla specie iniustitiæ posse vel vtrumque respuere, vel vtrumque acceptare: quoad factum autem aiunt dicit Suarez se habere in Conciliis fundamentum ad docendum illas dispositiones, etiam dum sunt congruæ, acceptari ad meritum gratiæ iuxta suam capacitatem, non tamen ad satisfactionem pro pœna temporali, nisi dignificentur gratia. Et reuerà Theologi videntur satis frequenter supponere, satisfactionem pro pœna semper esse post remissum peccatum, ac proinde solùm de condigno; meritum autem gratiæ passim concedunt solùm de congruo.

Hinc rursus soluitur tertia obiectio contra eumdem Suarez, quòd scilicet non benè dicatur contritionem dignificari ad satisfactionem per gratiam datam propter ipsam; eadem enim ratione dici potest contritionem promerentem gratiam vt duo dignificari per illam eamdem gratiam vt in secundo signo naturæ mereatur alios duos gradus, & sic in infinitum: quod est absurdum. Dixi ex doctrina tradita solui hanc obiectionem, quia cùm contritio iam fuerit promerita in priori naturæ gratiam secundùm suā capacitatem, & solùm illi defuerit modus promerendi de condigno, non dignificabitur ab aduenientē gratia in ordine ad merendam nouam sed summùm ad merendam illam meliori modo; maximè cùm in mea sententia ex maiori gratia habituali non crescat meritum: solùm ergo ponitur tunc contritio in statu merendi de condigno: vnde fit, vt iuxta probabiliorem multorum sententiam mereatur tunc primam gloriam de condigno, quam antea solùm merebatur de congruo. At hæc ratio non vrget in ordine ad satisfactionem, quia cùm circa hanc nihil sit ea contritio operata ex defectu solius condignitatis, inde fit vt adhuc habeat vires integras, vt condignitate aduenientē satisfaciat: si de congruo iam obtinuisset antea aliquid de satisfactione, tunc rectè inferretur, eam non posse plus obtinere in signo secundo, quia suas vires quoad eam promerendam iam resumpsisset; per modum autem illum aduenientem non debet nouum effectum sed nouo modo mereri

15 *Contritio nondum dignificata à gratia aliter se habet in ordine ad gratiam promerendam aliter ad delendam pœnā temporalem*

Quarta obiectio contra Suarez inde sumitur, quòd videatur minùs benè limitare eam doctrinam ad casum, quo iustificatio fiat per contritionem: verùm in primis non eam limitat vniuersaliter, sed quando attritio non durat in instanti iustificationis ob disparitatem inter eos duos casus iam assignatam, ex eo quòd satisfactio non possit esse nisi condigna. 17

Ad quintum denique argumentum desumptum ex eo, quòd minùs bene loquatur Suarez, dum ex vna parte docet id quod de pœna aufertur tolli de condigno ; ex alia verò ait eam pœnam remitti : etenim debitum, quod condignè soluitur, non remittitur. Respondeo, Hanc obiectionem esse minoris momenti, quia non vsurpat Suarez eam vocem *remittitur* in eo rigore pro condonatione gratuita, sed pro eodem ac *tollitur*. Hæc dicta sint circa argumenta quibus oppugnatur Suarez.

Decisio superioris quæstionis negatiua.

Absolutè autem circa totam quæstionem dico, in mea sententia docente, contritionem in quantum est purus actus interior liber & meritorius, nullo modo satisfacere pro pœna, quia tota occupatur in merito, facilem esse solutionem. Conuenio ergo cum Suario, Deum per generalem regulam determinasse pœnam tēporalem certam pro quolibet peccato, postquam remissa est æterna. In quo puncto necessariò omnes debent conuenire, quandoquidem æqualiter Deus se in hoc puncto gerit cum omnibus qui æqualia habent peccata ; debet enim esse certa pœna vt posteà sciat Deus quantum restet cuilibet soluendum, si tali & tali pœnalitate satisfaciat, vt diximus suprà.

18 *Per quos actus pœna temporalis deleatur.*

Secundò dico, Facta ea mutatione in priori naturæ in illam pœnam certam posteriùs natura per alios actus doloris secutos, & qui formaliter non merentur ac proinde sunt expediti ad satisfaciendum, remitti aliquid de temporali, quæ mansisset, si hi actus non fuissent secuti, sed sola contritio ; & id clariùs cernitur in iustificatione per Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, quæ non existit quando infunditur gratia : tunc enim neque ipsa attritio remittit pœnam ob generalem rationē actus liberi occupati in merito. Neque alij actus doloriferi, quia cùm illi sint permodum satispassionis, non per modum impetrationis in futurum, non possunt quidquam efficere antequam homo sit in gratia, vti supponimus illam tùc non esse. Quando autem deinde aduenit gratia, homo est distractus, & nullum iam habet opus satisfactorium ; ergo nullam tunc diminutionem pœnæ temporalis obtinet. Præcedentia verò opera non possunt dignificari tunc ad satispassionem, vt si quis in peccato existens faciat disciplinam, ieiunet, subeat alia opera pœnalia, nec tunc per illa satisfaciet, neque, etiamsi posteà sequatur gratia, dignificabuntur illa ad satisfaciendum aut satispatiendum, quia tardè aduenit ea dignitas ; tunc ergo purè putè fit cōmutatio pœnæ æternæ in totam eam temporalem, quæ taxata erat pro eo peccato. Nec video quid possit probabilius dici in hac quæstione, quæ ex se est satis dubia, cùm pendeat à libera determinatione Dei circa eam permutationem ; de qua determinatione nihil possumus certi ex Scriptura, Conciliis aut Patribus deducere ; sed per modum coniecturæ discurrendum nobis est.

Hinc tamen infero, Non attendendum in hoc puncto, Vtrùm contritio in se sit magna, aut parua ; quandoquidem (vt diximus) ratione sui non satisfacit ; oportet ergo pōderare actus alios pœnales tam interiores non meritorios quàm exteriores, qui ex illa contritione sequuntur vnde si ex exigua in se contritione plures prodeunt quàm ex intensa, plus tolleretur de pœna per exiguam quàm per intensam.

SECTIO IV.

Duo alia dubia expediuntur.

PRIMVM est, Vtrùm de facto in lege gratiæ plus remittatur nobis de pœna tēporalis per cōtritionem, quàm fuerit olim in Lege veteri remissum. Affirmat Caietanus Tomo 1. Opuscul. Tractatu 4. quæst. 4. quia contritio nunc includit votum Sacramenti, quod facit illam maioris dignitatis ad satisfaciendum. Meritò id reiicit Suarez, quia illud votum non est explicitum, & sæpè homo non cogitat tunc de Sacramento, ac proinde actus ille non habet vllam inde specialem bonitatem aut meritum. Cardinalis Lugo adhuc ea ratione reiecta probabilem putat sententiam Caietani, ex eo quòd iamsi simus nos Christo magis coniuncti quam olim ; negari autem non potest quin idem actus elicitus à consanguineo Christi ceteris paribus habeat maiorem congruitatem ad obtinendum aliquid, quam fatus ab aliqua persona remotiore. Ego, qui hanc satisfactionem non admitto nisi de condigno admitto, non possum approbare eam rationem, quia maior illa vicinitas vti in ordine ad meritum non addit quid quam, ita neque in ordine ad satisfactionem de condigno. Secundò, fortasse quoad vicinitatem quasi physicam maiorem habuere olim Iudæi cum Christo ; quia ex eorum sanguine ille erat nasciturus ; nos autem ex Gentibus orti ea caremus vicinitate.

19 *An plus de pœna temporali remittatur per contritionem in nostra quàm veteri Lege.*

Tertiò denique dico, Cùm ea permutatio pœnæ æternæ in temporalem facta sit ex pura puta voluntate Dei, qui potuit relinquere etiam minorem, incertissimum esse, Vtrùm pro Lege gratiæ, in qua se liberaliorem exhibet in his, quæ non spectant quasi ad iustitiæ rigorem, decreuerat pœnam æternam commutare in minorem temporalem quàm olim, quomodocumque homo iustificetur ; probabile est ita factum in gratiam Christi Domini, qui spectatius & distinctiùs nunc colitur quam olim, etiamsi re ipsa gratia olim data fuerit ex meritis ipsius. Aliunde verò si de pœna Purgatorij loquamur, cùm antiqui debuerint in Lymbo visione beata carentes expectare valdè diu ; quæ expectatio haud dubiè grauis illis fuit, & reuerà habuit rationem pœnæ non exiguæ ; probabilius est, cæteris paribus, eos igne remissiùs punitos, supplente ex altera parte defectum doloris ignis ea dilatione, quam nos nunc non patimur, cùm statim post satisfactionem animæ iustorum ad cælum accipiantur. Nolo amplius in re plane dubia diuinare.

Soluitur dubium.

Altera difficultas est, Vtrùm Deus si remitteret culpam sine gratia sanctificante, quæ dat ius ad visionem beatam, cum qua ea pœna pugnat, posset relinquere debitum totum pœnæ æternæ ; Suarez suprà sect. 2. refert Scotum, Gabrielem & Medinam negantes : ipse verò distinguit : Vel enim accipitur illa pœna æterna secundùm ea quæ de facto habet quoad vermem conscientiæ quod odium Dei, quoad alia peccata quæ in damnatis sequuntur : & in hoc sensu ad talem hominem nullo modo ea pœna posse puniri, cum nullum habeat peccatum ; si verò pœna accipiatur solùm secundùm torturam physicam, docet benè posse à Deo puniri. Cardinalis Lugo iudicat, de potentia absoluta ferè totam eam pœnam

10 *An posset manere debitum pœnæ æternæ in homine, cui Deus culpam condonaret absque gratia iustificante.*

pœnam etiam primo modo acceptam posse manere, quatenus in primis Deus potest torturam ignis infligere, vt & Suarez fatetur. Deinde potest Deus in pœnam eius peccati negare auxilium congruum ad resistendum tentationi, esto præuideat secutura mortalia multa, & hominem illum tunc ratione illorum nouorum mortaliũ ibi commissorum passurum & vermem conscientiæ, & in Deum se punientem insurrecturum: ac proinde licet nõ ratione peccati dimissi, saltem ratione noui homo incideret in easdẽ pœnas quas nunc damnati patiuntur. Hanc doctrinã ego etiam iudico veram, neque puto eam à Suario negari, qui solùm loquitur attẽto præcisè priori peccato iã remisso, & nõ succedente nouo, quod mereatur illam aliam pœnã.

DISPVTATIO XX.

An possimus habere satisfactionem pro poena: & quid ad eam requiratur.

1 SATISFACTIONIS nomine in præsenti intelligimus actionem illam, qua Deo compensamus pro culpâ in eum commissa non quo ad rationem ipsam formalem culpæ, sed quoad pœna ei culpæ debitam.

SECTIO I.

Quædam supponuntur.

PRIMÒ supponendum quod disputatione præcedenti diximus, etiam post remissam culpam quoad maculam posse manere aliquod debitum pœnæ luendum siue in hac vita, siue in altera in Purgatorio: ex qua veritate oritur præsentis quæstionis difficultas, quomodo pro ea pœna satisfacere possimus: vbi quæri statim posset, Quanta sit, & à quo determinetur. Cui difficultati respondendum cum distinctione: Vel enim loquimur de pœna temporali debita peccatis venialibus, vel de debita mortalibus iam dimissis quoad culpam & pœnam æternam: si de pœna debita peccatis venialibus, non est magna difficultas, quia illa est temporalis, certa & determinata iuxta grauitatem ipsorum peccatorum; ac proinde ablata culpa in ratione talis potest manere totus ille reatus pœnæ.

2 Dices; Gratia quando remittitur culpa mortalis, petit remitti æternam pœnam, & permutari in longè minorem (vt superiùs dictum est;) ergo eadem gratia exiget, quando remittitur veniale, vt simul aliquid remittatur de pœna temporali ei debita. Respondeo negando consequẽtiam; nam ideo gratia petit remissionem æternæ pœnæ, quia hæc est incompossibilis cum visione beata, ad quam dat ius, dum facit hominem filium adoptiuum Dei & hæredem regni cælestis: pœna autem temporalis non habet eam repugnantiam, quia solùm est quædam dilatio eius præmij; vti etiãm ipsa diuturna vita hominis est dilatio gloriæ, & tamen ea non repugnat gratiæ. Vbi, antequam de pœna debita mortali remisso agamus, illud potest circa venialia discuti, Vtrùm licet non ratione gratiæ habitualis, vti fit in remissione mortalis, saltem ratione dispositionis ad eam remissionem culpæ concurrentis remittatur aliquid de ea temporali pœna, quandocumque macula venialis deletur. Cardinalis Lugo obiter rem attingens supponit, quando venialia remittuntur in hac vita, semper aliquid remitti de pœna illis debita: & ratio potest esse, quia (iuxta ipsius sententiam) omne opus bonum in gratia factum tollit aliquid de pœna temporali; ergo cum venialia non remittantur in hac vita nisi per opera supernaturalia facta in gratia; necessariò remitti debet aliquid de pœna illis debita: quòd si remittantur per attritionem, qua homo iustificatur in Sacramento Pœnitentiæ, aut per contritionem extra illud, licet tunc ea opera non sint meritoria de condigno, quia non oriuntur ab homine vt iusto; nihilominùs vti de congruo merentur remissionem culpæ, ita etiam possunt satisfacere pro aliqua parte pœnæ. Mihi tamen hæc res valdè dubia est, tum quia (vt inferiùs ostendam) ad satisfaciẽdum pro pœnæ non sufficit quodcumque bonum opus interius, etiam factum in gratia, nisi habeat aliquod aliud opus externum pœnale, ob quod sit satisfactorium: si ergo per opus purè purè in voluntate consistens, & in merito gratiæ occupatum, remittatur veniale quoad culpam, nihil tunc remittitur de pœna. Secundò, quia valdè dubium est, An contritio, qua homo iustificatur extra Sacramentum, esto se extendat ad venialia, & consequenter ea tollat quoad culpam, deleat tamen aliquid de pœna illis debita, vt diximus suprà agentes, An quælibet contritio, qua homo iustificatur, non solùm deleat pœnam æternã, sed aliquid adimat de tẽporali: est enim maior hic dubitandi ratio, quia plus est tollere etiam de pœna temporali debita ipsi veniali, & simul de debita mortali. Tertiò, quia esto quodlibet opus vim eam habeat delendi aliquid de pœna, non constat, Vtrùm id, quod delet, sit debitum pro illo ipso peccato, an propter alia. Video quidem in hoc vltimo argumento aliquid posse misceri de voce: nam cùm tota pœna debita faciat vnam quasi massam, dummodò aliquid de ea massa tollatur, ad vocem posteà pertinebit, an id, quod aufertur, dicendum sit tolli ex parte pœnæ respondentis veniali tunc deleto, an ex respondente mortali: pro homine enim ipso idem est, siue ex hac siue ex illa parte tollatur, dummodò æqualiter ea pœna minuatur. hoc ergo argumento reiecto duo priora sufficiant ad ostendendum, resolutionem hanc esse nobis incertam.

Cur gratia iustificans petat remitti pœnam æternam, non ita temporalem.

An quoties remittitur culpa venialis, aliquid etiam de pœna tollatur.

Iam ad pœnam temporalem debitam mortali remisso, in qua maior est difficultas Scotus in 4. distinct 22 quæst. 5. quem Vasquez reiicit; id totum refundit in meram voluntatem Dei: nam gratia ex natura sua non expellit peccatum, sed ex acceptatione Dei; ergo ex sola voluntate Dei pendebit, quòd ad præsentiam gratiæ remittatur

mittatur tantum vel tantum de pœna. Vasquez hic quæst. 94. art. 1. dub. 20. quod tollatur reatus pœnæ æternæ, reducit in naturam gratiæ (vt & nos paulò antè explicuimus) quia gratia dat ius ad gloriam. Quòd autem maneat aliqua pœna luenda, dicit esse ex natura rei, quia Deus non punit nisi eum qui dignus est pœna; ergo illa dignitas non prouenit ex sola voluntate Dei. Cardinalis Lugo ferè hoc idem dicit, nisi quòd contra Vasquez sentiat posse diuinitus remissa culpa in ratione culpæ manere reatum pœnæ æternæ: id quod ego etiam veriſſimum iudico. Secundò tamen addit, ita hanc remissionem pœnæ æternæ fieri ex natura rei, vt tamen commutatio illius in temporalem tantam vel tantam non habeatur præcisè ex natura rei, aut ex exigentia gratiæ, sed ex mera voluntate diuina: qui cùm potuisset vel plus vel minùs remittere, statuit ad præsentiam tantæ dispositionis non relinquere nisi tantum, plus verò ad præsentiam alterius minùs perfectæ, &c.

Gratia habitualis ex natura sua petit remissionem pœnæ æternæ.

In hac re duo mihi videntur certa: Primum est, gratiam habitualem natura sua nil aliud petere quàm remissionem pœnæ æternæ: id est, vt si aliqua pœna illi homini iam sit imponenda, ea nullo modo sit æterna; vnde gratia tantùm tollit æternitatem pœnæ, ac proinde sentio non rectè eos argumentari, qui ita discurrunt: Gratia tollit pœnam æternam debitam mortali: atqui præter æternam nulla alia debebatur illi peccato: ergo si nunc aliqua imponitur, ea imponitur vltra meritum peccati: ob quod argumentum soluendum nonnulli dixere, mortali deberi pœnas duas, vnam æternam, qua tollitur per gratiam; & alteram temporalem, quæ manet prima remissa: contra quam vltimam doctrinam fusiùs egi supra. Dixi hos malè argumentari, quia æquiuocant vocem illam *pœnam æternam*; accipiunt enim illam materialiter, hoc est, *Gratia tollit illam pœnam quæ est æterna*: & inde inferunt illud consequens absurdum, scilicet, *Ergo nulla alia manet luenda*; debet ego accipi vox illa formaliter: id est, Gratia tollit solam æternitatem pœnæ, seu petit ne illa pœna sit æterna: per hoc autem nullo modo efficit, ne non maneat ad centum annos, aut ad mille: vnde vlteriùs constat, non esse necessarium fingere illas duas pœnas de quibus suprà.

5 Reatus pœnæ temporalis remissa mortali culpa prouenit ab ipsa culpa, nõ à gratia.

Secundò certum est, quòd remaneat debitum pœnæ temporalis non venire ab ipsa gratia, sed à grauitate peccati præcedentis, pro quo satisfactum adhuc non est sufficienter. Vti si quis reus promeritus esset integro anno in triremibus laborare v.g. & efficeret deindè opus, quo satisfaceret pro duobus mensibus, certè quòd tùc restarent adhuc illi decẽ mẽses, non esset tribuendum operi illi bono facto: illud enim nihil de pœna meretur, sed potiùs de illius ablatione: quòd ergo restent illi adhuc luendi decem menses, tribui debet delicto præcedenti. Vnde dicendum vlteriùs, gratiam non dicere seu non exigere duo illa primum, ne pœna sit æterna; alterum, vt sit temporalis: hoc enim secundum gratia non petit, ac proinde illa non exigit eam permutationem adæquatè sumptam: hæc enim petitur partim à peccato præcedenti, pro quo non est perfectè adhuc satisfactum, partim ab ipsa gratia. Id quod explicatis terminis à nemine potest vel in dubium verti. Argumentum autem quod contra potest obiici vide paulò post. His ergo statutis, illud Primò dubium est, Vtrùm ablata eo modo æternitate pœnæ, quodlibet mortale habeat suam certam durationem pœnæ, quam exigat: v. g. furtum tale exigat tot gradus pœnæ, luxuria tot, &c. In qua quæstione certum est, quò vnum peccatum est grauius altero, eò etiam ex se esse magis dignum, vt diutius & grauiùs temporaliter puniatur, ita vt Deus permutans grauioris peccati pœnam in longius tempus quàm minoris peccati, faciat omnino iuxta naturas ipsarum rerum: vtrùm autem quodlibet habeat certi temporis & certæ intensionis exigentiam, non possumus nos determinare; qui tamen id assereret, non discurreret improbabiliter.

An quò peccatum est grauius ex natura rei respondeat ei grauior pœna temporalis sublata æternitate pœnæ per gratiam.

Dices: Infra æternitatem pœnæ sunt milliones millionum annorum: quomodo ergo possumus asserere ablata æternitate deberi tali peccato solùm mille, non autem millionem annorum, cùm quodlibet habuerit condignitatem ad æternitatem ac proinde ex eo quòd per gratiam solùm tollatur æternitas pœnæ, non probatur vllo modo, quodlibet mortale non habere adhuc condignitatem ad milliones & milliones annorũ pœnæ? Imò hinc videtur deduci: omnia mortalia mereri æqualem pœnam temporalem infra æternitatem illam. Denique cùm nulla sit pœnæ duratio summa inter temporales, posset Deus ferè semper eum iustum punire, quia semper illa pœna esset temporalis: hoc autem plane est absurdum: ergo non benè suprà dictum est, per gratiam habitualem non tolli nisi solam æternitatem pœnæ. Hæc est obiectio, quam paulò antè dixi fieri posse contra eam certam doctrinam. Respondeo, Propter hoc argumentum dicendum esse, gratiam non ita præcisè exigere diminutionem pœnæ æternæ, vt tantùm æternitas illi auferatur: hoc enim esset perinde, ac si nihil petiisset, ob rationem immediatè allatam: quia intra pœnam temporalem semper esset plus & plus soluendum. Putarem ergo ita à gratia peti eam pœnæ æternæ diminutionem, vt intra terminos temporalis petatur aliquis, qui v.g. non excedat mille annos, ne exigentiæ gratiæ pro visione beata nimis diu resistatur.

Gratia non petit præcisè auferri æternitati pœna debita peccato mortali.

Dices: Si gratia exigit, ne tanta sit ea dilatio visionis: ergo in statu Innocentiæ, in quo homines victum erant multis millibus annorum, fieret gratiæ violentia per eam dilationem. Respondeo Primò, Dubium magnum esse circa eam vitæ longitudinem in eo statu. Fortassis enim minùs homines in hoc mundo tunc manerent. Secundò respondeo, Me loqui de tempore extra statum viæ, prout sunt animæ Purgatorij. Addo denique, eam determinationem non esse omninò certam, sed poni numerum certum pro incerto, possèque Deum multas habere causas, ob quas maiorem etiam dilationem visionis non curet: vti (non recurrendo ad incertum tempus status Innocentiæ) de facto fecit cum multis Patribus antiquæ Legis, Abele, Adamo, &c. qui aliquot millibus annorum in Lymbo detenti sunt. Hoc posito, facilè dici potest, intra illam durationem peccata exigere iuxta suam grauitatem maiorem aut minorem, vt peccatum, quod potest dari summum, eam summam petat ex natura sua, aliud ei proximum proximam inferiorem, & sic descendendo per reliqua vsque ad infimum, quod breuem valdè exiget dutationem.

Video in hoc ipso haud parum diuinari: nam illud

7

illud mortale infimum merebatur etiam ex se æternam pœnam: videtur autem nimis multum pro illo à gratia peti, si non solùm æternitas pœnæ illi remittatur, sed & ferè tota quanta temporalis. Adde peccatum illud infimum mortale, non ob eam rationem quòd alia peccata sint ipso maiora, habere minorem exigentiam pœnæ temporalis, quàm haberet, si illa non essent: atqui si illa non essent, non posset dici, quòd gratia habitualis, quâ illud remitteretur, ita extingueret æternitatem pœnæ, vt non relinqueret nisi pœnam temporalem pro vna die v. g. ergo neque nunc; quando alia peccata maiora sunt possibilia, id potest dici. Hæc ratio conuincit intentum quoad illam calculationem. Quòd tamen priùs dixeram, nempe gratiam non solùm petere, ne pœna sit æterna, sed ita vt sit determinata aliqua duratio, vltra quam non extendatur, puto esse omnino verum, & omnino necessariò discendum ob rationes supra factas. Neque iudico inconueniens, quòd in hoc puncto sint æqualia omnia peccata mortalia siue parua siue magna: vti enim gratia æqualiter æternitatem tollit pro omnibus, siue illa magna sint, siue parua, ita putarem pro omnibus certam durationem relinqui, vltra quam puniri non possint, ne quasi in perpetuum, aut ad valdè longum tempus differatur visio beata, siue ea duratio temporalis æqualis sit pro omnibus, siue non: si enim æqualis sit, tunc intra illam possumus dicere, per intensionem inæqualem compensari inæqualem peccatorum exigentiam prouenientem ab eorum inæqualitate in malitia: per quod tamen non intendo dicere, Deum seruare eum rigorem, vt eo modo de facto remittat peccata; quia fortasse pro sua liberalitate & misericordia multò plus remittit, quàm exigeret gratia, aut quàm peccatis ipsis deberetur etiam remissa æternitate pœnæ.

Probabile est remissa culpa mortali exigere gratiâ, ne pœna temporalis vltra certam aliquam durationem se extendat, nos adnodum longam.

8 Hinc ad rem nostram dico, Supposita lege Dei (vndecumque illa veniat) qua statuit pœnam æternam peccati luxuriæ v. g. commutare in decem annos, pœnam verò homicidij in viginti &c. tunc iuxta maiorem aut minorem intensionem gratiæ & contritionis, quâ illa eadem peccata remittuntur, plus minúsve de illis ipsis decem aut viginti annis remitti, si vera sit doctrina eorum, qui dicunt semper, etiam per primam contritionem aliquid de ipsa pœna temporali tolli. De quo puncto nos suprà fusiùs egimus; vbi simul ostendimus, quo pacto potuerit Deus independenter à consideratione intensionis contritionis assignare cuilibet peccato mortali suam certam pœnam temporalem, in quam conuertat æternam.

Quid attendat Deus in permutatione pœnæ æternæ in temporalem.

Denique dicendum est, de facto Deum in ea permutatione non solùm attendere ad quantitatem gratiæ, qua remittitur peccatum, aut ad quantitatem dispositionis pro eadem gratia, sed etiam ad alias circumstantias ex libera sua voluntate statutas. Nam fortasse in Eucharistia infunditur maior gratia quàm in Baptismo: & tamen per Baptismum deletur tota pœna debita, quæ tamen per Eucharistiam non deletur; similiter potest fortasse quis extra martyrium habere actum nobiliorem quam habeat Martyr aliquis, & tamen per martyrium extinguitur omnis omnino pœna temporalis, quæ extra illud per similem actum non extinguitur. Quia Deus ob congruentias aliquas speciales voluit gratiam eam singularem facere Baptismo & martyrio, quam noluit facere aliis actionibus; quomodocumque ergo ea commutatio & taxatio temporalis pœnæ fiat quærimus in præsenti, An illa per opera nostra deleri paulatim, aut ex toto possit.

SECTIO II.

Statuitur certa doctrina.

ABSOLVTE loquendo posse nos per bona opera nostra satisfacere pro ea temporali pœna, certa est inter Catholicos doctrina definita in Florentino & Tridentino; quam Suarez disput. 37. conatur persuadere ex variis sacræ Scripturæ locis, quæ tamen meo iudicio valdè parum ei fauent, vt illud Isaiæ 1. *Lauamini, mundi estote, & venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*: similia habentur apud Ezechielem 18. & 33. & Ioëlem 2. quæ ita inducit pro hac sententia Suarez. Nam si sermo sit de culpa quoad maculam, hæc per solam contritionem tollitur; ergo si nihil veniæ per cætera opera pœnitentiæ comparari potest, frustrà ad hunc finem ea opera exigerentur.

9 *Per bona opera non potest tolli vel satisfieri pœna temporalis debita post remissam culpam.*

Ego tamen in his locis nihil audio de aliis operibus pœnitentiæ, quæ vltra contritionem requirantur ad veniam obtinendam: Isaias enim solum exigit, vt homo & desinat agere malè, & operetur benè: id quod priùs Dauid dixerat, *Recede à malo, & fac bonum*; & tunc promittit illos homines fore mundos instar niuis: hinc autem non video quid infetatur de remissione pœnæ temporalis, maximè cùm reatus pœnæ nullo modo tollat nitorem etiam niuis, de quo ibi Propheta; & idem dico ad loca Ezechielis & Ioëlis, quòd enim hic vltimus dicat, *Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu, & planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, non probat illum agere de remissione pœnæ temporalis post remissam culpam, sed vult explicare naturam contritionis aut fortasse operum antecedentium, per quæ homo de congruo obtinet auxilia ad eam pœnitentiam. Id quod satis confirmant illa verba quæ addit Propheta, *Quis scit si conuertatur?* illa enim interrogatio quasi dubitans satis clarè ostendit non esse annexam eis operibus necessariò eam remissionem. Secundò, Fortassis loquebatur Propheta ibi de auertendo aliquo malo temporali, quod minatus eis fuerit Deus, & per ea opera poterant illud à se auertere.

Psal. 33. 15.

Ioëlis 2.

10 Secundò inducit Suarez illa verba Pauli 2. Corinth. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Verùm & hîc nihil video de satisfactione pro pœna temporali, sed quòd Corinthij egerint pœnitentiam de peccatis: quòd enim ibi Chrysostomus intelligat etiam vindictam, *Quia contristati estis ad vindictam*, nihil omnino probat de ea remissione pœnæ; tum quia ipsa contritio, quatenus delet culpam, optimo iure dici potest vindicta; tum quia independenter à remissione vllius pœnæ est valdè laudabile, vt qui plura & grauiora contra Deum admisit gratiorem se Deo ostendat, & pro illo plures subeat mortificationes & labores, vt ea ratione suam gratitudinem ob tantum acceptum beneficium ostendat. Id quod potest habere locum etiam in eo, qui ante Baptismũ grauiter peccauerat: nam licet

per Baptismum sit ab omni pœna etiam temporali liber, nihilominùs quasi in vindictam præcedentium peccatorum iam plura agat opera pœnitentiæ, quam qui nullum ante admiserat peccatum vt S Gregorius Papa deducit optimè Homilia 2. in Ioannem, hæc vltimo addens verba: *Per hoc quod dicitur, Facite fructum dignos pœnitentiæ vnusquisque conscientia conuenitur, vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam.* Vbi nihil Sanctus Doctor de remissione pœnæ, sed de operum bonorum lucro. Eodem modo alia loca sacræ Scripturæ & Patrum explicari possunt, vel de pœnitentia pro culpa, vel de aliqua compensatione, quæ ad gratitudinem potiùs reducatur. Nec video vllum adduci locum, qui clare de satisfactione loquatur 11 Quòd enim Suarez ipse num. 5. aduertens benè aliqua ex locis Sacræ Scripturæ à se adductis non esse efficacia, quia à Patribus ad aliud propositum explicantur, addit per hoc non non eneruari eorum locorum vim, tum quia in multis eorum vel solus est litteralis sensus de remissione pœnæ, vel est maximè propriùs hoc inquam non videtur satis solidè dictum, quia reuerà nullus est, qui eum sensum litteralem præ se ferat, taceo quod nullum alium admittat. Quidquid ergo de eorum locorum efficacia, sit, sufficit nobis, quòd perpetua Ecclesiæ traditio hæc fuerit, quod ita sentiant Catholici omnes, quod definitum hoc punctum sit in duobus Conciliis, vt de eâ veritate dubitare non liceat.

Opera bona hominis iusti sunt causa meritoria remissionis pœnæ, non pura conditio.

Supponendum Secundo, In hac materia esse de Fide certum, opera hominis iusti, per quæ dicemus illum satisfacere pro pœna non esse tantùm puram conditionem, ad cuius præsentiam ex solis meritis Christi nobis liberaliter condonetur sed esse veram causam meritoriam eius remissionis Hæc doctrina est contra Michaëlem Baium in cuius propositionibus damnatis à duobus Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII hæc est vna ordine 59. *Quando per eleemosynas aliisque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicuti quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores sed facimus aliquid, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur*; altera vero ordine 77. *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de congruo pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Dum hæ duæ propositiones damnatæ fuerunt, reddita est certa contradictoria illarum, nempe nostra opera esse condignam satisfactionem pro eâ pœnâ: nam licet ad priorem propositionem forsasse applicari posset quorundam solutio, scilicet eam magis damnari propter censuram, quam inurit contrariæ: in ea enim dicit Baius errare eos qui contrarium sentiunt: quæ reflexa censura est absurda, quidquid sit de veritate doctrinæ: hæc tamen, quæcumque ea sit euasio, secundæ propositioni omni carenti censura non potest applicari: necessariò ergo debuit à Pontifice damnari propter ipsam directam doctrinam.

12 Est etiam hæc communis & Catholica sententia contra alios Scholasticos apud Suar Lugo disp. 14. sect. 1. qui rem totam videntur in solam Dei acceptationem refundere; nisi forte hi vltimi ita id doceant pendere à voluntate diuina, vt tamen æqualitatem aliquam in operibus nostris admittant cum ea remissione. Quidquid verò de mente illorum sit nostra conclusio certissima debet esse tum ob auctoritatem eorum duorum Pontificum contradictorium damnantium, tum ob Concilium Trid. & Florentinum, quæ definiunt nos verè satisfacere Deo pro huiusmodi pœnis; si autem nostra opera non haberent condignitatem cum ea remissione, non possemus vllo modo satisfacere, sed dicendum esset nobis à Deo condonari gratis eas pœnas. Vti nó dicimur satisfacere pro peccato mortali quando per attritionem in Sacramento obtinemus illius remissionem sed Deus dicitur gratis illud condonare vnde etiam nunquam dicimur satisfacere nos pro pœna æterna. ea solùm de causâ, quod hæc condonatur nobis à Deo sine merito nostro condigno, etiamsi requiratur pro ea remissione opus aliquod nostrum, contritio scilicet extra Sacramentum, & attritio intra illud: debemus ergo concedere condignitatem in nostris operibus cum ea satisfactione.

Quod autem obiiciebatur à Baio, fore nos corredemptores. si nostra opera sint condigna, est planè ridiculum, eodem enim modo deberet tollere nostra merita condigna, ne dicamur corredemptores, Respondeo ergo (vt & sæpè ad alia proposita obseruaui) Christum ideo dici nos redemisse, qui nobis obtinuit auxilia omnia necessaria ad bene operandum, ad merendum, sati faciendum, &c. per quod tamen ipse nullo modo voluerit nos ab obligatione merendi aut sati faciendi liberare: neque propterea effecit, vt nostra opera dignificata per gratiam non haberent condignitatem cum præmio aut cum remissione pœnæ. Obtinuit nobis etiam præterea gratiam habitualem ex opere operato, quæ per septem Sacramenta nobis tribuitur vltra dignitatem & valorem nostrorum operum. Non debet autem ex eo capite negari nostris operibus dignitas ad satisfaciendum.

Cur Christus Dominus dicatur noster redemptor.

SECTIO II

Explicatur condignitas nostrorum operum cum ea remissione pœnæ.

VT id ostendamus, supponenda sunt aliqua, 13
Primò, nullum in peccato mortali satisfacere pro pœna non solùm de condigno, sed nec etiam de congruo: ita communiter docent Theologi cum Diuo Thoma in 4. distinct. 15 quæst. 1. art. 3: quæstiuncula 2. eos vide apud Suarez supra & Vasquez quæst 94. art. 1. dub 4 estque valdè conforme Tridentino, dum Sessione 14. cap. 8. agens de his operibus satisfactoriis videtur supponere, nos, dum satisfacimus, debere in Christo viuere, moueri, &c. Ratione autem probatur; & quidem de condigno non posse nos satisfacere facilè ostenditur, quia opera bona hominis peccatoris non sunt vllo modo proportionata cum pœna Purgatorij debita pro peccatis. vt ergo proportionentur, debent à gratia dignificari; ergo peccator eâ gratiâ carens non poterit satisfacere de condigno pro tali pœna. Dixi nostra opera non esse proportionata. Nam si pœna sit eiusdem rationis cum ea, quam quis debet; etiam homo peccator posset de

Cur opera in mortali facta non satisfaciant pro pœnis Purgatorij.

de condigno satispati, vt alibi fusiùs docui, probans in Purgatorio esse satispassionem tam pro pœna peccatis mortalibus iam dimissis debita, tum pro debita venialibus, siue dimissis quoad culpam, siue non dimissis. Ratio ergo huius nostræ doctrinæ desumenda est non pure ex statu peccati, sed, & illo, & ex improportione nostrorum operum, quæ ob defectum gratiæ sanctificantis non possunt eleuari ad condignitatem cum remissione, vti in simili communiter docetur de merito. nullum scilicet esse condignum in peccatore. Quòd verò nec de congruo satisfaciat peccator pro pœna inde constat, quia cùm talis satisfactio requirat singularem Dei liberalitatem, de qua nullibi constat, non possumus eam adstruere nisi penitus diuinando.

14 *Cur opera in mortali facta non reuiuiscant accedente gratia posteà.*

Secundò, Ex dictis colligitur, opera in mortali facta non reuiuiscere deinde: cuius ratio est, quia cùm illa numquam habuerint vitam, non possint (esto gratia deinde accedat, quando ipsa non existunt) reuiuiscere: aduentus enim gratiæ nihil potest illis prodesse, quando non sunt; pro tempore verò præcedenti non potest gratia nunc data efficere, vt illa opera fuerint viua; ergo. Quomodo autem cum hoc cohæreat satisfactionem Sacramentalem, etiamsi adimpleatur in mortali, posse eo ablato prodesse, dicam infrà. Confirmatur hæc doctrina ex merito gratiæ & gloriæ: hoc enim non potest esse, nisi homo sit in gratia. Quòd si opus ex se meritorium factum sit in peccato, nō potest posteà resurgere, quia numquam habuit vitam; satisfactio autem & meritum quoad hoc habent se eodem modo. Aduerte tamen cum D. Thoma, si talia opera sint facta in peccato, durent verò vel in se vel in affectu aliquo vsque dum homo iustificetur, & tunc informentur, gratia, quia v. g. ex pœnitentiis, quas egit homo existens in peccato, durat grauis dolor, quando iam est in gratia, & illum tunc tolerat libenter: nota inquam eo ipso iam hunc satisfacturum per opera non vt in peccato facta, sed vt durantia nunc in gratia: nam pro hac duratione illa prior existentia est quasi non fuisset, sed ac si iam primò inchoarentur: quem autem fructum ea opera in peccato facta habeant, non est huius loci: dicimus tamen sæpe de congruo disponere hominem ad auxilia vberiora pro pœnitentia obtinenda, item ad vitanda plura alia peccata & mala etiam temporalia.

15 *Cur in Purgatorio non detur satisfactio pro pœna.*

Præter statum gratiæ requiritur Tertiò, quod homo sit viator. Nam in Purgatorio non satisfaciunt animæ, sed satispatiuntur: quia Deus solùm tempus huius vitæ voluit esse aptum tam ad meritum, quàm ad satisfactionem pro pœna & verò pro pœnæ satisfactione congruentissimum fuit ita disponi longè adhuc magis quàm pro merito. Nam si in Purgatorio seu statim extra viam posset homo vno aut altero actu contritionis satisfacere, esset ea grauis occasio, vt hominis vilipenderent venialia, & omnes suas satisfactiones in alteram vitam remitterent: quæ ratio in merito non ita vrget: nam defectus meritorum non posset in Purgatorio compensari, maximè si tempus manendi breue esset valde, eò quòd satisfactio pro pœna etiam citissimè finiretur. Quare autem ibi admittamus veram satisfactionē pro remissione culpæ venialis quà talis, dictum est suprà.

Opus satisfactorium debet esse liberum.

Quartò requiritur ad satisfactionem, quòd fiat per opera libera. Hæc est communis: probatur autem à Suario, eò quòd satisfactio sit effectus virtutis pœnitentiæ: de cuius conceptu est, vt sit voluntaria detestatio & vindicta peccatorum. Hæc ratio meo iudicio debilis est; nā satisfactio eo solo sensu dici potest effectus virtutis pœnitentiæ: quòd nisi facta iam sit pœnitentia pro culpa: hæcque dimissa, non potest esse satisfactio pro pœna. quòd verò procedat ab ea virtute pœnitentiæ, nequaquam probatur: & sanè cùm ipse Suarez dicat (& quidem bene) hominem, etiamsi nihil cogitet de satisfactione pro pœna, imò etiamsi ignoret se habere vlla peccata, pro quibus debeat satisfacere quoad pœnam, si tamen ferat patienter (ex quacumque virtute id faciat) labores à Deo immissos, imò efficiendo actus pœnales cuiuscumque virtutis, eo ipso illum satisfacere, non video, quomodo in eo antecedenti supponat satisfactionem esse effectum virtutis pœnitentiæ, nisi eo præcisè sensu, quo immediatè diximus, scilicet debere supponi remissum peccatum quoad culpam: in quo iam ostendimus nihil includi quòd debeat ea satisfactio esse libera.

16

Secundò ergo & melius idipsum probat, quia satisfactio est effectus moralis fundatus in valore moralis actionis. Nam si consideremus præcisè physicum ipsum dolorem actionis, & per modum satispassionis, nullam penitus videntur nostra opera habere proportionem cum grauissimis illis Purgatorij pœnis; debent ergo opera nostra eleuari per valorem moralem aliquem, qui non potest facilè explicari, nisi dicamus ea debere esse actiones bonas liberas & morales.

Tertiam rationem addit Suarez, quæ mihi non placet; desumit autem illam ex eo, quòd satisfactio ordinetur ad emendationem ipsius peccatoris & non solùm ad aliorum terrorem pro quo requiritur libertas illius satisfactionis. Hanc rationem dico mihi minùs probari, quia emendatio ipsius peccatoris forsasse sequeretur certiùs, si per pœnam inuoluntariam à Deo in hac vita homo puniretur. Vti bestiæ emendantur, esto non liberè patiantur; dum tamen cognoscunt se ob talem & talem actionem puniri, & reus terretur magis in futurum per pœnam ab alio inflictam, quàm si sibi voluntariè eam imposuisset. Quod autem addit, dormientem & amentem non satisfacere ex defectu libertatis; non vrget; quia si amens & dormiens non sciat, cur sibi ea pœna imponatur, quid quæso mirum est illos non satisfacere, quia tunc ratio allata non haberet locum? quomodo enim inde possent emendari, si nihil noscerent nec possent aduertere, vnde ea pœna veniret; quòd si id noscerent, possent recordari se ideò grauiter vexatos, possent haud dubiè, nisi aliud obstaret, per eos dolores satisfacere.

SECTIO IV.

An per actus naturales & obligatorios possimus satisfacere pro pœna.

17

IN hac primam partem tituli quærimus, Vtrùm opus satisfactorium necessariò debeat esse supernaturale, an verò sufficiat ordinis naturalis. Ratio dubitandi ea est, quam tangit Suarez sect. 3. nam licet ad meritum supernaturalis præmij, qualis est visio beata, requiratur

opus in substantia supernaturale (vt ex materia de Merito supponimus) ad meritum tamen rei temporalis, & verò in sua entitate naturalis, qualis est carentia pœnæ Purgatorij, non videtur vlla esse efficax ratio, cur debeat requiri ea supernaturalitas, & non sufficiat actus naturalis ab homine iusto elicitus. Suppono non esse necessarium proprium actum virtutis charitatis; quia hic neque ad meritum beatitudinis est necessarius, vt contra paucos aliquos aliunde suppono.

Sententia P. Suarez. & eius probationes ineffaces, quòd opus satisfactorium debeat esse supernaturale.

Pater Suarez ait, Necessariò debere actum esse supernaturalem, quia nullum meritum potest esse de condigno nisi in actu supernaturali, nec aliter facta est vlla Dei promissio: iam autem paulò superius diximus hanc satisfactionem esse de condigno. Ego hoc fundamentum iudico esse valdè infirmum, quia vel Suarez dicit actus naturales bonos non habere ex se in actu primo æqualitatem cum vlla re naturali, quæ dari eis possit in præmium; ideóque eis neget omnem omnino capacitatem aliquid merendi de condigno; hoc autem planè est improbabile. Quis enim dicet, in statu puræ naturæ hominem naturaliter amantem Deum, & alios bonos actus naturales morales exercentem, non habiturum condignitatem cum vllo præmio, v. g. cum sanitate, cum dilatione mortis, cum pluuia obtinenda, &c. Profectò hanc condignitatem multi ponunt de facto in talibus actibus à gratia dignificatis cum visione æterna, quòd licet aliunde ex Conciliis & Patribus reiici possit, vt tamen id non habeat locum respectu præmiorum tam leuium, qualia sunt multa temporalia, non video qua probabilitate id asseratur. Si autem in statu puræ naturæ, quando illa opera non dignificarentur per gratiam habitualem subiecti, haberent proportionem cum aliquibus præmiis: profectò eam nunc habebunt, & quidem longè maiorem, cùm dignificentur per gratiam habitualem hominis benè operantis naturaliter. Quòd si ideò Pater Suarez dicat, actus quidem naturales hominis iusti ex se habere æqualitatem cum aliquibus præmiis, à Deo tamen non acceptari ad vllum præmium de condigno ob ea opera concedendum, deberet sanè ostendere, ex quo loco sacræ Scripturæ & Conciliorum de ea voluntate Dei quidquam possit suaderi. Certè contrarium videntur multi Patres & Theologi sentire, dum docent gentilibus v. g. Romanis Deum dedisse in hac vita felicitatem, vt remuneraret aliqua eorum bona opera naturalia: vbi supponere omnino videntur Deum accepisse talia opera nataralia bona ad præmium aliquod naturale.

Bonum opus naturale habet proportionem ad merendum de condigno aliquod præmium naturale.

18

Secundò probat, quia ea carentia pœnæ etiam si præmium sit temporale, prout temporale opponitur æterno, non tamen est temporale, vt opponitur spirituali. Nam diminutio pœnæ Purgatorij magnum est bonum spirituale, & ad ordinem supernaturalem spectans: quandoquidem inde acceleratur visio Dei: ergo ad tale bonum promerendum necessaria est gratia supernaturalis. Hæc item ratio non est admodum efficax. Nam ea carentia pœnæ non solùm eo sensu dicitur temporalis, vt opponitur æternæ, sed est quid ordinis naturalis: est enim priuatio naturalium dolorum: si ergo est intra ordinem naturæ, cur per actum naturalem bonum non poterimus eam promereri de condigno? Neque enim quòd ex cessatione illius sequatur accelleratio visionis illam extrahit ad ordinem supernaturalem: nam ea visio non sequitur propriè ex cessatione pœnæ, sed planè per accidens: per se autem sequitur ex meritis antiquis & gratia habituali: vnde si hæc non fuissent in homine, etiãti satisfaceret pro ea pœna debita (vti possemus satisfacere in pura natura) non tamen sequeretur tunc visio beata, benè autem potest aliquid naturale promereri eo sensu anticipationem gloriæ per accidens aut auferendo impedimentum. Pone hominem stultum à natiuitate baptizatum, incapacem planè naturaliter in posterum rationis, hic quò citiùs moritur, eò citiùs videt Deum, & mors in illo est eodem planè modo anticipatio beatitudinis; sicut in anima Purgatorij satisfactio pro pœna est anticipatio gloriæ, vtrobique scilicet per accidens: at quis quæso dicet, occidere illum stultum tribus diebus antequam alioquin erat moriturus, esse aliquid supernaturale, & non esse vires naturales in nobis ad eum occidendum, aut ex hoc capite non posse nos per actum naturalem promereri à Deo vt ei anticipet mortem, ad hoc, vt à molestia, quam propter illum patimur, liberemur, etiamsi secutura sit inde salus ratione gratiæ quam habebat? Neque si ille esset incapax è cõtrario salutis, sed ad Lymbum puerorum necessariò deberet ire, esset ideò faciliùs obtinere à Deo mortem, ergo quòd eo modo per accidens sequatur salus, non extrahit illam remissionem pœnæ à ratione naturalis præmij.

An carentia pœnæ Purgatorij sit bonũ spirituale ad ordinem supernaturalẽ.

19

Dices, Hunc discursum nimis multum probare, scilicet eam anticipationem mortis, quando homo est in gratia, posse cadere sub meritum condignum actus naturalis, esto inde per accidens sequatur salus æterna eius hominis, quia etiam illa anticipatio mortis est quid naturale, vt hucusque argumentabamur; hoc autem videtur apertè falsum, quia nec quidem sub meritum condiguum, imò nec congruum infallibile supernaturalium actuum cadere potest ea anticipatio, cùm per eam formaliter compleatur perseuerantia finalis in gratia, quam alibi ex Catholica sententia diximus non cadere sub meritum condignum nec congruum infallibiliter & ex certa lege. Respondeo negando sequelam, quia in homine, qui potest cadere ex gratia, naturaliter loquendo, cùm sit rationis compos, & data quacumque tentatione possit peccare, & damnari, in tali inquam obtinere anticipationem illam mortis pro tempore quo est in gratia, est maximum beneficium: est enim obligare implicitè Deum, ne eum permittat amplius labi in peccatum. Hoc autem beneficium Deus noluit esse annexum de facto vlli actui bono: per quod tamen (vt suo loco ostendimus) non tollitur, quò minùs actus bonus supernaturalis hominis iusti, si non occuparetur eius valor in promerendo augmento gratiæ & gloriæ, posset de condigno mereri eam mortem, seu eam perseuerantiam finalem. Nihil horum planè in casu à me posito de stulto baptizato reperitur: etenim in illo (vt supposui) iam est omnino certa perseuerantia, quia naturaliter est iam incapax rationis, ac proinde est certò futurus beatus; ergo in illo obtinere mortis anticipationem non est mereri illi nec quidem implicitè perseuerantiam finalem; non est ergo ibi quidquam, cur ea mortis per duos trésve dies anticipatio dicatur ordinis altioris, vt non possit cadere sub meritum etiam actuum naturalium honestorum

20

Cur perpetua anditis laboranti possit imperari anticipatio mortis de condigno, non item homini existenti in gratia perseuerantia finalis.

moraliter

moraliter, quibus parentes v. g. aut alij peterent à Deo, vt eum ex hac vita, in qua inutilis planè esset, dignaretur ad se accipere; ergo ex hoc capite benè cõcludit ratio à nobis facta,

21 *Decisio propositæ quæstionis quoad primam partem.*

Quoad quæstionem ergo totam, res mihi videtur satis dubia; nec caret sua probabilitate sententia affirmans, tales actus honestos hominis iusti valere de condigno pro ea satisfactione. In nostra sententia docente, hominem iustum, quandocumq; datur occasio operandi honestè naturaliter, semper simul operari supernaturaliter, fortasse nulla esset difficultas; quia tunc saltem ratione illius actus supernaturalis interuenientis posset opus illud externum pœnale reddi satisfactorium de condigno. Quòd si tamen cum aliis dicamus, Data tali occasione benè operandi, semper hominem iustum eleuari ad operationem solam supernaturalem sine vlla alia naturali circa idem obiectum, adhuc erit minor longè difficultas, cùm nullus sit actus naturalis, de quo possimus dubitare; vnde tota quæstio cessaret.

Probabilius est opera naturalia non satisfacere pro pœnis Purgatorij.

Secundò tamen dico, Probabiliorem esse sententiam Suarez, quæ inde potest suaderi. Nam (quidquid sit de naturalitate earum pœnarum, seu de naturalitate carentiæ illarum) certè adeò illi dolores physici Purgatorij (sumpto etiam simul dolore, quem tunc habent ex dilatione visionis beatæ) sunt in longè altiori ordine respectu nostrarum passionum, vt planè non videantur hæ vllam condignitatem cum illis habere. Et verò etiam quando dignificantur actiones nostræ pœnales per actus supernaturales, est difficile explicare, quomodo vna molestia ieiunij, vel gemitus aliqui æquare possint in valore intensissimas illas pœnas Purgatorij; multò ergo minus id poterimus dicere, quando solùm dignificantur per actum naturalem. Neque sufficit quòd ea cessatio pœnæ sit aliquid naturale: non enim omnia naturalia cadunt sub meritum condignum actuum naturalium, alioquin quilibet actus naturalis mereretur quæcumque præmia naturalia: id quod manifestè est falsum.

22

Iam ad secundam partem in titulo propositam (quæ etiam est valdè inter Auctores controuersa) Vtrùm ad satisfaciendum requiratur opus supererogationis, an verò etiam per ea opera, ad quæ tenemur ex præcepto, possimus satisfacere. Paludanus, Maior, Almainus, Gabriel, Capreolus & D. Thomas apud Suarez disp. 36. sect. 4. docent, satisfactionem non fieri nisi per opera supererogationis; quia quæ sub præcepto debentur Deo aliis titulis, eo ipso non sunt apta ad satisfaciendum: requiritur enim vt ratione peccati aliquid exhibeatur Deo, quod anteà ei non debebatur. Alij verò apud eumdem limitant eam doctrinam, vt homo non satisfaciat per opera sub præcepto naturali secùs per reliqua: quæ distinctio (vt benè ibi notat idem Suarez) varia est, quia quòd sint ea opera sub obligatione præcepti naturalis aut positiui, in ordine ad punctum præsens est omnino per accidens.

Sententia negans per actus obligatorios satisfieri.

Sententia affirmans communis & vera.

Communis ergo sententia asserit, Ex eo quòd opera sint sub præcepto, nullo modo impediri quò minùs sint satisfactoria: pro qua stat Suarez suprà citans Caietanum, vtrumque Sotum, Ledesmam, Victoriam, Adrianum & Medinam: eamdem tenent Lugo disp. 14. sect. 3. Tannerus disp. 6. quæst. 8. num. 40. vbi alios pro eadem refert Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 6. quam ego iudico omnino veram; & quidem argumentum aduersæ sententiæ si quidquam probaret, illud certè nec per talia opera ex obligatione posse nos quidquam mereri de condigno; (id quod est manifestè falsum & contra illos ipsos Auctores:) sequelam autem probo, quia eodem planè fundamento quo illi dicunt ad rationem satisfactionis debere afferri aliquid alio quin indebitum; eodem planè ego dicam, etiam ad hoc, vt aliquis mereatur, debere offerre aliquid indebitum: quomodo enim apud mercatorem v. g. aliquis per pecuniam alias ei debitam poterit merces de condigno emere; Quòd si hæc ratio apud Deum cessat, quia (vt suo loco fusiùs diximus) cedit ipse eis titulis, & solùm considerat dignitatem & valorem operum profectò eodem modo debemus in ordine ad satisfactionem discurrere.

Ex Tridentino idem probat Lugo, quia Sessione 4. cap. 9. & can. 13. ait, Per flagella à Deo immissa & patienter tolerata hominem satisfacere pro debito pœnæ: multò autem magis videntur huiusmodi opera ad eam satisfactionem inepta, quàm quæ sint sub præcepto; hæc enim sunt nobis absolutè libera. Addit Suarez (& ex eo Tannerus in ipsis operibus sub obligatione semper esse aliquid supererogationis, scilicet ipsam pœnam; nam præceptum solum cadit supra opus, pœnalitas autem est vltra præceptum.

23

Mihi tamen hæ duæ vltimæ rationes non satisfaciunt, prima quidem, quia licet ipsæ exteriores pœnæ, seu flagella à Deo immissa non sit nobis libera; at tolerare ea tunc patienter non est sub præcepto propriè; nam licet teneamur ex præcepto naturali non indignari contra Deum, non tamen tenemur elicere actum honestum, quo illos dolores acceptemus, sed possumus nos tunc habere vel purè omissiuè, vel certè actum alicuem indifferentem efficiendo; ergo dum tunc habemus actum honestum supernaturalem, quo eas acceptamus, iam eo ipso facimus aliquod opus supererogationis; & id videtur voluisse denotare Concilium, dum vltra pœnarum physicam tolerãtiam petit acceptationem voluntariam illarum.

In pœnis à Deo nobis inflictis nobis libera est honesta acceptatio earum.

Secunda item ratio ideò non placet, quia sæpè ipsa pœnalitas est sub obligatione; vt cùm alicui disciplina, cilicium, allæque afflictiones quà tales imperantur, & quoad hoc fortasse meliùs & consequenter ad ea quæ immediatè diximus, potuissent Suarez & Tannerus respondere, Præceptum, maximè humanum, rarò cadere supra interiorem, actionem, sed supra exteriorem: ergo qui non solùm ponit actionem sibi præceptam sed etiam ex se addit actum honestum, quo eam exercet, iam habet aliquid supererogationis, per quod satisfaciat. Verùm licet hoc sit omnino verum, non videtur tamen in terminis formalibus respondere quæstioni, Vtrùm per opus præceptum quà tale possit satisfieri; nam si in tali opere quærimus aliquid non præceptum, iam relinquimus quæstionem indecisam.

24

His ergo argumentis omissis, non video vnde meliùs quàm ex instantia meritorum probari possit communis sententia. Deinde quia Concilium, nullam faciendo distinctionem inter opera sub obligatione & opera supererogationis, absolutè docet, nos nostris operibus pœnalibus, gemitibus, &c. satisfacere pro pœna; non possumus autem nos eam vniuersalem definitionem

limitare

limitare ad hæc aut illa opera sine grauissima causa,qualis in præsenti non reperitur.Confirmatur etiam instantiis à Suario,Lugo & aliis adductis de Martyre,qui cùm teneatur tũc non negare Fidem & pati ea tormenta,excellentissimo tamen modo satisfacit;item quia Ecclesia directè ad hoc intentum præcipit ieiunia, & Confessarius ob eamdem causſam imponit etiam eleëmosynas & alia opera pœnalia.Quid autem sit respondendum ad rationem supra positam, constabit ex dicendis paulò inferiùs,dum explicabitur,per quos actus satisfaciamus de facto.

DISPVTATIO XXI.

An in omni actu interno, an in solo externo formaliter consistat ratio satisfactionis.

HÆc difficultas fetè complectitur quidquid de sati.factionis essentia potest dici; ideò diligenter est discutienda.

SECTIO I.

Vtrùm ad satisfactionem sufficiat quilibet actus internus etiam non pœnalis.

Sententia asserens omne opus bonum esse satisfactorium reiicitur.

MVLTORVM sententia est, omne opus bonum quà tale esse etiam satisfactorium: ita Victoria, Sotus, Scotus; Gabriel, Ledesma & Medina; quos refert Suarez ea disputatione 37. sectione 6. idem sentit Vasquez quæstione 94. dubio 1. numero 3. Aliquorum ex his fundamentum est, quòd omne opus bonum habet condignitatem cum gratiæ augmento; quod maius quid est quàm pœnæ temporalis remissio, ergo & cum hac. Hoc argumentum meritò displicuit Suario, quia si quidquam valeret, probaret etiam quodlibet opus bonum mereri præmia omnia naturalia,quia hæc sunt inferioris ordinis quàm sit augmentum gratiæ; aitque Suarez,non benè fieri argumentum in his quæ sunt diuersi ordinis ab vno ad alterum. Hæc tamen vltima impugnatio non videtur esse sufficiens:etenim si loquamur de condignitate & valore operis,profectò, si est condignum rei nobilioti, à fortiori erit condignum inferioti, esto hæc sit ordinis diuersi; nam ea condignitas in hoc consistit, quòd hæc res moraliter possit iudicari tanti valoris quanti illa:si ergo est tanti valoris quanti altera maior, à fortiori erit tanti quanti minor; rectè ergo,si præcisè loquamur de æquiualentia, intulere illi Auctores; Omne opus in gratia factum est condignum gloriæ augmento, ergo erit etiam remissioni pœnæ.Vitium ergo argumenti illius clarius debet ostendi, eò quòd argumentantur à sensu diuiso ad compositum; fatemur quidem,quodlibet opus bonum factum in gratia habere eam condignitatetem cum remissione, sicut habet cum gratia; negamus tamen habere eam condignitatem cum vtroque præmio simul sumpto.Vti qui potest solus portare centum libros, potest à fortiori viginti, si seorsim accipiantur;at non potest simul centum viginti.Cùm ergo actus meritorius occupet suã totam condignitatem in augmẽto gratiæ & gloriæ,malè intulere hi Auctores,eum adhuc posse simul satisfacere pro pœna, quia hoc est illi dare duplicatam virtutem. Meliùs fortasse probari potest,eò quòd satisfactio est in alio genere quàm sit meritum,ac proinde vnum non impeditur per aliud; ideoque si habet condignitatem cum remissione pœnæ,poterit illam obtinere,esto occupetur in merito augmenti gratiæ & gloriæ.Hæc tamen ratio impugnabitur à me paulò pòst.

Contraria & communis sententia vera, solum opus pœnale scilicet esse satisfactorium:

Contraria ergo sententia est communis,quam & veram iudico,scilicet solum opus pœnale esse satisfactorium: ita D. Thomas in 4.dist. 15. art.5. quæstiuncula 1.Bonauentura, Richardus Durandus, Paludanus, Maior, Alensis, Adrianus, Sylvester, Viguerius, & alij, quos refert & sequitur Suarez vbi proximè: pro ea stant Gaspar Hurtadus disp. 13. diff. 6. & Lugo suprà num. 37.qui tamen ex Suario addit, omne opus bonum esse de facto satisfactorium; quia omne est de facto aliquo modo pœnale: idem sentit Tannerus ea quæst.8.num. 45. Hæc sententia est valdè conformis Concilio Tridentino quod, dum de satisfactione agit, semper dicit fieri per opera pœnalia:ita Sessione 14. cap. 8. vbi ait,Per has pœnas nos reuocari à peccatis, per eas nos patiendo conformari Christo Iesu, qui pro peccatis nostris patiendo satisfecit. Secundò, quòd si patimur, conglorificabimur. Ratione eam probat Lugo ostendendo contra Vasquez satisfactionem non esse meritum;vnde colligit;ergo non omne opus meritorium est satisfactorium. Hoc argumentum non habet meo iudicio aliam vim quàm ostendere, fundamentum Vasquez pro sententia opposita non esse efficax;nostrã tamen nullatenus probat.Meliùs ergo idem cum Suario hoc probat; quia satisfactio est actus,quo quis vindicat & punit in se diuinam iniuriam; ergo debet esse aliquo modo pœnalis. Præterea satisfactio ordinatur ad correctionem ipsius hominis, imò aliorum, ne facilè deinde labantur;ad hoc autem pœnalitas & dolor est maximè necessarius;ergo debet ea satisfactio consistere in actione pœnali.Omnes hæ rationes in tantum meo iudicio vim habent, in quantum (vt paulò post ostendam) opus bonum quà tale occupatur in merito gratiæ & gloriæ;ideoque non potest ex eo capite pœnam extinguere; debet ergo aliquid addi, ratione cuius possit esse satisfactio:quæ est mẽs D. Thomæ, qui nullatenus recurrit ad genus diuersum meriti & satisfactionis (vt infrà vrgebo contra hos Auctores)sed ad pœnalitatem, per quam homo aliquid patitur pro Deo. Sed de hoc argumento statim fusius.

An omnis actus bonus sit pœnalis.

Examinanda nuc ea additio Suarez & Lugo, scilicet,Omne opus bonum esse pœnale,etiamsi maneat in ratione actus purè interni,imò etiamsi sit de obiecto homini secundùm corpus gratissimo,

tissimo, v. g. sit voluntas comedendi, quando naturaliter homo ad id vehementer propendet Inquiunt enim, Etiam tunc velle comedere ob pellendam famem, & non tantùm propter delectationem, esse actum ex se homini difficilem; quia difficile est tunc cohibere eum appetitum. Rationem autem à priori reddunt, quia nullum est opus honestum, quod non aduersetur alicui bono vel delectabili, vel vtili, vel quod non aliquod malum secum adferat; alioquin non esset liberum, si esset merum bonum ex parte obiecti. Pro quo inducunt D. Augustinum, qui vniuersaliter ausus est dicere, infidiles nullum prorsus bonum opus fecisse, quia vel ex parte obiecti vel ex parte intentionis aliquem defectum admiserunt. Quæ doctrina saltem regulariter, inquiunt, est vera: ergo semper quodlibet opus bonum habet aliquam pœnalitatem, ratione cuius possit esse satisfactorium.

4 *Non omne opus bonum habet annexã pœnalitatẽ neque annexũ malum aliquod positiuum.*

In hac doctrina illud mihi in primis displicet; quòd hi Auctores putent omne opus honestum debere habere aliquam rationem mali positiui, obquam sit pœnale, eò quòd alioquin non posset esse liberum, si appareret vt merum bonum. Hoc inquam mihi valdè displicet, quia sæpè dixi, ad hoc vt voluntas possit esse libera circa aliquod bonum, satis esse, si illud ipsi proponatur vt limitatum & finitum; esto amor illius nullum aliud positiuum malum adferat. Ratio autem est clara, quia eo ipso trahet solùm finitè & limitatè; illa autem reflexio supra ipsum amorem ad quem recurrunt hi Auctores nullo modo est necessaria, imò frequentissimè abest, quia ad amandum obiectum liberè non facio ego reflexionem supra ipsum amorem, sed putè putè ex directa cognitione obiecti me ordinariè determino; ergo ex hoc cap. non est, cur omne opus bonum ac liberum dicatur propriè pœnale. Adde, iuxta hanc explicationem ipsas etiam actiones physicas maximè homini iucundas (& pone non esse alioquin malas moraliter, sed indifferentes) deberemus dicere pœnales vno verbo, quidquid liberè facimus esset pœnale; hoc autem est contra omnium ferè hominum sensum.

5 *Moderata comedendi cupiditas in famelico non est mala.*

Secundò mihi displicet, quòd pro eâ difficultate explicandâ recurrant exempli causâ ad voluntatem comedendi, quando homo famet, & ad cohibitionem illius affectus, quo homo velit comedere ob cibi delectationem; quasi talis cibi effectus tanquam malus deberet necessariò compesci. Etenim (vt alibi ostendi) nullâ probabilitate dicitur voluntatem comedendi ob delectationem, si non comedatur vltra id quod est necessarium, esse malam moraliter, quia delectatio quâ talis non si aliunde sit inordinata, est obiectum amabile saltem indifferenter, si non honestè; ergo etiamsi homo, velit tunc comedere, vt se liberet tum à periculo vitæ, tum ab immani rabie famis, tum ob delectationem cibi; quæ omnia sine vllâ prorsus difficultate & labore, imò naturalissimè appetit, potest etiam non efficiendo vllum pœnalem actum dicere; volo etiam comede, quia Deus ita vult. Profectoò (vt verum fatear) ego nec apprehendere possum, in quo ibi sit pœnalitas huiusmodi actus.

Tertiò absolutè mihi tota ea doctrina displicet; & reuerà videtur sibi minùs constans, maximè in probatione: dum enim priorem partem, quòd scilicet debet esse opus pœnale, probare contendunt ex Tridentino, quoc semper pro hac satisfactione requirit actiones pœnales, videntur mihi destruere ex integro secundam partem, quòd scilicet omne opus bonum sit de facto satisfactorium, vndecunque id *illi* proueniat; etenim si omne opus bonum id habet, cur quæso dicunt à Concilio semper requiri opera pœnalia? hæc enim limitatio aliquid excipit dixisset potiùs rotundè Concilium, per omne opus bonum nos satisfacere, sicut dixerat in ordine ad meritum, non limitando ad opera pœnalia; ergo pro satisfactione aliqua excipit, pro merito nulla, profectò supponit non omnia opera bona esse pœnalia, & consequenter nec omnia esse satisfactoria. *Probatur ex Tridentino, nõ omne opus bonum esse pœnale, neque satisfactorium consequenter.*

6

Respondebis, Concilium id voluisse denotare dum addidit, *Et alia pietatis opera*: vbi omnia opera complectitur. Sed contra, quia ea particula *Et alia* non includit omnia bona opera; alioquin sine tot ambagibus & limitationibus dixisset ab initio, *Per omnia bona opera*: includit ergo alia, similia tamen in pœnalitate his quæ ante posuerat dixerat enim id fieri per ieiunia, orationes eleëmosynas: nihil amplius ibi posuit: restabant profecto illi multa enumeranda, in omnium iudicio & extra controuersiam pœnalia, v.g. disciplinæ, cilicia, cubationes in terra, peregrinationes inseruire infirmis in hospitalibus, vigilias agere, &c. ad omnia hæc alluſit Concilium non autem vniuersaliter ad omne omninò opus bonum; quale est comedere ob vitandam famem, quando comestio homini est gratissima: hoc enim non est propriè opus pietatis, de quo ibi Concilium agebat; ac proinde potiùs ex ipsa Concilij additione constat, illud nõ intellexisse talia opera: quomodo enim quæso de talibus dici potest, quòd reddamur similes Christo patienti, qui per suam passionem pro nobis satisfecit? Constet ergo minùs consequenter requiri opus pœnale, & simul dici omne opus bonum esse pœnale & satisfactorium; id quod à fortiori constabit ex dicendis statim in secunda difficultate. Ad rationem ergo allatam in contrarium, quòd nullus sit actus, qui non adferat pœnalitatem, iam ex dictis constat oppositam; nam quando obiectum est gratum homini directio illius in honestatẽ aut in Deum potest sine vlla pœnalitate haberi, vt ostensum est: & in aliis obiectis idem posset ostendi, nam filium amare ob bonos mores, & quia putat parens gratum illum esse suâ virtute Deo, non est profecto opus pœnale, esto sit honestus amor. Quod de Augustino dicitur, non videtur mihi ad rem; Vasquez enim & alij respondebunt, Ideo eum docere, Gentiles non habuisse vllum bonum opus, non propter pœnalitatem, sed quia omne bonum opus de se est ad salutẽ conducens; ac proinde non potest sine gratia Christi fieri. Alij verò dicent, Solum docuisse Augustinum ratò fuisse tales actus bonos, non tamen absolutè negasse omni tempore. Ratio autem eius impossibilitatis reduci potest ad alia capita diuersa à pœnalitate: defectus enim Fidei & mala educatio poterat maximè reddere illis difficiles per accidens actus ex se nullo modo pœnales: ergo ex Augustino nihil ad rem colligitur. *Explicatur S. Augustin. negans Gentiles vllum opus bonum fecisse.*

SECTIO

Ad quintum denique argumentum desumptum ex eo, quòd minùs bene loquatur Suarez, dum ex vna parte docet id quod de pœna aufertur tolli de condigno; ex alia verò ait eam pœnam remitti: etenim debitum, quod condignè soluitur, non remittitur. Respondeo, Hanc obiectionem esse minoris momenti, quia non vsurpat Suarez eam vocem *remittitur* in eo rigore pro condonatione gratuita, sed pro eodem ac *tollitur*. Hæc dicta sint circa argumenta quibus oppugnatur Suarez.

Decisio superioris quæstionis negatiua.

Absolutè autem circa totam quæstionem dico, in mea sententia docente, contritionem in quantum est purus actus interior liber & meritorius, nullo modo satisfacere pro pœna, quia tota occupatur in merito, facilem esse solutionem. Conuenio ergo cum Suario, Deum per generalem regulam determinasse pœnam tẽporalem certam pro quolibet peccato, postquam remissa est æterna. In quo puncto necessariò omnes debent conuenire, quandoquidem æqualiter Deus se in hoc puncto gerit cum omnibus qui æqualia habent peccata; debet enim esse certa pœna vt posteà sciat Deus quantum restet cuilibet soluendum, si tali & tali pœnalitate satisfaciat, vt diximus suprà.

18 *Per quos actus pœna temporalis deleatur.*

Secundò dico, Facta ea mutatione in priori naturæ in illam pœnam certam posteriùs natura per alios actus doloris secutos, & qui formaliter non merentur ac proinde sunt expediti ad satisfaciendum, remitti aliquid de temporali, quæ mansisset, si hi actus non fuissent secuti, sed sola contritio: & id clariùs cernitur in iustificatione per Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, quæ non existit quando infunditur gratia: tunc enim neque ipsa attritio remittit pœnam ob generalem rationẽ actus liberi occupati in merito. Neque alij actus doloriferi, quia cùm illi sint permodum satispassionis, non per modum impetrationis in futurum, non possunt quidquam efficere antequam homo sit in gratia, vti supponimus illam tũc non esse. Quando autem deinde aduenit gratia, homo est distractus, & nullum iam habet opus satisfactorium; ergo nullam tunc diminutionem pœnæ temporalis obtinet. Præcedentia verò opera non possunt dignificari tunc ad satispassionem; vt si quis in peccato existens faciat disciplinam, ieiunet, subeat alia opera pœnalia, nec tunc per illa satisfaciet, neque, etiamsi posteà sequatur gratia, dignificabuntur illa ad satisfaciendum aut satispatiendum, quia tardè aduenit ea dignitas; tunc ergo purè putè fit cõmutatio pœnæ æternæ in totam eam temporalem, quæ taxata erat pro eo peccato. Nec video quid possit probabilius dici in hac quæstione, quæ ex se est satis dubia, cùm pendeat à libera determinatione Dei circa eam permutatioem; de qua determinatione nihil possumus certi ex Scriptura, Conciliis aut Patribus deducere; sed per modum coniecturæ discurrendum nobis est.

Hinc tamen infero, Non attendendum in hoc puncto, Vtrùm contritio in se sit magna, aut parua; quandoquidem (vt diximus) ratione sui non satisfacit; oportet ergo põderare actus alios pœnales tam interiores non meritorios quàm exteriores, qui ex illa contritione sequuntur vnde si ex exigua in se contritione plures prodeunt quàm ex intensa, plus tolleretur de pœna per exiguam quàm per intensam.

SECTIO IV.

Duo alia dubia expediuntur.

PRIMVM est, Vtrùm de facto in lege gratiæ plus remittatur nobis de pœna tẽporalis per cõtritionem, quàm fuerit olim in Lege veteri remissum. Affirmat Caietanus Tomo 1. Opuscul. Tractatu 4. quæst. 4. quia contritio nunc includit votum Sacramenti, quod facit illam maioris dignitatis ad satisfaciendum. Meritò id reiicit Suarez, quia illud votum non est explicitum, & sæpè homo non cogitat tunc de Sacramento, ac proinde actus ille non habet vllam inde specialem bonitatem aut meritum. Cardinalis Lugo adhuc ea ratione reiecta probabilem putat sententiam Caietani, ex eo quòd iamsi nos Christo magis coniuncti quàm olim; negari autem non potest quin idem actus elicitus à consanguineo Christi ceteris paribus habeat maiorem congruitatem ad obtinendum aliquid, quàm fatus ab aliqua persona remotiore. Ego, qui hanc satisfactionem non admitto nisi de condigno, non possum approbare eam rationem, quia maior illa vicinitas vti in ordine ad meritum non addit quid quam, ita neque in ordine ad satisfactionem de condigno. Secundò, fortasse quoad vicinitatem quasi physicam maiorem habuere olim Iudæi cum Christo; quia ex eorum sanguine ille erat nasciturus; nos autem ex Gentibus orti ea caremus vicinitate.

19 *An plus de pœna temporali remittatur per contritionem in noua quàm veteri Lege.*

Tertiò denique dico, Cùm ea permutatio pœnæ æternæ in temporalem facta sit ex pura puta voluntate Dei, qui potuit relinquere etiam minorem, incertissimum esse, Vtrùm pro Lege gratiæ, in qua se liberaliorem exhibet in his, quæ non spectant quasi ad iustitiæ rigorem, decreuerat pœnam æternam commutare in minorem temporalem quàm olim, quomodocumque homo iustificetur: probabile est ita factum in gratiam Christi Domini, qui speciàlis clariùs & distinctiùs nunc colitur quam olim, etiamsi re ipsa gratia olim data fuerit ex meritis ipsius. Aliunde verò si de pœna Purgatorij loquamur, cùm antiqui debuerint in Lymbo visione beata carentes expectare valdè diu; quæ expectatio haud dubiè grauis illis fuit, & reuerà habuit rationem pœnæ non exiguæ: probabilius est, cæteris paribus, eos igne remissiùs punitos, supplente ex altera parte defectum doloris ignis ea dilatione, quam nos nunc non patimur, cùm statim post satisfactionem animæ iustorum ad cælum accipiantur. Nolo ampliùs in re planè dubia diuinare.

Soluitur dubium.

Altera difficultas est, Vtrùm Deus si remitteret culpam sine gratia sanctificante, quæ dat ius ad visionem beatam, cum qua ea pœna pugnat, posset relinquere debitum totum pœnæ æternæ; Suarez suprà sect. 2. refert Scotum, Gabrielem & Medinam negantes: ipse verò distinguit: Vel enim accipitur illa pœna æterna secundùm ea quæ de facto habet quoad vermem conscientiæ quod odium Dei, quoad alia peccata quæ in damnatis sequuntur: & in hoc sensu ad talem hominem nullo modo ea pœna posse puniri, cum nullum habeat peccatum; si verò pœna accipiatur solùm secundùm torturam physicam, docet benè posse à Deo puniri. Cardinalis Lugo iudicat, de potentia absoluta ferè totam eam pœnam

20 *An posset manere debitum pœnæ æternæ in homine, cui Deus culpam condonare absque gratia iustificante.*

pœnam etiam primo modo acceptam posse manere, quatenus in primis Deus potest torturam ignis infligere, vt & Suarez fatetur. Deinde potest Deus in pœnam eius peccati negare auxilium congruum ad resistendum tentationi, esto præuideat secutura mortalia multa & hominem illum tunc ratione illorum nouorum mortaliũ ibi commissorum passurum & vermem conscientiæ, & in Deum se punientem insurrecturum: ac proinde licet nõ ratione peccati dimissi, saltem ratione noui homo incideret in easdẽ pœnas quas nunc damnati patiuntur. Hanc doctrinã ego etiam iudico veram, neque puto eam à Suario negari, qui solùm loquitur attẽto præcisè priori peccato iã remisso, & nõ succedente nouo, quod mereatur illam aliam pœnã.

DISPVTATIO XX.

An possimus habere satisfactionem pro poena: & quid ad eam requiratur.

1 SATISFACTIONIS nomine in præsenti intelligimus actionem illam, qua Deo compensamus pro culpâ in eum commissa non quo ad rationem ipsam formalem culpæ, sed quoad pœna ei culpæ debitam.

SECTIO I.

Quædam supponuntur.

PRIMÒ supponendum quod disputatione præcedenti diximus, etiam post remissam culpam quoad maculam posse manere aliquod debitum pœnæ luendum siue in hac vita, siue in altera in Purgatorio: ex qua veritate oritur præsentis quæstionis difficultas, quomodo pro ea pœna satisfacere possimus: vbi quæri statim posset, Quanta sit, & à quo determinetur. Cui difficultati respondendum cum distinctione: Vel enim loquimur de pœna temporali debita peccatis venialibus, vel de debita mortalibus iam dimissis quoad culpam & pœnam æternam: si de pœna debita peccatis venialibus, non est magna difficultas, quia illa est temporalis, certa & determinata iuxta grauitatem ipsorum peccatorum; ac proinde ablata culpa in ratione talis potest manere totus ille reatus pœnæ.

2 Dices; Gratia quando remittitur culpa mortalis, petit remitti æternam pœnam, & permutari in longè minorem (vt superiùs dictum est,) ergo eadem gratia exiget, quando remittitur veniale, vt simul aliquid remittatur de pœna temporali ei debita. Respondeo negando consequẽtiam; nam ideo gratia petit remissionem æternæ pœnæ, quia hæc est incompossibilis cum visione beatâ, ad quam dat ius, dum facit hominem filium adoptiuum Dei & hæredem regni cælestis: pœna autem temporalis non habet eam repugnantiam, quia solùm est quædam dilatio eius præmij; vti etiãm ipsa diuturna vita hominis est dilatio gloriæ, & tamen ea non repugnat gratiæ. Vbi, antequam de pœna debita mortali remisso agamus, illud potest circa venialia discuti, Vtrùm licet non ratione gratiæ habitualis, vti fit in remissione mortalis, saltem ratione dispositionis ad eam remissionem culpæ concurrentis remittatur aliquid de ea temporali pœna, quandocumque macula venialis deletur. Cardinalis Lugo obiter rem attingens supponit, quando venialia remittuntur in hac vita, semper aliquid remitti de pœna illis debita: & ratio potest esse, quia (iuxta ipsius sententiam) omne opus bonum in gratia factum tollit aliquid de pœna tẽporali; ergo cum venialia non remittantur in hac vita nisi per opera supernaturalia facta in gratia, necessariò remitti debet aliquid de pœna illis debita: quòd si remittantur per attritionem, qua homo iustificatur in Sacramento Pœnitentiæ, aut per contritionem extra illud, licet tunc ea opera non sint meritoria de condigno, quia non oriuntur ab homine vt iusto; nihilominùs vti de congruo merentur remissionem culpæ, ita etiam possunt satisfacere pro aliqua parte pœnæ. Mihi tamen hæc res valdè dubia est, tum quia (vt inferiùs ostendam) ad satisfaciẽdum pro pœnæ non sufficit quodcumque bonum opus interius, etiam factum in gratia, nisi habeat aliquod aliud opus externum pœnale, ob quod sit satisfactorium: si ergo per opus purè putè in voluntate consistens, & in merito gratiæ occupatum, remittatur veniale quoad culpam, nihil tunc remittitur de pœna. Secundò, quia valdè dubium est, An contritio, qua homo iustificatur extra Sacramentum esto se extendat ad venialia, & consequenter ea tollat quoad culpam, deleat tamen aliquid de pœna illis debita, vt diximus suprà agentes, An quælibet contritio, qua homo iustificatur, non solùm deleat pœnam æternã, sed aliquid adimat de tẽporali: est enim maior hic dubitandi ratio, quia plus est tollere etiam de pœna temporali debita ipsi veniali, & simul de debita mortali. Tertiò, quia esto quodlibet opus vim eam habeat delendi aliquid de pœna, non constat, Vtrùm id, quod delet, sit debitum pro illo ipso peccato, an propter alia. Video quidem in hoc vltimo argumento aliquid posse misceri de voce: nam cùm tota pœna debita faciat vnam quasi massam, dummodò aliquid de ea massa tollatur, ad vocem posteà pertinebit, an id, quod aufertur, dicendum sit tolli ex parte pœnæ respondentis veniali tunc deleto, an ex respondente mortali: pro homine enim ipso idem est, siue ex hac siue ex illa parte tollatur, dummodò æqualiter ea pœna minuatur. hoc ergo argumento reiecto duo priora sufficiant ad ostendendum, resolutionem hanc esse nobis incertam,

3 Iam ad pœnam temporalem debitam mortali remisso, in qua maior est difficultas Scotus in 4. distinct 22 quæst. 5. quem Vasquez reiicit; id totum refundit in meram voluntatem Dei: nam gratia ex natura sua non expellit peccatum, sed ex acceptatione Dei; ergo ex sola voluntate Dei pendebit, quòd ad præsentiam gratiæ remittatur

Cur gratia iustificans petat remitti pœnam æternam, non ita temporalem.

An quoties remittitur culpa venialis, aliquid etiam de pœna tollatur.

mittatur tantum vel tantum de pœna. Vasquez hic quæst. 94. art. 1. dub. 20. quod tollatur reatus pœnæ æternæ, reducit in naturam gratiæ (vt & nos paulò antè explicuimus) quia gratia dat ius ad gloriam. Quòd autem maneat aliqua pœna luenda, dicit esse ex natura rei, quia Deus non punit nisi eum qui dignus est pœna; ergo illa dignitas non provenit ex sola voluntate Dei. Cardinalis Lugo ferè hoc idem dicit, nisi quòd contra Vasquez sentiat posse diuinitus remissa culpa in ratione culpæ manere reatum pœnæ æternæ: id quod ego etiam verissimum iudico. Secundò tamen addit, ita hanc remissionem pœnæ æternæ fieri ex natura rei, vt tamen commutatio illius in temporalem tantam vel tantam non habeatur præcisè ex natura rei, aut ex exigentia gratiæ, sed ex mera voluntate diuina: qui cùm potuisset vel plus vel minùs remittere, statuit ad præsentiam tantæ dispositionis non relinquere nisi tantum, plus verò ad præsentiam alterius minùs perfectæ, &c.

Gratia habitualis ex natura sua petit remissionem pœnæ æternæ.

In hac re duo mihi videntur certa: Primum est, gratiam habitualem natura sua nil aliud petere quàm remissionem pœnæ æternæ: id est, vt si aliqua pœna illi homini iam sit imponenda, ea nullo modo sit æterna; vnde gratia tantùm tollit æternitatem pœnæ, ac proinde sentio non rectè eos argumentari, qui ita discurrunt: Gratia tollit pœnam æternam debitam mortali: atqui præter æternam nulla alia debebatur illi peccato: ergo si nunc aliqua imponitur, ea imponitur vltra meritum peccati: ob quod argumentum soluendum nonnulli dixere, mortali deberi pœnas duas, vnam æternam, qua tollitur per gratiam; & alteram temporalem, quæ manet prima remissa: contra quam vltimam doctrinam fusiùs egi supra. Dixi hos malè argumentari, quia æquiuocant vocem illam *pœnam æternam*; accipiunt enim illam materialiter, hoc est, *Gratia tollit illam pœnam quæ est æterna*: & inde inferunt illud consequens absurdum, scilicet, *Ergo nulla alia manet luenda*; debet ego accipi vox illa formaliter: id est, Gratia tollit solam æternitatem pœnæ, seu petit ne illa pœna sit æterna: per hoc autem nullo modo efficit, ne non maneat ad centum annos, aut ad mille: vnde vlteriùs constat, non esse necessarium fingere illas duas pœnas de quibus suprà.

5

Reatus pœnæ temporalis remissa mortali culpa provenit ab ipsa culpa, nõ à gratia.

Secundò certum est, quòd remaneat debitum pœnæ temporalis non venire ab ipsa gratia, sed à grauitate peccati præcedentis, pro quo satisfactum adhuc non est sufficienter. Vti si quis reus promeritus esset integro anno in triremibus laborare v.g. & efficeret deinde opus, quo satisfaceret pro duobus mensibus, certè quòd tũc restarent adhuc illi decẽ mẽses, non esset tribuendum operi illi bono facto: illud enim nihil de pœna meretur, sed potiùs de illius ablatione: quòd ergo restent illi adhuc luendi decem menses, tribui debet delicto præcedenti. Vnde dicendum vlteriùs, gratiam non dicere seu non exigere duo illa primum, ne pœna sit æterna: alterum, vt sit temporalis: hoc enim secundum gratia non petit, ac proinde illa non exigit eam permutationem adæquatè sumptam: hæc enim petitur partim à peccato præcedenti, pro quo non est perfectè adhuc satisfactum, partim ab ipsa gratia. Id quod explicatis terminis à nemine potest vel in dubium verti. Argumentum autem quod contra potest obiici vide paulò post. His ergo statutis, illud Primò dubium est, Vtrùm ablata eo modo æternitate pœnæ, quodlibet mortale habeat suam certam durationem pœnæ, quam exigat: v. g. furtum tale exigat tot gradus pœnæ, luxuria tot, &c. In qua quæstione certum est, quòd vnum peccatum est grauius altero, eò etiam ex se esse magis dignum, vt diutius & grauiùs temporaliter puniatur, ita vt Deus permutans grauioris peccati pœnam in longius tempus quàm minoris peccati, faciat omnino iuxta naturas ipsarum rerum: vtrùm autem quodlibet habeat certi temporis & certæ intensionis exigentiam, non possumus nos determinare; qui tamen id assereret, non discurreret improbabiliter.

An quòd peccatũ est grauius ex natura rei respondeat ei grauior pœna temporalis sublata æternitate pœna per gratiam.

Dices: Infra æternitatem pœnæ sunt milliones millionum annorum: quomodo ergo possumus asserere ablata æternitate deberi tali peccato solùm mille, non autem millionem annorum, cùm quodlibet habuerit condignitatem ad æternitatem ac proinde ex eo quòd per gratiam solùm tollatur æternitas pœnæ, non probatur vllo modo, quodlibet mortale non habere adhuc condignitatem ad milliones & milliones annorũ pœnæ? Imò hinc videtur deduci: omnia mortalia mereri æqualem pœnam temporalem infra æternitatem illam. Denique cùm nulla sit pœnæ duratio summa inter temporales, posset Deus ferè semper eum iustum punire, quia semper illa pœna esset temporalis: hoc autem plane est absurdum; ergo non benè suprà dictum est. per gratiam habitualem non tolli nisi solam æternitatem pœnæ. Hæc est obiectio, quam paulò antè dixi fieri posse contra eam certam doctrinam. Respondeo, Propter hoc argumentum dicendum esse, gratiam non ita præcisè exigere diminutionem pœnæ æternæ, vt tantùm æternitas illi auferatur: hoc enim esset perinde, ac si nihil petiisset, ob rationem immediatè allatam: quia intra pœnam temporalem semper esset plus & plus soluendum. Putarem ergo ita à gratia peti eam pœnæ æternæ diminutionem, vt intra terminos temporalis petatur aliquis, qui v.g. non excedat mille annos, ne exigentiæ gratiæ pro visione beata nimis diu resistatur.

Gratia non petit præcisè auferri æternitatem pœnæ debitæ peccato mortali.

Dices: Si gratia exigit, ne tanta sit ea dilatio visionis: ergo in statu Innocentiæ, in quo homines victuri erant multis millibus annorum, fieret gratiæ violentia per eam dilationem. Respondeo Primò, Dubium magnum esse circa eam vitæ longitudinem in eo statu. Fortassis enim minùs homines in hoc mundo tunc manerent. Secundò respondeo, Me loqui de tempore extra statum viæ, prout sunt animæ Purgatorij. Addo denique, eam determinationem non esse omninò certam, sed poni numerum certum pro incerto, posséque Deum multas habere causas, ob quas maiorem etiam dilationem visionis non curet: vti (non recurrendo ad incertum tempus status Innocentiæ) de facto fecit cum multis Patribus antiquæ Legis, Abele, Adamo, &c. qui aliquot millibus annorum in Lymbo detenti sunt. Hoc posito, facilè dici potest, intra illam durationem peccata exigere iuxta suam grauitatem maiorem aut minorem, vt peccatum, quod potest dari summum, eam summam petat ex natura sua, aliud ei proximum proximam inferiorem, & sic descendendo per reliqua vsque ad infimum, quod breuem valdè exiget durationem.

Video in hoc ipso haud parum diuinari: nam

7

illud

illud mortale infimum merebatur etiam ex se æternam pœnam: videtur autem nimis multum pro illo à gratia peti, si non solùm æternitas pœnæ illi remittatur, sed & ferè tota quanta temporalis. Adde peccatum illud infimum mortale, non ob eam rationem quòd alia peccata sint ipso maiora, habere minorem exigentiam pœnæ temporalis, quàm haberet, si illa non essent: atqui si illa non essent, non posset dici, quòd gratia habitualis, quâ illud remitteretur, ita extingueret æternitatem pœnæ, vt non relinqueret nisi pœnam temporalem pro vna die v. g. ergo neque nunc; quando alia peccata maiora sunt possibilia, id potest dici. Hæc ratio conuincit intentum quoad illam calculationem. Quòd tamen prius dixeram, nempe gratiam non solùm petere, ne pœna sit æterna, sed ita vt sit determinata aliqua duratio, vltra quam non extendatur, puto esse omnino verum, & omnino necessariò discendum ob rationes supra factas. Neque iudico inconueniens, quòd in hoc puncto sint æqualia omnia peccata mortalia siue parua siue magna: vti enim gratia æqualiter æternitatem tollit pro omnibus, siue illa magna sint, siue parua, ita putarem pro omnibus certam durationem relinqui, vltra quam puniri non possint, ne quasi in perpetuum, aut ad valdè longum tempus differatur visio beata, siue ea duratio temporalis æqualis sit pro omnibus, siue non: si enim æqualis sit, tunc intra illam possumus dicere, per intensionem inæqualem compensari inæqualem peccatorum exigentiam prouenientem ab eorum inæqualitate in malitia: per quod tamen non intendo dicere, Deum seruare eum rigorem, vt eo modo de facto remittat peccata, quia forte pro sua liberalitate & misericordia multò plus remittit, quàm exigeret gratia, aut quam peccatis ipsis deberetur etiam remissa æternitate pœnæ.

Probabile est remissa culpa mortali exigere gratiã, ne pœna temporalis vltra certam aliquam durationem se extendat, nec admodum longam.

8 Hinc ad rem nostram dico, Supposita lege Dei (vndecumque illa veniat) qua statuit pœnam æternam peccati luxuriæ v. g. commutare in decem annos, pœnam verò homicidij in viginti &c. tunc iuxta maiorem aut minorem intensionem gratiæ & contritionis, quâ illa eadem peccata remittuntur, plus minúsve de illis ipsis decem aut viginti annis remitti, si vera sit doctrina eorum, qui dicunt semper, etiam per primam contritionem aliquid de ipsa pœna temporali tolli. De quo puncto nos suprà fusiùs egimus; vbi simul ostendimus, quo pacto potuerit Deus independenter à consideratione intensionis contritionis assignare cuilibet peccato mortali suam certam pœnam temporalem, in quam conuertat æternam.

Quid attendat Deus in permutatione pœnæ æternæ in temporalem.

Denique dicendum est, de facto Deum in ea permutatione non solùm attendere ad quantitatem gratiæ, qua remittitur peccatum, aut ad quantitatem dispositionis pro eadem gratia, sed etiam ad alias circumstantias ex libera sua voluntate statutas. Nam fortasse in Eucharistia infunditur maior gratia quàm in Baptismo & tamen per Baptismum deletur tota pœna debita, quæ tamen per Eucharistiam non deletur; similiter potest fortasse quis extra martyrium habere actum nobiliorem quam habeat Martyr aliquis, & tamen per martyrium extinguitur omnis omnino pœna temporalis, quæ extra illud per similem actum non extinguitur. Quia Deus ob congruentias aliquas speciales voluit gratiam sam singularem facere Baptismo & martyrio, quam noluit facere aliis actionibus; quomodocumque ergo ea commutatio & taxatio temporalis pœnæ fiat quærimus in præsenti, An illa per opera nostra deleri paulatim, aut ex toto possit.

SECTIO II.

Statuitur certa doctrina.

ABSOLVTE loquendo posse nos per bona opera nostra satisfacere pro ea temporali pœna, certa est inter Catholicos doctrina definita in Florentino & Tridentino; quam Suarez disput. 37. conatur persuadere ex variis sacræ Scripturæ locis, quæ tamen meo iudicio valdè parum ei fauent, vt illud Isaiæ 1. *Lauamini, mundi estote, & cessate, & discite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*: similia habentur apud Ezechielem 18. & 15. & Ioëlem 2. quæ ita inducit pro hac sententia Suarez. Nam si sermo sit de culpa quoad maculam, hæc per solum contritionem tollitur; ergo si nihil veniæ per cætera opera pœnitentiæ comparari potest, frustrà ad hunc finem ea opera exigerentur. 9 *Per bona opera potest tolli vel satisfieri pœna temporali debita post remissam culpam.*

Ego tamen in his locis nihil audio de aliis operibus pœnitentiæ, quæ vltra contritionem requirantur ad veniam obtinendam: Isaias enim solum exigit, vt homo & desinat agere malè, & operetur benè: id quod prius Dauid dixerat, *Recede à malo, & fac bonum*; & tunc promittit illos homines fore mundos instar niuis: hinc autem non video quid inferatur de remissione pœnæ temporalis, maximè cùm reatus pœnæ nullo modo tollat nitorem etiam niuis, de quo ibi Propheta; & idem dico ad loca Ezechielis & Ioëlis, quòd enim hic vltimus dicat, *Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu, & planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, non probat illum agere de remissione pœnæ temporalis post remissam culpam, sed vult explicare naturam contritionis aut fortasse operum antecedentium, per quæ homo de congruo obtinet auxilia ad eam pœnitentiam. Id quod satis confirmant illa verba quæ addit Propheta, *Quis scit si conuertatur?* illa enim interrogatio quasi dubitans satis clarè ostendit non esse annexam eis operibus necessariò eam remissionem. Secundò, Fortassis loquebatur Propheta ibi de auertendo aliquo malo temporali, quod minatus eis fuerit Deus, & per ea opera poterant illud à se auertere. Psal. 33. 15. Ioëlis 2.

10 Secundò induxit Suarez illa verba Pauli 2. Corinth. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Verùm & hîc nihil video de satisfactione pro pœna temporali, sed quòd Corinthij egerint pœnitentiam de peccatis: quòd enim ibi Chrysostomus intelligat etiam vindictam, *Quia contristati estis ad vindictam*, nihil omnino probat de ea remissione pœnæ; tum quia ipsa contritio, quatenus delet culpam, optimo iure dici potest vindicta; tum quia independenter à remissione vllius pœnæ est valdè laudabile, vt qui plura & grauiora contra Deum admisit gratiorem se Deo ostendat, & pro illo plures subeat mortificationes & labores, vt ea ratione suam gratitudinem ob tantum acceptum beneficium ostendat. Id quod potest habere locum etiam in eo, qui ante Baptismũ grauiter peccauerat: nam licet

pet Baptismum sit ab omni pœna etiam temporali liber,nihilominùs quasi in vindictam præcedentium peccatorum iam plura agat opera pœnitentiæ, quàm qui nullum ante admiserat peccatum vt S Gregorius Papa deducit optimè Homilia 2. in Ioannem, hæc vltimo addens verba: *Per hoc quod dicitur, Facite fructus dignos pœnitentiæ vnusquisque conscientia conuenitur, vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam.* Vbi nihil Sanctus Doctor de remissione pœnæ,sed de operum bonorum lucro. Eodem modo alia loca sactæ Scripturæ & Patrum explicari possunt, vel de pœnitentia pro culpa,vel de aliqua compensatione,quæ ad gratitudinem potiùs reducatur. Nec video vllum adduci locum, qui clare de satisfactione loquatur. 11 Quòd enim Suarez ipse num. 5. aduertens bene aliqua ex locis Sactæ Scripturæ à se adductis non esse efficacia, quia à Patribus ad aliud propositum explicantur,addit per hoc non non eneruari eorum locorum vim,tum quia in multis eorum vel solus est litteralis sensus de remissione pœnæ, vel est maximè propriùs hoc inquam non videtur satis solidè dictum, quia reuerà nullus est,qui eum sensum litteralem præ se ferat,taceo quod nullum alium admittat. Qui liquid ergo de eorum locorum efficacia,sit,sufficit nobis,quòd perpetua Ecclesiæ traditio hæc fuerit,quod ita sentiant Catholici omnes, quod definitum hoc punctum sit in duobus Conciliis, vt de eâ veritate dubitare non liceat.

Opera bona hominis iusti sunt causa meritoria remissionis pœnæ,non pura conditio.

Supponendum Secundo, In hac materia esse de Fide certum, opera hominis iusti, per quæ dicemus illum satisfacere pro pœna non esse tantùm puram conditionem, ad cuius præsentiam ex solis meritis Christi nobis liberaliter condonetur sed esse veram causam meritoriam eius remissionis. Hæc doctrina est contra Michaëlem Baium in cuius propositionibus damnatis à duobus Pontificibus, Pio V.& Gregorio XIII hæc est vna ordine 69. *Quando per eleemosynas aliisque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicuti quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores sed facimus aliquid,cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur*, altera verò ordine 71. *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Dum hæ duæ propositiones damnatæ fuerunt, reddita est certa contradictoria illarum, nempe nostra opera esse condignam satisfactionem pro ea pœna:nam licet ad priorem propositionem fortasse applicari posset quorundam solutio,scilicet eam magis damnari propter censuram, quam inurit contrariæ:in ea enim dicit Baius errare eos qui contrarium sentiunt: quæ reflexa censura est absurda,quidquid sit de veritate doctrinæ: hæc tamen,quæcumque ea sit euasio,secundæ propositioni omni carenti censura non potest applicari: necessariò ergo debuit à Pontifice damnari propter ipsam directam doctrinam.

12 Est etiam hæc communis & Catholica sententia contra alios Scholasticos apud Suar Lugo disp.24.sect.1.qui rem totam videntur in solam Dei acceptationem refundere;nisi forte hi vltimi ita id docerent pendere à voluntate diuina,vt tamen æqualitatem aliquam in operibus nostris admittant cum ea remissione. Quidquid verò de mente illorum sit nostra conclusio certissima debet esse tum ob auctoritatem eorum duorum Pontificum contradictorum damnantium,tum ob Concilium Trid.& Florentinum, quæ definiunt nos verè satisfacere Deo pro huiusmodi pœnis; si autem nostra opera non haberent condignitatem cum ea remissione, non possemus vllo modo satisfacere, sed dicendum esset nobis à Deo condonari gratis eas pœnas. Vti nõ dicimur satisfacere pro peccato mortali quando per attritionem in Sacramento obtinemus illius remissionem sed Deus dicitur gratis illud condonare vnde etiam numquam dicimur satisfacere nos pro pœna æterna, ea solùm de caussa,quod hæc condonatur nobis à Deo sine merito nostro condigno;etiamsi requiratur pro ea remissione opus aliquod nostrum, contritio scilicet extra Sacramentum, & attritio intra illud:debemus ergo concedere condignitatem in nostris operibus cum ea satisfactione.

Quod autem obiiciebatur a Baio, fore nos coredemptores,si nostra opera sint condigna, est planè ridiculum,eodem enim modo deberet tollere nostra merita condigna, ne dicamur coredemptores, Respondeo ergo (vt & sæpè ad alia proposita obseruaui) Christum ideo dici nos redemisse,quia nobis obtinuit auxilia omnia necessaria ad bene operandum, ad merendum, sati faciendum,&c. per quod tamen ipse nullo modo voluit nos ab obligatione merendi aut sati faciendi liberare: neque propterea effecit, vt nostra opera dignificata per gratiam non haberent condignitatem cum præmio aut cum remissione pœnæ.Obtinuit nobis etiam præterea gratiam habitualem ex opere operato, quæ per septem Sacramenta nobis tribuitur vltra dignitatem & valorem nostrorum operum.Non debet autem ex eo capite negari nostris operibus dignitas ad satisfaciendum.

Cur Christus Dominus dicatur noster redemptor.

SECTIO II

Explicatur condignitas nostrorum operum cum ea remissione pœna.

VT id ostendamus,supponenda sunt aliqua, 13 Primò, nullum in peccato mortali satisfacere pro pœna non solùm de condigno, sed nec etiam de congruo:ita communiter docent Theologi cum Diuo Thoma in 4. distinct. 15 quæst. 1. art. 3: quæstiuncula 2. eos vide apud Suarez supra & Vasquez quæst 94.art.1. dub 4 estque valdè conformis Tridentino, dum Sessione 14. cap.8. agens de his operibus satisfactoriis videtur supponere, nos, dum satisfacimus,debere in Christo viuere, moueri,&c. Ratione autem probatur; & quidem de condigno non posse nos satisfacere facilè ostenditur quia opera bona hominis peccatoris non sunt vllo modo proportionata cum pœna Purgatorij debita pro peccatis,vt ergo proportionentur,debent à gratia dignificari;ergo peccator eâ gratiâ carens non poterit satisfacere de condigno pro tali pœna.Dixi nostra opera non esse proportionata Nam si pœna sit eiusdem rationis cum ea, quam quis debet; etiam homo peccator posset

Cur opera in mortali facta non satisfaciant pro pœnis Purgatorij.

de

de condigno satispati, vt alibi fusiùs docui, probans in Purgatorio esse satispassionem tum pro pœna peccatis mortalibus iam dimissis debita, tum pro debita venialibus, siue dimissis quoad culpam, siue non dimissis. Ratio ergo huius nostræ doctrinæ desumenda est non pure ex statu peccati, sed, & illo, & ex improportione nostrorum operum, quæ ob defectum gratiæ sanctificantis non possunt eleuari ad condignitatem cum remissione, vti in simili communiter docetur de merito: nullum scilicet esse condignum in peccatore. Quòd verò nec de congruo satisfaciat peccator pro pœna inde constat, quia cùm talis satisfactio requirat singularem Dei liberalitatem, de qua nullibi constat, non possumus eam adstruere nisi penitus diuinando.

14 *Cur opera in mortali facta non reuiuiscant accidente gratia postea.*

Secundò, Ex dictis colligitur, opera in mortali facta non reuiuiscere deinde: cuius ratio est, quia cùm illa numquam habuerint vitam, non possunt (esto gratia deinde accedat, quando ipsa non existunt) reuiuiscere: aduentus enim gratiæ nihil potest illis prodesse, quando non sunt; pro tempore verò præcedenti non potest gratia nunc data efficere, vt illa opera fuerint viua; ergo. Quomodo autem cum hoc cohæreat satisfactionem Sacramentalem, etiamsi adimpleatur in mortali, posse eo ablato prodesse, dicam infrà. Confirmatur hæc doctrina ex merito gratiæ & gloriæ: hoc enim non potest esse, nisi homo sit in gratia. Quòd si opus ex se meritorium factum sit in peccato, nõ potest postea resurgere, quia numquam habuit vitam; satisfactio autem & meritum quoad hoc habent se eodem modo. Aduerte tamen cum D. Thoma, si talia opera sint facta in peccato, durent verò vel in se vel in affectu aliquo vsque dum homo iustificetur, & tunc informentur, gratia, quia v. g. ex pœnitentiis, quas egit homo existens in peccato, durat grauis dolor, quando iam est in gratia, & illum tunc tolerat libenter: nota inquam eo ipso iam hunc satisfacturum per opera non vt in peccato facta, sed vt durantia nunc in gratia: nam pro hac duratione illa prior existentia est quasi non fuisset, sed ac si iam primò inchoarentur: quem autem fructum ea opera in peccato facta habeant, non est huius loci: dicimus tamen sæpe de congruo disponere hominem ad auxilia vberiora pro pœnitentia obtinenda, item ad vitanda plura alia peccata & mala etiam temporalia.

15 Præter statum gratiæ requiritur Tertiò, quod homo sit viator. Nam in Purgatorio non satisfaciunt animæ, sed satispatiuntur: quia Deus solùm tempus huius vitæ voluit esse aptum tam ad meritum, quàm ad satisfactionem pro pœna & verò pro pœnæ satisfactione congruentissimum fuit ita disponi longè adhuc magis quàm pro merito. Nam si in Purgatorio seu statim extra viam posset homo vno aut altero actu contritionis satisfacere, esset ea grauis occasio, vt hominis vilipenderent venialia, & omnes suas satisfactiones in alteram vitam remitterent: quæ ratio in merito non ita vrget: nam defectus meritorum non posset in Purgatorio compensari, maximè si tempus manendi breue esset valde, eò quòd satisfactio pro pœna etiam citissimè finiretur. Quare autem ibi admittamus veram satisfactionẽ pro remissione culpæ venialis quà talis, dictum est suprà.

Cur in Purgatorio non detur satisfactio pro pœna.

Opus satisfactorium debet esse liberum.

Quartò requiritur ad satisfactionem, quòd fiat per opera libera. Hæc est communis: probatur autem à Suario, eò quòd satisfactio sit effectus virtutis pœnitentiæ: de cuius conceptu est, vt sit voluntaria detestatio & vindicta peccatorum. Hæc ratio meo iudicio debilis est: nã satisfactio eo solo sensu dici potest effectus virtutis pœnitentiæ: quòd nisi facta iam sit pœnitentia pro culpa: hæcque dimissa, non potest esse satisfactio pro pœna. quòd verò procedat ab ea virtute pœnitentiæ, nequaquam probatur: & sanè cùm ipse Suarez dicat (& quidem bene) hominem, etiamsi nihil cogitet de satisfactione pro pœna, imò etiamsi ignoret se habere vlla peccata, pro quibus debeat satisfacere quoad pœnam, si tamen ferat patienter (ex quacumque virtute id faciat) labores à Deo immissos, imò efficiendo actus pœnales cuiuscumque virtutis, eo ipso illum satisfacere, non video, quomodo in eo antecedenti supponat satisfactionem esse effectum virtutis pœnitentiæ, nisi eo præcisè sensu, quo immediatè diximus, scilicet debere supponi remissum peccatum quoad culpam: in quo iam ostendimus nihil includi quòd debeat ea satisfactio esse libera.

16

Secundò ergo & melius idipsum probat, quia satisfactio est effectus moralis fundatus in valore morali actionis. Nam si consideremus præcisè physicum ipsum dolorem actionis, & per modum satispassionis, nullam penitus videntur nostra opera habere proportionem cum grauissimis illis Purgatorij pœnis; debent ergo opera nostra eleuari per valorem moralem aliquem, qui non potest facilè explicari, nisi dicamus ea debere esse actiones bonas liberas & morales.

Tertiam rationem addit Suarez, quæ mihi non placet; desumit autem illam ex eo, quòd satisfactio ordinetur ad emendationem ipsius peccatoris & non solùm ad aliorum terrorem pro quo requiritur libertas illius satisfactionis. Hanc rationem dico mihi minùs probari, quia emendatio ipsius peccatoris fortasse sequeretur certiùs, si per pœnam inuoluntariam à Deo in hac vita homo puniretur. Vti bestiæ emendantur, esto non liberè patiantur; dum tamen cognoscunt se ob talem & talem actionem puniri, & reus terretur magis in futurum per pœnam ab alio inflictam, quàm si sibi voluntariè eam imposuisset. Quod autem addit, dormientem & amentem non satisfacere ex defectu libertatis; non vrget; quia si amens & dormiens non sciat, cur sibi ea pœna imponatur, quid quæso mirum est illos non satisfacere, quia tunc ratio allata non haberet locum: quomodo enim inde possent emendari, si nihil nosceret nec possent aduertere, vnde ea pœna veniret; quòd si id noscerent, possent recordari se ideò grauiter vexatos, possent haud dubiè, nisi aliud obstaret, per eos dolores satisfacere.

SECTIO IV.

An per actus naturales & obligatorios possimus satisfacere pro pœna.

17 Circa primam partem tituli quærimus, Vtrùm opus satisfactorium necessariò debeat esse supernaturale, an verò sufficiat ordinis naturalis. Ratio dubitandi ea est, quam tangit Suarez sect. 3. nam licet ad meritum supernaturalis præmij, qualis est visio beata, requiratur

moraliter, quibus parentes v. g. aut alij peterent à Deo, vt eum ex hac vita, in qua inutilis planè esset, dignaretur ad se accipere; ergo ex hoc capite bene cõcludit ratio à nobis facta,

21 *Decisio propositæ quæstionis quoad primam partem.*

Quoad quæstionem ergo totam, res mihi videtur satis dubia; nec caret sua probabilitate sententia affirmans, tales actus honestos hominis iusti valere de condigno pro ea satisfactione. In nostra sententia docente, hominem iustum, quandocunq; datur occasio operandi honestè naturaliter, semper simul operari supernaturaliter, fortassè nulla esset difficultas; quia tunc saltem ratione illius actus supernaturalis intermenientis posset opus illud externum pœnale reddi satisfactorium de condigno. Quòd si tamen cum aliis dicamus, Data tali occasione benè operandi semper hominem iustum eleuari ad operationem solam supernaturalem sine vlla alia naturali circa idem obiectum, adhuc erit minor longè difficultas, cùm nullus sit actus naturalis, de quo possimus dubitare; vnde tota quæstio cessaret.

Probabilius est opera naturalia non satisfacere pro pœnis Purgatorij.

Secundò tamen dico, Probabiliorem esse sententiam Suarez, quæ inde potest suaderi. Nam (quidquid sit de naturalitate earum pœnarum, seu de naturalitate carentiæ illarum) certè adeò illi dolores physici Purgatorij (sumpto etiam simul dolore, quem tunc habent ex dilatione visionis beatæ) sunt in longè altiori ordine respectu nostrarum passionum, vt planè non videantur hæ vllam condignitatem cum illis habere. Et verò etiam quando significantur actiones nostræ pœnales per actus supernaturales, est difficile explicare quomodo vna molestia ieiunij, vel gemitus aliqui æquare possint in valore intensissimas illas pœnas Purgatorij, multò ergo minus id poterimus dicere, quando solùm dignificantur per actum naturalem. Neque sufficit quòd ea cessatio pœnæ sit aliquid naturale: non enim omnia naturalia cadunt sub meritum condignum actuum naturalium, alioquin quilibet actus naturalis mereretur quæcumque præmia naturalia: id quod manifestè est falsum.

22 *Sententia negans per actus obligatorios satisfieri.*

Iam ad secundam partem in titulo propositam (quæ etiam est valdè inter Auctores controuersa) Vtrùm ad satisfaciendum requiratur opus supererogationis, an verò etiam per ea opera, ad quæ tenemur ex præcepto, possimus satisfacere. Paludanus, Maior, Almainus, Gabriel, Capreolus & D. Thomas apud Suarez disp. 36. sect. 4. docent, satisfactionem non fieri nisi per opera supererogationis; quia quæ sub præcepto debentur Deo aliis titulis, eo ipso non sunt apta ad satisfaciendum: requiritur enim vt ratione peccati aliquid exhibeatur Deo, quod antea ei non debebatur. Alij verò apud eumdem limitant eam doctrinam, vt homo non satisfaciat per opera sub præcepto naturali secùs per reliqua: quæ distinctio (vt benè ibi notat idem Suarez) varia est, quia quòd sint ea opera sub obligatione præcepti naturalis aut positiui, in ordine ad punctum præsens est omnino per accidens.

Sententia asserens communis & vera.

Communis ergo sententia asserit, Ex eo quòd opera sint sub præcepto, nullo modo impediri quò minùs sint satisfactoria: pro qua stat Suarez suprà citans Caietanum, vtrumque Sotum, Ledesmam, Victoriam, Adrianum & Medinam: eamdem tenent Lugo disp. 14. sect. 3. Tannerus disp. 6. quæst. 8. num. 40. vbi alios pro eadem refert Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 6. quam ego iudico omnino veram; & quidem argumentum aduersæ sententiæ si quidquam probaret, illud certè nec per talia opera ex obligatione posse nos quidquam mereri de condigno; (id quod est manifestè falsum & contra illos ipsos Auctores:) sequelam autem probo, quia eodem planè fundamento quo illi dicunt ad rationem satisfactionis debere afferri aliquid alio quin indebitum; eodem planè ego dicam, etiam ad hoc, vt aliquis mereatur, debere offerre aliquid indebitum: quomodo enim apud mercatorem v. g. aliquis per pecuniam alias ei debitam poterit merces de condigno emere; Quòd si hæc ratio apud Deum cessat, quia (vt suo loco fusiùs diximus) cedit ipse eis titulis, & solùm considerat dignitatem & valorem operum profectò eodem modo debemus in ordine ad satisfactionem discurrere.

23

Ex Tridentino idem probat Lugo, quia Sessione 4. cap. 9. & can. 13. ait, Per flagella à Deo immissa & patienter tolerata hominem satisfacere pro debito pœnæ: multò autem magis videntur huiusmodi opera ad eam satisfactionem inepta, quàm quæ sint sub præcepto; hæc enim sunt nobis absolutè libera. Addit Suarez (& ex eo Tannerus in ipsis operibus sub obligatione semper esse aliquid supererogationis, scilicet ipsam pœnam; nam præceptum solum cadit supra opus, pœnalitas autem est vltra præceptum.

In pœnis à Deo nobis inflictis nobis libera est honesta acceptatio earum.

Mihi tamen hæ duæ vltimæ rationes non satisfaciunt, prima quidem, quia licet ipsæ exteriores pœnæ, seu flagella à Deo immissa non sit nobis libera; at tolerare ea tunc patienter non est sub præcepto propriè; nam licet teneamur ex præcepto naturali non indignari contra Deum, non tamen tenemur elicere actum honestum, quo illos dolores acceptemus, sed possumus nos tunc habere vel purè omissiuè, vel certè actum aliquem indifferentem efficiendo; ergo dum tunc habemus actum honestum supernaturalem, quo eas acceptamus, iam eo ipso facimus aliquod opus supererogationis; & id videtur voluisse denotare Concilium, dum vltra pœnarum physicam tolerãtiam petit acceptationem voluntariam illarum.

24

Secunda item ratio ideò non placet, quia sæpè ipsa pœnalitas est sub obligatione; vt cùm alicui disciplina, cilicium, allæque afflictiones quà tales imperantur, & quoad hoc fortassè meliùs & consequentet ad ea quæ immediatè diximus, potuissent Suarez & Tannerus respondere, Præceptum, maximè humanum, rarò cadere supra interiorem, actionem, sed supra exteriorem: ergo qui non solùm ponit actionem sibi præceptam sed etiam ex se addit actum honestum, quo eam exercet, iam habet aliquid supererogationis, per quod satisfaciat. Verùm licet hoc sit omnino verum, non videtur tamen in terminis formalibus respondere quæstioni, Vtrùm per opus præceptum quà tale possit satisfieri; nam si in tali opere quærimus aliquid non præceptum, iam relinquimus quæstionem indecisam.

His ergo argumentis omissis, non video vnde meliùs quàm ex instantia meritorum probari possit communis sententia. Deinde quia Concilium, nullam faciendo distinctionem inter opera sub obligatione & opera supererogationis, absolutè docet, nos nostris operibus pœnalibus, gemitibus, &c. satisfacere pro pœna; non possumus autem nos eam vniuersalem definitionem

limitare

limitare ad hæc aut illa opera sine grauissima causa,qualis in præsenti non reperitur.Confirmatur etiam instantiis à Suario,Lugo & aliis adductis de Martyre,qui cùm teneatur tũc non negare Fidem & pati ea tormenta,excellentissimo tamen modo satisfacit;item quia Ecclesia directè ad hoc intentum præcipit ieiunia, & Confessarius ob eamdem causſam imponit etiam eleëmosynas & alia opera pœnalia.Quid autem sit respondendum ad rationem supra positam, constabit ex dicendis paulò inferiùs,dum explicabitur,per quos actus satisfaciamus de facto.

DISPVTATIO XXI.

An in omni actu interno, an in solo externo formaliter consistat ratio satisfactionis.

HÆc difficultas ferè complectitur quidquid de satisfactionis essentia potest dici; ideò diligenter est discutienda.

SECTIO I.

Vtrùm ad satisfactionem sufficiat quilibet actus internus etiam non pœnalis.

Sententia asserens omne opus bonum esse satisfactorium resicitur.

MVLTORVM sententia est, omne opus bonum quà tale esse etiam satisfactorium: ita Victoria, Sotus, Scotus; Gabriel, Ledesma & Medina; quos refert Suarez ea disputatione 37. sectione 6. idem sentit Vasquez quæstione 94. dubio 5. numero 3. Aliquorum ex his fundamentum est, quòd omne opus bonum habet condignitatem cum gratiæ augmento; quod maius quid est quàm pœnæ temporalis remissio, ergo & cum hac. Hoc argumentum meritò displicuit Suario, quia si quidquam valeret, probaret etiam quodlibet opus bonum mereri præmia omnia naturalia,quia hæc sunt inferioris ordinis quàm sit augmentum gratiæ; aitque Suarez,non benè fieri argumentum in his quæ sunt diuersi ordinis ab vno ad alterum. Hæc tamen vltima impugnatio non videtur esse sufficiens:etenim si loquamur de condignitate & valore operis,profectò, si est condignum rei nobiliori, à fortiori erit condignum inferioti, esto hæc sit ordinis diuersi; nam ea condignitas in hoc consistit, quòd hæc res moraliter possit iudicari tanti valoris quanti illa:si ergo est tanti valoris quanti altera maior, à fortiori erit tanti quanti minor; rectè ergo,si præcisè loquamur de æquiualentia, intulere illi Auctores; Omne opus in gratia factum est condignum gloriæ augmento, ergo erit etiam remissioni pœnæ.Vitium ergo argumenti illius clarius debet ostendi, eò quòd argumentantur à sensu diuiso ad compositum; fatemur quidem,quodlibet opus bonum factum in gratia habere eam condignitatetem cum remissione, sicut habet cum gratia; negamus tamen habere eam condignitatem cum vtroque præmio simul sumpto.Vti qui potest solus portare centum libros, potest à fortiori viginti, si seorsim accipiantur;at non potest simul centum viginti.Cùm ergo actus meritorius occupet suã totam condignitatem in augmẽto gratiæ & gloriæ,malè intulere hi Auctores,eum adhuc posse simul satisfacere pro pœna, quia hoc est illi dare duplicatam virtutem. Meliùs fortasse probari potest,eò quòd satisfactio est in alio genere quàm sit meritum,ac proinde vnum non impeditur per aliud; ideoque si habet condignitatem cum remissione pœnæ,poterit illam obtinere,esto occupetur in merito augmenti gratiæ & gloriæ.Hæc tamen ratio impugnabitur à me paulò pòst.

Contraria & communis sententia vera, solum opus pœnale scilicet esse satisfactorium:

Contraria ergo sententia est communis,quam & veram iudico,scilicet solum opus pœnale esse satisfactorium: ita D. Thomas in 4.dist. 15. art.5. quæstiuncula 1.Bonauentura, Richardus Durandus, Paludanus, Maior, Alensis, Adrianus, Sylueſter, Viguerius, & alij, quos refert & sequitur Suarez vbi proximè: pro ea stant Gaspar Hurtadus disp. 13. diff. 6. & Lugo suprà num. 37.qui tamen ex Suario addit, omne opus bonum esse de facto satisfactorium; quia omne est de facto aliquo modo pœnale: idem sentit Tannerus ea quæst.8.num. 45. Hæc sententia est valdè conformis Concilio Tridentino quod, dum de satisfactione agit, semper dicit fieri per opera pœnalia:ita Sessione 14. cap. 8. vbi ait,Per has pœnas nos reuocari à peccatis, per eas nos patiendo conformari Christo Iesu, qui pro peccatis nostris patiendo satisfecit. Secundò, quòd si patimur, conglorificabimur. Ratione eam probat Lugo ostendendo contra Vasquez satisfactionem non esse meritum,vnde colligit;ergo non omne opus meritorium est satisfactorium. Hoc argumentum non habet meo iudicio aliam vim quàm ostendere, fundamentum Vasquez pro sententia opposita non esse efficax;nostrã tamen nullatenus probat.Meliùs ergo idem cum Suario hoc probat; quia satisfactio est actus,quo quis vindicat & punit in se diuinam iniuriam; ergo debet esse aliquo modo pœnalis. Præterea satisfactio ordinatur ad correctionem ipsius hominis, imò aliorum, ne facilè deinde labantur;ad hoc autem pœnalitas & dolor est maximè necessarius;ergo debet ea satisfactio consistere in actione pœnali.Omnes hæ rationes in tantum,meo iudicio vim habent, in quantum (vt paulò post ostendam) opus bonum quà tale occupatur in merito gratiæ & gloriæ;ideoque non potest ex eo capite pœnam extinguere; debet ergo aliquid addi, ratione cuius possit esse satisfactio:quæ est mẽs D. Thomæ, qui nullatenus recurrit ad genus diuersum meriti & satisfactionis (vt infrà vrgebo contra hos Auctores)sed ad pœnalitatem, per quam homo aliquid patitur pro Deo. Sed de hoc argumento statim fusius.

An omne opus bonum sit pœnale.

Examinanda nuc ea additio Suarez & Lugo, scilicet,Omne opus bonum esse pœnale,etiamsi maneat in ratione actus purè interni,imò etiamsi sit de obiecto homini secundùm corpus gratissimo,

tissimo, v. g. sit voluntas comedendi, quando naturaliter homo ad id vehementer propendet Inquiunt enim, Etiam tunc velle comedere ob pellendam famem,& non tantùm propter delectationem, esse actum ex se homini difficilem; quia difficile est tunc cohibere eum appetitum. Rationem autem à priori reddunt, quia nullum est opus honestum, quod non aduersetur alicui bono vel delectabili,vel vtili,vel quod non aliquod malum secum adferat;alioquin non esset liberum,si ei[illegible]t merum bonum ex parte obiecti. Pro quo inducunt D. Augustinum, qui vniuersaliter ausus est dicere,infidiles nullum prorsus bonum opus fecisse, quia vel ex parte obiecti vel ex parte intentionis aliquem defectum admiserum. Quæ doctrina saltem reguliariter, inquiunt, est vera: ergo semper quodlibet opus bonum habet aliquam pœnalitatem,ratione cuius possit esse satisfactorium.

4 *Non omne opus bonum habet annexã pœnalitatẽ neque annexũ malum aliquod positiuum.*

In hac doctrina illud mihi in primis displicet;quòd hi Auctores putent omne opus honestum debere habere aliquam rationem mali positiui, obquam sit pœnale,eò quòd alioquin non posset esse liberum,si appareret vt merum bonum. Hoc inquam mihi valdè displicet, quia sæpè dixi, ad hoc vt voluntas possit esse libera circa aliquod bonum, satis esse,si illud ipsi proponatur vt limitatum & finitum, esto amor illius nullum aliud positiuum malum adferat. Ratio autem est clara,quia eo ipso trahet solùm finitè & limitatè; illa autem reflexio supra ipsum amorem ad quem recurrunt hi Auctores nullo modo est necessaria, imò frequentissimè abest, quia ad amandum obiectum liberè non facio ego reflexionem supra ipsum amorem,sed purè putè ex directà cognitione obiecti me ordinariè determino; ergo ex hoc cap. non est,cur omne opus bonum ac liberum dicatur propriè pœnale. Adde, iuxta hanc explicationem ipsas etiam actiones physicas maximè homini iucundas(& pone non esse alioquin malas moraliter, sed indifferentes(deberemus dicere pœnales vno verbo, quidquid liberè facimus esset pœnale; hoc autem est contra omnium ferè hominum sensum.

5 *Moderata comedendi cupiditas in famelico non est mala.*

Secundò mihi displicet, quòd pro eâ difficultate explicandâ recurrant exempli causâ ad voluntatem comedendi, quando homo famet, & ad cohibitionem illius affectus, quo homo velit comedere ob cibidelectationem;quasi talis cibi effectus tanquam malus deberet necessariò compesci. Etenim(vt alibi ostendi(nullâ probabilitate dicitur voluntatem comedendi ob delectationem,si non comedatur vltra id quod est necessarium,esse malam moraliter,quia delectatio quâ talis n si aliunde sit inordinata, est obiectum amabile saltem indifferenter, si non honestè; ergo etiamsi homo,velit tunc comedere, vt se liberet tum àpericulo vitæ,tum ab immani rabie famis, tum ob delectationem cibi; quæ omnia sine vllâ prorsus difficultate & labore, imò naturalissimè appetit,potest etiam non efficiendo vllum pœnalem actum dicere; volo etiam comede, quia Deus ita vult. Profectoò (vt verum fatear) ego nec apprehendere possum, in quo ibi sit pœnalitas huiusmodi actus.

Tertio absolutè mihi tota ea doctrina displicet;& reuerà videtur sibi minùs constans,maximè in probatione: dum enim priorem partem, quòd scilicet debet esse opus pœnale, probare contendunt ex Tridentino, quoc semper pro hac satisfactione requirit actiones pœnales, videntur mihi destruere ex integro secundam partem,quòd scilicet omne opus bonum sit de facto satisfactorium, vndecunque id *illi* proueniat;etenim si omne opus bonum id habet,cur quæso dicunt à Concilio semper requiri opera pœnalia ? hæc enim limitatio aliquid excipit dixisset potiùs rotundè Concilium, per omne opus bonum nos satisfacere,sicut dixerat in ordine ad meritum,non limitando ad opera pœnalia; ergo pro satisfactione aliqua excipit, pro merito nulla, profectò supponit non omnia opera bona esse pœnalia, & consequenter nec omnia esse satisfactoria. *Probatur ex Tridentino, nõ omne opus bonum esse pœnale, neque satisfactorium consequenter.*

6

Respondebis,Concilium id voluisse denotare dum addidit, *Et alia pietatis opera*:vbi omnia opera complectitur. Sed contra,quia ea particula *Et alia* non includit omnia bona opera; alioquin sine tot ambagimus & limitationibus dixisset ab initio, *Per omnia bona opera*:includit ergo alia, similia tamen in pœnalitate his quæ ante posuerat dixerat enim id fieri per ieiunia,orationes eleëmosynas: nihil amplius ibi posuit:restabant profecto illi multa enumeranda, in omnium iudicio & extra controuersiam pœnalia,v.g.disciplinæ,cilicia,cubationes in terra,peregrinationes inseruire infirmis in hospitalibus, vigilias agere, &c. ad omnia hæc alluxit Concilium non autem vniuersaliter ad omne omninò opus bonum ; quale est comedere ob vitandam famem, quando comestio homini est gratissima:hoc enim non est propriè opus pietatis,de quo ibi Concilium agebat ; ac proinde potiùs ex ipsa Concilij additione constat, illud nõ intellexisse talia opera:quomodo enim quæso de talibus dici potest,quòd reddamur similes Christo patienti, qui per suam passionem pro nobis satisfecit? Constet ergo minùs consequenter requiri opus pœnale, & simul dici omne opus bonum esse pœnale & satisfactorium : id quod à fortiori constabit ex dicendis statim in secunda difficultate. Ad rationem ergo allatam in contrarium,quòd nullus sit actus,qui non adferat pœnalitatem,iam ex dictis constat oppositam;nam quando obiectum est gratum homini directio illius in honestatẽ aut in Deum potest sine vlla pœnalitate haberi,vt ostensum est: & in aliis obiectis idem posset ostendi,nam filium amare ob bonos mores, & quia putat parens gratum illum esse suâ virtute Deo,non est profecto opus pœnale,esto sit honestus amor. Quod de Augustino dicitur, non videtur mihi ad rem ; Vasquez enim & alij respondebunt, Ideo eum docere,Gentiles non habuisse vllum bonum opus, non propter pœnalitatem, sed quia omne bonum opus de se est ad salutẽ conducens;ac proinde non potest sine gratia Christi fieri. Alij verò dicent, Solum docuisse Augustinum rarò fuisse tales actus bonos,non tamen absolutè negasse omni tempore.Ratio autem eius impossibilitatis reduci potest ad alia capita diuersa à pœnalitate : defectus enim Fidei & mala educatio poterat maximè reddere illis difficiles per accidens actus ex se nullo modo pœnales:ergo ex Augustino nihil ad rem colligitur. *Explicatur S. Augustin. negans Gentiles vllum opus bonum fecisse.*

SECTIO

SECTIO II.

Vtrùm in actu pure interno possit esse satisfactio.

7 Dupliciter potest actus aliquis esse purè internus; vel quia planè consistit in actus solius animæ,& hic est in omni rigore internus sicut amor Dei super omnia; vel quia esto habeat actus annexos aliquos partis inferioris,illi tamen non prodeunt ad actionem exteriorem potentiatam,sed manent hominibus per se occulti:Possunt etiam actus occulti voluntatis hoc sensu dici interiores,maximè si sine nouâ libertate fiat; vt de dolore ex amore secuto; nam licet amare Deum super omnia sit liberum homini,si tamen tũc aduertat ad ea,quæ fecit contra ipsum, grauia peccata, necessariò videtur debere prodire in detestationem ac dolorem de illis. Hi ergo actus,qui carent libertate,non iudicantur pro præsenti quæstione in omni rigore interiores; nam(vt ex dicendis constabit) illos solùm vocamus interiores, in quibus propriè formaliter & immediatè consistit ratio meriti. His ergo suppositis,duo possunt in præsenti discuti;Vnũ,An actus voluntatis liber primo modo propriè interior possit habere rationẽ satisfactionis, esto nullum alium pœnalem habeat sibi adiunctum:Alterum, An, esto requiratur actus exterior,ipse tamen internus addat nouam rationem satisfactionis. Vtrumque sensum breuiter expediemus,

Qui actus dicãtur propriè interiores in ordine ad satisfactionem.

SVBSECTIO PRIMA.

Proponitur & reiicitur sententia tribuens omni actui panali interiori eam vim satisfactiuam.

8 Et quidem quoad primum, multorum sententia est, omnem actum interiorem etiam illum qui formaliter liber est,simul esse meritorium & satisfactorium,esto nullus penitus alius sequatur exterior. Hanc dicit Tannerus esse communem & certam sententiam; & colligitur ex Suario disp.37. sect.5. n.5. & ex Tridentino Sessione 15.can.13.Mihi tamen hæc censura videtur aliquantulùm minùs considerata: etenim in primis in Tridentino nec vestigium est illius, quia solùm id definitur, quòd ieiuniis, eleëmosynis & aliis pietatis operibus satisfaciamus:at hæc omnia habent suos actus distinctos ab ipsâ interiori voluntate merendi,vt ex se constat.Deinde Suarez solùm dixit disiunctiuè, Opus internum, vel per se sumptum, vel coniunctum cum externo multum valere ad satisfactionem; vbi non dixit determinatè;quòd interior solus ad id valeat: Fateor Suarium in ratione, quâ id probat, recurrere ad actus liberos formaliter, & exemplum ponere in contritione ipsâ, & in oratione, maximè quam ait non solùm propter vocem, sed propter mentis attentionem esse satisfactoriam. At hoc tamen ipsum est pro sententiâ à me statim ponenda. Nam illa attentio mentis non est ipse actus voluntaris, in quo est formaliter meritum, sed est actus intellectus, qui formaliter non habet meritum; contritio autem, vt dicemus, habet annexum dolorem etiam non liberum;ac proinde adhuc nihil dicitur, quòd opus purè internum iuxta priorem acceptionem sit satisfactorium. Quidquid verò sit, An Suarez eam doctrinam teneat nẽne,quam satis clarè alioquin insinuat, probari illa potest cum aliquibus, quia opera facta in gratiâ habent condignitatem cum augmento eiusdem gratiæ & gloriæ; quod est multò maius præmium quàm remissio pœnæ temporalis; ergo à fortiori erunt condigna pro hac remissione.Hanc rationem paulò ante discussi, & ostendi eâ summùm probari sub disiunctione, quòd si nostra opera non essent actu meritoria augmenti gratiæ, esse digna pro remissione, simul tamen esse vtriusque condigna; nullo modo probari,aliàs etiam de facto nostra opera de condigno simul mererentur bona temporalia,quæ sunt multò minora æternis.Confirmo hanc impugnationem manifestè. Quidquid sit,Vtrùm condignitas pro pœnæ remissione sit in diuerso ordine à merito augmenti gratiæ(de quo paulò pòst) quodlibet augmentum gratiæ & gloriæ est maius præmium,seu maius bonum quàm remissio totius pœnæ Purgatorij: magis enim eligendi sunt duo gradus gratiæ& gloriæ per totam æternitatem duraturi,quàm carere decem aut viginti annis pœnâ Purgatorij.& tamen non quilibet actus bonus habens condignitatem cum augmento gratiæ,& gloriæ, illam habet ad satisfaciendum pro totâ pœnâ temporali (vt indubitatum est apud Catholicos;(ergo non valet consequentia, Gloria est aliquid maius quàm pœnæ remissio; ergo omne bonum opus erit condignum remissione pœnæ; cuius ea est ratio quam diximus,quia gloria & remissio est magis quàm gloria sola.

Sententia docens omnem actum interiorem esse satisfactorium proponitur.

9 *Primũ argumentum pro ea sententia refellitur.*

Secundò ergo ex P.Vasq.probari posset,quia pœna Purgatorij est impeditiua gloriæ; ergo omne opus bonum promerens augmentum gloriæ promeretur diminutionem eius pœnæ. Verùm & hæc ratio(vt benè notauit Suarez Lugo & alij(non est efficax, quia opus bonum non meretur accelerationem vitæ æternæ,aliàs etiam mereretur diminutionem huius vitæ, seu accelerationem mortis;quia quamdiu manemus in corpore, tandiu nobis protrahitur & retardatur visio beata.Præterea, si opus bonum mereretur ablationem huius impedimenti, deberet mereri remissionem totius pœnæ; quia quælibet pars illius est retardatiua gloriæ.Tertiò,quia nõ apparet,cur intensius meritum debeat extinguere maiorem pœnam quàm remissius; nam mereri intensiorem gloriam est ad hoc omnino per accidens;quandoquidem duratio pœnæ in Purgatorio tam est contraria gloriæ remissæ quàm intensæ; ergo ex differentiâ circa intensionem gloriæ nõ potest prouenire diuersitas circa ablationem impedimenti,quod est æquale respectu vtriusque.Quartò(vt benè P. Suarez) etiamsi augeatur gratia & ius ad intensiorem gloriam, sicut fit per susceptionem Sacramentorum ex opere operato, non ideò minuitur pœna temporalis per illam gratiam,quia hæc non est satisfactoria;ergo non valet, *Augetur ius ad maiorem gloriam,ergo minuitur debitum pœnæ temporalis.* Tandem, quia (vt statim ostendemus (id esset mereri duplex præmium adæquatum actui,aut vnum adæquatum& alterum partiale; quod planè repugnat: sequela verò probatur; nam actui datur augmentum gloriæ iuxta totam illius condignitatem; ergo si vltra hoc datur remissio pœnæ, iam datur duplex

Secundũ argumentum pro eadẽ sententia reiicitur.

10

præmium

Tertium argumentum ex Cardinale Lugo pro eadem sententia.

præmium. Aliter ergo cum Lugo posset id suaderi, quia si actus bonus non occuparetur in merito augmenti gratiæ & gloriæ, sine dubio posset esse satisfactorius, cùm supponamus illum in se esse pœnalem, honestum, dignificatum gratia, &c. atqui per hoc quod mereatur gratiam, nullo modo impeditur vis eius satisfactiua:

11 hæc enim est in diuerso genere quàm sit meritum; ergo de facto satisfaciet. Confirmat id Lugo, quia si in Republica essent Iudices aut Principes duo, quorum vnus puniret scelera, alter remuneraret benefacta; profectò si aliquis reus, qui pœnam aliquam subire deberet, toleraret sponte sua ingentes pro Republica labores, æquum esset omnino vt Iudex, ad quem punitio spectaret, temperaret pœnas tali homini alioquin debitas; quia qui iam se ita afflixit, meretur, vt cum ipso leuiùs procedatur: & tamen hic Iudex in ea remissione non se gereret, ac si esset remunerans; quia ad eum non spectat remunerare, nec per hoc impediret, quò minùs alter Iudex remunerator deberet etiam talem hominem aliquo præmio afficere: ergo ea duo se inuicem non impediunt. Ratio à priori (inquit hic Auctor) ea est, quòd meritum reddit hominem dignum præmio; satisfactio autem non reddit præmio dignum; sed tollit remotè dignitatem pœnæ; ergo omnis actus bonus, etiamsi simul mereatur augmentum gratiæ & gloriæ, poterit esse simul satisfactorius pro pœna.

Reiicitur tertiũ argumentum, & inuertitur in suũ auctorem.

Iudico tamen per hæc nullo modo probari eam sententiam, sed potiùs solis verbis fieri eam distinctionem in præsenti inter meritum & satisfactionem; Instantiam verò allatam potiùs esse contra hos Auctores, & pro nobis, quàm cõtra nos; & vt ab ea incipiamus, mihi videtur ex terminis omnino certum, si talis reus pœnæ subiisset pro Republica æquales præcisè pœnas eis quas infligere illi iustè poterat Superior ille puniens: certum inquam mihi videtur, si ille diceret alteri Iudici præmianti, Ego sum contentus has pœnas, quas iste reus acceptauit vltrò, reputare pro aliis omnino æqualibus quas illi poteram infligere, esto non teneret ac hoc: quia ad Iudicem spectat non ad reum determinare pœnam, certum mihi est, nullo modo illum alterum Iudicem habiturum tunc obligationem

12 Vllam ampliùs remunerandi reum illum. Maximè autem id intelligetur, si ponamus duos homines, vnum nullius pœnæ reum, alterum illius quam dixi, subirent tunc ambo æqualiter illam pœnam pro Republica; nemo prudens dicere poterit, quòd si ambo pro remuneratione venirent, non possit illi reo responderi: Hic tuus labor acceptatur pro satisfactione: hoc autem alteri dici nullo modo posset. Deinde si illi reo & remissa fuisset pœna, & datum simul præmium illi labori æquale, quale alter socius passionis obtinet, omnes dicerent illum maiori præmio affectum esse quàm hunc, cùm tamen æqualiter ambo laborassent: ergo ea instantia potiùs est pro nobis. Deinde si è contrario ponamus casum, vt Iudex, qui debet præmiare, dicat tunc alteri Iudici. Ego volo hos labores ex integro præmiare, nemo dicet, non fore Iudici punienti liberum pœnam pro antiqua culpa exigere: quis enim dicet tali reo tunc factam iniuriam, si dato integro præmio laborum, non etiam tota pœna ei condonaretur?

Confirmo adhuc magis eam instantiam pro me; & ponamus pœnam, cuius ille homo erat reus, fuisse pecuniariam; quia fortè ita statutum lege communi erat, vt delictum, quod ille patrauit, pecuniâ multaretur: vel quia ita Iudex ille, ad quem pertinebat punire, decreuit erat ergo pœna illa debita mille ducati, subiit ille labores æquiualentes præcisè præmio mille ducatorum: quis poterit in hoc casu dicere, inter eos duos æqualiter ita laborantes, illi, qui antè erat reus, debere remitti illos mille ducatos, quos erat obligatus Reipublicæ in pœnam soluere, & insuper in præmium mille alios debere concedi, secundò verò illi non nisi mille concedendos, idque ex toto rigore æqualitatis iustitiæ cùm vtroque Certè quilibet dicet primum illum, si condonentur ei mille quos debebat ex integro, esse remuneratum, aut si è contrario dentur ei de nouo mille, posse ab illo iure merito exigi pœnam seu solutionem aliorum mille quos debebat. Quod dixi de pœna in pecunia habet locũ in aliis: nam vel formaliter vel æquiualenter possunt reuocari ad pecuniam. Obiectio ergo illa ex duobus Iudicibus potiùs est pro nobis.

Veniamus ad rationem à priori, & ad distinctionem generum: vnde clariùs adhuc reiicitur ea doctrina: & (vt verum fatear) ego puto ea duo solis vocibus in præsenti distingui re autẽ ipsa esse omnino idem, seu in ordine ad faciendum satis valori eius actus esse planè impertinens, quòd dicatur remitti pœna non per modum præmij, sed per modum satisfactionis: de quo puncto egi fusè Tomo 6. de Incarnatione, probans idem esse mereri de condigno remissionem mortalis ac satisfacere de condigno pro mortali. egi etiam hac de re dum de remissione venialis: vbi dixi contritionem factam in gratia ex se esse æqualem satisfactionem pro veniali. Nam licet eam æqualitatem iam mortali negemus ob altiorem ordinem, in quo eam offensam constituimus, id quod adhuc non tam ratione quàm auctoritate probamus: vt tamen id ipsum de veniali dicamus, non habemus probabilem rationem: est ergo contritio æqualis ei remissioni venialis; nihilominus dixi de facto hoc non tolli per contritionem, quia hæc tota quanta occupatur in obtinendo augmento gratiæ & gloriæ: vbi ostendi ea duo genera satisfactionis & meriti sola voce in præsenti differre, quia Deus siue remittens culpam per satisfactionem, siue per modum præmij eam remissionem concedens, idem omnino dat, séque eodem iure priuat: pro homine verò ipso dem etiam datur, idem ille acquirit: ergo idem penitus erit in præsenti præmiare & remittere. Id quod nunc breuiter confirmo: Fateor ego libentissimè, ex genere suo satisfacere & mereri non esse idem, quia hoc dicit ordinem ad præmium independenter ab vlla culpa ex parte merentis: illud autem supponit necessariò culpam: at in subiecta materia de qua agimus, ea duo idem sunt: & in primis diuersitas generis nihil facit ad rem: nam etiam soluere quod furto accepi & emere merces sunt ex conceptu suo diuersa genera quis tamen ideò dixit posse me per eosdem centum florenos & satisfacere mercatori pro pallio eius valoris, quod furatus illi fui, & iam consumpsi, ac simul posse mè emere nouas merces valoris centum florenorum? aut quod possum ego illi tunc obiicere; etiamsi tibi debeam mille, non potes tamen mihi negare merces valentes mille, quia satisfactio est in diuerso genere ab emptione? Hoc sanè ridiculum

13 *Quartum argumentum refellitur.*

Idem est mereri remissionem de condigno, & satisfacere de condigno pro peccato.

14 *Quamuis satisfacere & mereri ex suo conceptu vt sic differant, in hac tamen materia sunt plane idem.*

esset. Habet autem ea ratio adhuc maiorem vim, si ego debeam illi eos mille ducatos ob iniuriam aliquam ei illatam, & in pœnam illius; tunc enim longe esset maior similitudo cum nostro casu. Nemo autem prudens dicet, Me tunc de condigno posse per vnum mille extinguere illud debitum pœnæ, & simul emere merces vt mille; ergo etiamsi soluere pro debito pœnæ, & emere nouam gloriam sint in diuerso genere, non potest tamen vllo modo dici, occupato opere in soluendo non auferri valorem illi ad emẽdum. Ratio huius à priori est manifesta, quia ipsa remissio pœnæ hic & nunc habet se quasi præmium boni operis; quia in primis est bonum illius cui remittitur: neque enim solùm sunt bona ea quæ sunt positiua, sed etiam priuatiua; præseruatio enim à peccato est aliquid negatiuum, & est maius bonum hominis quàm multi gradus gratiæ ergo remittere homini pœnam debitam æquiualet ex hac parte bono alicui positiuo eidem homini dato; ergo si datur operi quantum meretur in augmento gratiæ, non manet illi operi valor, vt detur etiam ei remissio pœnæ; quia plus est illi dare gloriam & remissionem pœnæ quam solam gloriam. Deinde etiam ex parte ipsius condonantis hæc condonatio æquiualet præmio: quia qui condonat pœnam, cedit suo iure, & alienat illud à se, perinde ac quando dat gratiam vel gloriam quasi alienat hanc à se: ergo vt Deus moueatur ex aliqua re condigna ad alienandam gratiam, & simul ius illud contra peccatorem, oportet illi aliquid maius offerre, quàm quod suffeciisset, vt de condigno solam gloriam alienaret à se; ergo meritum gloriæ non eo ipso formalissimè quod sit æquale cum gloria, est etiam æquale simul cum remissione pœnæ: ergo non potest hanc extinguere de condigno, nisi aliquid illi detrahatur de gloria: ergo diuersitas illa præmij & satisfactionis omnino est impertinens ad præsentem difficultatem.

Ratio superioris doctrinæ.

15 Confirmo hoc ad hominem: Quia si occupari valorem operis in promerendo præmio nihil illi obest ad satisfactionem, ergo perinde satisfacit ac si nihil aliud mereretur. Hæc consequentia meo iudicio est accidens. Vnde vlteriùs si non mereretur, sed purè satisfaceret, quodlibet opus quantumuis minimum esset satisfactorium de condigno pro tota pœna temporali; ergo etiam de facto, licet simul mereatur, satisfaciet quodlibet opus pro qualibet pœna: quod est vel hæreticum, vel erroneum. Hæc consequentia est clara ex dictis; antecedens probatur, quia dignitas illa, quæ occupatur in præmio, si occuparetur in extinguenda pœna, cùm extinctio totius pœnæ temporalis minus bonum sit quàm augmentum gratiæ, deberet ex integro sufficere ad extinguendam totam pœnam: ergo si totus actus occupetur in extinguenda pœna, quilibet, quantumuis minimus, extinguet totum: quia quantumuis minimus habet cum totius remissione condignitatem, quia illam habet cum gratiæ augmento, quod est maius. Habet autem hoc argumentum maiorem vim contra aliquos ex his Auctoribus, qui condignitatem nostrorum operum cum remissione pœnæ intulerunt ex hac vltima ratione à me facta, quòd scilicet nostra merita sunt condigna cum augmento gratiæ, quod est maius quàm ea remissio; ergo à fortiori, inquiunt, habebunt cum remissione: optimè ergo ego subiungo; Quodlibet tale augmentum est bonum longè maius, quàm remissio pœnæ temporalis etiam centum annorum; ergo actus habens condignitatem cum augmento habebit cum tota remissione, sed per meritum eius augmenti (quia hoc est in alio genere) non impeditur satisfactio vel in minimo, vt hi supponunt: ergo de facto minimus etiam actus extinguet ingentem aut certè totam pœnam debitam in Purgatorio: quod dixi esse valde absurdum

Reijcitur denique tota ea doctrina argumento ad hominem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Reiiciuntur aliqua euasiones.

16 FOrtasse respondebitur huic argumento, Cùm ea duo diuersa genera sint inter se disparata, non benè deduci; Opus illud in genere meriti est æquale illi augmento: etiam erit æquale illi per modum satisfactionis. Ratio autem à priori ea est, quia meritum consideratur ex laudabilitate & honestate operis, satisfactio ex pœnalitate: potest autem in eodem actu esse magna honestas, & tamen exigua pœnalitas: ideoque poterit multùm valere ad meritum & parum ad satisfactionem: ergo non infertur, Potest mereri quod maius est; ergo & satisfacere pro eo quod minus est: esset autem bona ea consequentia, si maneremus intra meriti genus. Hoc modo potest mereri augmentum gratiæ & gloriæ: ergo per modum meriti habet etiam valorem ad remissionem totius pœnæ temporalis, si non occupetur in merito eius augmenti. Sed contrà. Primò manifestè: Nam licet subtilantia huius solutionis vera sit, destruit tamen totum fundamentum horum Auctorum: iam enim dixi eos inde probare, nostra opera esse condigna pro remissione pœnæ etiam per modum satisfactionis, quia sunt condigna per modum meriti cum gratiæ augmento quod maius est. Iam autem in solutione hac dicitur: Etiamsi actus ille in genere meriti sit condignus ad magnum præmium, non ideò inferri, illum in genere satisfactionis esse condignum ad tantundem: si ergo hoc verum est, quæro ab his Auctoribus, quomodo reputent bonam illam consequentiam, *Bonum opus est condignum augmenti gratiæ; ergo & satisfactorium de condigno pro pœna remissione, quæ est aliquid minus?* hoc sanè iam non valet, cùm in hac solutione dicatur, Posse actum plus valere in genere meriti quam in genere satisfactionis, quod si plus potest valere; ergo non sequitur, Ibi valet de condigno, ergo etiam hìc. Non est ergo consequentia in ea doctrina.

Meritum oritur ex operis honestate, satisfactio verò ex pœnalitate eiusdem à gratia significati.

17 Secundò reiicio eã solutionem quia ipsa etiã ratio satisfactionis non potest sumi à pœnalitate actus nudè sumpta; quia hæc secundùm se prorsus nullam habet proportionem cum pœna Purgatorij; vti neque in ordine ad meritum debet considerari sola bonitas actus, quia vt sic non habet proportionem cum præmio: debet ergo accipi vt coniuncta cum dignificatione gratiæ & honestate actus. Hinc autem argumentor: Ea bonitas ex dignificatione actus eleuatur in genere meriti ad tantum præmium: cur ergo non eleuabitur ea pœnalitas & eadem bonitas ab eadem gratia in genere satisfactionis ad remissionem æqualem illi præmio, quandoquidem eleuari ad præmium, eò quòd sit genus diuersum, nec in minimo officit eleuationi ad satisfactionem: ergo gratis ab his Auctoribus ponitur, hic

Vnde habeat actus, quòd sit meritorius & satisfactorius.

hîc & ibi extollitur valor actus illius; ergo si ea duo genera non se impediunt, tantum debet satisfacere quantum meretur.

Secundò principaliter respondebitur pro ea sententia, Actum pœnalem honestum (de quo solo agimus iam enim suprà diximus non pœnales non esse satisfactorios) duo habere, & honestatem moralem, ob quam est meritorium, & simul pœnalitatem, in qua differt ab aliis actibus meritoriis tali pœnalitate carentibus: ratione ergo huius habere poterit condignitatem cũ pœnæ remissione, maximè cùm tota ea pœnalitas non fuerit illi actui necessaria ad meritum. 18 Sed contrà Primò, quia siue realiter ea duo sunt in actu distincta, siue solùm ratione, concurrunt tamen ambo ad meritum hoc in particulari: eo enim ipso, quo ille actus est liber in se formaliter, & est magis difficilis, est etiam magis laudabilis, & magis meritorius, cùm ea pœnalitas sit in se immediatè libera; de hac enim sola agimus; ergo etiam illa quâ talis occupatur tota in merito augmenti gratiæ & gloriæ: ergo non habet locum, vt occupetur in satisfactione pro pœna. Quod dicebatur, pœnalitatem non esse necessariam ad meritum, debet distingui: *Ad meritum vt sic & abstractè* concedimus, *ad hoc specificum & numericum meritum*, negatur assumptum: vti ad rationem meriti vt sic etiam non requiritur, quòd actus sit ex virtute charitatis aut intensus vt octo; nam etiam aliarum virtutum actus & remissi vt quatuor, vt duo, &c. sunt meritorij; per hoc tamen non euincitur vllo modo, differentiam illam actus, ob quam pertinet ad speciem charitatis, & quatuor illos gradus intensos non esse meritorios in hoc actu, aut illos manere expeditos ad satisfaciendum. Si pœnalitas ea non iuuaret ad maius meritum, facilè concederem intentum obiectionis: at cùm tota ea augeat meritum, nihil per eam obtinetur in ordine ad satisfactionem distinctam.

SVBSECTIO TERTIA.

Quid sit in hoc puncto probabilius.

19 *Actus interior non est satisfactorius, nisi habeat annexã pœnalitatem distinctam, &c.*

DIcendum est, Actum interiorem, qui formaliter est meritorius, non esse satisfactorium, nisi illi adiungatur actio aliqua pœnalis ab eo distincta, & quæ non occupetur in merito condigno gratiæ & gloriæ. In hanc sententiam consentit Scotus, Almainus & Gabriel apud Suarez sect. 5. num. 1. requiruntur enim actionem externam pro satisfactione, in qua totam illam constituuntur, qui fortasse ideò à Suario & aliis reiiciuntur, quia planè videntur necessariò exigere opus omnino externum. In quo mihi etiam non placent, quia (vt ex dicendis cõstabit) pœnalitas potest reperiri etiam sine externo opere, quæ tamen non consistat in ipsa actione meritoria: quod vltimum ego iam contendo; id autem probo argumento, quo præcedentem sententiam reieci: quòd scilicet opera interiora formaliter libera tota quanta occupentur in condigno merito augmenti gratiæ & gloriæ: ergo nulla eis relinquitur vis, vt simul de condigno satisfaciant pro debito pœnæ, quia hæc satisfactio, iuxta dicta, est moraliter nouum condignum meritum: est ergo aliud quærendum, quod sine detrimento illius meriti possit esse satisfactorium. Fortasse respondebitur, Aliquid de valore eius operis in ordine ad meritum augmenti gratiæ & gloriæ tolli, & eius loco dari remissionem pœnæ. Hæc tamen solutio non potest sustineri, quia est contra omnes ferè, & sine fundamento eam diminutionem ponit: ac tandem est nociua iustis, quia reuerà augmentum quodcumque eius perpetuæ beatitudinis longè maioris est momenti, quàm vna aut altera die tardiùs intrare cælum, & interim pati pœnas aliquas in Purgatorio: est ergo quærenda solutio, quæ omnia saluet, vt nos saluabimus.

20 *Quomodo actus externus sit satisfactorius.*

Et quidem, si loquamur de bonis operibus planè externis, facilè & clarè rem totam explico: quia cùm (vt alibi suppono) ea actio externa per se non augeat meritum, sed hoc totaliter & adæquatè in interiori volitione consistat facilè intelligitur, quomodo illa pœnalitas actionis externæ superaddita actui externo addat satisfactionem pro pœna, nihil detrahendo de merito: quia hoc consistit in actu interno, satisfactio verò in externo: id quod per se apparet cõforme rationi: sicut enim laudabilitas & libertas propriè reperta in actu interno habet proportionem cum præmio, ita dolor & passio, quæ reperitur in actionibus externis, habet proportionem cum remissione pœnæ, quæ in se est dolorosa. Præterea, sicut non quælibet laudabilitas operis habet proportionem cum omni intensione præmij, ità non quilibet dolor actionis externæ habet proportionem cum remissione totius pœnæ: sed hæc proportio est maior vel minor in ordine ad maiorem vel minorem remissionem, prout maior vel minor est dolor & difficultas actionis externæ: quam proportionem licet non possimus certò determinare, sicut nec possumus dignitatem ad præmium, quæ in quolibet opere reperitur: Deus tamen perfectè illam nosci, & iuxta qualitatem illius remittit pœnam sicut donat gratiam iuxta quantitatem valoris operis meritorij.

Dices Primo: Dolor quilibet huius vitæ, quãtumuis intensus, vix habet proportionem cum minima parte doloris alterius vitæ: ergo non poterit esse condigna satisfactio pro illa. Respondeo, Si physicè consideretur noster dolor, & secundùm se, verissimum esse, nullam omnino habere proportionem cum pœnis Purgatorij: nego tamen eam non habere, si consideretur vt eleuatus & dignificatus tum à gratia subiecti, tum ab operatione libera & meritoria, quâ toleratur, & à qua etiam dignificatur: sicut voluntas dandi eleëmosynam non habet proportionem, si secundùm se consideretur cum præmio gloriæ æternæ: quo sensu dixit Paulus Rom. 8 *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Accedente tamen dignificatione proueniente à gratia redditur illa eleëmosyna condigna ad præmium gloriæ: ita etiam passio exterca, si nudè accipiatur, non est condigna, si verò dignificetur à voluntaria acceptatione illius, quæ sit opus supernaturale iusti, accipiet inde tantam condignitatem, vt possit iam æquare aliquam partem pœnæ Purgatorij, & pro illa de condigno satisfacere.

11 *Vnde archipiet proportionem cum pœnis Purgatorij actus noster patet ib.*

Dices, Grauissimi dolores, calculi v.g. aut podagræ diu tolerati æqualitatem habent cum aliquibus saltem gradibus breui tempore toleratis pœnæ inferni ergo saltem pro illis poterit peccator satisfacere si eos patienter tolleret. Respõdeo, Ob excessum intensionis & qualitatis dolorum adeò alterius altioris speciei vix potle inue-

nitis sufficientem proportionem cum ea pœna in doloribus huius vitæ: quòd si tamẽ aliqua reperiatur cũ exigua illius parte, & ex hoc capite posset admitti cõpensatio: Deũ tamẽ eos dolores nõ acceptare in eum finem, sed immittere eos ob alios titulos, ob quos habet ius in peccatorem.

Obiter hinc intelliges, cur non satisfaciamus pro pœna Purgatorij, quando non toleramus patienter huius vitæ dolores, quia scilicet tunc non significantur ab vllo actu bono, ideóque manent cum improportione naturali, quam antè habebant de qua loquitur obiectio.

22 *Quomodo meritum internum concurrat cum actu pœnali ad satisfactionem.*

Sed vrgebis Primò: Ergo iam recurrimus in hac explicatione ad meritum internum: quod tamen suprà negatum est. Distinguo illatum: recurro vt ad formam significantem, concedo: recurro vt ad id, quod propriè sit meritum aut satisfactio pro pœna, nego: pro quo aduerte, nullo modo repugnare, vnam eamdemque formam simul significare ad præmium, & simul in se ipsa esse opus meritorium. Pone ad hoc propositum veram esse sententiam Patris Vasquez docentis, contritionem esse formam se ipsa sanctificantem subiectum: certè si homo sine infusione vllius gratiæ habitualis eliceret contritionem, & simul in eodem vel in sequenti instanti alium actum supernaturalem, honestum, liberum, procul dubio contritio illa simul esset meritoria præmij sibi correspondentis, & simul etiam significaret illud aliud bonum opus ad merendum etiam de condigno nouum præmium: quæ duo perinde præstaret simul ac si tantùm vnum ex illis. Ratio huius est, quia esse formam significantem meritum, non est esse meritum: non enim præmiatur aut remuneratur forma significans, sed opus bonum ab ea forma significatum. Vnde eadem forma posset simul significare multos actus ad diuersa & adæquata præmia, perinde ac si forma ipsa esset multiplex, vel perinde ac si solùm vnicum actum significaret. Vt in sententia satis probabili, docente ex maiori gratia merita crescere æqualiter, si homo habeat duos actus bonos v.g. & habeat gratiam vt octo, illi duo actus perinde significabũtur, quilibet ad præmium vt sexdecim (octo pro intensione ipsorum, & octo pro intensione gratiæ) ac si facti fuissent in diuerso tempore, & quilibet cum distincta gratia vt octo: ergo si in ordine ad præmium potest eadem res & simul esse meritoria, & simul significare, & quidem perinde multa ac vnum sine detrimento vnius ad alterius, poterit eam multò meliùs opus bonum internum obtento toto præmio sibi correspondente significare alterum actum pœnalem ad satisfaciendum, etiamsi ipsum opus internum non possit vltra meritum esse simul satisfactio, vt suprà ostendi contra nonnullos.

Forma significans meritum non est meritum.

23 Dices: Illa ipsa vis significandi est pretio æstimabilis: ergo illa etiam est præmio digna. Respondeo, Nimis hoc argumento probari, scilicet per solam gratiam habitualem nobis inhærentem posse nos aliquid mereri sine vllo planè alio bono opere, quia illa gratia etiam quando dormio habet vim ad significanda opera bona, quæ posteà sequentur; illa autem vis est pretio æstimabilis iuxta obiectionem: ergo erit etiam præmiabilis vti vis significatiua, quam bona opera habent respectu externarum satisfactionũ. Absolutè respondeo, Illam vim significandi, sine dicatur præmiabilis siue non, numquam posse per præmium extingui quia non potest gratia esse in subiecto nisi illud faciendo amabile & gratum, etiamsi infinita præmia intuitu illius dentur. Nec potest actus honestus acceptans dolores externos esse nisi eo ipso informans seu significans eos dolores; ergo per præmium adæquatum datum iam antea actui non potest auferri aut minui ea vis significandi. Denique non semper ea quæ sunt æstimabilia, id est optabilia, sunt præmio digna, vti omnes habitus supernaturales, gratia, lumen, gloria, &c.

Difficiliùs è contrario obicies Secundò; Ergo etiam actio interna significabit opus externum ad nouum meritum, sicut significat ad satisfactionem vltra meritum. Nego consequentiam. Disparitas est manifesta, quia actus externus cùm non sit liber in se, ideóque in se incapax meriti, non potest ad hoc significari: in ordine tamen ad satisfaciendum pro pœna, siue ad satispatiendum, est in se proportionatissimus quia dolorem & pœnam habet formaliter, esto non sit liber; satisfactio autem seu satispassio pro pœna non requirit formalissimè libertatem, sed solùm physicam tolerantiam doloris significatam modo dicto.

SVBSECTIO QVARTA.

Breuis digressio de merito aut demerito nomo actionis exterioris.

OCcasione huius obiectionis etsi videamur 24
aliquantulùm extra orbitam abire, breuiter tamen aliquid dicendum erit: de ea agit valdè benè Cardinalis Lugo disp. 4 à num. 56. propter Patrem Ioannem Martinez de Ripalda, qui Tomo 1. de Ente supernaturali disput. 68. sect. 5 tum ex instantia satisfactionis, quæ crescit per opus externum, tum vna vel altera addita ratione, contendit probare, actum externũ addere aliquid de merito suprà interiorem volitionem. Ego quidem Tomo 3. disp. 16. sect. 1. tractaui ex professo hanc quæstionem, & meo iudicio efficaciter ostendi, non posse per actum externum augeri meritum aut demeritum, quia reuerà videtur id incredibile, & instantiis maximè declaratur; quis enim sibi persuadebit, si ego & Antonius v. g. daremus ex eodem veneno haustum eodem omnino animo occidendi, ego Petro v.g Antonius Ioanni, & posteà applicaret Ioannes theriacam, Petrus verò eam non posset habere, ideóque non effugeret mortem; quis inquam dicet me grauiùs puniendum in inferno, & grauiùs me deliquisse coram Deo quàm Antonium, cùm illud casuale remedium, quod Ioannes inuenit, nec Antonio debeatur verti in laudem, nec mihi è contrario possit imputari, quòd illud Petrus non inuenerit? sumus ergo pares, esto in vno casu reipsa sit secutum homicidium, in altero non. Quòd si fortè dicatur, in hoc casu etiam nos duos in actione ipsa externa finisse æquales: nam actus externus fuit datio veneni, mors autem secuta non est actio nostra: si hoc inquam dicatur, clarissimè reiicietur, quia, si argumenta huius Auctoris (vt constabit) quidquam probant, certè eodem modo etiam de morte probant: quia maximè nituntur in eo, quòd effectus ille secutus, est Deo extrinsecè malus, aut è contrario bonus: ac proinde pro illo debet mihi aliquid vel pœnæ vel præmij respondere: ergo cùm occisio illa hominis sancti, & toti orbi vtilis, & non solùm ipsa veneni datio sit mala Reipublicæ naturali, & Deo eius

Actus externus nihil confert ad meritum aut demeritum.

Reipublicæ

Reipublicæ Auctori etiám inuisa in ea habebit locum tota huius Auctoris ratio,& quidem maiori titulo quam in veneni propinatione, quæ in se nisi ratione mortis secutæ non habet malitiam vllam.

25 Secundò è contrario eadem veritas in bonis operibus suadetur;nam si ego, vt duobus pauperibus dem eleemosynam, illam pro vtroque ponam in porta,vt eam pauperes indè accipiãt dum verò hi accedunt pro illa,præcurrit fur,& accipit vnam,non alteram; quis potest probabiliter dicere,me minùs mereri apud Deum per vnam quàm per alteram,ex eo quòd in vno casu non sit re ipsa secutus actus exterior completus eleemosynæ vti in altero?

Quomodo discurrendum circa actus meritorios.

Vbi aduerto in hac materia,eò quòd nihil sit ex Fide certum,non ideò licere cuilibet pro libitu asserere Ego dico ibi esse meritum,& posteà,quando similes instantiæ adducuntur,ad omnes illas negare esse absurdum ita discurrere,sed debere considerari id quod ex ipsis terminis videtur intellectui benè disposito probabile,aut certum; quo posito quis poterit negare, in instantiis pro me allatis esse plùs quam probabilitatem,& talem,vt se cogamur ad illis assentiendum,& idem est de eo,qui putans die Iouis esse diem Veneris comedit carnes,qui non minùs punietur,quam si re ipsa iuxta ipsius opinionem esset dies Veneris.

Iam breuiter ad ea quæ in contrarium obiici possunt & quidem ad instantiam de satisfactione Nos qui actibus ipsis meritoriis immediatè liberis satisfactionem negamus,ita in hoc puncto discurrimus, vt obiectio nec apparentem quidem habeat difficultatem. Nam cum satisfactio pro pœna præcisè extinguat dolores nobis inferendo,mobilissimè intelligitur, eam in actione interiori aut exteriori quantumuis non libera existere:cuius ratio à priori est, quia sicut satispatiendo pœnam illam,vt eam satispatitur reus dum flagellatur, aut mittitur ad triremes, aut suspenditur, extinguit illum reatum, etiamsi sine libertate vlla toleret eos dolores, quia pœna quà talis non requirit vllam in patiente libertatem;ita ex hoc capite actus ille doloris esto non sit formaliter in se liber,& est tamen proportionatissimus ad eam satisfactionẽ.

26 Vnde si ille dolor esset in se tam grauis quàm pœna,quæ debebat infligi in Purgatorio,posset satisfacere ad æqualitatem sine vlla omnino libertate,ergo nunc poterit saltem ex parte, esto careat ea libertate.Ex quo capite clarè constat, sine probabilitate trahi consequentiam ad ostẽdendum,etiam opus non liberum addere aliquid de merito, cum merum vnicè desumatur ex libertate & honestate operantis nam præmium ordinatur directè ad remunerandam ingenuitatem, vt sic dicam,hominis benè operantis, ad mores illius præmiandos,aut etiam ad eumdem hominem excitandum,vt secundò,tertiò.&c.benè operetur; quod idem potest de aliis dici, qui intuitu præmij dati Petro excitantur ad benè operandum.Ad hæc autem omnia impertinens omnino est addere præmium nouum ipsi actioni externæ:hæc enim vltra voluntatem efficacem hominis non arguit maiorem ingenuitatem;nec potest esse vllum incitamentum nisi ad ipsam volitionem efficacem liberam, impedimenta enim,si quæ posteà præter voluntatem operantis insurgunt,quæ efficiunt,ne re ipsa sequatur actio exterior,ea inquam vti ab ipso operante non valent impediri,nisi media volitione efficaci:ita nec iuuat aut nocet homini propter illa addere præmium aut pœnam,vltra id quod respondet ipsi volitioni efficaci. Et hæc ratio videtur planè intentum conuincere,

Mala consequentia ab actu satisfactorio ad meritorium: in hoc necessaria est libertas,non in illo.

Quod autem insinuabatur suprà,etiam opus ipsum externum esse verum obsequium Dei, seu conueniens Deo præmianti; ergo æquum est vt ratione illius addatur aliquid de præmio; hoc inquam nullius est momenti(vt bene ostẽdit eo loco Lugo)ego addo etiam eadem ratione debere concedi,si quis sine libertate,cum perfecta tamen cognitione, vti Beati amant Deum,offerret ei aliquod obsequium externum etiam tùc promeriturum præmium;quia reuerà etiam eo casu aliquid faceret Beatus, quod esset in obsequium Principis Dei;ergo. 27

Dices:Facit sine libertate Sed contrà;quia in nostro casu illud opus externum, vltra libertatem volitionis efficacis,quam iam supponimus adæquatè remuneratam à Deo,etiam sequitur sine libertate;ergo sicut in casu instantiæ quia nulla est libertas, nullum est meritum; ita ibi quia non est noua libertas,nec quidem æquiualenter,non erit meritum nouum.

Quid considerare debeat præmians in actu meritorio.

Absolutè ergo respondeo, Præmiantem non attendere propriè,an res sit sibi commoda necne,sed vt dixi,considerare ingenuitatem, laudabilitatem liberam operantis,iuxta naturam rationalem:hæc autem omnia sunt planè independentia ob opere externo:& licet inter homines,qui sæpè res ab euentu ponderant,videamur magis inclinari ad remunerandum illum, qui nobis re ipsa præstitit beneficium, quàm illum,qui solùm voluit,& non potuit:in Deo tamen,qui corda considerat, & ea quærit magis quàm ipsam multitudinem sacrificiorum, non habet locum ea consideratio, nisi in quantum intentio seu volitio de eis operibus est melior, fortior,nobilior, &c.

28 Secundò argumentatur,Si non esset noua malitia in actione exteriori,non esset obligatio cõfitendi eam actionem exteriorem.Hoc argumẽtum benè retorquetur à Lugo contra hunc Auctorem qui licet rationem nouam ponat demeriti in actione exteriori,illud tamen demeritum non putat vllo modo esse nouam rationem peccati.Inde argumentatur benè Lugo: Obligatio confitendi non est ratione demeritorum,sed ratione peccati:ergo a hoc ille Auctor non explicat sufficienter,cur debeamus actionem externam confiteri.Hoc argumentum posui etiam loco citato,vbi dixi rationem eius obligationis esse triplicem:primò,quia est obligatio confitendi peccata:actio autem exterior est peccatum,esto denominatiuè. Secundò, quia per se loquendo ex opere ipso exteriori meliùs noscitur à confessario interior voluntas, eius duratio &c. Tertiò,quia in ordine ad imponendam pœnitentiam & declarandam obligationem satisfaciendi tertiæ personæ ratione damni secuti aut virandi has illasve occasiones,valdè necessaria est ea notitia

Cur actus externus sit confitendus.

Tertiò specialiter obiicit,quòd Ecclesia ponat censuras in peccata,si prodeant in actũ externum,non tamen si maneant purè internæ:ergo ipsa actio vt condistincta à volitione efficaci est meritoria pœnæ.Respondeo cum Lugo,Ecclesiam non punire actionem externã vt cõdistinctam ab interiori,sed interiorem,dependenter ab eo quòd sit nota per actum externũ ipsi

Ecclesiæ, quæ de occultis alioquin non iudicat. Adde, hoc argumentum nimis multùm probare. Nam si quis duos lædat ad mortem æqualiter, vnus tamen acquirit præstantem chirurgum, qui eum sanet, alter non; incurret sanè irregularitatem ex morte vnius, ex altero verò sanato non incurret, non potest autem vel cum specie probabilitatis dici, quòd propter chirurgum diligenter curantem, etiam quando nihil de illo læsor scit, minuatur demeritum illius ex vno vulnere, in altero verò non: ideò dixi suprà, argumenta huius Auctoris nimis multùm probare. Et de hac digressione ratione satisfactionis satis.

SECTIO III.

Vtrùm quando existit actio exterior satisfactoria, debeat necessariò existere actu, à quo significatur.

19 IN hac quæstione (vt benè notauit Cardinalis Lugo) videtur Pater Suarez non admodum constanter locutus; nam in primis disp. 37 sect. 6. expressè ait posse durare satisfactionē, etiamsi non duret meritum; vt quando quis dat eleemosynam per famulum, vel per legatum: infrà verò disp. 48 sect. 8. planè docet contrarium, non quidem numero 12. & 13. vnde eum citat Cardinalis: nam eis duobus numeris solùm proponit rationem dubitandi pro vna parte: vnde statim num. 14 incipit: ***Nihilominùs, quod tale opus externum per se aliàs satisfactorium, suaderi potest***, &c. Meliùs ergo eum citat idem Auctor ex num. 16. vbi suam sententiam tradit: ibi enim etsi contrariam dicat probabilem, in negantem tamen magis propendet: & num 18. ait probabilissimum sibi esse, positam esse totam satisfactionem in actu interiori. Vnde fortasse posset adhuc Suarez excusari, vt ea disputatione 37 quia tantùm obiter & duobus verbis rem tetigit, dicamus eum magis locutum ex communi sensu, quo supponitur talia opera esse satisfactoria. Hic autem rem ex professo discutiens, suam sententiam clarè expoſuerit: sed quidquid de mente illius sit, paulò pòst argumenta illius examinabimus, vt difficultatem hanc explicemus. Nunc sit

30 ***Actus pœnalis potest seruare satisfactionem durante actu imperante.***

CONCLVSIO nostra. Non est necessum durare actum voluntatis imperantem, quando est ipsa actio pœnalis, ad hoc vt duret satisfactio. Hanc tenet D. Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 3. vbi docet. Si aliquis in charitate decedens præcipiat pro se suffragia fieri, ea valere defuncto quamuis illi, per quos fiunt, sint in peccato: vbi sentire videtur non esse necessarium eo tempore quo actio exterior bona fit nomine alterius, illum esse in actuali ea volitione imperante talem actionem. Idem docet Paludanus ea distinct quæst. 1. art. 1. concclusione 1. & 5. Bonauentura art. 2 quæst. 2 & Soto quæst 2 art. 1. conclusione 4. Nauarrus de Oratione cap 19. & seqq Lugo disp. 24. sect 4. & probatur facilè: quia perseuerantia actus non est necessaria ad hoc, vt actio exterior sit pœnalis: iam enim diximus, pœnalitatem illam non pendere ab ipso actu voluntatis: neque item est necessaria ad significationem moralem eius actus exterioris: nam eo ipso quòd hic oriatur ab illo etiamsi ille præcesserit tempore, informatur ab eo moraliter. Vnde etiamsi, quando famulus ex mandato domini dat eleemosynam, dominus dormiat, nihilominùs tunc satisfaciet dominus; quia tunc ponetur actio, quæ domino est pœnalis, quatenus est alienatio pecuniæ, quæ adhuc non erat facta; & ea procedit ex priori illo mandato: quo sensu loquitur D. Thomas citato loco.

Hanc confirmat Cardinalis Lugo; Primò, 31
quia actus externus ideò addit satisfactionem nouam, non quia in se sit liber, quia iam supponimus illum non habere libertatem; sed quia procedit ab interiori: atqui hoc totum habet, etiamsi actu tunc non duret interior; ergo etiam tunc addit satisfactionem. Secundò, quia vix vnquam castigatio exterior procedit à voluntate præsenti vt præsenti, sed priout præterita: nam voluntas applicat manum v. g. ad flagellationem: accepto autem impetu iam cadit independenter à voluntate præsenti: ergo solum significatur à præterita vt præterita. Hæ confirmationes non videntur esse contra Patrem Suarez, qui fortasse non aliud asserit quàm debere saltem virtualiter durare voluntatem imperantem, admodum quo voluntas conficiendi Sacramenta debet durare sine interruptione, vt Sacramentalis actio ab ea procedens sit valida. In his autem duobus casibus non interrumpitur virtualiter volitio: manet enim actio propria ipsius hominis imperata ab eo actu honesto. In casu verò, quo per famulum datur eleëmosyna, si ipse dominus iam sit distractus, aut certè mortuus, iam interrumpit planè suam actionem; ac proinde non facit vnum quid cum ea passione: non ergo eam significat, ideóque hæc instantia maximè est ad nostrum intētum. 32
Fateor Suarez ponere exemplum in eo qui sumit potionem amaram, ex qua deinde patitur ingentes dolores: in quo ait nullam esse nouam satisfactionem, si non adsit noua voluntas: quo casu sine dubio manet prior volitio in potione ipsa quam homo sumpsit: ergo plus requirit quam perseuerantiam virtualem: nihilominùs potest responderi, etiam in eo casu iam cessare virtualiter interiorem volitionem, quia omnino se habet passiuè homo, postquam potio est in stomacho, sicut qui eroiecit aquam in terram, quòd ea aqua deinde fluat vlteriùs, aut absorbeatur à terra, non est actio ipsius proiicientis: posset ergo ex hoc capite Suarez eis duabus confirmationibus respondere. Vnicè ergo puto probandam eam sententiam ratione à priori allata ex ipso Lugo. Absolutè autem circa hunc casum de potione amata, quem ex Suario tetigimus, oportet vti distinctione: vel enim ille homo potionem amaram ea præcisè ratione sumpsit, vt se ipso hausto ingrato mortificaret, nihil cogitans de vllo alio vlteriori dolore; vel è contrario hos ipsos præuidit, & voluntariè eos sibi causare voluit, vt satisfaceret, si res primo modo contigit: & ille homo, quando aduertit eos nouos dolores insurgere, non habet vllum actum bonum, quo eos accepter, & Deo offerat, fateor libenter eum non satisfacturum per illos: quia eo casu non possunt illi censeri significari per priorem volitionem, cùm non fuerint præuisi, ideóque nec voluntarij & fortasse in hoc solo sensu loquitur Suarez. Quòd si secundo modo casus ille ponatur, tunc erit idem cum casu nostræ conclusionis, in quo iam diximus omnino esse satisfactionem

Si actus liber imperans non præuidit pœnalem fore talem, vel tamdiu duraturum, &c. nō significat illum vel durationem eius ad satisfaciendum.

factionem esto volitio tunc non duret; quia illi etiam dolores tunc sunt pœnales, & simul informantur moraliter ea volitione honesta, qua fiere aceptati: hæc enim dignificatio non exigit, vt diximus, actualem influxum; vti manifestè patet in pœnis immissis à Deo, de quibus ex Concilio est certum esse satisfactorias, vt paulò pòst dicemus, & tamen ibi nullus est verus & proprius influxus alicuius volitionis acceptantis in eas pœnalitates; & ex hoc capite reiicitur efficaciter Suarez, quia illa perseuerantia actus non videtur necessaria alia de causa quàm ad influendum; ad hoc autem (vt ostensum est) non requiritur; ergo.

Hinc tamen obicies Primò; Ergo qui hodie Deo offert omnes labores & molestias toto suæ vitæ tempore sibi euenturas, satisfaciet per illas etiamsi deinde nullam nouam voluntatem honestam habeat; hoc autem est incredibile: ergo.

Soluitur obiectio.

Respondeo Primò, Vix esse possibile moraliter, vt adueniente deinde post longum tempus dolore aliquo homo patiètur illum toleret vi præcedentis illius volitionis, cuius iam nec recordatur quidem, si eos autem non tolerat patienter, vi eius voluntatis dignificari sanè non poterunt ab illa, prout requiri diximus ad satisfactionem. Respondeo Secundò, Si homo memor eius volitionis & acceptationis præcedentis saltem per omissionem puram contineat impatientiam, eum tunc satisfacturum, negamusque hoc esse incredibile, nisi, qua parte (vt insinuatum est) non potest fieri moraliter, vt ille actus tunc efficiat illam tolerantiam patientem. 34

Secundò obicies: Qui dormiens profert verba consecrationis, etiamsi anteà habuerit intentionem consecrandi, non consecrati ergo neque satisfaciet, si tunc aliquid auersi patiatur. Respondet Lugo negando consequentiam, eo quòd prolatio verborum in somnis non sit locutio, quia non significat mentem humanam actualem loquentis. Hæc solutio habet difficultatem; nam sine dubio potest in somnis quis habere veram interiorem voluntatem consecrandi, quia scilicet somniat se celebrare Sacrum, & inde loquitur (vt multi faciunt in somnis;) imò vix est factibile aliquem ea verba proferre nisi interiorem volitionem habeat, à qua oriatur motus ille labiorum. Secundò respondet, eam non fuisse locutionem, sed remotam applicationem causarum ad loquendum, dum se posuit ad dormiendum vi eius intentionis. Verum neque hæc satisfacit, quia licet iacere in lecto non fuerit locutio, sed sola remota applicatio causarum ad loquendum, posteà tamen fuit secuta vera & propria locutio; vti somere potionè non est sentire dolores, sed applicatio causæ, ex qua tamen deinde sunt secuturi; ergo per sequentem propriam locutionem consecrabit validè. Facilius ergo respondetur, Ex sensu & traditione Ecclesiæ constare, Christum Dominum voluisse Sacramenta administrari ab homine rationis compote; vnde Sacerdos stultus etsi loquatur, non consecrat: quia non oritur ea consecratio ab homine rationis compote: debet enim concurrere ad consecrationem per illa verba non tamquam brutum, sed vt homo rationis capax: quando verò homo in somnis profert verba, iam ea non profert vi præcedentis intentionis quam habuit dum esset rationis compos, sed vi alterius, quam habet iam carens vsu rationis, siue ea locutio sit humana, siue non: quod pertinet fortè ad modum loquendi. At in ordine ad satisfaciendum, iam diximus, non esse necessum passiones procedere ab ipso homine nam per immissas à solo Deo aut extrinsecè aliunde (vt constat ex Tridentino) potest homo satisfacere, si eas approbet, & eis conformetur patienter eas tolerando; ergo cùm homo vere patiatur in somno: iam enim supponimus eum tunc percipere illos dolores: (alioquin cessat quæstio) & antecedenter eos acceptauerit patienter, non est cur per eos non satisfaciat. Id quod inde magis constabit. Nam si per possibile vel impossibile aliquis me non habente voluntatem loquendi ita ab extrinsecos moueret os, vt formaret talem sonum, qualem ego dum loquor, certum est, esto ego id patienter ferrem, tamen me non posse per ea verba Sacramentum conficere, quantumuis essem mihi præsens; & tamen possem tunc per eum dolorem satisfacere; maior ergo ratio voluntarij est necessaria ad conficiendum Sacramentum quàm ad satisfactionem. Replicam, quæ hic posset fieri de homine, qui in hac vita anticipatò acceptaret pœnas Purgatorij, qui consequenter videretur deinde satisfactorius, soluam paulò post.

Cur somnians non consecret, licet verba proferat supra materiam.

Differentia inter conficientem Sacramenta & satisfacientem 35

Patiens dolores in somniis potest per eos satisfacere.

SECTIO IV.

An si quis sit in mortali, vel in Purgatorio dum exiſtit actio pœnalis, possit per illam satisfacere.

QUARTA primam partem tituli quærimus. An si quis existens in gratia acceptauit libenter passiones, quando tamen hæ veniunt, iam est in peccato, satisfaciat tunc temporis; & idem est de eo, qui postquam dedit famulo mandatum, vt daret eleemosynam, labitur in mortale, antequam eam famulus re ipsa det: videtur enim satisfacturus, quia cùm diximus illam dignitatem satisfactionis prouenire ex actu bono præcedenti, hic autem non possit impediri per subsequens peccatum, quia hoc non tollit præcedentem actus dignitatem, non est cur eis negetur satisfactio. Nihilominùs dicendum est, non satisfacturum tunc per ipsum actum externum; quia subiectum illud iam est redditum incapax satisfactionis, & ratione indignitatis subiecti etiam desinit dignificari ea actio. Nam licet hæc dignificatio sit moralis ab actu præcedente, requirit tamen, ne, dum debet fieri, ponatur obex, quale est peccatum. Dixi non satisfacturum per actum illum exteriorem, quia si dum voluit dare pecuniam, idque mandauit famulo, habuit actum aliquem pœnalem interiorem partis sensitiuæ (vti in similibus casibus contingit;) sine dubio tunc per illum habuit suam satisfactionem. Præcedenti dubio connexa est ea difficultas, de qua fusè multi, Vtrùm ad satisfaciendum per opera externa pœnitentiæ sufficiat hominem esse in gratia in fine operi, etiamsi in initio sit in peccato. Suppono volitionem liberam illius pœnæ fuisse primò habitam eo tempore, quo homo est in gratia; manè v.g. incepit ieiunare in gratia, & posteà vesperi admittit aliquod peccatum. Aliqui absolutè negant; affirmant absolutè alij. Puto tamen distinguendum; nam vel illud opus pœnale habet partes realiter distinctas, vt ieiunium, abstinere enim manè à cibo diuersa mortificatio est ab abstinentia vespertina diuersaque pars satisfactionis correspondet matutinæ 36

Dolores de futuro accepti in gratia non satisfaciunt si superueniant in statu peccati mortalis.

Quid si pœna toleretur partim in gratia partim in peccato. 37

tutinæ abstinentiæ ab ea quæ vespertinæ. Idem est in morbi, peregrinationibus, &c. nam dolor matutinus morbi, aut labor matutinæ peregrinationis, diuersum quid est à dolore & labore vespertino. Hoc suppositio, dico illam partem doloris vel laboris, quæ tolerata est in peccato, non reddi posteà satisfactoriam per gratiam subsequentem; neque è contrario, quæ priùs facta est in gratia, impediri per alteram in peccato subsecutam. Idem est respectu vltimarum partium eorum dolorum: licet enim in peccato ab initio homo fuerit, si posteà, dum vltimam partem laboris tolerat, est in gratia; hæc vltima pars erit satisfactoria, perinde ac si ab initio operis fuisset in gratia. Ratio est clara ex dictis, quia illæ partes distinctæ se non impediunt, sed quæ libet se habet omnino disparem respectu alterius vnde si vna habet conditiones requisitas pro satisfactione, nihil ei nocet, quòd altera eis careat; aut è contrario si vna caret, non prodest ei, quòd altera illas habeat: quæ ratio tam habet locum in primis partibus quàm in secundis.

Si verò pœna illa consisteret in indiuisibili (quod vix potest intelligi, si opus sit diuisibile, vt supponitur) tunc dico omnino requiri vt ad initium illius operis fuerit homo in gratia, & liberè imperauit eam actionem; alioquin non poterit illa informari ab ea voluntate; cumque supponatur esse valor indiuisibilis, si totus non informat nec quidquam illius; sicut quia significatio Sacramentalis quasi in indiuisibili consistit, non sufficit si post inceptam prolationem verborum Minister habeat intentionem conficiendi Sacramentum, sed oportet, vt ab initio ex illa intentione tota prolatio diuisibilis procedat, vt indiuisibilis significatio tota informetur illa intentione.

38 Contra hoc vltimum obiicies; Si post inceptum Sacrificium Missæ, antequam finiatur ego illud applicem, valida est applicatio; & tamen Sacrificium illud consistit quasi in indiuisibili; ergo etiam sufficiet ante finem operis hominem esse in gratia, vt totum opus sit satisfactorium; esto satisfactio consistat in indiuisibili. Nego consequentiam. Disparitas est clara, quia Sacrificium non accipit valorem ex applicatione, sed præcisè ea applicatio requiritur vt Deus se determinet, cui debeat illum valorem donare; ad ho autem sufficit, quod applicatio sit ante determinationem Dei, licet sit post inceptum Sacrificium. Nam Deus nullam habet determinationem applicationis nisi finito Sacrificio; at voluntas nostra honesta requisita pro dolore externo est tamquam forma illum dignificans, & dans ili valorem; ad hoc autem non sufficit, quòd adueniat in fine, sed debet totum illum dolorem dignificare, & consequentet toti debet coëxistere: de quo puncto aliquid etiam diximus suprà.

Quid si actus pœnalis vel pœna accepta à viuo superuiat mortuo,

Circa secundam partem tituli inquirimus, Quid si dominus mandauit dari eleëmosynam, moritur tamen antequam eam det famulus, satisfaciétne, quando re ipsa eam eleëmosynam facit famulus; Quæ difficultas eodem modo debet extendi ad legata pia, quæ in testamento suo mandauit fieri, an tunc primò ille satisfaciat dum ea exequuntur hæredes esto in Purgatorio ipse per se satisfacere non possit Respondet Lugo, Non satisfacere, quia tunc non habet iam amplius statum satisfaciendi. Mihi hæc ratio videtur insufficiens, quia licet anima in Purgatorio existens sit incapax satisfactionis per nouum actum tunc elicitum, non tamen vllo modo ostenditur, cur non satisfaciat per actum iam anteà mandatum, & qui oriatur ab ea voluntate, non minùs quàm oriretur, si dormiret idem dominus; aliunde autem status dormientis in se est tam incapax satisfactionis quam status Purgatorij, quia satisfactio includit actionem liberam; huius autem tam non est capax ille qui dormit, quàm Purgatorij animæ sint incapaces propriæ ac rigorosæ satisfactionis. Cur ergo eo modo, quo dormiens satisfecit, non dicemus posse satisfacere Purgatorij animas? Et verò videtur id esse maximè iuxta sensum fidelium, qui docèt per istam elargitionem actualem eleëmosynæ, quam defunctus præcepit, illum satisfacere. Certè ob hanc rationem videtur Suarez in contrariam partem deflexisse, circa satisfactionem dormientis, quia admittere nó voluit eleëmosynas viuorum prodesse defunctis: in quo iam cum eo Cardinalis conuenit. Neque ideò potest afferri contra nos instantia ex eo, qui in gratia præcepit dare eleëmosynam; quando tamen ea datur, iam est in mortali, quem diximus non satisfacere; quia est in statu incapaci satisfaciendi: hoc inquam nobis obici non potest, quia peccator est incapax & satisfactionis & effectus illius per positiuam indignitatem: est enim in statu, in quo ei non remittitur pœna, nisi summùm per satispassionem. At animæ in Purgatorio capacissimæ sunt remissionis & sunt in statu, in quo possunt dignificare suam passionem, cùm sint in gratia; ergo si aliunde non obstet, poterunt vi priorum operationum satisfacere non minùs quàm dormiens.

40 *Cur non satisfiat per pœnas Purgatorii acceptatas ante mortem in gratia.*

Replicabis; Ergo qui in hac vita Deo obtulit pœnas quas deinde in Purgatorio est toleraturus, satisfaciet posteà per illas: est enim planè eadem ratio cum casu præsenti; nam vtrobique voluntas acceptandi est in hac vita, vtrobique passio ipsa sequitur homine iam existente in alia; ergo idem vtrobique dicendum; non potest autem consequens hoc admitti, ergo. Respondeo negando consequentiam, quia nobis cònstat per pœnas Purgatorij hominem non satisfacere, sed satispati, Deo ita disponente: at de pœnis, quæ sunt extra conceptum pœnarũ Purgatorij (qualis est ea leëmosyna) potiùs contrarium constat ex communiori sensu fidelium (vt paulò antè insinuaui;) constat etiam id ex instantia allata de eleëmosyna facta à famulo, quando dominus dormit; ergo no valet consequentia ab eis pœnis Purgatorij ad illas, de quibus agimus. Probabilius fortasse diceret, ideó eas ánimas esse incapaces satisfactionis etiam per eleëmosynas ip. sarum nomine factas, quia post mortem eæ eleëmosynæ non sunt ampliùs illis animabus pœnales: cessauit enim iam ex integro dominium illarum in pecuniis: ad satisfactionem autem saltem requiritur, actionem esse pœnalem, qnando quis satisfacit: ex quo capite, si quis dormiat, ac non sentiat dolorem vllum, diximus eum non satisfacere: ergo idem erit de animabus. Sed contrà, quia iure optimo dici potest, illius etiam tunc esse pœnalem illam eleëmosynam, quatenus ea tunc aufertur hæredibus, quibus animæ illæ specialiter etiam tunc afficiuntur: maximè si filij & consanguinei illi sunt: vti enim censentur in filiis viuere, ita quæcumque ab hæredibus auferuntur, possunt ind cari pœnalia illis: & verò ea de cauta laudantur illi, qui in morte præcipiunt

41 *Quomodo eleëmosynæ imperatæ in vitis & datæ post mortem sit anima pœnalis*

cipiunt fieri has eleëmosynas; quia quidquid in causas pias legant auferunt à suis, ideóque quodammodò censentur eas auferre à seipsis; nam alioquin certum est, quoad propriam personam, non magis se illis bonis priuare ea legando in causas pias, quàm si suis filiis & consanguineis eadem relinquerent; est ergo ea actio inomnium hominum iudicio difficilis homini non de præsenti; quia ante mortem siue his siue illis ea leget, semper adhuc ipse habet dominium eorum bonorum, & quidem eodem omnino modo in vno ac in altero casu; ergo ideò censetur difficilis, quia post mortem se illis priuat, dum filios in quibus ipse moraliter manet, illis priuat; id quod dici debet, etiam si careret filiis & consanguineis; nam saltem habet amicos, quibus benè assicitur, & in quibus ipse repræsentatur quodammodò; si tamen poneremus casum, vt nec amicos nec personam vllam planè notam haberet, sed perinde pro eo defuncto esset, quòd illa bona acquirátur à pauperibus, ac ab alio quolibet, tunc facilè concederem non fore pœnale tali homini legare ea pauperibus, esto esset meritorius actus, quia haberet ob furtum honestum, licet non esset difficile; iam enim suprà dixit, non requiri ad actus honestatem, quòd sit difficilis, requiri tamen id ad satisfactionem.

Iudico ergo probabilius esse, satisfacere tunc animam Purgatorij per eas eleëmosynas; quæ est sententia D. Thomæ, & magis conformis his, quæ cum Cardinali Lugo contra Suarium diximus paulò antè, ac proinde Lugo non videtur ex integro in hoc seruasse consequentiam

42 *An dans famulo pecuniam in eleemosynam, hic verò vel retineat, vel perdat, nisi dominum de animo faciat.*

Quia verò punctum hoc tetigimus, oportet explicare magis difficultatem quæ hîc moueri potest. Vtrùm si Dominus mandet famulo dare pecuniam in eleëmosynam, & famulus apud se eam retineat, aut illam ipsimet pauperes inscio famulo furentur, priuetur tunc dominus aliquâ satisfactione. Ex vna enim parte videtur planè non satisfacturus; quia ille re ipsa non fecit eleëmosynam, nec amisit adhuc dominium rei: si enim deprehendat quid sit factum, potest iure repetere eam pecuniam: & licet passus sit damnum, vti patiuntur illi, quibus fur accipit pecuniam, non tamen illud acceptauit libenter, quia prior volitio non fuit de tolerándo patienter tali furto, sed de donanda eleëmosyna; ergo ille nondum satisfecit: ex altera verò parte coram Deo verè dedit eleëmosynam, à se ab alienauit pecuniam, omnemque superauit difficultatem, quæ in ea largitione esse potest; quid ergo illi coram Deo deest ad rigorosam satisfactionem? Confirmatur, quia tota ea differentia, quòd pauper sit furatus eam pecuniam à famulo, vel eam à date famulo acceperit, latet ex integro dominum, nec vllum prorsus ideò accipit maiorem aut grauiorem dolorem; quid ergo quæso desideratur in eo ad satisfactionem? Respondeo tamen consequenter ad dicta, Non habiturum eum hominem satisfactionem illam, quæ esset responsura actuali eleëmosynæ, vt rationes pro prima sententia allatæ cóuincunt; & constat ex his quæ de eleëmosynis factis post mortem paulò antè diximus: quia si hæredes pro se retinent illam pecuniam, priuant defunctum satisfactione, iuxta communem sententiam contra Suarez probatam. Dico communem, quia ipse Suarez etsi contrarium sentiat, numero tamen 22. eius sectionis octauæ agnoscit nostram esse communem. Iam ergo ad rationem pro contraria parte factam dicimus, eo ipso quòd satisfactio hæc non desumatur ex actione libera quà tali, sed ex ipso damno physico vel morali hominis, rectè colligi, si re ipsa non fit eleëmosyna, neque fieri alienationem pecuniæ, sed damnum illud, quod fit domino, esse inuolutarium, quia de tali acceptione non habuit vllam voluntatem: rectè inquam colligi, eam retentionem pecuniæ siue furtum illius non informari illa volitione dandi eleëmosynam, sed habere se perinde ac si antequam voluisset dare eleëmosynam, aliquis ei furatus fuisset pecuniam, ipse verò inscius vellet eam dare, & non inueniret vnde: quo casu certum est eum non habiturum satisfactionem quæ prouenire potest ab actione illa dandi eleëmosynam. Et ita hanc sententiam defendit contra Patrem Suar. Cardinalis Lugo suprà num. 54. rem breuiter tangens. Neque hinc sequitur, eum hominem in tali casu priuandum Iubileo, si pro illo lucrando iussisset famulum dare eam eleëmosynam: de quo infrà quia, vt ibi dicemus, non est credibile Pontificem velle eum, qui optima fide eleëmosynam dedit, obo. cultum ipsi errorem priuare Iubileo, siue re ipsa dicatur dedisse eleëmosynam siue non: de hoc tamen fusiùs, vt dixi, infrà.

43

SECTIO V.

Quomodo contritio, quæ est actus liber, sit satisfactoria.

44

Hæc difficultas oritur ex dictis sect. 2. non enim videtur posse saluari, contritionẽ esse satisfactoriam: (quod tamen & Tridentinum & passim omnes supponant: (quandoquidem illa est actus voluntatis liber, & totus in merito gratiæ occupatus. Dicunt aliqui (inter quos est Pater Coninch (illam quatenus est opus Filij, & in obsequium Patris, esse meritorium: quatenus verò per eam se homo humiliat sub manu Dei potentis, esse satisfactoriam. Hæc tamen solutio ex dictis à nobis suprà reiicienda est, quia & tota illa humiliatio etiam quà talis, occupatur in merito: nam tota quanta entitas, & omnes formalitates pœnalitatis & humiliationis in eo actu libero immediatè concurrunt ad meritum, iuxta suprà dicta: ergo non relinquitur illi contritioni vis vlla ad satisfaciendum. Respondeo ergo, Eam esse satisfactoriam non immediatè ratione sui, sed ratione actuum dolorum qui ex illa cómuniter sequuntur, & non sunt proximè & formaliter liberi, ac proinde nec in se meritorij; ideóque manent expediti vt satis facere possint. Eos autem actus sequi etiam in ipso appetitu sensitiuo est certissimum: inde fit vt corpus per similes actus doloris & contritionis vehementer debilitetur, & quidem sæpè longè plus quàm per disciplinas, cilicia & ieunia: habet ergo vnde siue meriti detrimento possit esse satisfactoria. Idem est dicendum de oratione & meditatione mentali; nam præter actus ipsos volũtatis, quibus me applico ad orandum & meditandum, in quibus præcisè consistit meritum, est ipsa attentio intellectus & phantasiæ, quæ difficillima est homini, patiturque molestissimas, ideóque ad satisfaciendum aptissima.

Contritio ratione sui immediatè non est satisfactoria.

Illud tamen nunc difficile: nam, iuxta hanc doctrinam

doctrinam omnia omnino opera bona poterunt esse satisfactoria, quia omnia habent annexam secum aliquam operationem sensus interni quæ est pœnalis: hoc autem planè est contra id quod fusè suprà deduximus. Respondeo Primò, Etiamsi concederemus antecedens, non fore tamen contra supra dicta: solùm enim probare nunc contendo, ipsum bonum opus formaliter liberum & honestum non esse de facto satisfactorium, sed requiri adhuc actionem aliquam distinctam à merito, quæ sit pœnalis, & ratione cuius fiat satispassio ex physica tolerantia ipsius sine detrimento meriti. Quòd si omnia bona opera præter seipsa, in quibus est meritum, habeant etiam aliam actionem distinctam pœnalem, quæ formaliter non sit meritoria, sum contentus dicere, omne opus meritorium esse de facto satisfactorium, non quidem ratione præcisa sui, sed tamé ratione actionis distinctæ cum illo coniunctæ; quia verò hæc solutio non satisfacit his quæ præsenti disputatione dixi, ideò respondeo, Posse esse multas actiones honestas, quæ nullam habeant difficultatem, sed potiùs voluptatem, etiamsi habeant annexam operationem sensus interni; neque enim omnis operatio sẽsus interni est pœnalis & laboriosa; sed multæ sunt etiam voluptuosæ (vti dixi suprà) quando quis vel famet, vel sitit, vultque satisfacere necessitati, quia id Deus mandat, & natura ipsa rationalis id exit; certè tunc comedere, & bibere, etiamsi sit actus bonus, nullo tamen modo est pœnalis. Similiter quando ex virtute, quæ eutrapelia dicitur, homo appetit honestam recordationem, & illam reipsa accipit; operatur quidem honestè, non tamen laborat, imò requiescit à labore. In his ergo operationibus dico nullam esse satisfactionem pro pœna, etiamsi in eis reperiatur meritum. Vnde si Angelus & anima separata essent capaces meriti, & debitoris alicuius pœnæ, quam alioquin possent per satisfactionem extinguere, esto multos haberent actus honestos, in quibus nullam sentirent pœnalitatem, & per illos possent mereri, non tamen satisfacere, & licet diceremus omnes actus liberos etiam animabus eis fore difficiles, si tamen alij pœnalès inde non sequerentur, qui libertate immediata carerent, non possent per illos satisfacere, iuxta dicta superiùs.

Dantur multa actiones honesta, quæ nullam habẽt difficultatẽ.

Replicabis; Ergo cùm quis habet facilitatem in bonis operibus externis, parum vel nihil satisfaciet pro pœna, & consequenter videtur illi nocere consuetudo bona, quia eisdem operibus, quando non erat assuetus, plus longè satisfaciebat quàm iam, quando est facilis. Respondeo, Ex consuetudine bonorum operum duplicem difficultatem posse diminui: vnam externam & causantem dolorem v.g. ex vsu induendi cilicium, iam vix vllus sentitur dolor, aut ex longa repetitione ieiuniorũ non sentit quis vllam molestiá in ieiunando, In hoc casu fateor libenter, ex consuetudine minui posteà non solùm satisfactionem, sed etiam meritum, quia hoc proueniebat ex difficultate operis; hac autem dimunita diminuitur & satisfactio & meritum, neque est incõueniens quòd ex hac parte cõsuetudo obsit merito, quia hoc est quasi per accidens, ex eo quòd deficit materia meriti. Alia facilitas potest acquiri ex consuetudine, quæ consistat præcisè in hoc, quòd voluntas ex repetitione actuum imperet actiones aliquas externas bonas citiùs quàm antè, etiamsi ipsa in eis eamdem habeat physicam externam difficultatem; tunc autem nego minui meritum aut satisfactionem; nam cùm obiectũ sit æquè difficile ac antè, certè eò quod frequentiùs ametur à volũtate, non minuitur, sed potiùs augetur meritum & satisfactio.

Quæ consuetudo minuat meritum & satisfactionẽ, & quæ non minuat.

DISPVTATIO XXII.

Explicantur cætera quæ ad satisfactionem sunt necessaria.

SECTIO I.

Vtrùm ad illam requiratur acceptatio Dei.

NOn inquiro, Vtrùm acceptatio Dei sit necessaria ad hoc, vt nostra opera sint condigna remissionis pœnæ; (etenim condignitas non potest eis ab extrinseca Dei voluntate prouenire, sed ex dignitate & valore operis ea debet oriri; (quæstio ergo tantùm est de vi proxima ad hoc, vt actu pœna exstinguatur per ea opera. Pater Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. & 1. 2. disp. 222. num. 32. negat eam requiri, imò addit, etiamsi stante merito posset Deus præmium negare, non tamen posse non condonare pœnam data æquali satisfactione. In hac doctrina videtur minùs consequenter loqui hic Auctor; ait enim in tantum nostra opera mereri remissionem pœnæ, in quantum merentur augmentum gloriæ, cuius impedimentum est pœna. Ex quo sic argumentor; Ergo si Deus negaret augmentum illud gloriæ illis operibus, posset etiam negare remissionem pœnæ, quandoquidé etiamsi tunc maneret pœna, non impediretur gloria, quæ, vt supponimus, non esset danda propter opus; ergo minùs benè dcit mansuram satisfactionem, esto cessaret meritum. Deinde hæc sententia videtur opponi Trident. Sessione 14. cap. 8. vbi ait nostram satisfactionem habere vim ex Christo, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offerantur Patri, & per illum acceptantur à Patre: ridicula autem esset ea intercessio, si aliunde nullo modo posset Pater eam satisfactionem respuere.

P. Vasq. inst. sequenter loquitur de satisfactione & meritoria vi operum.

In satisfactione nostra requiritur acceptatio.

Dicendum ergo est omnino requiri eam acceptationem non minus quàm in meritis: & ita communiter sentiunt omnes Doctores; & verò Pater Gaspar Hurtado, qui ferè semper sequitur Patrem Vasquez, in hoc ei est contrarius disput. 13. diff. 9. ratio est manifesta; Primò, quia Deus potest tales labores exigere ob alios titulos gratitudinis, &c. Secundò, quia non spectat ad reum debentem pro delicto aliquam pœnam, eam sibi determinare aut permutare in æqualem, aut

aut etiam in maiorem ; hoc enim purè pertinet ad Iudicem; ideoque licet reus offerat pecuniam in ea quantitate, quæ moraliter sit maior quàm exilium v.g. vnius anni, quod meretur, non tenetur illam Iudex acceptare; similiter etsi agat maiorem pœnitentiam quàm meretur: v.g. meretur reus virgas, facit ipse seueriorem & magis infamem disciplinam, aut aliam pœnitentiam, non tenetur id Iudex acceptare, ergo nec tenebitur Deus stare nostra pœnalitate, etiamsi esset grauior quàm pœna Purgatorij.

Hæc eadem conclusio probatur à Lugo supra num. 17. quia de facto nostra bona opera non satisfaciunt pro pœna mortis & pro carentia Iustitiæ originalis, etiamsi habeant ex se condignitatem ; cuius ea præcisè est ratio, quia non acceptantur de facto ad hoc; ergo vltra condignitatem satisfactionis requiritur libera Dei acceptatio Hæc ratio non vrget vllo modo, quia Iustitia originalis & immortalitas non debentur ante peccatum ex natura rei, sed concessæ erant ex supernaturali liberalitate Dei; non est autem necessum, vt quæ anteà liberaliter nobis ipse decreuerat dare, & postèà per peccatum amisimus iterùm redeant ablato peccato, etiamsi auferatur per æqualissimam satisfactionem: quia sicut ante peccatum fuit pura liberalitas, velle illa dare; ita etiam post peccatum oportet vt ex sola liberalitate voluntas iterùm illa danda ; sicut si ego volebam alicui conferre beneficium omnino indebitum, & posteà ille per offensam grauem contra me, reuocat me ab ea voluntate, non est necessarium ex natura rei, vt quantumcumque superabundantem offerat satisfactionem, ita vt ampliùs non possim esse illi offensus, eo tamen ipso iterùm teneat velle ei facere pristinum fauorem. At pœna Purgatorij, de qua loquimur, ita nobis per peccatum debetur, vt extincto perfectissime peccato quoad omnia, iam nullo prorsus modo possit nobis Deus illam infligere; (loquor per modum pœnæ;) ergo non valet ; Data æquali satisfactione non tenetur Deus nobis facere antiqua beneficia; ergo etiam non tenebitur remittere pœnam Purgatorij.

Satisfactio non obligat ad reddenda dona quæ ante peccatū erant mere gratuita.

3

Replicabis; Esto homini non fuerit debita gratia & immortalitas antè peccatum, Deus tamen tentata vtrumque cōcessit homini, vt nolle nisi in pœnam peccati illud auferre ; ergo eo ipso quòd per æqualem satisfactionem tollatur peccatum, debet etiam tolli tota pœna; ablata autem pœna iam debet redire gratia & immortalitas, alioquin adhuc maneret pars pœnæ. Vnde diximus suprà, si antiqua gratia expelleretur per peccatum, præcisè per modum pœnæ, & non in genere causæ formalis, redituram eam gratiam ex natura rei, eo ipso quòd per æqualem satisfactionem auferetur peccatum, vel eo ipso quòd Deus omnem pœnam condonaret; ergo idem erit de Iustitia originali & corporis immortalitate dicendum; est ergo adhuc bona ea ratio Cardinalis. Respondeo, Si ea ablatio iustitiæ fuisset putè putè in pœnam peccati Adami, habituram vim eam replicam. At in negatione beneficij antiqui ob peccatum interpositum misceri facilè potest alia ratio, & aliud commotiuum in ordine ad eadem beneficia non conferenda secunda vice; quæ sufficit, vt esto pœna tota remittatur, non tamen conferatur secundò illud beneficium : & quidem in ipso Originali id possumus facilè videre; nam beatissima Virgo illud non contraxit, & in multorum sententia nec habuit debitum proximum illius; & tamen non est ei data immortalitas, quam, si Adamus non peccasset, habuisset; caruit ergo illa, & non per modum pœnæ respecta sui, cùm nullam habuerit culpam. Potuit ergo Deus Adamo & posteris in pœnam peccati negare ea dona; quibus semel negatis noluit restituere, etsi omnem omnino pœnam condonaret, sed accepta in futurum occasione ex peccato, nolle secundò ea dona conferre, sed vti eis rationibus, quibus potuit vti ad eadem non conferenda, antequam prima vice ea donasset; quo casu haud dubie eorum donorum negatio non culpæ aut pœnæ nostræ, sed libertati Dei tribuenda esset : videtur autem Deus hoc modo se habuisse in hoc casu, ac proinde non est omnino efficax ratio ea secunda: prima nobis sufficientissima videtur.

4

Iam videamus, quid possit adduci pro sententia Vasquez. Primò ergo dices : Qui offert Deo pœnas æquales moraliter his, quas debet, est dignus remissione: ergo non manet dignus pœna, quia non potest simul esse dignus pœna & dignus remissione pœnæ. Respondeo : Si *tò dignus* idem sit ac habens ius ad remissionem, nego illum futurum dignum, etiamsi offerat aliquid æquale, vt suprà in exemplo Iudicis ostendi. Si verò *tò dignus* solùm significet idem quod capax, vt aduenientе acceptatione remittatur ipsi pœna, fateor illum esse dignum : nego tamen repugnare simul esse capacem remissionis, seu dignum remissione in hoc sensu, & simul esse capacem vt non remittatur pœna: sicut qui offert æquale pretium pro mercibus, est simul capax vt respuatur, quia mercator non vult accepture pretium quantumuis æquale, & simul est capax qui acceptetur.

Soluuntur obiectiones.

5

Obiicies Secundò. A nobis Tomo 3. & suprà traditum, Deum non posse non acceptare pœnas, quas pros venialibus & pro mortalibus iam remissis tolerant in in ferno damnati : cuius rei alia non videtur esse causa, quàm quòd illæ sint æquales & condignæ: ergo si homo in hac vita offert Deo æqualem satisfactionem, tenebitur Deus illam acceptare. Respondeo, Ea quæ ibi nos docuimus nullo modo aduersari præsenti resolutioni: quia ibi sermo est non de satisfactione per opus diuersum, quod (vt dixi) non tenetur Iudex acceptare, sed de ipsamet pœna assignata iam à Iudice in satispassionem, quæ eo ipso non potest ab eo non acceptari, alioquin puniret bis in idipsum.

Cur Deus teneatur acceptare pœnas in inferno tolerātas pro venialibus in satispassionem, non autem afflictionis huius vitæ pro mortalium aliqua satisfactione.

Replicabis; Ergo peccator per pœnas à Deo in hac vita ob peccata inflictas satisfaciet saltem aliqualiter pro pœnis etiam inferni. Respondeo Primò, Morbos & alias miserias, quas homines patiuntur, non infligi vt plurimùm à Deo in pœnam peccatorum, sed oriri à causis naturalibus, quas Deus non tenetur impedire. Secundò respondeo, Omne peccatum habere condignitatem non solùm cum pœnis inferni, sed etiam cum aliis huius vitæ. Nam fur, qui hic iustè suspenditur in pœnam latrocinij, non ideò diminuit quidquam de pœna inferni quam debet in altera vita, si decedat in mortali. Ratio à priori est, quia peccator & Deum offendit, & Rempublicam rationalem, à qua etiam potest puniri. Tertio clariùs & facilius respondeo, Mortale omne ex se esse condignum, vt statim homo damnetur ad infernum ab ipso puncto quo illud committit; ergo Deus differens eam pœnam ad crastinum facit homini maximam

gratiam

gratiam, quòd hodie eum ab illa liberet; ergo etiamsi hodie illum affligat aliqibus huius vitæ pœnis, quæ nullæ sunt respectu aliarum, quas hodie potuisset infligere, non obligatur propterea quidquam de pœnis crastinis tollere. In venialibus hæc solutio non habet locũ, ideò pro illis duæ priores solutiones sufficiant.

SECTIO II.

Quomodo satisfaciamus per pœnas à Deo immissas.

6 QVÆRIMVS, Vtrùm iusti satisfaciant per dolores à Deo immissos, vel per infamiam, paupertatem, & extrinseca damna illis prouenientia. Respondeo, Si illa omnia acceptent voluntariè omnino satisfacere; ita Tridentinum suprà. Ratio deducitur ex his quæ superiùs diximus, quia illi dolores sunt dignificati à libera acceptatione in gratia facta; habent etiam proportionem cum ea pœna, non minùs quam illi quos ipse iustus voluntariè vsurpat; nam in primis dolor ipse externus non est minor; eò quòd aliunde prouenial, quàm si ab ipsomet eligatur; imò per se contrarium solet esse, vt maior & granior reputetur ceteris paribus, idem dolor, quia ab extrinseco infligitur, quàm qui elegitur ab ipso patiente: deinde actus supernaturalis liberæ acceptationis dignificat eos dolores, sicut voluntas efficax illos caussandi; erunt ergo absolutè satisfactorij.

SVBSECTIO PRIMA.

Discutiuntur aliqua explicationes huius sententiæ, & respondetur obiectionibus contra illam.

7 HÆc difficultas, quæ sic explicata meo iudicio non est tanti momenti, valdè exaggeratur à nonnullis, qui etiam propter illam diuisi sunt in varias opiniones. Quidam enim dicunt per talia flagella ita nos satisfacere, vt tamen tota ratio satisfaciendi se teneat ex parte actuum voluntatis, per quos ea acceptatur. Pro qua sententia Suarius supra refert Richardum & Gabrielem; P. Vasquez videtur etiam eis fauere ea quæst. 94. art. 1. Hanc reiicit Suarez supra & Lugo sect. 5. ex Tridentino, quòd non solùm dixit per patientiam, sed per flagella ipsa nos satisfacere: quòd enim per actum internum satisfaciamus, nihil habet speciale præ aliis actibus, quibus satisfacimus, per amorem scilicet inimicorum, per gratiarum actiones Deo ob beneficia accepta, per orationes, &c. ergo in ipsis flagellis aliquid singulare Tridentinum inuenit. Nos consequenter ad doctrinam suprà traditam faciliùs; id reiiciemus: nam actus ipse voluntatis acceptans eas pœnas, cùm totus occupetur in merendo augmento gloriæ, & gratiæ, non potest esse satisfactorius; ergo debemus recurrere vel ad ipsa flagella & pœnalitates exteriores, vel certè ad alios actus interiores non liberos & pœnales, ortos ex illa patientia.

Varia sententia de satisfactione per flagella à Deo inflicta. Prima.

Quomodo afflictiones à Deo immissæ sint satisfactoria.

Deinde contra hanc sententiam militat tota ratio à priori à nobis facta, quòd scilicet nos non satisfaciamus per similes passiones, quatenus liberè à nobis procedunt, sed quatenus ipsæ in se pertinent ad genus satisfactionis, & dignificantur per actum nostrum liberum: quæ dignificatio potest eis prouenire ab acceptatione libera earum, quia & hæc acceptatio potest esse actus supernaturalis bonus moraliter, & tam bonus quàm sit alter, quo ego ipse in me causso similes pœnas; non est ergo cur minùs illæ toleratæ patienter satisfaciant, quàm si caussarentur positiuè à nobis ipsis.

Secunda sententia docet, per flagella exteriora remitti pœnam tamquam per vindictam & punitionem ab ipso Iudice immissam, per interiores verò actus vt per veram satisfactionem. Quæ sententia quoad primam partem fortè alicui videretur coincidere in nostram, quia semper insinuauimus, opera nostra esse in eodem genere satispassionis, ideóque non esse necessarium illa nobis esse libera, seu à nobis caussata. Verùm (vt ab hoc vltimo incipiamus) nos quidem in eis operibus aliquid ponimus de satispassione, at non ideò negamus veram satisfactionem; quia ea satispassio in hoc genere est leuissima, ac proinde non potest habere rationem propriæ satispassionis; eius autem defectus suppletur per dignificationem à gratia & à libera acceptatione subiecti, seu ab actu honesto, quo homo in se positiuè caussat eos dolores, longè ergo differimus ab eis Auctoribus: quorum sententia reijcienda inde est, quia in ipsa actione interiori libera nulla est satisfactio vt ostensum est; ergo debet reperiri in eis exterioribus pœnis. Secundò ratione à priori facta supra, quòd passio non quà à nobis procedit est satisfactoria, sed quatenus, est in genere passionis, & in eo eleuatur per actum supernaturalem & per gratiam hominis iusti illam tolerantis: quæ tria tam bene reperiuntur in honesta acceptatione quàm in honesta caussatione earum pœnarum.

8 *Secunda.*

Satispassio reperta in afflictionibus huius vitæ valdè exigua, ac proinde recurrendum ad satisfactionem ortã ab actu supernaturali.

Tertia ergo sententia est Suarez & Lugo, qui *Tertia.*
cùm benè doceant ea flagella esse satisfactoria, rationem tamen illius inde desumunt, quòd per liberam nostram acceptationem illa fiant quasi propria nostra, seu quasi à nobis in nobis caussata; fiunt enim quasi nobis voluntaria, dum consentiendo in illam punitionem offerimus nos ipsos quasi ad cooperandum positiuè; vel quia voluntariè abstinemus ab illis remediis, quibus solet minui pœna; qualia sunt indignatio, querela, impatientia, &c.

Ego (vt sæpè ad alia propósita dixi) non libenter res solitas Theologicas per allegoricas tamtùm similitudines explico, multò minus per verba quæ parum de re continent. Id quod in præsenti applicari omnino debet. Nam totum hoc quod est dicere, fieri proprias eas passiones, fieri voluntarias, nos ad illas quasi cooperari, &c. est pura puta phrasis, quæ nullam aliam realitatem in eis actibus ponit quàm rationem acceptationis liberæ. Quòd verò in secunda explicatione addebatur, hominem per eam patientiam cohibere illa remedia aliquo modo peccaminosa, quibus posset lenire aliqualiter dolores illos; vt sunt gemitus, indignationes, &c. hoc inquam habet aliquid plus de re ipsa. Id tamen totum iam procedit ab ipso patiente, ac proinde libenter omnes illi, qui eis flagellis negant rationem satisfactionis, illam concedent eis compressionibus interioribus querelarum, gemituum, &c. quia illæ compressiones sunt valdè pœnales, & illæ totæ quantæ procedunt ab ipso homine; ergo per illas satisfaciet. At per hoc nihil infertur de ipso physico dolore immisso à Deo,

9

Quæ ipsa dicantur afflictiones à Deo immisso fieri propria patienter eas tolerantis: & vnde fiant satisfactoria.

Deo, saltem quoad primum esse. Nam si per eos gemitus poterât minui tales dolores aliquo modo, iam eo ipso illa non-diminutio erit propriè voluntaria, ac procedet ab eo homine; per hoc tamen adhuc nihil explicatur de tota substantia eius dolotis, qui nec per gemitus, nec al o modo poterat tolli; & quæ proinde numquam est voluntaria ei homini, nisi allegoricè id quod ad veram & realem satisfactionem non videtur sufficiens. Non est ergo, cur ad has allegorias recurramus, cùm (vti dixi) facilè & clarè id explicemus per hoc, quod illi dolores in se sunt nobis æquè difficiles, siue à Deo siue à nobis causentur, ac proinde æqualiter sint in eodem genere dolorum cum pœna Purgatorij; vt verò illi significentur per gratiam hominis patientis, & per actum illum generosum acceptationis, est omnino per accidens, quod ipse homo illos causarit nécne; ergo non recurrendo ad causalitatem nostram res tota declaratur

10 *Soluuntur obiectiones.*

Videamus iam quid possit obiici ad probandum, per pœnas à Deo immissas non posse esse satisfactionem: Primò dicunt Concilium Tridentinum docere, in hoc genere satisfactionis elucere magis bonitatem Dei & eius munificentiæ largitatem: Atqui, vti nos explicuimus suprà hanc satisfactionem, non videtur maior esse difficultas quã in satisfactione per pœnas quas ipsi nobis infligimus, cum semper inculcauerimus, & dolorem esse eumdem, & dignificationem à voluntate acceptante esse etiam eamdé; vnde diximus hanc difficultatem non esse tantam, quanta ab aliquibus iudicatur Respondeo, Ideò id à Concilio dictum, quia hæ pœnæ temporales cum proueniant sæpè ex concursu naturali causarum, aliquando etiam ex nostris excessibus, licet posteà ex se habeant dignitatem radicalem, quando liberè acceptantur, minùs tamen ordinantur, aut fortè ex se nullo modo ad satisfaciendum; ideò maior est liberalitas Dei eas acceptare quàm alias à nobis electas? quæ licet non sint magis pœnales, quia tamé procedunt ex voluntate nostra eas dirigente ad satisfactionem, saltem virtualiter habent maiorem proportionem vt acceptentur. Dixi *virtualiter*, quia non est necessum vt expressè homo velit satisfacere, quando facit opus pœnale ad hoc, vt re ipsa satisfaciat: sicut nec vt mereatur, necessum est vt velit expressè mereri. Potest etiam ea ratio addi, quòd ceteris paribus maioris sit meriti voluntariè sibi eas pœnas infligere, quàm inflictas patienter tolerare, eò quòd cũ has homo virare non possit, non adeò suam ingenuitatem ostẽdit faciendo, vt dici solet, ex necessitate virtutem, quàm si nulla constrictus necessitate eas voluntariè ipse sibi imponeret. Ex quo capite maius est etiam fundamentum, vt Deus qui alioquin non tenebatur illas acceptare in satisfactionem, dignetur tamen hic & nũc id præstare ideò in aliis, vbi titulus hic deficit, magis Deus ostendit suam liberalitatem.

Cur flagella à Deo immissa sint magis satisfactoria quàm pœna voluntaria ceteris paribus.

11 Secundò obiicies; Ergo etiam in Purgatorio, dum iustorum animæ liberè acceptant dolores illis à Deo immissos, dignificabunt illos ad multò maiorem valorem, ita vt vna hora v.g. illius vehementis pœnæ dignificata per liberam acptationem æquiualeat multis diebus eiusdem pœnæ toleratæ sine voluntaria acceptatione; & consequenter non per satisspassionem putam, sed etiam per satisfactionem ibi extinguent debitum pœnæ: id quod videtur esse contra communem sensum: imò si aliquis magnus dolor in hac vita patienter toleratus æquiualet aliquo modo toti pœnæ Purgatorij, certe vel vnicus quadrans illius doloris incredibiliter maioris quam nostri sint, eo ipso quod significetur & eleuetur à gratia & libera acceptatione, videbitur extincturus omne debitum pœnæ temporalis. Respondeo concedendo libenter, illos dolores ita dignificatos in Purgatorio habere qui dẽ valorẽ vt posset breuissimo tempore omnem pœnam extinguere, si Deus vellet illos acceptare, sicut etiam habent magnam condignitatem ad præmium propter supernaturalem acceptationem liberam gratia informatam; sicut ergo Deus hoc non obstante non acceptat eam voluntatem ad præmium, ita etiam dico, eum non acceptare illam voluntatem in ordine ad dignificandam pœnam, seu ad extollendam illam ad maiorem valorem; id quod potest sine vlla iniuria Deus facere sicut potest in merito; quia (vt supra dixi) illa opera habent quidem condignitatem, non tamen obligant Deum ad acceptanda; illa solam ergo eam pœnam ibi acceptat secundum physicum dolorem illius, & vt purè satisspassiuam; quo respondetur obiectioni factæ negando illationes illius.

Cur pœnæ Purgatorij passiuè tolerata non sint satisfactoria

SVBSECTIO SECVNDA.

Aliqua dubia circa præsentem doctrinam.

12 PRimò quæres, an ad eã satisfactionem sufficiat hominem se habere pure omissiuè circa has pœnas Respondeo. Si dicamus cum aliquibus puram omissionem liberam esse posse meritoriam, consequenter dicendum, per eam omissionem impatientiæ posse dignificari illos labores ad satisfactionem Quod si iuxta meam sententiam negantem meritum ei omissioni loquendum sit eadem consequentia negandũ erit talem hominẽ tunc satisfacere purè omittendo

Quamdiu duratio doloris sit satisfactoria.

Secundò quæres, An satisfactio crescat per durationem pœnarum, etiamsi actus patientiæ à quo diximus eas dignificari, non duret toto eo tempore quo illi dolores durant: iacet v.g. quis in grauissimis calculi aut podagræ doloribus, quos patientissimè suffert; sæpe tamé cessat ab interioribus actibus bonis, dolor nihilominus protrahitur: quærimus, An ille per eam protractionem doloris satisfaciat: Respondetur, Quamdiu vi præcedentis actus durat patiens tolerantia illorum, non dubium quin satisfaciat quia tunc moraliter influit illa præcedens volitio. Addit Lugo: Etiamsi homo ille sit distractus & dormiat, eum satisfacturum, quia per præcedentem actum non reuocatum factus est æquialenter causa eorum dolorum. Ego tamen censeo hic esse omnino necessariam distinctionem aliquam: vel enim ille homo dormiens aut distractus esto morali careat libertate, sentit tamen physicos dolores ita, vt verè patiatur, vel non: si non sentit eos dolores non puto posse probabiliter dici, quòd tunc satisfaciat, quia reuera, & in rigore loquendo, tunc non sunt dolores: quia dolor est actus sensationis, quem supponimus tunc non esse. Poterit quidem esse humor in pede: aut calor febrilis etiam in dormiente: at dolor & pœnalitas nulla erit, si non sit sensatio: id quod maximè locum habet, si tunc temporis natura ipsa non debilitetur magis, nec reddatur per hoc minùs potens ad tolerandos

lerandos deinde dolores in vigilia; quia tunc ille somnus potiùs debet reputari quies à labore. Si verò (vt sæpè contingit) etiam dormiens aut semidormiens sentiat eos dolores; esto moralem libertatem non habeat, omnino iudico cum Cardinali fore tunc satisfactionem veram; quia illa acceptatio præcedès extendit se ad durationem totam, & virtualiter adhuc censetur durare per ipsam dolorum continuationem.

13 *An flagella ex causis secundis profluentia sint etiã satisfactoria, si patienter ferantur.*

Quæres, Vtrùm hæc conclusio sit intelligenda etiam de flagellis, quæ non sunt à Deo immissa in satisfactionem, sed proueniunt ex aliis causis naturalibus. Respondetur affirmatiuè, Si patientia in eis interueniat. Probat id Lugo, quia omnia ea flagella veniunt ex voluntate Dei, qui licet ad actum malum interiorem, quo Petus v.g. me vult percutere, & qui est propriè peccatum, non concurrat Deus nisi permissiuè, ad actum tamen exteriorem concurrit positiuè: ergo homo patienter eos labores tolerans accommodat se diuinæ voluntati: ergo satisfacit. Ego tamen iudico non esse necessarium ad eam causalitatem recurrere; imò, si per impossibile daremus Deo inscio immitti nobis tales dolores, adhuc puto eos fore satisfactorios, quia per illos (iuxta dicta suprà) in primis homo non minùs torquetur, quam si immissi essent à Deo, vt ex terminis constat. Deinde actus ille eos offerens Deo, patienter esset tam bonus quàm nunc; imò quodammodo magis eluceret tunc virtus patientiæ, quia difficilius esset tolerare id quod ab homine Deo omnino inscio veniret, quàm si sciremus Deum ipsum, qui infinitum habet ius, & infinitè nos amet, illos immittere; ergo etiam tunc haberent valorem ad satisfaciendum sufficientem. Fateor quidem, quando homo apprehendit dolores illos vt ex Deo pendentes, esse locum vt possit exerceri quidam actus honestus (vltra actus patientiæ) quo homo se diuinæ voluntati conformet: quem actum non potest habere, si eos dolores præter intentionem Dei euenisse iudicat; quia tamen nos diximus suprà, satisfactionem non fieri per actus interiores, non adderetur eo casu per illum actum noua satisfactio, sed sola illius significatio. An autem eadem passio, quando significatur nobiliori actu, sit etiam maioris efficaciæ, infrà dicam. Quidquid ergo de eo actu sit, & an inde augeatur satisfactio, satis est nobis posse tales pœnalitates, etiamsi non concipiantur vt à Deo immissæ, esse satisfactorias.

14 *An & quomodo dari possit satisfactio in hac vita cum impatientia tolerantia.*

Circa quod quæri potest Quartò, Vtrùm si Deus animo puniendi hominem pro peccatis pœnam aliquam Purgatorij permutet pro sua voluntate in dolores v.g. graues colicæ, podagræ dentium, &c. & homo eos sine libertate morali, aut (quod grauius est) impatienter aliquo modo toleret, satisfaciat seu satisfaciatur reipsa per illos. Respondeo, Iuxta mea principia certissimum esse, talem satisfactionem, quia dixi etiam in inferno esse satisfactionem pro pœna venialibus debita. Id quod etiam in præsenti materia admittit benè Cardinalis Lugo cum duplici limitatione: Prima, quod non satisfaciatur vltrà quàm re ipsa physicè æquiualeant hæ pœnæ: cuius ratio est clarissima, quia satisfactio non extinguit debitum pœnæ per dignitatem moralem, sed per æqualitatem seu identitatem cum ipsa pœna debita; quomodo autem pœna huius vitæ possit habere æqualitatem cum aliqua parte alterius ibi disputat: de quo ego non sum valdè solicitus. Primò, quia saltem concipere possumus, quòd grauissimi & diuturnissimi huius vitæ dolores æquiualebunt vni quadranti aut quatuor instantibus alterius vitæ: & in illis habet locum tota nostra doctrina (vt ibi ostendit benè idem Auctor). Secundò, ideò nõ sum solicitus, quia Deus, ad quem spectat determinare pœnas, potest pro suo libitu determinate homini loco pœnæ Purgatorij dolores grauissimos huius vitæ: quo posito licet in hac designatione fuerit liberalitas Dei, quia non tantum determinauit quantum potèrat: postèa tamen homo eos dolores tolerans ex toto rigore iuris pateretur, & ibi perfectissimè haberet locum nostra conclusio: vt si iudex humanus potens reum damnare ad mortem facit illi eam gratiam, vt sit contentus, si cædatur virgis, sine dubio supposito eo fauore, dum cæditur virgis perfectissimè satisfaciat.

15 *Quid si impatientia ipsa sit peccatum mortale.*

Secunda conditio, quam ibi Lugo requirit ad eam satisfactionem, est, vt ille homo non patiatur eas pœnas cum impatientia, quæ sit mortalis: quia dum quis est in mortali non satisfacit. Hæc tamen conditio est quidem posita iuxta huius Auctoris principia, quòd in inferno nõ sit satisfactio: absolutè tamen eam non iudico veram, quia (vt ostendimus eo Tomo 3.) non est necessaria ad satisfaciendum voluntaria acceptatio aut status gratiæ: quia in inferno, vbi semper noua & noua peccata damnati committunt, datur satisfactio: ratio autem est, quã sæpè dixi, quia satisfactio non extinguit pœnas debitas per dignitatem moralem, sed per identitatem cum pœna determinata à iudice: ergo cum hæc toleratur, ex integro fit satisfactio: quòd autem tunc noua committat peccata ille reus, facit quidem vt prometeatur nouam pœnam, non tamen respondentem antiquo peccato: nam illud non fit iam in se aut dignius maiori pœna aut grauius (vt ex terminis patet:) & clariùs id habet locum: quando illud iam est quoad culpam remissum: vbi euidentissimum est, illud non fieri maius per impatientiam & per peccatum graue nouum ergo illi nõ potest deberi maior pœna per hoc, quòd ego committam aliud nouum, esto me reddam dignum noua & fortè maiori pœna ob nouum peccatum. Vbi Cardinalis Lugo aliquantulum deseruisse videtur consequentiam suæ doctrinæ: ait enim, Si tamen homo nõ peccet nisi venialiter in ea impatientia, posse satisfacti pro antiquo peccato, esto nouam augeat dignitatem pœnæ. Hanc doctrinam dico non satis cohærere cum his quæ idem Auctor tradit agens, An in inferno damnati satisfaciantur pro venialibus, & pro pœna debita mortalibus iam dimissis: ait enim, eos ideò non satisfacere, quia pœna illa debet accipi voluntariè: ac proinde quãdiu illi eam patienter non tolerant, non satisfaciunt. Cùm hac ratione, quam ego ibi reieci, nullo modo cohæret præsens doctrina, in qua admittitur satisfactio, etiamsi homo non toleret patienter pœnam: impatientia enim & resistentia etiam potest in veniali peccato reperiri: nos maiori cum consequentia vtrobique discutimus. Quidquid verò de consequentia sit, contra hanc vltimam nostram doctrinam de satisfactione obiicit Vasquez suprà dub. 7. num. 6. sequi ex illa, per talem passionem ex opere operato extingui pœnam instar Sacramenti: quod videtur absurdum. Optimè hoc argumentum reiicit ibi Lugo, quia Sacramenta ex opere operato

Cardinalis Lugo parum consequenter locutus.

causare

causare gratiam,aut remittere pœnam consistit in eo,quòd causent plus quàm ipsæ actiones in se valeant: at in præsenti passio non aliud causat quàm formaliter extinguere pœnam sibi æqualem:sicut qui dat creditori quatuor nummos quos debebat, extinguit debitum eorum quatuor nummorum, vbi nec vestigium est de opere operatò,Vti etiam in Purgatorio animæ satispatiuntur,neque tamen est ibi quidquam de eodem opere operato.

SECTIO III.

Quomodo per orationes satisfaciamus.

16 QVÆRIMVS, Vtrùm per orationes immediatè possimus impetrare remissionem pœnæ temporalis,sicut possumus impetrare auxilia supernaturalia & bona etiam temporalia.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia negans proponitur.

Suarez ineffi-caciter probat per orationes non nõ satisfacere pro pœnis temporalibus.

PAter Suarez suprà sect.1. negat, motus auctoritate D.Augustini Sermone 3. de Tempore, docentis nihil nobis prodesse deprecari nisi faciamus fructus dignos pœnitentiæ. Hoc tamen testimonium parum vrget, quia ibi loquitur Augustinus de remissione culpæ,quæ non datur per orationes immediatè,sed propter pœnitentiam & dispositionem ipsius peccatoris. Repliçat Suarez, eamdem esse rationem de remissione pœnæ. Sed contra,quia,quidquid de hoc sit, illud saltem habemus, ab Augustino de pœna nihil doceri:vtrùm autem sit eadem ratio de culpa, infrà dicemus, breuiter tamen dico non esse, alioquin sicut non possum applicare pro altero meam pœnitentiam ad delendam maculam peccati, ita nec possem meam satisfactionem:quod est hæreticum.

17 Secundò mouetur Suarez, quia lex diuinæ iustitiæ petit, ne relinquantur impunita peccata; ergo sine actuali satisfactione non remittitur pœna solùm propter orationem. Neque hæc ratio vrget:non enim manerent tunc inulta peccata:quia per orationes nostras possumus immediatè obtinere à Deo vt applicetur nobis aut proximo satisfactio Christi, quæ est condigna pro pœna.Sicut enim non manent multa peccata, quando per Sacramenta remittuntur; ita si ad orationem nostram moueatur Deus intuitu satisfactionis Christi, nihil manebit inultum. Confirmatur;Nam quando per Indulgentias & Sacrificium Missæ,ac per alia Sacramenta nobis ex opere operato applicatur satisfactio pro pœna, non manent inulta peccata ergo,&c. Ratio à priori desumitur ex dictis;nam licet nihil soluamus ex parte nostra, aliunde tamen soluitur, ideò licet respectu nostri sit ea condonatio gratuita, non tamen absolutè loquendo.

Tertium fundamentum illius est,Gratia non datur immediatè propter orationem, ergo nec remissio pœnæ.Respondeo, Non valere consequentiam:quia cùm hæc omnia pendeant ex voluntate Dei, potuit velle dare immediatè remissionem pœnæ,licet non dederit gratiam. Hanc autem consequentiam necessariò debet ipse Suarez fateri esse nullam; nam (vt in simili immediatè antè dixi de pœnitentia)nunc dico de augmento gratiæ: hanc enim applicare ego non possum proximo, possum autem satisfactiones. Lugo suprà num.33 hanc reddit disparitatem, quod cùm gratia sit mensura gloriæ, oportuit pro omnibus esse certam regulam eam augendi, ne posset subesse aliqua species querelæ in Beatis,si quis haberet maiorem gloriam qui merebatur minorem. Hæc ratio meo iudicio habet contra se multas instantias:nec videtur in ea satis dignè de Beatis sentiri.Et in primis,si querelis ibi locus esset, nonne possent conqueri, quòd Deus plura vni dederit auxilia efficacia ad augendum eam gratiam quàm alteri,quòd vitam diutiùs protraxerit vni quàm alteri, cùm inde maiora merita,& consequenter intensiorem gloriam habuerit? Deinde Apostolis sine dubio in Festo Pentecostes,fortè etiam ipso die vocationis data est gratia independenter à meritis, & haud dubiè in grandi mensura. Tertiò probabiliter longè maior datur nunc infantibus per Baptismum quàm olim per circumcisionem & tamen non ideò conquerentur infantes Iudæi, quòd minus habeant gratiæ.Quartò, in sententia huius Auctoris docentis, species Sacramentales, quamdiu manent in stomacho, causare nouam gratiam,si adsit noua dispositio. Eamdem ego inueniam & fortè maiorem occasionem querelarum: da hominem habentem stomachum,qui in momento concoquit omnia:da alterum debilis stomachi. vterque habet æqualem dispositionem & gratiam habitualem: vterque in ea bona dispositione æqualiter etiam durat post Communionem,ille tamen qui fortiorem habuerit vim concoctiuam citiùs concoxit species;ideò esto æqualiter per omnia dispositus fuerit,minus tamen gratiæ ex opere operato accepit quàm alter:nonne ergo posset hic maiori titulo conqueri,quòd ob saniorem & fortiorem stomachum minus gratiæ acceperit, cùm fuerit in omnibus aliis æqualis? Profectò incomparabiliter maior hæc est occasio querelarum quam dicere, Cur alteri oranti meliùs quàm egò dedisti plus de gratia quàm mihi?Etenim responderi hic posset:Tua hæc est culpa quòd tam benè non orasti:ibi autem non posset dici, Tua culpa fuit, quòd tam citò species fuerint corruptæ in tuo stomacho:hoc enim ipse non potuit impedire. Vides ergo, quod dixi, rationem illam habere multas instantias contra se:iam autem ostendo in ea minùs benè videri sentiri de Beatis:illi enim vti sciunt valdè clarè & perfectè se omnia omnino à Deo liberaliter accepisse,& posse Deum eis respondere quod olim operariis: *Amice tolle quod tuum est,& vade: volo huic dare sicut & tibi*: remoti valdè sunt ab omni vel vmbra earum querelarum. Maximè autem in hoc casu planè cessaret omnis ratio, eò quòd Deus non omnia pro sua libera determinatione,sed attenta oratione eorum iustorum eis gratiam dedisset: vti idem Auctor admittit per orationes obtineri liberationem à pœna Purgatorij:& tamen non ideò animæ in Purgatorio habent querelas contra Deum,quòd citiùs hæc quàm illa sit liberata:ergo ea ratio non est sufficiens;sed totum hoc debet reduci in diuinam voluntatem:vt enim suprà diximus, constat nobis gratiam non nisi per merita & Sacramenta concedi:de aliis verò donis non constat ea limitatio.

Neque efficaciter idem probat Cardinalis Lugo. Vbi, An Sanctæ pueri possent si per orationes fierent satisfactiones. 18

Alia sequuntur Patris sub rez nihilo efficaciora. 19

Obiicit tamen adhuc Suarez contrà orationes Beatorum pro ea immediata liberatione: quia cùm

Matth. 20.

cùm videant Beati hunc modum liberandi non esse diuinæ iustitiæ consentaneum, non est probabile eos id petere. Respondeo, In hac obiectione supponi a Suario id de quo tota est disputatio, Vtrùm scilicet id sit diuinæ iustitiæ consentaneum; etenim si verum sit non esse consentaneum, procul dubio nec nos nec Beati id petemus; prius ergo deberet id probare. Nos enim id negamus, vt in solutione prioris argumenti dixi; nam sicut esto animæ Purgatorij sint iam in statu, in quo iustitiæ æquitas seruanda potiùs est quàm gratia, nihilominùs sunt adhuc capaces vt fiat eis gratia, qua applicentur eis merita Christi; cur etiam & hæc alia eis fieri non poterit, cùm, si res benè consideretur, ipsæ animæ, dummodò inde liberentur, non multùm curent, vtrùm ea liberatio fiat per applicationem alienæ satisfactionis, an sine illa.

20 *An periculū sit euacuandi statim Purgatorij, si orationes Sanctorum pro animabus satis faciant.*

Secundò timet Suarez, ne si precibus id possint obtinere Beati, cum alioquin potentes illi valdè sint apud Deum, facilè Purgatorium euacuent: id quod confirmat ex D. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 3. art. 3. ad 6. vbi cùm obiecisset sibi, si Sancti pro animabus orant, ergo hæ facilè liberabuntur à Purgatorio: respondet in hæc verba; *Suffragia Ecclesiæ sunt per modum satisfactionis aliena defunctis, & secundùm hoc mortuos a pœna absoluunt, quàm non soluerunt; sed Sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi, & ideo non est simile de eorum orationibus & de suffragiis Ecclesiæ.* Vbi Sanctus Doctor videtur insinuare, cùm Sancti non possint transferendo in animas Purgatorij suas satisfactiones eas liberare, non sufficere eorum orationes ad immediatè eas liberandas à pœna. Respondeo, Mihi videri hoc secundum argumentum planè eodem modo esse contra Suarium ac contra nos: etenim siue mediatè siue immediatè Sancti orent pro animabus Purgatorij: ergo si tantam habent vim eorum orationes, saltem mediatè euacuabunt Purgatorium, in quo non minùs est inconueniens quàm quòd euacuent illud immediatè. Quòd si ideò dicatur eos non semper exaudiri dum immediatè petunt, vt nos offeramus sufficientes satisfactiones pro illis animabus: eodem modo dici potest eos non semper exaudiri, dum immediatè petunt pœnæ remissionem. Secundò in ea obiectione mihi videtur Suarez adducere testimonium D. Thomæ contra se: nam (vt infrà dicemus) admittit Suarez Sanctos applicare suas antiquas satisfactiones sibi residuas; hoc autem ipsum D Thomas negat citatis verbis. Absolutè ergo respondeo, Non semper eas orationes exaudiri, ideóque non esse periculum euacuationis Purgatorij. Quæ solutio maximè habet locum iuxta ea quæ D. Thomas toto eo articulo, quem Suarius citat, tradit: ibi enim supponit Sanctos non alia petere, nisi quæ vident Deo placere; si ergo Deo non placet (vti ab effectu possumus colligere nō placere) quòd euacuetur totum Purgatorium, tunc id non petent, ac proinde cessabit illud periculum. Ad Diui Thomæ testimonium respondeo, Illum in ea solutione obscurissimè respondere: nam in argumento sexto, cui ibi respondet, supposuerat Sanctos eodem modo orāre pro nobis quo pro animabus Purgatorij, & è contrario: vnde inferebatur, Quòd si impetrant nobis, etiam debent illis impetrare. Huic difficultati non respondet D. Thomas verbum, neque assignat disparitatem inter orationes pro nobis & orationes pro animabus. Deinde sicutex eo quòd Sancti orent pro animabus inferebatur, Suffragia Ecclesiæ non fore necessaria, ita videbatur inferri, Si Sancti orant pro nobis, non futuras necessarias orationes nostras etiam pro nobis. Huic etiam illationi nihil respondet Sanctus Doctor. Denique neque absolutè negat illos orare: neque ostendit, an exaudiantur nécne, quidve petant pro animabus, aut quomodo; sed purè putè ait illos non satisfacere pro animabus, ideóque esse de illis disparem rationem quàm sit de suffragiis. Ego putarem D. Thomam, dum concludit, *Et ideo non est similis ratio de eorum orationibus & de suffragiis Ecclesiæ*, posse ita intelligi, vt nequaquam neget Sanctos orare, & sæpè exaudiri, sed quia illi non applicant suas satisfactiones sicut nos, non obtinere infallibiliter suum intentum, sicut è contrario illud obtinent nostra suffragia: id quod nos etiam libentissimè fatemur.

Obscurum D Thomæ locum explicatur de satisfactione per orationes Sanctorū.

Argumentatur Tertiò Suarez: Ecclesia ita in Sacris pro defunctis orat, vt illi liberentur à pœnis inferni: sic enim orat, *Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus*, &c. sicut orat vt liberentur à pœnis Purgatorij: ergo sicut Ecclesia non petit vt liberentur à pœnis inferni nisi repræsentando tempus ante mortem, & petendo vt per vias ordinarias illæ liberentur; ita dicendum est, non petere vt liberentur ab eis Purgatorij pœnis, nisi per vias ordinarias satisfactionis aut suffragiorum. Respondeo, Hanc consequentiam esse nullam, propter illa quæ diximus supra: quòd scilicet res hæc tota sit dependens à voluntate diuina, ac proinde non posse nos meliùs de illa quam ex auctoritate & sensu Ecclesiæ discurrere: quòd ergo peccata non remittantur, nisi homo agat pœnitentiam, habemus expresse multis in locis ab Ecclesia definitum: quid ergo mirum, si orationes illas Ecclesiæ circa pœnas inferni cogamur explicare, vt non petat homines liberari ab illis nisi media pœnitētia? At, vt dicamus preces nostras & Ecclesiæ non valere pro ea condonatione pœnæ Purgatorij, nullum habemus solidum fundamētum; è contrario autem ipsæ orationes Ecclesiæ satis hoc nobis insinuant; explicationes autem Patris Suarez (vt vidimus) sunt aliquantulum violentæ. cur ergo hoc non admittemus, cùm etiam alia, quæ fortasse sunt maioris momenti in ordine gratiæ, dentur nobis immediatè per orationes, vti auxilia efficacia ad non peccandum, vel ad exeundum à peccato, in quibus longè plus est positum quàm in anticipatione liberationis à Purgatorio. Vnde formo hoc argumentum: Non habemus fundamentum ad dicendum auxilia efficacia cadere sub orationem, non autem hanc remissionem; ergo debemus æqualiter de vtrisque iudicare.

22 *Quo sensu potest Ecclesia liberare animas à pœnis inferni.*

Dixi paulò antè, pro animabus Purgatorij idem esse quòd ad orationes siue Beatorum, siue viatorum liberentur immediatè aut certè applicatis prius satisfactionibus Christi. Nunc ergo interrogabit aliquis, quo ex his duobus modis reipsa id fiat. Respondeo, Rem esse omnino incertam; probabile tamen est fieri per applicationem satisfactionum Christi. Per quam doctrinam respondetur adhuc faciliùs præcipuo argumento Patris Suarez, timentis ne illa peccata manerent impunita, seu sine solutione eo enim ipso quòd dicamus applicari eas satisfactiones Christi, iam est perfecta solutio non minùs quam

23 *Probabile est ad nostras preces vel Beatorū pro purgantibus animabus illis applicari Christi satisfactionem.*

quàm dum fit applicatio priuata per suffragia aut per Indulgentias à Pontifice. Deinde in hac sententia tribuimus Christo maiorem influxum in illarum animarum liberationem, dum per ipsius satisfactionem immediate illæ liberantur. Denique pro nostro intento idem est, quia non aliud intendimus quàm quòd per orationes tam Beatorum quàm viatorum detur remissio, non attenta satisfactione orationis, & sine applicatione Indulgentiarum per Pontificem. Circa quod punctum illud vltimò aduerto, eas orationes non habere infallibilitatem, sed aliquando exaudiri, aliquando non: id quod proprium est orationi, quidcumque per eam petatur.

SVBSECTIO SECVNDA.

Defenditur sententia affirmans.

24 *Per orationes potest immediatè impetrari remissio pœnæ.*

IDeò secunda sententia, quæ admittit posse per orationes obtineri immediatè remissionẽ pœnæ, mihi videtur probabilior: quam etiam tenet Lugo ibi; & Suarez eam dicit probabilem & piam disp.48 sect.5. imò addit, & fortè est vera; loquitur autem de impetratione pro aliis, quàm adhuc dicit difficiliorem quàm sit impetratio pro nobis, quia (iuxta Augustinum) faciliùs in materia spirituali homines ceteris paribus exaudiuntur pro se quàm pro aliis; ergo à fortiori erit probabile, & fortè verum ex sententia ipsius Suarez, quòd possimus nobis per orationes impetrare eam remissionem: refert autem pro ea sententia de impetratione pro aliis Caiẽtanum, Sotum, Durandum, Canum & Nauarrum. Hanc Lugo probat, eò quòd Beatissima Virgo & alij Sancti in cælo orent pro ea remissione. Vnde Ecclesia in Collecta pro defunctis dicit B. MARIA *semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis*, &c. & aliquæ extant reuelationes, in quibus dicitur B. Virginem liberasse suis precibus animas à Purgatorio: ac de B. Lutgarda tradit Suarius, quòd moriens secum multas eduxerit animas è Purgatorio ad cælum suis precibus liberatas, & Christus ipse resurgens multas liberauit, quæ nondum ex integro satisfecerant. Deinde in Catechismo Romano traditur Confessarium posse pœnitenti imponere in satisfactionem vt oret pro defunctis, quo casu non priuatur pœnitens vllo modo sua satisfactione, cùm potiùs ea imponatur in remissionem pœnæ pro peccatis propriis: ergo tunc illæ preces non per modum suffragij, sed impetrando immediatè remissionem pœnæ prosunt defunctis, pro quibus ille debet orare

25

Hæc argumenta ponit ibi Lugo non magis examinata, ea tamen omnia posuerat iam contra se Suarez, eisque responderat; vnde vel oportet Suarij solutiones reiicere, vel aliter nostram sententiam confirmare. Priùs verò quàm solutiones eas impugnemus, addi posset noua præcedentium confirmatio: videtur enim esse è sensu totius Ecclesiæ, animas defunctorum iuuari specialiùs per Sacra quæ Defunctorum dicimus, quàm per alia ordinaria, etiamsi applicentur eisdem defunctis; hoc autem speciale iuuamen non potest in valore Sacrificij: in hac enim omnia Sacra sunt inter se paria, nec potest esse in satisfactione ex opere operantis Sacerdotis; quia cùm ea Sacra ordinariè sint longè breuiora, minùs habent de labore, ac proinde minùs de satisfactione propria, quæ possit applicari animabus: vnde potiùs debuisset Ecclesia pro intento hoc instituere aliquod longum & laboriosum Sacrum; sentit ergo Ecclesia & Fideles omnes eis orationibus specialiùs iuuari animas directè, quatenus obtinere possunt illis remissionem pœnæ. His argumentis responderi ex Suario potest, eas preces siue Beatorum, siue viatorum prodesse animabus Purgatorij tribus modis, imò quatuor, non recurrendo ad immediatam remissionem (de qua nunc agimus;) Primò quatenus obtinent à Deo vt acceptentur satisfactiones oblatæ pro animabus: quod maximè habet locum, si dicatur suffragia non habere infallibilitatem. Hæc tamen solutio à Suario non potest tradi, quia ipse paulò pòst sect. scilicet 6. eius disputationis 48. ait eam applicationem habere infallibiliter effectum. Vnde colligitur clarè. Ergo ex hoc capite Sancti nihil efficiunt, quia petunt id quod independenter ab ipsorum orationibus est infallibile. Mirorque à Suario absolutè tradi hanc responsionem, quæ non potest vllo modo esse bona in ipsius sententia. Secundò ergo ait Sanctos orare (& idem est de viuis) vt Deus præbeat viuentibus auxilia efficacia ad satisfaciendum debito modo pro defunctis, vel pro aliis, ita vt efficaciter earum liberationem obtineat. In hac item solutione videtur valdè diuinare: ne enim deserat propriam sententiam, detorquet verba ad sensum valdè alienum à mente Ecclesiæ, quæ non orat tunc, vt Deus ipsemet Ecclesiæ oranti det animum satisfaciẽdi pro defunctis hic enim animus (liceat sic dicere) iam supponitur ab Ecclesia tunc haberi, quandoquidem in acta exercito iã est solicita de ea satisfactione, quã reipsa exhibet satisfaciẽdo & orãdo pro animabus illis ergo aliquid aliud tunc ab ea petitur. Secundò, nemo hucusque concepit, quòd orationes illæ quæ vnicè pro defunctis ordinantur, propriè & directè sint orationes pro ipsis viuis & pro orantibus; nam, iuxta explicationem Suarij, tunc ego directè peterem à Deo vt homines viuos constituat in gratia, & insuper det eis efficacia auxilia ad operandum supernaturaliter quæ duo necessaria sunt formalissimè ad hoc, vt sufficienter & debito modo applicentur nostræ satisfactiones animabus Purgatorij; in iis autem petimus pro viuis longè maius beneficium quàm pro ipsis animabus; nam pro illis tantùm petimus accelerationem aliquam beatitudinis, nobis autem statum gratiæ & supernaturalia opera merentia augmentum æternum eiusdem gratiæ & gloriæ: quod est longè maius bonum quàm acceleratio beatitudinis: quis autem vnquam ita est interpretatus eas orationes, vt dixerit, maximè nos petere pro viuis, etiamsi (liceat sic dicere) sub prætextu mortuorum? Est ergo hæc explicatio orationum valdè præter sensum Ecclesiæ, ac proinde non habet magnam probabilitatem.

Varia solutio P. Suarez reiicitur circa orationes Ecclesiæ pro defunctis.

P. Suarez torquet verba Ecclesiæ.

26

Orantes pro viuis plus petimus quàm orantes pro defunctis.

Respondet Tertiò, Eis orationibus peti vt citiùs quidem liberentur animæ ex Purgatorio, nó tamen remissa pœna, sed compensata intra illud tempus per augmentum dolorum. Verùm & ista explicatio videtur esse præter mentem Fidelium, quia reuerà diminutionem pœnarum petunt, non permutationem, vt cùm quis petit vt condonentur reo pœnæ, aut liberetur, non petit, vt quod per duos dies cum maiori fortè facilitate erat toleraturus, ei totum vnà die duplicato eo dolore infligatur: hoc enim ferè nullum est beneficium: aliquod esse non nego, licet

multi sint qui contrarium sentiant, & malint duobus diebus leuiter pati, quàm vna integra die intensissimè: quidquid tamen de hoc sit, certum est Fideles aliud petere dum pro defunctis orant

27 *Possimo Beatus suas superfluas satisfactiones applicare animæ in Purgatorio.*

Respondet Quartò Suarez verisimile esse Sanctos, qui in hac vita reliquerunt aliquas superabundantes satisfactiones proprias, posse obtinere à Deo vt his vel illis animabus Purgatorij applicentur; cùm enim tales satisfactiones fuerint propriè eius Sancti qui eas in hac vita potuit applicare, si voluisset, non videtur amisisse per mortem & beatitudinis statum hoc ius in eas, poterit ergo illas applicare. Nec inde sequitur obtineri immediatè remissionem pœnæ, sed eo modo quo per suffragia, quæ sunt mea v. g. dum alteri à me applicantur. Hunc quartum modum orandi pro animabus non audet tribuere iustis in hac vita, quia videtur sapere applicationem per Indulgentias: non constat autem factam esse Ecclesiæ generalem concessionem alicuius Indulgentiæ, quæ vi orationum applicetur. Verùm in hoc puncto in primis minùs benè Pater Suarez constituit differentiam inter Beatorum orationes & nostras. Nam licet diceremus hoc idem à nobis peti quod petunt Beati, nihil sequetur de Indulgentiis: etenim Indulgentiæ (vt dicemus) habent suum effectum infallibiliter: hæ autem orationes non. Deinde sicut Beati petunt vt Deus applicet, & tamen ibi non est quidquam de Indulgentiis: nam neque Beati concedunt Indulgentias, ita neque nos concedemus Indulgentias, licet id ipsum petamus. Benè ergo ex hoc capite idem de vtrisque orationibus dici posset. Absolutè autem eam solutionem iudico in toto rigore nõ esse contra nos, quia nunc solùm contendimus, per orationes posse nos obtinere eam liberationem animarum, siue interim Deus eam faciat applicando ad instantiam nostram de thesauro Ecclesiæ, siue alio modo: erit enim hic modus diuersus tum à satisfactione propria, tum à communicatione nostra pro aliis, tum ab Indulgentiis, quarum applicatio non fit nisi à Pontifice. Tertiò dico, Si semel admittamus vi eius orationis Deum liberare animas applicando satisfactiones: non video cur formidet Suarez concedere, quòd liberet immediatè sine vlla alia satisfactione. Constet ergo adhuc argumenta à nobis facta habere suam vim; ac proinde esse probabilius, quòd per imperationem possimus obtinere eam liberationem

An iustus viator id possit.

SECTIO IV.

Vtrùm eadem passio exterior magis satisfaciat, si à nobiliori actu & maiori gratia subiecti significetur.

28 *An maior gratia ceteris paribus condu cat ad maiorem satisfactionem.*

DIFFICVLTAS hæc in solis nostris principiis videtur habere locum; cùm enim diximus actum ipsum interiorem non esse satisfactorium, consequenter non videmur cogi ad dicendum eò magis satisfacere hominem, quò per nobiliorẽ actum imperat exteriorem passionem: quandoquidem non ideò ea passio redditur melior: confirmarique hoc potest exemplo gratiæ habitualis; nam licet hæc sit necessaria ad hoc, vt opus dignificetur ad meritum condignum, non tamen (vt suo loco fusiùs diximus) sequitur, quò maior ea est, eò maius esse meritum; ergo eodem modo debemus in præsenti discurrere. Ex altera verò parte cùm actus ille honestus non solùm transferat passionem externam satisfactoriam de congruo ad satisfactoriam de condigno pro eadem pœna, sed planè efficiat vt quæ nihil nec de congruo quidem mereabatur iam mereatur remissionem vnius diei v. g. profectò si actus ille sit duplo melior, etiam efficiet vt ipsa passio maiorem longe mereatur remissionem pœnæ.

Hoc ipsum potest ostendi Secundò ex Cardinalis Lugo, qui docet, Etiamsi gratia maior subiecti non conduceret ad maius meritum, debere tamen conducere ad maiorem satisfactionẽ, quia dolor personæ nobilioris maioris est momenti quàm dolor inferioris; vnde si Comes aliquis & rusticus committant idem peccatum, numquam tamen tam seuerè punitur Comes quàm rusticus; ergo plus erit hominem magis iustum, ideoque coram Deo magis nobilem, torqueri pœnâ vt octo, quàm si eadem torqueretur infimus iustus. Ex quo capite etiam consequenter docet, minùs pœnæ mereri ceteris paribus iustiorem venialiter peccantem, quam mereatur minùs iustus; ergo ratione maioris gratiæ habitualis debemus dicere, posse esse maiorem satisfactionem stante eadem exteriori pœnalitate. Potest autem hoc idem transferri ad ipsum, actum nobiliorem, quo acceptatur pœnalitas, qui actus ille dignificat ad maiorem gratiam; ergo saltem mediatè dignificabit ad maiorem satisfactionem, etiamsi antecedenter illi duo iusti eamdem habuerint gratiæ intensionem; nam licet gratia concessa per actum non dignificet ipsum actum ad maius præmium, etiam in sententia docentium ex maiori gratia merita crescere, quia cùm supponatur in priori naturæ totum meritum iam perfectum, non potest hoc augeri per nouam gratiam; illa tamen eadem gratia per opus internum data videtur benè posse dignificare opus externum pœnale; quia ordinariè illa volitio præcedit etiam tempore, natura verò ferè semper actionem externam; ergo saltem mediatè ipse nobilior actus meritorius valebit ad maiorem satisfactionem: immediatè autem etiam videtur valiturus, quia ipsam personam operantem reddit nobiliorem coram Deo, ac proinde eius labores debent plus æstimari quàm alterius, qui actu minùs generose operatur.

29 *Maior seu Etiam ceteris paribus non facit peccantem minùs dignũ pœna.*

Ego in hac quæstione primùm censeo, id quod Lugo docet de minori debito pœnæ ratione maioris sanctitatis, esse minùs probabile; de quo etiam egi Tomo 6. de Incarnatione, vbi eam opinionem fusè reieci. Nunc illud addo, si ad illam instantiam ex humanis deberemus attendere, ex ea plus nimio inferri, scilicet hominem iustissimum à gratia cadentem per idem planè peccatum, quo caderet aliquis magnus peccator, puniendum minùs in inferno quàm illum peccatorem (ratione illius peccati præcisè loquor;) hoc autem planè repugnat communi Theologorum sensui & rationi ipsi, quia ex duobus æqualiter mortaliter peccantibus nemo dixit minùs esse puniendum illum qui antè fuerat sanctior; videturque hoc ipsum illatum consequens esse etiam contra illud Ezechielis *In quacumque die peccauerit homo, amplius illius iustitia non recordabuntur*: recordaretur autem Ezech. 18.

sine

sine dubio Deus illatum, si ob illas stante æquè graui peccato minùs eum hominem puniret. Probo iam sequi hoc ex illa instantia: Nam si Comes aliquis v.g. delictum aliquod committat etiam quo amittat suam planè nobilitatem, sicut homo per peccatum amittit gratiam, punitur tamen etiam tunc ob antiquam nobilitatē minùs quàm aliquis homo vilis simile omnino delictum committens: non enim solùm habet locum ea instantia, quando delictum relinquit eum Comitem adhuc in sua antiqua dignitate sed etiam, vt dixi, quando tale est crimen, vt eo ipso vi Legum cadat ex nobilitate, & verò reddatur infamis ipso facto. Nimiùm ergo probat ea similitudo. Absolutè respondi, homines tunc ea de caussa minùs punire reum nobiliorem, quia in tali punitione semper est valdè multum de amissione honoris; quæ amissio sine dubio ceteris paribus auget pœnam incredibiliter: est enim summus pudor, ideóque summa pœna Comitem suspendi, vt quòd carnifex ipse suspenderetur, esset quidem physica pœna, de infamia tamen nil penitus haberet, quia non redditur per eam infamior quàm ante fuerit. Deinde sæpè homines solent in his pœnis infligendis alias considerationes habere in ordine ad amicos & consanguineos eorum reorum, ob quos mitigant semper pœnas. Hæc omnia cessant respectu Dei puientis hominem in Purgatorio & in Inferno; quia non habet considerationem vel ad amicos vel ad statum antiquum imò neque ad præsentem, sed ad pondus ipsius culpæ. Quoad ipsum autem reum in Purgatorio nulla est propriè infamia, neque vlla infligitur illis per modum pœnæ, sed purus dolor physicus, quem tam benè sentit qui pauciores gradus habet gratiæ quàm qui plures; ergo ex hoc capite non est cur inæqualiter puniantur. Fortassis quoad pœnam damni, quam etiam ibi patiuntur animæ iustorum, probabilius dici posset aliquam fieri compensationem in homine iustiore, quia cùm ille speret maiorem gloriam quàm alter, profectò dum hæc ei differtur, maius damnum patitur, & maiorem habere potest dolorem. Verùm licet hoc totum verum sit, non tamen est ad rem præsentem; quia tunc ipsa pœna in se est maior non moraliter ex dignitate, vt hi volebant, sed physicè ex maiori dolore, & ex maiori priuatione; ac proinde ex hoc capite potest fieri, qui iustior est, ceteris patribus compensetur citiùs quam alter: quidquid verò de hoc sit, constet ratione maioris gratiæ non augeri ex hoc capite opus hominis iustioris.

Cur nobilior minùs punitur Legibus humanis quam ignobilis ceteris paribus.

30

An actus nobilior eleuet pœnalitatem ad maiorem satisfactionem ceteris paribus.

Maior potest esse difficultas circa ipsum actum nobiliorem, an eleuet ceteris paribus eamdem pœnalitatem ad maiorem satisfactionem. In qua puto esse id valde probabile ob rationem suprà insinuatem. Potestque assignari disparitas inter maiorem gratiam in ordine ad maius meritum, & nobiliorem actum in ordine ad maiorem satisfactionem; quòd gratia, cùm se habeat quasi mortuo modo, nec possit propriè dici actio creaturæ, nec homo magis inde apud Daum laudabilis; id quod maximè constat, quando ipse homo ignorat quam habeat gratiam, non potest augere meritum ex parte obiecti. At operatio bona ita significat actionem externam, vt ipsa in se sit laudabilis, sit voluntaria, sitque digna, vt coniuncta cum actione externa eo magis eam faciat satisfactoriam, quò in se fuerit nobilior. Fateor quidem eam laudabilitatem & rationem voluntarij eius actus videri sufficienter remuneratam per præmium condignum, (vt suprà diximus) ac proinde hæc solutio solùm vt probabilior à me defenditur; nihilominùs tamen in ordine ad significandam eam pœnalitatem adhuc habet vires, vt suprà etiam ostendimus. Et satis de hac difficultate, quæ valdè nobis incerta est, quia non habemus fundamenta, vnde illam possimus in alterutram partem certò decidere. Vltima circa hanc satisfactionem quæstio est, Vtrùm ea sit de rigore iustitiæ necne. De hoc tamen puncto, suppositis his quæ Tomo 1. & 6. diximus nihil restat dicendum ostendimus enim posse dari inter nos & Deum obligationem ex iustitia, ac proinde cum in præsenti materia supposuerimus, nostram satisfactionem significatam per gratiam habitualem esse æqualem ei remissioni, supposuerimus etiam acceptationem Dei pro ea remissione necessariam; vti in omnibus contractibus (quam pernde citatis locis diximus non aduersari vllo modo toti rigore iustitiæ) non est dubium, quin etiam hæc satisfactio sit de rigore iustitiæ, nec video quid hic amplius desideretur.

31

DISPVTATIO XXIII.

De satisfactione pro alijs, siue de suffragijs.

QVIA hic modus satisfactionis independens omnino est à Sacramento Pœnitentiæ, ideò antequam & de ipso Sacramento & de satisfactione, quatenus est illius pars, quidquam dicamus, explicare oportet hanc difficultatem, de qua Pater Suarez fusè disput. 48. per totam, Lugo disput. 26. Coninch disput 10. & alij in præsenti. Nomine autem suffragiorum pro aliis tam viuis quàm defunctis intelligimus satisfactionem pro pœna temporali applicatam alteri, ita vt remissionem, quam in me v.g. erat alioquin caussatura, causset in altero, cui à me applicatur positis conditionibus, de quibus infrà.

Quid intelligatur nomine suffragiorum.

SECTIO I.

De possibilitate & existentia huius satisfactionis.

PRIMA primam partem de possibilitate satisfaciendi hoc modo pro altero nulla videtur esse difficultas, nam cùm iuxta dicta, detrminare pœnam debitam pro peccatis omnino pertineat ad iudicem humanum in humanis, ad Deum verò ratione peccatorum, profectò eo ipso quòd Deus velit esse contentus vt eam pœnam

Possibilis est satisfactio per suffragia.

nam, quam ego eram soluturus, alius pro me sustineat, non potest esse vlla ratio dubitandi, quin id posset facere. Vtrùm autem ex satisfactio tunc sit de toto rigore iustitiæ, est alia quæstio, de qua nunc non agimus. In hoc primo puncto neque ipsos hæreticos habemus contrarios; nam saltem Christum ipsum de facto fatentur satisfecisse pro nostris peccatis; quoad pœnam tamè post dimissam culpam, quia illi negant vllam manere soluendam inutilem fortassis dicent etiam diuinitus eam satisfactionem: hoc tamen non erit ex eo capite, quod iam nos discutimus; quia etiam habet locum in satisfactione pro seipso: si ergo remaneret pœna, sicut fatentur Christum satisfacere pro alienis culpis, dicerent etiam posse pro pœnis; & ex hoc capite suo etiam modo purus homo diuinitus saltem posset satisfacere. Nulla ergo in hoc primo puncto est difficultas.

2 Circa secundam partem, Vtrùm ita de facto contingat, tota erat disputatio. Negant id huius temporis hæretici, vel quia remissa culpâ nullâ agnoscunt pœnam, vt immediatè dixi; vel quia totum hoc volunt tribuere satisfactionibus & meritis Christi. Quæ duo fundamenta aliò spectant; illud nunc fortassè possent speciale adducere quod non videatur esse fundamentum ad id asserendum, ex natura autem rei non videtur id posse fieri, quia cuiuslibet satisfactio ordinatur ad ipsum, & vnus non potest portare iniquitatem alterius, & pro eo puniri. Vnde in sacra Scriptura dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Sunt præterea aliæ instantiæ, quas infrà tangemus, & soluemus.

Ezech. 18.

Datur satisfactio vnius pro altero sine suffragio.

Dicendum tamen est, omnino re ipsa de facto dari eam satisfactionem per suffragia: id quod ab omnibus omnino Catholicis tam doctis quàm indoctis creditur; illi enim omnes sentiunt posse vnum alteri suas satisfactiones applicare.

Varia probationes parum efficaces.

In probatione tamen huius doctrinæ est aliqua difficultas, de qua P. Suarez suprà sect. 1. vbi loca aliqua sacræ Scripturæ inducit, quæ reuerà non vrgent; vel quia possunt explicari de mutuo adiutorio, quod per orationes sibi præstant fideles; vel quia nimis multum videntur probare; vti est illud Dauidis: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* In quo præter communem difficultatem, quòd ea participatio aliter explicetur, hoc ad rem nostram ego pondero, quòd cum ad valorem huius satisfactionis requiratur, vt alius liberè mihi eam applicet, non videtur credibile, omnes omnino iustos, qui viuebant tempore Dauidis, illi applicuisse satisfactiones suas, vt ita potuerit vniuersaliter dicere in sensu de satisfactione, se esse participem omnium timentium Deum; aliud ergo voluit ibi denotare, scilicet se conformari cum omnibus his qui mandata Dei custodiunt. Secundus locus adducitur ex Paulo ad Romanos 15. vbi ait in Macedonia & Achaia factas aliquas collationes in pauperes; eò quòd si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. Verùm hanc participationem benè ostendit ibi ipse Suarez non esse aliud, quàm quod debeant alere suos Magistros in fide. Tertius locus ex eodem Paulo ad Colossenses 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea*

Psal. 118.

P

3 *quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia; cuius factus sum ego minister*, &c. Quæ verba obscura ait Suarez & pati alios sensus; quia tamen absolute loquitur Paulus, non est cur excludatur modus hic iuuandi per satisfactiones; & verba illa, *pro corpore eius, quod est Ecclesia*, satis insinuant illum sustinuisse passiones, vt etiam vniuersæ Ecclesiæ prodesset. Adducit Suarez pro ea explicatione Augustinum in Psal. 61. Ego tamen locum hunc valdè debilem iudico pro hac sententia, & in primis Augustinus eo loci nihil videtur de hac quæstione dixisse; sed præcisè, quòd non solùm Christus in se, sed in suis membris vsque ad diem iudicij patietur: & eodem modo intellexit D. Thoma eum locum his verbis, *Vt sicut Christus passus est in corpore, ita patientur in Paulo membro suo, & sic in aliis.* Secundò hæc applicatio satisfactionum vnius pro altero non est adeò necessaria, vt propterea dixisset Paulus, ratione illius deesse aliquid passionum Christi; debuit ergo loqui de re magis necessaria & magis vniuersali; qualis est, quòd debeamus omnes imitari Christum, tollendo crucem, & eum sequendo, & patiendo aliquid in nobis, vt sicut socij passionum sumus, ita consolationis. Rationem autem addit potissimam Suarez desumptam ex vnitate corporis Ecclesiæ & vnione membrorum, quæ maximè fit charitate faciente communia omnia bona etiam spiritualia, quantum expedit, seu quantum consentaneum est rationi. Hoc argumentum probare videtur nimiùm, scilicet, etiam vnum iustum posse sua merita communicare alteri. Quòd si dicatur non esse conforme rationi, profectò iam hæc ratio cessabit, & debebit, ostendi aliunde, communicationem in satisfactione esse consentaneam rationi, alteram verò non, vt inde possimus decidere an illa re ipsa detur nécne.

An ex vnitate Ecclesiæ bene probetur suffragia

4 Denique adduxit consuetudinem antiquarum Ecclesiarum: solebat enim publicis pœnitentibus aliquid remitti de pœna propter aliorum iustorum intercessiones & satisfactiones. In hac tamen probatione minùs consequenter processit Pater Suarez; nam infrà disp. 49. sect. 2. agens de Indulgentiis fusè (& quidem valdè benè) probat ex vsu aliquo remittendi pœnas ad instantiam Martyrum (vbi citat eadem loca Cypriani & aliorum quæ hic adfert (nihil penitus probari de remissione pœnæ Purgatorij per Indulgentias, sed putè putè de remissione eius pœnæ exterioris eorum Reipublicæ; sicut de facto pœnæ exteriores impositæ hæreticis remittuntur eis aliquando ad intercessionem magnorum virorum, aut ob alias causas, nulla per hoc eis concessa remissione pœnæ Purgatorij. Hæc quæ omnino iudico verissima, ostendunt etiam manifestè hunc vsum; ex quo in præsenti argumentatur hic Auctor, non fuisse de remissione pœnæ Purgatorij per suffragia, de quibus, nunc disputamus: id quod meo iudicio valdè efficaciter in præsenti probo; nam cum ipsis Episcopis aut aliis iudicibus Ecclesiasticis, qui remittebant eas pœnas, ex eò quòd alij vellent satisfacere, esset valdè incertum, an illi ipsi, qui intercedebant, essent interiùs sancti & iusti; ac proinde ex hoc capite esset incertum, Vtrùm illorum satisfactiones valerent ad liberandum alterum à pœna Purgatorij, non est iudicandum illos habuisse in ea remissione similem considerationem, sed putè putè condonasse, vt i nunc etiam Magistratus sæcularis condonat reis pœnam ad instantiam Magnatum. &c.

5 Crediderim ergo hanc veritatem probari maximè

9 *Optima suffragiorum probatio ex traditione Fidei etiam Symbolum Apostolorum.*

ximè extraditione perpetua Ecclesiæ, ex quia constat voluisse Christum hanc gratiam facere fidelibus, vt possint iuuare se inuicem suis satisfactionibus. Secundò, id satis probabiliter colligitur ex Symbolo Apostolorum ex illis verbis, *Sanctorum communionem.* Nam licet ibi non explicetur, in quo ea communio consistat, & potlet forte aliquis dicere eam explicari orationes; doctrinas, &c. nihilominùs ponderobi singulariter dici non cõmunionem quamcumque, sed *Sanctorum*, quo insinuatur, ad hanc communionem nessariam esse gratiam & sanctitatem inter sic communicantes? ergo non potest id intelligi de communione in orationibus & precibus præcisè, quia in his & iustus potest prodesse peccatori, & peccatores etiam inter se; quia sæpissimè orationes eorum exaudiuntur; est ergo sermo de satisfactione, quæ requirit statum gratiæ; communicatio autẽ quoad merita esse non potest, vt paulò pòst dicemus; alia verò non est nisi hæc de satisfactione; ergo Et propterea Catechismus Pij V. in fine materiæ de Pœnitentia docet, vnium iustum posse pro altero persoluere quod debet; additque nec de hoc esse dubitandi locum, cùm id contineatur in Symbolo Apostolorum, verbis illis, *Sanctorum communionem.* Vbi duo præstat Catechismus, & hanc veritatem docet, & declarat simul eam contineri in verbis Symboli.

Neque obiici quidquam potest vllius momẽti contra hanc veritatem. Nostras enim satisfactiones esse proportionatas ad hunc effectum videtur omnino certum; nam si habent valorem sufficientem, vt extinguant pœnam, quam ego essem tolerarorus, habebunt vt similem planè extinguant in Petro loco illius, quam erant in me extincturæ: quòd item ad hoc debeat intercedere aliqua Dei acceptatio, nihil obest; nam etiam (vt diximus suprà) similis acceptatio requiritur vt satisfaciamus.

6 *Obiectionibus respondetur.*

Obicies: Non possumus alteri applicare gratiam quam meremur nostris operibus, ergo nec satisfactionem. Negatur consequentia, quia Deus de facto noluit acceptare proprium meritum hominis ad dandam alteri homini gloriam, etiamsi posset (de quo alibi;) voluit tamen in ordine ad satisfactionem, cuius congruentia satis bona ea est, quòd gratia & gloria sint præmium æternum & essentiale, in quo non fuit congruum, vt vnus propter alterũ defraudetur; in pœna verò temporali Purgatorij, quæ non est tanti momenti, non habuit id vllum inconueniens. Vtrùm autem hæc ipsa communicatio fiat cum loco, eò quòd meritum sit maius, quando alteri applico meam satisfactionem, dixi suprà Tomo 3. tractus, An simpliciter fit actus magis perfectus applicare sibi propriam & necessariam satisfactionem quàm aliis; dixi autem, si præcisè attenderemus ad tolerantiam pœnarum, sine dubio futuram maioris perfectionis: quia verò ex celeriori liberatione à pœnis Purgatorij incredibiliter in homine augentur in cœlo actus honesti & supernaturales, qui cedunt in maximam Dei gloriam; & in talibus debeo esse magis solicitus, vt ego laudem Deum, eum amem, &c. quàm id alij præstent; ideò teneor magis ex perfectionis regulis procurare, vt ego citiùs incipiam Deum summè glorificare, vt faciunt Beati, quàm vt alij incipiant me interim in aliis actibus longè minoris momenti, quales sunt illi, quos animæ in Purgatorio efficiunt occupatæ: quidquid tamen sit, Vtrum maioris meriti nẽne sit ea communicatio, non quærimus in præsenti, nisi, an sit possibilis: id quod non pendet ab ea maiori perfectione.

Congruentius fuit dari communicationem in satisfactionis quàm in meritis.

Obiici etiam contra eius existentiam potest; Culpa non tollitur per alienam satisfactionem, ergo neque pœna. Respondetur negando consequentiam, quia in his rebus, quæ à Dei voluntate pendent, non valet consequentia ab vna ad alteram. Iam dixi, Deum non voluisse id in merito gratiæ; nunc addo, neque in satisfactione pro culpa. Ratio congruentiæ est bona, quia cùm culpa formaliter sit libera, debuit propria libertate deleri; pœna autem, quia ex concepto suo non requirit libertatem in soluente, potuit per alienam libertatem & satisfactionem deleri.

7 *Satisfactio per suffragia non est solùm impetratio auxilij, vt reus pro se satisfaciat, aut remissionis pœnæ.*

Priusquam ad alias difficultates circa hæc suffragia explicandas veniamus, aduertendum est, ita hanc communem conclusionem ab aliquibus explicari, vt ea solùm ratione vnus pro altero satisfaciat, quatenus vel illi impetrat à Deo auxilia ad hoc, vt ipsemet reus efficiat opus, quo satisfaciat pro se; vel obtinet immediatè ipsam remissionem pœnæ; eo modo, quo dixmus suprà, eã posse per orationes immediatè obtineri. Hæc tame opinio re ipsa tollit propria suffragia, & quæ diximus paulò antè maximè probant nunc non per solas orationes, sed per applicationem propriam satisfactionum, iustos posse se inuicem iuuare: ille verò modus suffragandi immediatè per orationes in multorum & satis probabili sententia impossibilis est, & licet nos illum admiserimus non tamen fieri potest ab illo dependens hæc vniuersalis doctrina. Confirmatur id benè a Suario & Lugo, quia per impetrationem etiam Beati possunt nobis obtinere remissionem pœnæ; & tamen illi non applicant nobis suas satisfactiones nec possunt nos per suffragia iuuare; ergo aliquid aliud intelligunt fideles dum ea suffragia inter viuos concedunt.

Quòd autem obiciunt quidam, Nisi ipse homo satisfaciat, semper manet dignus pœna, non vrget; quia hoc argumentum multò magis impugnat hos ipsos Auctores, qui admittunt posse vnum iustum alteri impetrare remissionem immediatè: tunc enim magis impunita manebunt mea peccata, quàm si punigtur in Petro v.g. qui pro me satisfacit, esto in me non puniantur, vtì longè magis impunitum maneret homicidium factum à Petro, si precibus solis meis illum liberarem, quàm si ego loco illius pœnam capitis subirem. Probat etiam hoc argumentum, non posse per Indulgentias obtineri eam remissionem, quia etiam tunc non patitur ipse reus. Absolutè respondeo ex dictis, Non manere delictum impunitum, quando ille, qui vadem agit, punitur. His positis

SECTIO II.

Explicantur aliqua dubia circa hæc suffragia.

PRIMVM est; An sit aliqua lex generalis in hac materia, qua Deus se obligauerit ad acceptandam infallibiliter eam translationem satisfactionum, si conditiones aliæ requisitæ adsint; an verò se habeat Deus sicut in orationibus aliquando

aliquando exaudiens, aliquando non. Hoc vltimum docent Cordoba lib. 5. de Indulgentiis quæst. 5. ad 8. & Medina Tractatu 3. de Satisfactione quæst. 2. & 3. & Tractatu 6. de Oratione quæst. 19. quorum sententiam probabilem iudicat P. Coninch dispur. 10. dub. 7. Fundamentum eorum est, quia nullibi extat talis lex infallibilis de hac acceptatione. Pater Suar. etiam videtur in hoc puncto valdè dubius, fatetur enim se non habere certum fundamentum de lege ea vniuersali, & argumentum, quod fieri solet, scilicet si lex de acceptanda satisfactione est disiunctiua hoc modo, vt quilibet satisfaciat vel per se, vel per alium, eo ipso Deum teneri acceptare, si per alium offeratur: hoc inquam argumentum benè ostendit ibi esse debile, quia posset aliquis dicere, Deum ita eam legm tulisse, vt possit acceptare pro suo libitu. Addit tamen, cùm non constet de hac limitatione, verosimilius esse factam legem vniuersalem; & eodem modo defendo ego eam sententiam, quia reuerà non est vnde possit suaderi omnino efficaciter. Lugo eam confirmat; quia in Catechismo Romano dicitur, quòd iusti possunt alterius nomine Deo persoluere quod debent; hinc enim infertur, Si possunt, ergo habent in sua potestate quidquid est ad effectum hunc necessarium: non enim benè dicitur, Petrus potest habere librum Pauli, si ei petenti possit librum negare Paulus. Probabilis confirmatio, non tamen solida, quia non ratò dicimus nos posse ea quæ sunt contingentia, esto nobis non sint omnino certa, neque omnino in nostra potestate; quia in toto rigore verbum *possum* non requirit infallibilitatem, & verò passim solemus nos dicere, Posse nos nostris precibus multa à Deo obtinere: per quem loquendi modum ea infallibilitas nullatenus denotatur. Ponderat Secundò, quòd Catechismus dicat eam veritatem contineri in Symbolo ad illa verba, *Sanctorum communionem*: atqui hæc non significant communionem tantùm possibilem aut conditionatam, si Deus velit, sed absolutam; ergo Nihilominùs neque hæc ratio faciat vllam certitudinem. Nam in eis etiam verbis includitur non sola hæc cõmunicatio per suffragia, sed etiam per orationes; quia licet dixerimus paulò antè, ibi nõ solas orationes includi, illas tamen non exoluimus; certum enim est in eis etiam esse maximam communicationem Sanctorum. Vnde vlteriùs argumentor: Hæc communicatio per orationes non est infallibilis, ergo, esto altera includatur etiam eis verbis, non tamen infertur vllo modo, eam fore infallibilem vi verborum. Quòd ergo dicitur ibi non includi satisfactionem possibilem aut conditionatam, debet distingui, quia habet aliquam æquiuocationem. Possibile enim sumitur sæpè pro purè possibili in alio ordine rerum, & in hoc sensu sine dubio non vsurpatur in præsenti. Eodem modo τὸ *conditionata* sumitur frequenter pro re pendente à conditione numquam futura; in hoc etiam sensu non vsurpatur ea vox in Catechismo. Secundo ergo modo τὸ *possibile* vsurpatur pro re contingente etiam in hoc ordine rerum, esto non sit infallibili; & in hoc sensu dicimus optimè posse ea verba vsurpari, sicut quando Christus dixit Ioan. 19. *Petite, & accipietis*; sine dubio non est locutus de acceptatione possibili primo modo, & tamen non omnino infallibilem & certam promisit; quia non semper audit Deus orationes nostras non ergo maior est quærenda in eis verbis pro hac sententia certitudo quàm diximus ex Patre Suario.

Probabile est, legem de acceptandis suffragiis esse vniuersalem ac infallibilem

Possibile habet duplex significatum.

Secunda difficultas est, An hæc satisfactio sit ex iustitia. Respondeo, Quæstionem hanc non esse huius loci; suppositis enim generalibus principiis, quod possit dari iustitia inter Deum & hominem, suppositò item quòd opera nostra pœnalia sint condigna remissione alicuius pœnæ Purgatorij saltem in ipso patiente; suppositò item quod datâ eâ condignitate & accedente pacto Dei ea satisfactio, quatenus respicit propriam personam, sit de iustitia; his inquam suppositis non potest in præsenti specialis esse difficultas, nisi dicatur ea satisfactio esse minoris valoris pro tertia persona quàm sit pro ipso operante; de quo puncto infrà dicemus difficultate quarta; vel si dicatur non esse in Deo pactum de hac acceptatione. Hoc autem in superioribus iam reiectum est; supponimus enim vel de infallibili acceptatione, vel saltem in multis casibus dari in Deo decretum huiusmodi. Quod sine dubio sufficit ad rationem veræ iustitiæ. Vti licet mercatur, non teneatur mihi vendere merces, etiamsi ego illi pretium æquale offeram; quando tamen illud pretium vult acceptare, eo ipso contractus ille est rigorosæ iustitiæ. Quam doctrinam sæpè, dum de iustitia inter nos & Deum agitur, inculcauimus non est ergo cur fusiùs de hoc puncto iustitiæ in hac materiâ disputemus.

Satisfactio per suffragia est ex iustitia.

Tertia difficultas est, Vtrùm, vt ego v.g. sim liber à pœna quam debeo, sufficiat Petrum offerre se ad satisfaciendum pro me, esto adhuc non satisfecerit: potestque magis vrgeri difficultas, si Petrum ita se offerat, vt esto in hac vitâ non satisfaciat, velit tamẽ in alterâ satispati: & ne ex vllo capite omittamus rationem dubitandi, supponamus Petrum se offerre, vt casu quo damnatus fuerit, velit pro me satispati in inferno, videbitur alicui fortassis eam acceptationem omnino sufficere: quia in humanis cùm primùm aliquis spondet pro alio, & acceptatur à creditore ea promissio statim alter est liber, & tota obligatio transfertur in vadem. Nihilominùs contrarium videtur esse certum, quia velle satisfacere non est satisfacere: Deus autem satisfactionem pro satisfactione permutat, non voluntatem satisfaciendi pro satisfactione reali. Vti enim pro se nemo satisfacit siue pro culpâ, siue pro pœnâ volendo præcisè satisfacere, sed re ipsâ ponendo ipsam satisfactionem, ita pro aliis. Neque habemus fundamentum vllum ad dicendum, Deum de facto tali desiderio aut oblatione fuisse contentum. Vnde respondetur ad instantiam ex humanis desumptam: quidquid enim homines in hoc puncto faciant, nihil inde probatur, nisi simul constet Deum re ipsâ tali voluntate fuisse contentum: hoc autem in præsenti non potest ostendi, vt dixi: ergo.

10 *Non sufficit voluntas satisfaciendi pro altero, vt hic liberetur sed requiritur satisfactio actualis.*

Aliqui hanc nostram conclusionem probant: nam alioquin sequeretur peccata aliquando manere impunita, si fideiussor deinde non satisfaceret re ipsâ: quòd enim in initio dicebatur illum in Purgatorio satisfacturum, non satisfacit rationi dubitandi, quia illa esset satispassio, non satisfactio. Secundò, quia in Purgatorio nemo nisi dignus pœnâ patitur: ex eo autem quòd ego velim pro alio satisfacere, non sum factus dignus pœnâ: ergo. Hæc ratio non est meo iudicio sufficiens: & quidem quòd pœna illa in Purgatorio sit satispassio, non verò satisfactio, impertinens

tinens omnino est ad punctum præsens, an scilicet peccatum maneat impunitum: etenim ea satisfactio esset optima punitio, & verò in ratione punitionis melior quàm si per satisfactionem extinxisset debitum. Quod secundo loco dicitur, non puniri in Purgatorio nisi dignos pœna, habet æquiuocum sensum, si *dignus* vsurpetur pro dignitate orta ex propria culpa, tunc dicimus assumi in antecedente id, de quo est tota quæstio; si verò τὸ *dignus* sumitur pro debitore, eo etiam modo quo fideiussor dicitur debitor ratione alieni debiti in se suscepti, fatemur non puniri nisi dignum pœna; addimus tamen, talem esse dignum eo sensu, quandoquidem in se suscepit satisfactionem pro aliis.

11 Melius posset hoc argumentum (quod est Cardinalis Lugo) confirmari, casu quo fideiussor cadens ex gratia damnaretur antequam satisfaceret re ipsa: vel enim tunc peccata illius alterius maneret impunita; vel hic fideiussor perpetuò puniretur in inferno ob eam acceptationem: quandoquidem iuxta communiorem sententiam nulla est in inferno remissio: esset autem valde durum, eum æternùm puniri secundùm illum excessum, non ob vllam culpam, sed ob actum potiùs honestum quem elicuit, dum esset iustus, volendo pro aliis satisfacere. In hac sententia haberet fine dubio vim illud argumentum: quia verò nos admittimus in inferno posse aliquas pœnas finiri, quæ scilicet debentur vel venialibus, vel mortalibus iam remissis, ideò hoc argumento vti non possumus: quidquid autem de illo sit, satis est pro nostra resolutione, quòd gratis & sine vllo fundamento fingatur ea volutio Dei, sine qua non licet illum modum satisfactionis admittere.

Quarta difficultas, Vtrùm possit aliquis à se abdicare satisfactionem non applicando eam alteri, supponimus illum re ipsa indigere tali satisfactione. Respondetur negatiuè, quia effectus satisfaciendi prouenit necessariò ex opere pœnali; sicut præmium ex opere bono meritorio: ergo non est in mea manu illum effectum impedire: debet ergo vel mihi ipsi vel alteri prodesse. Dixi supponendum esse pro hoc dubio eam personam indigere satisfactione: si enim non indigeat pro se quia iam anteà satisfecit ex integro, & aliunde non offerat eam alicui, tunc haud dubiè manebit ea suspensa, seu transibit in Ecclesiæ thesaurum.

Satisfactio nō potest abdicari ab operante ita, vt nec illi prosit, si indigeat, nec alteri, si pro illo offert.

Dices: Esto illa indigeat, poterit eam in eumdem thesaurum Ecclesiæ reponere. Respondeo, Hanc repositionem non fieri nisi ex voluntate Dei quando mihi vel illi, pro quo satisfactionem offero, non est necessaria; tunc enim vt possit aliis prodesse, misericorditer reponitur à Deo in eo thesauro; quando tamen ego illa indigeo, si non transfero de facto in alterum, aut si ille ea non indiget, vel quia nulla debet pœnam, vel quia est in mortali, ideoque ineptus cui illa prosit, reuertitur ad me. Ratio autem à prioti huius debet reduci in voluntatem Dei; nam ex natura rei satisfactio propria ordinatur ad ipsum subiectum quòd autem possimus alteri eam applicare, prouenit ex singulari Dei voluntate, de qua nobis constat ex perpetua traditione Ecclesiæ: de altera autem lege, vt possimus nostram satisfactionem relinquere quasi suspensam, nullum est indicium; & verò neque videbatur congruum id fieri: quæ enim vtilitas, vt de facto nec mihi nec vlli prosit ea satisfactio, sed primò post centum annos? melius ergo est, vt non maneat nunc otiosa.

SECTIO III.

Aliæ difficultates circa hanc satisfactionem.

12 Quinta est, Vtrùm satisfactionem, quæ prouenit ex opere operato, possimus alicui alteri applicare; item eam, quæ mihi v. g. ab altero applicata est. Respondeo, Satisfactionem prouenientem ex opere operato virtute Sacramenti, quæ annexa est martyrio iuxta alibi dicta, non posse alteri applicari: id quod a posteriori probatur, quia si posset adultus dum baptizatur, vel dum martyrio afficitur, à se satisfactionem pro pœna temporali ex Baptismo aut martyrio prouenientem abdicare, consequenter si tunc moreretur, deberet ipse pœnam temporalem, cui anteà erat obnoxius, persoluere in Purgatorio. Quod videtur contra communem sensum Ecclesiæ docentis, baptizatum, qui immediate moritur statim ad cælos ascendere; & Martyri fieri iniuriam, si pro ipso oretur.

Satisfactio ex opere operato Sacramenti non potest alteri applicari, nec martyrij.

Posset quis respondere, Hanc rationem ex Martyre desumptam nullam esse; quia martyrium ex opere operantis & ex propria difficultate operis videtur esse satisfactorium pro pœna temporali; satisfactionem autem ex opere operantis fine dubio possumus alteri applicare, ergo etiam Martyr poterit propriam satisfactionem. Respondeo, Non habere Martyrem per se loquendo eam satisfactionem ex opere operantis, quia dolor externus & difficultas operis non est maior per se in Martyre decapitato v. g. quam in alio, qui ob propria delicta vel ob aliam causam decapitatur; aut grauius torquetur, ergo si ex opere operantis vel ex difficultate mortis dignificatæ actu supernaturali Martyris eam acceptantis satisfactio pro tota pœna temporali proueniret, quilibet reus, vel ob aliam causam mactandus, si actu supernaturali eam mortem acceptaret, satisfaceret etiam pro tota pœna temporali: quod tamen nullus dicet; vel si aliquando hoc contingeret ex maxima perfectione actus, ea tamen satisfactio non est per se connexa tali morti sicuti est martyrio; ergo hoc habet ex speciali priuilegio siue ex opere operato.

13 Dixi in conclusione, Satisfactionem Sacramenti aut martyrij ex opere operato prouenientem. Nam vniuersalis resolutio aliquorum doctorum, nullam satisfactionem ex opere operato prouenientem posse alteri applicari, omnino est falsa. Etenim incruentum altaris Sacrificium habet annexam ex opere operato satisfactionem (de quo inter Catholicos non est dubium; (& tamen simul est certum apud eosdem, posse Sacerdotem exercentem eam actionem sacrificandi abdicare à se satisfactionem offerendo Sacrificium pro altero; ergo non est vniuersaliter verum, exercentem aliquam actionem non posse abdicare à se satisfactionem ex opere operato illi actioni coniunctam.

Potest autem ex opere operato sacrificij.

Posses dicere, Sacrificio non esse coniunctam eam satisfactionem ex opere operato determinatè pro sacrificante, sed vel pro eo, vel pro illo vel pro quo offertur; Sacramentis verò esse annexam satisfactionem determinatè pro ipso suscipiente Sacramentum. Respondeo, Hoc quidem verum esse; hinc tamen probari, non om-

tas, si loquamur in sententia communi docente, ipsum actum interiorem volùtatis habere distinctam satisfactionem; tunc enim pollet aliqua esse ratio dubitandi, quis actus sit magis satisfactorius, ille quo volo pro altero offerre meum ieiunium, an ille quo volo pro me; quod punctum tetigi quoad meritum paulò antè, & dixi esse magis meritorium offerre pro se quàm pro alio satisfactorium, quia tamen difficilius est, per se loquendo, se abdicare ea satisfactione, & in ordine ad eam satisfactionem maximè consideratur difficultas operis, fortasse non obstante maiori merito poterit esse ille actus magis satisfactorius, quo, vt satisfactionem alteri donem, me ipsum priuo propria. Est tamen circa hoc notandum, quod benè Pater Suarez in præsenti aduertit, etiamsi ego pro altero offeram ieiuniũ, non ideò me offerre reflexè satisfactionem, quæ est in hac ipsa reflexa volitione, quia ea nihil de se dicit; non enim se habet tunc pro obiecto, sed ieiunium solùm. Nisi homo tunc aliquo actu omnino reflexo diceret, Offero totam satisfactionem, quam iam habeo tam directam quàm ipsam quæ in hoc eodem actu reperitur; tunc enim totam transferret. Nisi rursus dicamus cum aliquibus, non posse vnquam dari vllum actum, qui se etiam in confuso habeat pro obiecto, de quo alibi. In nostra sententia, quam suprà tradidimus, quòd actus interior non habeat satisfactionem, nulla est difficultas; certum enim est tunc totam transferri in Petrũ, & eâmdem esse, siue mihi, siue alteri eam applicem; quia difficultas ieiunij est eadem, actus verò interior vel non auget satisfactionem, esto sit nobilior; vel si auget, refunditur id totum in ipsum ieiunium, quod in alterum transtuli.

18 *Rursus obiter asserit sanctius docens, quòd quò quis sanctior est, eò minùs puniatur ceteris paribus.*

Illud in hoc puncto obserue, Cardinalem Lugo consequenter ad principia sua (de quibus suprà) quòd in homine magis sancto idem physicus dolor sit maior pœna quàm in minùs sancto docere, si mea satisfactio delere poterat in me habente quatuor gradus gratiæ tres dies pœnæ, & ego illam applicem pro alio iustiore, in eo deleturam minùs quàm tres, quia duo dies illius iustioris æquiualent fortè tribus, quos soluturus essem ego quem supponimus minùs sanctum. Suprà ostendi, in Purgatorio quoad pœnam sensus per accidens se omnino habere eam maiorẽ gratiam; vnde de hoc puncto nihil amplius addam, nisi quòd cùm hic Auctor admittat aliquando augeri gratiam sine remissione pœnæ, videatur eo ipso admittere, quòd quò quis est sanctior, non eo minùs puniendum alioquin repugnaret in terminis augeri gratiam, & non eo ipso minui pœnam. Fortasse respondebit, Tunc non minui propriè pœnam, etiamsi adimatur aliquid de physica duratione aut de intensione illius, quia illud quod manet postquam factus est sanctior, constituitur iam in ratione tantæ pœnæ quanta erat antea. Hæc tamen solutio videtur solis verbis facere illam pœnam tantam: loquendo enim iuxta sensum omnium hominum illa dicitur diminutio pœnæ, si anteà debebat habere centum ictus, habeat octoginta, non alioquin grauiores quàm illi centum; & ad hoc per accidens est, quòd ille creuerit in dignitate. Pone equitem qui debebat ducentos aureos in pœnam, eò quòd v.g. venatus fuisset in loco prohibito, antequam soluat eam pœnam fit Comes: profectò si iam dicatur illi, Non soluas n si centũ, nemo dicet tũc ei non esse diminutam, pœnã nec euadet dicendo, Tanta pœna est, quòd ille iam Comes soluat centum, quàm si manens eques soluisset ducentos. Obiter autem in huius doctrinæ confirmationem hoc addo argumentum: si ex maiori gratia subiecti dixerimus minui pœnam Purgatorij, profectò excogitare poterimus casum, in quo aliquis iustus veniaIiter peccans in aliqua materia valde leui non mereatur vllam omnino pœnam pro eo peccato; hoc autem videtur valdè absurdum & contra omnes omnino Theologos. Probatur autem sequela efficaciter. Ponamus enim propter excessum in mille gradibus gratiæ tolli homini pœnam Purgatorij intentam vt quatuor respondentem duobus diebus; committit ergo Franciscus habens gratiam vt vnum veniale leue, quod non mereatur pœnam, nisi vt quatuor per duos dies committat illud idem sine maiori vlla gratitate. Antonius habens gratia vt mille vel duo millia, profectò cùm per hunc excessum debeat condonari illi pœna vt quatuor respondens duobus diebus necessum est vt tota ea, quam dici poterat prometitus, ei condonetur; quia totam hanc petit remitti excessus ille maximus in gratia. Nec potest responderi, eum hominem iustiorem etiam augere malitiam venialis ex sua maiori sanctitate, quia quò sanctior est, videtur teneri ad magis fugienda venialia: hoc inquam non potest responderi, quia contingere potest, vt ille sine vlla plane reflexione ad suam sanctitatem aut ad suam maiorem obligationem non peccandi peccet reipsa: id quod maximè contingit in peccatis venialibus per semiplenam libertatem cõmissis; tunc autem non potest augeri malitia ex ea maiori sanctitate non præcognita. Secundò non potest ea solutio dari, quia potest contingere, excessum in gratia tantum esse, vt absorbeat illũ excessum illius peccati; suppono enim maiorem fieri diminutionem in pœna Purgatorij ob excessum gratiæ, quàm ob eumdem excessum crescat illud peccatum veniale; alioquin si æqualiter vtrũque cresceret, tunc æquali pœna sensus magis iustus cum minùs iusto punirentur in Purgatorio, & ex integro rueret huius Auctoris doctrina. Tertiò denique non potest dici id de augmento venialis ob maiorem gratiam, quia ceteris paribus non quò quis iustior est, peccat grauiùs, nisi fortè vbi scandalum aliquod potest interuenire. Constet ergo pœnam physicam non reddi minorem physicè ex maiori gratia animæ eam toleraturæ, ac proinde ex hoc capite æqualem fieri remissionem pœnæ, siue ille, in quem ego transfero meam satisfactionem, sit me iustior, siue æqualiter iustus, siue etiam minùs iustus. De quo puncto, quod alibi est tractatum, vt dixi, satis nunc occasione translationis propriæ satisfactionis in alium. Iam ad difficultates reliquas de suffragiis.

Absurdum quod ex ea sententia sequitur, nempe peccatum aliquod non puniendum in Purgatorio.

19

SECTIO IV

Quæ conditiones requirantur ex parte illius pro quo quis applicat suas satisfactiones.

HVic dubio fortè posset vno verbo respon- ad
deri requiri easdem quas in satisfaciente prosecò de quibus suprà diximus. Primò ergo requiritur, vt sit in gratia, quia (vt suprà diximus) hæc communicatio non est nisi inter mẽ-

bra viua. Qui enim est in peccato mortali, non est capax satisfaciendi pro se, ergo neque vt alius pro ipso satisfaciat.

An satiù sit applicantem satisfactionē esse in gratia an verò etiā is cui applicatur.

Dices discrimen esse magnum, quia quando satisfaciens est in mortali, non potest dare valorem condignum suæ satisfactioni, ideóque non potest satisfacere: habet enim tunc duo impedimenta, vnum, quo redditur incapax recipiendi eum effectum; alterum, quo se reddit incapacem ad dignificandas suas actiones: quando verò alius pro ipso satisfacit, si satisfaciens sit in gratia poterit dare verum & rigorosum valorem satisfactioni, ergo si ille valor pro ipso peccatore applicetur, poterit esse de condigno satisfactorius. Vrgetur amplius in nostra sententia docente posse in inferno esse satispassionem, quia potest ibi esse æqualitas cum pœna debita; ergo si alius existens in gratia offerat condignam satisfactionem pro pœna, quam peccator debet, poterit hic liberari ab illa: quia perinde est ac si ipse peccator condignè soluisset. Respondeo, Hoc argumento probari quidem labores iustorum ex se esse condignos ad extinguendam partem pœnæ temporalis illorum qui existunt in mortali, si Deus voluisset eos labores acceptare in ordine ad hunc effectum, nullo tamen modo probari, id ita reipsa fieri, quia, vt dixi, de facto hæc communicatio non datur nisi inter membra viua; neque congruum fuit vt Deus acceptaret satisfactiones iustorum pro remissione pœnæ eorum, qui tunc sunt inimici Dei, iusti verò ipsi ac amici adhuc manerent rei illius pœnæ. Quòd si peccatori non sit remissa culpa vlla, pro qua debeat pœnam aliquam temporalem, clariùs constat, cur alius pro ipso non satisfaciat, quia in hoc ordine rerum numquam remittitur pœna nisi remissa culpa.

An debeat remitti culpa etiam venialis priùs ei cui applicantur suffragia.

Et hæc est prima conditio requisita ex parte eius pro quo offertur satisfactio; habétque locum etiam, si homo ille solùm commiserit culpas veniales. Pater Suarez sect. 7. num. 1. eam reddit rationem: cur debeat præcedere remissio culpæ; quia scilicet quamdiu manet culpa, tamdiu manet reatus ad pœnam, qui ex illa oritur. Hæc ratio in meis principiis non est efficax, quia potest quis per æqualem satispassionem extinguere reatum pœnæ adhuc manente culpa: ergo ex hoc capite poterit etiam & per satisfactionem. Huic autem rationi Patris Suarez alibi respondi, eo casu manente culpa posse dici manere reatum, non tamen nisi in ordine ad illam eamdem pœnam quā iam tolerauit, ac proinde non debere ei vllam aliam infligi quia sicut est tunc quòd illam meruerit, ita est verum quòd illam sustinuerit. Meliùs ergo potest probari, quia non est æquum, vt acceptetur à Deo in satisfactionem pœna aliqua pro peccato, antequā homo doleat de illo, & liberetur à culpa. Naturalis enim ordo petit priùs remitti culpam, deinde pœnam: quod locum habet, quando illa pœna non infligitur à Iudice propter culpam: tunc enim (vt alibi diximus) non potest eam non acceptare Iudex: quando verò ab ipso reo eligitur, vel ab altero pro ipso offertur, tunc habet locum ratio facta, vt priùs remitti debeat culpa quam admitti gratiosè satisfactio pro pœna: ex primo verò capite diximus alibi, damnatos in inferno satispati pro pœna venialibus debita, infligit enim illam in satispassionem Deus; ac proinde ea absoluta debet cessare noua continuatio illius, quia non est necessarius pro satispassione status gratiæ, neque habet peccatum commissum in hac vita maiorem malitiam, aut maiorem dignitatem pœnæ, ex eo quòd alia peccata deinde sequantur, vt probaui fusè suo loco, & sæpè in hoc Tomo insinuaui.

Quid fiat de satisfactione, quando is, cui applicatur illa non eget.

Secundò requiritur, vt persona, pro qua offertur satisfactio, indigeat illa: si enim non indiget, redit ad offerentem vel in thesauros Ecclesiæ. Dices, Poterit esse sufficiens quousque indigeat ille idem, pro quo offertur. Non video repugnantiam in eo, quòd Deus id ita statuisset, vt sicut reponitur in Ecclesiæ thesauris ea satisfactio applicanda pòsteà pro alio vel pro ipso, ita determinatè reseruaretur pro ipso applicanda, casu quo in posterum ea indigeret: sicut possem alicui dare centum cum hac conditione, vt si aliquo casu ego contraherem debitum centū apud ipsum, ex his centum solutum sibi crederet. Addo tamen, licet hoc posset naturaliter fieri, posse tamen & connaturaliter non dari satisfactionem ante debitum contractum. Ideóque si actu offerens, aut persona pro qua offertur, non indigeant illa satisfactione, nil prorsus deseruire illis, niti fortè per Indulgentias postea satisfactio, quæ erat reposita in thesauro Ecclesiæ, applicetur pro illis quasi casualiter, iuxta dicenda infrà de thesauro Ecclesiæ.

An requiratur acceptatio illius, cui suffragia applicantur.

Tertiò requiritur posset acceptatio ex parte illius pro quo offertur: circa quam Pater Suarez dicit requiri solam tacitam acceptationem, id est, ne resistat positiuè. Ego tamen iudico id nullo modo esse necessarium, quia illa acceptatio nō est homini libera, alias requireretur, vt positiuè vellet eam facere suam. Confirmatur à simili ex oratione: si enim aliquis impetret mihi à Deo suis precibus auxilia aliqua, non potero ego dicendo, Nolo iam illa dari mihi, impedire effectum orationis illius, nisi fortasse per accidens reddendo me per peccatum indignum illis. Confirmatur, quia aliquando Pontifex in Indulgentiis addit hanc clausulam, vt etiam possint pro aliis applicari; vbi eo ipso supponitur, quando ea clausula non additur, non esse liberum homini à se abdicare satisfactiones per Indulgentias applicatas: ergo eodem modo eas, quæ mihi ab altero applicantur ex opere operato, non potero respuere, & eas alteri applicare: quia eadem videtur ratio esse quoad hoc de satisfactionibus applicatis mihi ab altero, quæ est de applicatis per Indulgentias. Cuius rei si vlteriorem rationem quæramus, non nisi in Christi aut Dei voluntatem eam poterimus refundere: de qua voluntate ex sensu communi nobis vnicè constat. Nam (vt suprà obseruaui) ratio illorum Auctorum, qui in defectum dominij in satisfactiones alienas in me translatas id reducunt, non videtur omnino subsistere cum eo defectu dominij, non obstante quòd potuerit res aliter statui.

An satisfactionem mihi ab alio applicatam possim alteri applicare, casu quo ea non egeam.

Rogabis? Quid si alter, pro quo applico satisfactionem, ea non indigeat, eritne saltem tunc in potestate ipsius eam alteri applicare? Fortasse aliquis iudicaret omnino fore. Vti enim quando imponitur mihi pœnitentia Sacramentalis pro peccatis, de quibus confiteor, & pro illis non indigeo ea satisfactione, quia ipso dolore priùs pro eis satisfeci: applicatur tamen mihi eadem satisfactio pro pœna debita (si quam adhuc habeo) ratione aliorum peccatorum, de quibus adhuc non sum confessus: pariter dici posset, si ego non indigeo, posse me eam applicare pro aliis. Nihilominus tenendum est, etiam eo casu non esse

esse in mea potestate illam satisfactionē alteri donare, nisi sub ea planè conditione mihi sit applicata; vt casu quo mihi necessaria non sit transeat ad alium quem ego voluero: quo casu ego propriè non applico, sed alter; ego verò solùm personam determino, vt in simili dixi suprà. Ratio huius resolutionis est, quia (vt hucusque ostendimus) non nisi nostras satisfactiones proprias, & eam, quæ ex Sacrificio Missæ ex opere operato prouenit; constat nobis ex Ecclesiæ sēsu posse nos offerre pro aliis; de reliquis verò contrarium supponunt omnes; nec possumus ergo id asserere, cum ea translatio satisfactionum solùm ex voluntate Dei proueniat; hanc autē non nisi ex auctoritate admittere possimus.

Quid fiat de satisfactione Sacramentali, si pœnitens doluit prius peccandebitam per dolorem &c.

Ad instantiam illam de satisfactione Sacramentali obiectam in contrarium Primò possumus dicere probabiliter, non conducere in remissionem pœnæ debitæ pro aliis peccatis; vti in præsenti docet Lugo: non conducere inquā ex opere operato, quia ex opere operantis non est difficultas: sicut enim alia opera concurrunt indifferenter pro hac vel illa pœna meis peccatis debita, ita & hæc pœnitentia, esto non sit impesita pro eis peccatis. Secundò responderi potest concesso antecedenti negando consequentiam; quia quando ego debeo pœnam aliquam siue pro his, siue pro illis peccatis iam dimissis, satisfactio quæ semel mihi applicatur, debet delere pœnam, quam in me inuenit, hoc autem non est eam satisfactionem à me determinari, sed à Deo in meum bonum applicari pro ea pœna quam ego aliunde debeo. Vnde nil penitus infertur, quòd ego possim satisfactionem ab altero mihi soli applicatam transferre in quemcumque velim: de quo puncto solo nunc agimus. Ex his colligitur, si alter, pro quo ego offero satisfactionem, ea non indigeat illam redire ad me: quòd si nec mihi tunc sit necessaria, nec reponi in Ecclesiæ thesauros, perinde ac si eam nulli applicarem, & ea non indigerem. Circa quas conditiones ex parte recipientis requisitas illud tandem obiecta, Patrem Suarez n. 6 benè docere non esse necessarium illum, pro quo offertur satisfactio, carere potentia ad satisfaciendum pro se (vt videntur minùs considerate aliqui Auctores dixisse) alioquin pro viuentibus, nisi iam facti essent stulti non haberent locum suffragia: quod est planè destruere Catholicam doctrinam: non haberent item pro animabus Purgatorij, quia hæ licet propriè satisfacere non possint, possunt tamen absolutè per satispassionem saltem extinguere eam pœnam; non est autem vlla ratio, cur eis possent prodesse, quando habent vnum medium extinguendi, non verò quando habent alterum: in vtroque autem casu id negare esset manifesta hæresis. De quo etiam alibi nonnihil diximus ratione Indulgentiarum, quia de Fide est Indulgentias posse applicari nobis, siue possimus alioquin per bona opera nostra satisfacere, siue non; ergo idem dicendum erit de aliena satisfactione, quia non est vlla maior ratio de hac quàm de illa, & è contrario, quoad hoc pactum.

24

Suffragia prosunt ei qui posset alioquin satisfacere.

SECTIO V.

Quid requiratur ex parte applicantis satisfactionem.

CIRCA conditiones requisitas ex parte applicantis alteri suas satisfactiones dicendum Primò, requiri vt sit in gratia, quando exercet opus satisfactorium ex opere operantis. Dico, *quando exercet opus satisfactorium*: nam ad applicandas suas futuras satisfactiones non est necessarius status gratiæ. Pro quo suppono posse me antecedente applicare meas satisfactiones, idque sufficere, vt deinde, quando eas habuero, Deus illas acceptet, & applicet iuxta meam præcedentem voluntatem, etiam si iam nō habeam vllam volitionem nouam. Quo posito dico, si quis existens in peccato dicat, *Domine offero omnes meas satisfactiones futuras pro Petro, quas in gratia existens deinde habebo*, huiusmodi applicationem fore validam, quia cum tunc homo non det valorem satisfactioni, sed solùm declaret Deo suam voluntatem, non est necessum vt sit in statu gratiæ, quia eam etiam peccator existens potest optimè declarare.

25 *Applicans alteri suffragia debet esse in gratia, vt valeant ex opere operato.*

Illud circa hanc conditionem verti in dubium potest. An orationes, quæ dicuntur in Missa nomine Ecclesiæ, habeant suum valorem, si Sacerdos sit in mortali, nam cùm Ecclesia sit in gratia, videtur hoc sufficere, vt Sacrificium ex hac parte condignum sit. Respondeo iuxta à me dicta in materia de Eucharistia, ab Ecclesia non habere Missam valorem satisfactorium, sed solùm impetratorium: id quod nunc ex principiis superiùs traditis facilè declaratur, quia Missa non est actio pœnalis respectu Ecclesiæ: satisfactio autem debet esse pœnalis respectu satisfacientis: ergo Missa respectu Ecclesiæ non est satisfactoria. Hinc facilè constat, etiamsi minister sit in gratia (multò ergo minùs si sit in peccato) eas orationes non futuras satisfactorias respectu Ecclesiæ. Si verò loquamur de valore impetratorio, quæstio aliò spectat; hic enim solùm agimus de satisfactione: breuiter tamen dico, non impediri per peccatum Ministri eam impetrationem: nam etiam suo nomine vtens potest peccator exaudiri, vt D. Thomas ex Augustino & aliis docet, faciliùs autem si petat nomine alicuius iusti: sicuti si meus maximus amicus per famulum mihi valdè offensum à me aliquid peteret, procul dubio non impediretur petitionis effectus: quia non suo nomine sed amici petit famulus: poterit quidem, si famulus etiam esset amicus, ab ipso accipere maiorem aliquam efficaciam oratio: ea tamen quæ prouenit ex intercessione amici vt talis non impeditur. Quam totam Doctrinam optimè tradidit Suarez, ea disp. 48. sect. 8. num. 4.

Quem valorem habeant orationes Missæ quando Sacerdos offert in peccato mortali.

26 *Qua intentio requiratur in offerente suffragia pro aliis.*

Secunda conditio est circa intentionem offerentis. Vbi Primò quæritur An satisfactio oblata pro vno defuncto prosit alijs. Ex suprà dictis constat non prodesse, nisi offerens habeat intentionem conditionatā, vt casu quo ille defunctus non indigeat ea satisfactione, applicetur alteri: tunc enim iam ipse eam alteri applicuit secundo loco. Fateor in Purgatorio ex bono vnius omnes alios gaudere propter amicitiam inter ipsos intercedentem: & quoad hoc potest dici, satisfactionem vni applicatam aliis prodesse quoad illud gaudium: in

præsenti autem non de eo gaudio, sed de remissione pœnæ sensus agimus.

Quando debeat existere intentio applicantis.

Secundò quæritur, Vtrùm ea intentio applicandi debeat præcedere, an verò sufficiat, si subsequatur. Respondeo, Si valor satisfactionis consistat in indiuisibili, licet opus ipsum externum sit diuisibile v. g. in Sacramentis & sacrificio Missæ, tunc sufficere applicationem existere in eo vltimo instanti, in quo primùm est valor satisfactorius, nec requiri vt applicatio sit ab initio actionis externæ. Ratio est clara, quia non applicatur à Deo ille valor, antequam sit in manu ipsius; ergo cùm ante vltimum instans nihil huius valoris sit in manu Dei, nihil etiam applicatur ante illud; ergo sufficiet vt in illo homo explicet suam voluntatem ad hoc, vt Deus per illam determinetur ad eum applicandum.

Obicies: Intentio faciendi Sacramentum aut Sacrificium debet esse in initio actionis externæ, ergo etiã applicatio illius sactificij. Suprà solui hanc obiectionem in simili, eò quòd intentio conficiendi Sacramentum informat actionem externam, quæ incipit antequam sit valor, at applicatio non se habet vt informans aut dignificans actionem externam, sed vt declarans Deo voluntatem offerentis cui debeat valor applicari: pro qua declaratione satis tempestiuè venit applicatio in vltimo instanti; quandoquidem ante illud nulla adhuc extitit pars valoris, neque Deus quidquam adhuc applicuit: si verò applicatio sit transacto valore, nihil valebit, quia non

Non suspenditur applicatio satisfactionis, quãdo ipsa existit satisfactio.

suspenditur à Deo applicatio: sed cùm primùm opus bonum habet suum valorem, Deus illum applicat. Quod inde probatur de facto contingere: (licet potuisset Deus aliter statuere: neque enim vlla in hoc apparet repugnantia:) nam si de facto suspenderetur applicatio valoris, possent nunc Beati fortè & damnati satisfactiones, quas habuerunt in vita, applicare pro his qui sunt in mundo, si tunc suspendissent in futurum eam applicationem: hoc autem omnino falsum est. Nullus enim dicit Beatos posse nunc pro nobis per opera facta in vita satisfacere. Solùm enim admittunt per orationem posse nobis impetrare pœnæ remissionem.

Scio Patrem Suarez, ne admittat posse per
17 orationes immediatè obtineri remissionem pœnæ, & vt explicet quo pacto Beati iuuent animas in Purgatorio, ferè admittere, eos posse applicare satisfactiones suas, quæ illis fuere superfluæ in hac vita: hoc tamen neque omnino ausus est absolutè admittere, neque etiam est in toto rigore contra id quod in præsẽti docemus; loquitur enim Suarez de satisfactionibus quæ fuere illis superfluæ, quæ ab ipsis tunc non sunt applicatæ vlli alteri, ac proinde repositæ sunt in thesauro Ecclesiæ; quas ex fauore singulari Dei putat aliquando ab ipsis Sanctis distribui. Nos autem loquimur de regula ordinaria & per se; loquimur item de applicatione satisfactionum, quæ adhuc sint quasi suspensæ propter ipsam applicationis dilationem: id quod non admittit ibi Suar. quia satisfactiones illæ non manserunt suspensæ, sed repositæ in thesauros Ecclesiæ; vnde posteà per modum Indulgentiarum applicantur à Beatis; quod diuersissimum est à nostro casu.

Aduerto rursus circa conclusionem hanc, quòd circa alias notaui, eam non benè probari, eò quòd transactis iam operibus satisfactoris non subiaceat ampliùs nostræ libertati, ideóque applicari iam à nobis non possint; etenim suprà ostendi, non obstante toto eo defectu libertatis, si voluisset Christus, potuisse adhuc relinquere nobis liberam eam applicationem; quia valor ille est aliquid moraliter distinctum ab opere: vnde etiamsi iam opus ipsum non sit nobis liberum, potuit tamen illius valor seu applicatio manere libera; vt patet in Christo, qui nunc, licet in ipsa physica opera non habeat dominium, cùm illa non existant, habet tamen quoad totam applicationem valoris illorum; ergo defectus dominij per accidens est ad rem præsentem. potuit ergo Deus, si voluisset relinquere in manu nostra totam hanc applicationem, nulla facta violentia naturæ ipsius satisfactionis. ergo hæc controuersia non à ratione priori, sed ex voluntate Dei decidenda est de hac autem voluntate constat nobis probabiliter ratione suprà facta ab absurdo in contrarium.

18

Quando valor operis est diuisibilis, debet esse intentio initio operis, vt applicet totum valorem, sic cùm si sit indiuisibilis.

Ex his constat quid dicendum sit, si operum valor sit diuisibilis iuxta diuisibilitatem actionum: tunc enim vt totus valor applicetur, oportet vt ab initio sit intentio applicandi; alias illa pars satisfactionis, quæ præcesserit applicationem, non poterit iam applicari: eadem enim est ratio de illo partiali valore ac de totali cõsistente in indiuisibili, iuxta paulò antè dicta. Quòd si incepto opere incipiat intentio, tunc reliqua pars valoris applicabitur iuxta eam intentionẽ; quia respectu eius partis satis tempestiuè accedit intentio, licet pro priori tardè venerit. Tertiò potest quæri circa hanc intentionem, Vtrùm sufficiat habitualis, an verò requiratur virtualis vel actualis, idest, Vtrùm sufficiat me voluisse heri Missam hodie à me celebrandam applicare pro Petro, dummodò non reuocauerim eam voluntatem, licet hodie, quando facio Sacrum, nullo modo recordet eius præcedentis volitionis, an verò requiratur, vt actu existat, vel vt cõtinuetur in alio opere, per quod quasi influat in Sacrum, sicut de Sacramentis alibi diximus.

An habitualis intentio sufficiat pro applicatione suffragiorum

Probabilius censeo sufficere solã habitualem cuius ratio est, quia applicatio non requiritur vt causa operis, vel vt dans illi valorem, sed præcisè vt innotescat Deo animus offerentis illud opus; ad hoc autem sufficit me heri obtulisse illud, se explicuisse Deo meum animum de opere hodie faciendo, & hucusque non retractasse illam voluntatem, hoc enim posito satis constat Deo de mea voluntate, cui scilicet personæ applicari velim valorem. Et hinc respondetur obiectioni insinuatæ ex Sacramentis, pro quibus diximus requiri virtualẽ aut actualem volitionem. Disparitas enim est manifesta, quia in Sacramentis intentio habet se vt pars illorum iuxta nostra principia, vel saltem in omni sententia vt causa illius, ideoque debet existere vel in se, vel in aliquo alio effectu, qui duret quando existit Sacramentum; at applicatio, de qua in præsenti, neque est pars, neque causa voloris satisfactorij, sed solùm purè explicans Deo animum offerentis, vt sciat cui velim eam applicari; hoc autem sufficienter scit per applicationem heri factam nondum retractatam.

SECTIO VI.

De suffragijs pro defunctis.

HACTENVS indifferenter diximus de suffragijs tã pro viuis quam pro defunctis, nunc oportet.

oportet specialiter aliquid de defunctis dicere.

SVBSECTIO PRIMA.

Statuitur certa doctrina, & an ea suffragia sint infallibilia.

SVpponendum ergo est, defunctos per nostra suffragia iuuari siue infallibiliter, siue contingenter, siue de iustitia, siue ex misericordia: de quo statim. Hæc suppositio sic abstractè accepta est de Fide, & ex ensu omnium omnino Fidelium: & quoad orationes ex libris Machabæorum constat; *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Illud ergo nunc declarandum, qualis sit ea satisfactio. Pater Suarez, sect. 6. totus est, vt ostendat eam esse ex iustitia & infallibilem. ego de puncto iustitiæ nihil dicam, quia est difficultas communis ad satisfactionem propriam, item ad suffragia pro viuis, denique ad ipsa merita. Et innumeri sun Scolastici, qui omnem omnino iustitiam rigorosam inter nos & Deum negant; veritas autem certa de suffragiis pro defunctis non debet fieri dependens ab opinionibus longè minùs certis. Nisi fortè per τὸ *ex iustitia* intelligat iustitiam, abstrahendo ab eo quòd sit rigorosa nécne, eo solum sensu quo Paulus ait sibi deberi à Deo coronam iustitiæ. Quidquid ergo de hoc puncto sit, Primò certum videtur in hac materia, si æqualitatem moralem ipsius satisfactionis velimus considerare, non minorem esse cum remissione pœnæ pro animabus Purgatorij, quàm sit pro persona viua aut pro ipso offerente; quia (vt suprà dixi) pœna, quæ remittitur æqualis est, siue sit huius siue illius hominis, vti si merces valeant mille v.g. & ego do mille idem est quòd eas emam pro me, ac pro Petro aut Ioanne. & e contrario.

2. Mach. 12.

Æqualitas satisfactionis eadem est siue pro viuis siue prodesse defunctis offeratur.

39 Circumstantia præterea eius status nil facit ad rem præsentem, quia, si res benè ponderetur omnis omnino satisfactio nostra est in ordine ad statum in Purgatorio, seu in ordine ad pœnas quas in Purgatorio debebamus luere; ergo quòd dum sit applicatio iam alter sit in Purgatorio aut in hac vita, est omnino per accidens ad tollendam vel augendam æqualitatem satisfactionis cum ea remissione. Secundò certum est hanc æqualitatem non sufficere, nisi accedat libera Dei acceptatio, tum quia etiá vt homo pro se ipse satisfaciat in hac vita est necessaria ea acceptatio; Iudex enim pro suo libitu potest determinare qualitatem pœnæ debitæ; de quo sæpè multò ergo magis erit liberum Iudici non acceptare meam satisfactionem oblatam pro altero, quicumque ille sit, siue viuus, siue defunctus. Tertiò certum est potuisse Deum lege infallibili velle semper acceptare eam oblationem potuisse sibi item relinquere liberum iam acceptare, iam non, vti reliquit sibi liberum exaudire orationes nostras. His duobus vel tribus positis, tota difficultas de re ipsa erit, An Deus de facto habuerit eam voluntatem vniuersalem semper acceptandi, si adsint omnes conditiones requisitæ, an verò solùm aliquando. Dico, Hanc solam de re esse difficultatem, nam si ponamus legem infallibilem quærere, Vtrùm eo, ipso esset ex iustitia ratione æqualitatis, & ratione pacti de ea acceptanda: ad quæstionem de sola voce videtur pertinere, quia (vt fusiùs dixi Tomo 1. in primam partem) non video quam formalitatem aut entitatem ei satisfactioni

Ad suffragia pro defunctis requiritur diuina acceptatio.

An satisfactio pro defunctis sicut & pro viuis pertineat ad iustitiam. quæstio est de sola voce.

& idè dico de mertio) neget, putram non vocat ex iustitia, quamque ex contrario ei tribuat, qui eam vocat ex iustitia. Neque enim sufficit ad iudicandum eam dissentionem esse de re, quòd vnus dicat. Ego censeo pertinere ad virtutem iustitiæ, alter id non censeat: hoc inquam non sufficit, quia hoc ipsum est quæstio de nomine, nisi vlterius ostendatur, quod reale prædicatum tribuatur ei satisfactioni ab vno, quod è contrario negetur ab altero; nam si omnia intrinseca & realia prædicata ei tribuunt ambo Auctores, procul dubio de re ambo conuenient; licet hic dicat, Pertinet iustitiam; alter è contrario, Non; pertinet: ea ergo quæstione de voce relicta, quoad rem ipsam dicimus; Licet non omnino certum sit ex lege infallibili eas satisfactiones pro defunctis oblatas acceptari à Deo, esse tamen id longè probabilius, vt benè ostendit Suarez eo loco tum ex Auctoribus Scholasticis (pauculis exceptis, tum ex Patribus, qui æqualiter dicunt suffragia applicari pro defunctis ac pro viuis; pro viuis autem omnes supponunt esse legem infallibilem de qua suprà. Denique sensus communis Fidelium id ipsum persuadet: omnes enim supponunt, cùm primùm offerunt suas satisfactiones pro defunctis, se abdicare illas a se certissimò, non minùs quam si obtulissent eas pro viuis. Neque est vllum fundamentum ad dicendum, aliquando eam applicationem acceptari à Deo, aliquando non, vt statim videbimus: ergo.

Probabilius est suffragia pro defunctis infallibiliter ac certo de facto à Deo.

31

Huic doctrinæ opponit se Caietanus Tomo 10. Opusculorum, Tractatu 16 quæst. 5. quem pauci alij sequuntur apud Suarez suprà: opinatur enim hanc satisfactionem esse ex misericordia. Quæ doctrina bonum posset habere sensum, quatenus scilicet magna fuit misericordia Dei quòd voluerit acceptare hanc translationem satisfactionum: nam paulò antè diximus id fuisse in ipsius voluntate. Quia verò Caietanus addidit, non infallibiliter acceptari hæc suffragia, plus docet eis verbis quam ea sonent. Quòd igitur non prosint infallibiliter probat quia Augustinus variis in locis ait suffragia pro defunctis non omnibus prodesse, sed illis, qui in hac vita meruerunt vt sibi prodesse t, habeturque hoc testimonium cap. *Non æstimemus* 13. q. 2. pro cuius intelligentia Caietanus ait duplicis conditionis animas esse in Purgatorio, quasdam quæ in hoc mũdo neglexerunt curam pro defunctis, & has dicit esse, quæ non meruerunt in hac vita, iuuari iuxta Augustini sensum: alias è contrario ait, quæ diligentes valde fuerunt in iuuandis animabus Purgatorij: aliis ergo primis ait suffragia nostra non prodesse infallibiliter, sed aliquando, Deo acceptari, aliquando non: in his autem putat semper acceptari, fundarique hæc doctrina vlteriùs potest in quibusdam reuelationibus, quòd illi, qui neglexerunt pro defunctis orare, valdè diu fuerunt detenti in Purgatorio non est autem credibile non fuisse etiam pro illis applicata suffragia sicut pro aliis: signum ergo est, quòd ea non fuerint semper acceptata ob rationem factam.

Caietanus contrarium, sed absque fundamento, docet.

Nihilominus tota hæc doctrina caret omni fundamento: nam præcipuum illud ex Augustino oritur ex mala intelligentia eius loci: Augustinus enim illis dicit non prodesse suffragia qui in mortali decesserunt: inter animas verò Purgatorij nullam facit distinctionem, multò minùs sub ea consideratione Caietani.

32

Augustini locus exponitur.

Secundum autem fundamentum etiam non vrget: ex variis enim capitibus illa maior protractio pœnæ potest prouenire. Primò, eò quòd homo negligens orare peccauerit, ideoque aucta sit illi pœna. Secundò, quia in cælo non habet tot intercessores quot aliæ animæ: Beati enim; vtpote gratissimi suis benefactoribus, illos valdè iuuant apud Deum. Tertiò, Deus specialiter etiam disponit, vt eadem mensura illis soluatur, & qui fuere soliciti pro animabus inueniãt alios etiam in hac vita solicitos pro seipsè contrario verò vix alios inueniant hi qui fuêre negligentes. Vnde nihil planè infertur de certitudine acceptationis, quando semel offerũtur suffragia pro illis; non est ergo cur aliter discurramus de his quàm de illis.

Cur diutiùs hæreant in Purgatorio, qui in vita neglexerant defunctis prodesse.

Quorum suffragiorum sint capaces catechumeni.

Illud nunc posset in dubium verti An, saltem catechumenorum animæ excludantur ab his suffragiis. Respondeo, Non excludi: iam enim solùm de iis suffragiis agimus quæ sunt ex opere operãtis, non verò de his quæ ex opere operato. Baptismus autem etiamsi necessarius sit ad participationem in Sacramentis & his fructibus, quæ Sacramenta & Sacrificia concernunt; pro communicatione tamen ex opere operantis non est necessarius, quia hæc communicatio fundatur in gratia habituali, quam etiam habent illæ animæ catechumenorum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quomodo animæ Purgatorii iuuentur per bona opera hæredum

ALtera circa animas Purgatorij difficultas est, An possint iuuari per restitutionem factam ab earum heredibus nomine ipsarum, v.g. per restitutionem bonorum aut per fundationẽ Ecclesiæ, Hospitalis, per eleëmosynas, &c. Non loquor de orationibus, an eis prosint immediatè; quia hæc est communis difficultas etiam ad vivos, quam superiùs decidimus in affirmatiuam partem contra Patrem Suarez; non loquor item de actibus honestis & dolorem adferentibus respectu ipsorum hæredum; nam hi si applicentur defunctis, procul dubio illis proderunt, sicut quorumcumque aliorum iustorum actus quando eis applicantur; est ergo difficultas de operibus quæ valorem nullum habent vt ab hæredibus oriuntur, sed fiunt sæpè etiã in peccato ab illis, nomine tamen defunctorum vt de restitutione, de fundationibus, & eleëmosynis, &c.

33

Quæstio hæc dupliciter potest proponi. Primò, vt defunctus mandauerit fieri restitutionem; Secundò, quòd ille hac de re oblitus nihil dixerit; posteà tamen heredes agnoscentes debitum, illud soluerint ex bonis defuncti. In hoc secundo casu facilior est resolutio, & ex dicendis circa primum à fortiori constabit. In principiis nostris suprà positis omnino est dicendum posse prodesse defuncto etiã restitutionem. diximus enim suprà tunc dominum actu satisfacere per eleëmosynam, quando ea datur à famulo nomine ipsius domini, etiamsi hic actu dormiat quando famulus eam dat; ergo similiter si defunctus mandauit fieri restitutionem, tunc de facto ipse satisfaciet, quando hæredes faciunt restitutionem. Patet consequentia, quia non minùs inuoluntaria est dormienti restitutio quàm defuncto: & idem est de fundatione Ecclesiæ, &c. & ita cum D. Thoma & aliis hanc partem defendi suprà tangens hanc difficultatem occasione domini dormientis, dum famulus ex illius mandato dat eleëmosynam. Confirmatur autem hæc sententia ex cap. *In litteris.* de raptoribus, vbi iubentur heredes resarcire damna à defuncto illata, vt valeat à peccato liberari. Respondet Lugo, Debere corrigi literam textus, ita vt legatur, *Vt valeant à peccato liberari*, id est hæredes, iuxta ea quæ in margine dicti capitis notantur. Non videtur satisfacere hæc solutio; Primùm, quia Glossa expressè id intelligit de defuncto, & dicit illum posse liberari à pœna temporali Purgatorij per hæredum restitutionem. Deinde non recte videtur dici de hæredibus, *Vt valeant à peccato liberari*. Neque enim quia defunctus fuisset incendiarius, ideò heredes peccauerunt, aut ideò indigebant liberari à peccato; ergo si de illis esset sermo, deberet dici teneri restituere damna illata defuncto ne peccatũ contrahant, non erat autem dicendum, vt à contracto iam peccato liberarentur. Tertiò in margine eius capitis non corrigitur littera textus, sed solùm dicitur posse etiam legi in plurali *valeant*. Quartò, si consideretur textus capitis, apparet manifestè sermonem esse de ipso defuncto; nam cùm dixisset Pontifex, *Vt his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra iustitiam irrogauerat, iuxta facultates suas condignè satisfaciat, vt sic à peccato valeat liberari*: ecce peccatum iniustitiæ à defuncto commissum commemorat Pontifex, nihil de peccatis heredum dixit; vnde vt connexio sit in dictis, debet *vt à peccato* cadere suprà *peccatum* immediatè antè positum, id est ab iniustitia. Neque Pontifex erat interrogatus de peccatis hæredum, sed defuncti; non potest ego negari, quin textus ille valdè faueat huic sententiæ. Rationem illius suprà dedimus, ostendentes quomodo hæ actiones possint dici pœnales ipsi defuncto, eo modo quo, postquam dominus dedit famulo pecuniam, de qua iam amplius nihil cogitat; nihilominùs iuxta communem sententiam satisfacit tunc, quando famulus re ipsa eam dat; & tamen tunc non videtur magis accipere damnum quàm accipiat defunctus; vnde Pater Suarez paritatem rationis agnoscens, coactus est vtrobique negare satisfactionem, ne eam vtrobique cogeretur è contrario concedere; Ego autem probabilius iudico eam vtrobique admittendam.

34

Pia opera hæredum, solutiones debitorum, impetrata à sodalibus pro suis animis, eidem vtilia sunt dum fiunt.

Cardinalis obiicit tamquam rarissimum argumentum in contrarium, Quòd si defunctus est in gratia, vt supponitur, soluta pœna liberabitur; non enim meretur nouam, eò quòd tunc ipsius heredes omittant restitutionem; ergo hæc restitutio nihil conducit ad liberationem illius. Citra quam obiectionem aduerte, nos & alios Auctores, quos sequimur in hac sententia, non dicere vllo modo, defunctos tamdiu teneri in Purgatorio donec fiat re ipsa restitutio illa; hoc enim planè esset absurdum, in hoc ergo sensu fatemur obiectionem illam esse valid ssimam. Aliquid aliud dicimus magis fauorabile, nẽpe eam restitutionem deseruire, vt de ipsa pœna debita aliquid remittatur defuncto; quia ea satisfactio habet rationem pœnalis actionis in genere moris respectu illius; sicut idem Auctor dixit de ipsa actuali datione eleëmosynæ facta per famulum, etiam dum de ea dominus nihil scit, neque amplius cogitat. Quod enim responderi posset pro disparitate, dominum viuentem adhuc esse in statu satis faciendi, in quo iam non sunt animæ Purgatorij, quæ solùm satisfatiuntur; hoc inquam suprà à me reiectum est

35

Quid conferant defunctis hæredum satisfactiones.

Quo sensu animæ Purgatorij non sint in statu satisfaciendi

est: dixi enim eas respectu talium actionum non minùs esse in statu satisfaciendi, quam sit ille dominus qui mandauit dari eleëmosynam, eamque de diu famulo donandam pauperi dum postea dormit, & nihil omnino patitur. Animæ ergo Purgatorij non satisfaciunt, sed satisfatiuntur per pœnas Purgatorij; at per actiones illas, quæ sunt ab illis imperatæ, suntque huius vitæ, & de facto adhuc sunt pœnales respectu illarum, non video cur non possimus dicere eas posse satisfacere, maximè cùm id sit iuxta communem sententiam Doctorum ac sensum Fidelium, vt ipse Cardinalis fatetur.

36 Explico hanc vltimam confirmationem: Nam (vt in hac materia inculcaui) tota hæc res, quòd possim pro aliis satisfacere, siue illi viui sint, siue defuncti, imò & quòd possimus pro nobis ipsis, pendet vnicè à libera voluntate Dei: de qua à ratione nihil possumus dicere, sed ex auctoritate: hinc meo iudicio euidenter argumentor: Auctoritas ferè tota & sensus Fidelium stat pro nobis, testibus etiam his qui contrarium sentiunt: cur ergo in hoc puncto, quod probandum est auctoritate non in eam ibimus sententiam, quæ maximè fulcitur auctoritate? & cur è contrario eam, quæ minorem habet pro se amplectemur? Certè illud ipsum principium quod hi Auctores assumunt, scilicet animas in Purgatorio non esse in statu satisfaciendi per hæc opera, debet probari ex auctoritate: iam enim ostendimus id totum pendere ex voluntate Dei, de qua non nisi per auctoritatem discurrere possumus. Cùm ergo auctoritas communis tribuat illis re ipsa satisfactionem per talia opera, non potest assumi illud principium tamquam commune contra nos, cùm priùs è contrario communis auctoritas stet pro nobis: qui discursus videtur mihi planè reddere longè probabiliorem hanc sententiam, etsi dum olim docui hanc materiam contrarium iudicauerim probabilius.

Quomodo eleëmosyna, restitutiones, &c. dici possint defuncti pœnales.

Contra modum tamen, quo nos eam explicauimus, potest obiici, quòd reuerà illa restitutio facta ab heredibus non possit dici pœnalis defuncto, maximè si hæredes non sint ipsius consanguinei aut affines: si enim non sunt cum ipso aliquo modo coniuncti, quomodo, quæso, ex eo quòd heres se priuet eis bonis; vt restitutionem faciat dicetur defunctus pati damnum? Respondeo, Me ostendisse suprà, teneri à iudicari illis defunctis pœnalem, & propterea summè laudari ab omnibus eum, qui ea bona pauperibus non consanguineis legit, iudicatique talem actionem valdè difficilem, non quia à vita se priuet ille homo suis bonis, sed quia postea in heredibus est priuandus. Et hinc fit, vt moraliter defuncti

37 voluntas semper duret, & contra illam seu (vt sic dicam) defuncto repugnante censeatur fieri, quæ contra eius testamentum fiunt; ergo moraliter censetur ipse tunc eis bonis in herede priuari, sicut se priuat dominus, quando ipso dormiente famulus dat eleëmosynam. Denique circa hoc punctum aduerte Suarium & Lugo aliosque qui hanc satisfactionem nolunt admittere, vt respondeant tantæ auctoritati, quanta pro nobis stet, concedere quidem eam restitutionem iuuare ad liberationem ex Purgatorio Primò, quatenus pauperes & illi, quibus fiunt hæ eleëmosynæ, orant pro eo defuncto, & illi applicant suas satisfactiones. Hæc tamen solutio non sufficit ad saluandum sensum communem; nam hæ orationes non sunt per se coniunctæ cum eleëmosynis; & in sententia Suarez, qui ait per impetrationem non obtenti remissionem pœnæ, habet id maiorem difficultatem. Secundus modus, quo dicunt iuuari, est, quatenus Deus non vult audire orationes factas pro eo defuncto tam ab Ecclesia quàm ab aliis, quousque fiant illæ eleëmosynæ, quia congruum est, vt homo ille patiatur, quamdiu alij propter ipsum patiuntur. Ita Lugo sect. 3. Hic tamen modus explicandi mihi videtur durus valdè; Primò, quia sæpè non patiuntur alij causa defuncti qui nihil debebat, sed potiùs ex liberalitate & misericordia in pauperes multa valdè testamento legauit; quòd autem hæredes valdè negligant executionem, iam non est vllo modo illi tribuendum; ideóque videtur esse contra iustitiam, si eo casu Deus nollet audire orationes viuorum pro libertate eius defuncti. Secundò, quia esto fuerit ipse obligatus, Potuit tamen non esse nisi ad restitutionem post mortem; ideoque si eam mandauit tunc fieri, non debet vllo prorsus modo ei tribui, quòd alij patiantur. Tertiò denique, quia esto ante peccauerit, potuit tamen efficere circa mortem quidquid potuit pro ea restitutione, ita vt nullo modo ipse sit eius dilationis causa; supponimus item iam illi esse à Deo pœnam pro priori culpa designatam; cur autem, quæso, cùm nouam non habeat culpam meretur, vt non exaudiantur preces pro ipso factæ?

An obsit defuncto negligentia hæredis ex quando illius voluntate.

18 Hinc autem à fortiori reiicies eum modum, quem tertio loco ponit, vt scilicet etiam vltra tempus alioquin designatum protrahatur pœna, quamdiu non faciunt hæredes restitutionem: vti in Republica solent grauiùs puniri illi, quibus pars læsa non condonat iniuriam, aut quamdiu non fatetur esse sibi satisfactum: hoc inquam ex dictis à fortiori reijciendum est, quia reuerà si culpa non promerebatur nisi decem dies pœnæ, & sunt iam patienter illi tolerati, contra omnem iustitiam erit, si augeatur pœna non aucta culpa, neque vlla de nouo commissa: & hic habet locum ratio illa validissima, quam hic Auctor obiecerat contra communem & nostram doctrinam, quòd tolerata iam tota æquali pœna non puniantur ampliùs propter viuorum negligentiam? & sanè longè grauius mihi videtur admittere hoc, quam concedere, restitutionem imperatam à defuncto esse satisfactoriam pro illo. Instantia autem ex Republica humana non vrget; Primò, quia etiam in illa si semel determinatur pœna adæquata, quam meretur ille, qui mihi combussit domum, v. g. patibulum; profectò etiam si ego iam ampliùs non condonem, nec vllo modo mihi satisfactum sit, quia reus non habet vnde faciat mihi compensationem, nemo tamen poterit probabiliter dicere, ideò debere tali homini illud supplicium commutari in aliud grauius; vt v. g. candentibus laminis aut lento igne per longum tempus expediatur. Fateor ergo condonationem partis læsæ iuuare; id tamen solùm seruit, vt ex debita pœna aliquid remittatur: vnde è contrario si pars non remittit, punitur homo secundùm totum iustitiæ rigorem; ergo cùm supponamus iam Deum ex toto rigore taxasse pœnam, profectò non possumus probabiliter dicere, tolerata iam illa, adhuc Deum detinere animas diutiùs in cruciatibus ob culpam non ipsarum sed filiorum, &c. Confirmatur; nam si iste homo habuisset talem contritionem circa mortem quæ sufficeret ad satisfactionem ex integro etiam pro pœna, nemo probabiliter auderet dicere

An proueniat pœna Purgatorij donec hæredes satisfaciant pro iniurijs factis ab anima purgante.

39

cere talem animam adhuc mittendam in Purgatorium donec fieret restitutio; ergo si eadem iam existens in Purgatorio satisfaciendo extinxit totum debitum, non potest probabiliter dici, quòd secundò & tertiò puniatur, donec hæredes faciant restitutionem. Denique si hæc ratio quidquam probaret, illud sanè, etiam in diem iudicij protrahendam eam pœnam, si non satisfiat parti; hoc autem est incredibile. Non est ergo cur ad has angustias reducamur, facilius nostrem totam explicamus.

Hæc dicta sunt circa eleëmosynas & restitutiones, quæ factæ sunt ex mandato & voluntate defuncti; quia verò diximus suprà alia opera posse concipi tunc facto non ex mandato, sed ex speciali ipsorum hæredum Instinctu, addimus per talia non satisfacere ipsum defunctum, quia ea opera nec sunt actiones defuncti, nec ab eo imperatæ; ac proinde totam suam satisfactionem habent vnicè respectu eorum, qui immediatè eas exercent; ideó que si hi non fuerint in gratia, & eam non applicuerint pro defunctis, nullam inde hi vtilitatem recipient; quia (vt vno verbo id concludam) ea non magis sunt ipsorum defunctorum, quàm quæ fiunt ab aliis eosdem defunctos non concernentibus.

An prosint defuncto pia opera hæredis spontanea.

TRACTATVS TERTIVS, DE SATISFACTIONE PRO POENA TEMPORALI PER INDVLGENTIAS.

ALTER modus quo satisfacimus pro pœna temporali, seu quo eam extinguimus ex opere operato, est per Indulgentias de quibus nunc agendum, quia independentes illæ sunt à Sacramento Pœnitentiæ.

DISPVTATIO XXIV.

Explicatur quid sit Indulgentia, cuius potestatis, & quem effectum habeat.

QVÆ circa has Indulgentias varia possunt in dubium verti, ea in aliquot disputationes distribuemus, ne vnius nimia longitudine molesti simus.

SECTIO I.

Quid nomine Indulgentiarum significetur: An dentur: vnde id probetur: & an earum vsus sit honestus.

CIrca primum dicimus, Indulgentiarum nomine intelligi temporalis pœnæ debitæ in Purgatorio remissionem non vi operum propriorum, sed per applicationem satisfactionum, vel Christi; quæ cùm fuerint infiniti valoris, adhuc habent vim ad eam remissionem obtinendam, si debitè applicentur, vel satisfactionum Sanctorum, vel iustorum, quæ ad Ecclesiæ thesaurum referuntur, eò quòd illi, qui huiusmodi opera satisfactoria habuere, non indigebant illis eo tempore. Dixi autem *vel iustorum*, quia fortè sæpè potest contingere, vt applicentur alicui satisfactiones eorum qui in inferno sunt: multi enim damnantur qui habuere in hac vita aliquando maximam gratiam, & opera satisfactoria valdè multa & insignia effecerunt, potuitque contingere vt illi tunc non indiguerint tanta satisfactione pro peccatis quæ ad eam diem commiserant, eamque pro aliis non obtulerint, ac proinde illa fuerit ad thesaurū Ecclesiæ translata; quæ valorem suum non amittit iam propter peccata mortalia, quæ deinde illi commiserunt, & ob quæ damnati sunt; sicut si mihi aliquis modò iustus applicet satisfactionem suam; mihi proderit eodem modo, etiam si deinde cadat ille ex gratia, & damnetur, ac prodesset, si semper in eadem gratia permaneret; de quo tamen adhuc infrà. His ergo circa nomen *Indulgentia* breuiter suppositis, quæ magis adhuc declarabuntur inferiùs, circa secundam & tertiam partem tituli dicimus dari in Ecclesia potestatem ad eas concedendas; de quo fusissimè Auctores Controuersistæ. Videatur Bellarminus Tomo 3. lib. 1. de Indulgentiis, & Suarez disp. 46. sect. 1. & 2. vbi benè examinat aliqua testimonia, quibus

An aliquæ meritæ damnatorum veniant in thesaurum Ecclesiæ.

Datur in Ecclesia potestas Indulgentiarum.

bus nonnulli probant datam esse à Christo eam potestatem. Circa quæ omnia loca ita censeo, ea talia esse, vt expressè & clarè non requirant hanc potestatem Indulgentiarum, possint tamen illam admittere: aliud enim est, testimonum aliquod pro sui veritate requirere necessariò talem aut talem explicationem, aliud verò, quòd commodissimè illam possit admittere; supposita autem capacitate eius sensus, Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu Scripturæ, ita intellexit semper ea loca vt hanc potestatem simul cum alia absoluendi Sacramentaliter à culpa & ligandi atque soluendi per censuras & præcepta inclusserit Dominus dum dixit: *Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis, &c.* Matthæi 16. item dum eidem Petro dixit, *Pasce oues meas*, Ioan. 21. Quòd verò Ecclesia hanc potestatem Indulgentiarum intellexit eis locis includi, probari posset ex ipso vsu perpetuo Ecclesiæ eas Indulgentias concedentis.

Circa quam probationé Pater Suarez ex vna parte videtur ea sect. 2. absolutè, & non solùm per modum proponentis rationes in contrariũ sentire, rectè colligi eum vsum ex verbis Pauli 1. Corinth. 2. vbi incestuoso cuidam, quem graviter priùs punierat, concessit indulgentiam partis pœnæ. Aliunde tamen statim à numero. 4. probabat fusè, nihil esse quod efficaciter aut etiã plausibiliter probet eum vsum ante tempora Gregorij Magni, quia omnia, quæ adducuntur de vsu remittendi pœnas impositas pro peccatis, vel intelligenda sunt præcisè de pœnis exterioribus, nihil interim remittendo de pœnis coram Deo debitis, vel de pœnis impositis in foro pœnitentiæ, etiam quoad forum exterius; nam & hanc potest mutare, aut auferre, qui illam imposuit, etiam si nihil propterea minuat de pœna Purgatorij. In quo discursu omnino assentior eidem Patri, in eo tamen non videtur seruare consequentiam cum his quæ superiùs disp. 49. sect. 1, dixerat probans, Eum vsum condonandi pœnas illa impositas ab Ecclesia in eo esse fundatum quod alij applicarent sua suffragia pro eis hominibus; ac proinde censet ibi agi de remissione pœnæ Purgatorij; quod tamen hic negat. Verum de hac contrarietate dixi etiam suprà agens de suffragiis.

3 *Vnde probetur origo indulgentiarũ.*

Iam ad rem nostram: Vsus Indulgentiarum à D. Gregorij temporibus maximè est in Ecclesia recepturs; fuisse item eum antiquiorem multo benè hic Auctor confirmat ex Romana traditione circa aliquatum Ecclesiarum stationes ad eas Ecclesias certis diebus per annum solita fieri, in quibus magnæ obtinebantur Indulgentiæ. De qua re nobis satis est insinuasse, vnde harum Indulgentiarum origo probetur. Nam de facto veritas hæc est definita à variis Pontificibus, & nouissimè contra Lutherum à Leone IX. &, Clemente VII. à Tridentino Sessione 25. Decreto de Indulgentiis, ac postmodum contra Baium à Pio V. & Gregorio XIII.

Indulgentiæ nec sunt contra iustitiã, neque contra perfectionem.

Circa vltimam partem tituli dubitari posset, Vtrùm Indulgentiarum vsus sit repugnans vel perfectioni vel iustitiæ. Hæc tamen quæstio facilis est; & quidem quoad iustitiam nulla potest esse difficultas; nam si Christus ipse permisit hunc modum condonandi pœnam, non video qua apparentia possit in dubium verti, Vtrùm in eis committatur iniustitia in Deum; imò cùm præcipua pars Indulgentiarum (vt dicemus) sit ex meritis Christi, valdè conforme iustitiæ est, si ipsa Christi merita applicentur ad obtinendã eam remissionem, ne maneant irremunerata. Quoad alteram verò partem de perfectione, etiam est res facillima; quia vti medio, quod ipse Deus instituit ad obtinendam remissionem non potest vllo modo esse contra perfectionem.

Dices: Minùs perfectum est velle sine satisfactione Deo exhibita condonari sibi pœnam. Respondeo Primò, Hominem posse & simul velle lucrari Indulgentias, & simul exercere illa omnia opera satisfactoria, quæ debuisset alioquin exercere, si non obtinuisset easdem. Secundo respondeo, Hominem tunc non velle sibi remitti pœnam gratis, sed per applicationem meritorum Christi; sicut remittitur etiam ex opere operato per satisfactionem Sacramentalem. Addo, cùm ex ea remissione pœnæ sequatur anticipatio beatitudinis in qua homo effecturus est actus amoris Dei & virtutum aliarum longe nobiliores, & ipso Deo gratiores, quàm eo tempore exercere potuisset in Purgatorio, non video, quomodo possit dici esse contrarium perfectioni desiderium euadendi eas pœnas per medium alioquin licitum, vt supponimus. Imò potiùs ex eo capite debet illud iudicari valdè iuxta perfectionem, ex quo etiam capite ostendi Tomo 5. maioris perfectionis esse priùs pro debita à se pœna in Purgatorio satisfacere quàm pro aliena; quia magis debeo esse solicitus vt ego Deũ laudem & honorem, quàm vt reliqui id faciant: & huc videtur allusisse Sotus apud Suarez disput 49. in fine dum dixit, Ob vitandam pœnam damni, seu impedimenti visionis beatæ, maioris charitatis in Deum opus esse, velle satisfacere per Indulgentias, quam tolerando pœnas Purgatorii. Hoc ergo facili dubio expedito, iam ad ea quæ inter Catholicos sunt dubia.

SECTIO II.

Qualis potestatis sit concessio Indulgentiarum.

QVÆRIMVS, An potestas concedendi Indulgentias sit ordinis, an verò iurisdictionis, aut vtriusque. Tres sunt in hoc puncto sententiæ; vna docet eam esse solius ordinis, eò quòd reducatur ad potestatem absoluendi à peccatis; quæ est potestas ordinis. Secundò, quia per eas Indulgentias remittitur pœna etiam iniuncta à Sacerdote in confessione Sacramentali; ergo qui eas Indulgentias concedit, debet habere etiam potestatem Sacerdotalem vel aliam æquiualentem. Potestas autem iurisdictionis non continet in se formaliter aut virtualiter potestatem ordinis, ergo nec potestatẽ concedendi Indulgentias. Tertiò, quia Indulgentiæ conceduntur etiam defunctis, in quos Ecclesia nullam habet iurisdictionem; ergo eas potestas est ordinis. Quartò, quia Indulgentiæ non conceduntur inuitis; ergo non est actus iurisdictionis; hic enim etiam in inuitos exercetur; ergo est ordinis. His argumentis paulò pòst satis. Secunda sententia extrema docet esse actum solius iurisdictionis. ita D. Thomas in 4 dis. 20. quæst. 2. art. 4. quæst. 2. Paludanus ibi quæst. 4. Sotus dist. 21. quæst. 1. art. 4. Caietanus Opusculo de Indulgentiis ad Iulium II. Papam, Suarez suprà sect. 3. Lugo sect. 1. disput. 27. & alij communiter.

muniter. Tertia sententia media quam insinuat Durandus in 4. dist. 20. q. 3. & 5. docet esse potestatem cuiusdam alterius curæ, vel prouidentiæ Pastoralis, non propriè iurisdictionis, quia hæc duo distincta sunt: vt in Prælato patet; nam curare infirmos non est actus iurisdictionis, sed cura Pastoralis muneris. Id quod confirmatur, quia non potest exerceri in inuitum; si autem esset actus iurisdictionis, posset in inuitum exerceri. Secundò, quia si esset actus iurisdictionis, non posset ei frui qui eam concedit; non enim habet ille suprà se iurisdictionem: & huc etiam potest applicari ratio pro prima sententia facta, quòd hæ Indulgentiæ concedantur etiam defunctis, in quos Papa non habet iurisdictionem.

5 *Potest indulgentiarum non est solius ordinis.*

PRIMA CONCLVSIO: Hæc potestas non est lius ordinis, Hæc videtur omnino certa, quia simplex Sacerdos non habet potestatem concedendi Indulgenaias. Dices: Erit ordinis Episcopalis. Sed contrà, quia Episcopalis ordo vt ordo est, non addit aliud quàm potestatem consecrandi Sacerdotem aliosque Episcopos; in quo concepta nihil est de remissione pœnæ Purgatorij: Sacerdotalis autem ordo in respectu remissionis peccati, si adsit iurisdictio, est perfectè æqualis Episcopali; ergo in ordine ad remissionem pœnæ temporalis ille sufficiet sicut Episcopalis, nisi recurratur ad iurisdictionem.

Ne quidem Ordo est ad eam necessarius.

SECVNDA CONCLVSIO: Sacramentum Ordinis non est necessarium ad Indulgentias concedendas. Hæc est communissima & probari solet ex eo, quòd Cardinales adhuc non habentes Ordines ex commissione Papæ concedant Indulgentias. Hæc tamen probatio videtur mihi non omnino efficax; facilè enim aliquis diceret Cardinales non tam concedere Indulgentias quàm designare personas, quibus facta ea designatione applicentur illæ Indulgentiæ à Papa. Auctores autem contrarij non nisi in eo, qui nomine suo & auctoritate propria eas concedit, dicunt esse necessarium ordinem. Meliùs ergo hoc idem probatur ex Pontifice ipso, qui esto adhuc non sit Sacerdos, potest tamen Indulgentias concedere; ergo ea concessio, etiam in eo qui proprio nomine concedit non est actus ordinis. Id ipsum probatur, quia concessio Indulgentiarum non est actio Sacramentalis; ergo non requirit ordinem, quia ordo propriè & directè solùm requiritur ad actionem Sacramentalem absolutionis.

Requiritur haec potestas in iurisdictionem.

TERTIA CONCLVSIO, Ad concedendas has Indulgentias esse necessariam iurisdictionem in concedente. Hoc patet ex dictis, quia hæc concessio requirit aliquam potestatem spiritualem, vt per se patet, non ordinis, vt diximus, ergo iurisdictionis. Confirmatur; nam cùm primùm Pontifex eligitur, & habet iurisdictionem, potest Indulgentias concedere, quas antè non poterat; ergo ea iurisdictio necessaria est ad hanc concessionem.

6 *Solvitur argumenta contraria.*

Iam hinc facile erit respondere argumentis primæ sententiæ. Quod primo loco dicebatur, hanc potestatem reduci ad absolutionem à peccatis, loquendo in sensu laxiori; verum est, quia est liberatio à pœna contracta per peccatum. In hoc tamen sensu negandum est, potestatem ordinis extendi ad hanc absolutionem. Ordo enim solum extenditur ad absolutionem omnimodam à culpa, à pœna verò temporali non alio modo quàm imponendo pœnitentiam Sacramentalem pro illis solis peccatis, de quibus est facta confessio; absolutio autem per Indulgentias (vt ostensum est) non pendet ab huiusmodi pœnitentia aut absolutione à culpa, data ab eo qui Indulgentias concedit; non est ergo necessarium vt qui eas largitur habeat vel formaliter vel æquivalenter potestatem ordinis. Quod dicebatur secundo loco, per Indulgentias remitti etiam pœnam, quæ per pœnitentiam Sacramentalem remittenda erat, nihil vrget; quia inde solùm colligitur, in ordine ad remissionem eius pœnæ temporalis æquivalere potestatem iurisdictionis potestati ordinis; per quod tamen nullo modo infertur esse necessarium ordinem secundùm suam propriam & specificam differentiam, quæ desumitur ex potestate consecrandi corpus & sanguinem Christi Domini, & absoluendi Sacramentaliter à culpa quà tali. Tertium argumentum, quòd concedantur Indulgentiæ etiam defunctis, in quos Ecclesia non habet iurisdictionem, explicabitur inferiùs, dum dixerimus, quomodo illæ applicentur defunctis.

Ad quartum, quòd Indulgentiæ non concedantur inuitis, respondeo Primò, Inde non sequi eam non esse actum iurisdictionis; nam absolutio Sacramentalis est actus propriæ iurisdictionis, & tamen non conceditur inuitis. Secundò respondeo, Ad obtinendas Indulgentias non esse necessarium positiuum consensum, sed posse applicari à Pontifice etiam his qui de illis nihil cogitant. Tertiò denique respondeo, Me paulò post ostensurum, etiamsi hæc concessio prærequirat iurisdictionem, non tamen ideò esse ex his actibus, quos vocamus ordinariè actus iurisdictionis.

An concessio Indulgentiarum sit actus iurisdictionis rigorosè.

Quod vt intelligas aduerto circa sententiam tertio loco positam, huic est Durandi, docentis eam concessionem esse potestatis alterius generis, sicut curare infirmos, &c. non posse esse cũ eo dissensionem, nisi de sola voce, etiamsi Pater Suarez valdè de eo puncto contra illum disputet. Etenim Durandus vocem illam *iurisdictio* seu actum iurisdictionis intelligere videtur actum mandãdi aut prohibendi, reprehendendi, castigandi, &c. qui soli actus communiter dicuntur, iurisdictionis, & hac acceptione supposita remissio Indulgentiarum esto prærequirat iurisdictionem, non est tamen actus formaliter iurisdictionis: & ad hoc adducit Durandus illam instantiam de Superiore dante eleëmosynam etiam suo subdito, aut subditum infirmum curante; qui actus sine dubio fundatur in iurisdictione, non tamen ab hominibus dicitur actus iurisdictionis. Pater autem Suarez vocat actum iurisdictionis illum omnem, qui supponit iurisdictionem: quo sensu è contrario non negat Durandus illum esse iurisdictionis, cùm adducat instantiam Prælati (ac proinde habentis iurisdictionem) curantis infirmum. 7

Obiicies tamen: Absolutio est in omnium sententia actus iurisdictionis: ad hanc autem reduci concessionem Indulgentiarum: ergo hæc erit etiam in eo sensu rigoroso actus iurisdictionis. Respondeo, Absolutionem omnino esse actum iurisdictionis: verùm autem ad absolutionem reducatur hæc concessio, iam est alia quæstio nõ cum solo Durando, sed cum D. Thoma & multis aliis; de qua rursus idem Pater Suarez fusè agit sectione sequenti: vnde iterùm dico in præsenti non esse cum Durando specialem quæstionem de re, sed de solo modo loquendi. In quo,

quia

sententia D. Thomæ,non esse per modum absolutionis, licet in hocipso magna ex parte sit dissensio de voce, vt dicã; ideoque probabilior etiam mihi videtur modus loquendi Durandi, scilicet iam concessionẽ supponere quidem iurisdictionem,non tamen in rigore esse iurisdictionis actum, iuxta acceptionem communem actus iurisdictionis; quomodo autem ea duo conueniant inter se,iam erit ostendendum.

SECTIO III.

An concessio Indulgentiarum sit per modum absolutionis.

8 SECVDA ergo præcipua quæstio est, An Pontifex,dum concedit Indulgentias,absoluat propriè per modum Iudicis à pœna,aut per modum creditoris à debito, an verò det suo subdito pretium, quo hic obtineat ab altero,id est à Deo, absolutionem. Hæc duo esse diuersa est certo certius ; nam si ego debeam Principi centum,potest ille dupliciter me liberare ab eo debito,vel dicendo immediatè.Remitto tibi debitum hoc,vel dicendo,Do tibi centum vt satisfacias meæ cameræ;& idem dici potest,si debitum sit respectu Iudicis ratione culpæ,ob quam est damnatus quis soluere cameræ centum;dicere enim potest Iudex ipse,Ego tibi condono & remitto eam pœnam;vel potest dare ipsi reo cẽtum, quibus hic satisfaciat.Hac ergo differentia suppositã quærimus, Vtrùm Pontifex primo,an secundo modo in hac concessione vtatur.

SVBSECTIO PRIMA.

Id sit per modum solutionis.

CAietanus, Sotus Corduba, Angelus , Rosella.Armilla & alij apud Suar.sect.4. opinantur Indulgentias concedi per modum solius absolutionis seu remissionis pœnæ:id quod videtur probari tũ ex aliquibus capitibus,in quibus hæ Indulgentiæ vocantur absolutiones & remissiones, tum ex dictis suprà , quòd hæc potestas supponat iurisdictionem ; ergo est actus illius non ligans,vt per se patet;ergo absoluens. Probatur Secundò;nam Christus Dominus dedit Pontifici potestatem aperiendi & claudendi cælum;atqui ad hanc potestatem pertinet remittere illas pœnas, & absoluere homines ab illis;ergo est actus veræ absolutionis.Confirmatur præterea ex cap. *Quod autem*.de Indulgentiis;in quo dicitur dantem Indulgentias debere esse iudicem,quia nemo ligatur aut absoluitur nisi à suo iudice.Vbi clarissimè dicitur,verè per eas remissiones hominẽ absolui; est ergo actus puræ absolutionis.

An concessio Indulgentiarum sit per modũ absolutionis.

9 Secunda tamen sententia extrema est Durandi, Paludani , Sylvestri , Antonini,Adriani, Diui Thomæ , apud Suarez sect.4 num. 30. docentium,eam remissionem solùm fieri per modum solutionis , qua Pontifex de thesauro Ecclesiæ applicat tantum satisfactionis,quantum necesse est ad extinguendam illam pœnam,prout constat ex definitionibus Clementis VI. in Extrauaganti *Vnigenitus*.& Leonis X.in Bulla contra Lutherum;eo autem ipso quòd remissio fiat per solutionem pretij sufficientis, nõ potest esse per modum absolutionis;quia duo hi modi soluendi videntur inter se repugnare.

Tertia denique sententia media docet fieri vtroque modo, ob rationes vtriusque extremè oppositæ sententiæ;& quia non repugnant duo hi modi simul;per quod satisfit argumento vltimo secundæ sententiæ , quo dicebatur non posse eos duos modos remissionis simul esse.

Ego in hac quæstione DICO PRIMÒ;Certum videtur ex ipsa declaratione Indulgentiarum debere interuenire solutionẽ æqualis pretij:nihil enim aliud intelligimus per Indulgentias quàm applicationẽ satisfactionum Christi & Sanctorum ad extinguendam pœnam Purgatorij; & hinc manifestè reiicitur prima sententia, quatenus solum per modum absolutionis Indulgentias concedit dixitetenim absolutio in toto rigore significat liberationem a Iudice aut creditore factam quasi liberaliter. Argumenta verò ipsius summùm probant in Indulgentiis interuenire absolutionem,non tamen euincunt non interuenire simul solutionẽ pretij. An autem hæc duo inter se repugnent dicemus statim.

Indulgentia sunt per modũ solutionis.

10 SECVNDÒ DICO probabiliorem esse sententiam D. Thomæ, asserentis solùm interuenire solutionem pretij respectu ipsius Põtificis.Etenim Pontifici non subiacet homo immediatè quoad pœnas Purgatorij ; nam potestas remittendi & detinendi peccata solùm est in ordine ad absolutionem Sacramentalem & satisfactionem,quæ in illa exercetur audita caussa , & iudicata per Sacerdotem:expedito autem eo iudicio non potest facilè concipi,quomodo homo quoad eas pœnas Purgatorij subiaceat Ecclesiæ. Quæ difficultas potest variis vijs ostendi : Primò,quia potestas concedendi Indulgẽtias exerceri potest sine vllo actu exteriori ipsius hominis,si ei immediatè illas concedat Pontifex, mihi v.g. & ego interiùs acceptem;non est autem expl cabile facilè,quomodo in Ecclesia sit potestas exercendi actum aliquem iudicialem pure interiorem.Neque video fundamentum vllum sufficiens vnde probari possit ea potestas data Eccl siæ; nam *tò remittere &retinere* iam dixi propriè esse in ordine ad Sacramentale iudicium, vbi verè est potestas retinendi & remittendi.Has autem pœnas,semel culpa remissa,iam non potest Pontifex retinere , nec impedire me v.g. quò minùs validè per opera satisfactoria propria aut aliena illam pœnam Purgatorij extinguam; ergo quoad illam pœnam, non sum vllo modo Pontifici subiectus.Id quod vlteriùs suadetur,quia Pontifex me non potest impedire,quò minùs ego alteri applicem meam satisfactionem , aut alius mihi suam:ergo non habet per se dominium in eas pœnas;ergo non potest ab iis me propriè absoluere.

Soluto ipso fit à pœnis.

11 Tertiò probatur hoc ipsum:nam Pontifex , nisi applicet pretium æquale pro pœna ex thesauro Ecclesiæ,non potest remittere pœnam;eo autem ipso quòd applicet æquale pretium,intelligi nõ potest facilè quid efficiat absolutio,quæ à contrarijs Auctoribus ponitur ; si v.g. Petrus est reus exilij coram Rege , & Rex se obliget, quandocumque Petrus centum , siue ex se illa habeat,siue ab alio donata,sibi offerat, Quòd velit illi exilium remittere,seu absoluere illum dem ego centum Petro,Rex acceptet,& absoluat;quomodo quæso potest concipi,quod ego in ea donatione vtar potestate absolutiua:Expli co in Põtifice id ipsũ:Etenim quantumcumque ille dicatur vt potestate absoluẽdi, non videtur

ab

ab his Auctoribus declarari quid per eos terminos dicatur. In primis enim non interuenit propria absolutio in eo, quòd mihi donet de thesauro qualitatem Indulgentiarum, quam ego possim Deo offerre; nam donatio pretij qua talis non est absolutio. Non interuenit præterea absolutio Pontificis in eo quòd Deus acceptet pretium oblatum in compensationem illam, quia ea acceptatio est solius Dei, in quam nihil exercet Pontifex Iurisdictionis: acceptato autem eo pretio, iam eo ipso homo formalissimè est liber à pœna: in quo ergo quæso consistit illa ratio absolutionis? seu quid re ipsa ibi efficit Pontifex præter hoc, quod est dare nihil illud pretium, vt ideò dicatur me absoluere?

12 Fortasse aliquis obiiciet contra hanc rationẽ, eamdem esse difficultatem in absolutione Sacramentali; nam etiã homo non est iudex peccatorum, nec ipse ea remittit: id enim ad solum Deum pertinet; & tamen verè homo exercet iudicium & absolutionem; ergo & hic poterit eamdem exercere. Respondeo facilè, Maximam esse differentiam inter eos duos casus; nam in ordine ad peccata mortalia Sacerdos, est verè iudex: si enim ille non absoluat audita causa, homo est adhuc reus confessionis; nam licet per contritionem possit quis iustificari; obligatur tamen adhuc se sistere Sacerdoti; & impositam ab eo pœnam acceptare. Quia verò hæc solutio non est vniuersalis ad absolutionem à peccatis venialibus nam hæc non tenetur Ecclesiæ subiicere; respondeo Secundò, In Sacramento Pœnitentiæ constare nobis ex ipsa potestate Apostolis & Sacerdotibus à Christo Domino concessa, ex definitionibus item Conciliorum exerceri verum iudicium in eo Sacramento. Sacerdos enim est Vicarius Christi in ordine ad eam remissionem: vt verò id dicamus de hac concessione Indulgentiarum nullum habemus fundamentum; & verò facilius longe per puram pretij solutionem id intelligimus, cùm iuxta dicta in ordine ad pœnam Purgatorij nullo modo subiiciamur Pontifici aut Ecclesiæ, nec ratione illius obligemur ad aliquid faciendum coram Pontifice eo titulo; quomodo ergo deinde poterit directè me absoluere, cùm iurisdictionem non habuerit in eum reatum? non facit ergo aliud quàm dare mihi pretium æquiualens, quod Deus acceptat dum ipsi ego aliud offero. Argumentor præterea pro hac sententia retorquendo quoddam fundamentum, quo Pater Suarez vtitur pro contraria; ait ergo ille ea sect. 4. num. 10. Pontifex dans Indulgentias homini viuo, non donat illi tantam quantitatem satisfactionis, vt eam possit pro suis peccatis offerre, & per eam soluere pœnam debitam; sed immediatè liberat hominem à tali reatu pœnæ vtens potestate iurisdictionis ad hoc sibi concessa; & ideò non interuenit propria donatio alienæ satisfactionis facta ei cui conceditur Indulgentiæ, neque etiam interuenit quasi oblatio illius satisfactionis facta Deo, vt ipse remittat alteri pœnam, sed interuenit potiùs condonatio proprij reatus in virtute satisfactionis repositæ in thesauro Ecclesiæ facta à Christi Vicario à vice ipsius Christi, seu (quod idem est) facta à Christo per Vicarium; ergo nihil illi deest ad veram rationem absolutionis: Hoc argumento vtitur Suarez, nec vlteriùs confirmant propositiones quas in eo assumit; ego autem eas omnino iudico falsas, ideoque assumendo contradictorias sic pro me discurro: Pontifex dans Indulgentias donat homini quantitatem satisfactionis quam pro se homo Deo offerat, sicque à pœna liberetur; ergo Indulgentiæ sunt per modum solutionis, non verò per modum absolutionis. Consequentia est bona ex P. Suario & reliquis; antecedens autem probatur. Primò quidem quando concedit Indulgentias cum facultate, vt homo possit pro libito illas vel sibi applicare vel pro defunctis: eo enim casu manifestum videtur Pontificem non liberare hominem immediatè, sed dare illi pretium, quod ipse possit vel pro se vel pro alio applicare, & modò sic, modò alterum liberare. Nec facilè poterit concipere quis in eo casu eam immediatam absolutionem, quam Suarez ponit. Quòd si semel concedamus, in tali casu esto homo sibi applicet Indulgentias liberari non per modum absolutionis, sed solutionis, profectò idem erit dicendum in omnibus casibus: nam si argumenta aduersa quidquam probant, illud sanè, Indulgentias viuis semper concedi per modum absolutionis: est autem valdè material, quòd hoc vel illo modo concedantur. Iam tamen Secundò probo, esto dentur cum limitatione, vt non possint applicari nisi ipsi cui conceduntur, non tamen ideò magis concedi per modum absolutionis. Nam quòd ego eas alteri non possim applicare, nihil probat de ea immediata absolutione (de qua Suarez) sed purè potè inde sequitur vnum e duobus, vel quòd Pontifex applicet immediate illas pro me vel quòd cum hac obligatione eas mihi det, vt ego non possim vti illis nisi pro me. Perinde ac ego donarem Petro centum cum hac obligatione, vt cogeretur se ea pecunia ex carcere redimere: profectò non magis tunc ego cum liceratem absoluendo illum, quàm si dedissem illi pretium cum facultate, vt posset vel illud applicare cuicumque vellet, vel seipsum liberare: ergo ea absolutio tota est per modum solutionis, non absolutionis.

Differentia inter Indulgentias & absolutionẽ Sacramentalẽ.

Probatur Indulgentias esse per modum solutionis.

14 Præterea quòd Pater Suarez ait Pontificem liberare immediatè hominem vi satisfactionum repositarum in thesauro Ecclesiæ, neque interuenire ibi obligationem factam Deo vt ipse remittat pœnam: hoc inquam videtur mihi valdè durum: etenim contrarium communiter omnes concipiunt: & verò ipse Suarez fatetur ibi interuenire solutionem pretij æqualis. Vnde argumentor: Meo iudicio efficacissimè illud pretium alicui soluitur, non ipsi Pontifici: quia homo reus pœnæ Purgatorij non est debitor Pontifici, sed Deo: debet ergo Deus illud pretium acceptare: est ergo oblatio pretij æquali facta Deo, & interuenit ipsius Dei acceptatio & voluntas non amplùs puniendi eum hominem.

13 *Retorquetur argumentum Patris Suar. quo adfert pro absolutione.*

Tertiò principaliter probantur nostra conclusio ex Indulgentiis concessis defunctis, vbi ferè omnes fatentur non interuenire absolutionem, sed solutionem: ergo idem erit respectu viuorum. Quòd enim dicitur communiter defunctos non esse subditos Pontificis sicut sunt viui, nullo modo euacuat difficultatem præsentem: nam esto viui sint subditi Pontificis quoad alia, nullo tamen modo ostendi potest eos esse subditos in ordine ad hanc pœnam: imò contrariũ videtur colligi ex dictis suprà. Neque valet argumentum: Ego sum subditus Petri, absolutè loquendo: ergo sum in ordine ad omnia. Hæc enim consequentia est valdè mala: vnde licet

Fideles non sunt subditi Pontifici quoad omnem pœnam.

sim

sum subditus Pontifici, non tamen propterea potest mihi impetrare actus purè internos: in ordine enim ad illos non sum ei subditus. Quid autem quæso magis internum quàm Purgatorij pœnarum reatus, quando remissa iam est culpa, & amplius non subditur Sacramẽtali confessioni: aut vnde quæso potest probari ea subiectio nostra specialis præ defunctis ratione illius reatus, quandoquidem ex generali illa ratione, quòd simus subditi Pontificis, absolutè id non conuincatur vllo prorsus modo; vti non conuincitur esse nos subditos in ordine ad actus purè internos? Certè nisi supponatur id, de quo est tota quæstio, planè conuincit argumentum.

15 Argumentor Quartò pro eadem sententia, quia haud dubiè iuxta illum incredibiliter faciliùs explicatur, quomodo ipse Pontifex, qui supra se non habet vllam iurisdictionem, possit tamen esse particeps Indulgentiarum; nam in ordine ad offerendum Deo æquale pretium pro se non indiget vlla in se iurisdictione, qua indigeret, si deberet se absoluere. Respondent aliqui, Hinc probari respectu Pontificis eas confessiones non esse absolutiones, sed solutiones, respectu aliorum verò nihil euinci. Sed contrà, quia nullum fundamentum est ad dicendum, diuerso modo illum concedere Indulgentias sibi quàm aliis. Secundò, quia si semel saluatur, id fieri per solutionem respectu ipsius, quid quæso nos cogit, vt respectu aliorum ponamus eam absolutionem? negari enim non potest, eam non tam clarè intelligi, quàm si dicatur fieri per solam solutionem. Ideò instantiæ prædictæ respondent Secundò alij: (inter quos est Lugo:) Etiamsi iurisdictio cum potestate ligandi non sit ad seipsum, potestatem tamen merè liberandi alieno nomine benè posse esse respectu sui. Pontifex ergo nomine Christi aperit thesaurum, & offert pretium pro suo debito; & rursus ipse vt Vicarius Dei acceptat oblatam solutionem, & seipsum à debito liberat: sicut si aliquis debitor Petri, & ab eo constitutus ipsius procurator, acceptet solutionem frumenti, & Petri nomine seipsum liberet à debito pecuniæ, & tunc & soluit debitum, & simul Petri nomine absoluit seipsum acceptando solutionem. Hæc responsio est quidem probabilis, mihi tamen videtur non extinguere difficultatem; & Primò quidem si potest vt procurator Petri acceptare solutionem, & liberare se hoc modo se absoluendo, profectò non video cur etiam eodem modo tamquam habens auctoritatem Petri non possit se ligare, & ad carceres damnare, tamquam eidem Petro non soluentem debitum; neque capio cur officium procuratoris sufficiat ad absoluendum se, non ad ligandum se, cùm non minùs absolutio quàm ligatio videatur esse ad alium. Ne autem mihi dicatur, melius esse pro solutione argumenti, si vtroque modo quis possit seipsum ligare, impugno absolutè eam responsionem; quia licet fortasse hic modus dandi Pontifici vt Vicario Christi iurisdictionem se absoluendi sit possibilis, negari temen non potest, quin difficiliùs intelligatur quàm si per modum puræ solutionis id faciat; vnde redit argumentum meum, quòd ad hunc modum difficilem recurramus sine necessitate: & verò si discursus factus ab hoc Auctore quidquam probaret, illud certè posse etiam Pontificem seipsum à peccatis absoluere nomine Christi vt illius Vicarium. Cùm ergo id omnes negent, ex eo quòd absolutio per se requirat distinctionem inter absolutum & absoluentem, neque constet ex sacra Scriptura Christum fecisse aliquam exceptionem in hoc genere, profectò neque etiam habeamus vllum fundamentum ad dicendum, Christum Pontifici dedisse iurisdictionem supra ipsummet Pontificem in ordine ad absoluendum à pœna, non autem à culpa; deinde nec habeamus etiam fundamentum ad dicendum, dedisse iurisdictionem non ad ligandum, sed ad absoluendum se, non video quomodo debeamus vnum asserere; alterum negare, nisi planè velimus diuinare. Denique, neque est aueitum, quod Pontifex, dum cum ceteris lucratur Indulgentias, dicat, Ego me absoluo à pœnis Purgatorij; bene autem, Applico pro me sicut pro aliis de thesauro Ecclesiæ tantum aut tantum; non ergo debemus id explicare per absolutionem, sed per solutionem.

An possit aliquis habere potestatem se ipsum absoluendi, non autẽ ligandi.

16

SECTIO TERTIA.

Respondetur argumentis oppositis.

17 IAm ex his facilè responderi potest ad argumenta opposita, & quidem ad textum illum, quòd remissiones concessæ in solemnitatibus Dedicationis Ecclesiæ solùm extendantur ad subditos; quia absolui non potest qui non est subditus. Respondeo in primis, Pontificem ibi nihil definiuisse, sed quasi sub opinione sua priuata locutum; vnde dicit *arbitramur*; quod verbum idem est ac opinamur. Respondeo secundò: Etiamsi hæc potestas sit ad solutionem ita tamen esse, vt supponat necessariò iurisdictionem in eos quibus conceduntur Indulgentiæ; vt si Rex donaret alicui, Petro v.g pecuniam solùm distribuendam inter subditos ipsius Petri, illa distributio pecuniæ supponeret quidem iurisdictionem in subditos, non esset tamen in se formaliter actus iurisdictionis: quia ergo Vicarius Christi non accepit potestatem nisi vt in oues ipsius Pontificis, in quas haberet iurisdictionem, distribueret de thesauris Ecclesiæ, merito in eo capite Pontifex ratione iurisdictionis præuiæ requisitæ dixit eas remissiones esse absolutiones, & fieri non posse nisi in subditos. Et sanè si ad rigorem totum deberemus recurrere, ea verba ostenderent, ipsum Episcopum tunc concedentem in ea Dedicatione Ecclesiæ Indulgentias, non potuisse earum esse participẽ, & quod grauius est, vniuersaliter etiam numquam Papam eas lucrari; hoc enim ea verba sonant, *Nemo ligatur aut soluitur nisi à suo Iudice*. Certum est autem, Papam non esse sui Iudicem. Certum item in eo textu æqualiter loqui Pontificem de potestate ligandi ac de potestate absoluendi: ac proinde vel erit contra omnes, qui saltem ad se ligandum fatentur non esse in Pontifice iurisdictionem, vel contra nullum. Vnde vehementer inducor vt credam (& hæc sit tertia ac præcipua responsio ad eum textum) ibi Pontificem egisse de remissione pœnitentiarum impositarum à Confessariis, eo planè modo quo diximus suprà ex Patre Suario debere intelligi S. Cyprianum & aliquos Patres antiquiores, dum dicunt ad instantiam Martyrum fuisse aliquibus remissas pœnas publicas illis impositas: & in his habet locum optimè ea ratio, quòd potestas ligandi & absoluendi proptium requirat iudicem. Inducor præterea ad iudicandum,

Explicatur cap. Quod autem de Indulgentiis, an illæ sint absolutiones.

hanc fuisse Pontificis mentem. Nam Episcopus non concedit Indulgentias nisi ex licentia Pontificis, quando autem Pontifex solet dare facultatem, vt in solemnitatibus Sanctorum aut in Ecclesiarum Dedicationibus Indulgentiæ concedantur, numquam coarctantur præcisè ad homines qui sunt eius Episcopatus, sed ad omnes concurrentes etiam aliunde; & verò quodam modo magis ad hos, vt alliciantur ad solemnitates; & qui longiorem viam confecerunt, non maneant minori cum consolatione quàm vicinniores. Igitur ibi sermo est de remissionibus earum pœnitentiarum, quæ per se spectant ad Episcopum; ac proinde sine speciali Pontificis licentia imponuntur; non habet autem Episcopus iurisdictionem hanc ordinariam nisi ad suas oues; ideoque iure merito dicitur ibi eam potestatem ligandi ac soluendi non nisi ad subditos extendi. Nihil ergo ex illo textu contra nos colligitur.

Quæstio vtrùm detur Indulgentia absolutiones

Et hinc constat à fortiori, quid sit respondendum ad alios textus, in quibus hæ Indulgentiæ dicuntur absolutiones: fatemur enim ita vocari, quia reuerà per illas absoluitur peccator siue à Deo solo, siue à Deo per Pontificem. Vel si promisisset Rex se liberaturum è carcere reum, qui offerret pro se centum aureos, haud dubiè qui eos centum pro Petro offerret, dici posset absoluere Petrum saltem virtute. Quòd si ex modo loquendi è contrario volumus argumentari, posse fortasse probari nostra sententia ex eo quòd Pontifices concedentes Indulgentias numquam dicunt, *Ego te absoluo à pœna Purgatorij*; quod tamen tam propriè dicere possent ac, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, in sententia Aduersariorum; sed solùm dicunt, *Concedo tibi Indulgentiam plenariam*: qui modus loquendi non tam significat absolutionem quàm donationem pretij æqualis, & in illo virtualiter etiam remissionem pœnæ, quatenus hæc est annexa illi pretio; & ex hoc capite illa eadem concessio potest etiam respectu Pontificis dici absolutio, quatenus in virtute datur, & hoc modo dicitur fortè absolutio respectu viuorum, respectu mortuorum verò non absolutio, sed suffragium; quia (vt inferiùs dicemus) nisi liberaliter à viuo applicetur pro defuncto Indulgentia, non habebit in illo suum effectum; ideoque prout à Pontifice conceditur, nondum est liberatio aut solutio, multoque minùs absolutio; vnde oportet vt intercedat ipsius hominis viui suffragium.

Modus loquendi Pontificis donatis Indulgentias probat eas non absoluere, sed solui.

Ratio verò à priori contra nos facta, scilicet hanc remissionem pœnæ, cùm sit respectu subditi, habere omnia quæ requiruntur, vt sit per modum absolutionis, facilè ex dictis soluitur, constat enim non esse subditum quoad hæc propriè respectu Pontificis, sed solum respectu Dei, indirectè autem potest subditus, quatenus tam est in manu Pontificis eum liberare dando pretium, ac si ipse Pontifex esset Iudex illius.

19

Quòd denique dicebatur, Christum dedisse Pontifici potestatem claudendi & aperiendi cælum; has autem Indulgentias pertinere ad potestatem cælum aperiendi: hoc inquam non vrget; Primò, quia illa potestas intelligitur de foro Sacramentali, in quo est potestas claudendi & aperiendi: at Indulgentiæ solùm sunt ad aperiendum, vt ferè omnes fatentur: ergo ea illis verbis non est concessa Pontifici, quia ea verba in genere, in quo concedunt potestatem aperiendi, concedunt etiam claudendi: melius autem intelligitur concessa illis aliis verbis Ioannis 21. *Pasce oues meas.* Ad pastum autem explicandum longè aptior est modus solutionis quàm absolutionis; & pastus in toto rigore non debet esse absolutio. Secundò non vrget illud testimonium, quia tam benè aperitur cælum per solutionem quàm per absolutionem.

19

Largiri Indulgentias est officij Pastoris licet supponat iurisdictionem

Replicabis tamen adhuc ex dictis: Potestas Indulgentiarum non est ordinis, sed iurisdictionis: ergo concessio seu vsus illarum est etiam iurisdictionis: qualis enim est potestas, talis esse debet illius actus. Respondeo, Nos eo solùm sensu dixisse suprà, hanc potestatem esse iurisdictionis, quatenus præsequitur iurisdictionem non autem ordinem; per quod tamen nequaquam cogimur dicere, actum illius esse propriè iudicum formaliter. Declaro id hac instantia: Si daret aliquis Petro pecuniam cum hac conditione, vt solùm posset eam donare suis subditis; profectò potestas donandi illam huic vel illi deberet oriri ex iurisdictione supra hunc aut illum; ipsa tamen donatio pecuniæ, licet pendens à iurisdictione, non esset formaliter actus iurisdictionis, vt & paulò antè dixi; ita similiter Pontifex non potest donare de thesauro Ecclesiæ nisi subditis; ideoque quando fit dominus subditorum acquirit hanc potestatem; ipsa tamen donatio postea non est per modum actus iudicij formaliter.

SECTIO IV.

De effectu Indulgentiarum.

PRÆCIPVA difficultas est circa effectum Indulgentiarum; in qua multæ aliæ comprehenduntur: circa quam variæ occurrunt quæstiones breuiter discutiendæ. 20.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de remissione culpæ.

QVærimus, Vtrùm per Indulgentias remittatur culpa siue mortalis siue venialis: de hac fusè agit Suarez disput. 50. sect. 1. Nos meo iudicio est valdè facilis. Dico ergo certum esse de Fide, mortalia non remitti per Indulgentias; & quidem ratione thesauri; ex quo dicemus eas Indulgentias desumi: non fuisset repugnans ea remissio (vt benè ostendit idem Suarez contra nonnullos;) id tamen intelligendum iuxta dicenda infrà. Nam in hoc thesauro includuntur actiones Christi, quæ sunt infiniti valoris, & sufficientes ad remissionem mortalis; vti eædem actiones applicantur Sacramentis ad conferendam gratiam & remittenda peccata in Baptismo & Pœnitentia. Non ergo dubitamus, quin potuerit à Deo ea vis committi Indulgentiis, vt applicatæ à Pontifice possent delere habituale tam mortale quam veniale; solùm dicimus, de facto id non fuisse à Christo factum; quia ex Fide constat, ad remissionem mortalium non esse alia media in Ecclesia quàm Sacramenta viuorum, & contritionem, etiam extra Sacramentum: per accidens autem (iuxta probabilem sententiam) cetera Sacramenta, quin inuincibiliter attrito & se contritum reputanti possunt causare primam gratiam.

Peccata mortalia non remittuntur de facto per Indulgentias licet id fieri nõ repugnasset.

Dices, Christus concessit Petro potestatem seu

seu claues Regni cælorum, & in eis potestatem remittendi & retinendi peccata, ergo & absoluendi propriè etiam per Indulgentias. Respondeo, Petro quidem esse specialiter promissam potestatem remittendi culpas, non tamen per Indulgentias, sed per Sacramentalem absolutionem quatenus & habuit ille Sacramentum Ordinis, in quo æqualis fuit cæteris Apostolis, & & singulariter iurisdictionem, quæ etiam requiritur ad Sacramentalem absolutionem, in qua fuit cæteris superior.

21 *An Indulgentiæ possint impetrare auxilium existenti in mortali vt pœniteat.*

Dubitari tamen circa hoc ipsum potest, Vtrùm Indulgentiæ saltem per modum impetrationis valeant ad obtinendum à Deo auxilium pro remissione peccati. Respondeo breuiter; Si de infallibili impetratione sermo sit, extra controuersiam esse, non valere, quia nulla est actio, cui certò & infallibiliter sit annexa ea obtentio auxilij congrui ad pœnitentiam. Respondeo Secundò, Si sermo sit de impetratione, quæ aliquando habet suum effectum, posse sine dubio ab Ecclesia propter merita Sanctorum, & maximè Christi Domini, peti auxilium pro eo cui conceditur Indulgentia; hoc tamen non oriri ab Indulgentia proximè, quia potestas concessa vt applicentur merita Christi ad satisfaciendum pro pœna Purgatorij, non est potestas applicandi easdem satisfactiones per modum orationis. Indulgentiæ ergo tunc temporis haberent se planè per accidens, vt se habent respectu aliarum orationum quas facit Ecclesia interponendo Christi & Sanctorum merita.

An remittantur venialia per Indulgentias.

Vltimò denique dicimus: Neque etiam valere ad remissionem culpæ venialis. Nam licet aliqui Auctores dixerint, venialia remitti posse per Sacramentalia, &c. tamen opinio ab omnibus ferè reiicitur. Vide P. Tannerum disp. 6. dub. 4. vbi multos valde Auctores pro nobis citat. cum enim absoluere à peccatis (siue hæc venialia sint, siue mortalia) ad ipsum Deum proprie spectet; certè nisi nobis constet eum concessisse Ecclesiæ facultatem ea remittendi per hanc vel illam actionem, non possumus dicere, Ecclesiam posse id facere: nullum autem fundamentum habemus, vt eam vim tribuamus Indulgentiis; ergo.

Dices: Concilium Tridentinum agens de remissione venialium, ait illa multis modis posse deleri; ergo dat nobis locum, vt dicamus per Indulgentias etiam deleri posse. Respondeo negando consequentiam, quia non propterea possumus quoscumque modos adstruere sine vlteriori fundamento; illi autem varij modi, de quibus Concilium, reducuntur ad Sacramenta Viuorum: quæ cùm sint natura sua ordinata ad producendam gratiam, & curandos aliquos leues defectus (vt in Extrema Vnctione constat) possumus iure optimo eam vim illis tribuere. Item eamdem vim concedimus attritioni etiam extra Sacramentum vt autem eam concedamus Indulgentiis nullum habemus fundamentum, ergo maximè autem cùm & ipsi Pontifices eas concedentes nullum alium effectum eis tribuant quàm satisfacere pro pœna. Et quidem, si loquamur præcisè de thesauro Ecclesiæ, quatenus habet in se satisfactiones Sanctorum, dicendum est omnino esse incapacem ad remissionem etiam venialium. Pro quo suppono doctrinam quam suprà fusiùs tradidi, scilicet satisfactionem non respondere operi bono interiori; quia hoc ex integro occupatur in merito augmenti gratiæ & gloriæ, sed purè purè operi ipsi exteriori, quique nullum habet nouum meritum, sed pœnalitatem respondentem pœnæ, pro qua satisfacit.

Opera externa Sanctorum non sunt proportionata ad obtinendam remissionem peccati.

Huic doctrinæ addo aliam certam, scilicet opera ipsa exteriora Sanctorum non esse proportionata ad remissionem peccati obtinendam, quia hæc remissio requirit opus liberum in se meritorium. Ex quo etiam capite si in thesauro Ecclesiæ pro satisfactionibus non reponantur nisi actiones ipsæ externæ Christi pœnales, profectò consequenter dicerem illas non esse sufficientes ad remissionem etiam venialis. Nam si Christus sine vllo actu libero honesto passus fuisset aliquos dolores exteriores, non potuisset per illos satisfacere pro peccatis nostris etiam venialibus; quia hæc satisfactio debet esse obsequium liberum, honestum, &c. & propterea dixi paulò antè, sententiam P. Suarez, quòd thesaurus Ecclesiæ, quatenus includit satisfactiones Christi, sit, ex se sufficientissimus pro remissione mortalis, intelligendam cum limitatione quam huc remisi discutiendam. Si verò in thesauro etiam includantur ipsa Christi merita, optimè potest defendi ea doctrina. Vbi rursus aduerto differentiam ex hoc capite magnam inter Christum & Sanctos, quòd horum bona opera meritoria ex integro iam accepere totum præmium quod promerita sunt; ac proinde ex illis quà talibus nihil penitus residuum fuit, quod ad Ecclesiæ thesauros reponi posset: vnde nihil in thesauro est quòd possit à Deo acceptari ad remissionem culpæ vt talis, sed purè purè, iuxta dicta, ad satisfactionem pro pœna; quia in hac aliquibus Sanctis non fuit ex integro satisfactum in vita. Aliter se res habuit in Christo Domino, cuius merita cùm fuerint infiniti valoris, non habuere præmium sibi sufficiens, ac proinde potuere in thesauro Ecclesiæ à Deo reponi remuneranda; sicut in Sacramentis de facto obtinent remissionem peccatorum, siue dicamus id fieri per modum orationis, siue per modum meriti: id quod per accidens se habet ad quæstionem præsentem, quam concludo asserendo nullam esse rationem aut fundamentum vt tribuamus Indulgentiis vim illam remissiuam peccati, siue venialis, siue mortalis, sed solius pœnæ. Hoc posito,

23 *Differentia inter opera Christi & Sanctorum in ordine ad thesaurum Ecclesiæ.*

SVBSECTIO SECVNDA.

Per Indulgentias remittitur pœna Purgatorij.

24 ANtequam veniamus ad explicandum modum quo de facto remittantur hæ pœnæ, supponendum est vt omnino certum, esse in Ecclesia potestatem ad eas pœnas remittendas; vt initio huius materiæ diximus: quæ non sunt hic repetenda. Supponendum Secundò, hanc potestatem extendi etiam ad pœnam debitam pro peccatis; quæ non sunt adhuc subiecta confessioni, vel quia liberum est ea confiteri, vt sunt venialia, vel quia ante confessionem homo per contritionem de eis obtinuit veniam, licet cum obligatione ea deinde confitendi. Hæc potestas suadetur clarè ex ipsis Pontificibus, qui sæpè confessionem non exigunt, sed sunt contenti contritione pro eo effectu. Denique supponendum non posse obtineri remissionem pœnæ, nisi peccatum, quod illam promeruit, siue veniale illud sit, siue mortale, sit iam

Indulgentiæ non delent pœnam nisi sit remissa culpa: & qui summam pœnam extinguunt.

iam quoad culpam remissam, vt sæpè diximus.

Iam ergo quærimus, Vtrùm re ipsa de facto solùm liberetur quis ab obligatione iniunctæ pœnitentiæ exterioris, v.g. ieiunij, peregrinationis, &c. an etiam à pœna ipsa Purgatorij, à qua liberandus erat homo, si eam exteriorem pœnitentiam iniunctam expleuisset. Primum docuere antiquiores nonnulli apud D. Thomam & Bonauenturam in 4 dist. 20. art. 16. eorum fundamentum fuit, quòd in ipsa earum concessione dicatur sæpè, *de iniunctis pœnitentiis*. Hæc tamen sententia iam ita est antiquata, vt planè sit improbabilis: vnde oppositum cum D. Thoma & D. Bonauentura tenent omnes Theologi (vt videre est apud Suarez disput. 50. Sect. 3.)

25 *Argumenta parum efficacia pro communi sententia.*

eam probat D. Thomas Primò, quia priuilegium Petri est, vt quod soluerit super terram, sit etiam in cœlis solutum. Hæc tamen ratio nihil euincit; solùm enim probat verè, etiam apud Deum hominem manere liberum post datam Indulgentiam ab obligatione pœnitentiæ: quia etiam coram Deo tenebatur ad implendam eam pœnitentiam: sicut quando Pontifex dispensat in voto, homo etiam coram Deo est liber ab ea obligatione. Secunda ratio D. Thomæ est, quia si non prodessent Indulgentiæ nisi ad tollendam pœnitentiæ obligationem, magis essent nociuæ quàm vtiles, quia id esset remittere homines ad grauissimas Purgatorij pœnas ablata obligatione minore, per quam poterant vitare eas maiores. Hanc rationem adeò efficacem P. Suarez iudicat, vt putet non solùm non concedi de facto tales Indulgentias eo modo remittentes pœnas, sed nec posse licitè concedi, quia huiusmodi potestas esset potiùs in destructionem quàm in ædificationem. Nec sufficit respondere inquit ille) posse hominem pro sua libertate etiam sine obligatione eas implere; Primò, quia id rarò fiet ablata obligatione; Secundò, quia etiam tunc cùm non sint pars Sacramenti, habere non poterunt tantam vim ad tollendam Purgatorij pœnam quàm si essent adhuc sub obligatione vt pars Sacramenti. Mihi tamẽ hæc ratio & videtur omnino contraria his, quæ hic Auctor agens de vsu Indulgentiæ diceret, & nimis multùm probare: etenim ipse Suarez (vti vidimus suprà) explicans aliqua loca Cypriani & antiquorum quorumdam Patrum, qui adduci solent ad Indulgentiarum vsum probandum, ait olim ad instantiam Martyrum remissas fuisse eas pœnitentias nihil interim de pœnis Purgatorij cogitando; quam consuetudinem ipse non iudicauit fuisse iniquam; quomodo ergo iam eam reprobat? Quòd verò nimium probet ea ratio, est certo certius, scilicet Ecclesiam malè agere his temporibus, cò quòd ab illarum grauium pœnitentiarum antiquarum vsu cessauerit; quia hoc est permutare pœnas leues in grauissimas, éstque vsus in destructionem & non in ædificationem. Quòd si dicatur aliquas fuisse causas quæ dehonestarunt eam permutationem, vti sine dubio dici debet eas fuisse; alioquin peccarent grauissimè Pontifices non vrgentes, vt iterùm rediretur ad antiquum vsum; profectò eodem planè modo sine vlla disparitate dicendum est, posse esse aliquas causas, quæ eas pœnitentias iam iniunctas aliquo modo tollant; quia quoad punctum præsens, quòd grauem illam pœnam relinquant soluendam in Purgatorio, vt aliqua leuis huius vitæ auferatur idem omnino est in vno ac in altero casu.

26 *An possent dari Indulgentia, quæ solùm extinguerent pœnam in confessione debit.*

Rationes autem facilè possunt inueniri: Prima, ne homines terrore earum grauium pœnitentiarum Sacramentum Confessionis horrerent. Vnde Diuus Thomas agens de pœnitentiis imponendis (vt infra dicemus) monet, ne illæ sint graues, & quæ pœnitentes retrahant: Secundò, ne etiam post ipsum Sacramentum iam acceptum pœnitentias non explerent, ac proinde grauiter peccarent. Hæ autem rationes suo modo habent locum in nostro casu. nam libentiùs homo tempore Iubilei accedet ad confessionem, si sciat sibi pœnitentiam magna ex parte remittendam; deinde post eam acceptam non periclitabitur de nouo peccato, si in leuiorem commutetur, ac magna ex parte auferatur non potest ergo ex eo capite dici iniusta talis pœnitentiæ relaxatio, Aliunde ergo debet reiici ea sententia: Primò, quia ipsi Pontifices & tota Ecclesia sentit eas Indulgentias esse circa pœnas ipsas Purgatorij. Imò hinc ostendit Bonifacius VIII. in anno Iubilei imponendas non esse pœnitentias, quia tota pœna Purgatorij remittitur per Iubileum. Secundò idem suaderi posset, quia cùm Sacerdos in actu ipso Confessionis sit supremus Iudex, vix videtur Pontifex dispensare posse directè in ablatione pœnitentiarum nisi auferendo pœnas Purgatorij, pro quibus auferendis pœnitentiæ imponuntur. Hæc tamen ratio non est omnino efficax, quia cùm illæ graues pœnæ olim impositæ priùs fuissent designatæ ab Episcopis, & Confessarij solùm tunc ex Episcoporum mandato eas determinauerint peccatori, rectè concipitur, quomodo ex eiusdem Episcopi reuocatione illa eadem pœna mitigari potuerit; neque ad hoc est necessaria iurisdictio intra forum pœnitentiæ maior. Quidquid ergo sit de hoc argumento, sufficiat primum, quia cùm in Ecclesia sit potestas ad eas pœnas remittendas, & Pontifices id apertè insinuent, non potest negari probabiliter, eos de eiusmodi pœnis loqui dum has Indulgentias concedunt. Denique, si serio esset de sola hac relaxatione, inutiliter & Pontifices & alij omnes concurrent ad thesaurum Ecclesiæ, & ad satisfactiones Christi & Sanctorum. Nam ad eam relaxationem pœnitentiæ Sacramentalis nullus est thesaurus necessarius, si pœna Purgatorij non remittitur: sicut ad hoc, vt Episcopus hæretico condonet vitam, nullus requiritur thesaurus Ecclesiæ.

27 *Melior sententia communis probatio.*

SVBSECTIO TERTIA.

Quam pœnam Purgatorij deleant Indulgentiæ.

PRo quo aduerte, Tertiò hominem posse delere pœnas tum pro peccatis mortalibus quæ confessus iam est, tum pro venialibus, de quibus non est confessus pro mortalibus etiam per cõtritionem solam deletis, iam ergo est difficultas, quæ ex his pœnis deleatur per Indulgentias. Varius est in hoc puncto Auctorum sensus: quidam iudicant solùm remitti eam pœnam, quæ alioquin fuisset extinguenda per pœnitentiam à Confessario impositam pro peccatis, de quibus absolvit reum: vnde si hic ob alia peccata mortalia iam remissa (de quibus non confitetur hîc & nunc) mereretur aliam pœnam: vel certè pœnitentia ei imposita à Sacerdote nõ erat extinctura nisi decimam v.g. partem pœnæ quã promeretur; consequenter dicent Indulgentias,

28 *Varia sententia de pœna Purgatorij, quam delent Indulgẽtiæ. Prima sententia dicit solam pœnam extingui quæ extinguenda erat per satisfactionem Sacramentalẽ.*

quatenus

etiamsi plenariæ sint, non tollere debitum nisi eius decimæ partis; & inferunt hi Auctores, tempore Iubilei esse optimum consilium, vt pœnitens petat imponi sibi grauissimas pœnitentias, quia eo ipso per Iubileum liberabitur à pluribus pœnis. Opinionem hanc tenet Caietanus, Petrus Soto, Durandus, Paludanus & Adrianus, quos citat Suarez disput. 50. sect. 30. a 2. probant autem id ex clausula, quæ olim apponi solebat communiter, *de iniunctis pœnitentiis*: quæ etio de facto non apponatur, videtur semper intelligenda: id enim sonant verba, quibus conceduntur tot dies aut tot anni Indulgentiarum ex iniunctis pœnitentiis; quia olim erant taxatæ pœnitentiæ grauissimæ & diuturnissimæ pro omnibus ferè peccatis: & has pœnas remittit de facto Pontifex. Nec obstat quòd iam his temporibus non sint determinatæ vllæ pœnæ; quia adhuc potest optimè intelligi eas remitti quæ remitterentur per tales poenitẽtias, si nunc imponerẽtur, vel nũc remitti ex poenis Purgatorij quod tũc remittebatur per graues illas pœnitentias.

29 *Secunda sententia dicit omnem pœnam remitti, nisi addatur de iniunctis pœnitentiis. Tertia autem dicit absolutè omnem pœnam remitti per Indulgentiam plenariam.*

Secunda sententia est, Si Indulgentia plenaria sit, omnino intelligi de tota poena debita pro omnibus peccatis: quia id ipsa vox significat; quòd si plenaria non sit, & addatur *de iniunctis pœnitentiis*, tunc Caietani sententiam esse veram, secus si non addatur.

Tertia tamen sententia vniuersaliter docet iam hoc tempore, etiamsi ea clausula ponatur, nihilominùs totam pœnam comprehendi, vt nõ solùm liberetur v.g. à centum diebus ex poena correspondente pœnitentiæ iniunctæ, sed à tota quam homo ille absolutè debet. Ita Suarez pro se citans D. Thomam in 4. dist. 30. quæst. 1. a. 1. eò quòd ibi dicat Indulgentias valere ad remissionem pœnæ, siue iniunctæ sint pœnitentiæ, siue non. Hoc tamen testimonium meo iudicio non vrget, quia tota ea auctoritas potest optimè intelligi de Indulgentiis, in quibus non apponitur clausula limitans: de his enim nihil speciale D. Thomas dixit, quia ipsa clausula apertè limitat ad eas solas poenitentiãs. Idipsum secundò probat Suarez, quia facilius est remittere poenam, pro qua non est imposita pœnitentia, quia tunc non est lata sententia, quàm remittere poenam respondentem pœnitentiis; ergo ea clausula de iniunctis pœnitentiis est potiùs ampliatiua: sicut qui concedit licentiam absoluendi à casibus reseruatis, à fortiori concedit à non reseruatis. Tertiò, quia videtur inutilis ea limitatio ad pœnam debitam respondentem pœnitentiis, nõ ad alteram: cur enim hæc pœna potiùs quàm illa remittetur? quòd enim ille, cui ea est imposita dicatur dignior venia, non est ad rem: nam Indulgentiæ non conceduntur propter hanc maiorem dignitatem, sed ob alios diuersos fines. Præterquam quòd si ea concessio est in fauorẽ, ergo non debet esse peioris conditionis ille, qui diligenter suam impleret pœnitentiam: cui proinde nihil per Indulgentias remitteretur, quàm ille qui ex negligentia eam distulit, ac proinde postea liberatur ab eis pœnitentiis.

30 *Iudicium de tertia hac sententia.*

Iudico hanc sententiam Suarez esse valdè probabilem, etsi in eam fortiter inuehatur Lugo, sentiens tunc ea verba *de iniunctis*, &c. nihil aliud efficere quàm limitare & coarctare Indulgentias. Id quod est vnica ratio pro ea sententia: cui licet Suarez non videatur ea ex parte sufficienter respondere, dum ait esse ampliatiuam, quia reuerà ea explicatio intelligi facilè ibi non potest, saltem eo ex capite optimè ei respondetur, quòd per illam additionem denotetur Primò ac per se remitti pœnam respondentem pœnitentiis iniunctis, vt statim tollatur obligatio implendi eas poenitentias. Id quod fortè non fieret si concessio esset absoluta, & sine illo addito: non enim tunc relaxaretur præceptum de poenitentia iniuncta, donec moraliter constaret remissionem illarum pœnarum factam esse. Vnde addit idem Suarez probabile esse, si is qui lucratur talem Indulgentiam de poenitentiis iniunctis, nolit liberari ab obligatione implendi eas pœnitentias: ideóque potiùs velit remissionem aliarum poenarum id obtinere apud Deum. Nihilominùs tamen probabiliori mihi videtur sententia ea media, quam tenet Ledesma, Dominicus Soto, Corduba & Nauarrus apud eumdem Suarez, Bellarminus item lib. 1. de Indulgentiis cap. 7. ait Pium V. priuatim interrogatum hac de re, idipsum dixisse. Eidem opinioni adhæret Lugo sect. 2. Ratio autem meo iudicio est valde efficax. Nam verba Pontificum debent intelligi vt iacent, nisi aliunde sit grauis ratio aliqua, quæ cogat eis addere alia verba quæ non continentur in textu. Nam, ipso Suarez teste, talis additio non contenta in textu misera est. Atqui in præsenti ea additio Suarez nec requiritur à textu, nec est ad rem: quia vti ipse in hac eadem materia ait, Ad quid Pontifex remittet de poena respondente potiùs pœnitentiis quàm de Alia. cùm sit idem pro eo homine? ita ego dico, Ad quid priùs Pontifex remittet pœnam respondentem poenitentiis, cùm eadem sit cum altera: non est ergo additio (ipso Suarez teste) vtilis & aliunde non necessaria; non ergo est admittenda, sed explicanda sunt verba Pontificis vt iacent, scilicet, vt remissio illa sit de iniunctis tantùm pœnitentiis.

Resoluitur tota quæstio de pœna quã delent Indulgentiæ.

Iam facilè erit respondere ipsius argumentis, quæ ad hoc vnicum reducuntur, quòd qui concedit maius, concedat etiam & minus, maius autem sit remittere pœnam respondentem pœnitentiis, quàm aliam: quia de hac iam est lata sententia, & difficilius est post latam sententiam eam reuocare, quam ante illam condonare pœnam. Huic autem argumento facillimè respondetur. Primò; fortasse esse difficilius ante sententiam quàm lata sententia pœnam donare. Et verò id vsus cõmunis valde probat, nolunt enim Iudices, antequam ferant sententiam, vllam gratiam reo facere: quam tamen faciunt post latam sententiam. Ratio autem à priori est multiplex. Vna, quia si gratia fiat ante sententiam, non potest constare qua pœna ille reus fuerit dignus. Secunda, quæ ex præcedenti oritur, quia non ita apparet misericordia Iudicis; & fortasse aliqui dicere possent, nec quidem fuisse illum deprehensum reum. Tertia, quia quò vicinior fuit reus supplicio, eò magis ceteri deterrentur, ne tam procul veniant, vnde fortasse vix euadent: Quarta denique, quia lata sententia incurritur aliqua infamia, quæ se habet per modum pœnæ; non est ergo vllo modo vera illa propositio, quam Suarez assumit, quòd in foro exteriori facilius ante sententiam relaxetur pœna: cùm potiùs contrarium verum videatur, ac proinde contrariam consequentiam maiori iure possimus nos inferre. Quidquid vero de eo antecedenti sit, respondeo secundò, Non semper, quando conceditur quod maius est, concedi quod est minus; nisi hoc in illo includatur; remissio au-

31 *Sitne facilius post latam sententiam pœnam remittere alicui.*

Non semper concedit minus qui maius concedit.

tem aliarum pœnarum siue maius sit, siue minus, non includitur in remissione pœnæ pro iniunctis pœnitentiis. Vnde facile respondetur ad instantiam de facultate absoluendi a reseruatis: hæc enim moraliter supponit aliam absoluendi à non reseruatis, & verò nisi recurrendo ad partiales confessiones non potest quis absolui à reseruatis, nisi etiam absoluatur à non reseruatis.

32. Quid ergo mirum, quod illa facultas includat secundam? in nostro autem casu cessat hæc ratio; ergo. Respondeo Tertio, Frequenter posse fieri, vt magis sit absoluere à pœna de non iniunctis pœnitentiis; nam si quis habeat multa valdè venialia de quibus non est confessus, & pro eis mereatur pœnam centum dierum v.g. de iniunctis autem pœnitentiis non mereatur nisi octo dies; profectò si vi Indulgentiarum concedentium quadraginta dies remissionis liberetur à pœna de non iniunctis liberaretur à quadraginta diebus; si autem à sola de iniunctis; tunc solũ ab octo diebus, quia non meretur ampliùs ratione pœnitentiarum. Constet ergo non esse cur non intelligamus verba Pontificis vt iacent.

Obiicies tamen vltimò: Si his temporibus non imponuntur illæ pœnæ quæ solebant antiquitus imponi; quid ergo nunc valent Indulgentiæ tales: nam si mihi pro omnibus illis peccatis, de quibus sum confessus, non imponitur nisi otare bis officium beatissimæ Virginis exempli gratia id quod possum intra horam facere, quid facient viginti aut triginta dies Indulgentiarum mihi concessi? Cardinalis Lugo respondet, Etiam obligari de facto quasi directè pœnitentes ad eas pœnitentias, quæ olim pro huiusmodi peccatis imponebantur, quia quòd re ipsa non iunguntur, oritur ex timore, ne reddatur confessio odiosa, ac proinde vi indulgentiarum liberatur quis à directa ea obligatione, cùm per Indulgentias compensentur eæ pœnæ. Mihi tamen hæc solutio difficilis videtur quia non est putandum illas pœnitentias, quæ olim imponebantur, v.g. decem aut plurium dierum ieiunij pro fornicatione simplici, &c. ita ex natura rei fuisse debitas illis peccatis, vt Sacramentum Confessionis non habuisset debitam suam compartem integralem, & quàm per se Christus voluit apponi, si minor longè Pœnitentia fuisset imposita: imponebant ergo illi ad libitum, & ob alios etiam fines, ad punienda exteriùs ea delicta. Vti Respublica furem adiudicat patibulo: quæ pœna pro pœnitentia Sacramentali valdè

33 esset grauis. Hinc colligo, cùm iam ex voluntate saltem implicita ipsius Pontificis cessauerint illæ pœnæ, non solùm cessare in nobis indirectè eam obligationem, sed planè directè: vti reuocato præcepto positiuo cessat directè obligatio rei quam præcipiebat. Fateor quidem, per se loquendo, esse probabile, quod aliquanto graniores deberent à Confessariis imponi pœnitentiæ quam de facto imponantur: at quod deberét esse tales quales olim, vt inde explicemus vim Indulgentiarum, quæ iam conceduntur, videtur mihi valdè incertum ac minùs probabile. Respondendum ergo est, Indulgentias non liberare de facto, nec directè, nec indirectè à pœnitentiis illis externis, quæ olim imponebantur, sed à pœnis Purgatorij, à quibus, si illas pœnitentias nũc efficeremus, liberaremur: & hunc esse directum sensum eorum verborum: ab obligatione autem adimplendi has ipsas, quæ de facto imponuntur, non liberare propriè, quia cùm non sint Indulgentiæ pleneriæ, non potest homo scire, vtrùm, per eas liberetur à tota pœna debita peccatis pro quibus iniunctæ illæ sunt: ac proinde non excusatur ab ea pœnitentia.

An hodie pœnitentes obligentur ad illas graues pœnas, quæ solebant olim iniungi pœnitentibus

An Confessarij deberent hodie dare graniores pœnitentias.

Illud potest vlteriùs in hoc puncto quæri, Quomodo intelligendi sint Episcopi, dum dant Indulgentias sub clausula de iniunctis pœnitentiis. Ita enim in cap. *Cum ex eo* de Pœniten. & remissionibus, in quo permittitur Episcopis certis diebus concedere de iniunctis pœnitentiis quadraginta dies, & additur ipsos Summos Pontifices habentes plenitudinem potestatis consuesse seruare huiusmodi moderationem. Cardinalis Lugo n. 2. putat, etsi textus hic, quem pro se Caietanus adducit ad probandum, vniuersaliter non posse Episcopos concedere Indulgentias, nisi de iniunctis pœnitentiis, non faueat huic Auctori, quia in eo solùm pro Anniuersario Dedicationis Ecclesiæ determinantur Indulgentiæ ad iniunctas pœnitentias, aliis verò diebus non: nihilominus quandocumque dantur dies vel anni Indulgentiarum esto nihil dicatur de iniunctis pœnitentiis, ad eas tamen limitari, eò quòd ibi non possint intelligi dies & anni Purgatorij; ergo debent esse dies pœnitentiarum iniunctarum: ergo etiamsi Episcopus nihil ibi exprimat, debet tamen id intelligi. Hæc resolutio est probabilis. Mihi tamen duo hic distinguenda videntur: Vnum est, An dies illi seu anni respondeant diebus Purgatorij, an verò diebus pro quibus olim imponebantur pœnitentiæ: & in hoc puncto omnino acquiesco Cardinali, hos tantùm intelligi. Aliud autem est, Vtrum illi dies debeant esse solùm de iniunctis pœnitentiis, an vniuersaliter de omni pœna, quam homo debet in Purgatorio. Iam enim paulò ante dixi posse hominem esse reum pœnæ ob peccata venialia, quæ non subiecit adhuc foro confessionis, pro quibus etiamsi confiteretur, ei imponerentur iuxta antiquum morem aliqui dies pœnitentiæ: ergo contingere potest, vt aliquis non debeat ob peccata quæ confessus est nisi viginti dies v.g. & ob alia alios viginti, iuxta pœnitentiam antiquo more imponendam: hoc posito, non est idem, quod dum conceduntur quadraginta dies Indulgentiæ, solùm intelligantur dies iuxta antiquas pœnitentias: & quòd solùm ei remittantur dies de iniunctis iã ei pœnitentiis: nam si hoc secundùm sit verum tunc iste homo tali casu solùm obtineret Indulgentias viginti dierum: nam solum habuit iniunctas pœnitentias, vt sic dicam, viginti dierum pro aliis autem peccatis, quæ non est confessus, nec potuit habere iniunctas pœnitentias, 35 Quòd si non limitetur ea indulgentia ad iniunctas, tunc obtinebit ille omnes quadraginta dies viginti pro iam iniunctis, viginti verò pro aliis peccatis, de quibus more antiquo alios dies viginti pœnitentiarum habuisset, si fuisset confessus: & verò si res diligenter consideretur, habet etiam locum in peccatis mortalibus: nam licet homini in mortali existenti non possent concedendas quascumque Indulgentias, quòd homo fuerit confessus: nam si per contritionem sit iam in gratia, haud dubiè est capax Indulgentiarum: & quando tales dies quadraginta, &c. cóceduntur, non requiritur confessio Sacramentalis: habeat ergo homo ille cóttritus non confessus mortalia, ob quæ debeat centũ dies pœnitétiæ: ob peccata autem, de quibus confessus est nó debeat nisi viginti dies, aut forte nihil, qui iam

Quomodo sint intelligendæ Indulgentiæ datæ ab Episcopo cũ clausula de iniunctis pœnis.

34

Existens in peccato mortali potest reddi capax per contritionem Indulgentiæ, quæ est pro pœnis iniunctis.

pro

pro illis etiam quoad pœnam temporalem satisfecit ex integro; profectò si concessa est Indulgentia cum ea limitatione de iniunctis, illi nihil omnino proderit, quia nullam eo sensu pœnam Purgatorij debet; quandoquidem nulla est adhuc illi iuncta pœna ob peccata, propter quæ debet pœnam Purgatorij.

Hac ergo præmissa doctrina dico. Si apponatur clausula *de iniunctis*, admittendâ doctrinama Lugo, iuxta dicta in præcedenti dubio; si verò non ponatur, tunc iudico remitti etiam pœnam respondentem aliis peccatis nondum in confessione explicatis; ac proinde remitti ei posse pœnam de non iniunctis pœnitentijs, si ille numerus dierum æquiualeat pluribus, quàm sint illi quos meretur de pœnitentijs iniunctis. Ratio autem huius secundæ partis est, qua vniuersaliter idem Auctor vsus est, quia scilicet priuilegia Principum non debent coarctari magis, quam denotent verba; ergo quando nullum verbum apponitur, quod limitet ad pœnitentias iniunctas, nec nos possumus facere eam limitationem. Ad rationem in contrarium iam respondi, ea solùm probari, numerum illum dierum non debere esse de diebus Purgatorij, sed intelligẽdum iuxta dies pœnitentiæ antiquitus impositos: id quod etiam in præsenti locum habet, si dicamus remitti illos iuxta pœnitentiam, quæ debuisset imponi tali homini pro illis peccatis: perquam distinctionem omnia benè combinantur.

SECTIO V.

An Indulgentiæ tollant obligationes pœnitentiæ Sacramentalis.

QVÆRIMVS, Vtrùm si concedantur Indulgẽtiæ plenariæ de omnibus planè peccatis, ita remittatur tota pœna, vt nõ maneat obligatio vllius pœnitentiæ Sacramẽtalis explendæ; & verò quæri vlteriùs potest, An liceat Confessarijs huiusmodi pœnitẽtias imponere, quando pœnitens se disponit ad Iubileum, aut ad plenariam Indulgentiam consequendam. Respondeo, Per se & ex vi Indulgentiarum omnino cessare eam obligationem imponendi pœnitentias. Ita colligitur ex cap *Cùm ex eo.* de Pœnitentijs & remissione, vbi ait Pontifex, Per indiscretas Indulgẽtias eneruari satisfactiones Sacramentales: id quod non esset verum, si Indulgentiæ non tollerent obligationẽ implendi eas pœnitentias. Præterea Bonifacius VIII. (vt refert Glossa in Extrauaganti *Antiquorũ* de Pœnitentijs & remiss.) reprehendebat Confessarios, qui anno Iubilei imponebant alias pœnitentias: & videtur hæc esse communis sententia omnium ferè Scholasticorum apud Patrem Suarium disp. 38. sect. 10. Lugo disp. 28. sect. 2. & Tannerum disp. 6 quæst. 8 dub. 4. Hic tamen vlteriùs cum Suario docet, duas in pœnitentijs iniunctis inueniri necessitates; Primâ ad satisfaciendum: & secundùm hanc considerationem admittunt hi per Indulgẽtias tolli obligationem pœnitentiæ Sacramentalis: Aliam, quatenus pœnitẽtiæ illæ sunt medicinales, & vt sic dicunt per Indulgentias non tolli obligationem acceptandi eas pœnitentias; reddunturque rationem, quia Indulgentiæ non dantur in ruinam, sed in bonum animæ; esset autem in ruinã, si per illas impedirentur pœnitẽtiæ, quibus anima in posterum curatur, & ita concludunt his temporibus non licere omittere pœnitentias: etiamsi sit Indulgentia plenaria, quia pœnitentiæ, quæ defacto imponuntur, leuissimæ sunt, & vix sufficiunt pro medicinali.

38 *Indulgentia plenaria per se tollit obligationem imponendi pœnitentiam confitenti*

Limitatio Suarez. sic intelligenda de pœnitentia medicinali

Nihilominus obaliatos textus & communem 37
auctoritatem absolutè dicendum est, per se loquendo cessare eam obligationem imponendi pœnitentias distinctionem verò Patris Suarez non esse sufficientem: id quod clarè constat ex Bonifacio suprà, si enim saltẽ pro medicina deberent imponi pœnitentiæ, non reprehendisset Pontifex Confessarios eas imponẽtes anno Iubilei, nec rectè diceret, eneruari satisfactiones per Indulgentias, si maneret semper sufficiens ratio eas imponendi per modum medicinæ. Ad argumentum in contrarium respondetur, Sacerdotem non habere potestatem obligandi pœnitentem ad vitanda peccata futura: hæc enim obligatio ex natura rei est in pœnitente; iurisdictio ergo Sacerdotis amplius non extenditur quàm ad ea quæ necessaria sunt pro remissione & satisfactione pro peccatis, de quibus absoluitur reus, seu quæ solùm subiacent tunc ipsi Confessario; futura autem non subiacent, sed subiacebunt: & tunc pro illis poterit imponere pœnitentias. Tenetur quidem ipse pœnitens eas pœnitẽtias facere, sine quibus putat se non posse resistere peccato; hæc tamen obligatio non prouenit ex mandato Confessarij, sed (vt dixi) ex natura rei; ideoque antequam confiteatur, etiam tenetur ad eas faciendas: quia tenetur cauere peccata in futurum, etiam ante quam quæ commisit sint ei remissa; & propterea poterit aliquando Confessarius pœnitenti hanc necessitatem manifestare, & explicare obligationem, quam habet, faciendi aliquas pœnitentias; tunc què tenebitur pœnitens non ex mandato Cõfessarij, sed ex necessitate cognita per manifestationem ipsius. Præterea quando his aliunde ratione remissionis pœnæ potest imponere pœnitentias, habet tunc ius imponendi eas tales (intra limites tamen proportionatatum) vt simul sint præseruatiuæ; quando tamen pro remissione non potest imponere, nec poterit ex eo solo titulo præseruationis.

Confessarius non habet ius obligandi pœnitentem ad vitanda peccata futura, sed ipse ad hoc obligatur ex natura rei.

Obiicies Primò: De facto Pontifex concedens Iubileum plenissimum expressè addit, vt adiungantur pœnitentiæ Sacramentales, ita dum hæc scribo præcipitur in Iubileo à Sanctissimo Domino nostro Innocentio X. concesso; & in aliquibus alijs præceden ibus idipsum continetur; ergo Indulgentiæ quantumuis plenariæ, nõ tollunt necessitatem pœnitẽtiæ Sacramentalis. Respondeo, Tunc temporis illam impositionem pœnitẽtiæ esse medium requisitum ad Iubileum obtinendum. Contrà tamen adhuc obiicies: Nam fieri potest, vt quis, antequam pœnitentiam à Confessario iniunctam perficiat, explcat cetera, quæ Pontifex pro lucrando Iubileo requirit; tunc autem eo ipso illud cõsequetur. Nam licet Pontifex, dum absoluendi concedit facultatem, requirat vt Confessarij imponant pœnitentias salutares, nullo tamen modo insinuat eam pœnitentiarum adimpletionem interuenire debere tamquam medium necessarium pro obtinendo Iubileo; & sanè contingere posset, vt pœnitentia esset res aliqua executioni mandanda post longum tempus; non tamen ideò Pontifex volet

38 *Quomodo intelligendus Pontifex mãdans tempore Iubilei pœnitentias impo ni.*

Iubileum differri ei homini tamdiu. Hinc ergo argumentor: Illud Iubileum si obtineatur (vt certò obtinetur adhibitis omnibus quæ requiruntur à Pontifice) extinguit totum debitum pœnæ; ad quid ergo est tunc pœnitentia imposita, nisi fortè per modum medicinæ ad præcauenda peccata in futurum, vt dixit Pater Suarez. Vnde inferes, esse ius in Sacerdote etiam ex hoc solo capite præseruationis ad imponendas pœnitentias

39

Respondebis adhuc Secundò, Pontificem concedentem Iubileum habere potestatẽ petendi quascumque velit conditiones ad illud lucrandum, vel etiam grauandi hominem ad aliquod opus honestum faciendum etiam post Iubileum obtentum, huiusmodi autem esse eam adimpletionem pœnitentiæ. Hæc tamen solutio non videtur posse facilè sustineri; nam (vt suprà dixi) Sacerdos (& idem est quoad hoc de Pontifice) non habet potestatem imponendi Sacramentalem pœnitentiam, nisi præcisè in ordine ad satisfaciendum pro pœna temporali debita in Purgatorio; nam solùm sub hac consideratione ea pœnitentia habet rationem partis integrantis Sacramentum Pœnitentiæ; quidquid sit, Vtrùm sub aliis ritulis, vel per modum gratitudinis, possit Papa, dum concedit Iubileum, alia opera honesta mandare; ergo si iam supponitur eo casu ex integro remissa culpa, non poterit pœnitentia imponi, quæ sit explenda, aut quæ differri saltem possit post obtentum Iubileum. Respondeo, Propter hoc mihi videri dicendum, aut quòd eo casu non possit Iubileum, antequam acceptetur pœnitentia illa iuncta, obtineri; nam licet Pontifex non dicat eam acceptationem esse medium necessarium, nihilominùs eo ipso, quòd requirat talis pœnitentiæ impositionem, eam facit in actu exercito necessariam pro Iubileo. vel, quod tũc temporis saltem quoad pœnam debitam eis peccatis, ob quæ imposita est pœnitentia, non concedatur Indulgentia à Pontifice, quousque impleatur pœnitentia imposita pro illis à Confessario; de alijs verò, ad quæ ea pœnitentia non imponitur, possit statim obtineri, absolutè pro substantia Iubilei necessaria non est ea pœnitentia. Hinc autem nihil infertur de facultate imponendi eas pœnitentias per modum præseruationis (vt dixit Pater Suarez.)

Dupliciter potest Pontifex in Iubileo requirere impositionem alicuius pœnitentiæ

40

Obiicies adhuc, Sæpè siue ex defectu causæ sufficientis pro Indulgentia, siue ex defectu exactæ obseruationis requisitarum conditionum, eam plenariam non obtineri; ergo saltem ratione huius periculi tenebitur pœnitens ad Sacramentalem pœnitentiam. Respondeo negando consequentiam, quia defectus illi non debent præsumi ob pericula, quæ præter opinionem possint occurrere; vti, licet fieri posset; quòd Confessarius non habeat voluntatem absoluendi, aut fortasse non sit re ipsa Sacerdos; nemo tamen ex hoc capite dixit teneri hominem ad contritionem habendam, & non sufficere attritionem etiam agnitam vt talem, saltem extra mortis periculũ; nam in hoc casu dixi suprà esse eam obligationẽ ob æternæ damnationis periculum: est autem huius rei clara ratio, quia actiones omnes humanæ à cõditionibus occultis pendentes semper pati possunt aliquem defectum; ob quem tamen, si secundùm forum exterius omnia requisita adsint, non oportet immutare modum operandi, nisi fortasse aliquando summa necessitas obtinendi finem intentum

Quid faciendum, cùm actio aliqua humana pendet ab occulta conditione fallibili.

suaderet tentanda media maximè certa; vti immediatè dixi de hora mortis ad contritionem. Hæc autem ratio in præsenti cessat, quia nullum graue periculum imminet ex eo errore circa Indulgentias nisi fortè quòd ille homo tunc non satisfaciat pro pœnis, quas in Purgatorio debet; hoc autem non iudicatur moraliter graue, maximè cum per alia bona opera eum defectum facilè possit compensare.

SECTIO VI.

Explicatur quid sit Indulgentia plena, plenissima; & quid denotent dies, menses, anni, pro quibus conceduntur Indulgentiæ.

41

CIRCA primum ratio dubitandi est, cùm Indulgẽtia plenaria omnem omnino pœnam deleat, quid denotant illæ voces *plenaria*, *plenissima*, & *Iubileum*, quibus solent Pontifices concedere Indulgentias. Respondeo, Si de remissione pœnæ loquamur, non posse esse pleniorem & plenissimam; quia cùm primum tota pœna remittitur nihil remanet quod adhuc possit remitti, vt ex se constat; solent ego illi termini addi, vt magis declaretur mens Pontificis. Circa vocem verò illam *Iubileum* notandum, nihil omnino addere de remissione pœnæ, quod non dicat Indulgentia plenaria. Addit tamen alias diuersas gratias eligendi Confessarium, &c. quæ sunt extra punctum præsens; de quibus infrà nos specialem instituemus disputationem.

Quid Iubileum habeat pro Indulgẽtia plenaria.

Obiicies tamen; Nam vltra ipsam Indulgentiam plenariam solent addi aliqui anni; ergo plenaria non includit remissionem totius omnino pœnæ. Corduba & Valentia, quos sequitur Tannerus numero 101. putant id fieri, vt si fortasse causa concedendi Iulgentiam plenariam non fuit sufficiens pro illa, sufficiat tamen ad lucrandos eos annos. Hæc solutio vt probabilitatem habeat, debet supponere, quando datur Indulgentia, si causa non est sufficiens pro illa tota, nihil penitus valere; ideoque si concedatur plenaria, & ea causa non sit æqualis pro plenaria, nihil omnino hanc valere; ac proinde eo casu addi annos illos, vt saltem respectu illorum ea concessio habeat æqualitatem. Dixi hanc solutionem pendere ab ea doctrina; nam si dicamus, quando causa non valet pro tota Indulgentia, valet tamen pro parte illius, cui causa est æqualis, solutio Tanneri ferè esset ridicula; nam si causa non est æqualis pro plenaria, erit æqualis pro aliqua parte in ipsa plenaria inclusa; ac proinde planè otiosè adderentur illi dies. Hinc ergo eam solutionem absolutè reiicio, quia (vt infrà dicemus) ea suppositio, à qua eius probabilitas pendet, est omnino falsa; quia causa concedendi Indulgentias, si non valet pro toto, valet pro parte in eo toto inclusa, & cui est æqualis; ergo cùm in plenaria Indulgentia sint partes, quibus potest æquiualere causa illa, quæ non æquiualet toti remissioni, gratis adduntur illi dies.

Quando causa dandi plenariam non subsistit pro toto, potest pro parte subsistere.

42

Pater Suarez disp. 50. sect. 4. num. 9. respondet Primò, Se numquam in vlla concessione inuenisse eam additionem; Secundò, fortasse eam additionem referri ad diuersa tempora; vt v.g. si post obtentum Iubileum intra vnam vel alteram septimanam, aut fortè eodem die incida

Quid significent dies vel anni superadditi Indulgentiæ plenariæ.

dat in alia peccata,ob quæ mereatur nouam pœnam, possit, orando de nouo aliquid, obtinere eam gratiam. Tertiò Si vtraque gratia ad idem tempus referatur,probabile esse,quòd illa additio sit, vt per modum suffragij applicari possit pro aliis;quia licet id non declaretur in concessione, ne tamen dicamus ea verba esse otiosa,& aliam commodiorem explicationem quàm hæc sit non possint habere,debemus illis hanc concedere.Quæ solutiones sunt sufficientissimæ.

Quæres tamen,Vnde debeat colligi,an detur plenaria Indulgentia.Respondeo breuissimè, Si verba ipsa ipsa id exprimant, nullum esse dubium; vti si è contrario verba sint restrictiua ad certum tempus. Dubium ergo est, quando solùm dicitur Indulgentia nullo addito alio termino. Respondeo cum Patre Suario, Tunc intelligi vniuersalem, quia indefinita propositio æquualet vniuersali. Deinde, quia alioquin si deberent in eiusmodi verbis de partiali, cùm hæc sit valdè æquiuoca, & possit de octo diebus, de viginti, quadraginta, de mensibus,de annis intelligi; nec tunc sit maior ratio,cur de vna potiùs quàm de altera intelligatur, esset planè incertissima concessio; debet ergo accipi de certa Indulgentia;qualis est plenaria.

Vnde intelligatur an Indulgentia sit plenaria necne.

Dices: Indulgentiæ sunt strictè interpretandæ (vt Paludanus, Baldus, Nauarrus, Innocentius, Ostiensis & multi alij apud Tannerum n. 102. docent;) ergo vox illa *Indulgentia* non debet
43 extendi ad Vniuersalem Indulgentiam.Respondeo Primò, Multos è contrario docere, Indulgentiam esse fauorabilem, ac proinde amplissimè fore interpretandam: ita Corduba, Glossa, Angelus & Syluester apud eumdem Tannerum. Quidquid tamen de hoc sit, respondeo Secundo,interpretationem strictam talem debere esse vt cadere possit prudenter supra verba; iam autem ostendimus non posse illud verbum ad partialem Indulgentiam rectè applicari, cùm partialis non magis hanc quàm illam determinet. Verba autem Pontificis non debent iudicari æquiuoca,quia nihil planè tunc cõcederent. Indulgentia partialis est illa, quæ partem tantùm debitæ pœnæ remittit; quia verò intra terminos partis valde magna esse potest diuersitas, ideò huiusmodi Indulgentiæ solent esse diuersissimæ iuxta voluntatem Pontificis concedentis, quam ipso tenore verborum explicat.

Circa secundam tituli partem difficultas est, quando in eis partialibus concedantur triginta; quadraginta, &c. & mille dies, imò & mille aut 10000. anni pœnarum, quid ibi intelligatur, cùm moraliter sit impossibile homines, ordinariè loquendo, tam longum Purgatorium promereri. De hac difficultate omnes fere Auctores tractant in præsenti.Pater Suarez disp.50. sect.5.à num.11. vbi ostendit contra nonnullos, eos dies vel annos nõ esse intelligendos de diebus aut annis Purgatorij; quia videtur incredibile (vt immediatè dicebam) aliquem mereri decem millia annorũ Purgatorij. Pro solutione ergo notandum est, quod sæpè insinuauimus, antiquitus in Ecclesia fuisse determinatas pœnitentias pro grauibus peccatis, & aliquando pro vno peccato impositam pœnitentiã septem annorum. Hoc ergo posito poterat contingere, & verò contingebat sæpè aliquem, qui grauia eaque multa peccata commiserat,mereri iuxta Ecclesiæ determinationem multa millia annorum pœnitentiæ; ergo per illos dies seu annos in Indulgentijs determinatos intelligibantur dies & anni huius pœnitentiæ externæ,quam tenebantur facere: id est vt remitterentur illis tot anni huius pœnitentiæ, quod concedebantur in Indulgentijs. Quia verò hoc præcisè non erat remittere pœnam Purgatorij, denotatur etiam remitti pœnam Purgatorij tantam,quanta ad præsentiam earum pœnitentiarũ remittenda fuisset.

Quid intelligatur per Indulgentiam mille aut decem millium, &c. annorũ.

Adhuc tamen vrgebis,Quia vnus annus pœnitentiæ huius vitæ videtur æquiualere vni anno Purgatorij minimum; ergo iuxta hanc explicationẽ perinde erit remittere mille annos pœnitentiæ huius vitæ ac mille Purgatorij,& consequenter redibit difficultas tota immediatè ante posita.Propter hoc Sotus in 4 dist 21.quæst.1.c. art.1. negat antecedens, aitque aliquando nec mille annos pœnitentiæ in hac vita æquiualere vni anno Purgatorij; alij verò putant omnino æquiualere vnum annum pœnitentiæ in hac vita anno Purgatorij;eò quòd excessus pœnarum compensatur per libertatem actus.Id quod videtur satis efficaciter à fortiori inde suaderi, quòd iuxta communem sensum Catholicorum sæpè contingat, hominem etiã vna intensissima contritione,& graui aliqua licet breui tempore durante, pœnitentia extinguere totum debitum Purgatorij, etsi illud valdè magnum fuerit ob multa & grauia præcedentia peccata: id quod multis etiam Historijs confirmatur.Quis autem dicet, vnius anni integri pœnitentiam, maximè si notabilis illa sit,non æquiualere satisfactioni illi breui, etsi intensæ vnius contritionis? Imò cùm probabiliter ille peccator vnica sua contritione non solùm vnius anni, sed multorum pœnam extinxerit;certè, vt pœnitentia vnius integri anni extinguat vnum annum Purgatorij, non est necessum eam esse æqualem illi breui; sed potest eam æquare, licet sit multò minor quàm vnius anni.

44 *An pœnitentia vnius anni in hac vita æquiualeat Purgatorio vnius anni.*

In hoc puncto dico,Rem esse incertissimam, quia pœna in Purgatorio non est determinata; sed potest esse vt vnum vel vt centum quoad intensionem.Præterea pœnitentia huius vitæ etiam non est determinata;nam annua pœnitentia dicitur, ieiunare omnibus diebus Veneris: item & annualis dicitur, ieiunare toto anno: quo modo ergo absolutè potest dici,Quælibet annua pœnitentia huius vitæ, siue magna siue parua, æquiualet anno Purgatorij, siue intensa sit,siue remissa:certè hoc per se apparet esse incertissimum,Quia licet possit (quod adhuc est incertum) continuum ieiunium per vnum annum æquiualere pœnæ valdè remissæ vnius anni in Purgatorio, quis dicet; quòd facere toto anno semel in septimana disciplinam, eò quòd hæc sit pœnitentia,annua,æquiualeat pœnæ intensissimæ in Purgatorio per annum? Igitur dicendum est, hoc totum nobis esse incertum. Et hinc respondetur obiectioni; dicimus enim Ecclesiam concedere remissionem pœnæ Purgatorij æquialentem illis decẽ millibus annorum pœnitentiæ in hac vita,siue hi anni æquiualeant soli vni Purgatorij,siue centum siue mille,de quo non cõstat Ecclesiæ.Et siue anni illi Purgatorij considerandi sint etiam secundùm grauitatem & intensionem pœnarum, quæ si diuiderentur, possent facere multa millia annorum Purgatorij; quia vnus annus pœnæ vt centum potest facere centum annos pœnæ vt vnum.

Quid intelligitur per pœnitentiam vnius anni, &c.

45 *Resoluitur dubiũ de pœna remittitur per Indulgentiã vnius anni decem annorũ, mille, &c.*

Independenter ergo ab huius taxationis deci-

sione, quæ nobis penitus est impossibilis (nihil enim, habemus vnde iudicium de ea re prudenter feramus) ad obiectionem respondemus, Ecclesiam concedere quidem eas indulgentias eorum dierum aut annorum, siue interim re ipsa homo ille, cui conceduntur, sit prometitus per sua peccata tantam pœnam, & per pœnitentias, quæ pro illis fuissent imponendæ, satisfacturus etiam fuisset illi pœnæ, siue non: vti enim quando conceduntur Indulgentiæ plenariæ, non conceditur quid certum & æquale omnibus, sed conceditur remissio totius pœnæ, quæcumque illa sit in quolibet; ita etiam quando concedúntur v.g. mille anni, intelligendum est concedi eam remissionem, quam ego obtinerem per eos mille annos, siue interim tam multum debeam, siue minus; ac proinde siue tota illa liberalitas sit futura mihi vtilis siue superflua ex parte sæpe enim conceduntur quadraginta dies, & aliquis lucratur Indulgentias, qui fortè non nisi pro duobus debebat pœnam; alter verò lucratur, qui etiam pro mille; vnde in illo ea partialis fit plenaria, in alio verò manet partialis. Republicabis, Non esse rem adhuc sufficienter declaratam. Nã annua pœnitentia (vt immediatè antè dictum est (non fuit determinata, sed aliquando grauior, aliquando remissior; cur ergo pœnitentiæ annuali respondent Indugentiæ concessæ: Si enim respondeant grauissimæ pœnæ, cùm hæc multò magis sit satisfactoria, procul dubio Indulgentiæ erunt multò maiores; minores verò è contrario, si respondeant remissiori pœnitentiæ annuæ. Res est satis dubia. Probabilior solutio videtur ea quæ dicit, illos annos pœnitentiæ esse intelligendos respectiuè ad personam quæ lucratur Indulgentias; nam vniuersaliter, æqualiter de omnibus id intelligere videtur impossibile propter rationem factam. Erit ergo iste sensus illius Indulgentiæ; Si Petrus v. g. pro peccatis, quæ habet, meretur annum pœnitentiæ non adeo intensæ, ei conceditur remissio pœnæ Purgatorij huic anno respondentis: si verò Ioannes, cui etiam conceditur Indulgentia, mereatur pœnitentiam etiam annuam, grauiorem tamen, ei conceditur remissio grauioris pœnæ. Et licet Ecclesia non dignoscat, quam pœnam annuam quilibet mereatur, & qualis sit, quæ correspondet in Purgatorio, Deus tamen determinatè noscit; & cum ipse sit, qui debet relaxare pœnam, non requirit aliam scientiam in Pontifice & in lucrante Indulgentias, vt exequatur ipse quod Pontifex concessit.

46 *Qualinam annua pœnitentia respondeat Indulgentia vnius anni v.g.*

Dices primò: Ergo qui grauiùs peccauit, maiorem obtinet Indulgentiam, quàm qui minùs; id quod videtur absurdum. Respondeo concedendo sequelam; nego autem id esse absurdum. Sicut quando conceditur Indulgentia plenaria, proculdubio magis conceditur ei qui grauiorem pœnam meretur, quàm qui leuiorem. Similiter quando conceditur remissio mediæ partis pœnæ, vel tertiæ vel quartæ partis, semper magis conceditur, ei qui plus debet. Sicut ergo hoc non est absurdum, quia in his Indulgentiis non attenditur rigor Iustitiæ, sed liberalitas; itanon est absurdum idem contingere, quando conceduntur dies aut anni Indulgentiæ. 47

Maiori peccatori potest contingere maior Indulgentia cæteris paribus.

Dices Secundò: Adhuc resolutio difficultatis tota manet obscura ex alio capite; quia eadem pœnitentia annua externa, v.g. ieiunium idem potest prouenire ex maiore vel minore deuotione; & consequenter potest esse magis vel minùs satisfactorium. Quomodo ergo intelligendus est iste annus Indulgentiæ concedi; an secundùm majorem deuotionẽ, an secundùm minorem? nisi autem hoc à Pontifice dãte Indulgentias determinetur, non poterit Deo constare de voluntate ipsius: & cùm à Pontifice purè dependeat ista determinatio, nulla fiet nec quidem à Deo. Respondeo, Probabile esse non considerandam summam deuotionem, neque infirmam, sed eam qua communiter solent fieri illa opera externa, ieiunium illmd v. g ab ea persona secundum statum in quo tunc est; hoc autẽ benè Deo notum est: si ergo à Pontifice determinatur saltem in confuso, rectè noscet Deus, quantam pœnam debeat remittere cuilibet lucranti eas Indulgentias Neque obest, quòd ea deuotio interior occupetur in merito gloriæ: iam enim diximus per modum dignificantis pœnalitatem exteriorem eam omnino deseruire, & magis conducere quæ maior est, & minùs quæ minor est.

Iuxta qualem deuotionem accipiendum sit opus pœnale remittendum per Indulgentiã.

DISPVTATIO XXV.

Quid sit thesaurus Indulgentiarum & quibus rebus hæ concedi soleant.

1 CIRCA primum punctum sæpè præcedenti disputatione diximus, Indulgentias concedi ex thesauro Ecclesiæ; oportet ergo quid ille sit explicare.

SECTIO I.

Ostenditur per thesaurum Ecclesiæ nihil absonum intelligi.

Hæretici nouatores vti ferè omnia Ecclesiæ dogmata sarcasticè explodunt, cùm rationibus omnino destituantur: ita inpræsenti thesaurum Indulgentiarum irrident, solentque ironicè quærere, vbi ille sit, quibus clauibus obseratur, quos ibi aureos, quæ monilia habeat &c. Respoondendum tamẽ illis est eos de more sibi contrarios esse etiam in hoc puncto, & crassè valdè etiam contra Christi merita nugari: & quidem eos sibi contrarios esse clarissimè appareret inde: nam thesaurum hunc saltem ex Christi meritis constantem adeò illi ipsi admittunt, vt nimio plus illum extendant: nam cùm dicant in singulos dies nobis remitti peccata ob sola merita Christi, itẽ ob ea sola donari nobis gratiam

Hæretici sibi contradicunt dum negant thesaurum Ecclesiæ, ex quo Indulgentia deprompũtur.

gratiam,gloriam,&c. profecto iam eo ipso opera Christi adhuc vigentia ad omnes hos effectus illi admittunt; hoc autem est formalissimè thesaurus Christi, quem nos ponimus cum hac sola differentia, quòd illi eum admittunt in ordine ad augmentum gratiæ & gloriæ, &c. non ad satisfactionem pro pœna temporali: quæ differentia ad crassas illas & imperitas interrogationes nullius est momenti: crassas dico, qui thesaurus nihil est aliud quam merita seu satisfactiones Christi & Sanctorum; quæ adhuc non sunt sufficienter remunerata; & quorum Deus recordatur in ordine ad ea data occasione præmianda, quid in hoc difficultatis? aut cur necessariæ materiales claues locus, &c. vt autem id melius intelligas,

2 Supponendum Primò ex materia de Incarnatione, merita & satisfactiones Christi Domini ratione vnionis ad Verbum fuisse infiniti valoris, siue id habuerint omnino præcisè ratione eius vnionis, siue aliquid interuenerit de libera acceptatione Dei, vt Scotus docet: hæc enim diuersitas in præsenti nō est decidenda, quia materialiter se habet pro nostro iuento. Vnde valdè deceptus est Mairo negans eas satisfactiones & merita Christi adhuc habere vim ad obtinendam nobis remissionem pœnarum.

Aliqua opera Sanctorū pœnalia nō seruant irremunerata.

Supponendum Secundò (quod & suprà obiter dixi (licet Sanctorum merita ex integro fuerint præmiata augmento gratiæ & gloriæ, ideoque illa nō manserint in præuisione Dei in ordine ad nouum aliquod præmium de condigno obtinendum, satisfactiones tamen pœnales, quæ sunt distinctæ iuxta principia nostra, & solùm fundatæ in pœnalitate actionis formaliter non liberæ, ac proinde non impedientis meritum sæpè mansisse non remuneratas; quia vel non habeant Sancti, quando illas exercuerunt, debitum vllius pœnæ in Purgatorio luendæ, vel quia fuerunt maioris valoris; ideoque aliquid superfluum fuit, illudque ab ipsis non est applicatum vlli alteri, ac proinde mansit quasi suspensum. Vnde optimè possunt illæ satisfactiones de facto à Deo acceptari ad remittendam nobis pœnam æqualem, quam nos in Purgatorio debebamus luere. Quod enim aliqui docuerunt Sanctis ratione earum satispassionum, quæ dum viuerent non fuere aut circa ipsos occupatæ, aut pro alijs applicatæ ab ipsismet Sanctis, dari in cælo nouum præmium accidentale, gratis omnino confingitur, cùm actio illa quà talis non sit propriè meritoria.

Iam ex his duobus capitibus, quibus possibilitatem rei ostendimus, clarissimè probatur, Pontifices, dum thesaurum hunc dicunt constitui ex meritis Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum omnium, nihil dicere absurdi, sed (quod in omnium sententia fieri potest (decidere re ipsa factum Deo ita volente. De hac autem voluntate Dei Ecclesiæ idem constat ex perpetua traditione, vel ex reuelatione, sicut de alijs rebus quæ successu temporis manifestatæ sunt eidem Ecclesiæ. Hoc ergo modo & Clemens VI in Extrauaganti *Vnigenitus*, de Pœnitentia, ex sensu perpetuo Ecclesiæ declarauit thesaurum hunc: quod idem fecere postea Leo X. Gregorius XIII. Pius II. & alij; vnde non est cur in re tam facili diutiùs immoremur.

Thesaurum Ecclesiæ dari docet perpetua traditio.

SECTIO II.

Declarantur aliquæ quæstiones circa hunc thesaurum.

NVnc explicandæ breuiter quæstiunculæ, quæ circa hoc moueri possunt, Prima est, Cur idem Clemens citato loco dicat ad prædictum thesaurum concurrere iustorum omnium à primo vsque ad vltimum merita, cùm non merita, sed satisfactiones concurrant (vt paulò antè distinximus.) Deinde cùm multi fuerint iusti, qui nullas habuere superfluas satisfactiones (alioquin nullus ex illis fuisset ad Purgatorium, (quomodo potuerunt omnes contribuere pro hoc thesauro? diximus enim paulò antè non contribuisse nisi ex superfluis. Respondeo facilè, Merita ibi accipi latè pro ipso opere bono satisfactorio; quod etiam diximus debere dignificari per merita, vt esse possit satisfactorium. Ad secundum dicimus ea verba debere intelligi cum hac additione, *Omnium scilicet qui superfluas habuere satisfactiones*; nam certum est infantes, qui caruere omni opere satisfactorio, etiamsi inter iustos computentur, nullo modo conduxisse ad eius thesauri incrementum, nec de illis locutum esse Pontificem. Contra hæc tamen est obiectio grauis; nam idem Pontifex ibidē ait, de eius thesauri diminutione aut consumptione non esse vllum periculum tam propter infinita Christi merita, quàm pro eo quòd quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Ex quibus verbis duplex oritur difficultas; vna, quòd sæpè contingat satisfactiones per Indulgentias applicari iis, qui nihil posteà reponunt in illum thesaurum: (taceo tam multùm quàm acceperunt; (quia semper indigent suis omnibus satisfactionibus; quomodo ergo inde deducit Pontifex non timendam vllā diminutionem? Secunda difficultas est quomodo dicat per has Indulgentias trahi homines ad iustitiam, cùm per eas non remittatur culpa, nec quidem venialis, multò minùs mortalis, sed sola pœna? Cardinalis Lugo disp.27. num. 42. reiicit Patrem Suarium, quasi explicuerit Pontificem de mansione meritorum Sanctorum in thesauro Ecclesiæ; ac proinde quòd inexhaustibilitatem thesauri magis explicet Pontifex per merita quàm per satisfactiones. Immeritò tamen hæc responsio obiicitur Patri Suario, qui expressissimè eò loci docuit, ad Indulgentias non concurrere merita Sanctorum; licet in ordine ad alias res impetrandas de congruo possit & debeat dici quòd maneant ea merita; addit tamen id, quod & nos paulò antè diximus merita saltem vt significantia satisfactiones manere in thesauro: quod omnino est ab omnibus concedendum. Præterea ad obiectionem factam aliter respondet, fatendo illam rationem Pontificis non omnino probare intentum de satisfactionibus. Addit tamen posse eam saltem moraliter & ordinariè habere locum, quia licet non omnes, qui Indulgentias lucrantur, aliquid reponant: plerique tamen saltem post obtentas Indulgentias aliqua exerent bona opera, quibus aliquid rursus reponunt in thesaurum. Et hæc responsio est ipsa formalissima, quam Lugo tradit num.45. putans tamen se aliter respondere quā Suarez

3

Explicatur locus Extrau. Vnigenitus, de Pœnit. circa constit. thesauri Ecclesiæ.

Quo sensu dicantur fideles per Indulgentias trahi ad iustitiam.

Mens Patris Suarij.

4

Responsio Suarij & Lugo.

Suarez,respondeat.Vti etiam ad obiectionem illam de omnibus iustis eodem etiam modo respondet (vti Pater Suarez dixerat)debere intelligi de iustis omnibus non absolutè,sed qui habuere superfluas satisfactiones.Ego illam consequentiam Pontificis dicerem non esse formalem: neque enim inconueniens est(vti varijs in locis diximus (concedere,Pontifices non semper in rationibus,quibus probant veritates quas definiunt,seruare totum rigorem argumentationis. Ad secundum verò dubium,cur dicat per Indulgentias homines induci ad iustitiam, respondeo,Iustitiiã ab eo intelligi vt dicit carentiam debiti pœnam; quia hæc est necessaria maximè ab hoc, vt talis homo reponat aliquid in thesaurum Ecclesiæ;alioquin in ipso eius satisfactiones occupabuntur. Vel certè dic multos vnore Indulgentiarum agere pœnitentiam,& ex illis iam iustificatis augeri thesaurum.

An thesaurus Ecclesiæ confletur etiam ex satisfactionibus reproborum.

Vlteriùs Secundò quæri potest, Vtrùm in hunc thesaurum reponantur etiam aliquando satisfactiones reproborum. Etenim contingere potest vt reprobus sit aliquando in magno gradu sanctitatis, & habeat opera satisfactoria ; qua satisfactione ipse non indigeat,& nulli alteri eam applicet ; vel certè illis qui ea non indigent, ac proinde tunc reponatur in thesaurum Ecclesiæ; quæritur ergo,An ea maneat etiam postquam ille in peccatum lapsus est & damnatus Negat Cardinalis Lugo sect. 4.quia post mortem reprobi extinguuntur, ac delentur penitus & satisfactiones : quomodo enim nunc condonaret Deus alicui pœnam intuitu satisfactionis quæ fuit in Iuda? hoc enim esset aliquo modo præmiare opus Iudæ. Ego in hac quæstione duo distinguenda iudico;aliud enim est loqui de possibili, aliud verò de facto.Quoad possibile omnino censeo id nullatenus repugnare,quia illa satisfactio etiam postquam Petrus lapsus est in peccatum retinet quæcumque necessaria sunt ad mouendum Deũ;illa enim non accipit suum valorem ex statu gratiæ, quem nunc ille habet, sed eo ex quem habuit quando facta est ; tunc autem habuit omnes conditiones necessarias;ergo.Quòd autem nunc homo ille sit in mortali, efficit quidem vt ille non sit capax nunc eius præmij,seu eius remissionis,ac proinde respectu ipsius sunt mortificata ea opera;si item sit iam in inferno, respectu ipsius erunt etiam ex integro mortua.At respectu aliorũ qui sunt in gratia non est,cur non possint obtinere suum quasi præmiũ. Neque inconueniens est, vt qui nunc non est dignus præmio , præmietur virtualiter, vel æquiualenter nunc propter opus quod fecit olim,quando verè fuit dignus præmio.Et verò de facto ita videtur sæpè contingere.Nam si aliquis reprobus, dum fuit in gratia,transtulit mihi suas satisfactiones , & ego morior , quando ille iam est in inferno; ego tunc in Purgatorio liberabor propter satisfactionem illius factam olim dum fuit in gratia;per accidens enim videtur esse quòd supponamus acceptationem operis illius ad remissionem meæ pœnæ iam fuisse anteà factam , quia re ipsa mihi in actu exercito datur dum ille est in peccato. Non est ergo cur de possibilitate eius permanentiæ satisfactionum in Ecclesiæ thesauro dubitemus.

Duplex sensus quæstionis.

Difficilior est quæstio circa secundum punctum , An re ipsa ita fiat.Et quidem dici fortè posset, ipsum Pontificem manifestè id negare, quia solùm dixit *Electorum merita* ; excluit ergo reprobos.Hæc tamen deductio est leuis,quia inde sequeretur, etiam dum illi reproba sunt in gratia non reponi in thesaurum Ecclesiæ ipsorum satisfactiones ; hoc autem fortasse videri posset contra omnes. Mihi satis probabile videtur etiam reponi , quia illæ satisfactiones non amittunt de suo valore quidquam per sequens peccatum illius hominis, quando totus ille valor (iuxta dicta paulò antè) desumitur ex statu præcedenti,quando facta sunt opera cum omnibus requisitis , ideóque tunc pretium illud fuit repositum in thesaurum Ecclesiæ;cur ergo nunc inde detrahentur ? non enim pecunia illa(sic liceat eam vocare) redditur nunc inualida per malitiam subsequentem,illius qui eam reposuit.

Dices ergo; Etiam deberent manere viua merita eorum reproborum.Nego consequentiam; nam merita solùm acceptantur à Deo ad præmium pro ipsa persona operante ; si ergo hæc iam est in statu incapaci præmiorum,consequenter merita integrè erunt mortua.Satisfactio autem cùm transeat ad alios,optimè potest manere pro illis,etiamsi ipse operans sit redditus iam in perpetuum incapax illius effectus; nihil ergo inde infertur contra probabilitatẽ eius sententiæ.

Probabilius est satisfactiones reproborum non reponi in thesaurum Ecclesiæ.

Crediderim tamen contrarium esse longè probabilius. Cùm enim tota hæc res pendeat ex speciali fauore Dei, qui electos eo honore dignatur sine vlla planè necessitate,& satisfactiones Christi sint ex se infinitæ,ac proinde plusquam sufficientes,non est cur timeamus in primis aliquod secuturum inde damnum, si reproborum satisfactiones ex eo thesauro eiiciantur ; vt autem dicamus eis fieri fauorem & honorem illum,quo admittantur simul cum Christo pro remissione pœnæ, nulla omnino est ratio ; cur ergo id dicemus? iudico ergo omnibus pensatis non reponi.

Dices Primò:Id potiùs fore in maiorem eorum dolorem , cùm videant alijs prodesse suam satisfactionem, se verò grauissimè torquerit. Respondeo , Omnino hinc posse eorum dolorem augeri,maximè si id sciant; (quod valdè dubium est,(hanc tamen congruentiam non videri sufficientem ad præponderandum honori, qui inde posset oriti,& vt in re incerta dicamus re ipsa ea merita reponi.

Secundò obiicies ; Ergo è contrario neque reponentur etiam quando sunt in gratia. Primò respodebo , Posse facilè concedi consequentiam;neque in consequenti video vllam absurdum:neque,vt iam insinuabatur , id est contra omnes.Secundò tamen potest negari,quia dum adhuc sunt ingratia,verè sunt amici & filij Dei: & pro eo statu sunt adhuc digni eo honore, & adhuc non sunt in actu quasi exercito segregati ab agnis.

Satisfactiones prædestinatorum seruantur in thesauro Ecclesiæ etiã cùm sunt in peccato grauí.

Iam hinc infero:Si loquamur de satisfactionibus prædestinatorum eo tempore,quo hi sunt inmortali,probabilius esse adhuc verè manere repositas in thesauro Ecclesiæ;quia si de reprobis,etiam dum sunt in peccato , est probabile, profectò probabilius erit de ipsis prædestinatis. Deinde cùm illæ satisfactiones sint iterùm reponendæ,quia prædestinati tandem venient ad statum gratiæ,non video cur dicamus eas inde ad tempus auferri aut sopiri : adhuc enim perseuerat ratio illa,quòd velit Deus illum prædestinatum eo honore præmiare.

Tertium dubium est, Quomodo satisfactiones præteritæ Sanctorum possint nunc esse in

thesauro

thesauro Ecclesiæ; quandoquidem Sancti non possint eas applicare. Respondetur facilè, eam applicationem à Deo fieri, qui vult recordari earum satisfactionum in ordine ad eas remunerandas. Quæ explicatio clarissima est, neque pro illa cogimur recurrere ad vllam voluntatem virtualem aut expressam, quam illi habuerint in vita circa hanc applicationem; nam etiamsi illi ex aliquo errore voluissent non reponi in thesaurum Ecclesiæ suas satisfactiones, nihilominùs illæ fuissent repositæ. Neque item est necessum recurrere ad hoc, quòd Ecclesia successerit velut mater in bona suorum filiorum cum eodem iure, quod illi habebant. Hæc enim explicatio etsi plausibilis sit pro vulgo, non tamen est scholasticè bona; quia iusti etiam viuentes post habitas iam suas satisfactiones nullum amplius habuere ius, vt possent pro suo libitu illas applicare: ergo, eò quòd Ecclesia successerit in ius illorum non infertur, quòd possit illas applicare. Fortasse si volumus hærere ei allegoriæ de hæreditate, dicere possemus Ecclesiam successisse in bona illa, ius tamen ea distribuendi solùm esse penes Deum. Et de allegoria satis, quæ re semel intellecta curanda non est.

8

Cur Deus reponat Sanctorum satisfactiones in thesauro Eccles. cùm Christi sufficiant.

Quarta difficultas; Cùm Christi satisfactiones sint infinitæ, ad quid in eo thesauro reponuntur Sanctorum satisfactiones? Respondeo, Non reponi ex necessitate: vti diximus, sed quia Deus vult hoc honore afficere Sanctos accipiendo illorum satisfactiones in consortiam pretij pro ea remissione. etiamsi sint infinitè inferioris valoris quam ipsius Christi, quomodo autem, seu qua proportione applicentur, dicemus inferiùs.

Etiam in lege veteri fuit thesaurus Ecclesiæ.

Quintum dubium, Vtrùm in Lege veteri fuerit thesaurus huiusmodi satisfactionum. Respondeo; Omnino fuisse: id quod Clemens VI. videtur definiisse, cùm dixit in eo positas esse satisfactiones à primo ad vltimum iustum. Per hoc tamen nullo modo sequitur fuisse in Lege veteri potestatem concedendi Indulgentias. De hoc enim priuilegio facto Ecclesiæ non habemus pro eo tempore vllum fundamentum; ac proinde cùm res sit planè supra omnem exigentiam naturæ, non debemus eam tunc concedere.

An absque thesauro Ecclesia possent dari Indulgentia.

Sextum dubium, Vtrùm ad Indulgentias concedendas ita sit necessarius Ecclesiæ thesaurus, vt aliunde numquam illæ concedantur. Respondeo, Duo hic posse fortè in dubium veuire: Primùm, An aliquando remittatur alicui pœna sine applicatione satisfactionum in thesauro. Hæc difficultas pendet ex his quæ suprà nos tractauimus; ibi enim ostendimus vt probabilus, aliquando per orationes obtineri remissionem pœnæ temporalis; ergo ex eo capite potest dici, tunc concedi remissionem à Deo omnino gratis, & sine dispensatione vllius thesauri, saltem quæ fiat ab Ecclesia, Dico, *saltem quæ fiat ab Ecclesia*; nam vtrùm tunc temporis Deus pro ea remissione applicet aliquid de eo thesauro, est res valdè dubia, vt suprà insinuaui; etsi probabile satis sit ita fieri. Aliud dubium in præsenti est, Vtrùm per proprias Indulgentias remittatur aliquando pœna, non tamen ex thesauro Ecclesiæ. Huic autem facilè respondetur, Id videri explicatis terminis omnino repugnans. Etenim remitti per Indulgentias, vt supponimus, non est remitti gratis, sed per æqualem satisfactionem; ergo cùm omnis æqualis satisfactio sit reposita in thesauro Ecclesiæ, repugnat in terminis, vllam æqualem aliunde dari quàm ex eo thesauro. Iam enim non loquimur de remissione, quæ fit à iusto in hoc mundo, applicante alteri suam satisfactionem.

9

Vbi aduerte, Cùm semo in præsenti solùm sit de Indulgentiis, non de remissione culpæ, quæ fit in Sacramentis, in toto rigore non esse necessarium, thesaurum Ecclesiæ constare Christi satisfactionibus aut meritis: possumus enim concipere, esse in eo thesauro tot Sanctorum satisfactiones, quæ saltem ad aliquod tempus valere possint pro Indulgentiis concedendis: hoc tamē addendum, etiam eo casu debere interuenire saltem remotè seu immediatè merita Christi. Cùm enim acceptare alienas satisfactiones ad remittendam mihi pœnam, sit donum Dei in ordine gratiæ, ad quod Deus nullo modo tenetur, homini autem nulla prorsus fiat gratia in ordine supernaturali nisi ex meritis Christi, saltem hoc deberet eo casu attribui Christi meritis, quòd obtinuerit à Patre vt vellet accepsare satisfactiones Sanctorum pro remissione ea facienda. Vti si aliquis apud Petrum intercederet, vt vellet mihi, pro iusto tamen pretio, equum v.g. vendere; licet in ipsa actuali venditione nulla esset propriè gratia, quia nihil de iusto pretio remittitur: eadem tamen vendi.tio radicaliter tribuitur intercessioni illius, qui obtinuit, vt Petrus haberet voluntatem vendendi, ad quam non tenebatur, etiamsi ei iustum & superabundans etiam pretium offerrem; ita in nostro casu tunc temporis dicendum esset.

10

Tam passionis quàm meritis Christi spectant ad thesaurum Ecclesiæ illa tamen magis propriè.

Secundò addo, ad thesaurum Ecclesiæ) prout ad Indulgentias de quibus agimus) spectat magis pertinere passiones Christi quàm merita; quia hæc remissio pœnæ magis propriè respondet satisfactioni pœnali quam meritò. Nihilominùs quia merita Christi sunt infiniti valoris, possunt se ad hanc etiā remissionē extendere: & videtur probabilius vtraque concurrere, vt & meritis & satisfactionibus Christi aliquis effectus respondeat. Quoad Sanctos alia est ratio: nam eorum merita iam habuere suum adæquatum præmium in augmento gratiæ & gloriæ (vt ostendi suprà:) ideóque non possunt ad thesaurum Ecclesiæ reponi, sed solæ pœnalitates ipsorum Sanctorum, quibus adhuc non est satisfactum. In his tamen ipsis satisfactionibus includuntur merita per modum formæ significantis exteriores passiones; non enim passio exterior potest habere condignitatem ad remissionem; nisi ab homine iusto per actum bonum & supernaturalem vel causata vel acceptata eleuetur ad eam dignitatem: sicut ipsa opera supernaturalia fiunt per gratiam habitualem condigna eiusdem gratiæ & gloriæ augmento.

SECTIO III.

Quomodo hic thesaurus dispensetur.

11

An Indulgentia semper concedantur ex satisfactionibus Christi & Sanctorum simul.

Circa quod Primò quærimus, An dum conceduntur Indulgentiæ, semper fiat distributio ex satisfactionis thesauro tam iustorum quàm Christi, an aliquando solus Christi: an è contrario aliquando præcisè iustorum: & an in manu Pontificis sit pro libitu eam determinationem facere Pater Suar. sect.3. probabilius putat omnino id esse in potestate Pontificis, quia Christus ei concessit sine vllā limitatione potestatem dispensandi thesaurum: vbi enim est ea limitatio, vt tantùm vno modo possit illum dispensare?

pensare? addit tamen ordinariè id eos non facere, quia Sanctorum satisfactiones sunt finitæ; & contingere posset vt aliquando deficerent.

Meritò hæc resolutio visa est dubia Cardinali Lugo, quia non videtur esse in Potestate Pontificis facere eam applicationem iam ex meritis S. Francisci v.g. iam S. Ioannis; neque vnquam Pontifices in se potestatem hanc agnouerunt. Hæc tamen ratio non multùm probat, quia cùm ignoretur, an hic aut ille Sanctus in particulari habeat aliquas satisfactiones, & quales, non potest eo modo fieri illa applicatio à Pontifice etiam in sententia Suarez, qui sine dubio solùm docet debere id fieri in communi, non descendendo in particulari ad hunc potiùs quàm illum Sanctum. Aliter ergo mihi videtur reiiciendus Suarez, quia is modus applicandi est inutilis omnino, ideoque non est credendum, Deum dedisse ad illum potestatem Pontifici: esse inutilem, patet: nam pro his, quibus conceduntur Indulgentiæ, idem omnino est, quòd ex hac parte thesauri eis concedatur, quod esset, si ex alia concederetur; in ordine etiam ad ipsum vsum est res otiosa. Cum enim non sit omnino certum, vtrùm semper re ipsa ex Sanctorum satisfactionibus aliquid sit repositum, ipso Suarez teste, qui fatetur illum thesaurum ex hac parte, quia finitus est, posse deficere: non video quod honestum motiuum habere Pontifex possit, vt dicat, Volo nunc ex satisfactionibus solis Sanctorum concedere, non verò Christi, aut è contrario, vt

12 excludat Sanctorum satisfactiones. Quod verò Pater Suarez dicit nullam factam esse limitationem potestatis (vbi enim ea extat?) non multum vrget. Nam potiùs è contrario discurrendum videtur, Nulla est facta ampliatio talis: vbi enim illa extat? Ad concedendum autem priuilegium quod ex natura rei non debetur, non sufficit dicere illud nullibi inueniri negatum, sufficit enim si non inueniatur concessum. Fortè dicet, concessum illis verbis, *Pasce oues meas.* Respondeo, Inde nec quidem leuiter illud insinuari; nam iam ostendimus, ad pascendas oues eam facultatem seligendi esse planè inutilem. Alioquin eadem omnino consequentia diceret aliquis, In eis verbis datam esse facultatem Pontifici vt hodie concederet Indulgentias de satisfactionibus Christi, quas habuit in Circumcisione præcisè, & eras de satisfactionibus prima die ieiunij post annum verò de satisfactionibus in horto, & sic de aliis; Secundò vt quando absoluit hominem Sacramentaliter, ei concederet gratiam habitualem ob merita Christi in infantia, deinde ex meritis in pueritia, &c. hoc autem omnino est contra sensum Theologorum. Quòd si semel dicamus (vt profectò dicere debemus) ad potestatem pascendi oues, remittendi pœnam & absoluendi à peccatis, huiusmodi potestatem eligendi inter has & illas satisfactiones se habere per accidens, negandum consequenter est eis verbis concessam eam potestatem; nam in verbis, quibus conceditur aliquod priuilegium non censentur inclusa ea alia, quæ se habent planè per accidens ad vsum illius; ideòque iure merito nos diximus nullum pro hac facultate esse testimonium, rationem item non esse iam ostendimus; quo ergo titulo id concedemus? Concludo ergo probabiliùs, id non esse in manu Pontificis; at proinde quoad totam quæstionem respondemus, incertissimum esse quo pacto Deus faciat eam applicationem. Probabile est ita

13 *Probabilius est non posse Pontificem dò ex Co sti solum, modo ex solorum Sanctorum satisfactionibus dare Indulgentias*

satisfactiones Sanctorum esse quasi in vnam massam congestas, vt cum debita proportione ex vtrisque Deus accipiat, si v. g. pro ea remissione, quæ conceditur, est necessarius valor vt decem, accipiat Deus ex satisfactionibus Christi valorem vt septem vel vt octo, ex satisfactionibus verò Sanctorum solùm valorem vt tria, aut duo. Vnde vlteriùs facilè colligi potest, cur hæ satisfactiones Sanctorum non facilè exhauriantur quandoquidem de illis non multum accipiatur.

Cardinalis Lugo addit, probabile esse Deum ita res dispositurum, vt in fine mundi nullæ satisfactiones Sanctorum sint superfluæ, ne illæ maneant sine suo effectu: satisfactiones verò Christi quia sunt infiniti valoris, necessariò debere manere non ex integro solutas: nam etiamsi ex illis solis concederentur Indulgentiæ, semper multum de illis maneret superfluum. Iudico rem esse dubiam, maximè si circa ipsum finem mundi aliqui ex vltimis iustis martyrio sint afficiendi, fortasse enim illi relinquent aliquas otiosas satisfactiones, vel quia Indulgentiæ nullæ deinde concedentur, vel quia nullus iam erit qui indigeat illis. Nihil ergo in re adeò dubia decido.

14 *An thesaurus Ecclesiæ aliter dispensetur quàm per Indulgentias solas.*

Secundò circa eiusdem thesauri dispensationem quærimus, An dispensetur aliter quam per Indulgentias. Respondeo si de thesauro vt includente merita Christi loquamur, distribui etiam illum per Sacramenta tam in ordine ad remissionem peccatorum, quando illa remittuntur, quàm ad gratiæ productionem, quàm ad remissionem pœnæ temporalis, quæ vel per illa Sacramenta vel per Sacramentalem satisfactionem in pœnitentia conceduntur; vno verbo, ille thesaurus secundum talem considerationem concurrit ad effectus omnes, qui donantur nobis (vt dici solet) ex opere operato. Quòd si loquamur de eo thesauro vt satisfactiones Sanctorum includit, tunc cùm hæ non nisi ad pœnæ remissionem applicentur, & hoc solum fiat per Indulgentias, solum etiam per has illæ applicantur.

Dices: Per satisfactiones Sacramenti Pœnitentiæ remittitur etiam pœna temporalis: ergo etiam ibi possent applicari Sanctorum satisfactiones Respondeo, ex hoc capite id fieri optimè potuisse, & fortasse ita re ipsa fieri: nihilominus quia nihil habemus de applicatione earum satisfactionum per Sacramenta, imò omnes videntur supponere, in eis collationem gratiæ & remissionem culparum fieri ex solis meritis Christi, & quidem ea solùm ratione, qua censentur esse actiones Christi Domini, non sint autem vllo modo actiones Sanctorum: non est cur dicamus in eis applicari Sanctorum satisfactiones pro remissione pœnæ, sed solius Christi. Vtrùm autem merita Sanctorum sub tali ratione possint dispensari in ordine ad obtinendum aliquid à Deo per modum meriti de congruo, seu impetrationis, est alterius loci; quia hic solum agimus de Indulgentiis. Breuiter tamen dico, omnino id posse fieri: quia Ecclesia ob intercessionem Sanctorum sæpè à Deo petit multa beneficia: hoc autem est, ea merita ad impetrandum dispensare. In qua tamen impetratione non est infallibilitas sicut in Indulgentiis.

SECTIO

SECTIO IV.

De illis quibus conceduntur Indulgentiæ.

15 HÆc est secunda difficultas in disputatione titulo proposita,circa quã variæ quæstiones in præsenti moueri possunt;quæ etsi non sint magni momenti, necessariò tamen debent tangi pro exacta intelligentia materiæ Indulgẽtiarum: & quidem supponendum solos homines esse earum capaces,quia Angeli si boni sint, eis non egent,si mali, liberari a pœnis iam non possunt.

An soli baptizati sint capaces Indulgentiarum

Primò quæritur,An soli baptizati sint Indulgentiarum capaces. Cui dubio respondeo, Eos solos esse capaces. Si enim loquamur iuxta communem sententiam, quòd respectu viuorum concedantur per modum absolutionis cùm non baptizati nondum sint subditi Ecclesiæ, manifestè constat eos esse illarum incapaces Licet tem loquamur in nostra sententia,quòd Indulgentiæ dentur per modum solutionis,etiam suadetur facilè ex dictis suprà eos non esse capaces; quia iam huximus non esse datam eam potestatem Pontifici, nisi respectu ouium ipsius Pontificis immediatè:quòd verò nec mediatè, vti applicantur Indulgentiæ defunctis, sint earum capaces, constabit ex dicendis infrà, dum de suffragiis pro defunctis egerimus.

An amentia privatus sit capax Indulgentiæ.

Inter baptizatos autem dubium est, Vtrùm qui ratione caret, sit illarum incapax. Suarez & alii nui alij absolutè affirmant esse incapacem; iudico tamen. licet pro Indulgentiis, in quibus exigitur aliquod opus bonum ad eam intentionem faciendum ab ipso lucrante, omnino locum habeat ea doctrina quia tamen communiter docetur posse concedi Indulgentiam nõ petito nouo vllo opere,sed vel in gratiarum actionem pro seruitijs exhibitis Ecclesiæ,vel ob alios titulos,non video cur tali homini in amentiam incidenti non possit tunc concedi Indulgentia; cùm maximè illi tunc sit necessaria. Quòd si (vt aliqui putant) non habeat locum Indulgentia nisi respectu eorum qui non possunt pro se satisfacere ,certè in tali maximè locum haberet.

16 Deinde non requiritur expressa acceptatio in eo cui applicatur Indulgentia ; non est ergo cur amenti de Ecclesia bènè merito eam non possit Pontifex applicare Et fortasse Auctores solùm de primo modo concessionis sunt locuti, Nostram sententiam tenet Lugo secutus Laurentium Portel.

Secunda difficultas est; Quandoquidem Indulgentiarum non sunt capaces nisi personæ rationales, quo sensu dicantur aliquæ Indulgentiæ personales,aliæ reales,locales aliæ. Respondeo , Licet omnis Indulgentia fit in bonum hominis , & consequenter in bonum personæ , aliquos tamen immediatè concedi homini ipsi animæ Purgatorij,alias tamen loco,vt templo,sacello,alias rei,vt numismati cruci,&c.quia non nisi eo loco,aut per numisma obtineri possunt: de quibus nihil speciale occurrit dicendum:sed ad cognoscendum modum , quo debeant obtineri, debere considerari, quæ conditiones fuerint à Pontifice requisitæ:variæ enim solent esse,& ex se satis claræ.

Potest tamen in dubium hac occasione verti, quid si concedatur Indulgentia visitanti tale tẽplum aut in eo oranti,acquirẽtne Indulgentiã, qui ob multitudinem populi,aut quia templum est clausum, intrare non potest? Affirmant ali qui apud Suarez disput.5 1.sect 1.quia ea videtur esse intentio concedentis , licet illam non expresserit. Quæ ratio meritò displicuit Lugo, quia in his rebus non debemus ad præsumptam intentionem, sed ad id quod verba sonant recurrere.Melius ergo respondetur,Cùm actio illa moraliter possit reputari pro visitatione templi, omnino sufficere. Vnde consequenter addendum,si expressè petatur ingressus ad templum, aut actio,quæ sine eo ingressu fieri non possit; vt v g. si concedatur celebranti in eo templo, aut in tali altari,aut visitanti quinque eius templi altaria,nullo modo id fieri posse,si ille non ingrediatur. Imò quoad visitationem altarium addunt benè aliqui non sufficere , si homo sit iam intra templum, & ex vno loco immobilis intentionẽ suam iam ad hoc iam ad illud altare dirigat;quia reuerà tunc moraliter non visitat ea altaria sufficiet tamen,si eo loco flectat, vnde omnia ea videre possit , & iam ad vnum caput vertens, iam ad aliud orationem faciat, quia ea est propriè visitatio, nec requiritur vt fiat ad ipsum planè altare.

An acquirat Indulgentiã templo v.g. clauso, quod non possit intrare,sed tãtũ accedere vbi de visitatione altarium.

Obijcies:Si Indulgentia petat, vt oretur in Ecclesia,non satisfacit,qui orat extra illius portam. Respondeo, Iuxta moralem æstimationem eo casu etiam illam orationem esse in Ecclesia: de quo fusiùs infrà. 17

An diruto veteri templo, & nouo ædificato, in hoc maneãt priorũ Indulgentiæ.

Tertium dubium est : Quid si diruatur templum, & nouum ædificetur , durabítne adhuc Indulgentia antiquo templo concessa ? Aliqui absolute negant;alij absolutè affirmant alij media via gradiuntur , Meo iudicio res est valdè dubia, quia non scimus quomodo eam gratiam Pontifex affixerit ei Ecclesiæ : hoc tamen certum,si alio loco ædificetur noua Ecclesia,tunc perire Indulgentiam,quia & reipsa & moraliter est diuersa, nisi esset concessa Indulgentia Ecclesiæ v.g. Iesuitarum Pragæ,non determinando hanc vel illam ; at eo casu non potest dici fuisse concessam propriè illi in individuo Ecclesiæ,sed Iesuitis pro quacumque sua Ecclesia Pragæ. Quòd si in eodem loco noua omnino ædificetur, probabile putat Suarez non perire Indulgentias: Lugo dubitat, quia reuera iam est alia Ecclesia : ego etiam dubito valde;si tamen paulatim diruatur, & reædificetur,tunc moraliter iudicari eadem Ecclesia,ac proinde non amisisse Indulgentiam Circa quæ omnia addo,his temporibus vix esse locum huic quæstioni:nam Pontifices non dant nisi ad septennium Indulgentias Ecclesiæ,vel Sacellis : intra quod tempus non facilè diruitur & ex integro reædificatur Ecclesia.

Requiratúrne specialis honestas, vt Papa huic templo,numismati, coronæ, &c.pro aliis applicet Indulgentias.

Dices:Quæ ratio honestatis specialis esse potest in eo quòd visitetur hoc potiùs templum quàm illud, vt propterea vni concedatur Indulgentia, non alteri ? Quòd argumentum adhuc videtur fortiùs vrgere in Indulgentiis realibus: ex duobus enim numismatibus ab eodem artifice fusis,quid magis habet vnum quàm alterũ etiam post Pontificis designationem; vt vnum sufficiat pro obtinenda Indulgentia , alterum non ? Respondeo . Ad hanc specialem gratiam non esse necessarium quærere specialem honestatem ; sufficit enim, quòd sit in eis honestas communis cum visitatione aliorum templorum ; aut cum aliis imaginibus sacris:eo enim ipso habent 18

bent capacitatem, vt omnia accipiant Indulgentiam, quòd autem huic potiùs detur quam illi, efficit voluntas ipsius Pontificis, qui potuit nulli concedere, potuit omnibus, potuit huic potiùs quàm illi. Vti si concurrerent triginta ad petendum beneficium, & omnes essent æquè capaces illius, certè, vt huic potiùs quàm illi daretur, non esset necessarium hunc habere aliquid præ illo, sed sufficeret, quòd esset æquè capax, & quòd collator pro sua voluntate determinasset liberè hunc potiùs quàm illum. Quæ solutio meo iudicio est magis vniuersalis, magis ex ipsa natura priuilegij quàm aliæ, quas Auctores adferunt, conantes ostendere specialem etiam honestatem in eo loco aut re cui ea Indulgentia conceditur. Licet enim sæpè possimus illam specialem honestatem inuenire, vt quòd Deus specialiter velit hunc aut illum Sanctum honorare vt quòd ad ædificationem Fidelium conducat, si hoc præ illo templo frequentetur, &c. quòd item expediat vt omnes ad eamdem Ecclesiam concurrant, &c. non tamen semper ea honestas reperiri potest. In multis enim vix est id explicabile (vt dixi in numismatibus) imò inipsis etiam templis satis plausibiliter aliquis in contrarium diceret, quando in vna magna ciuitate assignatur vnum templum pro omnibus fore maiorem honestatem, si cuilibet liceret in quocumque tẽplo orare, tum ne cætera tẽpla desererentur tum quia in magno concursu hominum solent esse grauia peccata, & maximæ in oratione distractio
19 nes. Denique (vt sæpè dixi ad alia proposita) in his quæ ex congruentiis desumuntur, facillimum est iam in hoc iam in contrario inuenire maiores & maiores. Vt si Pontifex petat vt oretur quinque Pater & Aue, profectò maior esset honestas, si quis loco eius orationis ieiunaret in pane & aqua, & disciplinam faceret; & tamen hæc non sufficerent eo casu; sufficeret tamen illa oratio; quare quia ita voluit qui Indulgentiam concessit: in his enim rebus non est attendenda maior honestas, vt vtilitas, sed determinatio voluntatis concedentis; vt si ego dicam Petro Donó tibi pallium sub hac præcisè conditione, vt ores in hac Ecclesia, & non in alia, Pater & Aue. Profectò si in ea Ecclesia non orauerit, licet in altera oret centies Pater & Aue, & totũ Psalterium, non tamen pallium illud faceret suum; quia non expleuit conditionem petitam & omnino determinatam à donatore. Quam doctrinam ideò specialiter confirmaui, quia videntur nonnulli parum esse soliciti in Iubileis de seruandis præscriptis conditionibus, putantes se illud lucraturos, si faciant aliquid æquiualens in honestate; à fortiori autem si faciant aliquid maius: in quo puncto grauiter decipiuntur ob rationem immediatè datam.

Conditiones requisitæ ad obtinendas Indulgentias exactè seruãdæ, alioquin non obtinentur Indulgentiæ, ipsæ.

Quartum dubium est, Vtrùm Indulgentia concessa alicui ciuitati comprehendat illius Religiosos, Clerum, &c. Respõdeo, Omnino comprehendere, quia Ecclesia talem fauorem sine dubio maximè vult facere eis, qui primo loco ad Ecclesiam pertinent.

Dices: Quando interdicitur populus, non censetur interdictus Clerus. Respondetur, In fauorabilibus Clerum comprehendi, non in odiosis, maximè quando causa interdicti ad solum populum spectat.

Secundò dices: Episcopo non sunt subiecti Religiosi: ergo non possunt Indulgentiarum ab eo concessarum esse participes. Respondeo, Eos in odiosis esse exemptos, non in fauorabilibus.

Quintum dubium circa subiectum Indulgentiarum, Quomodo in reali Indulgentia includatur ipse Pontifex: de hoc tamen fusius egimus suprà, ostendentes eum tunc gerere duo munia, & Pastoris, & ouis. Pater Suarez addit Papam posse sibi ipsi etiam soli concedere Indulgentiam, si præcedat aliqua iusta causa, quæ sicut in aliis personis potest præcedere, potest etiam in ipso id quod mihi etiam placet. 20

Papa sibi soli potest dare Indulgentias.

Obiicit D. Thomas in 4. dist. 21. a. 5 quæst. 4. Causa sufficiens pro Indulgentia debet esse talis, vt is, cui conceditur, excitetur ad inseruiendũ Ecclesiæ: Pontifex autem cùm ex suo munere ad id teneatur, non potest per Indulgentias ad id ipsum excitari, ergo neque eas sibi dare. Respondetur Primò, Non semper causam eam dandi esse aliquid in futurum, vt diximus, sed ob merita præcedentia; si ergo Pontifex ante suam electionem, & antequam teneretur eo speciali modo Ecclesiæ inseruire, talia fecit ex sua liberalitate, qualia ille qui promeritis est Indulgentias, cur non seipsum poterit eis Indulgentiis iam Pontifex remunerare, sicuti remunerat alios? Respondeo Secundò cum Patre Suarez, homines præmiis propositis non solùm excitari ad facienda opera supererogationis, sed etiam ea ad quæ ex obligatione tenentur. Præterea non solùm inter homines affici præmio eos, qui liberaliter aliquid gloriosi egerunt, sed etiam eos qui præcepta diligentissimè obseruarunt. Certè Pontifex per Iubilea & Indulgentias sæpè vult excitare Reges & Principes vt faciant ea quæ ad ipsorum statum maximè pertinent, populum item ad emendationem prauorum morum: ad quam sine dubio obligantur naturali lege: non est ergo cur ex eo capite non possit seipsum Põtifex per Indulgentias vel remunerare pro suis laboribus in Pontificatu pro Ecclesia gloriosè exãtlantis, vel excitare ad nouos subeundos. Denique Pontifex non tenetur ad omnia; ergo saltem se poterit ad aliqua indebita excitare.

DISPVTATIO XXVI.

De conditionibus ad obtinendas Indulgentias necessariis.

1 QVB hoc titulo comprehenduntur ferè præcipuæ difficultates circa Indulgentias, & maximè ad praxim pertinentes, quas expediemus breuiter.

SECTIO

SECTIO I.

De statu gratiæ ad Indulgentias consequendas necessario.

Qui lucrari vult Indulgentias, opus est vt sit in gratia, saltèm dum implet vltimum re quisitum.

EX dictis sæpè hucusque certum est, cum qui lucratur Indulgentias debere esse in gratia, eo saltem vltimo puncto, quo vltimam adhibet diligentiam seu conditionem requisitam ad eas obtinendas, quia peccatori Deus non remittit pœnam; si autem loquamur de pœna debita illi peccato nondum remisso, est etiam noua ratio, cur existenti in mortali nequeat illa remitti; qui scilicet esto subiectum sit capax eius fauoris, nunquam tamen de facto remittitur pœna, nisi priùs culpa ob quam debetur, remittatur. Vnde colliges obiter, si iustus aliquis adhibeat diligentiam pro consequenda Indulgentia plenaria requisitam, venialia tamè aliqua habeat, de quibus non dolet, vel certè non sufficienter, ita vt ei dimittantur, nullo modo posse consequi Indulgentiam plenariam; manebit enim ei minimùm soluenda pœna debita illis peccatis venialibus: Vide Suarium suprà sect. 2. disp. 52.

2 *Quandonam causatur effectus Indulgentiæ, in tempore, an in instanti.*

Hac occasione, vt explicetur quando homo debeat esse in gratia, à nonnullis fusè tractatur, An effectus Indulgentiæ causetur in instanti, an in tempore, an dum vltimò intrinsecè perficitur opus, quo complentur conditiones omnes requisitæ pro ea Indulgentia, an verò in instanti aut tempore sequenti. Ratio autem dubitandi desumitur ex Aristotelica sententia, iuxta quam res successiua dicitur non terminari intrinsecè per vltimum sui esse, sed extrinsecè per primum sui non esse; quando ergo debebit censeri ieiunium compleri vt dicat accipere effectum Indulgentiæ: Hæc difficultas proprièe huc non spectat, est enim nimis generalis ad alias materias ferè similes. Breuissimè dico cum Patre Suarez suprà ea sect. 2. rem esse valdè dubiam; posse tamen duobus modis explicari; Primò, si dicatur tunc conferri Indulgentia, quando ieiunium est physicè completum, ac proinde in primo non esse ipsius; quia illud instans sequens licet sit extrinsecum ieiunio, essentialiter tamen requiritur; vt possit dici completam esse conditionem à Pontifice requisitam; haberque minus inconueniens hæc doctrina quàm in Sacramentis quoad causationem gratiæ. Nam gratia remissiua peccati non potest produci nisi in homine dum viuit: fieri autem potest vt instans primum post Sacramentum sit primum non esse hominis, ac proinde cùm iam non sit in hac vita, non videtur esse capax vt tunc primò ei remittatur mortale, & gratia habitualis infundatur, hæc autem difficultas omnino cessat in remissione pœnæ: hæc enim fieri eodem modo potest post mortem hominis ac dum viuit, non est ergo vllum inconueniens, si dicatur ea remissio obtineri post mortem. Secundus modus explicandi eam difficultatem est, vt in instanti aliquo ante physicè elapsum totum diem ieiunij, quando iam non potest esse comestio quæ illud violet, causetur ille effectus; quia iam tunc moraliter ieiunium est perfectum. Vtraque solutio est probabilis, nec lubet diutiùs in hac quæstione hærere: est enim difficultas, vt dixi, communis multis materiis, & desumitur ex inexplicabili quæstione de continuo. Iam ad lineam.

Secundò circa eum statum gratiæ quæri potest, Vtrùm si, dum quis ponit omnes conditiones requisitas ad lucrandum Iubileum, est in peccato, ideoque non recipit tunc effectum illius, possit tamen illum deinde recipere ablato obice peccati, sicut in Sacramentis diximus suo loco. De hac re benè & fusè Suarez: Lugo breuiter rem tangit disput. 27. n. 84. in vtramque partem aliquos citans Auctores; notatque benè, posse aliquam misceri quæstionem de nomine in hac difficultate. Mihi res videtur valdè certa; ac proinde breuissimè dico id non posse vllo modo fieri: ratio est euidens, quia (vt paulò antè insinuauimus) si ea, quæ Pontifex requirit pro obtinenda Indulgentia, non fiant eo tempore & modo, quo Pontifex ipse requirit, nullum habet Indulgentia effectum. Cum ergo Pontifex concedens hoc anno Iubileum requirat, vt intra talem hebdomadam, quâ illud sum lucraturus, sim in gratia, & ego hanc conditionem non ponam, sed primò post mensem iustificer: pro quo tempore Pontifex nihil petiit inde est quòd ego nihil planè tunc lucrer: quòd si tamen Pontifex ita diceret, Ores, ieiunes, des eleemosynam hac hebdomada, & posteà, quando fueris in gratia, lucraberis Indulgentiam, fieri quidem poterit vt eam ego lucrer: eo tamen casu non fui ego in peccato, quando debuit mihi applicari Indulgentia, seu quando apposui vltimum opus ad illam obtinendam necessarium: quia hoc opus fuit illa ipsa pœnitentia, seu exitus ille à statu peccati, quem posteà pono. Vnde concludo cum Suario, nec quidem esse in potestate Pontificis efficere vt reuiuiscat Indulgentia: quia non potest ille Indulgentias concedere, nisi vno ex his duobus modis. In primò autem iam probauimus non esse vllum fructum: in secundo etsi sit fructus non est tamen reuiuiscentia, quia numquam fuit mortua ea Indulgentia neque est verum, quòd illius fructus detur postquam fuere posita omnia necessaria ad illam obtinendam. Id in hoc puncto habet locum, quod dixi à Lugo benè obseruatum vt ad quæstionem de voce pertinens, Vtrum eo casu verum sit Indulgentiam compleri eo puncto quo ponor in gratia, an verò quando antecedenter absolui alias conditiones à Papa requisitas: in quo iudico omnino dicendum, illum ipsum statum gratiæ esse partem earum conditionum, quia conditionis nomine reuera nihil aliud potest intelligi quàm actio aliqua nostra, seu habitualis status noster essentialiter requisitus ad eam applicationem Indulgentiæ, seu ad consecutionem illius: ante eas enim conditiones non est completa Indulgentia, licet Pontificis voluntas longè antè præcesserit: & licet aliqua ex operibus ab eo requisitis fuerint iam executioni mandata. Et hinc facilè respondetur ad instantiam de Sacramentis: hæc enim quoad totam suam substantiam sunt indepédentia ab statu gratiæ, ideóque possunt existere quando non est gratia, ac deinde hac redeunte causare nouam gratiam, quam, causassent, si dum physicè extiterunt, fuisset homo in statu gratiæ. At Indulgentiæ in actu primo secundum suam essentiam requirunt in puncto vltimo, quo complentur, gratiam in subiecto, modo dicto: quæ si adsit, effectus sequitur: si non adsit, deest pars essentialis requisita à Pontifice. Quod autem hæc alio tempore posteà ponatur non complet moraliter causam præcedentem. Vti si hodie aliquem lauo, & baptizan-

3 *An ponens omnia requisita ad Indulgentias in statu peccati eas nihilominus acquirat posteàquàm statum mutauerit.*

Papa facere nequit vt Indulgentia reuiuiscant quemadmodum Sacramenta reuiuiscunt.

4

di intentionem primò eras habeo, non efficio Sacramentum, quia illa duo sunt disparata inter se: ac proinde tunc non est locus vt Sacramentum reuiuiscat, quia numquam fuit validum.

SECTIO II.

De necessitate confessionis ad Indulgentias obtinendas.

PRo decisione aduerte, in rigore, & ex natura rei confessionem non requiri: sufficit enim quòd homo sit baptizatus & in statu gratiæ, siue hanc per contritionem siue per confessionem adeptus fuerit. Vnde colligitur, si Pontifex non petat expressè confessionem, non fore illam necessariam: quia non debemus plures conditiones requirere quàm ille petierit: multò autem minùs id requiretur, quando ipse expressè facit desiunctionem, dicendo *contritis vel confessis*: eo enim ipso dat optionem vt homo præmissa vel contritione vel confessione lucretur eas Indulgentias.

5 Confessio ex natura rei non est necessaria ad consequendas Indulgentias.

Potest eam Papa vt conditionem necessariam ponere, etiam venialium tantùm.

Aduertendum è contrario, Pontificem posse omnino requirere pro libitu cõfessionem præuiam non solùm peccatorum mortalium, sed etiam venialium, iam enim diximus illum posse requirere quascumque honestas conditione (vti est confessio.) Vnde si expressè ea confessio requiratur, sine illa non poterit obtineri Indulgentia, siue cupabiliter siue ob impotentiam ea negligatur: hæc certa, illa dubia: Primò, An eo ipso quòd dicatur *confessis & contritis* requiratur omnino ea confessio. Secundò, An intelligendum etiam in his qui mortalis peccati conscientiam non habent, consequenter an obliget ad confessionem venialium. Tertiò. An sufficiat confessio informis, aut etiam sacrilega, si deinde sequatur status gratiæ per contritionẽ ante vltimum instans, quo est obtinenda Indulgentia.

Quando ponitur à Pontifice confessis & contritis, an sit necessaria tunc cõfessio, vt conditio sine qua non,

Circa primum non defuêre, qui negauerint requiri tunc actualem confessionẽ: aiunt enim sufficere contritionem & propositum confitẽdi suo tempore. Ita Paludanus, Gerson & alij quos refert Suarez sect. 3. eamque doctrinam ipse Suarez dicit esse valdè probabilem, quia per illa verba *confessis & contritis* non videtur tunc Pontifex requirere confessionem tamquam speciale opus ad Indulgentiam consequendam necessarium, sed præcisè vt homo sit capax effectus ipsius Indulgentiæ, seu vt sit in gratia: atqui, vti diximus, ad eum effectum ex se sufficit contritio; ergo. Confirmat, quia dum Pontifex requirit contritionem & confessionem, id facit iuxta ea quæ insinuantur in Extrauaganti *Vnigentius*, ne Pontificia potestas extendatur vltra suos limites, hoc est, ne Indulgentias concedat incapacibus: atqui ad hoc sufficit, si præmittatur contritio, quia iam eo ipso homo est capax; ergo. Secundò, quia illa verba *contritis & confessis* non possunt intelligi coniunctiue, alioquin semper esset necessaria contritio & confessio; quod nulla probabilitate dici potest, quandoquidem sufficit confessio cum attritione; ergo debent intelligi desiunctiuè *aut contritis aut confessis*: si autem nomen *contritis* intelligatur abstractè, prout præscidit à contritione & attritione, non est mirum requiri confessionem, quia illa contritio abstracta non sufficit ad iustificationem.

Iudico tamen longè probabiliorem esse sententiam, quæ tunc requirit confessionem, quia verba Pontificis id sonant nec debemus nos ea sine vrgenti valdè in oppositum fundamento violenter explicare: in præsenti autem argumentum vrgens in contrarium nullum omnino est; ergo. Confirmo; Aliud longè est dicere, *Concedo Indulgentiam verè pœnitentibus*, aliud verò dicere, *verè pœnitentibus & confessis*: illa enim priora, vt terminis apparet, minùs dicunt, quàm hæc secunda.

Resolvitur dubium in partem affirmantem.

Dices, vt *confessis* esse maiorem explicationem priorum. Contrà, quia explicatio si bona est, non debet plus includere quàm requirat terminus qui explicatur: est autem certum quòd vera pœnitentia possit esse sine cõfessione; ergo ea additio maius quid significat. Atqui si solum fuisset dictum *contritis* requisita fuisset disiunctiuè vel contritio vel confessio; ergo dum additum est *& confessis*, petita est propria confessio.

Iam ad argumenta: Ad primum, quòd ea confessio non vt speciale opus petatur, sed propter capacitatem subiecti, seu propter statum gratiæ, negatur antecedens: vti enim idem Suarez, quando Pontifex dicit *confessione præmissa*, non putat id dictum propter solam capacitatem subiecti, sed tãquam opus speciale requisitum pro Indulgentia; ita ego idem dico in præsenti, quia reuerà idem est dicere *præmissa confessione*, dicere *confessis*, sicut idem omnino est dicere *præmissa Communione*, ac dicere *communicaturis*. Addo, licet Pontifex non petierit confessionem nisi eo fine, vt subiectum sit capax, esse tamen valdè probabile ob maiorem certitudinem iustificationis requirere tunc confessionem, vti præceptum diuinum de confessione ante Communionem solùm est ob certitudinem maiorem status gratiæ; & tamen illud præceptum, etiamsi homo sit contritus, obligat ad præmittendam confessionem; ergo etiamsi Pontifex ob maiorem eamdem dispositionem petat confessionem de mortalibus pro obtinendis Indulgentiis, non sufficiet cõtritio. Quam doctrinam veram etiam iudico, esto confessio bona fide aut ob impotentiam omittatur. Nam Pontifices valdè diligenter, quando non adstrigunt Indulgentias certæ alicui conditioni, solent addere: *Quòd si tamen ob impedimentum aliquod, morbum, iter, carceres, &c non potuerint hoc aut illud præstare; nihilominùs tali vel tali modo dispensamus, vt suppleatur:* ergo cùm nihil simile dicant circa punctum confessionis in ordine ad eas Indulgentias, profectò debemus supponere eos non velle in eo puncto tunc dispensare: vti è contrario dispensant au declarant præceptum diuinum de præmittenda ante Eucharistiam confessione, quòd non obliget in hoc aut illo casu, pro quo præscribunt, quomodo se debet Sacerdos aut laicus communicaturus gerere. Et hinc colligitur, eam clausulam non poni eo præcisè animo, vt ostendatur concessionem non extẽdi vltra limites potestatis; ad hoc enim sufficeret dicere *verè pœnitentibus*; imò esto nihil omnino diceretur, res esse salua, cùm inter Catholicos supponatur non esse Indulgentiæ capacem qui non est in gratia. Plus ergo ea verba sonant, & ita sunt accipienda.

Soluuntur argumenta contraria.

Nihil iuuat licet bona fide omissa fuerit confessio, vel ob impotentiam, &c.

Secundum

9 Secundum argumentum Suarij multò minùs vrget, quia sensus illorum verborum est clarissimus sine vllo inde absurdo secuto hoc modo: *Illis qui cum contritione (sive illa sit perfecta contritio, sive attritio) adiunxerint confessionem, concedimus*, &c.

Dices ergo sufficisset dicere *verè confessis*; nam ibi intelligitur iam attritio aut contritio. Respondeo fortassis sufficisset: at hic dicitur clarè, quod tunc dictum fuisset obscurè, non autem ideò plus aut minùs; sæpè verò Legislatores dicunt (sic liceat rem declarare) per definitionem expressam id, quod potuissent per definitum: vti etiam expresè requirunt id, quod ex natura rei supponitur requisitum; iam enim dixi, ex natura rei supponi debere hominem esse in gratia; & tamen hoc expresè requirere solent illis verbis, *vel confessis vel contritis*. Secundò respondeo, Si Pontifex dixisset præcisè *confessis*, fore vt posset subori i al quod dubium, Vtrùm cõfessio sacrilega sufficeret, si posteà extra confessionem accessisset status gratiæ? ad periculum ergo huiusmodi vitandum meritò est addita illa particula.

Quæres tamen circa hoc Primò, An quando requiritur præcisè Communio, etiam debeat confessio præmitti: cùm enim Communio præsupponat confessionem, videtur Pontifex petens Communionem etiam petere confessionem. Nihilominùs dico non esse necessarium, quia si Pontifex supponeret numquam posse quem licitè communicare sine præuia confessione, bona esset ea præsumptio: at cùm potiùs contrarium supponat, & nihil dicat de confessione non est cur nos plus etiam ibi requiramus ideoque si occurrat casus, in quo possit licitè communicare sine confessione, poterit lucrari eas Indulgentias.

Non semper requiritur cõfessio ad Indulgentias, quando Communio requiritur.

10. Quæres Secundò: Quid si homo intuitu Indulgentiæ obtinendæ confessus sit: antè tamen quàm vltimam conditionem pro Indulgentia adhibeat, & consequenter antequam lucretur eam Indulgentiam, incidat in nouum mortale, sufficiétne illa confessio cum contritione de nouo peccato an debebit etiam de eo confiteri: Respondeo cum Suario, Omnino requiri confessionem, quia Pontificis verba requirunt confessionem mortalium, quæ impediunt effectum Indulgentiæ: hunc autem effectum non minùs impedit illud nouum peccatum quàm antiquum: ergo. Confirmatur, quia illa confessio præcedens se iam habet respectu Iubilei per accidens. Pone duos, vnum qui ante tempus, quo inchoauit Indulgentias pro Iubileo, nullum habuit mortale, alterum qui habuit: est tamen confessus eo primo die, iam ambo sunt æquales: labantur ambo secundo die in mortale, profectò sicut tenebitur confiteri ille, qui anteà fuerat in gratia semper, ita & ille qui primo die fuerat iustificatus: nam pro peccato præsenti eadem est vtriusque conditio & ratio: & non debet esse peioris conditionis ille qui anteà fuerat innocens, quàm ille qui hodie relapsus est: cùm ad finem, quem Pontifex potest intendere in ea confessione, non videatur vlla apparere disparitas.

Si confessus recidat in mortale ante positam vltimam conditionem pro Indulgentijs, tenetur denuò confiteri.

Incalpabiliter oblitus confiteri aliquod mortale deinde memor illius fiat ante expletas omnes conditiones, an teneatur denuò confiteri.

Hinc tamen oritur noua quæstio, Vtrùm si quis obliuiscatur alicuius mortalis in confessione, quam alioquin rectè fecit, teneatur ad lucrandam Indulgentiam confiteri illud peccatum, si recordetur ante tempus eam lucrandi. Affirmat Pater Suarez, quia ex vi talis concessionis est necessaria confessio omnium peccatorum mortalium. Ego tamen contrarium plane iudico probabilius, quia illud peccatum in ordine ad securitatem remissionis iam est quasi declaratum in confessione; quia tam certum est de illo obtentam esse remissionem quam de cæteris omnibus (vt suppono de Fide ex Tridentino:) quia vnum sine altero non deletur ergo sicut non tenetur vi Iubilei tunc alia confiteri, ita neque illud cuius est oblitus; quod autem ex aliis principijs nos dicamus eum hominem teneri illud peccatum subiicere Ecclesiæ clauibus, est per accidens ad punctum Iubilei; quia non videtur pro eo Pontifex requirere, vt ea obligatio statim sit ante Iubileum, cùm absolutè homo ille confessionem optimam fecerit: id quod maximè adhuc habet locum, si ille obliuiscatur toto tempore Iubilei eius peccati: tunc enim videtur mihi certum, quòd sit lucratus Indulgentias. In quo puncto mihi nullo modo videtur consequenter loqui Pater Suarez. ex vna enim parte num. 8. aliorum referens sententiam (quam nullo modo improbat, ac proinde approbare videtur) docet hominem etiam ita inuincibiliter oblitum, dum sinceram confessionẽ fecit, & primùm illius peccati recordatum post tempus Iubilei, non lucrari Indulgentias: in nne autem numeri noni ait, Si post primam confessionem intra tempus Iubilei ita committatur peccatum secundum mortale, vt tamen homo inuincibiliter illius obliuiscatur reliquo tempore: vel certè non aduertat se debere illud confiteri nisi elapso Iubilei tempore, si tamen habuerit cõtritionem, ver lucratorum Iubileum. Hæc inquam duo mihi videntur penitus contraria: si enim oblivio & bona fides iuuat eum qui habet mortale, quod quidem nec directè nec indirectè subiecit Ecclesiæ clauibus: quâ consequentiâ quæso dici potest, eamdem bonam fidem non profuturam ei qui saltem indirectè in confessione illud peccatum subiecit Ecclesiæ clauibus, & de quo in ea confessione obtinuit tam certò remissionem quàm reliquorum mortalium? Contrarium profectò mihi dicendum videtur; nam hic absolutè per confessionem illius saltem implicitam est iustificatus, prior verò ille non nisi per contritionem; cùm tamen Pontifex requirat per confessionem mortalium commissorum ante tempus lucrandi Iubilei obtineri eorum remissionem.

Si daretur confessio valida informis, an sufficeret ad Indulgentias obtinendas.

Secundò, in hoc puncto videtur mihi Pater Suarez valdè apertè deseruisse consequentiam; ait enim num. 6. Si quis fecit confessionem validam, informem tamen (quam iuxta ipsius principia possibilem esse alibi diximus) posse tamen eum Indulgentiam obtinere, dummodò per contritionem sit in gratia tempore Indulgẽtiæ obtinendæ: argumentor enim hinc euidentissimè: Confessio informis & valida non potest in huius Auctoris sententia aliter contingere quàm ex obliuione vnius peccati mortalis, & ex dolore limitato ad peccata quæ occurrunt memoriæ: (ita enim explicat ille confessionem validam & informem:) atqui in hoc n. 8. docet: Esto valida fuerit confessio, & homo ab omnibus peccatis absolutus si tamen inuincibiliter alicuius obliuiscatur, non posse obtinere Indulgentiam, nisi re ipsa ante elapsum tempus Indulgentiæ illud confiteatur: ergo multò minùs Indulgentiam consequetur sine confessione eius peccati, quando obliuio fuit in confessione

inualida;quia si cetera omnia sunt paria,vt supponimus, profectò quòd confessio fuerit sine fructu nequit iuuare ad effectum Indulgentiæ, qui potiùs debet impedire,cùm nullam omnino attulerit remissionem nec dispositionè pro Iubileo requisitam,quã tamen attulit confessio
13 valida. Contrario ergo modo discurrendum,ac dicendum omnino in eo casu debere hominẽ illud peccatum confiteri ante tempus lucrandi Indulgentias(si admittamus confessionem validam & informem.)Ratio est manifesta, quia iam diximus,requiri à Pontifice vt omnia mortalia per confessionem expientur,siue id fiat directè,siue indirectè.Atqui illud peccatum,cuius sum oblitus in inualida confessione,nullo prorsus modo nec directè nec indirectè est subiectum clauibus Ecclesiæ; sicut è contrario fuit, quando interuenit confessio vtilis:tũc enim ratione doloris vniuersalis subiecit omnia etiã ea quæ est oblitus inuincibiliter,ideoque de eis obtinuit veniam;ergo necessum est in eo casu illud confiteri. Confirmo : Si homo habuisset hoc vnicum mortale,& illius inuincibiliter oblitus, habuisset contritionem,non fuisset lucratus Indulgentiam, iuxta Patrem Suarez , & iuxta ea quæ nos diximus;ergo eodẽ modo eas non adipiscetur, si habens quinque peccata , quatuor confessus est inualidè, & quintum adhuc nullo modo confessus est.Probo consequentiam,quia licet illa confessio abstulerit obligationem cõfessionis secũdæ respecta illorum quatuor ,nullo tamen modo abstulit respectu quinti,maximè cùm Pontifex non confessionem vtcumque,sed omnium mortaliũ requirat.Et sanè hic Auctor docet, si quintum illud peccatum fuisset commissum post confessionem fructuosuam aliorũ quatuor , non posse obtineri Indulgentiam, nisi de hoc secundo peccato confiteatur quis intra tempus Iubilei;ergo à fortiori tenebitur,si confessio illorum quatuor fuit innalida:si enim dicamus mentem Pontificis solùm fuisse , vnam confessionem exigere intra tempus Iubilei,profectò ille qui eam fecit integram formaliter & materialiter,ac proinde omnino fructuosam , à fortiori satisfaciet desiderio Pontificis,esto deinde intra tempus illud Iubilei labatur in aliud peccatum; magis inquam satisfecit quàm ille, qui habens quinque mortalia quatuor est confessus,de quinto verò oblitus,nullum etiam dolorẽ de illo habuit;quia hic nec formaliter nec
14 materialiter fecit vllam confessionem bonã & integra. Vides ergo has doctrinas huius Auctoris esse inter se valdè contrarias.Nos consequẽter dicimus,mentem Pontificis tunc esse vt per validam & fructuosam confessionem homo se disponat ad Iubileum.Vnde rectè colligimus,si confessio fuit fructuosa,esto ex obliuione non fuerit materialiter integra, nõ esse necessitatem eam repetendi;quia reuerà ille iam fuit per cõfessionem ab omnibus iustificatus;si verò confessio fuit infructuosa, aut nulla omnino, siue ex obligatione siue aliũde id venerit,non obtineri Indulgentias , quia re ipsa non est posita conditio,quam Pontifex requisiuit.

An confessio venialium sit necessaria ad Indulgentias.

Restat tunc dubium de confessione peccatorum venialium.Circa quod dicimus , nisi Pontifex expressè dicat,*Præmissa confessione etiam de venialibus*,non esse necessarium, si illa sola adsint, confessionem præmittere ; quia iuxta communem omnium sensum dum petitur confessio,id fit ratione mortalium,& solus Adrianus putat,si dicatur in forma Indulgẽtiæ *de omnibus peccatis*, ratione illius particulæ *omnibus* requiri etiam confessionem venialium : verùm neque illa particula accipitur communiter in eo sensu , sed pro solis mortalibus , quæ possunt impedire fructum Iubilei.

SECTIO III.

Quale debeat esse opus , quo quis lucratur pro se Indulgentias.

CIRCA quod Primò quæritur , An vt quis pro se lucretur Indulgentias,debeat opus, quo illas obtinet , esse in individuo omnibus pensatis bonum.Hanc quæstionem tetigi agens de Indulgentijs pro defunctis, dixique,nisi expresse à Pontifice requiratur ea bonitas , illam non esse necessariam,sed sufficere, si opus sit ex se bonum esto hic & nunc vitietur aliquo fine operantis venialiter malo.Ratio est clara, quia Pontifex potest etiã nullo opere petito,si aliunde habeat caussas sufficiẽtes, concedere Indulgentiam,ergo potest esse contentus ad eamdem concedendam , si homo ipsi obediat ponendo opus illud,quod præcepit;licet in individuo aliquid addatur, quo vitietur illud opus;sicut satisfacit præcepto Ecclesiæ qui audit Sacrum,etiã si auditio ea vitietur aliquo fine malo ; sufficit ergo vt ponatur opus imperatum,ita vt nihil omnino desit ex his quæ iniuncta sunt.

15 *An opus vt quisitum pro Indulgentijs vitiatũ peccato veniali sufficiat.*

Quando requiritur oratio,eleëmosyna, &c quanta debeant esse,vt sufficiant pro Indulgentijs obtinendis.

Secundo circa idem opus quæritur, si petatur oratio,eleëmosyna , &c.quanta debeant ea esse. Respondetur facilè , Sufficere in quacumque magnitudine, duratione , aut intensione , quæ possit dici moraliter oratio aut eleëmosyna,&c. neque esse necessariũ(prout minùs benè aliqui dixerunt) eum, qui ditior est, plus dare quàm eum qui pauperior. Ratio desumitur ex sæpè insinuatis;quòd scilicet etiam nullo petito opere bono possit Pontifex concedere Indulgentiam; ergo à fortiori quando petit aliquid,& nihil ipse determinat neque plus ab vno quàm ab alio exigit,neque addit,vt det quilibet eleëmosynam iuxta suam dignitatem, aut diuitias, nihil etiam nos debemus determinare, sed fateri id sufficere quod propriè & moraliter est oratio, eleëmosyna,&c.Ratio autem à posteriori optima ea est, quia difficillimum esset determinare, quæ esset dicẽda eleëmosyna huic homini proportionata, quæ verò illi, &c.nam si qui solùm habet centum, det vnum florenum , deberet , qui habet; mille,dare decem & qui centum millia, mille hoc autem esset grauissimum onus.Eadem ratio vrgeri potest in intensionem & deuotionẽ, quia esset difficilimum,& mille expositum scrupulis, scire an homo expleuisset nécne conditiones requisitas. Simili argumento probauimus suprà, agentes de contritione necessaria ad iustificandum,nullam in ea peti certam & determinatam intensionem.

16 *D. Thomas explicatus circa quantitatem eleëmosynæ ad consequendas Indulgentias*

Huic resolutioni videtur D. Thomas opponi, dum loco sæpè citato ex 4. dist. 20. quæst.2. art .5. quæst.ad 3. ait. Quando requiritur pro Iubileo eleëmosyna determinatè,v.g. in auxilium ad fabricã Ecclesiæ, debere intelligi tale auxilium, quod sit conueniens dignitati & diuitijs eius qui illud dat , secundùm illud plus vel minùs de Indulgentia eum consequi.

Vnde

Vnde etiam aliquis pauper dans vnum denarium consequetur totam Indugentiam, non autem dives; quem non decet ad opus tam pium & fructuosum adeò parum dare: sicuti non diceretur Rex alicui homini auxilium dare, si solum, obolum elargiretur; ergo. Respondeo, Eam D. Thomæ doctrinam solùm habere locum, quando aliunde constat de mente concedentis Indulgentiam, quòd petat eam proportionem; nam in toto rigore non potest obrationem à nobis paulò ante factam ea limitatio admitti. Quod autem in contrarium adducitur de Rege dante obolum in eleëmosynam, probat id quod nos paulò antè diximus, debere eam talem esse, quæ moraliter censeatur eleëmosyna; sicut oratio debet talis esse, vt propriè habeat rationem orationis. Verum autem vnus obolus respectu Regis debeat prudenter iudicari eleëmosyna, est difficultas huc non spectans; & verò etiam respectu ipsius Regis potest esse eleëmosyna maior & minor etiam in omni rigore eleëmosynæ; nam si det v.g. viginti aureos, est eleëmosyna: si det octo, est eleëmosyna; nec tamẽ ideò tenetur dare viginti. Absurdum autem quod videtur sequi ex hac doctrina, scilicet esse valdè facile Indulgentiam lucrari, si nulla certa quantitas eleëmosynæ sit necessaria, cùm tamẽ videantur valdè rarò homines consequi Indulgentiã, discutietur posteà.

17 *An oratio dum requiritur, debeat esse vocalis.*

Illa tamen adhuc nobis circa orationẽ restat difficultas, An necessariò debat esse vocalis, an sufficiat mentalis. Respondeo, Si dicatur quòd debeat orari vnum aut duo Pater & Aue, necessariò debere esse orationem vocalem; quia ea verba id significant iuxta communem acceptionem; & idem est si dicatur, quòd debeat orari Rosarium. Si autem solùm dicatur, Oretur pro felici statu Ecclesiæ v.g. non videtur requiri vocalis, quia in toto rigore orare ex se non requirit motum labiorum seu vocalem orationem; nam de Ieremiæ anima in Lymbo Patrum existente dicitur 2. Machab. 15. *Multùm orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate*; vbi tamen nulla fuit oratio vocalis. Eodem modo Sancti in cælis sine vlla limitatione dicuntur orare pro nobis; quorum tamen oratio non est vocalis. Deniq; etiam iuxta ordinariam phrasim Ecclesiæ sub Memento tam viuorum quàm mrtuorum, iubemur orare; & tamen tunc non petitur oratio vocalis; ergo si Indulgentiæ nõ coarctant eam vocem *oratio* ad vocalem, non est cur non sufficiat mentalis. Quæ res adeo mihi videtur clara, vt miret Cardinalem Lugo sub formidine tantùm docere, non esse improbabilem sententiam Nauarri docentis, requiri vocalem orationem. Certè ex dictis etiam euidentissimè apparet sufficere mentalem.

18 *Sufficiatne, si ad Sanctum fiat tunc oratio, quando requiritur oratio ad Deum.*

Denique sufficit, Si fit oratio ad Beatissimam Virginem aut ad alios Sanctos, esto dicatur, vt oretur Deus; nam per Beatissimam Virginem & per Sanctos orat Deus, cùm ipsos ponamus intercessores nostri apud Deum.

Ex his, quæ circa orationem & eleëmosynam diximus deciditur aliud dubium, quod solet moueri propter Caietanũ, qui apud Suarez sect. 11. requirit antecedenter ex parte eius, qui lucraturus est Indulgentias, solicitudinẽ circa satisfactionem pro pœnis in Purgatorio debitis; propter hanc inquam doctrinam moueri solet dubium; An præter opera ipsa, quæ Pontifex requirit pro Indulgentia, sit necessaria aliqua alia dispositio actualis. Hoc tamen soluitur, vt diximus ex immediatè antè tradita doctrina: quando enim Pontifex nihil tale requirit, non possumus non vlla probabilitate id dicere esse necessarium. Vnde multò minùs est audiendus Altisiodorensis apud eumdem Suarium, docens non posse obtineri Indulgentias nisi ab eo, qui non potest aliunde satisfacere pro pœnis manentibus ex peccatis remissis; hoc inquam multò minus est audiendum: est enim contra sensum omnium planè Catholicorum & ipsorum Pontificum Indulgentias concedentium, quia eas vniuersaliter pro omnibus largiuntur, etiam pro maxime potentibus pro eis pœnis ex opere operantis satisfacere. Quando enim pro Ecclesia tota conceduntur quis est quæso qui non possit aliunde satisfacere, vt dicamus pro illo solo illas concessas? certè ipsimet infirmi, qui maximè viderentur incapaces, maximè tamen possunt ex opere operantis satisfacere per se, patiẽter sustinendo molestias ac difficultates morborum; & tamẽ etiam pro illis expressè Pontifices concedunt Indulgentias, determinant tempus ac modum, quo possint illas lucrari. Ego vt verum fatear (nisi eum, qui iam incidit in amentiam, nullum penitus video, qui non possit satisfacere pro pœnis) vnde non capio, pro quibus iudicet Altisiodorensis concedi illas Indulgentias.

Potest lucrari Indulgentias etiam ille, qui posset facilè alio modo satisfacere pro pœnis ex peccato remisso debitis.

Dices pro Caietano: Qui neglexit hucusque satisfactionẽ pro peccatis, indignus est cui concedantur Indulgentiæ. respondeo Primò, Esto fuerit indignus, posse iam eum dolere de sua præterita negligentia, & fieri capacem eius fauoris. Respondeò, Secundò distinguendo *tò indignus*, id est, vt non possit ei Pontifex ex liberalitate sua concedere Indulgentias, nego; indignus; id est, non meretur positiuè eum fauorem, concedo antecedens. Inde tamen nihil contra nos; nam & qui mihi v.g. nullum bonum præstitit, imò me leuiter offendit, est indignus eo sensu mea gratia, ego tamen possũ ex mea liberalitate illi conferre beneficiũ quodcumque.

19

Obiicies Secundò: Indulgentiæ solùm conceduntur verè pœnitentibus; non est autẽ verè pœnitens, qui nõ curat satisfacere pro suis peccatis. Respondeo Primò, Esto anteà non curauerit, posse iam curare. Respondeo Secundò, *tò pœnitentibus* intelligi de mortalibus, non autem de venialibus; ea autem negligentia circa satisfactiones summùm est veniale peccatum.

An lucretur partẽ Indulgentiarum, qui solùm partem requisitorum facit

Adhuc potest circa ea opera requisita pro Indulgentijs quæri, An si quis ea nõ ponat ex integro, possit tamen saltem partialiter lucrari Indulgentiam. V.g. requiruntur tres dies ieiunij, ie unat quis duobus tantùm, priuabitúrne ex integro Indulgentis, an tantùm tertia parte respondente ei tertio diei neglecto? Respondeo, Omnino priuandum tota Indulgentia, nisi mens Pontificis contrarium dicat; quia illa concessio est qui indiuisibile, & determinatio illa iuxta quantitatem operis neglecti est talis, quæ vix posset ab vllo fieri. Nam præter ieiunium v.g. est eleëmosyna, est oratio; quis decidet, an Pontifex diuiserit inter orationem & ieiunium eam Indulgentiam, & quomodo; an æqualem partem ieiunio cum eleëmosyna, an minorem, an maiorem? Cùmque in his conditionibus non sit attendendus valor & meritum illarum, sed præcisè ad voluntatem Pontificis, qui tamen de ea diuisione nihil cogitauit; profectò non potest ea distributio probabiliter concedi. Denique hic videtur esse communis sensus Fidelium, qui si

20

vnam

vnam ex conditionibus requisitis negligant, eo ipso indicant se nihil penitus obtinuisse. Fortasse si Pontifex concederet Indulgentiam divisibilem, v.g. orantibus bis Pater & Aue concedit duos dies Indulgentiæ, posset tunc dici eum, qui semel oraret Pater & Aue, obtenturum Indulgentiam vnius diei: nihilominùs etiam iudico tunc nihil obtenturum, quia duos eos dies Pontifex concessit indivisibiliter; nó enim dixit, Qui semel orauerit Pater & Aue, obtinebit vnius diei Indulgentiam; si autem idem Secundò fecerit, obtinebit pro alio die. Non hoc modo concessit Pontifex, sed dixit, Qui bis fecerit, obtinebit duos dies; quasi quilibet ex illis diebus debeat respondere vtrique illi binæ orationi Pater & Aue.

An omittens leuem partē operis præscripti, lucretur tamen Indulgentiam.

Illud tamen adhuc quæres circa hoc, Si negligat quis non quidem omnino vllum opus, sed leuem aliquam partem alicuius requisiti, quod non sufficiat vt moraliter iudicetur omissum illud opus: v.g. requiritur ieiunium, homo illud fregit venialiter tantùm id est ea quantitate, quæ si fuisset ieiunium illud sub præcepto, sufficit ad peccatum veniale, amittétne ille totum fructum Iubilei, aut saltem aliquid: Pater Suarez putat eum hominem nihil inde amissurum; quod & mihi placet. Quia vti si illud ieiunium fuisset sub præcepto graui, non sufficisset ea violatio leuis, vt diceretur absolutè transgressus præceptum, ita nec sufficiet, vt absolutè dicatur non seruasse conditionē positam à Pontifice; qui licet haud dubiè potuerit eam concessionem facere omnino dependentē à carentia illius etiam leuis transgressionis, non tamen debet iudicari adeò rigorose id exegisse, vt minimus defectus in illo opere illum effectum impediat.

21

Obiicies: Hæc doctrina non cohæret cum his quæ paulò antè diximus, scilicet si omittatur vnū Pater & Aue ex duobus quæ requiruntur, nihil obtinendum de Indulgentia; etenim illud Pater & Aue videtur esse materia parua, neque iudicari debet Pōtifex in tanto rigore ea requisiuisse. Respondeo negando consequentiam; nam aliud est omittere absolutè opus requisitum à Pontifice; vti quando petit duo ieiunia v.g. ego autem non seruo nisi vnum, tunc enim dicimus nihil illum hominem lucrari: aliud autem est facere quidem absolutè opus requisitum cum aliquo licet defectu leui; in quo secundo casu dicimus non frustrari hominem eo fructu, quia absolutè tunc impletur voluntas ipsius Pontificis; ex quo apparet differentia ad alterum casū.

SECTIO IV

An possit per tertiam personam explere quæ requiruntur pro Indulgentias.

22 SVPPONIMVS (nisi specialiter in hoc pūcto dispenset Pontifex) non esse liberū lucranti Indulgentias illas alteri applicare. Quærimus ergo, An saltem sit liberum homini per tertiam personam orationes, ieiunia, eleēmosynas explere. Pro solutione distinguendum est: vel enim ea quæ præcipiuntur sunt personalia, vt ieiunium, oratio, aliæque mortificationes; in his autem dicimus necessarium esse ab ipso lucrante ea omnia poni, quia ita Pontifex requirit: vel illæ diligentiæ sunt reales; v.g. eleēmosyna, quæ faciliùs potest fieri per alium qui dat; de hac autem respondetur omnino posse, ita tamen vt ille qui dat, meo nomine, egoque id accepturem quasi beneficium mihi collatū, tunc enim perinde est ac si alter donasset mihi illum florenum v.g. & ego illum dedissem pauperi. A fortiori autem sufficit, si ego eleēmosynam facio ex mea pecunia per famulum aut aliquem alium, quia in genere moris idem est ac si ego dedissem immediatè.

Opera realia pro Indulgentiis iniuncta possunt per alios fieri, cum limitatione tamen, personalia ea vero non possunt.

Sed quid, famulus ex nequitia retineat pro se eam pecuniam, lucrabórne ego Iubileum; Negant communiter Auctores, quia reuerà tunc non est data eleēmosyna prout Pontifex requirit: hic enim non petit solam voluntatem dandi, sed quod re ipsa & actu detur. Non dubito quin (iuxta sæpè dicta) possit Pontifex exigere pro eis Indulgentijs eleēmosynam re ipsa factam: valdè tamen è contrario dubito, an cum eo rigore de facto loquatur, & an non sit contentus ea actuali pecuniæ alienatione, quam facio, dum eam do famulo, & quā ex integro completum est totum meritum operantis etiam externum, casu quo diceremus actionem externam aliquid addere de merito: id enim solùm deberet tunc intelligi de actione physica ipsius largientis, non actione, quæ posteà ipso iam penitus insc o fieret per manus famulorū. Ideò mihi valdè probabile est Pontificem contentū esse ea datione: & ita sentiunt aliqui, quos suppresso nomine citat Lugo num. 112. licet ipse contrarium sentiat: eò quòd nondum sit translatum dominium & reuocari à domino possit illa donatio. Fateor quidem non esse translatum dominium, mea tamen ratio dubitandi desumitur ex eo, quòd Pontifex non videatur ad hanc subtilem consideration respexisse, sed, vti sine dubio potuit, ita re ipsa hac donatione ex parte domini, ex se dominij translatiua, fuisse contentum: hæc autem pia præsumptio de voluntate Pontificis non impeditur per eam considerationem. Vnde consequenter idem cēseo dicendum, si, antequam famulus ille det eleēmosynam, elabatur tempus Iubilei: hoc enim adhuc multò minùs mihi videtur excluſumà Pontifice. Cur enim si ego die Sabbati præscripto doeleēmosynam famulo, & hic eam oblitus dat die Lunæ, Pontifex me priuabit eo fructu ob eam negligentiam famuli, quæ & in se est exigua, & respectu mei quodammodò inculpabilis. Nam si faceam infirmus, nec pauperes ad me possim vocare, quid aliud faciam, quàm per famulum mittere illam eleēmosynam?

Quid si famulus v.g. retineat domini eleēmosynam, obtinebitne dominus Indulgentiam?

23

Non videtur Pontifex in largitione Indulgentiarum nimis subtiles considerationes curare.

Dices: Ergo si obtenta iam à me Indulgentia inuenirem pecuniam apud famulum, possem eam recipere: quia reuerà adhuc sum ipsius dominus: tunc autē quia Indulgentia iam est concessa, non posset reuocari: ergo & retinerem Indulgentiam & simul pecuniam: ac denique nulla omnino facta eleēmosyna, nulla data pecunia lucrarer Indulgentias: quod videtur absurdum. Fortasse dicet aliquis; Eamdem esse difficultatem, si re ipsa data esset eleēmosyna: quia etiam tunc, licet peccando, posset eā dominus à paupere accipere post obtentum Iubileum. Nihilominùs hæc responsio non valet, quia tūc dominus esset fur de præsenti accipiendo eam pecuniam à paupere, non aliter quàm si ab eo accipere rem aliam quācumque, quæ fuisset propria eius pauperis: & dominus per furtum illud non efficeret, ne antea fuisset data eleēmosyna, quia

24

reuerà

reuerà data fuit. In casu autẽ nostro sine furto, sine iniuria pauperis recipit dominus eam pecuniam, & quidem ità, vt planè sit verum nunc dicere, eum non fecisse eleëmosynam vllam; hoc autẽ repugnat voluntati Pontificis concedentis Indulgentias. Posset fortassis responderi Secundò, eo casu suspensum esse effectum Iubilei, quousque ille homo inuenta ea pecunia illam daret pauperibus. Hoc tamen iam esset reuocare sententiam & dicere, nõ obtineri Indulgentias quousque re ipsa detur eleëmosyna. Fortassis hic potest habere locum limitatio oppositæ sententiæ, quam adhibet Lugo, vt scilicet tunc censeatur ea eleëmosyna ad Iubilei intentum facta, quando saltem aliquis eam acceperet nomine pauperis; quia tunc iam non esset ex parte dantis reuocabilis ea donatio, & cessaret totum inconueniens positum. Nihilominùs independenter ab hac solutione dico Pontificem nõ considerasse hunc casum extraordinarium, sed sicut (iuxta multorum sententiam) sæpè petit pro Indulgentijs aliquas conditiones vel in re, vel in voto, quo casu obtinetur de præsenti Indulgentia, quando est votum illius conditionis; licet homo postea negligat re ipsa satisfacere voto illi. Ita enim & Suarez & Lugo & Vasquez & ferè omnes dicunt; Si homo habens animum lucrandi Iubileum curet se absolui à casibus reseruatis, eum ita fore absolutum vt sit sine vlla obligatione legitimo Cnofessario ea peccata dicendi, quantumus mutato animo posteà negligat ceteras diligentias pro Iubileo, & consequenter negligat Iubileum ipsum; cur ergo nõ potero dicere pro vno casu longè rariori fuisse Pontificem contentum eo nõ solùm voto dandi eleëmosynas, sed planè moraliter loquendo actuali elargitione illius, etiamsi postà in eo casu extraordinario contingat illum hominem mutato animo recipere eam pecuniam, quam putabat iam pauperibus esse distributam, sed & casu reperit nondum datam.

Sufficit aliquando verè facendi opus iniunctum ad obtinendas Indulgentias.

Sed quid, si pauperi ficto detur eleëmosyna; tunc, enim re ipsa nõ est eleëmosyna, potestque ea repeti detecta illa fraude. Respondeo, Id nullatenus fructũ Iubilei impedire; siue enim tunc transferatur dominium, siue non, de quo puncto nihil iam disputo, non est credibile posse in mentem venire Pontificis facere fructum illum Iubilei dependentem ab eo errore, si scilicet in ponte S. Angeli (vt contingere frequenter solet (stipem eo tempore Iubilei aliquis nullo modo indigus emendicaret, & pro obtinendo Iubileo illi decem aut viginti homines darẽt eleëmosynam, esto maiorem multò quàm alij dent vero pauperi, priuandos tamen illos eo fructu Iubilei ob ficti pauperis nequitiam. Certè talis exceptio iniusta foret ex parte Pontificis, cùm error ille non possit moraliter à dante eleëmosynam præuideri. Confirmatur, Quia illa eleëmosyna non exigitur à Pontifice tam ob bonum ipsius pauperis, quàm ob meritum dantis, vt Deum placet. Ad hos autem fines nulla est penitus differentia inter eas duas elargitiones eleëmosynæ; ergo. Et hæc mihi videtur clarior huius rei probatio, quàm quæ à Lugo traditur, quòd scilicet etiam tunc transferatur dominum eius pecuniæ in eum fictum pauperem, maximè si ea non sit in notabili summa, licet possit ob fraudem ab eo repeti. Iudico enim has omnes rationes in ordine ad mentem Pontificis & ad finẽ moralem Iubilei esse omnino per accidens; & solùm planè considerandum id quod diximus de merito dantis, &c. & quòd esset planè irrationale ob talem errorem, qui nullo modo potuit à donante præuideri, illum post ieiunia, confessiones & ceteras diligentias exactissimè impletas priuare eo Indulgentiarum fructu ipsaque etiam pecunia: neque possumus de Pontifice similem volitionem præsumere.

Eleëmosyna facta pauperi ficto non impedit consecutionem Indulgentiæ.

SECTIO V.

Opportuna digressio circa Bullam Cruciatam.

OCCASIONE huius eleëmosynæ discutiendum hic breuiter dubium quoddam, quod moueri potest circa Bullam Cruciatam: vt enim quis fruator priuilegijs, quæ per eam conceduntur, & consequatur Indulgentias in illa contentas necessum est dare duos Iulios, seu regales in eleëmosynam. Quærimus ergo; Si meus amicus me inscio det eam eleëmosynam, & acquirat pro me eam Bullam, an ego tunc possim lucrari Indulgentias, quæ in ea conceduntur? habétque difficultas hæc maiorem locum, si demus me etiam in posterum ignorare quid ille fecerit; nihilominùs me facere in omnem euentum omnia quæ in Bulla requiruntur, vt eas Indulgentias lucret casu quo possum; non enim repugnat me eo modo conditionaliter operari, esto planè ignorem me habere Bullam. Dixi in hoc casu maiorem esse difficultatem, quia si ego sciam illum dedisse, & acceptem, perinde est, ac si ille mutus dedisset eam pecuniam, & per illam ego acquisiuissem Bullam, ipse verò mihi deinde eam pecuniam condonasset; hoc autem non potest dici, quando ego etiam posteà ignoro quid ille pro me egerit. Respondeo tamen, Omnino id sufficere ad obtinendas eas Indulgentias: Quia etiamsi id ignorem, moraliter tamen possum censeri acceptans eam donationẽ; ac proinde potest alter iudicari, quasi meo nomine & vt amicus meus pro me expendisse illam pecuniam. Secundam rationem addo (quæ pro me est magis efficax, & videtur mihi magis petita ex fine & modo, quo conceduntur Bullæ Cruciatæ:) hæ enim gratiæ dantur ad excitandos fideles vt suis eleëmosynis concurrant ad sustentationes classis; quæ in bonum Ecclesiæ defendit Mediterraneum à Mauris illud infestantibus, ac peregrinos ad limina Apostolorum euntes captiuantibus; vel certè ob alias vtilitates, quæ in bonum Ecclesiæ ex eis eleëmosynis sperantur. Hinc puto mentem Pontificis requirentis eam eleëmosynam non fuisse vt planè ea detur à me vel ex proprio marsupio, vel certè quasi ex pecunia ab amico mihi donata; sed contentissimum illum esse, dummodò ea eleëmosyna detur & quidem intuitu mei: eo enim ipso iam obtinetur totum planè intentum Pontificis, siue id fiat, quia ego moraliter priùs sum factus dominus eleëmosynæ: siue non: hoc enim ad eum finem est planè per accidens. Explico id instantia valdè clara, quando v.g. Comici aut histriones neminem admittunt ad suas comœdias & spectacula nisi soluat medium Iulium; certè vt illi me permittant intrare, sufficit eis ex integro, quòd Petrus dicat, *Ego nomine Roderici do medium Iulium*: ad quod non est necessum concipere, quòd ego priùs fiam moraliter

An Bulla Cruciatæ Indulgentias obtineat is, pro quo alius soluit, ipso tamen inscio seruante reliqua in Bulla requisita.

Finis Bullæ Cruciatæ.

ter dominus illius pecuniæ, &c. Vnde dico, me eo casu, etiamsi sim Religiosus, posse intrare ad videnda ea spectacula, nec me ibi peccare etiam leuiter cõtra votum paupertatis: quia nullius rei dominium aut vsum accipio, sed ingredior perinde ac si ipsi Comici nulla petita à me pecunia facerent mihi licentiam intrandi: quo casu nemo diceret me in eo ingressu facere contra paupertatis votum; quia ingressus ipse & visio spectaculi non est res propriè spectans ad votum paupertatis: alioquin etiamsi illi histriones ea facerent omnino gratis, & quidem pro omnibus, non esset mihi licitum nisi peccando contra votum paupertatis ea videre. Id quod non potest sine absurdo dici. Quòd autem eb aliquibus pecuniam exigant, à me non, non facit me vtentem re aliqua sine licentia Superiorũ, vt ex terminis patet. Dico ergo, eo ipso quòd Petrus v.g det eam eleëmosynam in gratiam mei pro Bulla siue ego reclamem, siue non, ac proinde siue ego censear fieri dominus, siue non, Pontificem facere me capacem Indulgentiarum in Bulla contentarum; quia iam habet totum quod poterat intendere in eo quod ego darem vel immediatè vel quasi per alterum dem pecuniam.

Non peccat contra votũ paupertatis Religiosus permittens alterum solu. pretium pro se pretium pro adeundo ad eundo spectaculo, aut obtinenda Bulla Cruciata v.g

28 Vnde concludo cum Corduba de Indulgentijs quæst. 26. dub. 1. non peccare me Religiosum contra paupertatem, si sine licentia Superioris, data ab amico eleëmosyna intuitu mei pro Bulla, ego deinceps me geram ac si Bullam haberem. Cuius contrarium docet hîc Lugo sect 6. secutus Emmanuelem Rodriguez in Expositione Bullæ §. 9. num 23. & § 12. num. 15. qui tamen non aliam adferunt rationem, quàm quæ à nobis est insinuata, & soluta, quòd scilicet tunc ego moraliter acceptem illud pretium. Negamus tamen ibi moralem meam acceptationem pretij: admittimus autem esse fauorem ex pretio secutum: qui fauor non est materia paupertatis, vt in exemplo de spectaculis ostensum est. Confirmo & explico rem clarissimè: Dat Petrus pro me eam pecuniã, & accipit Bullam, ex eo quod nolim eam acceptare, seu illa non vti, non potest magis Petrus suam pecuniam iã recipere, quàm si ego eam Bullam acceptassem; ergo ex hoc capite nulli vsui aut dominio parco: si verò acceptem, nihil de pecunia expendo, nulla re vtor, sed fruor Indulgentijs, quæ non sunt materia voti paupertatis. Cetera autẽ, quæ præmissa sunt, manent eodem modo, siue ego vtar priuilegijs Bullæ, siue non: quid ergo esse potest moraliter loquendo, quod in eo vsu me efficiat transgressorem voti?

29 Dices: Ergo etiamsi ego rogem illum, vt faciat mihi eam gratiam dandi pecuniã non peccabo contra paupertatem, esto id ego petam sine Superioris licentia: hoc autẽ videtur absurdum, ergo. Responderet quis, non esse idem, quando ille iã effecit omnes sumptus independenter à me, velle vti liberalitate illius in qua non est materia voti, non esse inquam idem cum petitione ea, qua ego positiuè eum vrgeo ad expendendam eam pecuniã: nã per hoc quodammodò ego me facio illius debitorem perinde ac si peterem pro me ab illo pecuniam. Sed contrà, quia non est contra votum paupertatis petere ab aliquo, vt ille insumat pecuniam, si non insumit in rem, qua ego vtor, & quæ sit materia voti paupertatis: cùm ergo iam ostenderimus me per eam insumptionem non vti re aliqua pretio æstimabili, non erit contra votum

An possit Religiosus salua paupertate rogare alium, vt soluat pretiũ Bullæ, vel pro spectaculo ad eundo pro se.

petere, vt id ipse faciat. Etenim quæso contra votum, si ego suadeam alicui domino, vt faciat hastiludia quæ ego posteà videam? Respondeo ergo absolutè concedendo sequelam, negando verò vllum esse in consequenti absurdum (vt in exemplo immediatè posito constat) si me videre hastiludia esset contra votum, tunc non solùm petere vt ea faceret, sed & videre illa quæ à se alij decreuissent, non foret licitũ sine facultate Superiorum; at in casu præsenti nullo modo violatur paupertas. Cùm ergo obtinere eas Indulgentias non sit materia voti paupertatis, certè quòd ille in gratiam mei, vt me faciat capacem, det Pontifici eam pecuniam, non me efficiet dominum alicuius rei aut vtentem illa. Non video ergo cur id petere sit iudicandum contra paupertatem.

Replicabis: Illa Bulla est pretio æstimabilis: 30 ergo eo ipso quòd illam accepto, accepto rem pretio æstimabilem, licet in vsu illius nihil sit quod ad paupertatis votum spectet. Respondeo iuxta mea principia, Esto (sic liceat loqui ad maiorem claritatem) emptio Bullæ sit pretio æstimabilis, id tamen non fuisse à me factum sed à Petro. Empta autem iam pro me Bulla sine vlla noua acceptatione ego fio capax illarum Indulgentiarum, ac proinde nullius rei dominium aut vsum acquiro. Imò (vt paulò antè ostendi) etiamsi ego dicam, *Nolo acceptare eam Bullam*, nihilominùs ero capax Indulgentiarum: sicut si in exemplo suprà posito Comicus dicat, *A Religiosis nihil volo petere vt intrent*, etiamsi ego dicam, *Nolo acceptare hanc gratiam*, adhuc tamen semper erit mihi licitum intrare; ergo nihil ego ibi vsurpo quod possit esse contra votum.

Illud Secundò circa eam Bullam quæri potest, (ex quo etiam magis confirmabitur hæc nostra resolutio) An si Petrus accipiat pro me Bullam, & ego iam habeam aliam, ideoque illa, quam Petrus accepit, sit mihi inutilis, possim vel ego vel Petrus eã pro altero applicare. Diana secutus Villalobos Tomo 1. de Bulla Cruciata, resolutione 101. affirmat posse applicari: negat Lugo, & benè, quia eo tempore eleëmosyna est facta pro me, nec potest iam ipse qui eam dedit retractare sufficienter suam voluntatem. Ex qua doctrina manifestè cõfirmo illam quam immediatè antè tradidi contra eũdem Lugo. Etenim siue ego non acceptem eam Bullam, quia iam habeo aliam, siue purè putè quia nolo, siue è contrario eam acceptem, nihil minus aut magis ille qui dedit eleëmosynam expendit: semper enim manet independenter ab omni mea volũtate verũ, quod illa Bulla sit pro me acceptata; ergo ex hoc capite eam acceptando nihil de pecunia magis mihi attribuo, quàm si non acceptarem: vsus autem illius Bullæ vt iam dixi, non est in materia voti paupertatis: ergo ex eo quòd ego vi illius Bullæ lucrarer Indulgentias, nihil efficerem contra votum.

An Bullam Cruciatam pro me petiatam, mihi tamen inutilẽ possim alteri applicare.

Hinc rursus colligo, si aliquis accipiat pro 31 me Bullam, me non posse renuntiare priuilegijs quæ per illam conceduntur: potero quidem eis priuilegijs nolle vti, facultatem tamen eis vtẽdi non potero mihi auferre, perinde ac si ego ipse eam pro me accepissem, & posteà dicerẽ, *Nolo eam pro me retinere*, non possem à me validè ius illud abdicere. Ratio à priori meo iudicio est clara: nam illud priuilegium dat mihi Pontifex, eo ipso quòd detur meo nomine seu intuitu mei duo illi regales: non autẽ requiret ipse ibi

Si alius pro me emat Bullam Cruciatam, non possum ius illius abdicare licet possim non vti actu.

vllam

vllam aliam acceptationem ex parte mei: ergo cùm iam ſit poſita ea conditio, eo ipſo facta eſt mihi à Pontifice poteſtas, quam ego iam à me auferre non poſſum, etiamſi (vt dixi) poſſim actum illius non exercere.

Replicabis: In Bulla dicitur, *Et quia vos Roderice dediſtis hanc eleëmoſynam, concedimus vobis*, &c. atqui ſi ego non acceptem eam eleëmoſynam vt meo nomine factam, non verificantur illa verba, quòd ego dederim eam eleëmoſynam: ergo. Reſpondeo, Illa verba ita intelligi ex acceptatione omnium vt ſolum ſonent; *Et quia vos vel alius intuitu veſtri ſeu veſtro nomine dedit*, &c. hoc autem eſt veriſſimum, eo ipſo quòd alter det meo nomine, ſiue ego acceptem, ſiue non; ergo non potero impedire quò minùs verè à parte rei ſit poſita conditio à Pontifice requiſita, vt acceptem eam gratiam ac proinde ea gratia iam independenter etiam à mea voluntate in me manebit: ſicut quando Pontifex dat facultatem obtinendi aliquod Iubilæum, poſſum quidem ego illud non obtinere, facultatem tamen obtinendi non poſſum à me reiicere.

32 *An repudiatio Bullam eo, pro quo eſt data pecunia, poſſit Bulla alteri applicari ex conſenſu ſoluentis & acceptantis pretium.*

Quæres tamen, Quid ſi non ſolùm ipſe qui Bullam accepit pro me, quãdo ego habeo aliam, aut certè quando eam non accepto, ſed etiam ille qui eam dedit, & accepit pecuniam, ſit contentus, vt ea Bulla ſeruiat alteri, ſeu vt eleëmoſyna data intuitu mei reputetur pro Ioanne, poteritne id fieri? Videtur enim ex vna parte id poſſe, quia in omnibus contractibus, licet vna ſola pars non poſſit illum reſcindere; ſi tamen ambæ inter ſe conueniant poſſunt ſine dubio id facere; ergo etiam in præſenti poterunt reſcindere hunc quaſi contractum. Quòd ſi ſemel hoc dicatur, profectò iam inde poterit probari, me acceptando eam Bullam, quia iam eo ipſo impedio ne contractus poſſit reſcindi, etiam illis duobus volentibus, conſequenter acquirere quaſi us aliquod ſuprà eam pecuniam, ac proinde me facere contra votum paupertatis, cuius oppoſitum diximus hucuſque. Ex alia verò parte videtur non poſſe eum contractum reſcindi, quia quòd ea Bulla pro me valeat, iam non pendet ampliùs à voluntate illius, cui ego dedi eleemoſynam, ſed à voluntate Papæ, qui, vt mihi faceret eam gratiam, ſolùm petiit tamquam conditionem eam primam dationem eleëmoſynæ meo nomine: quæ prima datio iam non poteſt reuocari: effici enim iam non poteſt, vt non ſit verum intuitu mei eleëmoſynam illam fuiſſe datam. Ad permutationes autem illas non dedit Pontifex vllam facultatem.

Abſolutè iudico hanc ſecundam reſolutionẽ eſſe veram, ex qua obiter eſt reſponſum rationi in contrarium allatæ; quia oſtendimus eam rem non ab illis ſolùm qui dant Bullas pendere, ſed maximè à Pontifice, qui eo tempore non cenſetur velle facere vllam remiſſionem prioris conceſſionis. Confirmo id; nam nam ſi ratio in contrarium allata aliquid probaret, certè etiam poſtquam acceptaui abſolutè eam Bullam pro me, poſſe me iterùm circa medium annum conuenire cum eo qui Bullas eas diſtribuit, vt velit acceptare illam eamdem ad medium annum ſequentem pro altero: nam etiam tunc conueniremus ambo contrahentes (vt dicebatur in ratione dubitandi:) hoc autem manifeſtè eſt contra ſenſum communem: ergo. Et ſatis de digreſſione circa Bullam.

SECTIO VI.

An eodem opere poſſit quis lucrari diuerſas Indulgentias: vbi, quid denotent Indulgentiæ conceſſæ ad longum tempus.

33 *An qui habet diuerſa numiſmata v.g. poſſit lucrari ſuras Indulgentias per idem, vel quaſi per idem opus.*

CONTINGIT ſæpè ſolet, vt habeat quis diuerſa numiſmata aut imagines cum diuerſis Indulgentiis, quæ tamen aliquando conueniunt in vna aut altera ex conditionibus requiſitis: v.g. vtrumque numiſma habet hanc gratiam, vt qui illud habet, ſi oret vnum Pater & Aue, acquirat decem annos Indulgentiæ v.g. Hinc autem oritur difficultas circa primam partem tituli, An dicendo tunc ſemel illud Pater & Aue valeam obtinere vtramque Indulgentiam, an verò cum quolibet numiſmate debeam diuerſam orationem adiungere. Pater Suarez d. p. 15. ſect. 8. num. 9. negat ſufficere, quia vnaquæque ex his Indulgentiis poſtulat actionem illam applicatam ad talem effectum ſaltem vt cauſam partialem talis conceſſionis; idem autem actus vnitus applicatus ad multa minor eſt in ſingulis, vnde cæteris paribus non reddet proportionatam cauſam ad tot Indulgentias ſimul ſumptas. Hæc ratio non mihi videtur efficax, quia in quæſtione propoſita ſupponimus quòd datæ ſint Indulgentiæ illæ ob cauſam ſufficientem pro conceſſione, ac proinde non compleri cauſam per eas actiones, eſto vltra ſufficientem cauſam petierit Pontifex (vt ordinariè fieri ſolet) aliquam actionem ex noſtra parte, qualis eſt illa oratio; hoc autem ſuppoſito, argumentum Suarij non concludit, quia non oſtendit, cur pro Indulgentia petatur ea adæquata applicatio orationis pro eo intento. Imò cùm dixerimus ſuprà, etiam ex mente eiuſdem P. Suarez, per opus veniale peccaminoſum poſſe obtineri Indulgẽtias; eo autem caſu nullus valor illius operis (quia nullum habet) applicatur ad vllam ex eis intentionibus, ſed præcisè ponitur conditio requiſita à Pontifice; profectò nullo modo ea ratione oſtenditur, quare nequeat vna illa oratio Dominica v. g. ſufficere ad hoc, vt obtineantur illæ Indulgentiæ.

34

In hac quæſtione Primò certum eſt, ſi ſermo ſit de Indulgentia plenaria, non eſſe locum vt eas duas obtineamus; quia repugnat in terminis, vt ſi ſemel obtineam Indulgentiam plenariam, adhuc retineam debitum pœnæ pro alia Indulgentia plenaria (vt benè Suarez & Lugo obſeruarunt) eſtque res explicatis terminis certiſſima & clariſſima. Addo tamen, etiam in his poſſe ſaltem tunc eſſe locum dubitandi, ſi (vt ſæpè fieri ſolet) in vna ex illis aut in vtraque fieret facultas eas Indulgentias applicandi pro defunctis; tunc enim poſſem ſecundam etiam plenariam applicare defuncto, prima pro me retenta; & in hoc caſu eadem erit difficultas cum partialibus Indulgentiis.

Probabilius eſt non poſſe plures Indulgentias obtineri per opus; quod eſt prò ſingulis reſpectiuè.

De his ergo omnibus longè probabilius eſt non poſſe bis obtineri; ita cum citato Suario tenet Lugo, referens pro eadem Ludouicum Turrianum. Id probat Lugo, quia omnes illæ Indulgentiæ videntur tendere ad vnum effectum; vt ſi quis haberet vim vel via priuilegium liberandi ſe ab onere recitandi vnã die Officium; quoties recitauerit Coronam Beatiſſimæ Virginis, &c. rurſus

sus hoc idem priuilegium haberet alia via; non tamen satisfaceret pro officio duorum dierum orando eadem die semel Coronam Beatissimæ Virginis. Hæc tamen ratio habet difficultatem aliquam contra se, quia supponit id, de quo videtur esse tota lis: quærimus enim, An illæ duæ concessiones respiciant eundem effectum. Imò addo, contrarium esse omnino certum. Nam si quis repetat illud Pater & Aue, potest obtinere bis Indulgentias, semel per vnum numisma, semel per aliud: ergo ibi difficultas non oritur ex eo, quòd duæ illæ Indulgentiæ respiciant eundem effectum, sed ex eo quòd non ponatur bis ea conditio requisita à Pontifice; hoc autem non videtur esse necessarium. Deinde in ea instantia

35 de Corona est aliqua difficultas. Nam si priuilegium dicat, vt ea die, quâ dixeris Coronam non tenearis dicere Officium, clarum est, cur non possit vna die repitita Corona liberari à duobus Officiis, quia solùm liberatur pro illa die, quâ dicit Coronam: tunc autem non debet nisi vnum Officium; ergo. Si verò priuilegium dicat absolutè, vt à tot Officiis liberetur, quot Coronas recitauerit, sine dubio posset vnâ die dicendo bis Coronam liberari à duorum dierum Officiis. Nihilominùs potest rectè ea ratio sustineri. Quia illa duo priuilegia respectu vnius Patet nostri censentur eamdem gratiam concedere duobus talibus, ac proinde, solùm inde efficietur, vt si vnus titulus non fuit adæquatè sufficiens, alter compleat; aut si vnus planè nihil valuit, alterverè fuit sufficiens, consequatur Indulgentiam ratione vnius, esto non ratione alterius. Et confirmatur à posteriori, quia cùm sint diuersimoda talia grana & numismata, altaria, Ecclesiæ, &c. quæ esto habeant diuersas benedictiones, conueniunt tamen sæpè in vna aut altera conditione requisita pro Indulgentiis, esset planè incredibile, quòd vnica actione tali obtineret quis omnes illas distinctas Indulgentias respondentes eis omnibus numismatibus, altaribus, &c. neque est præsumendum de mente Pontificis, voluisse multiplicare eas gratias nõ multiplicato opere, esto absolutè loquendo potuerit ita cedere.

Quæres, An hoc idem sit dicendum de communione & confessione; vt si eodem die in duabus Ecclesiis sint Indulgentiæ decem annorum v. g. sufficiat semel communicare & confiteri, vt vtramque indulgentiam obtineam. Quoad confessionem prout ordinatiè conceduntur indulgentiæ, non videtur esse difficultas; quia ea solùm requiritur quasi præsuppositiuè ratione certioris dispositionis ad iustificationem; ac proinde si nouum non superuenit mortale ex die post confessionem, non videtur requiri noua confessio; si autem superuenit mortale, & Indulgentiæ tenor dicat *contritis & confessis*, tunc videtur omnino necessario confessio noua, iuxta ea quæ supra diximus. Imò id verum iudico, esto semel tantùm concedatur Indulgentia, & lapsus sit quis in nouum mortale ante vltimam diligentiam pro obtinendo Iubileo necessariam, vt suprà diximus. Absolutè autem tam circa confessionem quàm circa Communionem iudico ordinariè sufficere vnam pro Indulgentiis duabus eiusdem diei, quia non solent ea duo requiri nisi per modum dispositionum, quibus subiectum redditur magis capax magisque dispositum ad effectum Indulgentiarum. Communio autem & confessio digne suscepta æque reddit subiectum capax duarum Indulgentiarum ac vnius; suppo-

36 *An saltem vna Communio & confessio sufficiant ad plures Indulgentias eodem die lucrandas quarum singula eas requirunt.*

Respondetur affirmatiuè.

sita autem Communione requiritur per modum conditionis talis aut talis visitatio templi, &c. vnde si hæ repetantur, haud dubiè poterit obtineri effectus duplex: & ita sentiunt Turrianus & Diana, quos refert & sequitur Lugo suprà: qui tamen eam limitationem addit, vt id non intelligatur, quando ipsa Communio per se requiritur, quasi directè, vt in quibusdam Iubileis solemnioribus: tunc enim putat non sufficere Communionem vnam, v. g. die Dominica, vt obtineat Indulgentiam plenariam eo die: & post eà si pro die Sabbati sequentis sit alia Indulgentia, obtineat eamdem. Quæ limitatio mihi placet: habet tamen aliquam inde difficultatem, quæ etiam redundat in totam doctrinam traditam. Nam quandocumque requiritur Communio, videtur requiri directè & per se; pro dispositione enim subiecti sufficeret ipsa confessio: ergo numquam sufficiet vna Communio pro duabus Indulgentiis. Respondeo, Hanc replicam, non carere sua difficultate, id. óque satis esse probabilem contrariam resolutionem. Nihilominùs potest dici tunc directè Communionem peti, quando eò maximè per Indulgentias videtur Pontifex collimare, vt communio frequentetur; sicut quando conceditur communicantibus simul in tali Ecclesia singulis mensibus, &c. item in ipsis Iubileis, in quibus maximè per eas Communiones intendit Pontifex, vt fideles placent Dominum Deum ad concedendam Ecclesiæ pacem, vel ea alia dona quæ à Deo sperantur: quando verò Indulgentiæ conceduntur in honorem directè Sanctorum vel Ecclesiæ, tunc videtur Communio solùm se habere per modum melioris dispositionis. Dixi *melioris dispositionis*, vt responderem obiectioni factæ, quòd scilicet per confessionem horro sit sufficienter dispositus. Fateor enim confessionem ita disponere vt homo sit capax Indulgentiæ; cum quo tamen optimè stat per communionem longè nobiliùs disponi; & sine dubio potest Pontifex exigere eam maiorem dispositionem, qua suppositâ solùm requiritur directè oratio in Ecclesia eius Sancti, quæ ad illius cultum ordinatur. In talibus ergo casibus fateor posse vnam Communionem sufficere ad obtinendas binas Indulgentias, quæ sint in duabus Ecclesiis ad honorem duorum Sanctorum. Dico *ad honorem duorum*; nam si idem Sanctus sit in duobus templis, S. Francisci & Ignatij v. g. tunc non poterit bis obtineri Indulgentia non ex defectu duplicis Communionis, sed quia illa eadem est moraliter in vtroque loco; concederetur autem duobus templis illis, vel vt facilius possint eam lucrari, vel quia vtrobique sunt Religiosi eius Ordinis, &c.

Limitatio responsi.

37

Per Communionem nobiliùs quis disponitur ad Indulgentias quàm per confessionem.

Quæri denique potest, An saltem repetito eo opere, quod requiritur per modum conditionis, possit bis obtineri Indulgentia. Respondetur, Si Indulgentia dicat, *Quoties dixeris talem vel talem orationem*, &c. tunc clarissimè constare, obtineri sæpius Indulgentias, si sæpius repetantur orationes. Difficultas solùm est, quando sine eis terminis conceditur, v. g. *visitantibus talem Ecclesiam conceduntur*. De hac difficultate, quæ pertinet ad secundam partem in titulo sectionis positam, agit P. Suarez disput. 57. sect. 1. vbi benè duos distinguit modos concedendi Indulgentias: vnus est sicut solet, vt, *visitantibus diebus Veneris in Quadragesima Ecclesiam sancti Petri Romæ, vel intrà Octauam Dedicationis*, &c. in his casibus ait non concedi Indulgentiam

38 *An repetito opere, v. g. oratione, obtineatur Indulgentia toties quoties*

Duobus modis conceditur Ecclesiis Indulgentia.

etiam nisi semel; vnde quòd secundò, tertiò,&c. visitetur Ecclesia, non potest iuuare ad secundam Indulgentiam, nisi fortè prima vice non sit obtenta. Alio modo conceditur Ecclesiæ in perpetuum, & visitantibus eam Ecclesiam conceduntur tot aut tot dies annive remissionis; & in his cum D.Thoma & communi Theologorum ac Summistarum docet toties concedi eas Indulgentias, quoties illa Ecclesia visitatur; quod etiam Lugo suprà defendit. Disparitas inter hos duos modos ea est, quòd quando ad vnam diem vel hebdomadam conceditur, intelligitur id pro vna vice ratione eius diei aut solemnitatis & ita apprehendunt eas Indulgentias omnes fideles. Quando autè Indulgentia est perpetua pro toto tempore, non potest explicari, quòd tantùm semel in vita concedatur cuilibet: esset enim ea longè minor Indulgentia, quàm si concederetur singulis annis tali die: quia tunc quilibet saltem singulis annis nouam posset obtinere, hic autem solùm semel tota vita. Certũ est autem eam concessionem perpetuam pro omnibus annis & pro quolibet die esse longè maius beneficium, ergo non debet coarctari ad vnam vicem: quòd si non ad vnam, certè neque ad duas, neque ad tres,&c. ergo debebit intelligi etiam de singulis diebus. Vtrùm autem ipsis singulis diebus posset bis, ter quaterve obtineri Indulgentia, si locus toties visitetur, maius est dubium, quia ibi posset esse iusta ratio determinandi ad semel obtinendam. Vnde benè notat ibi Suar. nihil posse in hoc puncto esse certum, quia totũ pendet ex intentione concedentis. Mihi sanè cum Corduba & Paludano, apud eũdem Suar. ibi, est valdè verisimile, quòd non aliter Pontifex concedat perpetuam pro omnibus diebus alicui templo Indulgentiam, quam concedit aliis pro vno die in anno. Vnde sicut diximus ea die non nisi semel posse obtineri Indulgentias, ita dico non posse in perpetuum in ea Ecclesia nisi singulis diebus semel. Quòd si tamen adhuc dicatur obtineri toties quoties, id tamen ita intelligendum est, vt moraliter sint distinctæ visitationes templi; nam si quis intraret, & statim egrederetur, iterúmque sic pergeret aliquoties orando, esset non solùm superfluum, sed etiam irrisorium, vt Suar. notauit; debet ergo esse moraliter diuersus ingressus, vt si quis, dum it ad scholas, visitaret templum, & iterùm in reditu illud ingrederetur, moraliter esset bis, &-ex hoc capite sufficiens ad bis lucrandum Indulgentiã: à fortiori autem erit duplex, si manè ad Sacrum, post prandium ad Vesperas visitetur.

39

Quomodo intelligenda Indulgentia cõcessa templo vt g in perpetuum, vel singulis, vel saltem statu diebus.

40

Quid de Indulgentia concessa in Festo aliquo & per Octauam eius seruiendum.

Circa id verò quod diximus, quando Indulgentia conceditur per totam Octauam, solùm posse eam obtineri semel, Corduba apud Patrem Suar. putat tunc singulis diebus obtineri, imò ait ita communiter vsu receptum; de quo tamẽ vsu Suarez dicit se nihil intellexisse, ac pronde supponit omnino contrariam. Lugò benè distinguit: si enim ea ampliatio est ad totam Octauam, vt populus totus possit accedere, tunc non videtur concedi nisi semel Indulgentia intra illud tempus: si verò concedatur per Octauam, vt toto illo tempore frequentetur templum, & fideles excitentur ad frequentiorem visitationem eo modo, quo pro Octaua Corporis Christi concessit Vrbanus V. assistentibus Missæ & Officio, probabilius videtur posse saltem singulis diebus vnam Indulgentiam obtineri: licet neque hoc sit omnino certum.

SECTIO VII.

Quàm sit infallibilis effectus Indulgentiarum.

QVÆRIMVS, An hæ Indulgentiæ infallibiliter obtineãt suum effectum in faciente opus requisitum à Pontifice pro eis obtinendis. Hac de re breuiter P. Suarez disp. 2 sect. 8. vbi refert Bonauenturam & Adrianum sentientes, etiamsi homo sit in gratia, & faciat omnia quæcumque à Pontifice requiruntur, & esto Pontifex habuerit iustam causam Indulgentias concedendi, nihilominùs tamen non continuò eas semper obtineri, sed pro maiori vel minori deuotione magis vel minùs hominem consequi. Hæc sententia fundari potest in Extrauagante *Aliquorum*, de Pœnitentiis & remissione, vbi Bonifacius Octauus, cùm omnibus visitantibus Apostolorum templa anno Iubilei plenissimam Indulgentiam concessisset, subdit: *Vnusquisque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & deuotius frequentabit.* Sentit ergo Pontifex, non omnes, qui visitabunt, etiam deuotè semel templa (prout ab ipso requirebatur ad Indulgentiam plenissimam) eam consequi: alias pluries & deuotiùs visitare non conduceret ad efficaciùs eam consequendam: obtentâ enim plenissimâ Indulgentiâ, nihil ampliùs restabat obtinendum.

41

An qui explet omnia requisita à Papa infallibiliter consequatur Indulgentias.

SVBSECTIO PRIMA.

Explicato hoc testimonio profertur vera sententia.

ANtequam sententiam contrariam proponam, ostendo hoc testimonium etiam esse contra eos Auctores, qui sine dubio admittere debent, Pontificem concedentem Indulgentiam plenariam, etiam pro his qui semel visitarent Ecclesiam, non concessisse aliquid suprà suam potestatem: id enim esset dicere, Pontificem decipi in eis concessionibus, & decipere etiam Ecclesiam: quod non est vllo modo admittendum. Si ergo Pontifex benè supponit posse vna visitatione obtineri Indulgentiam plenariã, quomodo simul inuitat ad secundò & tertiò visitandas Ecclesias ob eum finem? Pro hac enim impugnatione sufficit, si vel vnicus eam plenariam Indulgentiam semel visitando Ecclesiam obtineat. Rogo enim, An ille visitando pluries templa aliquid amplius lucretur nécne? si amplius: ergo supra plenissimam aliquid amplius est. Et hoc potest dici de omnibus: Si nihil amplius, ergo falsa est illa propositio vniuersalis Pontificis dicentis, vnumquemque plus mereri, & efficaciùs consequi Indulgentiam qui pluries visitauerit: nam iam do vnum, in quo id est falsum: vnde saltem in vno tenentur respondere loco Pontificis, & quam solutionem in illo dederint, eamdem dabo ego in omnibus. Potest ergo responderi Primò, Particulam illam *plus merebitur* non esse in ordine ad Indulgentias sed in ordine ad meritum gratiæ & gloriæ: quod procul dubio augetur, quoties multiplicantur orationes in gratia, quia hæc non habet terminum: particulam verò alteram, *Indulgentiam efficacius consequetur*, non significare

42

Explicatur Extrau. Aliquorum, de Pœnitentiis & remissione occasione Indulgentiarũ.

Quid significent plus mereri & efficaciùs consequi Indulgentiam.

care quòd consequatur maiorem Indulgentiam, sed idem esse ac dicere, Certiùs consequetur eam Indulgentiam; quia si quælibet visitatio sufficit, certiùs erit sufficere multas. Deinde poterit contingere, vt in vna aut altera visitatione ille homo non sit in gratia, quia non habuit dolorem sufficientem in confessione, esto putauerit se illum habere; vel quia Confessarius non habuit animum eum absoluendi, aut certè non fuit legitimè ordinatus; eum autem gratiæ defectum secunda aut tertia vice dum Ecclesiam visitat iam non habeat, quia excitatus est ad contritionem, aut ad maiorem Dei super omnia amorem.

43 Secundò potuit esse defectus, quia diligentiam requisitam adeò prima vice imperfectè adimpleuit, vt menti Pontificis non satisfecerit, eosque defectus corrigat, dum secundò eam Ecclesiam visitat; semper ergo est verum, quòd efficaciùs consequetur quis Indulgentiam diligentiùs repetendo visitationes. Potest denique responderi, Si fortè Pontifex non habuit sufficientem & adæquatam causam vt eas Indulgẽtias tam amplas concederet, eum defectum supplcri per repetitionem illarum diligentiarum. Verùm de hoc puncto infrà paulò fusiùs. Pater Suarez aliam reddit explicationem vt τὸ *efficaciùs* denotet nouam Indulgentiam pro his, qui secundò fecerint diligentias requisitas. Hæc tamen explicatio dura videtur; quia efficaciùs consequi Indulgentiam non videtur posse explicari pro secunda Indulgentia noua.

Pontifex debet habere causam iustã vt validè concedat Indulgentiam.

Contraria ergo sententia, quæ est D. Thomæ & aliorum apud P. Suarez suprà, quibus ipse subscribit, vera videtur; pro qua suppono Pontificem validè non posse concedere Indulgentias sine iusta causa; hac tamen data posse validè eas concedere, etiam nullo nouo opere requisito ex parte illius qui eam lucraturus est. Primam partem huius propositionis aliqui negatũt, qui à fortiori fauebunt nostræ sententiæ in qua sumus. Ne tamen rẽ certam faciamus dependentem ab alia falsa, supponimus causam iustam omnino esse necessariam non solùm vt licitè, sed etiam vt validè Indulgentiæ obtineantur; & ita sentiunt ferè omnes; de quo benè P. Suarez disput. 50. per totum. Ratio est, quia potestatem Indulgentiarum non concessit Deus in Destructionem & ruinam Ecclesiæ, sed in ædificationem; esset autem in ruinam, quia esset occasio non curandi venialia, nec satisfactionem pro mortalibus dimissis, si Pontifex pro solo suo libitu sine vlla alia causa posset totam pœnam remittere, & Purgatorium vna vice ex integro euacuare: id quod absurdum valdè videtur.

44 Dices: Ipsæ Indulgentiæ habent intrinsecè annexam sibi causam honestam, nempe liberare proximum à miseria, ergo non est necessarium aliud diuersum motiuum. Respondeo; Licet liberare proximum innocentem à miseria, quam sine vlla culpa incurrit, sit semper obiectum honestum: at liberare reum à pœna debita non esse semper honestum, imò contra rationem iustitiæ vindicatiuæ, nisi aliunde suppetat aliqua ratio id cohonestans: cùm ergo miseria à qua homo liberatur per Indulgentias, sit pœna venialibus aut mortalibus dimissis debita, inde fit debere Pontificem habere causam iustam, vt applicando Indulgentias eos liberet: Deus enim ita illi tradidit hunc thesaurum, vt tamen non nisi prudenter eum dispenset: de quo fusiùs egimus suprà.

Quando honestum iudicetur liberare proximum à miseria, vel à pœna.

Secunda pars, quòd supposita iustâ causâ eas Indulgentias concedendi non requiratur aliquod aliud opus, est etiam communis inter Theologos. Nam si ea persona, cui Indulgentiæ conceduntur, iam est in gratia, eo ipso ex parte ipsius nullum est pro eis Indulgentiis impedimentum: ergo nihil aliud requiritur ex parte illius; ex parte verò Pontificis iam supponimus interuenire causam iustam, quæ non desumitur ex diligentiis, quas Pontifex præcipit fieri, sed aliunde ex fine ipsius Indulgentiæ, ex motiuo & occasione ad illam concedendam: ex fine v.g. si Ecclesia patiatur grauissimam aliquam persecutionem & ad incitandos fideles, vt Deum suis orationibus placent, proponat omnibus confessis & communicantibus ac Deum orantibus Indulgentiam plenariam; solent etiam esse sufficientes causæ, v.g. dies coronationis ipsius Pontificis: sicut in coronatione Regis solent omnes rei dimitti liberi ex carceribus, neque ideò Iudices censentur tunc facere contra iustitiam; item in 45 Canonizatione Sanctorum; in gratiarum actionem pro beneficio eximio Ecclesiæ concesso; quando item Religio aliqua conuenit ad Congregationem aut Capitulum generale, &c. Religiosis datur Indulgentia; à fortiori quando congregatur generale Concilium, vt pro ipsius felici successu Fideles Deum orent. Hæ & similes causæ vniuersales possunt occurrere; particulares autem in vnâ vel altera persona v.g. quòd gloriosè pro Ecclesia laborauerit reducendo ad ipsam hæreticos aut infideles, &c. Omnes hæ iustæ causæ Indulgentiæ concedendæ sunt independentes ab eo, quòd ex parte recipientis requiratur deinde aliqua dispositio actualis vltra statum gratiæ. In hoc ergo casu dicimus Pontificem posse validè concedere eas Indulgentias nulla conditione petita. Hæc enim conditio non requiritur: vt sit iusta causa dispensandi, quia, vt vidimus, iam ea est ante conditionem. Deinde nec requiritur, vt reddat subiectum capax, quia eo ipso quòd sit in gratia, habet capacitatem; neque vt per eas diligentias promereatur quis ipsam Indulgentiam, vt sit quasi proportio inter opus & illam; quia si hæc proportio requireretur, Indulgentiæ essent planè otiosæ, cùm per ipsum opus ex opere operantis remitteretur tota illa pœna: ideò autem proportio non requiritur, quia Indulgentiæ non conceduntur ex rigore iustitiæ & æquitate inter datũ & acceptũ sed ex Dei liberalitate & ex opere operato. Licet autem liberalitas ne declinet in prodigalitatem, requirat iustam causam illum actum exercendi, sicut suprà diximus, non tamen requirit vt apponantur conditiones onerosæ ei cui fit ea liberalitas. Hoc confirmatur euidenter à simili ex Sacramentis, in quibus, quia non datur nobis gratia propter opus nostrum, sed ex meritis Christi, non requiritur absolutè vllum bonum opus ex parte recipientis, vt gratia conferatur: sed sufficit si recipiens Sacramentum sit in gratia, ideóque non ponat obicem; ergo idem erit à fortiori in Indulgentiis, vbi maior est liberalitas, licet non circa eadem dona. In Sacramentis enim confertur gratia ex opere operato; per Indulgentias verò solùm remittitur pœna temporalis sine vlla externa cæremonia, & sine infusione gratiæ sanctificantis.

Habita iusta causa dandi Indulgentias non tenetur Pontifex aliquod opus iniungere pro illis obtinendis.

Sed ne ex Sacramentis retorqueatur argumentum dicendo ibi crescere effectum ex meliori dispositione; ergo etiam idem erit in Indulgentiis.

46

tiis. Respondeo negando consequentiam, quia Sacramenta non habent determinatum effectum gratiæ, sed ille est maior minórve determinatus à Christo iuxta maiorem aut minorem suscipientis dispositionem. Pro his verò qui sine vlla positiua dispositione accedunt potest concedi certus gradus, qui in omnibus eo modo accedentibus æqualis erit. Et quoad hoc vltimum punctum attuli hanc instantiam ad Indulgentias, in quibus ea est disparitas, quòd hæ determinantur ex voluntate Pontificis (à quo pendet earum dispensatio) vel vt sint totales, vel ad certos dies, annos, &c. vltra quam mensuratam nemo vi Indulgentiæ accipere potest, etiamsi habeat perfectissimam dispositionem; vti è contrario non accipiet minus qui habet imperfectam si tamen eam habet, quam Pontifex petiit: perinde ac si Rex liberet ex carcere reos, vel exerceat liberalitatem aliquam dandi pecuniam determinatam, v.g. 100. cuilibet, procul dubio in ordine ad hoc per accidens se habebit, quòd vnus alio sit magis benè meritus de Rege. Fateor posse Pontificem non determinare Indulgentias, sed concedere maiores vel minores pro maiori vel minori dispositione; & tunc vale conduceret excessus in dispositione: quando tamen hoc non facit, sed determinat Indulgentiam, & determinat dispositiones pro illa dicimus quemcumque eas omnes dispositiones adimplentem lucrari totam illam Indulgentiam, siue magnam, siue paruam habeat deuotionem: quia circa hoc nihil præscripsit Pontifex: quòd si præscripsisset, tunc requireretur facere quod præscripsit.

Cur in Sacramentis crescat gratia ex meliore dispositione, non item Indulgentia pro meliore dispositione sint maiores.

47 *Posset Papa concedere Indulgentias maiores & minores pro dispositione lucrantis illas.*

Hinc ad conclusionem suprà positam à fortiori colligitur, quòd si Pontifex potest concedere Indulgentias validè nulla petita conditione ex parte nostra, possit eas concedere petendo aliquas conditiones, v.g. confessionem, Communionem, ieiunium, &c. non determinando in his conditionibus gradum aliquem deuotionis, aut affectum aliquem valdè intensum eas lucrandi, prout aliqui dicunt: imò addo, Eum posse petere prædictas actiones externas non requirendo vt ex omnibus circumstantiis bonæ sint, sed præcisè vt ieiunetur hoc animo, & in eo casu: licet ieiunium illud ex aliquo fine malo venialiter reddatur malum, sufficiet tamen pro Indulgentia obtinenda, quia etiam vt sic satisfacit conditioni petitæ, ergo sufficiet ad Indulgentiam, quæ solùm pendebat à conditione petita, prout petita est: vt sic autem abstrahit à bona & mala venialiter. Imò (nisi peccatum mortale redderet subiectum incapax Indulgentiæ) ex hac parte licet in illo ieiunio mortaliter peccaretur, posset adhuc per illud satisfieri conditioni positæ, & consequenter obtineri Indulgentia.

Possunt obtineri Indulgentia peccãdo venialiter in opere requisito.

SVBSECTIO SECVNDA.

Obiectio difficilis soluitur: vbi, An per diligentias ex parte lucrantis possit suppleri defectus causæ eas concedendi.

48 DIces: Ergo quando conceduntur eiusmodi Indulgentiæ, ferè omnes qui faciunt diligentias petitas, illas obtinent: quia ferè omnes faciunt bonam confessionem, & licet negligenter, absolutè tamen exequuntur omnia, quæ à Pontifice requiruntur: id quod iuxta nos sufficit ad obtinendam totam eam Indulgentiam. Hoc autem videtur esse contra communem sensum, quia ferè omnes iudicant paucissimos esse qui in talibus occasionibus Iubileum obtinent: circumferturque communiter Historia quædam, in qua cùm ferè innumerabilis populus pro Iubileo à Pontifice concesso fecisset diligentias, reuelatum tamen fuit cuidam sancto viro, ex tota ea multitudine vnicam tantùm fœminam illud obtinuisse. Incredibile autem prorsus est, quòd in tanta multitudine nullus alius fuerit in gratia, & non fecerit quæ requirebantur à Pontifice: ergo non sufficiunt pro Indulgentiis externæ actiones petitæ vtcumque factæ.

Respondeo, Admissa Historiæ veritate (de qua non disputo) nobis non constare, quæ fuerint conditiones à Pontifice petitæ, vt inde possimus dignoscere, quare sola illa fœmina obtinuerit eam Indulgentiam plenariam. Fortassis Iubileum illud fuit ordinatum pro remedio alicuius magnæ necessitatis, vt omnes diligentissimè Deum orarent: ideoque petiit Pontifex pro conditione alij autem, excepta eâ fœminâ, licet in gratia orauerint, fecerunt id tamen valdè negligenter ideóque non expleuêre conditionem petitam. Respondeo Secundò, Fortè Pontificem in eo casu non habuisse causam sufficientem concedendi Iubileum illud, fœminam autem per magnam suam præparationem quasi compleuisse causam pro illo; quia (vt Pater Suarez docet) potest aliquando ex ipsis diligentiis à lucrante exhibitis compleri causa sufficiens eas concedendi. Quòd autem dicitur, sequelam obiectionis esse contra communem sensum, facilè negatur: imò Theologi, qui de hac quæstione disputant ferè omnes sunt ab hac sententia.

Vnde forsit possit, quòd pauci Indulgentias obtineant.

49 Occasione huius solutionis vltimæ ex Patre Suario dicere aliquis posset, repugnare, quòd si causa concedendi Iubilei v.g. non fuit sufficiens, ea deinde compleatur per multiplicationem diligentiarum: etenim si causa non fuit sufficiens, iam eo ipso concessio fuit inualida: si inualida, ergo diligentiæ, quæ deinde fiunt, sunt nullius momenti, perinde ac si ego eas diligentias facerem nullis à Pontifice concessis Indulgentiis: eo enim casu nihil mihi prodessent ad remissionem ex opere operato, sed solùm ex opere operantis. Hæc obiectio non caret sua difficultate: vnde probabile iudico si Pontifex non habuit sufficientem causam pro eis Indulgentiis, nihil prodesse mihi quòd ego bis térve aut pluries reperam eas impositas diligentias. Pro quo tamen meliùs intelligendo aduerte, duobus modis posse contingere defectum causæ sufficientis ex parte Pontificis: Primò, vt & causa careat, & diligentiæ quas determinat sint valdè leues. Potest Secundò contingere, vt causa non sit sufficiens: ipse tamen Pontifex conditiones graues exigat, & quæ ex se sint aptæ vt suppleãt defectum causæ. Si res contingat hoc secundo modo, tunc omnino puto veram eam doctrinam Suarez, quòd scilicet reipsa per eas diligentias suppleatur defectus aliquis causæ. Imò dicerem tales esse posse ac tam graues eas diligentias, vt licet nulla alia sit causa ex parte Pontificis, concessio tamen inde sit valida. Ratio à priori est clarissima; nam dispensator etsi thesauros sui domini non possit expendere prodigè, non tamen ideò iudicari debet prodigus, quando, licet nulla causa dandi occurrat, imponit tamen onus cedens in adeò magnum domini bonum, vt meritò censeatur futurus con-

An defectus iustæ causæ dandi Indulgentias suppleri possit ex parte lucrantis.

Dupliciter potest esse defectus causæ ex parte Pontificis pro dando Indulgentiam.

50

tentus ipse dominus ea donatione. Porrò exemplum illud quod paulò antè tetigimus de reis, qui ex carcere dimittuntur liberi; potest enim id fieri vel ob magnitudinem causæ & motiui, vti diximus fieri in Coronatione Regis, in natiuitate hæredis, in nuptijs Regis, &c. & nunc non est necessarium vt aliud onus ipsis reis imponatur ad hoc, putetur Rex ipse futurus contentus, & approbaturus eam dimissionem ab inferiori Iudice factam; fieri etiam potest vt illi iidé Iudices nulla data huiusmodi causa seu motiuo dimittant liberos reos, eos tamé ita occupando in aliquo opere, ipsi maximè Regi aut Reipublicæ vtili, vt eo etiam casu non iudicentur vllo modo agere contra voluntatem Regis aut præter illam, sed maximè iuxta illam; ergo Pontifex, qui est dispensator thesauri Ecclesiæ, non iudicatur prodige aut contra voluntatem Dei agere, quando concedit indulgentias, esto sine vllo extrinseco motiuo, imponendo tamen opera seu conditiones valdè graues, & valdè ipsi Deo gratias; à fortiori ergo quando habet motiuum, non tamen omnino sufficiens, poterit id per opera quæ exigit supplere. In hoc ergo casu non est difficultas vlla. Maior est, si nec sit sufficiens causa, nec ipse Pontifex requirat diligentias proportionatas, sed ego ipse qui lucraturus sum Indulgentias, eas diligentias ita deuotè expleo, & simul addo alias dispositiones Deo valdè gratas, & ex se satisfactorias, & in hoc casu quærimus, An per illas possit suppleri defectus ille causæ seu motiui. Respondeo, Mihi videri probabilius non posse, quia in hoc casu illæ diligentiæ à me deinde liberè adhibitæ non se tenent ex parte contractus seu concessionis à Pontifice factæ; ac proinde non faciunt prudentem donationem illam, & consequenter nec validam: id enim quod omninò liberaliter ego facio non iustificat dispensationem iam factam à Pontifice; si autem ipsa donatio præcedens fuit nulla, iam meæ diligentiæ nullius sunt momenti. In priori autem casu quando exigit Pontifex eas graues conditiones, iam hæ per se & intrinsecè concurrunt ad contractum illum, eumque iustum faciunt, ac proinde conformem potestati traditæ dispensatori non prodigendi, sed prudenter iuxta regulas rationis & in bonum domini thesauros sibi concreditos dispensandi.

Quomodo Pontifex possit supplere defectum causæ dandi Indulgentias.

15

Hinc ad rem nostram dico; Cùm Pontifex in casu argumenti non posuerit illam visitationem templi secundò aut tertiò factam per modum conditionis à se requisitæ, re ipsa nihil valere, quòd ego ex mea liberalitate illam ponam, vt proterea censeatur suppleri defectus causæ; ideoque solutio Patris Suarez non videtur in præsenti habere locum. Sufficiant ergo quæ priùs nos diximus.

DISPVTATIO XXVII.

De causa, duratione & cessatione Indulgentiarum.

1 EXPEDIVIMVS quæ ad constitutionem & effectum Indulgentiarum spectant; iam ad ea quæ tam pro ipsarum productione & duratione, quàm è contrario pro cessatione requiruntur.

SECTIO I.

De causa concedente Indulgentias.

VOx *hæc causa* potest dupliciter vsurpari in præsenti; Primò, pro motiuo dandi eas Indulgentias; Secundò, pro personis, quæ illas possunt condere: & de vtroque puncto nobis nunc agendum est.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de motiuo ad valorem Indulgentiarum necessario.

NEcessariam esse iustam aliquam causam ad Indulgentias concedendas, saltem licitè, diximus suprà; in quo puncto omnes omnino Auctores conueniunt; vtrùm autem esto illicitè, validè tamen possint sine vlla causa concedi, aliqua maior est difficultas: nonnulli enim, teste Paludano in 4. dist. 12. quos tamen non nominat, dixère eam causam non esse necessariam; id quod videtur inde probari, quia dispensatio etiam sine causa, in ieiunio & aliis legibus, esto sit illicita, est tamen valida. Contraria tamen sententia ad valorem Indulgentiæ requirens iustam causam est communis inter Theologos, probaturque ratione superiùs sæpè insinuata, quòd Pontifex non sit absolutus Dominus, sed dispensator Indulgentiarum; ergo debet id facere prudenter iuxta regulas rationis. Non enim habent dispensatores bonorum facultatem sine causa valide donandi quæ volunt. Contra hoc fundamentum est duplex obiectio satis efficax. Prima desumitur ex ratione in oppositum immediatè posita. Nam etiam facultas dispensandi in legibus & votis solùm est ad id prudenter faciendum; & tamen esto sine causa fiat, est valida; ergo. Secunda, quia etiam quando dominus dat dispensatori aut eleëmosynario pecuniã vt emat, vel det pauperibus, dat vt prudenter id faciat? & tamen esto aliqua emat superflua, aut esto inæqualiter distribuat pauperibus eleëmosynam, factum tamen tenet; ergo. Multus est Pater Suarez disput. 53. sect. 2. in solutione huius obiectionis; ait ergo, illam conditionem, quæ omnino est necessaria ad finem, propter quem datur potestas aliqua, esse eo ipso necessariam ad valorem actus eius potestatis; quæ propositio videtur ex terminis nota; addit, potestatem hanc datam esse ad ædificationem, non ad destructionem; si autem necessaria non esset ea causa, certò esset in destructionem ea potestas, quia eneruaret Ecclesiasticam disciplinam; vnde putat non ex speciali reuelatione colligendum esse hanc potestatem concessam Pontifici à Christo sub hac conditione, sed ex ipsa natura rei id esse probandum; ex qua etiam ratione ait communiter

An sit causa necessaria ad dandas validè Indulgentias.

2

niter Auctores docere, dispensationem in rebus, quæ sunt ex iure diuino, esse inualidam, si fiat sine iusta causa; quia non potest irrationabilis voluntas inferioris irritare rationabilem superioris.

Ego tamen licet videam multos hunc modum discurrendi Patris Suarez tenere, iudico tamen illum non esse omnino solidum; admitto ergo libenter allatam rationem esse optimam congruentiam, vt ita potuerit Deus limitare, & vetò vt limitauerit re ipsa Pontifici potestatem hanc Indulgentiarum; nego tamen ita ea congruentia rem probari, vt magnam adhuc non habeat difficultatem, & necessarium sit omnino vlteriùs recurrere ad aliquam quasi reuelationem, qua nobis constet ita à Christo re ipsa fuisse eam voluntatem limitatam: id quod manifestè meo iudicio probatur; nam non obstante toto eo periculo potuit Christus ita dare eã potestatem, vt Pontificem quidem sub peccato mortali obligaret ad non dispensandum sine causa, si tamen id faceret, esset valida eius thesauri dispensatio; neque tunc posset dici ea potestas fuisse in destructionem, quia vt esset in ædificationem, sufficeret, quòd sine graui peccato id non posset Pontifex facere: eo enim ipso deberet supponi vt plurimùm, Pontifices eo peccato graui territos non vsuros illa potestate sine causa. Vti potestas quam dedit Ecclesiæ idem Christus, vt Sacramenta validè possint administrari etiam in peccato, non est in ruinam, licet longè multò plura peccata vitarentur, si etiam ad valorem Sacramenti necessarius esset status gratiæ in Ministro: non est inquam in ruinam, quia quod non potest fieri nisi sub graui peccato, censetur moraliter sufficienter impeditum. Id quod aliunde secundo ostenditur, quia cùm Christi merita fuerint tanti valoris, vt etiamsi omnis pœna Purgatorij nobis remitteretur, ipso ea sua merita pro nobis applicante, nulla noua petita pro salute nostra satisfactione, adhuc nulla esset destructio Ecclesiæ, neque ruina. Sanè non video quomodo ex natura rei, non recurrendo ad specialem voluntatem Christi Domini facultatem Indulgentiarum concedentis, colligatur eam esse datam cũ hac conditione, vt requiratur ea iusta causa, non solùm ad hoc vt licitè, sed etiam vt validè concedantur; habetque hæc ratio maiorem vim ex instantia desumpta à Sacramentis, quæ cùm in se seu ex natura sua sint validè leues actiones, & sæpè respectu suscipientis nulla detur dispositio; vt in infantibus, dum baptizantur, &c. tamen quia illis Sacramentis applicantur Christi merita, non solùm remittunt eam pœnam temporalem Purgatorij ex toto, vel ex parte, sed, quod grauius est, ingentis gratiæ iustificantis donũ concedunt. Cur ergo quæso in re minoris longè momenti non possemus dicere applicata esse ab ipso Christo sua merita pro eis pœnis, ita vt si Pontifex velit concedere, teneat concessio, esto nullam habeat causam?

Poterat Christus Dominus nullam causam requirere pro valida concessione Indulgentiarũ.

3

4

Vnde probetur requiri causam ad validam concessionem Indulgentiarum.

Iudico ergo efficaciorem eius sententiæ communis probationem desumendam esse ex sola voluntate Christi, de qua nobis constat ex communi sensu ferè omnium Theologorum: hic enim consensus est quasi probabilis reuelatio eius voluntatis, vt sæpè diximus in similibus materijs; Secundò & clariùs ex ipsis Pontificibus, qui, dum de Indulgentijs loquuntur, non aliter dicunt Indulgentiarum concessionem esse validam, quàm si fiat ex rationabili causa, quo modo loquitur Clemus V. in Extranagante *Vnigenitus*, Martinus V. in Bulla quæ habetur post Concilium Constantiense, & Leo X. in Decretali ad Cardinalem Caietanum. Cùm ergo de hac facultate concedendi Indulgentias vix constet nobis aliunde quam ex ipsorum Pontificum eas concedentium testimonio, profectò, si illi ipsi non aliter dicant se posse illas concedere quàm ex iusta causa, optimè inde colligimus eam causam esse necessariam ad valorem earum concessionum; & hinc vno verbo respõderi potest ad omnes instantias, quæ in contrarium allatæ sunt, aut possunt adferri: dicimus enim, cùm hæc res sit pendens a voluntate Christi Domini, illum noluisse eam potestatem concedere nisi sub hac conditione, quidquid sit de alijs instantijs voti aut legis humanæ. Potest etiam facilè Secundò dici, in alijs casibus, maximè circa leges humanas, in quibus qui dispensant, sunt earum Domini, possunt eas etiam sine vlla causa tollere, non esse mirum, si assidè possint etiam sine causa dispensare, ideoque inde nihil sequi ad rem, quæ purè putè spectat ad Dei forum, vti hæc de libertate à pœnis Purgatorij.

Ipsi Pontifices agnoscunt sine causa se non posse dare Indulgentias.

Replicabis: Collatio beneficij facta indigno est valida, esto Collator non sit dominus, sed dispensator, & esto ea collatio sit contra ius Diuinum; ergo & hic. Respondeo in primis negando consequentiam iuxta priorem dispartitatem, quòd in his rebus à voluntate Christi pendentibus nihil valeat argumentũ ex vna ad alteram. Secundò negatur consequentia, quia ex eo quòd collatio illa beneficij esset inualida, sequerentur grauia incommoda, quæ non sequũtur ex eo quòd collatio Indulgentiæ sine causa sit inualida. Addo, Eam collationem non esse immediatè contra ius Diuinum, sed contra voluntatem eorum qui ea beneficia statuerũt. Circa quam eamdem instantiam multa dicit Suarez ea sectione secunda; quorum aliqua non carent difficultate, nobis tamen dicta sufficiant.

5

In rebus pendentibus à libera voluntate non valet argumentum à pari.

Duo vel tria ex dictis oriuntur dubia: Primum, An casu quo non sit sufficiens causa, excusetur tamẽ qui lucratur Indulgentias ab obligatione explendi pœnitentiam Sacramentalem? Respondetur, Ratione conscientiæ pœnitentis, qui nec debet examinare, nec potest cognoscere, vtrùm fuerit causa valida nẽne, certum esse eum liberari ab ea obligatione; semper enim debet supponere Indulgentiarum concessionem esse validam; quoad rem tamen ipsam non liberatur, quia hæc libertas non fit per Indulgentias tollendo directè ipsũ præceptum Confessarij, sed subtrahendo, id est, tollendo debitum pœnarum, pro quibus debeat esse ea satisfactio Sacramentalis; si autem Indulgentia est nulla, nequaquam tollitur illud debitum, ergo re ipsa manet obligatio.

An pœnitens excusetur à pœnitentia Sacramentali faciendã, quando Indulgentia est nulla.

Secundum dubium est, An si ipsemet Pontifex concedens Indulgentiam iudicat inuincibiliter esse sufficientem causam eam, quæ reuerà in se non est sufficiens, sit tunc valida concessio Indulgentiæ. Respondeo cum Patre Suario & Lugo, Probabiliter esse validam, quia Deus non potest requirere à prudente dispẽsatore, maximè in re quæ non cedit in vllius præiudicium, nisi vt iuxta suam conscientiam probabilem & prudentẽ operetur; quòd autem vt homo aliquando re ipsa præter opinionem fallatur, non facit

Probabile est quòd Pontifex inuincibiliter erranti in sufficientia causæ Indulgentiarum, validè eas concedat.

illum non processisse prudenter; ac proinde etiam tunc censetur Deus approbare donationes ab ipso factas.

6 Dices: In absolutione Sacramentali, & in administratione aliorum Sacramentorum, ad hoc vt validè conferantur, opus est, vt re ipsa detur illa dispositio quam Christus requisiuit, nec sufficit, quòd homo iudicet inuicibiliter ita esse, si tamen re ipsa non sit; vnde esto ego putem inuincibiliter me esse valid consecratum Sacerdotem, non ideò tamen validè consecrabo, aut absoluam à peccatis. Ob hanc replicam iudicat Suarez suprà sect. 3. non esse omnino certum, quòd eo casu Indulgentiæ valeant. Ego tamen non tam vi huius replicæ, quàm quòd in hac materia, quæ vnicè pendet ex voluntate Christi, nihil habeamus, vnde possimus certò determinare, quid ipse voluerit, iudico non esse omnino certam resolutionem hanc. Replicæ autem factæ facilè respondetur, Magnam esse diff. rentiam inter hanc concessionem Indulgentiarum & Sactamentorum administrationem. Nam circa Sacramenta sunt à Christo determinati Ministri, qui si careant auctoritate, sine dubio non conficient validè Sacramentum: ex parte item ipsius Sacramenti est certa materia & forma, sine quibus non possunt confici; ex parte suscipientis certæ dispositiones requisitæ. At in casu Indulgentiarum supponimus & Pontificem potentem concedere, & alios ptentes recipere. eam verò causam extrinsecam solùm requirimus tamquam motiuum ad hoc, vt Pontifex prudenter dispenset & operetur; ad hoc autem vt prudens sit operatio, non requiritur re ipsa ita in se existere motiua, sed sufficit si ita appareant homini rem diligenter perpenditi, vt etiam tunc dici possit prudenter se gessisse.

Differentia magna inter administrationem Sacramentorū & concessionem Indulgentiarum

7 Tertium dubium est, Vtrùm valeant huiusmodi Indulgentiæ in ordine ad alias concessiones, quæ fiunc circa licentiam v.g. eligendi Confessarium, commutandi vota, &c. valeant inquam non solùm quoad conscientiam pœnitentis (vt d ximus paulò antè de obligatione Sacramentalis satisfactionis) sed re ipsa; ita vt licet deinde constaret non fuisse validam eam concessionem; nihilominùs non esset obligatio confitendi peccata secunda vice.

Concessiones annexæ solitæ Indulgentijs valent, licet Indulgentiæ forte non subsistant.

Respondeo Primò, Quoad obligationem reseruationis peccatorum non esse difficultatem vllam, quia (iuxta dicta suprà) eo ipso quòd bona fide homo confiteatur ei, qui bona etiam fide habet iurisdictionem (suppono alioquin esse verum Sacerdotem) cessat re ipsa reseruatio; iam autem supponimus eo casu pœnitentem & Confessarium esse in bona fide. ergo. Quidquid etiam de hoc puncto sit, dico absolutè, Omnia illa valida esse, quia sunt de iure humano; & Pontifex absolutè dat tunc facultates illas, vnde non est cur non iudicentur omnino re ipsa concessæ. In votis posset esse aliqua difficultas maior, quia illa directè spectant ad forum Dei. Nihilominùs vti diximus de concessione Indulgentiarum, ita de hac dispensatione sentiendum est.

SVBSECTIO SECVNDA.

De proportione eius causæ cum Indulgentijs.

8 QVærimus, Vtrùm non solùm debeat esse aliqua causa iusta pro Indulgentijs, sed etiam eis proportionata. Diuus Thomas videtur sensisse, quamcumque causam sufficere, dum in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. ait effectum Indulgentiarum non commensurari quantitati seu grauitati causæ, sed quantacumque sit Indulgentiam, totam esse validam, si causa sit pia, esto sit minor. Pro eadem sententia referuntur multi alij à Patre Suatio sectione 3. vbi valdè laborat, vt Diuum Thomam explicet, & ab hac opinione liberet; vix tamen id præstat, quia reuerà si legatur attentè Sanctus Doctor, clarissimè eam defendit; quidquid tamen de eius mente eo loci sit, probabilior sententia, & magis conformis his quæ diximus, affirmat debere causam esse proportionatam Indulgentiæ. Ita Suarez suprà & Lugo ea sect. 8. Tannerus disput. 6. quæst. 8. dubio 5. vbi pro ea refert Albertum, Richardum Adrianum, Augustinum de Ancona, Maiorem, Caietanum, Nauarrum, Cordubam, Bellarminum, Henriquez, Innocentium, Ioannem Andream & Ostiensem. Pro intelligentia verò aduerte, dum d ximus causam debere esse proportionatam, non agere nos de causa quæ sit planè in se satisfactoria æqualiter pro tota ea pœna; in hoc enim sensu Indulgentiæ nihil operarentur. Adde, cùm causa, de qua nunc disputamus, sit præcisè motiuum extrinsecum Indulgentiæ, necessitas v.g. grauis totius Ecclesiæ, aut alia vtilitas publica, aut priuata pro publica vel priuata Indulgentia; hæ autem causæ non efficiant, vt ego, qui lucrari debeo Indulgentias, satisfaciam vel in minimo pro debito pœnæ; non potest eo sensu intelligi adæquata Indulgentiæ causa illa, quæ ex se sufficeret ad extinguendam pœnam, quæ remittitur per Indulgentias: hæ enim causæ & motiua non solùm totam, sed nec partem extinguunt. Dicitur ergo causa eo sensu proportionata, quòd habeat motiuum prudens ad faciendam eam gratiam; ita vt iuxta prudentem operationem grauitas motiui respondeat grauitati Indulgentiæ concessæ; in hoc ergo sensu nostra sententia suadetur eadem ratione, qua absolutè probauimus requiri aliquam causam; quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & reuerà si causa non est proportionata illi quantitati Indulgentiæ, tunc eo ipso secundùm illum excessum dabitur Indulgentia sine causa (vt benè notauit Suarez.) Præterea si quæcumquæ causa pia sufficeret ad quamcumque Indulgentiam, profectò ipse affectus subueniendi animabus Purgatorij, & liberandi illas ab ea miseria, cùm sit affectus pius, deberet esse sufficiens, ideóque sequerentur illa absurda suprà posita, quòd Pontifex posset totum Purgatorium vna vice euacuare, & viuentes ab omni debito pœnæ liberare; vndè relaxaretur valdè disciplina Ecclesiastica, neque curarentur venialia peccata, & opera satisfactoria, & pœnitentialia.

Causa Indulgentiarū debet esse proportionata.

9 *Quo sensu requiratur causa proportionata pro Indulgentijs.*

Quo sensu Indulgentia proportionentur thesauro Eccle. sie.

Quòd autem Diuus Thomas obiiciebat, Indulgentias proportionari thesauro Ecclesiæ, est verum in vno sensu, hoc est, in eo thesauro esse sufficiens pretium ad quascumque Indulgentias concedendas; at in altero sensu, quòd ideò possint applicari sine causa æquali, nequaquam est verum. Et certè si ea ratio valeret, probaret etiam, sine vlla omnino causa concessionem fore validam; quod tamen ipse Diuus Thomas negat, & meritò.

Dices adhuc: Ecclesia aliquando ob eamdem causam iam maiores, iam minores concedit Indulgentias; 10

dulgentias; ergo non requirit æqualitatē causæ. Respondeo, Pontificem benè posse minores dare Indulgentias, quàm causa exigat, quia ad nullas dandas tenetur; ac proinde benè potest pro causa vt octo v.g. dare Indulgentias vt duo, vt tria, vt sex, vt octo; at negamus posse maiores quàm vt octo concedere.

Dices Tertiò: Si causa sit adæquata, exiguus est fauor Indulgentiarum. Respondeo negando consequentiam, quia (vt paulò antè notaui) causa illa, quantumuis grauis, nihil in me minuit de debito pœnæ, ac proinde maximus mihi fit fauor, quòd posità eà causà remittatur pœna Purgatorij; si diceremus requiri ex parte eorum, qui lucrantur eas Indulgentias, aliquod opus graue & magnæ satisfactionis, quodque per se extingueret ferè totam illam pœnam, haberet sanè locum hæc obiectio. At non agimus nunc de tali causa, sed de motiuo extrinseco, quod ex se nihil facit ad tollendum pœnæ debitum, nisi accedant Indulgentiæ.

Quartò obiicies, Difficillimum esse tangere eam æqualitatem. Respondeo, Id quidem verum esse, ac propterea debet iudicio prudenti dedici; vnde paulò antè diximus, si Pontifex prudenter procedit, esto re ipsa causa in se non sit valida, Indulgentias non valere. Respondeo Secundò; Si causa non fuerit æqualis toti illi Indulgentiæ, saltem erit parti æqualis, & tunc operabitur eam partem. Replicabis, Superiùs diximus, si Pontifex ponit pro conditione Indulgentiæ aliqua opera, & vnum omittatur, non respondere quidquam de Indulgentia pro altero opere; ergo eodem modo, si causa Indulgentiæ non est adæquata, non respondebit quidquam de Indulgentia. Respondeo cum Patre Suario negando consequentiam, quia Pontifex non dat Indulgentiam, nisi dependenter ab ea conditione quam exigit; quæ ex integro si non ponatur, arguit defectum voluntatis in dante; non potest autem quidquam concedi sine voluntate concedentis. At in præsenti nihil deest ad valorē eius partialis Indulgentiæ, non voluntas in concedente, nam si dare vult mille v. g. à fortiori vult centum; non capacitas ex parte subiecti; vt constat; non denique proportio causæ cum ea partiali Indulgentia. Nam licet ea causa non sit proportionata summæ Indulgentiæ, habet tamen proportionem cum minore; ergo hanc saltem concedit.

Si causa non sit æqualis toti Indulgentiæ, tum acquiri potest Indulgentia minor ei causæ proportionata.

11

Quintò obiicitur; Quia in anno Iubilei conceditur Indulgentia plenaria ciui Romano visitanti aliquas Romanas Basilicas: quod opus est valdè improportionatum ei Indulgentiæ. Deinde non plus conceditur venienti è longinquo: id quod videtur durum, vt scilicet idem detur summè laboranti, quod datur ei qui vix aliquid efficit. Respondeo, Obiectionem non esse ad rem, quia non agimus de operibus requisitis ex parte lucrantis, sed de motiuo Pontificis dantis eas Indulgentias. Motiuum autem concedendi annum Iubilei est maximus honor Dei, & vtilitas Ecclesiæ consistens in eo, quòd ad vnionem fidelium ad professionem fidei conueniant omnes fideles eo in loco, vbi est Christi Vicarius, & fidei regula; pro qua causa nihil facit, quòd vnus plus laboret altero, quia non respondet Indulgentia labori, sed causæ illi seu motiuo. Neque est inconueniens in his rebus æqualiter aliquos præmiari qui inæqualiter laborant; non cum eodem labore & diligentijs plus longè accipit, qui debebat centum annis esse in Purgatorio, quàm qui solùm vna hora: in his enim quæ communitatem respiciunt non est possibile semper omnes æquales esse in beneficijs quæ distribuuntur. Adde, ordinariè tunc minùs peti à peregrinis.

Potest eadem Indulgentia ad vno minore laborē multò quàm ab alio acquiri.

Vltimò obiicies: Dantur aliquando imaginibus, numismatibus ingentes Indulgentiæ ob leues causas. Respondeo Primò, Hinc summùm inferri, esse aliquando excessum in concedente, ac proinde tunc non fore causam proportionatam. Secundò respondeo, Non attendi tunc conditiones quæ exiguntur ex parte lucrantis Indulgentias; iam enim dixi, eas nullo modo requiri, multò autem minùs debere esse proportionatas, sed attendi motiua quæ habuit Pontifex, v.g. singularem cultum alicuius Sancti post canonizationem illius, aut merita alicuius Principis, alicuius Religionis, & ad cuius petitionem conceduntur illæ Indulgentiæ.

12

Pro Indulgentia vniuersali requiritur causa vniuersalis, non item pro priuata.

Ad hanc proportionem causæ cum Indulgentijs reduci potest eius vniuersalitas; Vtrùm scilicet debeat esse causa publica; an verò sufficiat priuata. De hac re fusè agit Suarez ea disput. sect. 4. Nos breuiter dicimus, Si Indulgentia sit priuata, non requirere causam publicam, quia causa accommodatur Indulgentiæ; & ita praxis est Pontificum, quæ non potest absolutè reprehendi, concedere priuatis personis ob priuata merita Indulgentias. Quòd si Indulgentia sit pro tota Ecclesia, requirit causam aliquam vniuersalem, id est quæ planè totam concernat Ecclesiam, vel certè aliquam magnam Prouinciam Ecclesiæ: sæpè enim ab vnius prouinciæ bono pendet pax & tranquillitas totius Ecclesiæ; eodem modo ob merita vnius personæ particularis, quæ toti Ecclesiæ valdè est necessaria, dantur Indulgentiæ toti Ecclesiæ; vti facere solent Pontifices post electionem suam, vt Deus dignetur ipsos dirigere ad administrationem perfectam Ecclesiæ in quibus casibus semper tandem ea causa refertur ad bonum vniuersale.

Dices cum Soto (qui opinatur non posse concedi Indulgentiam vllam; nec quidem priuatæ personæ, nisi ob publicam causam) thesaurus Ecclesiæ est communis, ergo non debet vni applicari ob priuatam commoditatem. Respondeo, Argumentum in multis peccare; Primò, quia cùm thesaurus hic sit infinitus, neque exhauriri possit, parum obest, aut omnino nihil, reliquæ communitati, quòd hic particulari ex illo aliquid etiam ob priuatam causam detur: neque enim ideò minus manebit, quod reliquis possit distribui. Secundò, Argumentum ideò peccat, quia cùm communitas nihil aliud sit quàm Petrus, Paulus, Ioannes, &c. si Petro dentur priuatæ Indulgentiæ, & Paulo priuatæ, redundabit eo ipso in bonum totius communitatis. Tertiò (quod benè notat Suarez) thesaurus esto sit in ordine ad bonum communitatis, non est tamen sub dominio communitatis, sed Pontificis, qui habet potestatem & toti cōmunitati & partibus communitatis illum dispensandi, prout necessitas & ratio exigit; vti qui habet ærarium publicum, vt inde ciuitati prouideat, non solùm potest toti communitati, sed etiam vni particulari ciui indigenti prospicere. Aduerto ad hoc, vt causa aliqua sit honesta in ordine ad concedendas Indulgentias non requiri, eam esse omnino spiritualem, sed sufficere temporalem, quæ quodammodò ordinetur ad spiritualem; vt sit

Sufficit causa temporalis ad dandas Indulgentias, modò habeat respectum aliquē ad spirituale.

vg.

v.g esset vniuersalis aliqua pestis, fames, siccitas, potest concedi Iubileum ad incitandos homines, vt Deum suis precibus placent: similia enim Ecclesia petit in Sacro & alijs orationibus: & Diuus Gregorius ob auertendam pestem instituit Litanias; ergo ad excitandos homines vt id à Deo petant, & ad reddendos illos magis dispositos ad id obtinendum per confessionem & Communionem, potest iure merito Pontifex concedere Iubileum.

SVBSECTIO TERTIA.

De personis quæ possunt concedere Indulgentias.

13 ET quidem posse à Papa concedi est extra omne dubium; quia ille est summus Pastor, cui oues sunt commissæ; ac proinde ad illum spectat eas pascere, &c. hoc supposito, Primò quæritur; Vtrùm ea etiam potestas sit in Concilio generali. Quæstio hæc duplex est: Prima, An sit in eo de iure Diuino & independenter à Papa ea facultas: Secunda, An saltem de iure humano à Papa sit ei concessa. De hac quæstione benè Pater Suarez disput. 55. sect. 1. Res meo iudicio valdè est clara suppositis his quæ alibi tradi solent. Suppono enim Concilium non esse supra Papam; Secundò, non habite auctoritatem vllam iure Diuino, quia tale ius non potest vel apparenter ostendi; & tota potestas regendi Ecclesiam est data Petro, & successoribus; nam regimen Ecclesiæ est purè Monarchicum. Vnde in tantum aliquod Concilium est legitimum, & habet auctoritatem decidendi aut ferendi leges, in quantum est congregatum auctoritate Pontificis. eique per se vel per suos Legatos Pontifex præsidet. Ac proinde sine fundamento discurrunt aliqui apud Suarez nnmero 3. qui Concilio generali eam potestatem tribuunt ex iure Diuino. Secundò dico, Quòd ex aliquo iure humano sit à Pontificibus ea gratia illis concessa ostendi nullatenus potest; ac proinde dicimus non habere talem potestatem, nisi fortè specialiter aliquando sit alicui Concilio facta, de quo non constat; vti etiam non constat, quam facultatem soleat Pontifex concedere suis Legatis, dum ad præsidendum Concilio eos mittit.

Concilium non habet ius dandi Indulgentias.

Dices: Concilium Basileense Sessione 24. concessit aliquas Indulgentias. Respondeo, Inde nihil probari, quia id potuit facere ex aliqua speciali commissione facta Legatis Pontificis qui aderant; quòd verò, quando idem Concilium fuit Schismaticum, concesserit Indulgentias, non probat id validè aut iure factum; vti idem Concilium sibi vsurpauit auctoritatem supra Papam: Fateor, Nicolaum Quintum posteà eadem Indulgentias confirmasse, aut potiùs Primò fecisse validas; quia cùm res in se fuisset bona, placuit Pontifici supplere defectum potestatis ad maiorem vnionem cum his qui fuerant in eo Concilio.

14 Dices; Saltem Sede vacante habebit Concilium hanc potestatem, quia illud succedit loco Pontificis. Nego sequelam, quia Concilium non habet aliud ius quam in ordine ad eligendum Pontificem, imò neque hoc, quia ad solos Cardinales id spectat; si quæ verò negotia occurrant, quæ debean tnecessariò tunc determinari fortasse poterit id Concilium præstare; concessio autem Indulgentiarum non est talis; patitur enim longiores etiam moras.

Secundò potest quæri de Episcopis, Vtrùm habeant eam potestatem ex iure Diuino. Ita opinantur quidam à Patre Suarez citati sect. 1. quia iurisdictio Episcoporum est de iure Diuino; huic autem est annexa potestas concedendi Indulgentias. Confirmatur, quia iuxta nonnullorum doctrinam, quidquid Pontifex potest in vniuersa Ecclesia, potest etiam quilibet Episcopus in suo Episcopatu. Contraria tamen sententia, quam Suarez eo loco defendit, est communis & verior: Pro qua aduerte, etiamsi Episcopi dicantur esse de iure Diuino, id tamen intelligendum, quòd Christus instituerit gradum Episcoporum & Presbyterorum, Diacoporum & Subdiaconorum, non tamen quòd illis immediatè ipse Christus dederit aliquam potestatem, sed quòd obligauerit Pontificem, vt per Episcopos Ecclesiam gubernaret, & consequenter vt illis det auctoritatem ad hanc gubernationem necessariam; qualis est potestas ferendi leges, absoluendi à peccatis, excommunicandi, &c, quam tamen ita dare tenetur Pontifex, vt illam possit ipsas ob causas magis minúsve coarctare. In hoc sensu non debet includi potestas concedendi Indulgentias, 15 quia hæc non est per se ne cessaria ad Episcopatus, administrationem; nam cùm sit res minoris momenti, & non tangat substantiam salutis æternæ, neque politicam exteriorem administrationem, non videtur Christus obligasse Pontificem ad eam potestatem concedendam Episcopis; ideoque neque debet eo sensu dici de iure Diuino. Vnde Clemens Sextus in Extrauaganti *vnigenitus*, de pœnitentia & remissione clarè dicit, soli Petro eiusque successoribus concessum esse hunc thesaurum Fidelibus distribuendum. Vbi obserue non dixisse Papam, Datum esse Petro hunc thesaurum, vt ipse illum daret Episcopis, vt hi ipsum distribuerent, sed vt ipse Petrus eiusque successores illum distribuerent. Quòd autem dicebatur suprà, quemlibet Episcopum de iure Diuino posse in suo Episcopatu quidquid Pontifex in tota Ecclesia, est omnino falsum. Nam Pontifex potest in tota Ecclesia dare facultatem, vt simplex Sacerdos conferat Sacramentum Confirmationis; id autem Episcopus non potest in suo Episcopatu; & idem est de facultate ad concedendos Ordines: de qua inf. à. Vbi aduerto, Tannerum ea disput. 6. quæst. 8. num. 44. dicere, hanc potestatem esse penes Summum Pontificem & Episcopos, ac proinde penes Concilium Episcoporum, citarèque pro hac sententia Suarium: qui tamen contrariam planè tenet, scilicet eam potestetem solùm esse in Summo Pontifice, in Episcopis verò quatenus à Pontifice delegatur: docet etiam Suarez in Concilio Episcoporum nullam talé esse iurisdictionem, nisi eam delegatam, quam habet quilibet Episcopus.

Episcopus non habet ius dandi Indulgentias.

Non potest Episcopus in sua quidquid Pontifex in tota Ecclesia. Tanneri sententia contraria refellitur.

Addit Tannerus exigui momenti esse quæstionem illam, Vtrùm ea potestas sit de iure Diuino, nécne; & probabilius esse, eam esse de iure Diuino, sicuti aliæ iurisdictiones Episcoporum. Verùm & hoc mihi displicet, & quidem scire, Vtrùm Christus immediatè dederit Episcopis hanc iurisdictionem, an verò ex integro eam accipiant à Papa, non est res ad modum loquendi pertinens, aut parui momenti. Nam si dicamus esse de iure Diuino, tunc, eo ipso quòd Pontifex nihil velit limitare, esto positiuè è contrario nihil concedat, haberet Episcopus in sua Diœcesi potestatem concedendi etiam plenariam Indulgentiam, 16

dulgentiam, non minùs quàm Papa in tota Ecclesia, si autem dicamus id solùm esse de iure humano ex concessione Papæ, profectò esto hîc non resistat, si tamen non concedat positiuæ facultatem, nihil magis Episcopus poterit de Indulgentiis quàm ego. Vnde consequenter antequam de ea re quidquã vel pro, vel contra circa alios Episcopos decernunt Pontifices, nihil illi penitus, nec pro vnico die, de Indulgentiis potuêre concedere, iuxta nostram sententiam; potuêre autem & plenarias & omnes dare, iuxta cõtrariam sententiam Tanneri. Hæc autem diuersitas non est sanè de sola voce aut parui momenti. Quòd verò dicat esse de iure Diuino sicuti alias iurisdictiones, et amẽ displicet; quia esto de aliis admitti id debeat quia necessariæ sunt ad gubernationem Ecclesiæ etiam particularis; in hac tamen non habet locum, quia (vt paulò ante dixi) non est admodum necessaria ad eam gubernationem, neque dicenda est à Christo concessa sicut altera.

17 Secundò aduerto, Eum ideò negare Episcopis potestatem concedendi Indulgentias pro defunctis, quia non habent potestatem eas concedẽdi nisi suis subditis. In quo discursu vel minùs benè infert; vel certe supponit nostram sententia; Minùs benè infert, quia etiam Pontifex ipse non habet potestatem concedendi Indulgentias nisi suis subditis; & tamen potest concedere mediate defunctis, dando scilicet eas viuis, cum facultate illas applicandi defunctis, iuxta ea quæ diximus supra agentes de Indulgentiis pro defunctis; ergo, eò quòd Episcopi non habeant potestatem nisi concedendi subditis, non sequitur, eos posse pro defunctis, eumque ipse ex iure Diuino dicat, eodem modo competere Episcopis in sua Diœcesi sicut Papæ in tota Ecclesia; & aliunde non reperiatur positiua Papæ prohibitio, ne Episcopi eas concedant nisi suis subditis, cum licentia tamen, vt possint illas applicare pro defunctis; non video qua consequentia dicat, Episcopum non posse pro defunctis quia solùm potest viuis. Quòd si propterea dicat, ideò solis viuis posse ab Episcopis concedi Indulgentias, quia Summus Pontifex non eis dedit potestatem ita concedendi viuis, vt liberũ sit his etiam eas applicare pro defunctis, tunc optimè discurret; at iam ibi supponitur nostra tota doctrina, scilicet Episcopos non solùm pendere à Pontifice in hac iurisdictione, quatenus eam potest coarctare, esto sit eis immediatè concessa à Christo; sed quia planè nullam habent, nisi quam positiuè Papa eis concedit, quandoquidem in hoc casu, vbi nulla est positiua coarctatio Pontificis, vt dixi, nullam habent potestatem, quia nulla est positiua concessio. Vides ergo illum discursum vel nullum esse, vel in eo supponi nostram sententiam contradictoriam et, quam hic auctor eo loco insinuat.

18 Quidquid tamen sit de iure Diuino (vt ad rem redeamus) ex iure humano ordinario facta est Episcopis à Pontifice potestas concedendi Indulgentias cum magna tamen limitatione, scilicet in diuersis occasionibus Indulgentias quadraginta dierum; in Dedicatione Ecclesiæ Indulgentias vnius anni. Est etiam concessa ea facultas Episcopis non titularibus, sed iis qui iurisdictionem & subditos habent. Dixi hanc potestatem esse ordinariam; hinc enim sequitur eos posse eam alteri delegare.

Pontifex dedit limitatã potestatem Episcopis dandi Indulgentias.

Circa quæ Primò quæri potest, An eis sit data facultas concedendi Indulgentias pro defunctis. Respondetur negatiuè, quia concessio non sonat nisi pro viuis; non debent autem concessiones hæ magis extendi quàm sonant.

Secundò quæritur, An simul multi Episcopi possint vni personæ concedere multas quadragenas. Affirmat Paladanus apud Suarez, si vnus concedat ex delegatione alterius, & alter ex sua propria auctoritate. Melius tamen negat idem Suarez, quem sequitur Lugo; quia eo ipso quòd Episcopus non concedat nisi suo subdito Indulgẽtias, non potest alteri Episcopo delegare nisi suam vnicam potestatem; ergo alter, cui delegatur potestas, non poterit nisi eam vnicam quadragenam concedere, quam poterat delegans.

Tertiò quæritur, An Episcopus non solùm illicitè, sed etiam inualidè concedat vltra quadraginta dies. Respondeo, Cùm Episcopi à se non habeant potestatem concedendi Indulgentias (vt diximus) sed à Pontifice eam acceperint; profectò si hic solùm dedit pro quadraginta diebus, non poterunt illi nec licitè nec validè vltra dare; si tamen dederint, esto secundùm eum excessum non sit ea concessio valida, erit tamen vsque ad quadraginta dies, vt supra diximus; si Pontifex aliquando non habet cautam sufficientem pro ea magna Indulgentia quam concedit, hanc tamen esse validam ad quantitatem causæ.

19 Quartò quæritur, An possit Episcopus concedere Indulgentias extra suum territorium. Respondetur, Suis subditis posse, quia est actus iurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ; vnde potest pro subdito extra territorium existente assignare templum, quod visitando lucretur Indulgentias; quia hoc non est loco, sed subdito in tali loco Indulgentias concedere.

Non est opus cõsecratione, vt possit Episcopus dare Indulgentias.

Quintò quæritur, An pro hac concessione requiratur Episcopi consecratio. Respondetur negatiuè, quia est actus iurisdictionis, vt statim ad initium diximus, non debet tamen esse excommunicatus, quia tunc subtrahitur illi hæc potestas; debet præterea esse à Pontifice confirmatus; nam sola Electio non dat illi hanc iurisdictionem. Peccatum autem mortale non impedit hunc actum, imò neque illum facit peccaminosum; quia non apparet, vnde debeat esse necessaria gratia pro hac concessione.

Potest Archiepiscopus dare Indulgentias in Episcopatibus sibi subiectis.

Sextò quæritur, An sub nomine Episcopi intelligatur etiam Archiepiscopus. Respondeo In suo proprio Archiepiscopatu eum omnino intelligi, quia ibi est Episcopus, & quodammodo aliquid amplius; in aliis verò Episcopatibus tibi subditis potest esse aliqua ratio dubitandi. Nihilominùs cùm Honorius III. in cap. *Nostro*, de Pœnitentia & remissione, illis expressè hanc potestatem concedat, neque constet eam esse reuocatam, omnino asserendũ eos posse; & iuxta hunc sensum Archiepiscopus & Episcopus poterunt simul concedere eidem personæ duas quadragenas Indulgentiarum. Neque in eo textu sit vlla limitatio ad tempus, quo visitat alios Episcopatus. Aduerte tamen, Primatem nõ posse nisi in eis Episcopatibus quorum est Archiepiscopus. Vnde Toletanus v.g. esto sit Primas totius Hispaniæ, non tamen potest in tota Hispania, sed in Episcopatibus ei propriè subditis; quia Primati quà tali nullibi legitur facta ea concessio.

Circa Legatos Pontificis est etiam aliqua difficultas. Bene tamen docet Suarez Eos non intelligi

telligi absolutè nomine Episcopi aut Archiepiscopi: vnde ex eo quòd Episcopis sit ea facultas concessa non licet inferre, esse etiam concessam Legatis; sub proprio autem conceptu seu voce Legati in nullo textu habetur ea concessio; ac proinde non est eis tribuenda. Verùm quidem est, ordinarie, dum fiunt Legati, maximè à latere, dari simul eis hanc potestatem iuxta voluntatem Pontificis, de qua nos nunc nihil possumus determinare, quia habet casualem latitudinem.

Legati Pontificij & Cardinales non habent ordinariam potestatem dandi Indulgentias, nec Generales Ordinum.

20 Ob eamdem rationē Cardinales quà tales non censentur habere eam ordinariam potestatem, nisi specialiter Pontifex eis talem gratiam faceret; multò autem minùs eam habent Abbates & Generales Ordinum. Vbi quæri potest, An præscripta consuetudo in his inferioribus Prælatis sufficiat ad validè concedendas has Indulgentias. Respondeo, Vel ea consuetudo ortum trahit à concessione Summi Pontificis, vel non, si trahit, sine dubio valebit, non tamen quà consuetudo, sed quà ex concessione Papæ; si verò non trahit inde ortum, non potest sufficere, quia consuetudo licet possit excusare ab obligatione legis, non tamen potest efficere quòd Pontifex velit id, de quo ipse nihil cogitauit; si autem Pontifex nolit dare eas Indulgentias, profectò esto omnes alij conspirent, illæ non debebuntur; ergo. Hinc denique colligitur, multò minùs Parochos, & Sacerdotes ordinarios, habere eam potestatem ordinariam.

Quid concedant Prælati Ordinū illis, qui faciunt participes meritorum sui Ordinis

Hac occasione disput. Suar. sect. 2. quid concedant Prælati Religionum, quando aliquem faciunt participē meritorum Ordinis illis. Supponimus, quoad meritum gratiæ & gloriæ id non habere locum. Supponimus Secundò, per hoc non applicari illis a Prælato Religionis satisfactiones Religiosorum, quia hæc applicatio non potest fieri nisi ex voluntate ipsius operantis seu satisfacientis. Supponimus Tertiò, non esse in Religione aliquem thesaurum per modum Indulgentiarum, qui possit distribui inter Religiosos, & inter eos qui fiunt participes meritorum. His positis vix videtur restare aliqua vtilitas, quæ ex ea participatione proueniat; dicimus tamē eā esse quoad orationes; quæ in ea Religione fiunt; impetrant enim indirectè aliquid eis hominibus, quatenus Deus moueturſæpè de congruo speciali ratione ob meritaalicuius iusti ad benefaciendum illis, qui cum eo iusto sunt specialiter coniuncti: ergo eo ipso quòd sæcularis aliquis est specialiter Religiosis coniunctus, Deus propter merita eorum Religiosorum benefacit specialiter ei sæculari. De qua difficultate, vti de omnibus præcedentibus, circa personas quæ concedere possunt Indulgentias, vide Suarium ea sect. 2. vbi ea omnia fusè valdè & doctè discutit. Res est enim non magna indigens speculatione, ideò me ab illa breuitet expediui.

21 *Pontifex potest delegare potestatem dandi Indulgentias cuicumque:*

De his item, quibus potest hæc potestas delegari, disputat sect. 6. circa quod mihi in primis certum videtur Papā posse cuilibet dicere validè siue vir, siue fœmina ille sit; *Do tibi potestatem vt concedas cui velis, data sufficienti causa, & ceteris requisitis, Indulgentiam talem aut talem, aut prout tibi placuerit*; quia cùm ea concessio immediata, quæ deinde fiet, non sit actus ordinis Sacramentalis exigens aliquem specialem characterem aut consecrationem, & Pontifex immediatè per seipsum possit eam Indulgentiam concedere, poterit & per quamcumque personam.

Vnde addo, Si positiuum aliquod ius humanum non obstaret, etiam Episcopus, qui potest delegare hoc minus, posset hoc delegare sæculari; quia tamen sæculares sunt iure humano ab Ecclesiasticis muneribus, quale hoc est, exclusi, non potest Episcopus eam facultatem sæculari concedere, potest autem Sacerdoti simplici, Diacono, denique cuicumque Clerico. Pontifex autem qui illud ius humanum, quod solum obesse diximus, potest reuocare, potest etiam sæculari concedere facultatem dandi Indulgentias. Vbi tandem quæri potest, Cui de facto sit delegata ea potestas? Huic tamen nos respondere non possumus, quia res est facti, nec possumus scire gratias actuales, quas Pontifices faciunt ex sua voluntate huic aut illi personæ, huic aut illi Prouinciæ, Religioni, &c.

Non item Episcopus

SVBSECTIO QVARTA,

Sub qua forma debeant & soleant concedi Indulgentiæ.

CIrca modum seu formam, quà conceduntur Indulgentiæ, aliqui videntur requisiuisse determinata verba ad modum, quo pro Sacramentis sunt assignata à Christo. Verùm vno verbo respondemus; Quandoquidem Christus ipse in hac materia nihil penitus determinauit sufficere quodcumque vel verbum, vel scriptum, vel signum, quo Pontifex declarat suam mentem: si enim ab eo peto Indulgentiam plenariam pro morte, & ille capite annuat, hæc erit sufficientissima forma eam concedendi: & hoc ipsum dico, Quando Pontifex facit gratiam pro hora mortis, ita vt Confessarius concedat morituro Indulgentiam plenariam: sufficit enim tunc, si vel morituro ipsi, vel per se, vel altero pro illo eam petente, Confessarius vel verbo, vel capite, vel alio signo annuat; quod intelligendum est, nisi Pontifex in ea concessione determinasset aliquam formam, seu verba, sub quibus deberet à Confessario concedi: tunc enim necessariò deberet ea seruari, id tamen non solet vnquam Pontifex præscribere. Hinc constat à potiori sufficere, si Pontifex, aut quicumque alius potestatem habens concedendi Indulgentias, dicat, *Absoluo te*, volendo Indulgentiæ concessionem seu absolutionem à pœna Purgatorij denotare: id quod potest etiam intendere, quando dans Sacramentalem absolutionem dicit, intendens vtramque absolutionem significare per eas voces, *Absoluo te à peccatis*; quia non sola absolutio à culpa, sed etiam à pœna iure optimo dici potest absolutio à peccatis.

45 *Nulla est certa forma concessionis indulgentiæ.*

Difficilius est, An si pœnitens est oblitus petere eam absolutionem, & Confessarius nihil ea de re sciat, possitne tunc concedere eam Indulgentiam? Respondeo cum Patre Suario; Si Confessarius nihilominùs intendat absoluere etiam ab ea pœna, in quantum potest, seu casu quo possit, tunc reuerà absoluturum; quia re ipsâ habet eam potestatem, & verba sunt de se significatiua vtriusque absolutionis; cur ergo eam non concedet? Id constat manifestè in eo, qui esto nihil sciat, quòd possit baptizare validè, si tamen habeat intentionem faciendi quidquid potest, & applicet re ipsa veram materiam & formam, sine dubio baptizabit. Quòd si tamen Confessarius nec quidem sub ea conditone quidquam de Indulgentiis cogitet, procul dubio nihil concedet.

Ea

23 *An opus ſit ex terioro ſigno adeceſſitat Indulgentia.*

Ea nunc poſſet eſſe difficultas, Quod nec quidem videatur eſſe neceſſarium aliquod ſignum externum pro Indulgentiæ conceſſione. Cum enim non ſit actio Sacramentalis, nec aliunde probari poſſit cur non ſufficiat interior voluntas Pontificis, videtur omnino ea ſufficere, maximè cùm per ſolam applicationem interiorem meorum ſatisfactionum poſſim ego alterum liberare à pœna Purgatorij; cur ergo id ipſũ non poterit Pontifex efficere per ſolum actum interiorem? Confirmatur, quia ſaltem reſpectu ſui ipſius poteſt applicare Indulgentias per ſolam interiorem voluntatem; ad quid enim ſibi debet aliquid exteriùs dicere; cur ergo non poterit etiam reſpectu aliorum? Reſpondeo tamen, Id non poſſe fieri, & quidem ſi dicamus non concedi Indulgentiam, niſi quis accepter, rès eſt facilis; quia ad acceptandum requiritur priùs manifeſtatio voluntatis concedentis; ergo debent intervenire ſigna aliqua exteriora manifeſtãtia eam voluntatem. Independenter autem ab hoc argumento, quia fortaſſis aliquis diceret ſufficere, ſi acceptaturus Indulgentiã diceret, *Accepto, ſi tu mihi conceſſerũ*, & tunc per ſolam interiorem voluntatem concedentis poſſe concedi. Secundò argumentor: Quia circa hanc poteſtatem non debemus aliter diſcurrere quàm circa reliquas iuriſdictiones cõceſſas à Deo Põtifici: atqui omnes ferè illæ in ſuis actibus debent per ſigna exteriora completi, ſeu declarati: deinde omnes Auctores ſupponunt hoc ſolo modo eſſe conceſſam à Chriſto hanc poteſtatem: non eſt ergo nobis liberum aliter diſcurrere. Hinc ad rationes in contrarium allatas dicimus: ad primam, Eſto ea conceſſio non ſit actio Sacramentalis, ex voluntate tamen Chriſti requirere verba, quia ita ad rectum vſum illius poteſtatis neceſſarium eſt. Quod Secundò dicebatur, Non poſſe aliunde probari neceſſitatem eius ſigni, iam eſt refutatum. Ad inſtantiam de applicante ſatisfactionem pro alio facilè reſpondemus, Magnam eſſe di paritatem; Primò, quia Indulgentiæ non conceduntur niſi vel vniuerſaliter pro tota Eccleſia; & tunc maximè eſt neceſſarium, vt toti ei conſtet; poteſtque id facilè fieri per litteras à Pontifice per totam Eccleſiam miſſas: vel pro perſona priuata, quæ eas petit, & cui facilè poteſt declarari voluntas Pontificis.

Differentia inter applicat. ſuas ſatisfactiones alteri & concedent Indulgentias.

24 At applicatio priuata poteſt fieri à quocumque pro quocumque quantumuis diſtanti, vbi moraliter non poterat eſſe communicatio & ſignificatio meæ voluntatis. Secunda defferentia eſt, quòd hæc applicatio non ſit actus iuriſdictionis aut abſolutionis, qui debent fieri per verba, aut ſigna externa, ſed ſit applicatio à me facta Deo pro altero: quòd ſi hæ duæ differentiæ non ſufficiant, dic Deum non exegiſſe hanc exteriorem manifeſtationem pro ſatisfactione, Chriſtum verò eam exegiſſe pro cõcedendis Indulgentiis. Ad id quos vltimò dicebatur de Pontifice ſibi concedente Indulgentias reſpondetur, ibi per accidens non eſſe neceſſariam eam exteriorem locutionem, cùm idem ſit qui dat, & qui recipit.

Quomodo Pontifex poſſit dare Indulgentias pro hora mortis & per quæ poſſint applicari.

Vbi aduerte aliquando concedi etiam Indulgentias in futurũ, non requiſita vlla noua manifeſtatione: vt cùm Pontifex concedit alicui Indulgentiam plenariam pro hora mortis, non petendo vt ea conferatur ab alio, v.g. à Confeſſario, Ego autem caſu præter manifeſtationem factam tunc temporis, quando eam conceſſit Pontifex, non eſt deinde vlla alia neceſſaria, ſed poſita conditione mortis immediatè confertur Indulgentia.

Dices, Pontifex non habet poteſtatem concedendi immediatè Indulgentias defunctis; atqui in ipſo puncto mortis iam ille, cui conceſſa dicitur, eſt defunctus, & extra iuriſdictionem Pontificis: ergo non poteſt ei immediatè concedi Indulgentia, Reſpondeo, Dupliciter poſſe eam concedi. Primò pro eo inſtanti aut momento ante mortem, in quo ea naturaliter ſit futura, quia reuerà iam illud inſtans dici poteſt mortis; Secundò, Etiam poſſe admitti, eam applicationem immediatè fieri ipſo inſtanti mortis; Pontificem autem tunc non concedere Indulgentiam mortuo, ſed conceſſiſſe viuo & ſubdito, dependenter tamen à conditione futura: vnde nihil aſſerimus contra ea quæ ſuprà diximus, ſcilicet non poſſe Pontificem concedere Indulgentias mortuis. Ex his ſolutionibus prior mihi magis placet, quia magis ſaluat iuriſdictionem Papæ in hominem illum, cui confertur Indulgentia.

25 *Quis intelligatur nomine Confeſſarij pro Indulgentiis impertiẽdis hora mortis.*

Circa quam Indulgentiam pro hora mortis quæri poteſt, An ſi abſit Confeſſarius, poſſit eam cõferre alius ſimplex Sacerdos, aut etiam laicus? Nonnulli (quos refert Diana Tomo 1 Tractatu de Bulla Cruciatæ, reſolutione 104) affirmant id quod approbat ipſe quoad Indulgentiam Bullæ Cruciatæ. Verum in hac nullum eſt myſterium, quia Pontifex in Bulla non dat Indulgentiam vt per tertiam perſonam conferendam, ſed præmiſſa cõfeſſione eam immediatè cõcedit ipſe Pontifex, ergo ibi nec laicus nec Confeſſarius eſt neceſſarius. Iudico in hoc puncto debere conſiderari verba conceſſionis Papæ; nam ſi ille dixit, Concedo tibi vt Confeſſarius in hora mortis conferat tibi Indulgentiam plenariam, tunc ſine dubio nõ poterit à laico neque à Diacono concedi; poteſt tamen dubitari, an tunc requiratur ipſe proprius Confeſſarius, an è contrario alius Sacerdos, etiam cui infirmus non eſt confeſſus, eam concedere valeat. Reſpondeo, Si indultum dicat, *vt ſuo Confeſſario*, procul dubio poterit eam dare, niſi ille cui vel tunc confitetur, vel qui erat ordinarius Confeſſarius nam hic etiam intelligitur ſine dubio nomine Confeſſarij: ſi autem ſolùm dicat *à Confeſſario*, poteſt intelligi quicumque ex approbatis, quia verè ille eſt Confeſſarius Semper tamen, vt dixi, attendenda ſunt verba indulti, ſeu conceſſionis Pontificiæ, & præcisè vt ſonant interpretanda. Cùm enim res tota pendeat à voluntate illius, & iã hoc modo iam illo concedat eam Indulgentiam, non poſſumus nos regulam generalem pro omnibus tradere, multò minùs in particulari eas diſcutere; hoc ſolum vniuerſaliter dici poteſt, eſſe contra ſtylum Curiæ, & contra mẽtem Põtificis, vt per ſæculares ea gratia communicetur; quia non ſolent hæ res ſpirituales illis committi, nec quidem tamquam inſtrumento.

SECTIO II.

Quomodo ſit interpretanda conceſſio Indulgentiæ.

QVIA aliquando cõceſſio Indulgentiæ non adeò claris traditur verbis, vt non patiatur 26

explica-

explicationes laxiores, aut è contrario rigidiores, quærimus, An debeat fauorabili, an ſtrict iure explicari; De hac quæſtione agit fusè Suarez diſput. 56. ſect. 2 putatque eam eſſe valdè difficilem, ideò vix ſe in vllam partem reſoluit, ac tandem vtitur diſtinctione; ait ergo facultatem concedendi Indulgentiam eſſe ſtricti iuris, ideoque rigorosè interpretandam, ipſam tamen actualem conceſſionem Indulgentiarũ ſuppoſita poteſtate concedentis debere latiſſimè explicari; quia eſt fauor Principis, & nemini eſt nocuus. Ergo tamen (vt verum fatear) nec tantum hic video myſterium, nec neceſſariam iudico eam Patris Suarez diſtinctionem, & quidem, ſi loquamur de ipſa poteſtate concedendi, ego non capio, cur debeat dixi odioſa; cùm poteſtas aliqua non poſſit in ſe dici odioſa, aut fauorabilis, niſi ratione actus, ad quem ordinatur; ſi hic ſit odioſus, illa dicitur odioſa, fauorabilis, ſi hic ſit fauorabilis; ergo cùm ipſe Suarez admittat actualem conceſſionem Indulgentiarũ eſſe fauorabilem, profectò & ipſa poteſtas concedendi eas Indulgentias erit fauorabilis. Ratio item à priori eſt clara, quia quod Chriſtus Dominus dederit ſuo Vicario in terris facultatem concedendi Indulgentias, fuit inſignis fauor & ſingulare beneficium toti Eccleſiæ collatũ; nec video, cur debeat vllo prorſus modo dici odioſus, ſicut poteſtas quam fecit, vt per abſolutionem Sacramẽtalem cum ſola attritione remittatur mortale; (quod alioquin, ſi Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet, requireret contritionem quæ eſt valdè difficilis;) profectò magnus eſt fauor, eſto, qua parte eſt neceſſarium alteri manifeſtare ſua peccata, habeat aliquid de odio; hoc tamen ſit extra intentum noſtrum, quia non agimus de hac obligatione, ſed de facilitate per attritionem obtinendi remiſſionem mortalis. Vnde ſi etiam ab eo puncto volumus abſtrahere, poſſumus fortiorem inſtantiam adferre ex aliis Sacramentis, quibus tribuit idem Chriſtus vim cauſſandi gratiam ex opere operato Euchariſtiæ, Extremæ Vnctioni, Baptiſmo, &c.

Facultas concedendi Indulgentias eſt fauorabilis, non ſtricti iuris.

27 *Soluuntur obiectiones.*

Quod verò obiiciebatur contra facultatem concedendi Indulgentias, ſcilicet poſſe per eam eneruari pœnitentias Sacramentales, patitur inſtantiã claram ex dictis de Sacramentis; nam etiam ea vis cauſſandi gratiam poſſet fortaſſe reddere homines valdè ſegnes in procurando augmento gratiæ per opera bona, quandoquidem eam poſſunt agere ex opere operato per Sacramenta; & tamen non propterea vllus vmquam dixit eam inſtitutionem Sacramentorum eſſe odioſam. Ratio à priori, cur non debet ex hoc capite ea facultas dici odioſa, eſt, quòd nihil planè ſit in rerum natura, quantumuis magnum bonum conferat, quod non poſſit per accidens eſſe occaſio mali alicuius; non tamẽ ideò debent omnes omnino res, omnia beneficia, &c. dici odioſa & ſtrictè explicari. Secundò, Ea ratio de relaxatione diſciplinæ, &c. non eſt ad rem: quia ſi aliquam haberet vim, magis directè oſtenderet ipſam conceſſionem Indulgentiæ eſſe odioſam; nam diſciplina non relaxatur, nec pœnitentiæ Sacramentales diminuuntur per facultatem Indulgentiam concedendi, ſed per ipſam conceſſionem: & huc facit quod anteà dicebam, non poſſe vocari odioſam facultatem, niſi actus illius ſit odioſus.

Vt verò vlteriùs conſtet gratis de hac poteſtate diſputari, aduerte, poſſe non loqui vel de Pontifice qui habet eam poteſtatem à Chriſto, vel de aliis quibus eam ille delegat; (nam in ſententia Suarez, quam & nos vt veram defendimus, ſolus Papa habeat ordinaria eam facultatem:) ſi loquamur de Papa ipſo, ſeu de poteſtate quæ eſt in ipſo, planè inutiliter quærimus, an ſit reſtringenda, an amplianda, quia apud omnes eſt certum, cum habere ampliſſimam ad dandas quaſcumque Indulgentias, dummodò adſit cauſſa ſufficiens: ſi verò loquamur de Epiſcopis, & aliis, quibus concedere eam ſolet ipſe Pontifex, ſeu quibus de iure eſt conceſſa, etiam videtur mihi non valdè, imò forte nullo modo neceſſaria ea quæſtio; quia in Epiſcopis iã conſtat quos limites habeat ea poteſtas, ſcilicet ad concedendum in Dedicatione Eccleſiæ vnum annum, aliàs verò quadraginta tantùm dies. De his autem, quibus concedit caſualiter Pontifex ſimilem aliquam poteſtatem, vix poſſumus aliud dicere, quàm eam intelligendã iuxta ſenſum verborum. Et verò in hoc puncto hæc conceſſio cùm ſit fauor Principis, & ipſe habeat poteſtatem cõcedendi etiam latiſſimè tales Indulgentias, voluntas autem concedendi ſemper debet laxiſſimè explicari (ipſo Suario teſte n. 8.) dicendum omnino videtur, eam conceſſionem Epiſcopis factã debere laxè accipi. Denique totũ hoc (ſiue de poteſtate, ſiue de ipſa cõceſſione loquamur) non eſt magni momenti; quia facillimũ eſt ex verbis conceſſionis intelligere quid intendat Pontifex, & quid circa Indulgentias concedatur; ſit tamen occurrat aliquod dubium, & loc us ſit alicui explicationi, omnino potest laxè interpretandam, quia eſt fauor, non odium. Quòd autem per accidens inde poſſit ſequi aliqua relaxatio, non conſtituit hanc conceſſionem in ratione odioſæ, qui a (vti paulò antè diximus) vix eſt poſſibilis fauor vllus, ex quo non poſſit per accidens oriri aliquod inconueniens.

28 *In dubio Indulgentiæ ſunt laxè explicandæ, quia fauorabiles.*

Hinc deciditur alia quæſtio, quam ſectione 3. tractat Suarez, Vtrùm Indulgentia tantum valeat quantum ſonat; id eſt, ſi dicit *Indulgentiam plenariam*, valeat ad plenariam remiſſionem; ſi dicit viginti dies, valeat ad viginti dies, &c. In quo puncto aliqui Catholici ſatis audacter has conceſſiones reprehendunt. Nos ex hucuſque dictis aſſerimus, ſi cauſſa ſit ſufficiens, omnino valere; quid autem per illos dies & annos intelligatur explicuimus ſuprà. Dixi, *ſi adſit cauſſa*; neque enim aſſerimus, numquam in hac re facti poſſe Pontificem errare excedendo in eà cõceſſione; interim tamen quamdiu apertè no conſtat de nullitate conceſſionis, ſemper eſt præſumendum cauſſam eſſe ſufficientem; & ſaltem tunc ſi ſecundùm totam ſuam latitudinem non valuerint Indulgentiæ, valebunt, quantum cauſſæ magnitudo poſſit, vt inſinuatum eſt ſuperiùs.

SECTIO III.

De duratione & ceſſatione Indulgentiarum.

HÆc eſt vltima difficultas circa Indulgentias. In quo puncto Primò certum eſt, ſi Pontifex concedat Indulgentiam in perpetuum, illam eſſe perpetuam, ita tamen, vt vel per ipſum Pontificem, vel per alterum ſucceſſorem poſſit tolli; quia tales donationes ſemper ſunt reuocabiles: & verò re ipſa paſſim Pontifices reuocant eiuſmodi

29 *Poteſt Pontifex Indulgentias pro arbitrio reuocare, etiam perpetuas.*

eiusmodi concessiones Indulgentiarum in perpetuum; aliàs autem ad tempus reuocant, etiam antequam illud tempus elabatur, in quo est eadem ratio quæ in reuocatione perpetuarum. Secundò certum est, si Indulgentia est ad annum tantùm, non durare vltra; & eodem modo discurrendum de qualibet maiori minoriue duratione, quia hæc omnia pendent à voluntate concedentis, ideò sicut ad alios effectus Indulgentiæ, ita ad hunc considerandæ maximè sunt verba concedentis. Quod dico de concessione ipsarum Indulgentiarum, dixerim eodem modo de concessione facultatis ad largiendas Indulgentias, quia etiam hæc ipsa potestas dari potest vel ad tempus, vel in perpetuum; vti Episcopis data est illa, quam diximus, facultas in perpetuum: potest tamen Pontifex illam ipsam auferre, aut magis coarctare, quia semper potest reuocare eam suam concessionem circa Indulgentias: hæc enim materia non est talis, in qua ita transfertur dominium, vt non possit postea reuocari ab eo, qui illud concessit. Iam posset in dubium verti, quam durationem habeant Indulgentiæ plenariæ, quæ concedi solent templis aut sacellis: verùm hoc non potest à nobis decidi; est enim res pendens à voluntate Pontificis, & respicit casus particulares, qui non sunt nobis noti: variè enim concedi solent; iam his temporibus ordinariè ad quinquennium tantùm conceduntur, quo elapso debet peti earum confirmatio noua: quando tamen conceduntur sine vlla restrictione (vt quæ Religionibus aut communitatibus concedi solent) censentur esse perpetuæ, nisi aliqua sit generalis regula in contrarium, quæ comprehendat sua limitatione etiam illas, quæ alioquin non habent in sua concessione verba limitantia. An autem Indulgentia concessa alicui loco possit eodem die bis aut saltem singulis diebus obtineri, diximus suprà.

30 Circa cessationem autem è contrario earumdem Indulgentiarum certum est, quando concessæ sunt ad certum tempus, & hoc elabitur, eas cessare: in quo puncto nulla potest esse ratio dubitandi: hæc autem cessatio potest dici quasi ab intrinseco ex natura ipsius Indulgentiæ. Difficultas ergo est circa cessationem ab extrinseco ratione causæ ipsius aut motiui, ob quod datæ sunt: in quo puncto prima difficultas est, An illæ pereant per solam mortem concedentis. Certa & communis etiam apud vulgares homines doctrina est, non perire; quia sufficit voluntas præcedens non retractata, vti in aliis concessionibus & in ipsis etiam legibus: quæ doctrina maximè habet locum in Indulgentia concessa à Pontifice, qui non habet vllum à quo limitetur ea concessio, nisi subsequens Pontifex illâ reuocet in aliis autem inferioribus, v. g. Episcopis, quia potest Pontifex, dum eis facultatem concedit limitare illam, vt non possint concedere nisi vsque ad suam mortem, maior est ratio dubitandi; nihilominùs si eam non limitauit, debent censeri posse absolutè sine restrictione concedere Indulgentias: quia cùm ex se Indulgentia non habeat hanc limitationem, non debemus eam adstruere sine sufficienti causa, qualem pro eo casu non habemus.

Indulgentia non cessans morientc eo qui concessit.

Positiue Indulgentia semel concessa sine causa licitè reuocari.

Secundum dubium est circa cessationem per reuocationem concedentis aut successoris, qui est æqualis potestatis, An sine causa possit validè reuocari. Cui respondeo Posse, quia non est ibi propriè translatum vllum dominium, vt paulò antè diximus, quòdque ampliùs non pendeat à voluntate concedentis, sicut quando dono Petro pallium, licet ea donatio in fieri pendeat à mea voluntate, in conseruari tamen nullo modo, concessio Indulgentiæ talis non est, sed semper dicitur pendere à voluntate concedentis.

Tertia difficultas. An saltem illicitè reuocetur Indulgentia, quando fit sine vlla causa. Aliqui apud Suarium dicunt, Non posse licitè sine causa reuocari, quia ostenderet Pontifex aliquam leuitatem animi. Ipse verò Suarez dicit, Per se 31
id posse fieri sine peccato, nisi quando sequeretur scandalum ex ea reuocatione, vel quando concessio est facta cum promissione non reuocandi Indulgentiam: vel denique quando ea Indulgentia censetur valdè proficua & nullum è contrario nocumentum adfert. Quòd si dicas, Hæc ratio etiam probat, concedentem non potuisse ab initio non concedere eam Indulgentiam, si idem fructus sperabatur; respondet negando paritatem, quia ante inchoatam Indulgentiam fructus ille solùm poterat esse in spe, ac proinde valdè incertus: iam autem est notus, ideòque non debet sine causa impediri. Quòd verò per se loquendo extra hos casus non requiratur ad reuocationem Indulgentiæ vlla causa (quæ erat prima pars sententiæ ipsius) probat inde: quia sicut potuit absq; vlla alia causa licitè ab initio negari, ita & posteà etiam licitè sine vlla noua causa poterit non conseruari, ergo & reuocari: quia hoc nihil aliud est quam eam non conseruari. Secundò: nam qui eam concessit, non se obligauit in perpetuum. Tertiò: quia per concessionem Indulgentiæ nullum ius est acquisitum in eo cui est concessa.

Ego tamen (vt verum fatear) aliquam habeo 32
in hoc puncto difficultatem: & verò non satis videtur esse sibi coherens hæc doctrina. Nam si Pontifex dedisset Indulgentiam præcisè ad viginti annos, sine dubio non teneretur sequens aut idem Pontifex elapso eo tempore eam rursus concedere ad alios viginti annos, etiamsi fructus & vtilitas illius esset maxima: & tamen tunc ea vtilitas non fuisset tantùm in spe (vt respondebat paulò superiùs Suarez, dum disparitatem inter concessam & concedendam voluit assignare:) ergo si non est licitum iam concessam vniuersaliter reuocare, profectò id non ex vtilitate debet colligi, quia iam probauimus in casu à nobis allato esse eamdem: debet ergo id reduci ad ipsam rationem præcedentis concessionis, vel certè ea limitatio Patris Suarez non traditur cõsequenter. Secundò, ea differentia, quòd in vno casu illa vtilitas percipiatur, in altero verò sit solùm in spe, non sufficit ad rem præsentem: quia etiamsi certus sit Pontifex de vtilitate futura; non tamen ideò obligatur ad dandam Indulgentiam: ergo ex hoc capite neque ad non reuocandam. Præterea habet difficultatem ratio eiusdem Auctoris inde desumpta, quòd hæc collatio ab initio fuerit beneficium gratuitum, ac proinde semper possit reuocari, Etenim etiam quòd Pontifex v. g. fecerit aliquem Cardinalem fuit ab initio beneficium gratuitum & tamen nemo ideò dicet, posteà licitè sine vlla prorsus causa posse eum deponi ex Cardinalatu: ergo ea ratio secundùm se sumpta non est efficax.

Omnibus ergo pensatis magis propendeo in 33
sententiam priorem: quia reuera in iis concessionibus esto non acquiratur illud ius, quod in donationibus rerum temporalium, ratione cuius

Decidituc quæ lio negatiud.

posteà reuocari nec quidem validè potest ea donatio, aliquod tamen ius acquiritur: omnis enim donatio aliquod ius dat: eius autem iuris violatio sine causa aliquam habet in se indecentiam: Confirmo & explico ex ipsius Suarez doctrina, ait enim, Si Pontifex promisit se non reuocaturum, non posse reuocare; vnde sic argumentor, Quando Indulgentia est concessa absolutè, habet ex se vim durandi in perpetuum: ergo supponit voluntatem in concedente de hac perpetua duratione: nam sine tali voluntate non posset sequi ea perpetuitas: atqui eo ipso quòd cum hac voluntate dat Indulgentiam, implicitè dicit, *Do tibi hanc in perpetuum*: ibi autem rursus includitur voluntas non reuocandi in perpetuum: ergo saltem ex hoc capite ea reuocatio non est licita. Argumenta autem Suarez non vrgent, quia multa possunt omitti initio licitè sine vlla alia causa: quæ tamen postquam inchoata sunt, non debent reuocari: vt in Legibus patet: possunt enim sæpè omitti: eas autem iam latas reuocare non licet. Vbi aduerte hoc maximè habere locum (id quod ipse Suarez benè fatetur) quãdo post promulgatam Indulgentiam iam ab aliis inchoatæ sunt conditiones quæ petuntur, v. g. ieiunia, & à fortiori iam est data eius intuitu tuitu magna eleëmosyna: eo enim casu esset grauis deceptio defraudare eum hominem fructu Indulgentiæ.

Diximus eam reuocationem non esse per se licitam: quæri nunc posset, An sit grauiter illicita. Respondeo, Non habere nos fundamentum vt in ea ponamus malitiam peccati mortalis, nisi fortè quando Pontifex per illas Indulgentias inuitasset ad graues sumptus: v. g. si Iubileum seu Indulgentiam concessisset euntibus contra Turcas ad bellum, & post factos sumptus, antequam illi lucrarentur Iubileum, illud reuocaret: illa enim esset valdè grauis deceptio, quæ fortè non posset à mortali excusari, nisi haberet animum refundendi sumptus: id quod tamen vix sufficeret ad excusationem.

SECTIO IV.

Quibus modis debeat ea reuocatio fieri.

34 CIRCA quod Primò quæritur, Vtrùm Indulgentiæ cessent eo ipso quòd reuocatio fiat v. g. Romæ, an verò tunc primùm, quando reuocatio venit in notitiam eorum quibus concessa erat Indulgentia. Communis sententia apud Suarez disput. 57. sect. 2. ait non cessare cuius fundamentum desumitur ex intentione Pontificis, de qua dicunt illi constare ex communi interpretatione Doctorum. Quam sententiam duobus modis Suarez intelligit: Primò, vt reuocatio nõ habeat locum, donec sit sufficienter promulgata, ita vt per se loquendo peruenire potuerit ad notitiam Prouinciæ, pro qua fit. In hoc autem sensu eam sententiam dicit Suarez maximè esse piam & consentaneam praxi Ecclesiæ. Alterum sensum tradit, vt nulli personæ in particulari noceat ea reuocatio, quousque illi in particulari innotescat: & hunc sensum ait maximè intendi ab Auctoribus communis sententiæ: quia illi ad reuocationem dicunt necessariò esse notitiam: promulgationem autem videntur censere non sufficere. Addit ille, optare se vt hæc sententia sit vera, quia pia est & fauorabilis:

Vt Indulgentia cesset per reuocationem, debet hæc sufficienter esse promulgata.

(quòd si hæc sit Pontificis voluntas, erit omnino vera, quia si Pontifex non vult eas Indulgentias cessare antequam mihi innotescat reuocatio, procul dubio non cessabunt;) putat tamen idem Auctor non posse sufficienter de ea voluntate Pontificis constare, cùm leges etiam irritantes habeant suum effectum postquam sufficienter sunt promulgatæ, etiamsi aliquæ personæ in particulari eas inuincibiliter ignorent; & tamen longè maiora incommoda sequi possint ex valore earum Legum irritantium quàm ex reuocatione Indulgentiarum, quia hic solùm sequitur quædam materialis deceptio inducens ad bonos actus. Hæc ratio mihi etiam placet, & confirmari vlteriùs potest, quia eam notitiam ad omnes in particulari peruenire est valdè difficile; ac proinde non debet exigi ad valorem reuocationis Pontificis. Vrgeo meo iudicio euidenter; si enim Indulgentiæ alicui templo concessæ reuocentur à Pontifice, & verò publicè ea reuocatio in ipsomet templo promulgetur, non videtur probabile, quòd si aliquis, qui abfuit vel ex ciuitate, vel ex templo, & de ea Indulgentiæ reuocatione casu nihil audiuit, possit tamen posteà singulis annis Indulgentias ibi lucrari, eò quòd ipsi non constet de reuocatione, quia neque ipse dubitat, & tamquam de re iam planè antiqua nihil alij loquuntur; ergo non requiritur ea notitia ad omnes omnino.

Non est tanti opus, vt reuocatio singulis innotescat.

35

Circa quod vlteriùs quæritur, An de plenitudine potestatis possit Pontifex per solum actum interiorem reuocare Indulgentias, ita vt nulla facta promulgatione exteriori impediatur effectus illarum. Affirmat Pater Suarez vbi suprà, Primò, quia efficacia Indulgentiæ pendet ex voluntate concedentis; Secundò, quia si exteriùs promittat Indulgentiam, interiùs autem non habeat animum, nihil efficit. ergo si exteriùs continuetur donatio, si tamen Pontifex interiùs non continuat animum, nihil etiam efficiet. Vnde, quòd aliqui in contrarium obiiciunt, solam interiorem donationem sine exteriori non valere; vnde inferunt, Ergo neque interior reuocatio sine exteriori valebit, ait ille non multùm vrgere; quia eo ipso quòd ad donationem duo requirantur, ablatio cuiuslibet efficiet ablationem donationis: malum enim ex quolibet defectu. Hanc sententiam Cardinalis Lugo disp. 27. num. 148. dicit sibi semper visam difficilem tum propter doctrinam generalem quam tradit Thomas Sanchez cum aliis lib. 3. de Matrimonio disp. 36. quòd licentia alicui concessa non reuocetur per solùm dissensum concedentis, tum quia valor Indulgentiæ non pendet ex voluntate præsenti, sed ex præterita legitimè intimata. Vnde etiam, quando mortuus est qui concessit Indulgentias, valor adhuc illarum durat non ob voluntatem illius nunc existentis, neque ob voluntatem successoris (vt indicat Suarez) quia antequam eligatur successor, adhuc durant Indulgentiæ: & fortassis electus successor de ea re non cogitat; ergo vt valor Indulgentiæ cesset, debet tolli causa præteritæ non per non-conseruationem, sed positiuè eam reuocando seu illius moralem perseuerantiam; hoc autem non videtur posse fieri nisi per actum externum: vti enim concessio quia est actus iurisdictionis visibilis, debet habere signum externum, ita reuocatio, quæ etiam est actus iurisdictionis, debet esse exterior.

An per solum actum interiorem possit Indulgentia reuocari.

36

Ego tamen adhuc iudico longè probabiliorem esse sententiã Patris Suar. quia reuerà, cùm

Decluditur quæstio affirmatiue.

concessio

concessio Indulgentiarum pendeat essentialiter à voluntate concedentis(non dico quòd illa sola voluntas sufficiat, sed quòd ab illa pendeat essentialiter) neque aliunde possit ostendi eum indigere exteriori publicatione ad voluntatem illam suam sufficienter retractandam,non video cur possimus eius potestatem in hoc puncto restringere,maximè cùm(teste Suarez supra)communis sententia pro nobis stet.Neque argumenta contraria multùm vrgent. Primum enim, quod ex Thoma Sanchez adfertur, non est ad rem; quia ibi Sanchez non agit nisi de licentia data ad assistendum loco Parochi pro matrimonio contrahendo, quam ait non reuocari antequam per nuntium expressum directum ad eam personam aut Parochum intimetur illi ea reuocatio;vnde ait Sanchez, Etiamsi aliunde constet Parocho de ea reuocatione, posse tamen adhuc assistere;nec pro ea sententia vllos alios ibi citat Auctores(vt ait Lugo)certum est autem, pro reuocatione Indulgentiarum non esse necessarium talem nuntium,sed sufficere si aliquis fide dignus mihi dicat se audiuisse eam reuocationem;ergo ea instantia nimis probat: quòd verò non sit efficax patet, quia non ostendit id esse necessarium omnino ex natura rei:potest enim in matrimonio ob grauissima inconuenientia, quæ inde sequerentur, requiri ea intimatio:fieri enim posset vt Parochus nesciens quidquam de reuocatione licentiæ assisteret bona fide, ideóque matrimonium censeretur validum, & cohabitarent inter se coniuges: posteà autem diceretur, *Iam tunc Roma erat reuocata licentia, ac proinde matrimonium est validum*: & tunc liceret marito vxorem relinquere, aut è contrario:non ergo fuit ibi expediens vt Pontifex ita faceret:fortasse tamen si vellet vti plenitudine potestatis,factum valeret.At in Indulgentiis nullum planè sequitur absurdum:quòd enim bono animo aliquis sit confessus,putans se lucraturum Iubileum, esto deinde illud non lucretur, nihil illi nocet magis, quàm si sciens se non lucraturum confessus fuisset:imò ea ignorantia illi prodest, quia fecit ex ea opus bonum, quod aliàs fortè non fecisset.

Cur facultas assistendi matrimonio specialiter reuocari debeat vt cesset,non item Indulgentia.

37

38

Secundum argumentum multò minùs obest, Imò nobis prodest. Nam si Indulgentiæ valor prouenit à voluntate præcedenti non retractata, profectò eo ipso quòd Pontifex dicat, *Nolo concedere*,seu, *Reuoco meam concessionem*,iam retractat suam voluntatem: quæ enim maior retractatio quàm contrarium omnino velle? fatemur ergo libentissimè huic Auctori, valorem Indulgentiæ non desumi à voluntate præcedenti nunc existente, seu durante physicè, neque à voluntate successoris: at non capio, quomodo non aduertit,aliud esse, non existere physicè antiquam voluntatem,aliud, eam per oppositam & contrariam retractari,vti ipse & omnes concedunt,si ego do famulo pecuniam vt det pauperibus,eo ipso quòd ego contrarium non velim,ea donatio est valida etiam me dormiente; non enim pendet à voluntate mea positiuè durante:at si ego interiùs retracto voluntatem antequam famulus eam det pauperibus, non est in rigore valida donatio.Ex quo capite hic Auctor (vt diximus suprà)docet, quando petitur eleëmosyna ad lucrandum Iubileum, non sufficere quòd dominus det famulo pecuniam illam distribuendam, sed debere priùs distribui: quia quamdiu non datur, semper dominus potest reuocare donationem:cur ergo idem non dicemus in præsenti materia? Respondebis hic quidem retractari voluntatem, non tamen sufficienter. Sed contrà, quia iam incumbit his Auctoribus ostendere, quòd sufficienter non retractetur:argumentum eorum erat, quòd non esset retractatio:retractationem iam ostendi & quidem ex genere suo summam, quæ est in opposita voluntate: cur autem sufficiens hic non sit,debet ab eis ostendi: id quod nequaquam præstatur, nec assignatur differentia inter hunc casum & eum de donatione pecuniæ pro danda eleëmosyna: vbi per solam interiorem voluntatem fit retractatio sufficiens.

39

Dices:Reuocatio est actus iurisdictionis externæ.Sed contrà,quia vel in hac solutione petitur principium, vel nihil dicitur: si enim per actum iurisdictionis externæ intelligatur actus, qui non possit fieri nisi per externam actionem, tunc assumitur id,de quo est tota quæstio:si verò dicatur ea reuocatio supponere necessariò iurisdictionem externam in eo qui concedit respectu concedentis,fatemur id libentissimè:at inde non infertur quidquam de necessitate reuocationis exterioris. Argumentum quod ex concessione sumitur, quæ non potest esse sine exteriori promulgatione,in primis solutum iam fuit à Patre Suario, vt paulò antè, dum eius sententiam proposui, ostendi.Secundò ei respondeo ex doctrina quam hic Auctor cum communi tradit; scilicet ideò necessariam esse ex parte lucrantis Indulgentiam acceptationem illius, quia esto sit actus iurisdictionis, est tamen iurisdictionis voluntariæ: vnde rectè sequitur esse necessariam exteriorem manifestationem, quia sine ea non potest interuenire acceptatio.Hinc argumentum retorqueo, claréque ostendo, eam rationem ex integro cessare in reuocatione Nam hæc reuocatio potest fieri omnino reluctante subdito:non enim est actus iurisdictionis voluntariæ: vnde licet Pontifex non possit Indulgentiam concedere nolenti,potest tamen illam omnino auferre summè reclamanti, summè inuito:non est ergo, cur debeat interuenire notitia ad valorem reuocationis.

Cur ad concessionem Indulgentiæ requiratur actus exterior non item ad reuocationem.

Dices fortè, In hoc discursu à me committi aliquam æquiuocationem:argumentor enim ab ipsa actuali Indulgentia ad potestatem lucrandi: Licet ergo nullus non volens possit actu obtinere Indulgentiam,facultas tamen eam obtinendi potest etiam inuito concedi: vnde etiamsi ego dicam, *Nolo acceptare potestatem lucrandi Iubileum*: si tamen mihi illam concedit Pontifex, semper erit mihi posteà liberum tempore assignato illud lucrari:ergo æqualiter concessio ac reuocatio est actus iurisdictionis non voluntariæ,ac proinde non benè inde assignari disparitatem.Respondeo, Meum argumentum esse adhuc optimum, quia Auctores, dum dicunt Indulgentiam essa actum voluntariæ iurisdictionis, vel loquuntur de concessione Indulgentiæ prout denotat facultatem obtinendi:& tunc clarissimè constat me rectè argumentatum. Nam si facultatis concessio est actus voluntariæ iurisdictionis profectò debet acceptari:vt autem acceptetur,debet esse promulgatio:eo autem sensu iam ostendi reuocationem non esse iurisdictionis voluntariæ, quia facultas Indulgentiæ obtinendæ potest auferri etiam ab inuito. Quòd si Auctores loquantur de ipso actu, quo lucror Indulgentiam tunc etiam stat mea sententia.Nam licet

40

Pontifex non possit efficere vt ille actu lucretur, si nolit, potest tamen efficere vt non lucretur, quantumuis ipse velit lucrari; semper ergo verum est, minùs pendere ab ipso lucrante quòd non lucretur, quàm quod lucretur, ac proinde non esse ita necessarium exteriorem scientiam ad reuocationem quàm ad concessionem.

SECTIO V.

Quomodo pereat Indulgentia ex defectu subiecti, aut per alteram Indulgentiam incompossibilem.

41 ALIVS modus, quo potest Indulgentia perire, est per destructionem rei cui est concessa, si templum v.g. aut sacellum, cui est concessa, diruatur, de quo diximus suprà nonnihil: quando tamen imaginibus aut crucibus conceditur ita, vt si amittatur possit alia loco amissæ substitui, verti potest in dubium; quid si postquam ego aliam loco amissæ substitui, inueniam amissam, retinebúntne ambæ Indulgentias, aut quæ ex illis? Cardinalis Lugo putat in sola ea quæ substituta est manere Indulgentias; quia verificata fuit conditio, vt ritè hæc secunda eligeretur; si autem ritè est electa, ergo cessauit prioris Indulgentia; quia in duabus manere non potuit: si autem cessauit, ergo non redijt; quia nullus eam restituit. Res est dubia, posset fortasse è contrario dici, solam priorem retinere benedictionem; quia illi fuit absolutè & simpliciter concessa, alteri secundum quid, &, vt sic dicam, per modum vicariæ, vnde altera redeunte vicariæ officium expirat. Quòd autem dicat Lugo verificatam conditionem ad electionem legitimam eius secundæ, est verissimum; oportet tamen aduertere, eam electionem legitimam fuisse, vt per modum vicariæ seu in absentia alterius valeret: vt si putatur Rex occisus, potest eligi legitimè alius, qui in absentia regat; at redeunte Rege cessat iam valor eius electionis, & Rex reddit ad officium seu dignitatem, quæ ipsius erat. Qui discursus est valdè rationi conformis, ac proinde magis absolutè propendeo in hanc partem; quia verò res est dubia, & bona opinio lucrantis Indulgentiam, non iuuabit, si interim in re ipsa altera opinio diuersa ab ea, quam ipse sequitur, est vera; ideò in tali casu suadendum est, vt retineat vtramque; quòd si secundò amittatur prima, tunc iterùm valebit ea quæ erat substituta. Nec debet tunc reputari noua substitutio, quia moraliter est eadem cum prima; vndè non licebit iam tunc aliam substituere loco prioris, quia non est data facultas ad substituendas duas, sed vnam tantùm.

Possitne misso numismati v. g. cum Indulgentijs aliud substitui? quid si deinde amissum reperiatur?

42 Quæres, An ea substitutio possit tunc fieri per solam interiorem voluntatem eligentis vnam imaginem loco alterius. Respondeo; Omnino posse; id quod non probo præcisè ea ratione, qua vtitur Lugo, quòd scilicet ille qui eligit non det propriè Indulgentiam, sed determinet materiam: vnde esto laico non detur facultas, vt possit concedere Indulgentias, datur tamen vt possit facere hanc determinationem vnius imaginis pro altera; ergo non est cur dicamus, ad eam designationem esse necessariam exteriorem actionem. Dico me non hac solùm ratione vti, quia esto ea esset actio concedendi propriè Indulgentiam, cùm tam sit respectu ejus lucraturi, non videtur vllo modo ibi necessaria exterior locutio aut signum; vnde si Papa pro se velit constituere aliquam imaginem aut numisma, vt orando ad illud obtineat Indulgentiam, non iudico vllo modo necessarium, illum id facere per verba vlla exteriora: quo enim quæso fundamento id dicemus? An facere volumus hanc electionem Sacramentum octauum, vt proinde debeat rebus vt materia, & verbis vt forma constare? non est ergo cur resolutio nostra restringatur ad hoc, quòd ea electio numismatis non sit datio Indulgentiæ.

An sustitutio illa fieri possit solo actu interno.

An cesset vna Indulgentia superueniente altera.

Quartò solet destrui Indulgentia per aduentum alterius, quando simul ambæ nòn possunt esse; vt si in die Dedicationis Ecclesiæ Episcopus concessit vnum annum Indulgentiæ, & Archiepiscopus aduenies concessit similem Indulgentiam, hæc secunda valebit priore extincta. Ita Corduba apud Suarez suprà; qui tamen benè ostendi exemplum hoc non esse ad rem, quia Archiepiscopus non habet potestatem tollendi iurisdictionem Episcopi ad concedendas Indulgentias; ac proinde si prior est validè concessa ab Episcopo, non potest Archiepiscopus eam reuocare; vnde tunc potiùs erit nulla concessio Archiepiscopi; ideò concludit Suarez, non posse habere locum hunc modum cessationis. Adhuc 43 tamen ego inuenio casum, in quo possit ea cessatio admitti; si v. g. vltra eum annum concederetur ratione Iubilei aduenientis, vel alio capite Indulgentia plenaria: tunc enim eo ipso quòd hæc obtineretur, cùm supra plenariam non sit possibilis maior, cessaret pro tali occasione illa prior. Video & hic posse esse aliquam difficultatem. Nam si tunc quis vellet priùs facere dili gentiam pro obtinenda priori Indulgentia minori, posset eam lucrari; ergo ea non perierat. Ideo ergo dixi; Si quis velit priùs lucrari plenariam, tunc non habituram locum alteram. Adhuc tamen dices; Etiam obtenta plenaria si quis aliqua venialia committeret, potest rursum eadem die illum annum lucrari. Respondeo, Habituram tunc locum nostram doctrinam, si ponamus casum, quo ille lucretur plenariam in vltimo puncto, quo poterat obtineri pro vno anno; tunc enim non esset locus huic vltimæ replicæ.

Quomodo cessent alia Indulgentia tempore anni Iubilei.

Ad hunc quartum modum posset reduci cessatio Indulgentiarum per annum Iubilei. Dico *posset*, quia reuerà non fit tunc ea cessatio per aduentum Indulgentiæ incompossibilis, sed quia Pontifex ipse intuitu Iubilei eas reuocat expressè; siue ergo reducatur ad hunc, siue ad alium, quæri potest, quomodo per annum Iubilei, vel etiam per Bullem Cruciatæ in locis vbi hæc conceditur, cessent aliæ Indulgentiæ. De hac quæstione agit fusè Tannerus ea disp. 6. quæ. 8. n. 104. & quidem in anno Iubilei 1625. hæc fuere verba Vrbani VIII. *Omnes & singulas Indulgentias quibusuis Ecclesijs, &c. Ordinibus, &c. tam secularibus quam quarumis etiam Mendicantium regularibus personis, coronisque, granis, &c. tam singulariter quam vniuersaliter per quoscumque Romanos Pontifices, aut etiam nos cum clausulis aut decretis, &c. concessas quorum omnium tenorem, formam, derogationem & decreta præsentibus pro expressis habere volumus, suspendimus, &c.*

Ex quibus Primò certum est, etiamsi Indulgentiæ firmatæ sint quibuslibet clausulis, eas tamen reuocari per eam Bullam, quæ harum clausularum mentionem facit, & opponit illis contrariam

trariam clausulam. Secundò certum est derogari pro omnibus eas Indulgentias, siue ire possint Romam, siue non; nam licet motiuum reuocationis sit, vt maior sit numerus accurrentium ad limina Apostolorum, reuocatio tamen est generalis, & omnes comprehendit, etiamsi in aliquibus non habeat locum ea potentia eundi Romam, vt in Monialibus, infirmis, &c. & eodem modo, etiamsi sint concessæ pro defunctis, Indulgentiæ cessant; nam & quæ sunt pro defunctis, conceduntur ipsis viuis, vt suprà diximus; hoc tamen anno 1650. Romæ decisum est, non perire quæ sunt pro defunctis. Tertiò certum est, etiamsi in aliquibus prioribus Bullis pro alijs annis Iubilei nó sint reuocatæ nisi plenariæ Indulgentiæ; quia tamen Vrbanus sine limitatione quascumque, etiam gratis concessas, reuocat, omnes eas iudicandas esse reuocatas; quia hæc reuocatio pendet à volũtate Pontificis, qui potest plus minùs reuocare quàm præcedentes: vnde argumentum ab vno ad alterum non valet, quando verba plus significant in vna quàm in altera Bulla. Neque obest quòd Vrbanus se referat ad exemplum suorum prædecessorum, quia non ideò illos in omnibus sequitur: imò ordinariè quilibet aliquid de suo addit aut demit, vt ostendant se parem habere cum illis potestatẽ.

45

Concludendum ergo ex his est, Omnes omnino Indulgentias eo anno cessare, seu (vt meliùs dicam) suspendi vsque ad annum eum elapsum, quando ex integro cessat motiuum reuocationis. Hoc tamen addendum, cùm in ea citata clausula anni Iubilei nihil prorsus dicatur de Indulgentijs concessis ab Episcopis, sed solùm à Summis Pontificibus, non debere has censeri reuocatas. Neque hic valet dicere; Pontificiæ, quæ sunt maioris firmitatis & auctoritatis, reuocantur: ergo à fortiori reuocentur aliæ ab Episcopis concessæ: hoc inquam non valet, quia his non attendimus nisi quid verba reuocent. Secundò, quia illæ datæ ab Episcopo sunt valdè exiguæ, ac proinde non reputantur moraliter obesse Pontificis intento pro anno Iubilei.

Anno Iubilei nõ cessãt Episcopales Indulgentiæ.

De Bulla Cruciatæ communiter docetur, per eam suspendi quidem omnes Indulgentias aliis concessas, exceptis Ordinibus mendicantibus quoad Religiosos: dicunt tamen, si in Ecclesia Mendicatium sit aliquod altare priuilegiatum, illud etiam priuari Indulgentia: quia tale priuilegium non est pro solis Religiosis, sed pro omnibus Sacerdotibus: vnde qui voluerit in eo altari animam liberare, debet habere Bullam Cruciatæ.

46

Cessétne tempore Iubilei anni facultas absoluẽdi à reseruatis.

Hac occasione quæri etiam solet, An per annum Iubilei & per eamdem Bullam Cruciatæ reuocetur facultas absoluendi à casibus reseruatis? Affirmat Emmanuel Rodriguez de anno Iubilei Tractatu de Bulla Cruciatæ §.12. in additione, dubio 6. Contrarium tamen est commune, vt videre licet apud Lugo disput. 20. num. 145, Vnde miror Tannerum formidolosè hanc ipsam sententiam tradere: fortasse non viderat ea quæ Romani intellexerunt. Dicimus ergo cum Sanchez, Henriquez, Villalobos apud Dianam Tomo 1. Tractatu de Bulla Cruciatæ, resolutione 100. cum Fillucio Tractatu 8. cap. 10. Benzonio (quem citat Lugo) Tannero & alijs, solùm reuocari eas facultates absoluendi à casibus reseruatis quæ sunt datæ in ordine ad Indulgentias consequendas: id quod expressè ex Bulla Gregorij XIII. pro anno 1585. constat, & licet pro anno 1600. in prima Bulla Clementis omissa fuerint ea verba, *Indulgentiarum causſa*: Clemens tamẽ ipse interrogatus dicitur respondisse, Se in eodem sensu locutum. Vnde secundò impressa est Bulla, addita rursus ea clausula; & licet eamdem omiserit Vrbanus Octauus pro anno 1625. interrogatus tamen etiam ipse postea dixit, se solùm locutum in sensu suorum prædecessorum; vnde addit Lugo, non fuisse ea de re Romæ ampliùs dubitatum. Idem etiam de Bulla Cruciatæ defendit ibi Lugo cum Emmanuele Rodriguez, Sanchez, Ledesma, Graffio, Ioanne de la Cruz & Diana; quia Bulla non tollit priuilegia concessa Ordinibus, sed Ecclesijs aut particularibus Monasterijs, Hospitalibus, &c. locis pijs, Vniuersitatibus, Confraternitatibus & personis particularib. Quam doctrinam tam de anno Iubilei quàm de Bulla Cruciatæ ait Lugo fuisse traditam à Patre Ioann. de Salas in expositione Bullæ Cruciatæ, quæ nõ est typis mãdata.

Sextus modus extinguendi Indulgentias est per renuntiationem illius cui est concessa. Verum iam suprà diximus, etiamsi posset quis non lucrari Indulgentiam, potentiam tamen eam lucrandi non posse reiicere, quia ea prouenit à liberali alterius voluntate, quâ durante semper manet in potestate eius, cui confertur Indulgentia, mutare suam voluntatem & illam lucrari. Quòd enim dicunt, tunc cessare, si concedens mutet suam voluntatem, non est ad rem; quia (vt benè Pater Suarez obseruat) hoc non est cessare per renuntiationẽ, sed quia qui concessit Indulgentiam eam iam reuocat visa voluntate alterius; cessat ergo tunc per reuocationem concedentis, non per renuntiationem.

47

Septimus & vltimus modus esse potest per cessationem causſæ. Verùm & hunc modum reiiciunt Auctores, quia si causſa prout tunc existebat, quando data est Indulgentia, fuit sufficiens vt hæc daretur ad annum, aut in perpetuum, Indulgentia durabit in annum, aut in perpetuum, esto causſa cesset ante finem anni, aut non duret in perpetuum. Quòd si causſa non fuit ad tam longum tempus sufficiens, etiamsi ea deinde semper duret, Indulgentia tamen non durabit nisi ad tempus illud, pro quo causſa fuit sufficiens; quia & temporalis causſa potest esse adeò grauis, vt sufficiat ad Indulgentiam perpetuam: & è contrario, etiamsi causſa perpetuò duret, potest esse adeò leuis, vt non nisi ad temporalem Indulgentiam sufficiat.

Cessante causſa non ideò cessat Indulgentia.

DISPVTATIO XXVIII.

De Indulgentijs pro defunctis.

EXPLICATIS his quæ spectant ad Indulgentias pro viuis, quibus maximè illæ concedi solent, iam de Indulgentis pro defunctis agendum erit.

SECTIO I.

Dari possunt tales Indulgentiæ, & variæ explicationes circa modum quo id fiat.

IN primo puncto tituli, quòd scilicet Indulgentiæ possint concedi pro defunctis, etsi nonnulli etiam Catholici apud Patrem Suarez disp. 53. sect. 1. n. 2. id negauerint; certa tamen & Catolica veritas est, posse Indulgentias prodesse defunctis. Quæ doctrina desumitur ex communi Ecclesiæ sensu & traditione & ex declaratione aliquorum Pontificum contra hæreticos id negantes. Id ipsum probat vlteriùs Suarez, eò quòd Indulgentias prodesse defunctis nihil aliud sit, quàm iustos per suffragia communicare defunctis suas satisfactiones; ergo sicut potest quis per modum suffragij defunctos in Purgatorio existentes iuuare, ita etiam poterit per Indulgentias. Hæc tamen ratio probat quidem, ex se hunc modum iuuandi defunctos possibilem esse; at cùm tota hæc facultas transferendi in alios satisfactiones proprias sit ex pura puta liberalitate Dei (vt suprà agentes de suffragijs diximus) non videtur rectè inferri, Cõcessit Deus, vt possimus alijs donare nostras satisfactiones; ergo concessit vt etiam possimus illis donare eas, quas per Indulgentias obtinemus: & verò re ipsa constat hanc consequentiam non esse bonam, quia non possumus alteri viuo eas Indulgentias concedere, imò neque defuncto, nisi Pontifex specialem nobis faciat ad id potestatem; ergo ex eo quòd nostras satisfactiones ex opere operantis possimus defunctis donare, & ex eo quòd quæ conceduntur per Indulgentias, quodam modo fiant nostræ, non colligitur sufficienter etiam has posse à nobis transferri in defunctos. Aliunde ergo debet probari, id nobis esse de facto possibile. Non video autem (vt verum fatear) aliud fundamentum, quàm id referre in puram putam Dei voluntatem, quam nouimus ex traditione & sensu Ecclesiæ, vt dixi; & licet olim hæc veritas (vti etiam aliæ multæ) non fuerit tam apertè & certò tradita, iam tamen post Pontificum definitiones omnino videtur esse de Fide. Neque obstat, quòd Christus solùm concesserit Pontifici facultatem ad pascendas oues proprias, hoc est, fideles adhuc viuentes, ex quo quodammodò videtur sequi, eum non habere facultatem concedendi Indulgentias defunctis, qui iam non sunt oues ipsius Pontificis; hoc inquam non obest; statim enim ostendemus, quomòdo hæc duo rectè cohæreant inter se.

2 *Vnde probetur dari posse Indulgentias defunctis.*

Pro quo tractanda est altera quæstio in titulo proposita, quomodo scilicet ea applicatio fiat. Duobus modis dicuntur concedi Indulgentiæ, Vno per modum absolutionis, altero per modum suffragij: primo modo conceduntur viuis, qui sunt sub iurisdictione adhuc Papæ; secundo verò modo defunctis. Nam licet non defuerint qui dixerint, Etiam defunctorum fidelium animas adhuc esse quoad aliquos actus sub iurisdictione Pontificis; id tamen communiter reiicitur quia reuerà Pontifex non præest nisi Ecclesiæ militanti. Vnde Diuus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 1. & alij Theologi apud Suarez sectione 2. docent, defunctis nõ nisi indirectè seu mediatè posse applicari Indulgentias; hoc autem quod hi vocant *mediatè*, recentiores Theologi dicunt per modum suffragij, non verò absolutionis vnde ipsimet Pontifices eas concedentes, quando loquuntur de defunctis, semper illas vocant suffragia. Hoc posito tota præsens difficultas est in explicatione eius diuersitatis.

Nonnulli ergo dicunt illam in eo consistere, quòd suffragia non sint infallibilia; Indulgentiæ verò pro viuis omnino certum habeant effectum. Ita apud Suarium sectione 3. dixit Caietanus; quem Sotus & Canus secuti sunt; videturque ipsa vox *suffragium* id significare; nam qui suffragatur alteri apud tertiam aliam personam, non continuò infallibiliter obtinet effectum, sicut è contrario ob inet qui alterum absoluit. Contraria tamen sententia, quam idem Suarez ibi defendit, est omnino certa 1 pro qua aliquos alios citat Tannerus disput. 6. quæst. 8. num. 91. Vbi tamen ex Bellarmino videtur tacitè insinuare, contrariam esse satis probabilem. Pro hac secunda etiam stat Lugo sectione 5. Probari autem potest cum Suario Primò; nam defectus infallibilitatis deberet oriri vel ex defectu pretij; hoc autem dici non potest, cùm sit idem pretium, quod offertur pro viuis: vel ex defectu potestatis in applicante, & hoc etiam dici non potest, cùm absolutè Christus promiserit Petro ea omnia fore in cælis soluta, quæ ipse soluerit in terris. Hæc tamen ratio mihi non probatur, quia iam suprà ostendimus, hanc potestatem Indulgentiarum non contineri eis verbis, *Quæcumque ligaueris, &c erunt ligata & in cælis*; alioquin contra ipsum Suarez sequeretur, Pontificem posse in animas Purgatorij exercere iurisdictionis actum, quod tamen ipse meritò negat: sequela verò probatur; nam si sub illis verbis, *Quæcumque ligaueris*, &c. defunctorum animæ includuntur, profectò cùm soluere & ligare sit actus iurisdictionis, necessariò in illas posset à Papa exerceri iurisdictio.

3 *An suffragia pro defunctis sint infallibilia.*

Matth. 16.

Et verò ipse Auctor paulò antè probauerat *ligare super terram* ità intelligi vt hi, in quos exerceatur ea potestas, sint in terra. Vnde ego infero; Ergo ibi non includitur facultas Indulgentiarum pro defunctis. Secundò probat eamdem veritatem Suarez, & cum ipso Cardinalis Lugo; nam seclusa infallibilitate nihil speciale haberet Pontifex præ alijs, qui etiam possunt orare Deum vt acceptet eas satisfactiones pro defunctis. Hoc argumentum in principijs Lugo & nostris bonum est; nam suprà ostendimus etiam per orationem posse nos iuuare animas. In doctrina verò Suarij id negantis, facilè posset assignari disparitas inter Pontificem & alios, quòd alij nullo modo id possint præstare non solùm infallibiliter, sed nec contingenter, Pontifex verò possit sæpè obtinendo effectum illum, licet non semper.

Meliùs ergo id probatur ab eodem Suario ex Bulla Leonis X. ad Caietanum; vbi inter alia hæc habentur: *Omnes tam viuos quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint: à tanta temporali pœna secundùm Diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessa &c. acquisita Indulgentia æquiualet.* Quibus verbis æqualiter defunctis ac viuis promittitur absolutè ea liberatio. Respondebit aliquis, Pontificem solùm dixisse, *Eum qui consecutus fuerit Indulgentiam esse liberandum*; non autem di-

4

xi

xit (vti debebat ad rem nostram dicere) *Omnes defunctos quibus Indulgentia applicantur liberari* Sed contra, quia vt Lugo benè notat, quando Pontifex dixit, *Omnes qui consequuntur Indulgentias liberari*, non loquitur in sensu obiectionis, hoc est, *Omnes qui consequuntur liberationem promissam in Indulgentijs liberantur*: id quod plane est identicum, ideoque omnino indignum vt in eo definiendo Pontifex defatigaretur; solùm ergo denotat, illos omnes, qui compleuerint omnes diligentias requisitas à Pontifice, obtenturos eam remissionem iuxta proportionem Indulgentiæ. Denique saltem inde deduco, non aliter ipsum de defunctis locutum quàm de viuis, ac proinde non debere ex capite infallibilitatis illam peti disparitatem, quam Caietanus & alij Auctores posuere.

Indulgentia & suffragia non benè per hoc differunt, quòd illa sint absolutio, hæc verò solutio

Secundò ergo potest ea differentia sic explicari, vt ratio suffragij in eo præcisè consistat, quòd non sit ea concessio per modum absolutionis, sed purè per modum solutionis, quia viuis ipse Pontifex remittit immediatè pœnam, pro mortuis verò tantùm soluit Deo pretium, vt ipse eos soluat ex pacto seu promissione infallibili priùs facta. Christus enim tradidit Petro hunc thesaurum dispensandum; licet ergo Pontifex nullam in defunctis habeat iurisdictionem, habet tamen in thesaurum. Ita Suarez & post ipsum Coninch, qui disput. 12. num. 44. addit, Pontificem immediatè posse applicare Indulgentias defunctis, quia conuenientius est, quòd ipse eas distribuat immediatè, quàm quòd tradat alijs distribuendas. Hanc doctrinam meritò reiicit Lugo, quia non est concessa hæc potestas Indulgentiarum Pontifici nisi illis verbis, *Pasce oues meas*: in eis autem nihil continetur nisi in ordine ad viuentes. Neque video, vnde Suarez quidquam de thesauro & eius concessione inuenerit in Scriptura, vt id potuerit docere. De primatu quidem Petri sunt ea verba, *Tibi dabo claues*: & *pasce oues meas*: in his autem nihil est de thesauro in animas Purgatorij distribuendo. Secundò argumentatur Lugo: Quia ex ea fieret, posse Pontificem immediatè concedere Indulgentias defunctis: id quod planè videtur contra praxim Ecclesiæ: & solus Coninch id docuit. Quòd autem Suarez respondet, Idquidem ex se fieri posse, non tamen moraliter: quia ordinariè requiritur aliqua actio ad Indulgentias obtinendas, quæ non potest defunctis iniungi: hoc iuquam non admodum satisfacit, cùm frequentissimũ sit concedere Indulgentias ob præcedentia merita nulla petita actione de nouo: vt conceditur in Sacello Pontificio post concionem habitam: & pro hora mortis sæpè eadem Indulgentia sine vlla actione requisita conceditur. Facilius fortasse huic argumento absolutè responderi posset: Esto praxis adhuc non ostenderit eum modum concedendi Indulgentias immediatè, non tamen ideò eum esse impossibilem, quia non semper Pontifices exercent omnes actus suæ iurisdictionis. Certè extra controuersiam est Pontificem posse dare Indulgentias cum potestate eas applicandi aliis viuis sicut defunctis: & tamen non facilè id concedunt. Ego sanè non recordor me id vmquam vidisse: solùm enim concedi solet potestas applicandi defunctis. Quidquid ergo sit de hoc secundo argumento contra Suarium, primum nobis sufficiat: cui etiam accedit, quòd ad huc sub lite sit, Vtrùm etiam pro ipsis viuis Indulgentiæ sint per modum absolutionis; de quo suprà; vbi ex Diuo Thoma & aliis contrarium ostendimus; alia ergo est assignanda inter viuos & defunctos differentia.

Ioan. 21.

Matth. 16.

SECTIO II.

Vera explicatio eius differentiæ.

Vera differentia inter Indulgentias & suffragia.

Est ergo tertia sententia, quam D. Thomas insinuat quæstiuncula 2. docens Indulgentias non concedi defunctis nisi secundariò & mediatè: quod ita est intelligendum, vt Pontifex concedat viuo Indulgentiam cum potestate eam transferendi in defunctum: id quod fieri optimè potest sine vlla iurisdictione Pontificis in animas Purgatorij. Vt si Princeps daret potestatem suo thesaurario distribuendi ex ærario publico solis subditis frumentum pro sua sustentatione, ipse quidem thesaurarius non posset tunc thesaurum distribuere immediatè in alios quàm in subditos; per hoc tamen subditi non prohiberentur, quò minus, si ipsi vellent subtrahere sibi de sua sustentatione, possent illud frumentum donare alteri non subdito. Hanc explicationem, quam omnino iudico esse veram, impugnant & Lugo & Suarez; ille, quia sequitur posse Pontificem cõcedere Indulgentias pro defunctis nullo petito opere bono; hoc autem videtur planè esse contrà praxim; semper enim requiritur à viuo aliquod opus bonum. Hoc tamen argumentum desumptum èx defectu praxis iam dixi paulò antè non esse bonum; in præsenti autem multò adhuc minùs vrget, quia possibilem esse hunc modum concedendi multò plures Auctores admittunt quam illum priorem. Fortassis dici posset, Ideò aliquando concedi viuis Indulgentias nullo de nouo petito bono opere; quia viuis tamquam actu sub cura Pastoris æquum est vt fiant maiores gratiæ; vnde etiam fit, vt longè latiùs concedantur Indulgentiæ applicandæ pro defunctis quàm pro viuis.

Solumntur obiectiones.

Argumentatur Secundò; Quia si datur viuo cum potestate eam applicandi defunctis; ergo si ipse viuus voluerit pro se illam retinere, poterit id facere; hoc autem est contra sensum fidelium. Respondeo, Hoc argumentum totum quantum vel esse contra hunc Auctorem, vel certè ex ipsissima eius doctrina posse illi satisfieri, ipse enim (vt statim videbimus) docet applicari Indulgentias defunctis eleuando opus viuentis ad condignum valorem: id tamen ita fieri seu sub ea conditione, vt non eleuetur opus illud, nisi ipse viuus velit illud applicare pro defunctis: eodem ergo iure dicam ego nunc ea solùm ratione Pontificem donare Indulgentias viuo, si hic illas donet alteriquæ enim quæso maior difficultas est apponendi eam conditionem ipsi donationi quàm ipsi eleuationi operis? aut quomodo magis in vno quàm in altero casu potetit id esse in bonum ipsorum viuorum, pro quibus solis dicit hic Auctor habere Pontificem potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ?

Replicabis tamen (& sit tertium argumentum.) Nam difficulter intelligitur, quomodo possit ea satisfactio fieri propria hominis viuentis, & simul possit illam donare alijs; nam fieri propriam idem est ac eam applicari viuo: eo autem ipso iam habet suum effectum in viuo: quòd

si solùm ego habeo ius ad illam ratione operis quod exerceo, & illud transfero in alterum; ergo Pontifex ipse ratione iuris, quod ego transfero, donat defuncto Indulgentias; ac proinde 8 sequeretur inde illum habere potestatem immediatè concedendi Indulgentias defunctis: quod diximus verum non esse. Respondeo, Etiam hoc argumentum non esse solidum; cur enim hic non admittemus quod passim contingit in Religiosis, vt scilicet dum aliquis donat Petro v.g. professo rem aliquam, dominium illius transeat in communitatem, cui tamen immediatè non donatur, sed per Petrum; quia hic non nisi pro communitate acquirere potest ius vllum in rem illam. Idquod clariùs contingit, quando per modum hæreditatis succedit talis Religiosus in bona aliqua. Vt verò rem nostram magis id ipsum explicemus; Pono mihi datum esse ab alio pallium v.g. cum eo onere, ne possim illud donare vlli communitati, priuatæ autem personæ possim; numquid non possem illud tunc alicui Religioso, Petro v, g. donare, etiamsi inde sequeretur, quòd ad communitatem esset res deuentura? nam tunc propriè ego illam rem non dono communitati, sed priuatæ personæ, ex qua tamen transit ad communitatem. Quidquid verò sit de his exemplis, respondeo ad argumentum in forma, Dupliciter posse intelligi eam satisfactionem fieri meam; Primò, vt Deus intuitu illius mihi remittat pœnam, quam ego debeo. In hoc sensu dicimus, Non est necessum. Indulgentiam fieri propriam viuorum ad hoc, vt hi eam transferant in defunctos: hic enim modus transferendi videtur omnino repugnare, nisi iterùm pœna mihi remissa rediret; id quod nunc supponimus vel non posse fieri, vel saltem de facto non contingere. Alio ergo modo potest aliqua res dici fieri mea, ita vt habeam verum dominium eam donandi cuicumque velim; per ho autem non est vllo modo necessum mihi eam esse applicatam, sed sufficit, quòd antecedenter Pontifex mihi cocedat eam satisfactionem cum tali potestate. Explico id meo iudicio valdè clarè ex ipsa materia præsenti; nam ipsemet Pontifex in ordine ad applicationem illarum est sine dubio Dominus, neque tamen ad hoc requiritur, imò potiùs repugnat, quòd eas Indulgentias prtùs pro se applicet; ergo ad hoc, vt me constituat dominum illarum non est necesse quòd priùs mihi illas applicet eo sensu, vt in me extinguant actu debitum pœnæ: neque inde sequitur, ipsum Pontificem tunc illas immediatè applicare aut donare defunctis; & (vt verum fatear) quoad hoc ego non video vllam differentiam inter satisfactiones à propriis actionibus prouenientes, & inter satisfactiones ex Indulgentiis: nam sicut antequam lucrer Indulgentias, non sum actu dominus illarum, quia nondum existunt; ita antequam efficiam mea bona opera satisfactoria, cùm ea nondum existant, non possum esse actu illorum dominus, multò autem minùs sum dominus satisfactionis quà talis: distinguo enim in eis duo, quæ sũt in omni rigore separabilia; vnum est, quòd elicere possim aut non elicere illud opus, hoc ius seu dominium haberem ego, etiamsi Dominus Deus non feciſſet nobis facultatem applicandi nobis aut alteri eam satisfactionem; nam & tunc esset mihi liberum producere aut non producere eum actum. Alterum dominium est, quòd possim donare eam satisfactionem alteri, siue viuo siue mortuo: hoc dominium comparo ego cum dominio in Indulgentias; & dico me non inuenire specialem aliquam difficultatem in nostro casu præ illo: vti enim ad dominium hoc sufficit, quòd ego possim applicare cui velim eam satisfactionem, dum eam produxero; ita in nostro casu sufficit, quòd possim, quando lucratus fuero Iubileum, eas satisfactiones alteri applicare. Differentia autem illa, quòd meatum actionum satisfactionem possim etiam pro me retinere, probat quidem magis amplum dominiũ meum in eam satisfactionem quam habeam in Indulgentias applicandas pro defunctis, non tamen probat me non habere dominium; hoc enim absolutè admittit magis & minus: si enim ego Petro rem aliquam donem cum eo onere, vt pro se illam non retineat, sed donet cuicumque velit, sine dubio ille erit dominus illius; nihil ergo est, quòd ex hoc capite reiiciat illum modum explicandi suffragia per Indulgentias.

10 *Soluuntur obiectiones.*

Videamus quid Patet Suarez obiiciat; ait ergo, Si ille admittatur, debere consequenter admitti, etiam pro aliis viuis posse concedi per modum suffragij, si Pontifex diceret, *Do tibi potestatem vt eas Indulgentias applices alteri viuo, quicumque ille sit*, hoc autem videtur esse contra id quod in hac solutione supponit D. Thomas. Nam eo casu illi tertiæ personæ, cui ego applicarem Indulgentias, ipse Pontifex eas immediatè concederet, ego verò solùm me haberem tanquam designans personam; ego quando eas applico defunctis, ipse Pontifex eas illis immediatè concedit; hoc autem est, vt dixi, contra D. Thomam, qui non admittit posse Pontificem immediatè concedere Indulgentiam defunctis. Quòd si è contrario ego, qui applico Indulgentias, possum dici propriè illas concedere, iam sequeretur me habere potestatem clauium, saltem partialem: non est autem credibile Pontificem passim eam potestatem concedere cuilibet ex plebe viris & feminis. Vrgetur Secundò, Nam quando Pontifex dat facultatem Episcopo aut Legato concedendi Indulgentias, Legatus ipse non est qui eas dispensat, sed Pontifex posita voluntate & determinatione Legati: debet ergo vnicè tota ea differentia explicari eo modo, quo suprà ex ipso Suario diximus, vt etiam immediatè possit Pontifex applicare defunctis nullo interueniente viuo Indulgentias; dicantur autem hæ per modum suffragij, quia Pontifex eos non absoluit, sed offert Deo pretium sufficiens.

Respondeo tamen, Ipsum Suarez eadem sectione 3. tandem admittere, posse concedi Indulgentias per modum suffragij etiam respectu viuorum; licet id non sit in vsu; cùm ergo respectu defunctorum id sit in vsu, cur non totum id per eam mediatam concessionem explicabimus? quòd verò dicebatur, id esse concedere potestatem clauium saltem partialiter viris ac feminis, non multùm vrget; nam potestas clauium non consistit in potestate transferendi in alium suas Indulgentias, sed in hoc, quòd ipse Pontifex independenter ab vllius alterius hominis concessione, sed solùm auctoritate Dei possit ea, concedere determinando & quantitatem earum, & causas eas concedendi, & opera pro eis requisita, & conditiones, sub quibus sint donandæ. Nihil autem horum nec partialiter habeo, dum Indulgentias mihi concessas transfero defunctis; nam id ipsum totum quantum facio ex concessione ipsius Pontificis, non determino

11

Quo sensu suffragia dicantur fieri propria viuentis, qui ea defuncto applicat.

9 *Applicatio suffragiorum defunctis non differt ab applicatione satisfactionum nostrarum iisdem facta.*

termino quantitatem illarum, non considero causas concedendi, non assigno dispositiones requisitas, &c. nihil ergo ibi fit, quod in rigore dici possit proprium clauium, nisi abutamur vocibus; si autem id exiguum, quod ibi est, vocetur derivatio partialis, potestatis clauium, debet certè aliunde adferri ratio, quæ probet repugnare, Pontificem posse facere hanc communicationem: id quod nulla auctoritate, nullo argumento Suarez probat. Quòd Secundò dicebatur, Episcopos, ceteroſque, qui ex potestate delegata concedunt Indulgentias, non propriè eas concedere, sed id facere ipsum Pontificem ad designationem Episcopi, potest admitti; imò inde ostendi ego suprà argumentum, quo nonnulli vtuntur ad probandum Indulgentiarum concessionem non esse actum ordinis, quia possunt concedi à non ordinatis, non esse bonum quia eo casu dici posset non Episcopos, sed Pontificem concedere, Episcopos verò solùm se habere vt determinantes materiam. Quidquid ergo de hoc puncto sit, respondeo negando hunc sequi, quando Indulgentias concessas pro defunctis ego illis applico, etiam tunc Pontificem ipsum illas concedere. Disparitas est clara, quia in hoc casu iam sunt concessæ mihi Indulgentiæ, & ego tamquam rem propriam illam dono, Pontifex ergo non immediatè donat, sed dat mihi cum onere, vt donem aliis: quando verò Episcopi auctoritate ipsius dant Indulgentias, tunc moraliter censetur ipse eas dare, & solùm per alterum tamquam per instrumentũ concedere seu dispensare thesaurum Ecclesiæ; nihil est ergo quod nos ab ea opinione communi deterreat.

SECTIO III.

Quid in hoc puncto senserit Cardinalis Lugo.

CARDINALIS Lugo, qui, vt diximus, hanc explicationem Diui Thomæ oppugnat, aliter conatur rem totam explicare; putat ergo Pontificem non cõcedere propriè homini viuo Indulgentiam pro defunctis, sed eleuare illius opus ad hoc sit condigna satisfactio pro ea pœna, quæ defuncto est remittenda. Vt vero hanc eleuationem explicet, ait Pontificem applicare operibus hominis viui de satisfactionibus Christi & Sanctorum tantum, quantum requiritur ad eam condignitatem; cùm autem id non sit propriè pascere viuos (ex qua sola potestate pascendi benè iudicat prouenire potestatem concedendi Indulgentias) addit, maximam esse vtilitatem ipsorum viuentium, quòd per eorum satisfactiones leuentur defuncti.

12 *Cardinalis Lugo refellitur in explicandis suffragijs.*

Hæc explicatio mihi nullo modo placet, etsi acuta sit; Primò, quia vt in materiâ de Sacramentis diximus, agentes quo pacto nostra Sacramẽta sint causa condigna gratiæ, non potest ea condignitas explicari facile, nisi dicendo Sacramenta esse actiones Christi Domini moraliter: sicut actio Legati censetur moraliter actio ipsius delegantis, ideoque à Christo tunc moraliter operante habere eam condignitatem. Hinc argumentor in contrarium: Pontifex concedens Indulgẽtias non potest vllo modo efficere, vt ea actio, qua ego eas lucror, censeatur & verò re ipsa sit moraliter actio Christi; nam licet dum ego absoluo absoluam nomine Christi, & eiusdem nomine baptizem, consecrẽ, &c. at non lucror Indulgẽtias nomine Christi, nõ habet ergo hæc actio vnde possit reddi cõdigna satisfactio. Qui discursus eò est in præsẽti maioris valoris, quòd ipse Cardinalis eo vtitur ad explicandam illam quam dixi condignitatem nostrorum Sacramentorum cum remissione peccati. Confirmo & explico ex communi sensu omnium ferè Theologorum. Repugnat actiones nostras bonas per applicationem præcisè extrinsecam meritorum Christi reddi infiniti valoris, quia ea applicatio extrinseca non illas informat, neque efficit meliores, magis gratas, &c. Vnde nec quidem ipsi Deo tribuunt Theologi vim eo modo augendi valorem; atqui eadem omnino est difficultas in eo, quòd reddantur nostræ actiones condigna satisfactio per Christi merita, aut per satisfactiones ipsius extrinsecas; ergo quòd si è cõtrario semel conceditur, posse per extrinsecam coniunctionem satisfactionum actiones reddi condignas in genere satisfactionis, debet profectò idem concedi de meritis.

Pontifex largiendo Indulgentias non potest facere, vt hominis actio censeatur ipsius Christi actio.

Secundò item argumentor contra hunc Auctorem; nam hic modus concedendi Indulgentias videtur omnino esse alienus ab illis verbis, *Pasce oues meas* Pone hunc casum, quòd ego habere panem vt eo pascerer (sic loquor vt magis declarem rem nostram) & alius diceret; *Huic pani ego do triplò maiorem vim sustentandi quam habeat in se; ita tamen vt si tu illum comedas, nihi amplius habeat quàm antea habuerit; si tamen dederis illum Petro, in ipso operetur eum maximum effectum*; quis quæso in tali casu posset iure dicere me pastum & sustentum esse eo maiori robore addito tali pani, quãdoquidem robur illud non habuisset panis, si ego illum comedissem, sed præcisè si Petrus; Nõ ergo benè explicat hic Auctor illum pastum viuorum per hoc, quòd eleuentur illa opera ad condignum valorem, sub ea tamen conditione.

13

Fortè replicabis: Hæc ratio eodem modo vrget contra nos; quia etiam non est pascere me, dare mihi Indulgentias cum eo onere, vt ego debeam alteri illas donare, & non possim pro me illas retinere. Respondeo iuxta nostram explicationem; Saltem fio ego dominus earum satisfactionum, illasque deinde concedo; hoc autem in rigore est, Pontificem non donare ea pascua nisi subditis suis, esto subditi ea aliis deinde donent. At iuxta hunc Auctorem viuus non fit dominus earum satisfactionum secundùm illum excessum, sed Pontifex eas applicat actionibus hominis viui, quando hæ fiunt pro defuncto.

Quomodo dicatur Pascere oues suas Pontifex concedendo Indulgentias pro defunctis

Tertiò ea explicatio reiicitur; quia licet modus ille eleuandi actiones nostras ad eam condignam satisfactionem esset possibilis, non video quo fundamento dicatur, Deum defacto Põtifici dedisse facultatem ad eam elevationem operum tali modo faciendam, cùm res tota longè suauiùs explicetur per eam mediatam concessionem Indulgentiarum quàm ex D. Thoma & aliis tradidimus.

Quartò & vltimò argumentor; quia si iuxta hunc Auctorem censetur homo viuus pasci ea eleuatione operum, licet non cedat in bonum ipsius, sed defuncti, quia ipsum benefacere defuncto est bonum hominis viui benefacientis; ideoque ait eum modum eleuandi opera contineri sub illa potestate *Pasce oues meas*; profectò

14

id ipsum maiori longè titulo poterimus cum D. Thoma nos respondere dicendo illam ipsam facultatem transferendi meas Indulgentias in defunctos reduc debere ad potestatem illam pascendi oues; quia dum illas ego transfero in mortuos, illis benefacio, & quidem longè magis propriè quàm in sententia huius Auctoris, vt paulò antè ostendimus. Quòd si semel hæc difficultas superatur, ego non video quare potiùs non debeamus ad D. Thomæ sententiam recurrere, quæ est alioquin clara valdè? Neque aliunde habet vllum argumentum contra se vllius momenti.

Dices, Hoc inde sequi, posse applicari à Pontifice immediatè Indulgentias mortuis, quod repugnat etiam iuxta nos: sequela probatur, nam si Pontifex ipse sibi aliquas applicet cum ea indifferentia, qua donat nobis, poterit illas concedere defunctis: hæc autem esset concessio immediata, vt ex terminis patet; ergo Respondeo Primò, Hoc inconueniens, si quod est, reperiri eodem modo in sententia huius Auctoris. Nam si Pontifex cleuet immediatè sua propria opera ad eum valorem, iam immediatè nullo alio interueniente liberabit animas è Purgatorio, seu concedet illis Indulgentias; ergo ob hanc difficultatem non est discurrendum diuerso modo in vno casu quàm in alio. Respondeo Secundò absolutè, In casu obiectionis Pontificem gerere duplicem personam, aliam dispensatoris thesauri, vt est Caput Ecclesiæ, & ratione huius solius diximus non posse concedere immediatè Indulgentias defunctis; hanc autem personam solam exercet, quando aliis dat Indulgentias: aliam personam subit in casu obiectionis, scilicet fruentis ipso thesauro Ecclesiæ, perinde ac aliæ omnes oues Ecclesiæ: non enim debuit ipse solus priuari eis pascuis: sicut ergo aliæ omnes oues possunt concessas sibi ea conditione Indulgentias à se abdicare: ita Pontifex sibi à seipso concessas poterit defunctis concedere: quo casu vt Pontifex est non concedit illas defunctis immediatè, sed vt est talis persona fruens illis Indulgentiis.

Quo sensu possit Pontifex ipse per se applicare defunctis suffragia.

15 Obiicies Secundò: Ergo quilibet potest suas Indulgentias applicare pro defunctis, imò pro aliis viuis: hoc autem est falsum, nam aliquando additur in Indulgentiis ea facultas applicandi pro aliis: vnde infertur è contrario, quando non additur, non concedi eam licentiam: sequela verò probatur ex dictis, quia subditus acquirit ius dominij suprà eas Indulgentias, ergo poterit, semper illas à se abdicare, & aliis concedere. Similem obiectionem tetigimus sectione 2. quòd scilicet sequeretur posse viuum pro se retinere eas Indulgentias: vti verò illi respondimus negando sequelam, ita nunc respondemus: ratio etiam est ibi data, quia potest Pontifex apponere in donatione Indulgentiæ conditionem aliquam, qua impediatur subditus eas applicare pro altero: sicut licet absolutè loquendo, pallium v. g. mihi dono datum possim cuilibet donare: si tamen qui mihi illud donauit apposuit conditionem, ne dem illud alteri, non potero illud donare. Hanc ergo conditionem, apponit Pontifex Indulgentiis, quando non dat expressè facultatem, vt eas possim pro altero applicare, ideoque quando eo casu teneor illas pro me retinere.

Cur Indulgentia viuis concessa vocetur absolutio & concessa defunctis suffragia.

Dices vltimò: Differentia à nobis assignata inter absolutionem & suffragium non satisfacit difficultati, quia etiam ipsis viuis potest applicari indirectè Indulgentia mediante alio viuo; & tamen tunc non esset per modum suffragij; ergo. Respondeo, A me suprà vel ex eo capite probatum etiam respectu viuorum, quando mediatè conceduntur Indulgentiæ, non esse per modum absolutionis, sed solutionis, seu suffragij; ex quo vlterius inuli, Etiam quando immediatè datur ipsi viuo, non esse propriè absolutionem. Vocantur autem Indulgentiæ suffragia respectu defuncti, respectu verò viuorum dicuntur absolutio; quia quando immediatè conceditur viuis, non pendet Pontifex ab alterius voluntate vt eos liberet, ideò etiamsi id faciat solùm soluendo pretium, potest iure dici dare absolutionem, maximè cùm hæc potestas ad eum modum concedendi fundetur in iurisdictione suprà ipsum viuum, qui liberatur; quando autem conceditur defunctis, pendet ea remissio ab alterius voluntate; ideóque respectu Pontificis non est absolutio: præterea nulla ad hoc requiritur iurisdictio in personam ipsam defuncti, cui immediatè conceditur; ideóque non est vnde dicatur absolutio.

16 Replicabis tamen contra hanc solutionem, Malè in ea supponi, quando Pontifex concedit Indulgentiam viuo, non pendere ipsum ab alterius voluntate ad hoc vt ea sortiatur effectum; pendet enim à voluntate ipsius hominis viui, cui ea conceditur; ergo ex hoc capite non potest assignari ratio, cur ea concessio Indulgentiæ debeat dici absolutio præ concessione pro defunctis. Respondeo Primò, Nos suprà docuisse, posse homini viuo concedi Indulgentiam etiam non expectata vlla positiua acceptatione ipsius: homini enim, qui de Ecclesia valdè benè est meritus, potest Pontifex circa horam mortis concedere Indulgentiam ob præcedentia merita, licet iam tunc sit extra se, & nequeat habere vllam positiuam acceptationem. Respondeo Secundò, Me solùm dixisse non requiri consensum tertiæ personæ distinctæ ab ea cui fit Indulgentia; nam consensus eius qui liberatur non obest rigorosæ absolutioni. Si enim Princeps diceret alicui reo in vinculis detento, Si vis exire liber è carcere, ego sum contentus exeas; si tamen nolis acceptare hunc fauorem, etiam sum contentus vt maneas; profectò in hoc casu ea liberatio pependisset à voluntate ipsius liberali; & tamen propriè dici deberet absolutio respectu Principis. Si autem tertiæ personæ, Petro v.g. diceret Rex, Do tibi ius in eum, si velis eum liberare, poteris; tunc sanè non posset propriè ipse Rex dici liberasse, sed Petrus, à cuius voluntate id proximè pendet.

Cur omnia possint fideles passim omnes Indulgentias defunctis vel etiam aliis viuis applicare.

SECTIO IV.

Quid requiratur ad lucrandas Indulgentias pro defunctis.

17 MIRCA quod Primò quæritur, An sit necessarius status gratiæ. Quid requiratur ad eas obtinendas pro se diximus suprà, quia nulli remittitur pœna, si sit in mortali. Hæc ratio cessare videtur, quando lucror Indulgentias pro defunctis, quia tunc non mihi, sed illis remittitur pœna; ac proinde solùm riquiritur illos esse in gratia; quòd autem ego exercens eas actiones sim in peccato, non eis obest vel in minimo; quia

An ad suffragia lucranda pro defunctis debeamus, qui ea lucrantur, esse in gratia.

quia non per valorem earum actionum, sed per satisfactionem Christi liberantur illæ animæ; solùm ergo meæ actiones concurrunt tamquam conditiones per se requisitæ à Pontifice; cumque hic non requisierit vt fiant in statu gratiæ, non erit hoc necessarium, sufficiet ergo etiam extra gratiam facere ea opera bona quæ petuntur à Pontifice pro conditione ad Indulgentiam. Quòd si Pontifex, vt potest (quia in manu eius est determinare conditiones) petierit vt fiant omnes diligentiæ in gratia, id erit procul dubio necessarium pro fructu obtinendo.

Suarez disput. 5. sect. 4. ob rationem factam concedit, peccatorem posse pro altero obtinere Indulgentias; quia tunc non acquirit ius ad illas, nec facit eas proprias, sed præcisè se habet vt designans personam, cui a Pontifice illæ applicentur. Ad hoc autem non requiritur status gratiæ. Hæc ratio in principiis ipsius Suar. optima est; in nostris verò res est difficilior, quia cùm appropriet sibi Indulgentias qui eas lucratur, videtur omnino in eo requiri status gratiæ, & ita sensent nonnulli Recentiores. Adhuc tamen puto omnino non requiri per se eum statum; nam aliud est acquirere quasi ius & dominium supra Indulgentias, vt possit eas sibi vel alteri applicare, aliud est sibi eas applicare. Fateor ergo libenter, vt pro se quis eas applicet validè, debere esse in gratia, quia applicare eas pro se & remitti ei pœnam idem sunt: nó remittitur autem pœna, nisi sit in gratia: ergo nec validè sibi applicat Indulgentiam. Acquirere tamen ius supra Indulgentias nullo modo requirit statum gratiæ, neque ipsum applicare pro aliis: id quod in primis ex ipso Pontifice euidenter ostenditur, qui licet sit in peccato mortali, adhuc habet ius & dominium supra Indulgentias, & existens in peccato, potest eas alteri applicare: ergo vt simile ius transferat in Petrum, non requiritur Petrum esse in gratia. Ratio a priori est, quia per hanc acquisitionem iuris nullo modo remittitur homini pœna, sed solùm fit potestas eam alteri remittendi: licet autem nulli remittatur, vt diximus, pœna, nisi sit remissa culpa, potest tamé qui habet culpam remittere alteri pœnam & culpam. Illud tamé adhuc circa eumdem statum gratiæ verti potest in dubium, An in sententia Cardin. Lugo docentis, actiones viuorum per applicationem Pontificis fieri condignas remissione pœnæ, requiratur etiam status gratiæ. Affirmat hic Auctor, quia opera peccatoris non possunt esse condigna satisfactio; ego tamen iudico etiam in ea sententia id non requiri. Ratio, quâ moueor, est, quia etiamsi ad valorem actionis ex opere operantis requiratur status gratiæ, quia tunc valor ille sumitur à dignitate ipsius personæ operantis: ad valorem tamen ex opere operato, seu ex refusione satisfactionis Christi, id non requiritur: vt patet manifestè in Sacramentis & Sacrificio altaris: quia enim illæ actiones non habent valorem ex ipso Ministro, sed ex Christo, ideò quatumuis Minister sit in peccato, Sacramétum tamen habet suum integrum valorem: & idem est de Sacrificio altaris. Certum est autem iuxta huius Auctoris sententiam valorem illum meæ satisfactionis, quando Indulgentias pro defunctis lucror, non esse ex opere operantis, sed ex opere operato: ergo non est necessarius status gratiæ ad hoc, vt illum à Christi satisfactionibus habeat, nisi fortè ipse Pontifex expressè requiret (vti potest iuxta paulò antè notata) eam conditionem status in gratia. Vrgeo hoc ipsum ad hominem meo iudicio euidentissimè: nam hic Auctor fatetur posse aliquem per actum venialiter malum lucrari Indulgentias tam pro se quam pro defunctis. Vnde sic argumentor: Maio: longè repugnantia est in eo, quòd peccatum veniale sit meritorium, quàm in eo quòd peccator mereatur per actum bonum (vt ex terminis patet:) quia peccatoris status non est incapax omnis meriti, si habeat actum bonum: at actus malus in quocumque subiecto sit, est incapax meriti: ergo si veniale peccatum, quando non informatur valore desumpto ab ipso actu, sed ab applicatione satisfactionis Christi, potest eleuari ad condignè obtinendam remissionem pœnæ, longè maiori titulo id obtinere poterit actus bonus hominis peccatoris: illa ergo duo non cohærent inter se. Imò addo, licet sit opus venialiter aut mortaliter malum, posse esse sufficiens ad obtinendas pro aliis Indulgentias: vt patet in sacrificante & administrante Sacramenta per actum etiam mortaliter malum.

18 *Cur requiratur status gratiæ ad sibi lucrandas Indulgentias, non item ad lucranda defuncto suffragia.*

Dices: Fideles videntur sentire, esse necessarium statum gratiæ ad eas Indulgentias. Respondeo Primò: Contrarium videtur esse longè probabilius, Nam qui dant eleëmosynam vt accipiant Bullam Cruciatæ pro defunctis, non sunt soliciti vt tunc sint in gratia & tamen tunc lucrantur Indulgentiam (vt statim dicam cum hoc eodem Auctore:) ergo. Respondeo Secundò, Vulgus fidelium parum scire de his quæ ad lucrandum Iubileum requiruntur, sed bona fide facere ea, quæ à Pontifice præscribuntur: quo autem tempore & Iubileum obtineatur, & an debeant omnia ad illum requisita fieri in gratia, an aliqua, & quæ illa, vix inter centum vnus nouit cùm etiã inter ipsos Doctores Scholasticos maxima sit opinionum diuersitas in his punctis.

Hinc infero: Quando conceditur Bulla Cruciatæ pro defunctis, quâ Bullâ conceditur eo ipso Indulgentia plenaria defuncto, non esse necessarium gratiæ statum in eo qui eleëmosynam dat, vt Bullam illam accipiat. Nam licet illa elargitio eleëmosynæ sit vltimum opus, quo obtinetur ea Indulgentia (nihil enim amplius deinde requiritur) iam tamen diximus necessarium non esse statum gratiæ in lucrante: cuius contrarium quoad statum gratiæ docet Lugo suprà, consequenter tamen ad suam doctrinam.

20 *Bulla Cruciatæ pro defunctis non requirit statum gratiæ in eo qui eam accipit.*

Secundò quæri potest, An quando ad lucrandas Indulgentias pro defuncto requiritur auditio Sacri v.g. aut ieiunium, possit tunc quis satisfactionem ex opere operantis, quæ in eis actionibus reperitur, offerre pro seipso, aut pro aliquo alio; an verò debeat pro eo defuncto totum illud apllicare. Ratio dubitandi est; nam Indulgentia etiamsi requirat illud opus, non tamen conceditur propter illius satisfactionem ex opere operantis; vnde diximus, Etiamsi homo sit in peccato, posse lucrari Indulgentias pro defunctis; tunc autem nulla esset satisfactio ex opere operantis; ergo etiamsi hæc adsit, non erit necessarium eam pro defuncto applicare. Cardinalis Lugo ait, Si Pontifex dicat hoc modo; *Liberabis animam è Purgatorio, si pro illa obtuleris ieiunium, rosarium*, &c. necessum tunc fore offerre etiam eam satisfactionem ex opere operantis: id enim expressè insinuant verba cõcessionis; si tamen simpliciter dicatur, *Quoties ieiunaueris liberabis vnam animam*, &c. tunc posse

An ieiunanti v.g. pro lucrãdis defunctis suffragijs debeat etiam illa satisfactionem ex opere operãtis applicare.

19

posse eam satisfactionem, quæ est in ieunio, offerri pro altero; citatque pro hac resolutione Patrem Suarium ea disput. 5. sect. 4. ibi tamen Pater Suarez non loquitur in hoc casu, sed agit solùm de satisfactione, quæ ex opere operato reperitur in Missa; & hanc dicit debere offerri pro defuncto, si concessio Indulgentiæ dicat; Si
21 obtinueris pro eo Missam. De satisfactione autem, quæ ex opere operantis ibi reperitur, contrarium planè docuit: & quidem cùm Suarez ibi dixisset, hominem etiam peccatorem (qui nullam potest satisfactionem ex opere operatis habere) posse pro defunctis aut pro altero lucrari Indulgentias; consequenter debuit dicere, non esse necessarium vt lucrãs offerat satisfactionem ex opere operantis, cùm offerre valeat Sacrum etiam ille, qui nullam habet ex opere operantis non ergo benè Suarez citatur pro ea sententia; Dixerat etiam idem Suarez Secundò, Si expressè requiratur in concessione, vt opus illud quod offertur sit satisfactorium, & vt tale applicetur defuncto, tunc sine dubio debere applicari; quia Pontifex potest exigere pro suo libitu (vt diximus) has vel illas conditiones pro obtinendo Iubileo, & consequenter vt fiant in gratia, & sint satisfactoria; ac denique vt talia offerantur pro eo cui lucrari Indulgentiam. At hoc non est simpliciter dicere, *Volo vt offeras rosarium pro altero*, sed, *Volo vt rosarium in gratia offeras, & satisfactionem pro altero offeras*; quo casu non potest in dubium verti id esse necessarium: sæpè enim diximus, in Pontificis manu esse adhibere conditionem honestam, quam velit qualis hæc esset: Et de Suarez mente satis.

Respondetur dubio suprà posito negatiuè.

Igitur cum ipso dico; Esto eo primo modo Pontifex loquatur, non ideò esse necessariam satisfactionem ex opere operantis offerre, ob rationem insinuatam, quæ est euidens in nostris principiis; quia etiam tunc possum in peccato existens eam Indulgentiam lucrari, tunc autem nullam satisfactionem ex opere operantis habeo ergo non fuit petitum à me vt illam offeram: alioquin vndecumque proueniret, quòd eam non offerrem, non lucraret Indulgentiam: ergo, esto re ipsa eam habeam, & illam non offeram, lucrabor tamen eodem modo Indulgentiam, quia pro defuncto ipso idem est quòd nihil offeram, eò quòd ex mea nequitia nihil habeo, vel quòd non offeram; quia licet habeam, id tamen alteri applico. Quæ ratio etiam habet vim in principiis Cardinalis: qui (vt vidimus) admittit obtineri posse Indulgentias tam pro aliis quàm pro se per actum venialiter peccaminosum, ac proinde qui nullam omnino habeat satisfactionem ex opere operantis: id quòd verum est etiam quando Pontifex dicit, *Liberabis animam è Purgatorio, si pro ea obtuleris ieiunium aut rosarium*: eo autem casu certissimum est nullam posse pro eo defuncto offerri, vti diximus de homine existente in mortali: ergo etiam in sententia Lugo non est necessum offerre vllam satisfactionem ex opere operantis. Fateor,
22 quòd sæpè dixi, potuisse Pontificem dicere, Non peto pro illa Indulgentia vt satisfactionem habeas, ac proinde absolutè non peto vt illam offeras: si tamen habueris aliquam, volo vt eam offeras: fateor inquam id potuisse peti: at neque auditum est, quod id exegerit aliquando: neque valdè decens est vt petatur: quid enim esset dicere, Sum contentus vt in peccato existens & nihil offerens pro defuncto eum liberes: si tamen ex bonitate tua feceris opus in gratia, non permitto vt tibi applices eam satisfactionem, sed debes mihi eam dare, vt simul cum Indulgentia liberetur defunctus? Quidquid verò sit de æquitate eius conditionis, certissimum est verba illa vt iacent id non significare: id quod nobis in præsenti sufficit.

Iam ergo oportet explicare quid ea verba requirant, *Si rosarium aut ieiunium pro ea anima offeras.* Respondeo, ibi solùm significari quòd ea actio exterior pia ac ex se ad cultum Dei pertinens offeratur ad intentionem lucrandi eam Indulgentiam (vt bene Suarez suprà notauit:) qui etiam bene obseruauit, respectu Sacerdotis celebrantis non habere vim argumentum nostrum quoad satisfactionem ex opere operato eius sacrificij: quia hic valor potest reperiri, etiamsi in peccato quis celebret, ac proinde quãdo Pontifex requirit, vt offeratur Sacrum pro ea anima, videtur requirere satisfactionem, quæ in eo est ex opere operato.

Non est opus animas Purgatorij scire vel acceptare suffragia.

Quæri vltimo potest, Vtrùm necessarium sit animas Purgatorij scire & acceptare Indulgentias pro se oblatas. Respondeo, Nullo modo, quia ipsæ non concurrunt actiuè, sed passiuè ad eas, quatenus absoluuntur à debito pœnæ: ad absolutionem autem non requiritur per se loquendo voluntas positiua patientis, sed potest etiam inuitus absolui. Adde, etiamsi esset necessaria aliqua voluntas, sufficeret virtualis: certum est autem animas Purgatorij virtualiter eas Indulgentias acceptare, cùm nihil magis desiderent quam eam libertatem à pœna: neque video, vnde possit cum probabilitate aliqua dici, necessariam esse talem formalem acceptationem, aut Deum illas debere priùs monere oblationibus, quæ pro ipsis fiunt, ac rogare, sint contentæ necne, si pro ipsi applicentur.

SECTIO V.

Appendix de Catechumenis.

23 *An possint esse de Catechumenis Indulgentiæ.*

EX his quæ de defunctis diximus oritur dubium breuissimè discutiendum, Vtrùm eodem modo pro Catechumenis possint concedi Indulgentiæ. Affirmat Lugo: quia in hac concessione me latè non attenditur, vtrùm persona, cui conceditur, sit subdita nécne: ergo sicut possum pro Catechumenis applicare satisfactiones meas ex opere operato, potero & per Indulgentias. Probabilis est hæc resolutio; nihilominùs tamen probabilius videtur eos esse incapaces Indulgentiarum; nam (vt benè Pater Suarez Tomo 3. in 3. part. agens de Sacrificio altaris, disput. 79 sect. 10. ostendit ex Augustino, Chrysostomo & D. Thom.) Catechumeni non sunt capaces satisfactionis cõsistentis in Sacrificio altaris, eò quòd adhuc non sunt intra Ecclesiam, & adhuc non sunt propriè Christiani: hanc enim specialem gratiam solùm concedere voluit Christus his qui essent re ipsa Christiani.

Non sunt capaces satisfactiones ex opere operato qui sunt extra Ecclesiam.

Ex quo vlterius deducitur quædam regula generalis, scilicet satisfactionis ex opere operato illos esse incapaces, sicut etiam sunt gratiæ datæ ex opere operato, quia nullum Sacramentum validè possunt recipere, excepto ipso Baptismo, quo in Ecclesiam intrant: neque videtur vlla esse quoad hoc differentia inter satisfactionem & gratiam:

gratiam : sunt autem capaces satisfactionis ex opere operantis , sicut & gratiæ datæ ex opere operantis:quia possunt benè operari,& gratiam augere, & propriis operibus pro se vel pro aliis satisfacere, & alij pro ipsis : & ita quæstionem hanc in præsenti disput.53.sect. 4. breuiter tractans idem Suarez magis propendet in hanc nostram resolutionem.

Dices;Animæ baptizatorum quæ sunt in Purgatorio,sunt capaces Indulgentiarum, & tamen illæ non sunt subditæ Pontifici; ergo & Catechumeni , esto adhuc non sint subditi erunt capaces earum Indulgentiarum. Respondeo negando consequentiam , quia animæ per Baptismum fuêre factæ capaces satisfactionis ex opere operato ; quòd autem iam non sint subditæ Pontifici facit , vt immediatè non sint capaces Indulgentiarum , non verò vt nec mediatè : Catechumeni autem non sunt propriè Christiani , neque in his reddimus pro ratione defectum subiectionis , sed Characteris baptismalis.

DISPVTATIO XXIX.

De Iubileo.

1 QVIA inter Indulgentiarum concessiones præcipuum solet esse Iubileum ; & his ipsis diebus,quibus hanc materiam scribo , illud habemus concessum à Sanctissimo Domino nostro Innocentio X. pro Pace inter Principes Christianos concilianda , operæ pretium erit breuiter aliqua dubia, quæ circa illud moueri possunt , expedire. Diximus suprà , Iubileum vltra Indulgentias plenarias non addere nisi aliqua priuilegia specialia circa electionem Confessarij , absolutionem à casibus reseruatis , à votis, &c. propter quæ solent peti pro eo obtinendo grauiores aliquæ conditiones quàm pro ordinaria Indulgentia plenaria. Ideò omnes ferè difficultates erunt circa eas absolutiones à peccatis & electionem Confessarij. Et quidem Primò supponendum vt omnino certum , etiamsi nonnulli contrarium sine causa docuerint , posse hominem absolui à reseruatis commissis intuitu facilioris absolutionis futuræ in ipso Iubileo v. g. scitur hîc Pragæ iam Romæ publicatum Iubileum , & huc mittendum ; hac spe committit quis aliqua reseruata; dicimus omnino posse tempore Iubilei ab illis absolui : ratio est clarissima,quia Pontifex absolutè sine vlla limitatione dat facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis ad finem obtinendi Iubilei : non possumus autem nos eam licentiam limitare ad peccata hoc vel illo animo commissa.

Vi Iubilei potest absolui à reseruatis, qui in ea incidit spe absolutionis per ipsum Iubileum obtinendæ.

Dices : Priuilegium non debet esse in ruinam animarum ; ergo. Respondeo , Per accidens esse quòd possit illud priuilegium esse causa alicuius noui peccati ; neque hoc æstimauit Pontifex respectiuè ad alia bona quæ per se intendit ; quia nihil est adeò bonum , ex quo aliqui non possint accipere occasionem ruinæ : vti è contrario in ipsamet reseruatione casuum constat : nam multi ex illa occasionem accipiunt vel faciendi confessiones sacrilegas vel tempore debito eas omittendi , vel in peccato communicandi : non tamen propterea dicendum est eam reseruationem non esse iustam, vtilem, &c.hoc ergo supposito, sit

***

SECTIO I.

An possit absolui quis virtute Iubilei à peccatis commissis etiam elapso Iubilei tempore.

2 VARII possunt esse sensus huius dubij.Primus est, An pl. nè elapso Iubi eo, siue illud obtinuerim, siue non, possim absolui in hoc tamen non videtur de negatiua parte esse dubium , quia Pontifex non dat facultatem vt vi Iubilei post à ego absoluar,sed in ordine ad illud obtinendum. Est ergo secundus sensus eius dubij , An si ego vltima hebdomada lucratus sum Iubileum confessione,Communione & ieiunio,cæteris que requisitis præmissis, vltima verò die Dominica , quæ etiam pertinet ad Iubileum,committam reseruatum, possim ab eo absolui vi Iubilei.Cui respondetur etiam negatiuè, Non posse:quia pro me iam est finitum tempus eius Iubilei,illa autem facultas solum est data in ordine ad lucrandum Iubileum. Tertius ergo sensus est,Vtrùm si prima hebdomada feci omnia ad lucrandum Iubileum necessaria, ideóque illud iam obtinui, possim hebdomada secunda absolui à reseruatis ea secunda hebdomada commissis. Respondeo, Hic posse adhuc duo dubia includi:vnum,An non faciendo de nouo diligẽtias pro secunda vice lucrando Iubileo possim absolui : secundum , An saltem possim tententando de nouo lucrari Iubileum. Si primo modo res contingat , certum est me non posse absolui , quia tunc omnino est pro me elapsum tempus Iubilei : Si secundo modo proponatur casus , videtur omnino posse fieri : licet enim quatenus in prima hebdomada illud lucratus sum, iudicati possit elapsum etiam pro me tempus Iubilei : quia tamen possum fortè suspicari me non omnia perfectè obiisse,& adhuc tempus esse vt possim diligentias omnes secundò adhibere,& id omnino volo facere ieiunando , dando eleëmosynam, &c. de nouo , possum etiam de nouo frui eo priuilegio,& à casibus reseruatis absolui. Imò est valdè communis sententia docens posse me secundò lucrari Iubileum illud:eam tenent Henriquez lib.6.cap 1-.num.3. & lib. 7. de Indulgentiis cap. 11. & alij apud Dianam Tomo 2. Tractatu 4. de Sacramentis resol. 151. eámque probabilem iudicat Lugo numero 122.

Non potest absolui à reseruato vi Iubilei commisso post acquisitum Iubileum,licet tempus nondum expirauerit Iubilei

Secus est,si possit adhuc omnia opera requisita vt prius, & putet se probabiliter non obtinuisse prima vice.

Nihilominùs tamen cum eodem Lugo ibi & Suario Tomo 1. de Religione lib. 6. cap. 16. Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 55. & aliis, quos Diana refert, iudico oppositum longè esse probabilius: imò Filliucius noster Tomo 1. Tractatu 8. cap. 10. num. 278. ait ita respondisse Clementem Octauum etiam de Iubileo anni Sancti: & id ipsum respondisse Congregationem Cardinalium asserit num. 268. Hæc sententia probatur à Lugo instantia è Bulla Cruciatæ; nam

Non potest quis idem Iubileum bis lucrari.

3 qui semel per vnam Bullam lucratus est Indulgentiam plenariam, non potest per alteram Bullam aliam Indulgentiam plenariam obtinere, & absolui secundò à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ. Ego in hac materia non admodum fido instantiis, quia cùm res tota pendeat à voluntate concedentis, facilè est in Bulla limitate concessionem ad vnam tantùm vicem, in Iubileis verò permittere, vt bis térve possit homo illud lucrari. De Bulla Cruciatæ constat ex communi sensu non prodesse magis duas quàm vnam; non constat autem in Iubileo ex sententia communi, quòd non possit bis obtineri duabus hebdomadibus. Et sanè cùm Bulla Cruciatæ sit res ordinaria, quæque singulis annis conceditur, & possit facilè per duos Iulios obtineri, foret graue incommodum, si quilibet posset eam secundò, tertiò, quartò acquirendo toties absolui ab eis casibus reseruatis singulis annis. Hæc ratio in Iubileo non habet locum, quia non ita facilè illud conceditur, sed intra aliquot annos semel: & tunc tempus limitatur ad duas solùm hebdomadas; & solent plura requiri quæ reddunt illud difficilius. Nec habet tanta inconuenientia illa facultas absoluendi sequenti hebdomada à casibus reseruatis post obtentum prima vice Iubileum commissis, cùm & tempus illud admodum breue sit, & homo post Iubileum immediatè obtentum non supponatur tam citò relapsurus. Quidquid ergo de ea instantia sit, sententia hæc nostra probatur; quia reuerà tenor ipse Bullæ concedentis Iubileum planè videtur clarè indicare, non posse illud nisi semel obtineri; dat enim duas hebdomadas, vt qui est impeditus in vna, possit in altera; semper tamen insinuat non nisi semel posse obtineri: nec possumus nos pro solo nostro libitu extendere huiusmodi facultates. Quòd autem dicebatur suprà, fieri posse vt ego prima vice, etsi videar implesse omnia quæ requiruntur, ex aliquo tamen defectu mihi ignoto illud non obtinuerim; sufficit quidem, vt si ego facio secundò eas diligentias, requisitas, & reipsa suppleo defectum illum, lucrer tunc Iubileum, at non propterea conceditur facultas absoluendi à casibus ea secunda vice; quia Pontifex illam tantùm concessit pro prima, quando bona fide adhibeo diligentias omnes necessarias pro Iubileo: pro euentu autem illo, quando ex occulto impedimento ego non lucror Iubileum, cùm mihi incertum sit, an lucratus illud fuerim nécne, & potiùs præsumptio stet in fauorem, non concedit mihi Pontifex facultatem secundò

4 confitendi cuilibet, &c. Vnde addo, si posteà clarè mihi constaret ex aliquo defectu, quem priùs non notaui, me non obtinuisse Iubileum, fore vt tunc omnino possem eligere Confessarium, &c. quia tunc pro me prior illa hebdomada fuisset perinde ac si nihil in ea fecissem. Addo denique in hoc puncto, Licet probabilitas contrariæ sententiæ parum efficiat in ordine ad Iubileum ipsum obtinendum, si re ipsa Pontifex non habuit eum animum, in ordine tamen ad absolutionem à casibus reseruatis posse me vti ea probabili sententia: tunc enim reipsa cessat reseruatio, quia iuxta communem sententiam qui vtens probabili opinione absoluitur à reseruatis manet reipsa directè ab eis absolutus.

An ex voluntate Confessarij differis confessionem post elapsum Iubileum, possis tamen vi illius absolui à reseruatis.

Quartus sensus præcipui dubij suprà positi est, Vtrùm vltimo Sabbato, ad quem distulit quis confessionem, si postquam eam incepit audire Confessarius iudicauit non posse illam intra vnam diem perfici, possit illam differe ad diem Lunæ v.g qui iam est extra tempus Iubilei, & tunc absoluere pœnitentem à reseruatis. Quæ difficultas duplicem adhuc potest habere sensum vnus est, An possit tunc absolui à reseruatis quæ commissa erant ante finem Iubilei: alter, Vtrùm si post inchoatam confessionem ipso die Lunæ (qui, vt supponimus, iam est extra Iubileum) commisit aliqua reseruata, possit etiam ab illis absolui.

Circa primum noto, in antiquioribus Bullis datam fuisse facultatem sine limitatione Confessario (si ita iudicaret expedire) ad transferenda omnia necessaria pro obtinendo Iubileo in aliud tempus; ac proinde tunc poterat etiam confessio & Communio transferri; in recentibus tamen Bullis ea facultas limitari videtur ad alia opera necessaria excepta confessione & Cómunione: vnde in casu propositæ quæstionis suppositâ illâ dilatione pœnitens non valuit obtinere Iubileum (vt benè Cardinalis Lugo notauit disp. 27. n. 119.) quod tamen olim poterat: vnde duplex rursus sensus quæstionis oritur vnus, An olim potuerit eo die Lunæ absolui à reseruatis: alter, Vtrùm de facto & suppositâ nouâ Bullâ possit absolui. Lugo disput. 20. sect. 8. sentit tam ratione antiquarum quàm præsentium Bullam posse quemcũque absolui eo die Lunæ: & quidem si sequamur antiquam Bullam, id est clarum: quia illa peccata fuere commissa eo tempore quo per se erat facultas absoluendi: & verò etiam tunc subiecta erant illa peccata Confessario: ea autem dilatio, quæ pro maiori vtilitate ipsius facta est, non debet ei præiudicare, cùm non impediat ipsum, quò minùs obtineat Iubileum: ad quem finem data est facultas illa absoluendi: ergo si antiquæ Bullæ considerentur,

5 nulla est difficultas. Quod verò etiam attentis nouis absolui possit, fatetur quidem Lugo non esse tam certum: nihilominùs absolutè id defendit: quia si cum animo lucrandi Iubileum accedit pœnitens, eo ipso acquirit ius & priuilegium, vt possit absolui, etiamsi aliqua opera requisita nondum compleuerit. Certum enim est absolui posse hominem vi Iubilei à reseruatis etiam ante vltimam diligentiam pro obtinendo Iubileo necessariam, & consequenter etiam priusquam Iubileum lucretur: ergo eo ipso quòd homo ille cum animo Iubileum lucrandi accessit ablata est reseruatio casuũ: cúmque durante tali animo incipiat Confessarius audire pœnitentis confessionem, poterit postea ea iurisdictio continuari, etiamsi pœnitens videat se non posse perficere ea quæ exigũtur illâ hebdomadâ pro obtinendo Iubileo. Hæc sententia nó caret sua probabilitate.

Resolutio quæstionis negatiua.

Iudico tamen eo casu non posse absolui ab eis reseruatis: ratio est, quia antequam Confessarius exerceat iurisdictionem suam, iam est reddita impossibilis consecutio Iubilei (vt supponimus) eo enim ipso quòd Sacerdos non vult eum pœnitentem absoluere intra illud tempus, iam red-

dit

dit illum incapacem Iubilei: ergo iam eo ipso se priuat potestate absoluendi à reseruatis: quia facultas absoluendi non conceditur nisi in ordine ad obtinendum Iubileum: ita enim exrpressa verba sonant: ergo.

Dices: Sufficit animus lucrandi sub quo est inchoata confessio: id quod potest confirmari ex his quæ infrà dicemus, si quis volens lucrari Iubileum est absolutus à reseruatis, non redire reseruationem, etiamsi posteà ex nequitia mutet animum, & nolit Iubileum obtinere: ergo idem dicere possumus in præsenti, scilicet eum hominem incipientem confessionem animo obtinendi Iubileum frui priuilegio ablatæ reseruationis. Respondeo, Animum obtinendi Iubileum debere non tantùm esse quando inchoatur confessio, sed maximè quando datur absolutio: id quod meo iudicio concedere tenentur omnes: nam si quis hunc casum reseruatum inciperet confiteri animo lucrandi Iubileum, & antequam ei ipsa absolueretur, mutaret propositum, & nollet illud lucrari, esto posset: nemo diceret illum posse tunc absolui, quia in illo non haberent locum verba Bullæ, vt scilicet in ordine ad consequendum Iubileum absolueretur, etiamsi concedamus postquam durante eo animo absolutus est non redire iam reseruationem: ergo cùm in hoc casu esto serium habuerit animum dum accessit, quia tamen eum debuit deponere antequam absolutionem acciperet: agnouit enim se illius obtinendi incapacem iam esse: necessum profectò est, vt iam non possit dici absolutus in ordine ad obtinendum Iubileum: ergo cessat finis in ordine ad quem datur potestas absoluendi.

Animus obtinendi Iubileū debet esse quādo datur absolutio à reseruatis, vt hæc sit valida.

6 Hinc colligitur differentia clara inter hunc casum, & eum quem pro instantia suprà nos adduximus: nam in nostro incepit confiteri in ordine ad Iubileum: non tamen absolui potuit in ordine ad illud, vti exigit Bulla: ***De facultatem absoluendi à reseruatis in ordine ad obtinendum Iubileum.*** In altero verò casu & inchoata est confessio, & absolutio data propter obtinendum Iubileum: quia animus illud obtinendi non est depositus nisi finita iam confessione: quod verò iterùm eorum peccatorum iam semel directè remissorum redeat tunc reseruatio, nullo modo in Bulla dicitur: quare nec nos possumus eum reditum astruere. Vnde addo, Si & Sacerdos & pœnitens bona fide dum datur absolutio iudicauerint, adhuc posse à pœnitente obtineri Iubileum, omnino illam absolutionem futuram validam: quia reuerà dici posset data in ordine ad obtinendum Iubileum, esto deinde agnouerint esse iam impossibile illud lucrari. Et hæc circa peccata commissa ante ipsum finem Iubilei.

Licet is animus cesset antè obtentum Iubileum non tamen redit reseruatio.

Circa alia verò inter tempus Iubilei & ipsam confessionem, qui erat secundus sensus dubij suprà propositi, si loquamur iuxta tenorem præsentium Bullarum, res est ex dictis nimis certa: quia si quæ antè erant commissa non possunt remitti, multò minùs quæ deinde committuntur: solùm ergo habet locum quæstio iuxta Bullas antiquas: tunc enim ea dilatio confessionis fuisset vtilis ad obtinendum Iubileum: & verò (vt paulò antè diximus) pro eo homine tempus Iubilei videtur omnino protractum perinde ac si ex itinere tunc venisset: ergo peccata commissa etiam eo die Lunæ adhuc deberent censeri commissa intra tempus Iubilei: ergo adhuc poterat ab eis absolui: quòd enim pro aliis hominibus elapsum sit tempus, videtur esse per accidens, respectu huius Bartholomæus de Sancto Fausto apud Lugo numero 34. affirmat posse absolui; id quod probabile iudicat Alphonsus de Leon & Diana ibidem. Mihi etiam valdè probabile id videtur ob rationem immediatè datam, quòd scilicet verè ea peccata sint commissa intra tempus Iubilei, eodem planè modo quo si ex itinere veniens inciperet tunc lucrari Iubileum. Dixi *ob rationem immediatè datam*; nam ea quà aliqui vruntur, quòd iam sit causa inchoata, & de communi partium consensu prorogetur tempus: quo casu non expirat potestas, iuxta caput 4. de Cauſſis, de officio delegari: vbi hæc habentur: ***De cauſis quæ iuxta certum tempus decidenda committuntur hoc tuam volumus cognitionem tenere, quòd nisi dies ab Apoſtolica Sede præfixus de communi conſenſu partium prorogetur, eo tranſacto mandatum expirat.*** Ex verbis enim illis *nisi de communi*, videntur aliqui inferre, eo ipso quòd de communi consensu confitentis ac Confessarij prorogetur tempus absolutionis, adhuc retineri iurisdictionem. Hoc inquam argumentum ego non approbo, quia in eo capite agitur de litigantibus inter se, vbi ea dilatio tam ad vnius quàm ad alterius bonum ordinatur: at in confessione nulli sunt litigantes, ideóque textus ille non videatur huc extendi. Quidquid verò de hoc sit, ideò secundò ea ratio non placet, quia circa peccata illa nondum erat inchoata causa, cum necdum commissa essent; ab proinde nec potuit pœnitens accedere animo illorum confessionem inchoandi. Hac ergo ratione omissa, prior facit eam opinionem valdè probabilem. Nihilominùs probabilius est ab illis non potuisse absolui, quia reuerà non essent commissa proprie intra tempus Iubilei: nam licet ille homo non lucretur Iubileum nisi die Lunæ, ac proinde secundùm quid possit pro eo illa dies dici tempus Iubilei: ad mentem tamen Pontificis dantis illud priuilegium absoluendi non est iam tempus Iubilei aliud enim est, vnam vel alteram ex diligentiis necessaris posse differri, ideóque quasi per accidens differri instans obtinendi ipsam Indulgentiam: aliud autem, tempus proprium & per se Iubilei differri: primum est verum, non secundum. Ad instantiam autem de peregrino respondetur, Pro talibus ipsummet Pontificem assignare tamquam tempus proprium illam sequentem hebdomadam à finito itinere, in qua per se sine vlla speciali Confessarij dispensatione debent fieri omnia quæ ad Iubileum spectant; vnde consequenter dico, Si confessio sit inchoata intra tempus Iubilei, & peccata noua reseruata sint etiã intra illud tempus commissa, quia inchoata confessione die Sabbati v.g. manè, & dilata ad diem Lunæ, eodem Sabbato vesperi noua reseruata commisit: poterit die Lunæ ab his etiam absolui: nam licet respectu horum peccatorum non fuerit tunc inchoata confessio ob rationem immediatè datam (quæ etiam tunc vrget) essent tamen ea peccata commissa intra tempus Iubilei, & antequam illud lucraretur: ergo inclusa in facultate à Pontifice concessa.

Quid olim licuerit in reseruatis commissis inter tempus Iubilei, & dilatæ confessionis ex arbitrio Confessarij.

***

SECTIO II.

An qui confessus est animo obtinendi Iubilei, quod tamen deinde non lucratur, relabatur in antiquam reseruationem.

8 QVÆRIMVS, An si quis ex serio animo cõsequendi Iubileum confiteatur, & absoluatur à casibus reseruatis, mutato tamen deinde animo illud non obtineat, quia ieiunium & cetera requisita omittit, illi redeat reseruatio eorũ casuum. Pater Suarez hoc Tomo 4. disput. 31. sect. 4 Thomas Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 54. & alij docent, non redire, quia non fuit data facultas absoluendi ad reincidentiam. Nihil enim in Bulla reperitur quod id insinuet. Addit tamen Suarez, eum hominem peccaturum graviter ob pactum quasi implicitum Pontificis, qui ei facit illam gratiam cum onere perficiendi reliqua ad Iubileum obtinendum necessaria: habet enim se illa obligatio sicut pœnitentiæ Sacramentalis impositio & acceptatio, non tamen ideò illud peccatum erit reseruatum, quia de ea reseruatione nullo modo constat. Pater Thomas Sanchez non vult ibi vllum peccatum admittere, nec vllum pactum, quia ad eam confessionem sufficit propositum vniuersale non peccandi de cæteto; neque est necessarium aliud votum ibi lucrandi Iubilei, sed sufficit voluntas tunc efficax, quæ tamen nullam inducit obligationem sub mortali.

An detinens animum incerandi Iubileum post confessionem, reincidat in reseruationem.

Quæstio hæc; vtpote pendens vnicè à mente Pontificis concedente Indulgentiam, qui sine potuit eam reincidentiam reseruationis intendere in pœnam mutati animi, & qui potuit tollere reseruationem sine vllo eò onere, solo contentus serio animo lucrandi Iubilei, non potest à nobis nisi (vt sic dicam) diuinando de eius mente decidi. Ego quidem (vt verum fatear) satis propendeo ad iudicandum tacitè intelligi eam reincidentiam; quia illa reseruatio solùm est ablata in ordine ad finem Iubilei; neque videtur rationi conforme vt per eam fraudem obtineat talis homo tantum fauorem, & non impleat cetera quæ sunt odiosa. Nihilominùs saltem propter auctoritatem extrinsecam dicendum est non redire; quia cùm reditus hic sit odiosus, non debet concedi, nisi verba ipsa Bullæ eum contineant. Ad rationem ergo in oppositum dico; Eo ipso quòd dum fit confessio requiratur serium propositum obtinendi Iubilei, non posse esse fraudem vllam saltem eo tempore; quòd autem deinde mutet animum, est per accidens, & verò saltem est obtentus ille finis, quòd fuerit hic homo rectè dispositus ad gratiam, & se Deo reconciliauerit; per quod licet Indulgentiam non obtinuerit, effecit saltem multùm ad obtinendum à Deo id quod per tale Iubileum intenditur, nempe placare Deum, &c.

9 *In Iubileo duo spectantur, liberatio scilicet à pœnis in Purgatorio, & bona opera; hæc autem sunt præcipuus finis non illa.*

Quod vt meliùs intelligas, aduerte duo esse in illo Iubileo; vnum, quòd ille homo liberetur à pœna temporali ipsi debita in Purgatorio; hoc non intendit directè Pontifex, quia per hoc propriè loquendo nihil obtinemus à Deo in ordine ad calamitates imminentes Ecclesiæ auertendas, aut ad specialem aliquem fauorem pro Ecclesia exorandum; id quod vnicè & vltimatè Pontifex tunc desiderat; hæc ergo liberatio datur potiùs per modum gratiæ, fauoris & illicij ad homines excitandos ad confessionem, Communionem, ieiunium, &c. quam per modum intenti: si autem homo alia faciens ferè omnia, ex defectu vnius se priuat Indulgentiis his, seu ea liberatione à pœna Purgatorij, sibi potiùs tunc nocet quàm intento Pontificis. Secundùm quod in ejs Iubileis reperitur, sunt ipsa opera bona quæ pro illis exiguntur, ieiunium, oratio, eleëmosyna, confessio, Communio; inter quæ fortasse Deo maximè accidit grata ipsa confessio; & maximè ea tunc delinitur, quia per illam peccatores in gratiam ipsius redeunt: id quod maximè Deus desiderat. Ad hanc confessionem alacriùs faciendam præter illicitum illud quod diximus de Indulgentiis, proponit Pontifex eam licentiam eligendi Confessarij, qui absoluat à reseruatis: vtilitatem ergo eius confessionis iam obtinuit tunc Pontifex, etiamsi omittat ille homo postea vnam diem ieiunij aut visitationem templi, & ex ea omissione se priuet illo primo illicito, nempe Indulgentiis: non est ergo cur non posset conferri iuste concessa sine vt o onere reuiuiscentiæ ea potestas absoluendi à reseruatis. Confirmatur, quia posset talis homo etiam expleto ieiunio & eleëmosyna negligere orationem (quæ in se non est magna res, cùm etiam bis Pater & Aue sæpè sufficiat & ex hoc defectu non lucrari Iubileum; quo sensu cùm omissio ea (vt dixi) sit leuis videtur valdè graue onus reddere illi inutilem eam absolutionem à reseruatis, & obligare eum vt secundò eadem peccata alteri confiteatur. Quoad Indulgentias verò, quas non fuerat adhuc lucratus, non est tantum inconueniens, quòd eis priuetur, cùm nullum adhuc acquisiti iuris, & ipse voluntarie id velit: non ergo est obligandus tunc ad secundam confessionem.

10 *An peccet graviter, qui absolutus à reseruatis vt Iubilei, deponit animum illud consequendi.*

Quoad secundum punctum, Vtrùm eo casu peccet graviter ceteras diligentias aut vnam ex illis omittendo, maior posset esse difficultas ob rationem Patris Suarez. Nihilominus cùm non habeamus sufficiens fundamentum in verbis Bullæ ad tam grauem obligationem imponendam, non est cur eam imponamus: satis est, si ea negligentia mulctetur posteà priuatione Indulgentiarum ipsarum. Habet autem maiorem locum hæc ratio, quando materia, quæ neglecta est, est in se parua (vt dixi paulò antè) v.g. omissio orationis illius, quæ etiam iuxta ipsum Suarez sufficit, etiamsi leuissima sit; tunc enim illa ratione sui non videtur habere capacitatem ad peccatum graue, vt ex terminis constat: quòd autem sit causa, ne homo ille lucretur Indulgentias, non facit illam peccatum grane; alioquin & qui non est fruitus vllo priuilegio absolutionis à reseruatis, si omitteret illam orationem, etiam peccaret mortaliter: id quod nec à Suario, nec ab vllo alio asseri probabiliter potest: ille autem eodem modo tunc se priuaret eo fructu ac alter qui absolutus est à reseruatis. Nec denique graue peccatũ esse potest ex vllo pacto oneroso & quasi contractu implicito: quia si hic intercueniisset, summùm inde sequeretur, quòd reuiuiscceret reseruatio: cùm enim materia illa quæ omittitur sit leuis, ac proinde solùm possit ea necessariò requiri ad durationem contractus, non ideò peccabitur nunc de nouo graviter, sæpè enim dixi, ad valorem & durationem contractus alicuius posse à contrahentibus requiri etiã rem quæ non sit materia gravis peccati: quæ si non seruetur, rescindetur contractus, sine pec-

cato

cato tamen. Hinc à fortiori colligitur verum esse quod Pater Suarez tertio loco tradit, scilicet eam omissionem non esse peccatum reseruatum quia nullus textus illam facit peccatorum; ergo multò minùs reseruatum: reseruatio enim non ex natura rei, sed ex solo iure positiuo consurgit; ideoque vbi de illa in Iure nihil reperitur, non potest illa admitti.

SECTIO III.

An omnia peccata ante Iubileum commissa, esto non occurrant memoriæ, desinant esse reseruata in intendente lucrari Iubileum.

11 *An lucratus Iubileum oblitus inculpabiliter peccati reseruati, possit elapso Iubileo absolui per quemcumque confessarium adijens.*

DIFFICVLTAS est, An qui tempore Iubilei non est confessus, eò quòd iudicauerit bona fide se non habere vllum peccatum mortale, aduertens postea se habuisse, & quidem reseruatum, possit vi eius Iubilei absolui. Dupliciter potest hic casus proponi. Primò, vt ille homo habuerit contritionem, & ex hoc capite Iubileum lucratus fuerit; alio modo, vt illud non sit lucratus; quia licet ex ignorantia, re tamen ipsa mansit in peccato. Circa primum punctum Diana Thomo 2. Tractatu 4. de Sacramentis, resolutione 150. citat Thomam Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 15. num. 2. pro negante tunc posse absolui: at Lugo disp. 20. num. 102. putat Sanchez præcisè agere, quando Iubileum non est obtentum; eò quòd non sint adhibita necessaria ad illud consequendum. Puto tamen fuisse Sanchez benè à Diana citatum; nam ideò præcise dicit Sanchez Iubileum non esse comparatum, quia putat necessariam omnino esse confessionem etiam in non habente conscientiam mortalis; neque eo citato loco fine eius numeri vllius alterius operis pro obtinendo Iubileo necessarij defectum notat; quam quòd confessus ille homo non fuerit; verum quidem est eum non distinguere ibi, Vtrùm ille pœnitens habuerit tempore Iubilei saltem contritionem, per quam iustificatus fuerit; quidquid autem sit de sensu illius in hoc loco, certè illam pro qua eum citat Diana, defendit expressè idem Sanchez lib. 4. in Decalogum cap 54. num. 46 nam tribus aut quatuor numeris antè agebat supponendo sine confessione posse obtineri Iubileum; vbi necessariò in tali homine habente reseruata debebat supponere fuisse tunc contritionem, quando quidem si in mortali mansisset, non potuisset acquirere Iubileum; ergo quando postea numero 46. vnde illum citaui, nulla mentione facta defectus alterius operis requisiti pro Iubileo, sed sola deficiente confessione ait, postea non posse eum hominem absolui ab eis casibus reseruatis quorum fuerat oblitus; loquitur clarè supponendo illum habuisse contritionem, alioquin extra controuersiam esset, quòd non potuisset Iubileum obtinere; ergo concedit etiam eum qui lucratus est Iubileum non posse postea absolui. Fateor Sanchez sibi esse intra

12 duas columnas planè contrarium, quod valdè miratus sum; numero enim 34 ad medium hæc habet: *Nam ratio, ob quam communiter Doctores tradunt peccata tempore Iubilei oblita non manere eo transacto reseruata, non est, eò quòd pœnitens sit ab illis tempore Iubilei absolutus indirectè, dum à reliquis in confessione delictis absolutus est, vt benè probat idem Suarez. Tomo 4. in 3. par. disput. 3. sect 4. num. 13.* & post pauca; *Sed legitimam causam tradit idem Suarez, quod acquisierit pœnitens per ipsum Iubileum ius, vt possit postea liberè cuiuis Confessario confiteri.* Et hac ratione deducit numero 41 retenta opinione probabili, quòd is qui non habet conscientiam mortalis, non teneatur confiteri ad lucrandum Iubileum, si nulla præmissa confessione illud est lucratus, & elapso tempore recordetur se habuisse casum reseruatum possit tunc ab eo absolui à quolibet approbato; & licet ipse iudicet confessionem etiã de venialibus requiri, ideoque absolutè illationem non iudicet veram, data tamen ea suppositione omnino eam iudicat certam. Hæc docet eo numero, numero autem 46. plane contradictorium tradit; ait enim, Si nulla est facta confessio tempore Iubilei, non auferri reseruationem casuum, quia hæc non aufertur nisi per absolutionem; nam Iubileum non aufert reseruationem, sed dat ius Confessario eam auferendi media confessione. Ecce & conclusionem & rationem, quam anteà ex Suario approbauerat, iam reiicit; & quidem argumentum hoc secundum, quòd Confessarius auferat reseruationem, videtur mihi graui æquiuocatione laborare, cùm reseruatio non auferatur à Confessario, sed à Papa: auferetur enim ad hoc, vt ego possim ad quemlibet accedere, & iam facta sunt peccata omnia eiusdem rationis; Confessarius enim dãs absolutionem, non facit sibi potestatem vt possit absoluere, sed vtitur data à Papa, & tollit peccata quoad culpam, non quoad reseruationem. Denique ratio, quam pro communi sententia ex Suario approbauerat Sanchez, est optima, quia absolutio indirecta non tollit reseruationem, vt patet in exemplo Religiosi, sine memoria casus reseruati confitentis suo Prælato; tunc enim iuxta communem sententiam non tollitur reseruatio eius casus, de quo est oblitus pœnitens, vt loco citato idem Sanchez docet, & tamen est absolutus indirectè ab habente potestatem directam absoluendi à reseruatis; ergo confessio interueniens in Iubileo habet se per accidens ad hoc punctum: & ita absolutè tenenda est ea prima doctrina Sanchez, Suare & aliorum, scilicet iam ea peccata, quorum est oblitus, non esse reseruata.

Decisio superioris quæstionis affirmatiua.

Circa secundum sensum suprà positum non est tanta difficultas; nam cum Pontifex solùm concedat facultatem absoluendi à casibus & Confessarium eligendi in ordine ad obtinendas Indulgentias, & hic nec eas obtinuerit, nec iam possit illas obtinere, consequenter non potest iam vi eius Iubilei absolui à reseruatis.

13 *Quid si non fit lucratus Iubileum?*

Dices: Ille processit bona fide, & fecit reliqua ad Iubileum obtinendum necessaria; ergo illi in ordine ad Iubileum fuit ablata reseruatio; potuit enim ea licentia vti; quòd autem re ipsa non sit ea vsus, ortum est per accidens ex ignorantia inuincibili, quæ non debet ei vitio verti; ergo reseruatio est illi ablata absolutè; nõ est ergo cur dicatur rediisse magis quàm alteri qui lucratus est Iubileum. Confirmo & explico ex his quæ in materia notaui; nam facultas, vt possit quis absolui à reseruatione, non datur in præmium obtenti Iubilei, quia Iubileum ipsum potiùs est præmium, & quidem maximum; datur ergo ea facultas vti & ipsum Iubileum per modum præmij ad excitandos homines vt orent

Deum, ieiunent, dem eleëmosynam, confiteantur, & communicent; nam his rebus maximè placatur Deus, & obtinetur Ecclesiæ pax aut finis alius intentus à Pontifice; atqui ille & ieiunauit, & dedit eleëmosynam, & orauit, ergo etiam illi facta est ea gratia non minùs quàm alteri: nam quòd alter simul obtinuerit hanc secundam, scilicet Iubileum, non reddit illum magis, imò quodammodò minùs dignum illa priori, quia magis est remuneratus quàm alter; remuneratio autem maior quà talis non auget meritum: quòd verò hæc opera fecerit hic in mortali ex ignorantia, nihil penitus facit ad tem præsentem, quia iam sæpè diximus posse ea opera fieri in peccato, etiam quando re ipsa obtinetur deinde Iubileum; & fortassis ille, qui illud lucratus est non fuit in gratia, nisi in vltimo ferè momento antequam communicaret, & lucraretur Iubileum; quare ergo erit minùs dignus ea gratia ille qui inuincibiliter mansit in peccato?

14 Confirmantur Secundò; nam qui animo lucrandi Iubileum absoluitur à reseruatis, manet vere & in rigore absolutus iuxta multorum sententiam, quam defendimus vt probabiliorem; licet postea ex nequitia omittat reliqua ad lucrandum Iubileum necessaria, non enim ideò fiunt iterùm reseruata ea peccata; ergo cùm huic fuerit ablata reseruatio, eo ipso quòd reliqua fecerit vt Iubileum lucraretur, & postea nihil omnino omiserit culpabiliter; profectò videtur magis dignus, cui non auferatur priuilegium illud non-reseruationis, quod iam habuerat, quàm alter sit dignus ne ei redeat iterùm reseruatio.

Intentum Pontificis in concedêdo Iubileo & facultate eligendi Confessarium.

Nam caret hæc obiectio graui difficultate; vt verò ei respondeam aduerte, non concedi à Pontifice gratiam eligendi Confessarium illo præcisè fine impellendi hominem ad ea opera, quibus diximus Deum placari: etenim esto ille homo eadem faceret, & quidem triplo maiora: si tamen non vellet obtinere Iubileum, nequaquam posset absolui à reseruatis. Ita ergo hæc facultas datur ad alliciendum hominem ad ea opera, vt simul planè detur dependenter à Iubileo, vt sic dicam, in re vel in voto acquisito: vnde fit, vt qui re ipsa illud acquisiuit, ea gratia fruatur; & qui per confessionem bonam ex animo illud, acquirendi quasi in voto illud etiam acquisiuit etiam ea gratia fruatur: (licet hoc secundum, quando re ipsa deinde non posuit reliqua requisita non careat difficultate graui, iuxta ea quæ suprà diximus:) at ille qui manens semper in peccato nec per confessionem nec per contritionem se posuit in statu capaci illud consequendi: esto aliqua alia opera fecerit, manet adhuc re ipsa indignus eo priuilegio. Confirmo: Illa facultas eligendi Confessarium est data immediatè eo fine, vt homo ille, qui fortasse ob pudorem dicendi vni certæ personæ suum peccatum, manebat adhuc in statu inimici Dei, & venerabile Sacramentum non poterat dignè sumere, iam facta ea licentia confiteatur, & se ad gratiam disponat, ac dignè communicet: ille autem qui erat in peccato, & neglexit contritionm, licet in ea omissione non peccauerit, nihil tamen fecit in ordine ad intentum Pontificis, nec ad gratiam redit, nec Communionem dignam fecit: suppono enim nec attritionem cum ea Communione habuisse (vt abstraham à sententia quæ docet tunc per Eucharistiam conferri gratiam:) ergo non fuit meritus vt ei duraret non-reseruatio, sed eam, quam habere poterat durante Iubileo, amisit elapso illius tempore. Alter verò, qui esto sine confessione, re tamen ipsa rediit ad gratiam, digne communicauit, & Iubileum obtinuit, dignus adhuc est vt fruatur (à ablatione reseruationis pro peccatis ad tempus, quo lucratus est Iubileum, commissis.

15 Explico adhuc id vlteriùs: Nam quando hic per contritionem lucratus est Iubileum, si postea eligat Confessarium, iam ea confessio est implicitè ad finem Iubilei, vt absoluatur directè ab his peccatis, à quibus fuerat per contritionem absolutus solùm in voto Sacramenti: hæc ergo absolutio nunc data complet vnam integram cum ea, quæ per contritionem obtenta est; ac proinde sicut eius hominis iustificatio fuit in ordine ad Iubileum, ita confessio nunc facta de peccatis quæ tunc erant, complet vnam perfectam absolutionem à peccatis in ordine ad Iubileum. Nihil autem planè horum est in eo, qui non fuit iustificatus, nec lucratus est Iubileum ergo: & ex his manet responsum ad ea quæ in contrarium fuere obiecta.

An concipiês animum lucrandi Iubilei, vltimo vel penultimo die, & tũ confitetur, reliqua deinde facturus possit absolui à reseruatis.

Adhuc potest circa eum casum quæri, Vtrùm qui per vtramque hebdomadam vsque ad diem Sabbati fuit sine animo lucrandi Iubilei, possit illo Sabbato mutato animo velle illud lucrari, possitque ideò absolui à reseruatis petendo à Confessario, vt vi clausulæ Bullæ in sequentem hebdomadam differat sibi ea quæ non potest iam perficere. Sanctarellus, Lauorius & Diana, quos citat & sequitur Lugo disp. 10 num. 139. affirmant; quia potest Confessarius permutare omnia illa opera in sequentem hebdomadam. Ego tamen vix puto id esse probabile, attentis verbis Bullæ; & quidem ipse Lugo non videtur in hoc puncto constans fuisse; nam infrà disputatione 27 sectione 7. licet quæstionem non tractet in terminis, agens tamen de potestate transferendi in aliud tempus diligentias pro Iubileo obtinêdo, solùm eam concedit his qui legitimè fuerunt impediti: & quidem id iure merito docet, cùm verba ipsa Bullæ solùm de his loquantur: at qui sciens potensque id distulit ex sua nequitia, non fuit legitimè impeditus; ergo non potest eas in aliam hebdomadam transferre. Explico, Pontifex solùm facit licentiam permutandi ea quæ non potest pœnitens exequi; atqui illa, quæ ex nequitia sua distulit, seu neglexit, propriè non dicuntur cadere sub impotentiam; ergo ea non possunt transferri; alioquin aliquis aduertens tertia hebdomada futura ieiunia ex obligatione, posse nolle lucrari his hebdomadibus Iubileum, sed dicere Sabbato vltimo, Fortè mutabo animum, & hoc modo ieiunia transferam in eam tertiam hebdomadam, & Iubileum lucrabor sine nouis ieiunijs; id quod nullo modo est admittendum, iudico ergo talem neque Iubileum ipsum posse acquirere, ac proinde neque à casibus reseruatis asolui; quòd si tamen concedatur eum posse Iubileum lucrari, tunc etiam concedam posse absolui ab eis casibus.

SECTIO IV.

Quomodo Regularibus possit Iubileum ad absolutionem à casibus, & ad eligendum Confessarium.

QVÆRIMVS. An Religiosi vi Iubilei possint eligere quemcumque Confessarium 16

16 *An vt Iubilei possit Religiosus eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, modò sit à suo Prælato approbatus.*

à suis Prælatis approbatum, esto ab Ordinario approbatus non sit. Pro quo suppono, sæpè approbari à Prælatis pro confessione domesticorum illos qui non habent ab Episcopis licentiam audiendi confessionem. Hoc posito affirmat Bonacina disput. 5. de Sacramentis quæst. 7. puncto 4 §. 1. num. 25. & Diana Par. 5. resolutione 37. vbi refert Sanctarellum & alios, qui dicunt nomine Ordinarij debere intelligi ordinarium eius qui confitetur. Bonacina etiam addit durum esse dicere, non posse Religiosum ad effectum Iubilei confiteri suo Prælato, si hic approbatus ab Ordinario non sit; cumque in aliquibus Religionibus, vti apud Carthusianos, qui sæcularium confessiones non audiunt, vix sit vllus approbatus ab Ordinario, nullam planè gratiam eis faceret Pontifex. Nihilominùs contraria sententia, quæ est communis, tenenda est; eam docet Suarez hic disputat. 28. sect. 6. num. 11. & videtur eam supponere vt omnino certam Reginaldus in praxi Tomo 1. lib. 2. cap. 15. sect. 2. num. 195. Vega & alij, quos refert & sequitur Lugo d. sput. 20. sect. 8. Probatur autem efficaciter, quia in his concessionibus non debemus magis extendere facultates quàm verba ipsa sonet; verbum autem *Ordinarium* maximè cùm particula addita *locorum* numquam significat nisi Episcopum aut eius Vicarium. Nullum item fundamentum adfert aduersa pars, vt immutet significationem illam; ergo. Idipsum à posteriori confirmant Suarez & Lugo; quia alioquin possent Religiosi confiteri Sacerdoti sæculari etiam non approbato ab Episcopo; quia extra Iubileum possunt illi confiteri de licentia Prælati; ergo possunt tunc ab eo absolui à casibus reseruatis; hoc autem est absurdum. Probabile argumentum; fortassis tamen responderent Bonacina & alij, Bullam intelligendam de Confessariis approbatis ab Episcopo, si non sint eiusdem Religionis, vel de approbatis à Prælato pro propriis Religiosis; nam licet possit Prælatus confiteri sæculari Sacerdoti non approbato, non tamen per hoc propriè dicetur illum approbare: quia ad Prælatum Religionis non spectat iudicare de doctrina sæcularis in ordine ad eum approbandum licet illi possit dare iurisdictionem absoluendi se & suos: eò quòd Prælatus non est Episcopo subditus; id tamen non potest propriè moraliter dici approbatio; secùs quando Religiosum suum tamquam proprius iudex declarat capacem & sufficientem ad audiendas suorum confessiones: tunc enim etiam ille potest absolutè dici approbatus: quidquid ergo de hoc argumento sit, primum sufficit. Ad id verò quòd suprà in contrarium obiiciebatur respondeo, Non esse inconueniens vllum, quòd aliquibus Religiosis non fiat tunc specialis gratia in ordine ad eligendum intra proprium Ordinem Confessarium, quia eligere potest ex sæcularibus vel ex aliis Religiosis approbatis: id quod est satis magnus fauor. Meritò autem id non concessit Pontifex, quia valdè graue est absoluere à casibus ipsi Papæ reseruatis; nec expediebat id concedere intra Religionem cuilibet ab ipso Prælato designato, & de cuius scientia parum vel nihil constaret Ecclesiæ.

SECTIO V.

Cætera quæ de Iubileo desiderari possunt declarantur.

QVomodo confessio requiratur pro Indulgentiis obtinendis, & cõsequenter pro Iubileo, diximus suprà: circa quod verti potest indubium, Vtrùm, qui prima hebdomada ieiunauit, possit ad intentum Iubilei confiteri & communicare Dominica secunda; quod idem de eo qui ieiunauit secunda hebdomada potest quæri respectu tertiæ. Vno verbo quærimus, An Dominica sequens reputari queat pro hebdomada præcedenti. Respondeo, Quoad Communionem, ordinarium contextum Bullæ facultatem tribuere ait enim; *Atque peccata sua confessi sequenti saltem die Dominico sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter sumpserint, & eleëmosynas ad libitum, prout charitas singulos suggesserit fecerint.* Paul. Filiucius Tomo 1. Tractatu 8. cap. 10 putat ex his verbis solam Communionem posse ad Dominicam diem differri, quia id solum verba denotant; aitque ita a Clemente Octauo declaratum, esto simul permiserit Pœnitentiarios sancti Petri, vt die etiam Dominica a reseruatis absoluerent. Ego tamen non video quomodo hic Auctor solam communionem dicat ad diem Dominicam posse differri, cùm verba Bullæ post Communionem etiam ponant elargitionem eleëmosynæ.

17 *An Dominica sequens possit reputari pro hebdomada præcedente in Iubilæi.*

Dicendum ergo est, etiam confessionem posse differri: ita fere omnes Auctores nunc sentiunt; estq; (vt ait Cardinalis Lugo disput. 7. n. 104.) in praxi Romæ eadem die Dominica ante Communionem confiteri pro Iubileo; quam praxim non possunt ignorare Pontifices. Et certe verba Bullæ licet inter confessionem & communionem interponant diem Dominicam, non tamen ideò denotant confessionem debere esse ante illam diem, sed optimè possunt hoc modo explicari: Qui confessus ea die Dominica communicauerit, ita vt ad confessionem & Communionem referatur *eò die Dominica*. Confirmo, quia cùm ad accedẽdum cum maiori dispositione ad Communionem meliùs longè sit immediatè antè confiteri, ne detur occasio nouis peccatis saltem venialibus; & verò ita communis praxis Fidelium etiam aliis diebus seruet; fit planè moraliter certum, Pontificem, qui communionem permisit ad eam diem differri, etiam permisisse differri confessionem. Quòd verò dicebatur de declaratione Clementis VIII. non est authenticum, vti neque quod ait Bonacina, priuilegium communicandi die Dominica sequenti non se extendere extra Romam: etenim licet Bulla, dum agit de Iubileo alibi obtinendo, non repetat omnia verbo ad verbum, quæ dixerat dum egit de Vrbe; addit tamen illas particulas *pariter & similiter*, quæ denotant nihil in hoc puncto speciale concedi pro Vrbe quod non pro tota Ecclesia. Nec video quæ ratio tibi posset vrgere ad hoc priuilegium concedendum Romæ, non verò alibi.

18 Vbi aduerte, non defuisse aliquos qui dixerint è contrario primam diem Dominicam non pertinere ad Iubileum; id quod planè videtur esse contra sensum fidelium, imò & contra verba

ipsa

ipsa Bullæ: cùm enim hebdomadæ inchoëntur à Dominica die, non à die Lunæ; profectò si Bulla dicit his duabus hebdomadibus posse Iubileum obtineri, necessum est includat etiam primam Dominicam: & ita, vt dixi communiter sentiunt fideles.

An possit quis requisita ad Iubileū partiri in duas hebdomadas.

Secundò nota, Bonacinam, quem citat Lugo numero 104. & Dianam putare, intra illas duas hebdomadas posse quem diuidere requisita ad Iubileum, ita vt in vna ieiunet, in altera det eleëmosynam ac confiteatur. Quæ doctrina videtur omnino contraria verbis Bullæ; nam in ea expræsse ideò conceduntur duæ hebdomadæ, vt in vna ex illis possit obtineri Iubileum; non verò vt in vtraque mediam partem diligentiarum, in vna mediam, & mediam in vltima faciẽdo: finis etiam dandi duas hebdomadas non est nisi propter multitudinem hominum, qui in multis locis non possent vna hebdomada confiteri; vel quia aliqui sunt vna hebdomada occupati, vt possint habere tempus pro illo lucrando: ac denique in hoc sensu planè Bulla accipitur ab omnibus fidelibus, neque sufficit quod dicit Diana, ex præsumpta voluntate Pontificis posse in eas duas hebdomadas ea opera requisita diuidi: etenim verba ipsa Bullæ nil de ea voluntate significant, potiùs oppositum: si autem Pontifex haberet eam voluntatem, quam Diana dicit, cur quæso vteretur verbis contrarium planè significantibus?

Ieiunia pro Iubileo seruãda iuxta morem patriæ.

Secundò dubitatur. An in ieiuniis requisitis debeat abstineri à lacticiniis. Respondeo cum communi, Debere seruari consuetudinem loci & tẽporis, in quo ieiunatur: si enim sit in Quadragesima, & tunc non liceat vesci lacticiniis, debebit quis ab eis abstinere; si verò extra Quadragesimam, & etiam tunc non sunt licita lacticinia, vti non sunt in ditione Pontificis, etiam non erunt pro Iubileo; si verò licita sunt, vt in Hispania & Germania, tunc etiam poterit quis pro Iubileo ieiunare ea comedendo.

19

Dices; Ergo qui habet facultatem comedendi carnes, aut cœnandi diebus ieiunij, poterit Iubileum obtinere idem obseruando diebus illis quibus pro Iubileo ieiunatur. Negatur consequentia, quia illud priuilegium destruit ieiunij substantiam; ideò licet excuset à præcepto, non valet tamen ad obtinendum Iubileum. Hæc solutio aliquam habet difficultatẽ ex his quæ Tomo quinto dixi, ostẽdens ex natura rei ieiunium non dicere Abstinentiam à carnibus: nam in Lege veteri erant ieiunia sine ea abstinẽtia per solam vnicam comestionem ad diei finem. Rationem autem dedi: nam excluso naturali ieiunio quod propriè dicit carentiã omnis cibi & potus, reliqua ieiunia sunt ad libitum Legislatoris, habéntque magis & minus: vnde eo loco intuli valdè esse probabile, eum, qui comedit carnes ea solũ ratione quòd ei pisces sint nociui, teneri ad non cœnandum: vnde ad rem præsentem aliquis diceret, eum, qui habet priuilegium comedendi carnes, habere etiam priuilegium seruandi ieiunium mutata tantùm circumstantia, ac proinde eũ posse eo modo obtinere Iubileum. Nihilominùs respondeo, Etiamsi absolutè loquendo verum sit, ieiunij substantiam non exigere eam abstinentiam à carnibus, sed saluari posse in vnica comestione. Bullam tamen Pontificis debere intelligi iuxta communem ordinariam acceptionem ieiunij nostris temporibus; hoc autem tempore ieiunium censetur tamquam substantiam, saltem partialem, includere abstinentiam à carnibus: ac proinde omnes ferè iudicant, si cum aliquo dispensatur vt edat carnes, dispensari eo ipso vt non ieiunet. Pro Iubileo autem (secluſa commutatione quæ fieri potest à Confessario) requiritur ieiunium proprium: in lacticiniis non habet locum hæc ratio, quia ea non destruunt substantiam ieiunij iuxta sensum planè totius Ecclesiæ: vnde Pontifex petens pro Iubileo ieiunium non tollit lacticinia, vbi eis licitum est vesci diebus ieiuniorum.

Ieiunium pro Iubileo debet esse cũ abstinentia à carnibus.

20

Adhuc circa ea ieiunia dubitatur, An per illa, quæ sint alioquin sub præcepto, aut sub voto, possit quis Iubileũ lucrari. Respõdeo, Difficultatem hanc non posse moueri ab his qui sciunt Romæ omnia ferè Iubilea in Quadragesima obtineri, licet ad nos cõmuniter veniant extra illam post Pascha. Si ergo Romanis sufficiũt illa ieiunia sub obligatione cur non & nobis si etiã apud nos in simili concursu publicarẽtur?

poteſt obtineri Iubileum per ieiunia quæ alioquin sunt ex obligatione.

Dices: Non dat eleëmosynam qui pauperi dat id quod debet: ergo neque ieiunat pro Iubileo, qui eo die ieiunat, quo alias tenebatur. Respondeo, Consequentiam esse valdè mirabilem: nam in casu obiectionis neq; pro Iubileo neq; absolutè dat eleëmosynam, qui soluit quod debet. At quis dixit eum non ieiunare verè, qui ieiunat in Vigilia sancti Matthiæ incidente in Quadragesimam, esto habeat tunc duas obligationes, imò esto haberet mille ieiunandi? Respondeo ergo absolutè, Eleëmosynam ex suo conceptu essentiali petere vt sit liberalis donatio, redditio autem debiti non est donatio; ieiunij verò essẽtia non tollitur, vt diximus, per hoc quòd sit etiam sub mille præceptis, quia illius essentia solùm consistit in abstinentia à carnibus & vnica comestione. Neque Pontifex petit vt illa ieiunia non sint aliàs sub præcepto: posset quidem id petere; interim quando nihil dicit, non potest esse ratio dubitandi in hoc puncto.

Quomodo Religiosi facere possint eleëmosynam pro Iubileo.

Circa eleëmosynas verò dubitatur, quomodo Religiosi possint eã dare, cùm nihil habeãt, Respõdetur, Eos posse dare ex bonis communitatis Superior ergo dare potest nomine omnium. Id quod etiam ad Franciscanos extenditur. Nam licet non habeant dominium habent tamẽ vsum cum potestate donandi & transferendi hominũ, ideoque possunt eleëmosynas facere.

21

Illud circa hoc punctum potest habere maiorem difficultatem, Vtrùm necessarium sit particularibus Religiosis constare factam esse eam eleëmosynam, debeantque eam ratam habere, vt lucrentur Iubileum. Affirmat Lugo, quia ea eleëmosynæ elargitio est opus morale, ad quod requiritur aliqua cognitio & voluntas; ergo debent ipsi Religiosi ea de re præmoneri. Probabile tamen mihi videtur non esse necessariam expressam & distinctam notitiam & volitionem, sed sufficere quòd implicitè velint facere omnia quæ ad Iubileum consequendum sunt necessaria eo enim ipso approbant implicitè quæ à Superioribus fiunt in ordine ad eum finem. Neque in Bulla quidquam requiritur de distincta ac expressa approbatione.

An qui ex ignorantia Iubilei per missit tempus elabi, possit postea illud obtinere

Quartò queritur, An qui ex ignorantia Iubilei illud non est lucratus, possit elapsis duabus hebdomadibus præscriptis illud lucrari. Respondetur, Olim vi antiquarum Bullarum omnino potuisse, quia in eis vniuersaliter omnibus, qui

qui aliquo impedimento detenti illud non lucrabntur, fiebat potestas illud deinde lucrandi: at recentes Bullæ solis nauigantibus & iter agẽtibus concedunt eam facultatem, ceteris autem legitimè impeditis solùm permittitur, vt arbitrio Confessarij possint aliqua opera prorogare. Quod cùm benè obseruauerit Lugo, miror eum suprà docuisse, illum, qui ex nequitia vsque ad diem vltimum Sabbati secundæ hebdomadæ noluit lucrari Iubileum, posse tunc ex Confessarij consensu in sequentem hebdomadam transferre reliqua pro eo obtinendo necessaria: etenim talis homo non fuit aut iter faciens, aut nauigans, aut legitimè impeditus: sed de hoc iam diximus suprà fusiùs.

22 *Quid si vltima die rescienti confitetur & communicet, cetera post pera ctum.*

Difficilius est An saltem si ex ignorantia vsque ad eam diem Sabbati non fecit necessaria pro obtinendo Iubileo, possit eo Sabbato confiteri, & die Dominica communicare, reliqua verò in immediatam hebdomadam transferre; Respondeo, Omnino posse, quia talis & fuit legitimè impeditus pro aliis operibus, confessionem autem & Communionem, quæ transferri non possunt, non transfert sed intra debitum tempus explet; ad alia verò transferenda Confessarius habet potestatem, quia ille moraliter cùm ignorauerit Iubileum, nequiuit ea facere; hoc autem dici non potest de eo qui ex malitia ea noluit explere.

An possit quis facere partem requisitorum pro Iubileo in vno loco, & partem in altero.

Quintò quæritur, An qui in ciuitate non manet toto tẽpore promulgationis, sed est ibi duobus diebus, & deinde pergit aliò, possit efficere in vno loco mediam partem diligentiarum, & aliam mediam in alio. Suppono hunc, si velit, posse absoluto tinere in loco ad quem venerit lucrari Iubileum vi facultatis factæ itinerantibus, (de qua immediatè antè;) quæstio ergo non est, An hic absolutè possit illud obtinere, sed, An diuiden lo opera possit. Respondeo, Aliqua est pro obtinendo Iubileo quæ non pendent à loco; vti iejunium, eleëmosyna, confessio & Communio. Hæc sine dubio possunt fieri extra Pragam v. g. & tamen potero lucrari Iubileum quod me Pragæ existente promulgatũ est: quia Pontifex non petit, vt in eodem loco ea omnia faciam, sed vt ea faciam illâ hebdomadâ. Alia sunt opera quæ alligantur loco, vt interesse Processioni Pragensi, visitare Ecclesias Pragenses: & in his potest esse dubium, vtrùm si veniam ad ciuitatem distinctam, sufficiat visitare Ecclesias ibi assignatas, esto Pragæ iam iciunauerim die Mercurij, Iouis, &c. Cardinalis Lugo negat disput. 17. sect. 7. quia vi promulgationis Pragensis non acquisiui ius nisi positis conditionibus quæ in promulgatione Pragensis requirũtur: qualis est visitatio Ecclesiæ Pragensis: si autem Pragæ dedi eleëmosynam, ea non prodest pro altera ciuitate, ad quam veni post factam promulgationem: quia si quis die Dominica ante promulgationem Iubilei confiteatur, illa confessio non valet: debent enim fieri omnes diligentiæ, postquam quis per promulgationem acquisiuit ius ad lucrandum Iubileum.

23 *Valent pro obtinendo Iubileo confessio & Communio acta paulò ante promulgationem illius.*

Ego tamen putarem id omnino sufficere: vti enim præcepto audiendi Sacrum die aliquo potest fieri satis, si quis audiuit Sacrum etiam antequam præceptũ illud imponeretur: (id quod cum hoc eodem Auctore nos alibi docuimus:) cur quæso per confessionem & Communionẽ, quam hac hebdomada requirit Iubileum, non fiet satis, quantumuis ea sit facta ante promulgationem Iubilei? maximè si quis præsciens futuram promulgationem ordinauerit confessionem & Communionem ad hoc intentum. Et sanè id videtur esse in praxi: multi enim scientes prò mulgandum Iubileum die Dominico post concionem, ipsi manè eodem die confitentur & cõmunicant: & quidem quoad confessionem ex alio capite non est vlla difficultas, quia ea solùm requiritur in his qui habent conscientiam peccati mortalis; vnde si mortalia iam ille abstulit per confessionem etiam die Sabbati antecedẽti, non tenebitur amplius confiteri. Verùm hoc est per accidens ad nostrum intentum in quo non iudico Pontificẽ adeò fuisse de ea re solicitum, vt si Communio ac confessio die ipso facta sit, & quidem animo lucrandi Iubileum quod ipse requirit; noluerit tamen ad obtinendum illud eam prodesse, si fiat medio quadrante aut media hora ante promulgationem: videtur enim id mihi valdè leue pro toto Pontificis intento, non dico Pontificem non potuisse id exigere; sed dico non debere præsumi id exegisse. Hinc discurro vlteriùs ac secundò dico, Valdè esse probabile, si & hic Pragæ & in vicina ciuitate eodem tempore publicatum sit Iubileum, sufficere si ego visitem in vicinâ ciuitate Ecclesiam ibi designatam, etiam si tempore publicationis nõ fuerim ibi, sed Pragæ, & Pragæ incepetim iciunare, aut dederim eleëmosynam, quia tota ea diuersitas videtur esse valdè materialis ad mentem Pontificis; & eo ipso quòd ego sciam in vtroque eo loco publicatum esse Iubileum, possum dici acquisiuisse ius pro eo vtroque loco; ac proinde facere potero eleëmosynam Pragæ, & in vicino visitare Ecclesias ibi assignatas.

Circa facultatem autem permutandi aliquas ex conditionibus, quæ pro Iubileo requiruntur, iam diximus, posse à Confessario omnes eas permutari pro his personis, quæ sunt legitimè impeditæ, excepta confessione & Communione. Quoad commutationem verò votorum nihil speciale occurrit, præter ea quæ in ipsa Bulla clarè continentur; quia verò in ea dicitur id debere fieri à Confessario, quæri potest, Vtrùm id debeat fieri ab illo, cui tunc quis confitetur, an verò possit quis vni confiteri, & ab altero petere permutationem votorum; quòd si multa habeat vota, an possit ab vno Confessario petere permutationem vnius, aliorum verò ab altero. Respondeo breuiter; Quandoquidem Bulla non dicit omnia debere fieri ab vno, sed præcisè à Confessario approbato; siue autem id fiat ab vno, siue à duobus, semper sit verum fieri ab approbato Cõfessario; probabilius videri non esse necessarium id determinare ad vnum: & ita sensit Hen. lib. 1. de Indulg. c. 10. & Th. Sanch. l. 4. in Dec. c. 54. quos Lug. sequitur suprà n. 120.

Quis Confessarius intelligatur in Bulla pro votis commutandis

Dices; Ille cui ego non confiteor ordinariè, neque hic & nunc non potest respectu mei dici Confessarius; ergo nec poterit mea vota permutare, quia Bulla non dicit absolutè arbitrio Confessariorum, sed suorum Confessariorum. Respondeo, Illud verbum *suorum* non legitur iam in modernis Bullis, sicut in antiquis legebatur. Vnde licet fortè olim propter hoc verbum non potuerit fieri ea permutatio nisi à proprio Confessario, vel ordinario, vel cui tunc actu confitebatur, de facto tamen ea restrictione ablata non esse, cur nos restringamus eam facultatem, sufficiet ergo quilibet Confessarius ex approbatis ab Ordinario. Et satis de Iubileo ac de tota materia Pœnitentiæ & satisfactionis prout præscindit à Sacramento.

TRACTA

TRACTATVS QVARTVS,

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1 EXPLICVIMVS hucusque quidquid ad remissionem culpæ & pœnæ temporalis potest concurrere extra Sacramentum Pœnitentiæ, iam ipsum Sacramentum explicandum erit. Et quidem non est animus contra Hæreticos huius temporis probare, illud esse verum Sacramentum à Christo Domino institutum; id enim sufficientissimè à Controuersistis tam recentioribus quàm antiquioribus præstitum est. Videatur Bellarminus lib. de Pœnitentia cap. 10. & 13. Suarez disp. 6. sect. 1. & 13. ferè per totum, Valentia in Controuersias lib. de Numero Sacramentorum, & lib. de Necessitate confessionum, & alij apud ipsos. Nos veritatem Catholicam supponentes ea discutiemus, quæ inter Scholasticos aliquo modo sunt controuersa, & speciali indigent explicatione.

DISPVTATIO XXX.

De institutione, efficacia & partibus in genere huius Sacramenti.

SECTIO I.

A quo, & quomodo sit institutum hoc Sacramentum.

2 *Christus dedit Ecclesiæ Pastoribus facultatem remittendi peccata.*

CIRCA primam sectionis partem dicendum est, Christum Dominum reliquisse Pastoribus Ecclesiæ potestatem ad remittenda peccata post Baptismum commissa, vt constat ex illis verbis eiusdem Christi ad Petrum Matthæi 16. *Tibi dabo claues Regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis*, &c. ad omnes Apostolos Matthæi 18. & Ioannes 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quòd enim aliqui hæretici respondeant, ibi esse sermonem de potestate prædicandi Fidem, per quam remittuntur peccata, est planè ridiculum; nam potestas prædicandi aliis verbis expressis fuerat concessa: verbum autem *prædicare* non significat remittere peccata. Denique Fide remitti peccata est alius error nouus peior forte hoc de quo agimus. Nec item possunt intelligi ea verba de potestate baptizandi, quia Baptismus non potest remittere sufficienter peccata, cùm non possit nisi semel conferri; & Ecclesia iam fundata semper erat conferendus infantibus, ac proinde pro tollendis peccatis reliquæ totius vitæ nullius esset futurus vtilitatis; remittere autem solùm Originale non est sufficiens vt aperiantur portæ cæli, quæ maximè clauduntur per peccata mortalia actualia; ergo ea loca clarissimè hanc potestatem absoluendi significant, & ita sunt intellecta à sanctis Patribus & Pontificibus: ac ex illis definita est passim in Conciliis hæc veritas, & vsu perpetuo Ecclesiæ comprobata.

3 Circa secundam tituli partem seu circa tempus, quo est hoc Sacramentum institutum, dicimus Primò, Illud non fuisse institutum immediatè post Adami peccatum, nec ante aduentum Christi (vt quidam falsò dixerunt.) Probatur, quia de institutione nullum penitus est fundamentum: in rebus autem his supernaturalibus, & à libera Dei voluntate supra omnem naturæ exigentiam institutis, nihil est dicendum, nisi quod ex Scriptura, Patribus, Pontificibus aut Conciliis constat; vbi ergo nihil horum est, vti hîc nihil est, non potest asseri antea extitisse Sacramentum hoc; deinde Concilia definiunt illud fuisse institutum à Christo Domino; ergo antea non erat: & verò gratis Christus eam dedisset Apostolis potestatem si ea iam antea erat concessa. De quâ re, vti de præcedenti puncto, vide Suar. disp. 16. sect. 1 & disp. 17. sect 2.

Sacramentum pœnitentiæ est à Christo post resurrectionem institutum.

Secundò dicendum (vt paulò ante est insinuatum) hoc Sacramentum fuisse immediatè à Christo Domino institutum, & quidem post resurre

resurrectionem, quando Ioannis 10. cap. insufflauit in Apostolos dicens; *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vbi hæc institutio clarissimè exprimitur; & ita à Tridentino Sess. 14. Cap. 10. prædictus locus intellectus est, & definitum, eo contineri huius Sacramenti institutionem. Aduerte tamen, licet Concilium eo loco addiderit particulam *præcipuè*, quasi denotans alibi etiam fuisse institutum hoc Sacramentum, non tamen ita principaliter; id eo sensu dixisse, vt denotaret in aliis locis factam huius Sacramenti mẽtionem, esto tunc non fuerit institutum re ipsa actu, sed promissum; vt dum Matthæi 18. dicitur; *Quæcumque alligaueritis super terram*, &c. vbi non institutio sed promissio Sacramenti continetur quia autem ipsa promissio solet aliquando reputari pro institutione rei, ideò Concilium dixit, *Præcipuè illis verbis institutum.*

4 Hinc colliges, falsò nonnullos dixisse, hoc Sacramentum fuisse iam institutum quando Matthæi 4. hortabatur Christus homines vt agerent pœnitentiam; nam ibi non de Sacramento Pœnitentiæ, sed de virtute Pœnitentiæ, dolore scilicet & emendatione vitæ sermo erat, Neque enim vbicumque inuenitur vocabulum *pœnitentia*, ibi de Sacramento fit mentio. Quæ fuit occasio aliquibus grauiter errandi, & asserendi immediatè post peccatum Adami fuisse hoc Sacramentũ institutum: de quo paulò antè.

Sed obiicies: Hoc Sacramentum fuit iustitutum in Cœna, quando Christus ordinauit Apostolos in Sacerdotes, ergo non post resurrectionem. Confirmatur, quia ipse Christus cruce dixit *Consummatum est*, ostendens Legem nouam iam tunc perfectè stabilitam. Respondeo, In Sacramento Ordinis de facto dari duas potestates distinctas respicientes distinctos effectus, quæ conferuntur per distinctum formam & materiam, scilicet potestatem consecrandi valide Christi corpus, & potestatem absoluendi à peccatis. Dico ergo, In cœna datã fuisse Apostolis priorem potestatem præcisè consecrandi & offerendi Sacrificium: vnde tunc non habuêre adæquatum Sacerdotium, post resurrectionem verò fuisse illis secũdam potestatem concessam; & tunc completum Sacramentum Ordinis in ipsi, sicut de facto priùs nobis conceditur potestas consecrandi, & de facto priùs etiam consecramus, offerimusque Sacrificium: posteà autem circa finem Sacri conceditur potestas absoluendi, quâ integratur Ordo, de quo infrà.

Ioan. 19. In Cœna dedit Christus potestatẽ consecrandi, non absoluendi.

Ad confirmationem ex verbis Christi respondeo, Illud *Consummatum est* non tam de Lege gratiæ quàm de passione, & de his quæ ad propriam personam Christi pertinebant, intelligi Multa enim statuit Christus post resurrectionem, quæ ad Legem gratiæ pertinebant, illis quadraginta diebus, quibus cum Apostolis post resurrectionem egit de Regno Dei. His positis,

SECTIO II.

An hæc potestas sit Ordinis, an iurisdictionis.

5 INTER Catholicos solet fusè disputari hac de re; est tamen quæstio tota ferè de nomine & modo loquendi, nam de re certum est ex Concilio Tridentino Sess. 14 cap. 3. non posse Sacerdotem nõ solùm licitè, sed nec validè absoluere aliquem à peccatis, nisi præter Ordinem susceptum habeat iurisdictionem aliquam vel ordinariam, vel delegatam, eò quòd potestas absoluendi sit iudicialis, quæ dicit ordinem ad subditos; vnde ex hac parte de re certum est in ordinatione Sacerdotis non conferri integram potestatem absoluendi.

Sacerdotis nõ datur integra facultas absoluendi.

Contra hoc tamen solet obiici Primò, quòd quilibet Sacerdos habeat potestatem absoluẽdi à venialibus & à mortalibus; de quibus iam anteà fuerat pœnitens absolutus. Respondeo, Hanc obiectionem nullius esse momenti; Primò, quia esto diceremus pro his peccatis datam à Christo cuilibet Sacerdoti adæquatam potestatem, inde tamen non sequeretur datam vniuersaliter pro mortalibus quæ primò quis confitetur. Secundò, quia longe probabilius est hanc potestatem concessam non a Christo, sed ab Ecclesia.

Secundò obiicitur; nam quilibet Sacerdos potest absoluere Papam; ergo quilibet habet eam potestatem immediatè à Christo; nam Papa non potest dare vlli iurisdictionem in se. Respondent aliqui, Posita electione Sacerdotis ad confessionem, Christum dare illi iurisdictionem immediatè, vti quãdo Cardinales eligunt Pontificem, Christus illi confert immediatè iurisdictionem. Probabiliùs responderi potest, Christum, qui dedit Pontifici potestatem dandi Sacerdotibus iurisdictionem in alios, dedisse etiam vt eam concederet supra se; quandoquidem voluit vt ille etiam confiteretur sua peccata (vt Lugo benè notauit; & alioquin etiam Respublica solet dare iurisdictionem supra se dum aliquem eligit in suũ caput. Neque hinc sequitur posse Papam dare alteri potestatem excommunicandi ipsum Papam; hæc enim potestas excommunicandi est tota à Pontifice, ac proinde non potest Pontifex ea ligari, cùm possit se soluere quando velit. Constat ergo non conferri à Christo cuilibet Sacerdoti totam potestatem absoluendi dum fit Sacerdos.

Quomodo Papa possit absolui.

Certum præterea est è contrario, ipsam iurisdictionem solam non sufficere ad absoluendũ; vt patet in Episcopo non ordinato: licet enim habeat integram iurisdictionem, non tamen potest absoluere à peccatis; est ergo certum vtrumque requiri. Hæc de re; & in eis Catholici inter se non dissentiunt. De nomine autem erit dissensio, Vtrùm potestas in ordine collata sit vocanda absolutè potestas absoluendi; iurisdictio verò posteà concessa sit dicenda solùm conditio, an verò partialis potestas absoluendi: in qua quæstione quandoquidem Concilium Tridentinum absolutionem vocat actum iudicialem, & actus hic iudicialis æquè supponit iurisdictionem ac Ordinem, multò meliùs & clariùs procedetur, si dicatur & potestatem Ordinis & iurisdictionem esse duas partes integrantes vnicam potestatem absoluendi, quamlibet autem seorsim esse inadæquatam; Ordinem enim vocare iurisdictionem apertè videtur esse contra Tridentinum, supponens posse Sacerdotem esse ordinatum & non habere iurisdictionem.

6 Nõ sufficit sola iurisdictio ad absoluendum.

Respondebis, Concilium loqui de iurisdictione proxima, non de remota, Ecce nouam quæstionem de nomine, quæ videtur esse contra mentem Concilij non agnoscentis aliam iurisdictionem nisi illam quæ conceditur vltra

Potestas absoluendi ex duobus cõstatus

Ordinem. Præterea Ordo non potest dici radicaliter iurisdictio; quia neque iurisdictio hæc pendet ab Ordine, vt patet in Episcopo non ordinato, & in Vicariis ipsius, qui sæpè non sunt Sacerdotes: & tamen habent perfectam iurisdictionem. Neque è contrario ipse Ordo est radix inferens iurisdictionem, quia sine vlla violentia Ordini facta potest semper manere sine iurisdictione: quo ergo sensu poterit Ordo vocari iurisdictio radicalis, si nec infert iurisdictionem proximam, neque hæc supponit Ordinem? habent se ergo disparatè inter se, licet ad absoluendum à peccatis essentialiter ambæ requirantur: ideoque suprà diximus, potestatem absoluendi significare & Ordinem & iurisdictionem.

7 Sed obiicies; In Ordine datur Sacerdotibus potestas absoluendi his verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo potestas Ordinis est absolutè potestas remittendi peccata. Respondeo, Id intelligendum de inadæquata potestate remittendi peccata: neque enim aliud sonant verba illa quàm, facto vos capaces, vt accedente iurisdictione possitis valide absoluere. Replicabis: Ergo pari ratione, quando conceditur sola iurisdictio, posset etiam dici quòd concedatur potestas absoluendi & remittendi peccata: quia etiam tunc datur inadæquata potestas absoluendi. Respondeo Primò concedendo sequelam, in qua nullum video absurdum. Imò de potestate concessa Petro vt Pontifici Ecclesiæ, quæ solùm est potestas iurisdictionis; (nam Papa non ordinatus est verus successor Petri & Vicarius Christi:) de hac inquam potestate dicitur *Et tibi dabo claues Regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram; erit ligatum & in cælis*, &c. ergo potestas iurisdictionis etiam dicitur ligandi & absoluendi. Et ratio est clara: quia si ille qui habet iurisdictionem, esto careat Ordine, eam non concedat alteri habenti solum Ordinem, procul dubio retinebit peccata non enim poterit fieri validum Sacramentum Pœnitentiæ: dum verò illam concedit, absoluit à peccatis quasi radicaliter. Secundò respondeo, Eò quòd iurisdictio longè facilius possit obtineri quàm Ordo, ideò eum qui ordinatus est iudicari, & meritò proximiorem longè ad potestatem absoluendi eo qui habet solam intrisdictionem sine Ordine: id quod tamen denotat vnam minùs esse necessariam altera: ex hoc ergo capite potest tribui Ordini specialiùs potestas absoluendi quàm tribuatur iurisdictioni.

Solus Ordo reddit proximiorem ad absoluendum quàm sola iurisdictio.

8 Circa hoc rogabis Primò, An Apostolis de facto simul cum Ordine fuerit concessa iurisdictio. Respondeo cum Patre Suarez, Omnino fuisse. & illos specialiter in hoc puncto non dependisse à Petro vt Capite Ecclesiæ, sed Christum post resurrectionem illis omnibus concessisse immediatè iurisdictionem in omnes homines quando eis dixit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Posteà tamen ipsorum Apostolorum Successores non habuisse illam iurisdictionem, nisi vel immediatè à Petro & eius successoribus, vel mediatè, sicut nunc de facto illam habent omnes Sacerdotes ab ipso Papa.

Apostoli omnes simul cũ Ordine acceperè à Christo iurisdictionem, quã S. Petrus non poterat reuocare.

Quâ occasione rursus quæri potest, Vtrùm ea ordinaria iurisdictio Apostolis à Christo immediatè concessa potuerit à Petro vt Capite eorum dem Apostolorum impediri. Respondeo, Cùm potestas à superiori auctoritate concessa non possit per se impediri ab inferiori; consequenter neque Petrum potuisse impedire potestatem quam Christus ipso maior concesserat. Potuit sanè Christus ita eam iurisdictionem Apostolis concedere, vt subiiceret eam Petro, quia tamen de hac opposita limitatione non constat, & principium illud generale allatum, quòd facultas à maiori concessa reuocari aut impediri à minori non possit, dicendum est non potuisse. An autem Petrus præueniendo & imperando aliquid potuerit impedire ne alij contrarium imperarent, & è contrario alij potuerint ipsi Petro imponere simile impedimentum, non est huius loci; per quod non negamus habuisse Petrum in alios Apostolos iurisdictionẽ ad eis imperanda ea quæ pro Ecclesiæ bono vt lia iudicaret. Verum hæc difficultas hic non spectat, iam ad rem nostram

9 Rogabis vlteriùs, An aliqua saltem potestas adæquata absoluendi sit annexa Ordini. Non defuere qui iudicarent potestatem absoluendi à venialibus, & à mortalibus vel iam remissis vel in mortis articulo esse independenter ab Ecclesia annexam ordini. Iuxta quorum sententiam tota præcedens conclusio solùm deberet intelligi de potestate absoluendi a mortalibus extra articulum mortis; quæ omnino (vt vidimus) requirit iurisdictionem distinctam ab Ordine; probabiliùs tamen est etiam à venialibus, & in articulo mortis à nullis peccatis posse Sacerdotem absoluere sine iurisdictione ab Ecclesia concessa; hanc autem de facto concedere dum ordinat sacerdotes: attendens enim Ecclesia ad bonum fidelium, & ne aliquis damnetur præsente Sacerdote ex defectu iurisdictionis, eam concessit omnibus Sacerdotibus pro illo casu; ad absoluendum verò à venialibus etiam eam concessit omnibus non excommunicatis. Ex quo constat hanc potestatem non esse annexam Ordini, aliàs non posset ab excommunicatis auferri; sicut non potest ab eis auferri potestas vt validè consecrent. Et ratio huius sententiæ est, quia nullo modo potest colligi, à Christo fuisse datam hanc potestatem diuerso modo in Ordine ad aliqua peccata quàm ad alia, ergo vniformiter ad omnia: ergo ad omnia requiritur vltra Ordinem ipsum iurisdictio Ecclesiæ.

Sine iurisdictione ab Ecclesia concessa nec potest Sacerdos à venialibus absoluere.

SECTIO III.

Quomodo hæc potestas dicatur clauis.

10 POTESTAS hæc absoluendi explicatur cõmuniter per metaphoram clauium, quam etiam Christus expressit dum Petro eam concessit. Sicut enim claues & aperiendo & claudendo præbent vel negant ingressum; ita potestas Sacerdotalis absoluendi dum negat vel concedit absolutionem, claudit vel aperit cæli portas, & præbet, vel negat ingressum in cælum: quo sensu non solùm clauis cæli, sed & inferni dici posset; sed quia hæc potestas non habet pro fine inferni portas aperire, sed cæli, ideo cõmuniter clauis cæli nuncupatur. Hæc clauium potestas primò & per se significat supremam potestatem, quæ est in summo Pontifice, à quo deriuatur in alios; estque duplex alia clauis scientiæ, alia potentiæ. Hæc est potestas absoluendi atque ligandi de qua in præsenti, item gubernandi, excommunicandi; quæ procul dubio primò & per se in Papa residet, & potest ab ipso aliis communicari. Clauis scientiæ est in Ordine ad definiendas veritates ad Religionem pertinentes; & hæc

Quid significet potestas clauium primò & per se.

in

in solo Papa residet, vt alteri non possit ab eo communicari esto potestas tota iurisdictionis sit communicabilis, significat etiam potestatem interpretandi Scripturam; proponendi populo veritates credendas; & in hac parte etiam aliis communicatur.

Vtraque hæc potestas imperfecto tamen modo potest dici reperiri in Sacerdote confessiones audiente: dum enim & potest examinare pœnitentis conscientiam, & eum dirigere, dicitur habere clauem scientiæ, dum verò eum absoluit clauem potentiæ.

11 Solet hìc nonnullis satis fusè disputari, An claues istæ reperiantur in potestate Ordinis an in iurisdictione ab Ecclesia concessa Quæstio hæc tota est de modo loquendi, & ferè eadem cum ea quam paulò antè tetigimus: consequenter autem ad ibi dicta, sc licet potestatem absoluendi includere duas partes essentiales, Ordinem & iurisdictionem, etiam nunc dicimus potestatem clauium consistere adæquatè in Ordine & in iurisdictione, partialiter verò in qualibet seorsim sumpta. Vbi valdè miror nonnullos Recentiores, qui cùm nobiscum sentiant potestatem absoluendi dicere & ordinem & iurisdictionem, in præsenti tamen dicunt potestatem clauium solùm significare Ordinem, moti eo argumento, quòd potestas clauium sit potestas delendi peccata: hæc autem potestas solùm conceditur in Ordine nam Ecclesia etsi possit dare iurisdictionem, non tamen potestatem remittendi peccata: ergo potestas clauium solùm significat potestatem Ordinis. Miror inquam in hoc argumento minùs consequenter loquuntur eius Auctores: absoluere enim à peccatis & remittere peccata idem est formalissimè (vt per se constat) sed absolue e à peccatis dicit iuxta hos Auctores duas potestates, Ordinis & iurisdictionis: ergo & potestas remittendi seu delendi peccata etiam dicet iurisdictionem & Ordinẽ: ergo si potestatem clauium dicunt hi esse potestatem remittendi peccata, inde sanè deberent inferre potestatem clauium includere iurisdictionem & Ordinem. Ex quo patet minorem syllogismi ab eis facti & falsam esse & contra illos, scilicet potestatem delendi peccata solùm concedi in Ordine: hæc enim est potestas absoluendi, quæ non conceditur adæquatè in Ordine, sed & partialiter in iurisdictione. Confirmatio etiam illius minoris nullius momenti est, quia in primis Ecclesia dans iurisdictionem non concedit illam nomine & auctoritate propria, nam à se nullam habet, sed auctoritate Christi, qui illam concessit Petro & successoribus eius. Cur ergo ex hac parte, etiamsi iurisdictio esset adæquata potestas absoluendi, non posset ab Ecclesia concedi, sicut ab Episcopo conceditur Ordo, non quidem auctoritate propria Episcopi, sed Christi, cuius minister est? Differentia autem inter iurisdictionem & Ordinem solùm consistit in hoc, quòd iurisdictio datur sine Sacramento, Ordo verò cum illo; vtraque autem potestas à Christo datur Ecclesiæ vnde & ipsa Ecclesia, & Episcopus eam concedens operatur nomine Christi, qui procul dubio integram etiam potestatem absoluendi potuisset relinquere in Ecclesia non instituto Sacramento Ordinis. Secundò, illa confirmatio nulla est, quia non benè infertur, Ecclesia dat iurisdictionem, quæ essentialiter requiritur ad remittenda peccata; ergo dat absolutè virtutem

Potestas clauium consistit in Ordine & iurisdictione, vbi quidam inconsequenter locuti.

12 remittendi peccata; quia ad hoc requiritur vt vtrumque concedatur. Imò si potestatem clauium in toto rigore velimus accipere, deberemus dicere, eam posse dari in sola iurisdictione; nam hæc sola fuit promissa Petro quãdo ei dictu est, *Tibi dabo claues Regni cœlorũ*: ipse autem specialiter supra alios Apostolos non Ordinem (in quo est aliis æqualis) sed iurisdictionem accepit: ergo sola iurisdictio videtur à Christo Domino nuncupata cæli clauis. Nihilominùs tamen dicendum est, non eam solam esse clauem cæli adæquatè, iuxta suprà dicta. Ideò verò specialiter Petro dici clauem datam, quia iam aliunde habebat Ordinem, in quo conueniebat cum aliis Apostolis; specialiter autem accepit iurisdictionem suprà Ecclesiam pro se & pro successoribus, qua iurisdictione, supposito Ordine, completur adæquata potestas clauium.

SECTIO IV.

Vtrùm potestas absoluendi sit quoad culpam, an tantùm quoad pœnam.

13 DE hac difficultate disputant nonnulli agentes de forma huius Sacramenti, seu de sensu illorum verborum, *Ego te absoluo*. Mihi tamen commodior locus videtur hic, dum agimus & de institutione Sacramenti, & de fine, ad quem ordinatur.

Docuere aliqui in Sacramento Pœnitentiæ non remitti culpã.

Non defuère grauissimi aliqui Auctores, qui negarunt in hoc Sacramento remitti peccata quoad culpam, Bonacina, Altisiodorensis, Hugo, Richardus, Ocham, Gabriel, Maior, Alexander, Argentina, Medina, Abulensis, & Adrianus apud Patrem Suarez disput. 16 sect. 2. Nec tamen hi omnes inter se conueniunt; nam quidam dicunt remitti pœnam æternam postquam Deus remiserat culpam ante Sacramentum. Alij dicunt remitti etiam ante Sacramentum pœnam sensus æternam, non tamen pœnam damni, seu indignitatem ad fruendum Deo; à qua dicunt nos liberari per hoc Sacramentum. Tertiò alij sentiunt ante Sacramentum etiam esse remissam pœnam damni, in voto tamen absolutionis, quâ accedente homo liberatur ab obligatione confitendi peccata. Quartò alij putant solùm remitti pœnam temporalem Quintò denique censent alij per ea verba *Absolno te* non aliud significari, quàm *Ostendo & declaro te absolutum per contritionem.*

Inconsequentia horum Doctorum.

Antequam certam sententiam proponam, aduerto omnes ferè relatas sententias non sibi benè constare: videntur enim vt certum supponere contritionem esse in Lege gratiæ non minùs efficacem quàm fuerit olim in Lege veteri. Vlteriùs supponunt necessariò ante absolutionẽ debere contritionem haberi, ei enim tribuunt vim totam tollendi culpam. Hinc autem clarè illos reiicio: Nam si est remissa culpa mortalis, vti remittebatur olim in Lege veteri, ergo pœna æterna est etiam iam remissa, siue damni siue ignis illa sit; sicut etiam fuit remissa per contritionem in Lege scripta & naturæ. Quòd enim Iudæi in gratia mortui fuerint in Lymbo detenti, non fuit ex defectu condonationis, sed quia Deus noluit vllum intrare cælum, antequam Christus Dominus illud ipse conscenderet. Deinde cùm culpa grauis remittatur tantùm per

gratiam habitualem, & hæc det ius ad gloriam, omnino debet extinguere pœnam æternam tam damni quàm sensus: quòd si hæ supponantur iã remissæ, profectò confessio ad nihil aliud valebit quàm ad grauandum hominem. Illa etiam declaratio, quòd sint remissa peccata, erit grauissimum onus & inutile; quia coram Deo talis declaratio nihil efficit, non coram hominibus: nam Confessarius minùs potest scire meam cõtritionem quàm ego ipse; & licet confessio fiat in secreto, nemine quia eam declarationẽ audiat præsente, erit non minùs vtilis quàm facta in publico; ergo vtilitas non desumitur ex vlla declaratione, sed ex vera & reali absolutione.

Reddunt confessionem inutilem

Secundò in eis sententiis est ex eo capite defectus consequentiæ, quòd cùm negent culpas per absolutionem dimitti, eò quòd solius Dei sit peccata remittere, admittunt tamen remitti pœnam æternam; cuius etiam remissio ad solum Deum pertinet: id quod etiam habet locum, si restringatur doctrina ad pœnam temporalem Purgatorij, quia etiam spectat ad solum Deum huius pœnæ remissio; si ergo hi Auctores concedunt ab ipso Deo eleuari Sacerdotem per modum instrumẽti & delegati pro remissione pœnæ potuissent profectò eadem via clara & facili communem sententiam & veritatem ipsam in Scriptura traditam propugnare. Quod item hi omnes supponant necessariò debere ante absolutionem præcedere contritionem, quæ eo ipso tollit peccatum, adeò falsum est, vt videatur planè in Tridentino decisum contrarium; de quo infrà; quomodo autem, quando re ipsa præcedit contritio, & per eam supponuntur remissa peccata, item quando quis confitetur secundò eadem peccata, verificentur verba, *Absolue te à peccatis*, dicetur infrà.

14

Communis ergo ac certa inter Catholicos ferè omnes sententia est, per absolutionem Sacramentalem remitti peccata quoad culpam. Huius Auctores vide apud Patrem Suarez suprà numero 5. Eam ita ego iudico certam, vt planè post Tridentinum iudicem esse de Fide: Primo, quia deffinit Sessione 14. cap. 4. contritionem imperfectam, quæ extra Sacramentum ad iustificationem non sufficit, intra Sacramentum sufficere; vnde euidenter concluditur, in hoc Sacramento posse obtineri iustificationem: hoc autem est quod hæc communis sententia docet. Secundò, quia idem Tridentinum ea Sessione cap. 1. expresse definit fuisse à Christo datam Apostolis potestatem reconciliandi hominem cum Deo; idque probat ex verbis Christi, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* At qui reconciliatio non significat remissionem pœnæ, sed culpæ (vt per se est euidens) nisi velimus immutare nominum significationes. Vrgetur id vlteriùs quia perfecta reconciliatio potest stare ex Tridentino adhuc manente debito pœnæ temporalis; ergo reconciliatio condistinguitur manifestè à Triden. tino à remissione pœnæ, cùm separari inter se possint. Aduerte prætereà, in prædicto loco Tridentinum etiam ostendere, verba Christi, *Quorum remiseritis peccata*, de remissione culpæ intelligenda; quandoquidem ex iis probat potestatem reconciliandi, quæ, vt diximus, fit per remissionem culpæ. Ex eodem Tridentino id Tertiò probatur; nam suprà cap. 6. totam hanc difficultatem videtur comprehendisse, & contrariæ sententiæ argumentis respondisse his verbis: *Quamuis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata;* (Ecce videtur damnasse expressis terminis contrariam sententiam;) *sed ad instar actus iudicialis, quo ab, ipso velut à iudice sententia pronuntiatur; atque ideò non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, vt si Sacerdotis animus seriò agendi & verè absoluendi desit, putet tamen se verè & coram Deo esse absolutum: nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem ioco se absoluentem cognosceret; & non alium seriò agentem sedulò requireret.* Ecce his verbis & ostendi Concilium, etiamsi beneficium absolutionis per se non possit à Sacerdote, sed à Deo conferri, tamen Sacerdotem fuisse assumptam vt iudicem, non solùm ad declarandum remissum esse peccatum, sed verè ad absoluendum. Vnde rursus infert, Si Sacerdos non absoluat seriò pœnitentem, hunc non manere absolutum, & periclitari de æterna salute. Quibus vltimis verbis apertè ostenditur sermonem esse de remissione culpæ mortalis, non de pœna; nam remissa culpa mortali iam non periclitatur homo de æterna salute quod præcipuè eos Auctores vrget, qui dicunt solùm remitti à Sacerdote pœnam temporalem; vt sunt maiori ex parte qui contrariam tenent. Sed nec euadunt qui dicunt remitti pœnam æternam; ideoque etiamsi non remittatur culpa per Sacramentum, sed iam supponatur remissa, adhuc hominem periclitari de æterna salute; quia non remissa æterna pœna non potest saluari: qua solutione videbantur posse hi fugere vim verborum Concilij; neque hi inquam effugiunt; nam pœna æterna de facto semper remittitur remissa culpa mortali; ergo si hæc supponitur remissa, supponetur & pœna æterna. Consequentia est euidens; & per eam ruit Aduersariorum solutio: antecedens autem est ferè de Fide; quia culpa mortalis non remittitur nisi per gratiam constituentem hominem filium adoptiuum, & hæredem Beatitudinis, & consequenter iam liberam à pœnâ æternâ, cum quâ non posset stare hæreditas cæli: id quod etiam Tridentinum ipsum definit, dum ait de facto semper remitti pœnam æternam, quando remittitur culpa mortalis. Ita Sessione 6. cap. 4. ergo si ille qui negligeret absolutionem, negligeret suam saltem æternam, ex Concilio Tridentino signum est per eam absolutionem remitti culpam ipsam. Ad confirmationem etiam huius veritatis faciunt verba Christi Domini, ex quibus eam Concilium deduxit: neque enim verè diceretur Petro & successoribus eius primariò, secundariò autem omnibus Sacerdotibus ab illo habentibus iurisdictionem *Tibi dabo claues regni cælorum*, nisi ipsi Sacerdotes & aperire & claudere possent Regnum cælorum; hoc autem non fit nisi per absolutionem aut retentionem culpæ; quæ dum retinetur, cælum clauditur, dum remittitur, aperitur. Pœna autem temporalis non aperit aut claudit, sed solùm detinet aliquantulùm. Prætereà verba Christi, *Quorum remiseritis peccata*, &c. idem clarè innuunt. Sicut enim vox *peccatum* non significat pœnam ipsius peccati, sed culpam, cui pœna debetur; ita remissio peccati absolutè dicta non potest non intelligi de remissione culpæ.

In Sacramento Pœnitentiæ remittitur culpa.

Probatur ex Tridentino concilio.

16

Peccatum mortale non remittitur nisi per gratiam constituentem filium adoptiuum.

17

Probatur etiam consensio ex Sanctis patribus.

In hanc sententiam passim omnes Patres consentiunt: Hieronymus à Tridentino citatus secundam

15

cundam post naufragium tabulam appellat hoc Sacramentum;quæ sententia falsa esset,si per illud non liberaremur à culpa,quæ sola facit naufragium. Alij autem passim docent peccatum remitti in hoc Sacramento: id quod de culpa intelligendum est: id enim significat vox *peccatum*. Augustinus in Sacerdotibus hanc potestatem agnoscit lib.de Catechizandis rudibus cap. 13.Sanctus Leo Epistola 1. & Epistola 88. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. Ambrosius lib.de Pœnitentia cap.2. & 7. & lib. 2. Bernardus Sermone 1. de sanctis Apostolis Petro & Paulo, Hilarius Can.16. in Matthæum, Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, & alij multi, qui videri possunt apud Canisium 2.Par. Catechismi cap.1. & apud Bellarminum lib. 1. de Pœnitentia cap. 10 Res enim hæc iam est inter Catholicos omnino certa: vnde fit vt illi,qui se peccato mortali grauatos sentiunt, & iustificari cupiunt, ad hoc Sacramentum statim recurrant, neque se securos reputent,nisi postquam absolutionem obtinuerunt.In hanc veritatem etiam adduci possunt Concilium Florentinum in litteris vnionis, Constantiense in Bulla Martini V. contra Ioannem Hus, item Gregorius XIII.qui reiicit Michaëlem Baium docentem, non tolli Sacerdotum ministerio culpam,sed reatum pœnæ.Verùm in re clara hæc sufficiant.

SECTIO V.

Aliqua obiectiones soluuntur.

18 OBIICIVNT in contrarium Primò,quòd solius Dei sit remittere. Huic tamen rationi iam respondimus ostendentes id fieri à Sacerdotibus per delegationem,vti per eamdem in Baptismo & in aliis Sacramentis causatur gratia.Neque enim est maior difficultas in remissione culpæ quàm in causatione gratiæ.

Obiiciunt præterea aliquos sanctos Patres, qui potestatem absoluendi,quam habent Sacerdotes & Sacramentalem absolutionem comparant Lazari resurrectioni:vbi priùs ipse Deus Lazarum viuificauit, & postea Apostolis tradidit soluendum;ergo solus Deus priùs iustificat,& postea discipuli seu Sacerdotes hominem soluunt à pœna:quæ videtur esse expositio D.Gregorij Homilia 26.in Euangelia,Augustini Tractatu 12. & 49.in Ioannem, & Sermone 8 de verbis Domini, 19. capit. Ioan. Diui Thomæ & aliorum Pater Suarez dicit Gregorium valdè difficulter & obscurè locutum, interpretandum tamen benignè; mihi tamen videtur eum expressè nostram sententiam tradidisse; ait quidem ibi homines priùs suscitari quàm veniant ad confessionem;expressè tamen se explicat,dum ait compunctionis gratia, id est excitatum dolore de peccatis;non quia iam sit iustus,sed quia incipit suscitari, quando incipit dolere & agere de reconciliatione: & ad hoc propositum affert historiam Lazari: & paulò post adhuc clariùs docet,non viuificari hominem peccatorem nisi veniente ipso foras per confessionem externam: supponit ergo ante ipsam confessionem illum esse mortuum absolutè,etiamsi excitatus sit compunctionis gratiâ. Vnde acutè obseruauit, non dictum fuisse Lazaro *Reuiuisce*, quasi adhuc in ipso sepulchro reuixerit, sed *Veni foras*: quia veniendo reuixit: concludit;*Venientem verò foras soluunt discipuli, vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit.* Quæ verba licet de sola pœna videantur concludere, 19
intelligenda tamen sunt iuxta prædictum sensum, scilicet peccatorem per confessionem,per quam venit foras, reuiuiscere, non ante illam. Fortè autem his verbis,dum facit distinctionem inter discipulos & Ecclesiæ Pastores videtur indicare distinctionem inter ordinarios Confessarios & Prælatos Ecclesiæ, vt sensus sit, Venientem foras absoluunt discipuli (id est confitentem peccatorem absoluunt Confessarij à culpa)vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere,id est, vt Prælati Ecclesiæ alias pœnas externas, quas merebatur, eis relaxent. Alios Patres benè explicat ipse Suarez suprà de vita per compunctionem,non per gratiam;quam solùm supponunt in pœnitente ante absolutionem; & ideò comparant hoc Sacramentum resurrectioni Lazari.

Difficiliùs loquitur Chrysostomus Homilia 15. in Matthæum,sub medium: *Liberare quippe à putredine peccatorum Christi virtutis est; vt autem ad illa iterùm non reuertantur Apostolorum cura est atque labor*is: vbi etiam ipse notauerat comparatos Apostolos sali, qui non sanat corrupta,sed à corruptione præseruat; ergo sentit per absolutionem non remitti peccata.Posset aliquis respondere, Chrysostomum loqui de virtute principali, quæ ad remittenda peccata solùm est in Christo vt Deo, hæc tamen expositio non sufficit, quia in hoc sensu etiam virtus principalis præseruandi à peccatis solùm est in Christo;& consequenter eodem modo sicut negat Apostolis virtutem sanandi, deberet negare virtutem ad præseruandum. Respondeo ergo, Chrysostomum ibi loqui de Apostolis non vt Sacerdotibus,sed vt Prædicatoribus & Magistris orbis;qui vt tales non habent vllam potestatem sanandi à peccatis,sed solùm possunt conducere ad ea impedienda:exhortatio enim & doctrina non curat peccatum commissum,sed impedit committendum; & ad summum circa commissum facit,vt peccator moueatur ad deferendum peccatum ad tribunal confessionis,vbi iam Sacerdos non Doctoris aut Magistri repræsentat personam,sed gerit vices Christi.

Hieronymus suprà à Suarez citatus, asserens nõ esse Sacerdotis dánare innoxiũ,vel absoluere prauum,sicut olim non erat Sacerdotum facere hominem leprosum, vel sanare,sed solummodò dignoscere, an esset leprosus néene, non vult negare Sacerdotibus potestatem ligandi & absoluendi, sed solùm ostendit non esse in sola potestate Sacerdotis absoluere & ligare ?, sed requiri dispositionem ex parte peccatoris, nec absoluere prauum,id est malè dispositum, nec damnare innoxium,id est benè præparatum. Aduerte locum hunc Hieronymi, si aliquid probaret,cértè etiam contra hos Auctores: nam olim Sacerdotes non solùm à macula ipsa lepræ non poterant liberare,sed nec à pœna illis assignata: ergo & nunc Sacerdotes nostri nec à culpa nec à pœna poterunt liberare:quod tamen est contra hos Auctores qui eo testimonio vtuntur.

Obiici præterea potest:Si absolutio Sacerdotis significat & operatur remissionem culpæ,quo sensu dicunt Patres sententiam Petri præcedere, & subsequi sententiam Dei:ita enim Cyprianus, Hilarius, Bernardus, Hugo de Sancto Victore apud Vasquez quæst.84. art. 3. dubio 1. num.8.

Zacch. ex S. Gregorio explicatus.

3 Chrysostomi explicatio.

20 S.Hieronymi explicatio.

Quo sensu dicatur præcedere sententiam Petri, & sequi sententiam Dei.

& 9. Tripl citer responderi potest; Primò, Licet Dei & hominis eadem sit sententia, diuinam tamẽ d ci sequi, quatenus approbat Deus id quod homo fecit, & sibi in ea sententia lata complacet. Explicationem hanc confirmat Vasquez suprà ex Augustino Tomo 4. de Vera & falsa pœnitentia. Alij Secundò dicunt id intelligi de approbatione diuina post mortem hominis & in die vniuersalis iudicij. Tertiò quia priùs natura est Sacerdotis absolutio, deinde voluntas Dei infundendi gratiam ac remittendi peccatum. Adde denique, hoc argumentum multò magis esse contra sententias superiùs relatas; in quibus omnibus iam supponitur peccatum remissum, antequam sententiam Sacerdos proferat; vnde multò minùs tunc Sacerdotis absolutio potest præ:re absolutionem à Deo factam.

21 Denique obiici potest, Si verba Sacerdotis significant verè & cassant remissionem culpæ; ergo pro eo signo, quo proferuntur, iam est remissa culpa; quia tunc sunt vera: & eo ipso signo, quo intelligitur Creditoris remissio, debet intelligi remissa culpa. Consequens autem est falsum, quia culpa remittitur de facto per gratiam habitualem, quæ est effectus eius absolutionis, ac proinde posterior quàm absolutio. Respondeo, Verba esse priora quàm sit remissio esse tamen vera, quia in eodem instanti ea remissio sequitur: vti dum in consecratione dicimus, *Hoc est corpus meum*: priùs enim natura est prolatio verborum quàm positio Christi: & tamen etiam illa verba sunt vera nõ minùs quàm illa alia, *Ego te absoluo*. Quod item dicebatur, illa verba esse ipsam remissionem, negatur absolutè: verba enim sunt remissio Sacerdotis, quâ præuisa Deus vult infundendo gratiam remittere peccatum. Secundò, esto admittatur, quòd illa eadem remissio hominis sit remissio Dei, debet responderi cum Lugo disput. 7. num. 162. illam voluntatem esse de infundenda gratia, per quam posteà peccatum deleatur. *Tu ergo te absolue* non est actualis absolutio, sed reflexa illius volitio, quatenus est volitio infundendi gratiam, per quam deletur culpa. Quæ doctrina à nobis quidem consequenter traditur; dicemus enim infrà ea verba significare directè gratiam. In Cardinalis verò principijs qui id negat, habet maximam difficultatem, vt infrà ostendemus. Constet ergo potestatem à Christo datam Sacerdotibus verè esse ad remittendam ipsam culpam, & non solùm pœnam, aut ad solùm declarandum hominem iam esse absolutum.

SECTIO VI.

De partibus in genere Sacramenti Pœnitentiæ

22 HÆc difficultas inter Catholicos, quod ad rem attinet, vix potest esse vllius momẽti; sed ferè tota de solo modo loquendi. Certum enim est inter Catholicos, vt Sacramentum Pœnitentiæ fructuosum sit (abstraho nunc ab ea quæstione, Vtrùm possit esse validum, informe tamen) necessaria esse hæc omnia; Primò Ordinem & iurisdictionem in Sacerdote, Secundò verba absolutionis & intentionem absoluendi, aut faciendi quod facit Ecclesia; ex parte verò pœnitentis, quòd sit baptizatus, quòd doleat de peccatis, & proponat ea emendare, quòd ea confiteatur; si vel vnum ex his desit, non conficitur Sacramentum saltem fructuosè: de satisfactione dicam specialiter infrà. Hæc de re inter omnes certa. Iam autem illud dubium, ferè tamen (vt dixi) ad modum loquendi spectans, Vtrùm hæc omnia sint dicenda pars Sacramenti, an verò ea denominatio partis soli conueniat absolutioni, an soli confessioni & dolori, reliqua verò dicantur conditio. In quo quidem consequenter ad principia nostra, quæ in multis aliis materijs tradidimus, scilicet omne id, quo præcisè ablato, ceterisque rebus ab eo distinctis manentibus, aufertur denominatio alicuius totius, esse partem constitutiuam, saltem partialem illius totius; nam si tota essentia, seu omnia, quæ constituunt essentiam, manent, repugnat non manere essentiam totam, ac proinde repugnat non manere totum, cùm totum nihil aliud sit quàm essentia, seu omnes eius partes; consequenter inquam ad hanc doctrinam in præsenti dicendum est breuiter, ea omnia quæ enumerauimus esse partes essentiales seu intrinsecas Sacramenti Pœnitentiæ, quia reuerà quacumque ex illis ablata, cæteris omnibus remanentibus, non manet Sacramentum, ergo & confessio) & dolor, & absolutio sunt pars illius; vnde saluatur etiam in hoc Sacramento quod de omnibus vniuersaliter definierunt Concilia, constare scilicet rebus vt materia, & verbis vt forma: absolutio enim, quæ est forma, consistit in verbis; dolor, qui se habet per modum materiæ, res est, imò ipsa confessio, esto ordinariè fiat per verba; contrapoitur tamen verbis, quatenus potest fieri per signa, per Scripturam, &c. reliqua autem suprà memorata spectant partim ad formam, vti Ordo & iurisdictio Sacerdotis ac voluntas conficiendi Sacramentum, partim ad ipsam materiam, vt est propositum non peccandi de cetero; quod homo ille sit baptizatus, &c.

Quid dicatur pars constitutiua alicuius

23 Solùm potest esse in hoc puncto difficultas aliqua ratione ipsorum peccatorum præteritorum: videntur enim illa ex vna parte solùm esse materia remota, quæ destruitur potiùs per hoc Sacramentum quàm illud constituit; ex alia verò parte (iuxta discursum immediatè factum) videtur dicendum ea esse intrinsecam partem huius Sacramenti: nam ceteris omnibus manentibus, & præcisè ablata physica præteritione peccati, non potest esse Sacramentum Pœnitentiæ. Fortasse aliquis diceret, ideò ablata peccati præteritione non esse Sacramentum, quia non potest esse dolor de peccatis, si illa non præcesserunt; dolor autem solùm pendet ab ea præteritione præcisè vt à conditione. Sed contrà Primò, quia potest absolutè esse dolor, si quis putet inuincibiliter se peccasse, cùm tamen reipsa non peccauerit; tunc autem non erit Sacramentum. Contra Secundò, quia etiamsi impossibile esse poni dolorem sine præteritione peccati, adhuc tamen argumentari possemus hoc modo, *Si per possibile vel impossibile poneretur dolor ille sine peccato, non esset tamen Sacramentum Pœnitentiæ; ergo.* Hoc enim modo argumentamur ad probandum Deum non esse partem intrinsecam hominis; quia si per impossibile poneretur id quod in me est distinctum à Deo, Deo ipso non existente essem adhuc homo; ergo Deus non est pars intrinseca hominis, sed causa extrinseca, omnino tamen necessaria ad conseruationem

Quomodo peccata præterita sint materia huius Sacramenti.

nem eius entitatis distinctæ, quæ est homo.

24 Hoc eodem argumento reiicitur aliud effugium, quod posset prætendi, dicendo peccata præterita in tantum requiri, in quantum ad Sacramentum est necessaria conscientia peccati: ad quam conscientiam ipsum etiam peccatum requiritur, solùm tamen vt conditio; hinc inquam reiicitur primò, quia ea conscientia, vt diximus, potest esse inuincibiliter sine peccato; Secundò, quia esto non posset, si tamen per impossibile esset, adhuc non esset Sacramentum. Quòd si dicas tunc eam conscientiam non fore veram, adhuc non satisfacies; nam scientia seu conscientia vt vera nihil superaddit supra ipsam scientiam, nisi existentiam eius obiecti, seu nisi ipsum obiectum in se; ergo hoc erit pars eius Sacramenti: & licet dicamus cum Hurtado & aliis actum verum esse intrinsecè verum; adhuc tamen licebit nobis argumentari eo modo quo de dolore: nam si per impossibile posset actus ille sine obiecto manere, non fieret Sacramentum; quia si re ipsa non fuerunt peccata, non est supra quod cadat absolutio, ideóque repugnat esse Sacramentum Pœnitentiæ.

An peccata præterita dici debeant pars constitutiua Sacramenti

Ob hunc discursum Cardinalis Lugo disput. 12 sect. 2. affirmat eam prætertionem peccatorum esse partem essentialem huius Sacramenti. Quam sententiam iudico valdè probabilem. vt enim sæpè diximus agentes de denominationibus extrinsecis, frequenter hæ conflantur ex vna parte, cui illa denominatio non conuenit, sed potiùs oppositum; peccatum scilicet, quod est malum, includit in se concursum indifferentem Dei qui est bonus, item Legem ipsam, quæ est bona, libertatem in actu primò, quæ est bona: & in aliis compositis idem potest notari; nam hæc denominatio, quòd ego sim Antichristo prior, includit Antichristum ipsum, qui non prior, sed posterior me est: ergo pari ratione essentia Sacramenti, quæ est denominatio quædam ex diuersis rebus sibi inuicem extrinsecis conflata, poterit includere aliquam partem, quæ in se sit mala, etiamsi Sacramentum bonum sit: an autem ideò sequatur peccatum causare gratiam, & esse moralem actionem Christi, dicam paulo pòst; est ergo ea sententia valdè probabilis. Fortassis tamen posset res ita explicari, vt

25 *An solùm conditio extrinseca.*

peccata præterita non sint nisi pura conditio extrinseca; si enim dicamus Sacramentum Pœnitentiæ constitui intrinsecè non solùm voluntate absoluendi, quam habet Sacerdos, sed etiam voluntate ipsius Dei, nam cùm absoluere à peccatis sit opus Dei, non possumus intelligere, validam esse voluntatem Sacerdotis absoluendi nisi intelligamus simul cum Sacerdote vt cum Ministro interuenire voluntatem Dei absoluentis vt causæ principalis, vt ex vtraque confletur causa absolutionis; si hoc inquam dicamus, clarè explicatur tota difficultas: dicimus enim deficiente præteritione peccati deficere Sacramentum, non quidem formaliter & immediate, sed consecutiuè; quatenus eo ipso Deus non habet simul cum Sacerdote voluntatem illam absoluendi, quam diximus esse partem Sacramenti; ex defectu autem huius voluntatis immediatè & proximè deficere ipsum Sacramentum. Vnde si per impossibile deficiente præterito peccato Deus haberet voluntatem absoluendi, dicimus fore tunc integrum & validum Sacramentum Pœnitentiæ.

Hæc explicatio est satis probabilis; habet tamen contra se duas obiectiones graues. Prima est quòd inde sequatur posse etiam à constitutiuo intrinseco huius Sacramenti reiici & iurisdictionem Sacerdotis, & pleraque ex his, quæ paulò ante diximus, esse de essentia illius; dicam enim ego deficiente iurisdictione deficere hoc Sacramentum non formaliter & immediatè sed remotè; quatenus ex defectu huius iurisdictionis non habet Deus eam voluntatem absoluendi; (quam diximus deesse, quando non fuit præteritio peccati;) ex defectu autem eius solius volitionis deesse Sacramentum. Imò hac ratione & confessionem & dolorem possemus reiicere à concepta intrinseci constitutiui Sacramenti, & solùm ea ponere tamquam extrinsecam conditionem: essentialem tamen ad hoc, vt Deus habeat eam voluntatem [illegible] quæ est pars essentialis Sacramenti.

An iurisdictio Sacerdotis sit magis constitutiua Sacramenti Pœnitentiæ quàm præteritio peccati.

Altera difficultas est, quòd voluntas absoluendi à peccatis, quam Deus habet, non possit esse pars Sacramenti, sed effectus illius: ideò enim Deus determinatur ad volendum absoluere, quia Sacramentum est perfectum; mouetur enim vi Sacramenti, ergo ante illam volitionem iam Sacramentum est perfectum: atqui quòd ante illam voluntatem Dei non sit Sacramentum, quando non fuere peccata, non potest aliunde prouenire quàm eò quòd illa peccata ingrediantur conceptum Sacramenti, ideóque eis deficientibus non sint omnes partes Sacramenti, (vt paulò antè argumentabamur:) ergo.

26

Nihilominùs tamen potest adhuc his obiectionibus satis plausibiliter responderi. Ad primam dicimus, Etiamsi in rigore possemus eo modo saluare intrinsecam essentiam Sacramenti excludendo illa de quibus in obiectione: quia tamen in eo quòd illa pertineant moraliter tamquam pars ad hoc Sacramentum, non est vllum prorsus inconueniens: quale videtur esse in hoc quòd ipsum peccatum includatur; ideò posse nos iure merito ea admittere, peccatum verò excludere. Ad secundam dicimus, Voluntatem Dei de absolutione non esse effectum Sacramenti, sed partem illius, Deúmque ad eam habendam moueri non ob Sacramentum, sed ob præuisam confessionem & absolutionem Sacerdotis; vti in Eucharistia illa voluntas, qua Deus mouetur ad ponendum Christum sub speciebus, sine dubio nequit esse effectus Sacramenti, cùm sit antequam ponatur Christus: antè positionem autem Christi sub speciebus non potest esse Sacramentum; illa ergo voluntas ponendi Christum pendet à priori voluntate Sacerdotis legitimè volentis ponere Christum: quæ voluntas Sacerdotis non est adhuc Sacramentum. Ita in præsenti dicimus, Dei quidem voluntatem de absolutione esse posteriùs natura ad Sacerdotis volitionem non tamen posteriùs ad Sacramentum; quia illa volutio Sacerdotis non est adhuc integrum Sacramentum, quousque accedat etiam Dei voluntas absoluendi, quâ approbat absolutionem Sacerdotis.

An voluntas quâ Deus vult absolui, sit effectus Sacramenti Pœnitentiæ.

Replicabis adhuc, Sacramentum quà tale mouet Deum moraliter ad effectum gratiæ; ergo etiam debet illum mouere ad volitionem remittendi peccata; quia pro hac remissione maximè est necessaria condignitas quam habent Sacramenta, quatenus sunt actiones Christi; non sunt autem actiones Christi, donec sint completæ in ratione Sacramenti; ergo antequam Deus habeat voluntatem remittendi peccata, iam debet vide-

27

re Sacramentum perfectum seu completum in ratione actionis Christi Domini; non ergo potest per illam voluntatem compleri. Respondeo, Hoc idem argumentum posse obiici in Sacramento Eucharistiæ contra voluntatem Dei de ponendo Christo sub speciebus; nam & illa ipsa voluntas debet esse ex meritis Christi, seu ex consecratione Sacerdotis, vt facta nomine Christi; ergo iam in ea consecratione, vti est causa inferens in Deo voluntatem ponendi Christum sub speciebus, debet reperiri ratio meriti Christi mouentis Deũ; debet ergo ea actio iam esse antecedenter tota ratio Sacramenti (vt in obiectione dicebatur; hoc autem est apertè falsum, cùm Sacramentum Eucharistiæ in omnium sententia constituatur formaliter [illegible] diximus, per ipsam actualem existentiam [illegible]risti Domini sub eis speciebus: hæc autem positio est etiam post voluntatem Dei; voluntas autem Dei est post voluntatem & consecrationem Sacerdotis. Vide, ergo eamdem vtrobique difficultatem vrgere.

28 *Absolutio Sacerdotis prout præcedit voluntatem Dei de peccato remittendo, est actio Christi Domini.*

Ei absolutè respondeo, Tam actionem consecrandi, etiam prout præcedit ipsam actualem positionem corporis Christi, quàm Sacerdotis absolutionem, etiam prout præcedit absolutam voluntatem Dei de remittendo peccato, esse actionem Christi Domini; vt sicut si non fuisset sub illis speciebus substantia panis, consecratio non fuisset nomine Christi; quia Christus non voluit suo nomine esse nisi eam prolationem quæ caderet supra legitimam materiam; ita eam absolutionem non esse nomine Christi nisi quando præcesserunt verè peccata: non enim Christus voluit suam absolutionem esse ridiculam; est autem ridicula, quando nihil est à quo absoluatur ille supra quem cadit, cùm cadat supra innocentem; vt ergo Christus eam absolutionem acceptet tamquam suam, debet præuidere eam præteritionem peccatorum; per quod tamen non infertur eam præteritionem esse partem acceptationis, aut partem Sacramenti; quando ergo videt Christus Sacerdotem absoluentem sub eis conditionibus, quas ipse requisiuit, tunc reputat eam absolutionem suam, & reuerà tunc tantùm est ipsius moraliter; & tunc Deus vi eius actionis vt habentis valorem infinitum mouetur & ad ponendum Christum in Eucharistia, quâ positione completur Sacramentum Eucharistiæ; & in Sacrmento Penitentiæ mouetur ad volendum absoluere; qua voluntate completur Sacramentum Pœnitentiæ: vt sic autem completum rursus mouet Deum ad infundendam gratiam, qua remittitur re ipsa illud peccatum: vti in Eucharistia post positionem corporis Christi mouetur ad dandam gratiam homini rectè communicanti.

29 Replicabis tamen adhuc: ergo Deus non mouetur ad remittenda peccata vi Sacramenti quà talis. Secundò: Ergo priùs est voluntas delendi peccata quàm infundendi gratiam: cuius tamen oppositum videtur esse certum, tum quia remissio fit per ipsam gratiam; tunc quia (vt ostendimus fusiùs infrà) illa verba, *Ego te absolvo*, videntur primariò facere sensum hunc, *Infundo tibi gratiam ex vi remissiuam peccati*: vbi primaria significatio est gratiæ, secundaria verò remissionis peccati. Respondeo ad primum Non esse inconueniens, si dicamus eam voluntatem remittendi non causari à Sacramento secundùm totum suum esse: vti in voluntate Dei deponendo Christo sub speciebus ostendimus manifestè. Secundò, In hoc ipso Sacramento id debet admittere Cardinalis, etiamsi dicat peccata esse partem intrinsecam Sacramenti; non enim ideò fatetur ipsa peccata causare gratiam moraliter: nam hoc videtur esse in terminis repugnans: quomodo enim forma causabit alteram summè oppositam sibi moraliter, aut quomodo seipsam efficienter destruet? Possumus ergo nos dicere eam remissionem non causari à toto Sacramento, quia & illa ipsa voluntas remittendi est pars Sacramenti. Secundò, si loquamur de ipsa actuali remissione, res est clarior, quia hæc ab integro Sacramento causatur: oritur enim etiam ab ipsa voluntate diuina, quæ est vltimum complementum Sacramenti. Id verò quod in secunda replica dicebatur, priùs debere esse voluntatem infundendi gratiam quàm remittendi peccatum, facilè potest distingui, vt voluntas remota remittendi peccatum sit prior, & per eam compleatur Sacramentum: illa autem voluntas exequatur suum effectum per infusionem gratiæ, quæ sit altera voluntas posteriot, & ad quam mouatur Deus vi prioris vt complentis Sacramentum Pœnitentiæ. Hæc videntur satis probabiliter dicta ad excludendum peccatum præteritum ab intrinseco constitutiuo huius Sacramenti in gratiam omnium ferè Auctorum, qui cõmuniter videntur supponere peccata esse id quod per Sacramentum tollitur, non verò quid intrinsecum Sacramento, esse etiam materiam remotam, non proximam. An autem in extrema Vnctione possimus etiam euitare, ne dicamus præteritionem peccati esse partem illius, quatenus si infirmus nullum habuisset re ipsa peccatum, non esset re ipsa verum Sacramentum extremæ Vnctionis, constabit infrà dum de eo Sacramento Deo dante nobis fuerit sermo.

Voluntas remittendi peccata nõ causatur à toto Sacramento Pœnitentiæ.

SECTIO VII.

An omnes partes huius Sacramenti causent gratiam.

QVòd si tamen alicui minùs hæc placuerint, & iudicauerit debere omnino peccata admittit vt partem (vt ait Lugo: (hoc tamen velim omnino vlteriùs notatum: non propterea vllo modo dicendum ea peccata concurrere ad gratiam producndam. In quo puncto Lugo valde se torquet: ait enim numero 38. peccata, licet secundùm se non causent gratiam, seu non moueant Deum moraliter ad eam causandam, prout tamen cum confessione & dolore integrat hoc Sacramentum, seu quatenus sunt partes illius aggregati, dici posse mouere Deum: vti è contrario in ipso peccato, quod mouet Deum ad odium, includitur lex Dei, libertas in actu primo, & cognitio obiecti: quæ tria sunt in se bona, & placent Deo secundùm se: quatenus verò complent illud peccatum, seu simul cum actu malo, odio habentur à Deo. Hanc doctrinam non videtur hic Auctor consequenter defendere: nam infrà numero 17. ait certum esse peccata non importari in recto per vocem *Sacramentum*, cum Sacramentum, inquit, sit id quod mouet Deum ad dandam gratiam, & peccatum ex se magis moueat ad auferendam illam; ergo non significatur secundùm se & directè per nomen Sacramenti, sed solùm de connotato: hæc ille,

30 *Admisso peccata præterita esse partem constitutiuã Sacramenti Pœnitentiæ an sequatur ea causare gratiam, quatenus cõponunt Sacramentũ.*

quibus

quibus iam destruit alteram doctrinam immediatè datam.Nam si hìc loquatur de peccatis secundùm se, & vt non componentibus Sacramentum, tunc nec de connotato dicuntur per Sacramentum : & in eo sensu nulla penitus est differentia inter peccata & inter auditionem illorum ex parte Confessarij : quam tamen dicit idem auctor significari in recto & causare gratiam:quod ergo non sit differentia patet clarè. Nam etiam auditio si consideretur secundum se & vt non constituit Sacramentum, nec significatur in recto,nec causat gratiam , vt ex Trid. patet : ergo in hoc omnes partes Sacramenti sunt pares inter se.Quòd si auditio consideretur vt pars illius totius , quo solo sensu potest dici causare gratiam:etiam idem docuerat anteà hic Auctor de peccatis ipsis , scilicet vt constitutiua illius totius causare gratiam:ergo ex hoc capite tam benè possunt peccata dici in recto quàm eorum auditio:vel certè non deberet dici ea per modum vnius cum aliis rebus causare gratiam.Et hæc quidem quoad consequentiam eius doctrinæ.

31 *Soluitur quæstio negatiue.*

Absolutè autem dicendum iudico,Nullo modo ea peccata neque secundùm se,neque vt partem eius totius mouere Deum ad dandam gratiam,Et quidem exemplum allatum ab hoc Auctore reieci tum agens de constitutiuo libertatis,tum aliis in locis, vbi dixi nequaquam debere admitti,legem,seu prohibitionem diuinam vt coniunctam cum actu malo displicere Deo, sicut dicitur actus malus vt coniunctus cum lege displicere:nam asserere,quòd dum ego pecco non aliter displiceat Deo meus actus,quàm displiceat ei ipsius lex,& è contrario : est meo iudicio adeò absurdum , cùm Deus sibi in sua lege absolutè complaceat,in meo autem actu absolutè sibi displiceat ; adeò inquam est absurdum,vt si aliter res non posset explicari,potiùs vellem dicere,libertatem & malitiam esse omnino intrinsecam & essentialem actui. Respondendum ergo dixi,Licet in ordine ad constitutionem denominationis peccati omnia illa sint quid intrinsecum (quia connotata extrinseca essentialia in ordine ad compositionem alicuius totius non possunt probabiliter admitti)in ordine tamen ad terminandum odium,aut è contrario amorem(respectu quorum actuum ea connotata non possunt esse aliquid constitutiuum) optimè posse & verò sæpè debere admitti connotata seu conditiones extrinsecas. Nam infirmitas Petri est conditio,sine qua ego non amarem curationem & medicinam illius:non est tamen id quod ego vllo modo amo , sed potiùs odio habeo & detestor , &c. Ingens dolor dentium v.g est conditio , qua præuisa amo hanc aut illam medicinam : ipse autem dolor nullo modo nec in se nec coniunctus cum medicina mihi placet,sed potiùs odio habetur.

Quo sensu ad mitti possint & debeant connotata.

Deum non odit omnia quæ peccatū cōstituunt.

Dico ergo in exemplo eius Auctoris,Legem Dei,quæ respectu peccati est pars constitutiua, respectu odij Dei esse purè conditionem : qua præuisa odium Dei fertur ad solum purum putum eum actum meum,quo legem ipsam diuinam trangressus sum:non ergo odium terminatur ad omnia quæpeccatum dicit,sed ad partem illius. Hoc eodem modo loquor in præsenti de hoc Sacramento:dico enim,Etsi Deus non moueretur ad dãdam remissionem,nisi videret præcessisse peccatum,ideóque peccati,præteritio fit pars Sacramenti;non tamen ideò peccatum aut

32

ecundùm se aut vt coniunctum cum aliis partibus allicere Deum ad eam remissionem, seu ad infusionem gratiæ, sed potiùs quodammodò ad contrarium implere : cum quo tamen stat optimè illud præteritum peccatum ita esse conditionem,vt si præuisum non fuisset,non habuisset Deus hanc voluntatem,sicut paulò antè dixi; si non viderem eum,,quem extremè amo, infirmum, non procurarem ei medicinam; non tamen inde infertur,eum morbum mihi vllo modo placere : imò quia omnibus modis displicet, volo illum pellere.Non ergo omnio quæ in Sacramento sunt debent dici concurrere ad mouendum Deum : vti neque omnia debent dici non solùm secundùm se,sed neque vt coniuncta cum aliis esse actiones Christi : est enim valdè absurdum dicere, peccata mea , etiam vt coniuncta cum aliis partibus,esse moraliter actiones Christi,aut nomine Christi fieri : & quoad hoc facilis est ratio à priori, quia vt aliquod totum habeat condignitatem cum aliqua re, aut dicatur illam producere, non est necesse vt secundùm omnes partes habeat condignitatem , & secundùm omnes producat illam rem, sed sufficit,si id præstet secundùm vnam,esto illa pendeat ab altera respectu amoris aut odij vt à conditione,non vt à concausa.Et satis de hac quæstione occasione partium intrinsecarum Sacramenti Pœnitentiæ.

Non omnia quæ sunt in Sacramento mouẽt Deum ad dandam gratiam.

33 *Quænam partes Sacramenti Pœnitentiæ causent gratiam.*

Illud ergo nunc quærendum , Quandoquidem non omnes partes Sacramẽti,eo ipso quòd tales sint,debent causare gratiam,quæ sunt illæ, quæ de facto illam causant Loquimur in nostris principiis , quòd Sacramenta solùm moraliter eam causent , quatenus sunt actiones Christi. Respondeo,Rem nobis esse vtcumque ignotam, scimus enim ab eo toto causari : à qua autem parte causetur propriè , & à qua solùm denominatiuè,sicut actiones vnius partis solent applicari toti.res est incerta,nec magni momenti: in qua tamen dicendum videtur,ea quæ ad hoc Sacramentum non currunt,& non sunt per modum actionis , vti iurisdictio & Ordo in Confessario , Character baptismalis in confitente , nullo modo influere in gratiam ; quia iuxta ea quæ suo loco agentes de Sacramentis in communi diximus , Sacramenta ideò sunt caussa condigna gratiæ , quia sunt moraliter actiones Christi.Vnde infero;Ergo ea quæ in Sacramentis non suntper modum actionis,ac proinde non possunt fieri propriè nomine Christi, non possunt participare de ea condignitate cum gratia, ideoque non possunt esse caussa moralis illius , modo quo à nobis ea caussalitas explicatur. Si cum Patre Suario & aliis admitteremus caussalitatem physicam, possemus etiam eis rebus, si physicæ essẽt,& durarent dum confertur gratia, caussalitatem in illam tribuere,etiamsi non essẽt per modum actionis.Sed de hac sententia nihil amplius in præsenti.

34 *Quo sensu dolor pœnitentis, & cōfessio dici possint actiones Christi.*

Secundò inter eas res quæ sunt per modum actionis , vti confessio & dolor ex parte pœnitentis auditio peccatorum & absolutio ex parte Confessarij,possumus dicere omnes concurrere moraliter,& omnes fieri Christi nomine : licet enim Christus nec doleat de peccatis,nec ea cõfiteatur,quia nullum omnino habet,aut habuit; illæ tamen actiones possunt considerari quatenus ordinãtur ad cultum Dei, ad quem ordinatur Sacramentum, & secundùm hanc rationem possunt dici actiones Christi; quia per illas specialiter

cialiter colit Deum, per nos sicut suos Ministros; quo sensu etiam diximus, agentes de Sacramentis in communi, contrahentes matrimonium agere nomine Christi; non quia per illos Christus contrahat matrimonium tamquam per Ministros, sed quia ille contractus hic & nunc, quatenus est in honorem & cultum Dei, fit nomine Christi. Neque enim repugnat actionem aliquam quæ fit per procuratorem, seu delegatum, fieri nomine delegantis, quatenus per eam exhibetur cultus & honor tertiæ personæ; etiamsi ea actio physicè considerata secundùm conceptum specialem suum non fiat nomine delegatis. Ratio a priori est, quia illa denominatio extrinseca est realiter separabilis ab ipso intrinseco conceptu actionis; ideoque non est necessum, vt secundùm omnes conceptus dicatur fieri nomine Regis: nam si Legatus Regis sit claudus v g. & dum accedit ad adorandum Pontificem nomine Regis claudicet, illa ipsa claudicatio est nomine Regis, quatenus per eam colitur Pontifex; at vt est vitiosa ambulatio non fit nomine Regis; neque dicitur Rex moraliter per illum Legatum claudicasse; ita in præsenti dicimus, quatenus confessio & dolor fiunt à pœnitente pro constitutione Sacramenti, & in honorem Dei, qui per ea Sacramenta colitur, fiunt Christi nomine; quatenus verò materialiter sunt confessio, dolor aut contractus matrimonij, non fiunt nomine Christi, qui nec accipit tunc vxorem, nec sua confitetur peccata, nec dolet, &c. 35

Contra hanc doctrinam obiici potest, ex ea sequi non minùs ipsum pœnitentem ministrare sibi Sacramentum Pœnitentiæ, aut se absoluere, sibique dare gratiam, quàm absoluatur à Confessario, & ab eo recipiat Sacramentum, cùm ambo partialiter ad eam causationem concurrant vt Ministri Christi. Respondeo, Hanc obiectionem laborare aliqua æquiuocatione; aliud enim est me mereri gratiam, aliud mihi ipsi eam dare: homo per bona opera meretur gratiam, non tamen dicitur dare sibi gratiam; sicut nec miles, qui ob gloriosa facinora promeritus est à Rege Comitatum, quem postea accipit, dicitur sibi donasse Comitatum, aut se ipsum fecisse Comitem: hoc enim Rex fecit dando illi quod ipse est promeritus; sicut etiam dum quis per contritionem promeretur, vt Deus ei remittat peccata, seu vt eum à peccatis absoluat, non dicitur se absoluere, aut sibi remittere peccata: hæ enim denominationes, remitto, dono, pertinent tantum ad illum qui erat dominus rei, aut iuris, re ipsa & illam rem donat, aut eo iure cedit. Ita dico Pœnitentem, esto per actiones, quas facit nomine Christi modo explicato; promereatur gratiam & remissionem, non dici tamen sibi eam dare, aut se absoluere, sed summum dici posse obligare Deum vt se absoluat, & sibi det gratiam, Confessarius autem quia non solùm eo titulo concurrit, quòd in honorem Dei faciat aliquid nomine Christi, sed est à Christo constitutus vt Iudex, & vt simul nomine ipsius Christi proferat sententiam, & absoluat, verè dicitur dare gratiam & absoluere; est ergo Sacerdos duobus titulis Minister Christi, vno modo, quatenus concurrendo ad actiones Sacramentales colit Deum nomine ipsius Christi; quo sensu facit aliquid condignum gratiæ, & in hoc sensu est similis pœnitenti: alio modo concurrit nomine Christi, vt Christus non solùm colit Deum, sed vt habet potestatem absoluendi à peccatis; & ratione huius secundi tituli dicitur absoluere, dare gratiam pœnitenti, &c. Hæc est meo iudicio clara & facilis huius difficultatis explicatio, de qua alij valdè fusè multa miscentes, quæ non carent graui difficultate, nec videntur sufficienter tangere punctum quæstionis.

Differentia inter promeritum & præmiū & illud dantem

Quomodo Confessarius nomine Christi concurrat ad Sacramentum Pœnitentiæ.

SECTIO VIII.

Quæ ex his partibus dicantur in recto.

VLTIMA difficultas circa eas partes Sacramenti est, quænam ex illis importentur in recto; non enim est idem (vt sæpè notauimus) aliquid esse de intrinseco constitutiuo alicuius totius, & illud significari in recto: etenim album essentialiter dicit vt partem intrinsecam albedinem; & tamen eam solùm dicit in obliquo: explicamus enim illud concretum hoc modo; *Album est subiectum habens albedinem*; vnde fit vt rectè dicamus, *Album est dulce*, hoc est *Subiectum albedinis est subiectum dulcedinis.* Obseruo autem, quod & sæpè notaui, hoc de recto & obliquo non esse nisi secundùm modum nostrum explicandi ea concreta: dum enim aliquid ponimus in nominatiuo, dicimus illud significari in recto, in obliquo verò quando in alio casu ponitur; vt in exemplo allato de albo subiectum ponitur in nominatiuo, albedo in obliquo. Tota ergo hæc quæstio est de modo loquendi; de qua etiam aliquid dixi agens de Sacramentis in communi. Dico ergo breuissimè, ne in re parui momenti diù hæreamus, non esse in hoc puncto certum & fixum modum loquendi, ac proinde nec nos habere certam regulam, vnde possimus decidere, quid dicatur in nominatiuo per vocem *Sacramentum confessionis*; consequenter tamen ad ea quæ vniuersaliter de Sacramentis docuimus, videtur hic dicendum & confessionem & dolorem ex parte pœnitentis, & absolutionem ex parte Confessarij dici in recto; quia si interrogemur quid sit Sacramentum confessionis, respondemus benè, *Est confessio dolorosa peccatorum, & absolutio ab illis.* 36

Quid dicat Sacramentum Pœnitentiæ in recto.

Vbi aduerto Lugo qui hac de re fusè agit ea disputatione 17. sectione 3. obiicere sibi ad probandum, quòd confessio non sit pars Sacramenti, eam aliquando posse esse non vndequaque honestam, ita vt non valeat placere Deo, si procedat ex aliquo fine vanæ gloriæ venialiter culpabili; ergo eo casu, inquit, non poterit ex se mereri gratiam etiam de congruo, ac proinde non poterit significari in recto. Huic obiectioni respondet numero 64. ad hoc vt ea confessio dicatur in recto, sufficere quod communiter & regulariter etiam in recto causet gratiam modo explicato; quia nomina imponuntur ad significandum secundum modum communem concipiendi; supponitque ibi hanc confessionem & dolorem non poni nomine Christi, ac proinde non nisi quatenus sunt actiones peccatoris, posse de congruo causare gratiam. In qua doctrina Primò non placet, quòd neget eam confessionem & dolorem esse nomine Christi: iam enim ostendimus paulò antè quo sensu illæ partes Sacramenti fiant Christi nomine. Secundo displicet, quòd dicat eas partes causare gratiam in recto; est enim (vt dixi paulò ante) maxima æquiuocatio: hoc de recto & obliquo, quod purè putè pertinet ad modum nostrum concipiendi, 37

di, transferre ad rem ipsam secundùm se, & à parte rei, seu ad caussationem ipsam gratiæ:cùm enim à parte rei in ipsis complexis nihil sit de recto aut obliquo, multò minùs erit de caussatione gratiæ in recto aut in obliquo.Quòd si per hoc velit hic Auctor præcisè intelligere quòd confessio solùm causset gratiam,quatenus est in toto, ad modum quo id dixerat de peccatis, id ipsum fortasse esset abuti vocibus;quia in obliquo est in alio casu à nominatiuo : quomodo ergo caussare per se gratiam,& non solùm qua tenus est pars totius,dicetur,caussare in nominatiuo?Tertiò displicet,quòd pro hac significatione recti vel obliqui recurrat ad caussationem gratiæ;cùm etiam in sententia, quæ solùm ponit caussalitatem physicam in Sacramentis,ac proinde solùm in absolutione quæ semper est post physicam cessationem confessionis;nihilominus etiam tunc confessio dicatur in recto,& tamen non causset gratiam;& idem in aliis Sacramentis: siue enim forma Baptismi finiatur ante perfectam absolutionem, siue post, semper Baptismus dicit in recto ablutionem & verba.Non est ergo ad has caussalitates pro ea significatione in recto & in obliquo recurrendum, sed ad communem modum loquendi; de quo, vt dixi,non est multùm curandum, quia nec est fixus vllus communis in hac materia.nec ad vllam penitus aliam quæstionem ille necessarius:& fortasse aliquis diceret solùm dici in recto confessionem & absolutionem,dolorem verò tantùm in obliquo,quia possumus hoc Sacramentum sic explicare, *Est confessio orta ex dolore,& Sacerdotis absolutio*:per quem modum loquendi dolor dicitur in obliquo,confessio autem & absolutio in recto.

DISPVTATIO XXXI.

Explicatur in genere,quæ peccata sint materia necessaria,quæ verò contingens Sacramenti Pœnitentiæ.

1 QVIA diximus Sacramentum Pœnitentiæ constare rebus vt materia,& verbis vt forma,oportet ad declarandam eius essentiam incipere à materia, quæ prior solet esse quam forma; quia verò hæc materia est duplex, vna remota, alia proxima, & illa primo loco debet supponi,quin etiam tempore debet præcedere,ab illa incipiemus;ea autem est peccatum.

Dico peccatum.nam imperfectiones morales, quæ nec quidem attingunt rationem peccati venialis non sunt sufficiens materia,multò minùs necessaria confessionis. Inquiri autem solet, Vtrùm saltem liceat eas ad maiorem humilitatem dicere in confessione. Ioannes Sanctius apud Lugo disput. 6.sect.2. acriter reprehendit vsum eas dicendi; quia in confessione non debet cum vera materia coniungi falsa:nihilominùs tamen non est id vllo modo reprehendendum,sed laudandum : estque recepta praxis virorum doctorum, de eis se accusare tum ob humilitatem,tum quia sæpè latent venialia,vbi homo putat solas esse imperfectiones:id quod Lugo benè ibi notauit. Quod de admixtione materiæ falsæ dicitur non vrget:quia nulla ex ea admixtione sequitur indecentia.Nec est periculum vllum, cùm Sacerdos benè agnoscat eas imperfectiones non esse materiam,in quam absolutio possit cadere,ideòque nullum sit ibi periculum:vtilitas è contrario sæpè sit magna.His obiter notatis, circa peccata, quæ sunt propria materia confessionis,varia in dubium verti possunt, quæ sequentibus disputationibus discutiemus.

Imperfectiones morales vtiliter explicantur in confessione.

Et quidem supponendum est peccata commissa ante Baptismum non esse materiam huius Sacramenti, quia sunt peccata hominis adhuc non subditi Ecclesiæ, de quibus Ecclesia iudicare non potest : vt enim ait Paulus:*De iis qui foris sunt quid ad nos?* Obserno tamen hanc rationem habere vim supposita voluntate Christi: nam cùm alioquin ipse habuerit iurisdictionem in omnes homines,etiam non baptizatos, potuit dare Ecclesiæ eamdem iurisdictionem, vt absolueret à peccatis commissis etiam ante Baptismum:quo casu etiam non baptizati fuissent Ecclesiæ subiecti, saltem quoad hunc effectum Quidquid de illo casu sit, de facto non voluit ea peccata esse materiã aut necessariam,aut sufficientem p o hoc Sacramento.

1. Cor.5.

SECTIO I.

Vtrùm peccata commissa ipso instanti Baptismi sint materia confessionis.

QVÆRIMVS,An hæc peccata deleãtur post eà vt Baptismi reuiuiscentis,an verò debeant subiici clauibus Ecclesiæ,seu,an debeant per Pœnitentiæ Sacramentum deleri. De hac quæstione agit Suarius Tomo 3.in 3. Par.disput. 28. sect 5. Vasquez Tomo 2. disput.109. & Lugo fusissimè disput. 16.sect. 2. Qui benè obseruat hanc quæstionem esse purè speculatiuam : nam in praxi nemo potest scire vtrùm ipso intrinseco instanti Baptismi cessauerit illud peccatum nécne,ac proinde omnia quæ habuit quis tunc debet posteà explicare, saltem ex eo capite, quòd dubium sit, an durauerint vltetiùs. Addo tamen, fortasse si quis sequatur opinionem quorumdam(de qua infrà) quod non teneamur confiteri peccata dubia,posset etiam ad praxim præsens difficultas deseruire : quidquid tamen de hoc sit,

SVBSECTIO PRIMA.

Proponitur vera sententia.

VAriæ sunt in hoc puncto sententiæ : quidam enim omnino negant ea peccata pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ:alij omnino affirmant :

affirmant: tertij distinguunt inter peccata; quædam enim existunt eo instanti Baptismi, ideoque impediunt effectum gratiæ, (loquor de mortalibus;) non tamen sunt contraria directe Baptismo; quia non sunt voluntas illum suscipiendi sine debita dispositione; sed quasi per accidens seu concomitanter se habent; & hæc dicunt non pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ: quædam verò sunt quæ directè opponuntur Baptismo vt formale peccatum fictionis; & hæc pertinere putant ad Pœnitentiam; quia cùm ex se sint contraria directe effectui Baptismi, non possunt per illum deleri. Cardinalis Lugo autem in sententia Aristotelica necessariò debere ea peccata ad Pœnitentiam pertinere, quia peccatum definit in instanti intrinseco, Sacramentum verò conficitur in extrinseco, ergo non simul; vnde si priùs peccatum finiatur, iam non habet locum quæstio præsens si verò pòst, ò ipso debere ad Pœnitentiam pertinere. Ego ab hac quæstione Philosophica abstraho, quia non major videtur esse ratio de Sacramento, cùm etiam caullet gratiam & characterem in instanti, quàm de cessatione peccati; supponimus ergo pro præsenti puncto vtrumque omnino fieri simul, siue vera sit sententia Leonis, siue in Aristotelica concedendum etiam sit omnia entia incipere & desinere intrinsecè & extrinsecè. Quo posito

4 *Inutilis quorundam distinctio peccatorum in Baptismi susceptione commissorum.*

PRIMÒ DICENDVM est distinctionem illam inter eas duas species peccati, de quibus tertia sententia loquitur, gratis esse confictam; quia vtrùm peccata pertineant ad Pœnitentiam nécne, non debet ex ea oppositione directa aut indirecta desumi, sed ex physica coëxistentia aut antecessione, vt videbimus statim. Vnde, esto illa voluntas ficte suscipiendi ex se sit directè opposita effectui Baptismi, & illum re ipsa impediat, si tamen immediatè ante cessat physicè, non pertinebit vllo modo ad Pœnitentiam, sed ad Baptismum: vbi bene notat Lugo, si inter ea peccata distinctio aliqua quoad rem præsentem esset admittenda, potiùs dicendum illam voluntatem directam fictionis non pertinere ad Pœnitentiam; quia illa non potest prohiberi ab Ecclesia, cùm sit prior natura quàm Baptismus per quem homo subiicitur Ecclesiæ; alia autem peccata in eo instanti commissa prohiberi ab Ecclesia possunt; ergo magis hæc spectant ad claues Ecclesiæ. Verùm absolutè idem de omnibus dicendum constabit statim.

5 *Peccata in Baptismi instanti commissa spectant ad Pœnitentiæ Sacramentũ.*

SECVNDÒ dico ea omnia peccata pertinere directè ad Pœnitentiam, non ad Baptismum. Hæc est communis ferè inter omnes: eam citato loco retractata priori opposita defendit Lugo, ostendens tamen valdè esse probabilem etiam contrariam: ego tamen puto exiguam in contraria esse probabilitatem. Pro quo aduerte, pro ea apposita aliud non esse fundamentum, quàm quòd Tridentinum dicat Sessione 14. cap. 20. Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus; illa autem vox *priùs fuerit ingressus* denotare clarè videtur, peccata, quæ non committuntur postquam homo iam est baptizatus, non posse ad Ecclesiam pertinere. Capite item quinto initio docet idem Concilium, Pœnitentiæ Sacramentum à Christo institutum esse necessarium omnibus post Baptismum lapsis; ergo lapsis in ipso Baptismo non est necessarium. Hoc est vnicum eius sententiæ argumentum; cui cùm facillimè respondeatur, & pro nobis efficacissima ratio sit, exigua ei oppositæ sententiæ restat probabilitas. Ad primum quidem ego facilè respondeo, In eo nihil dici quòd peccata debeant esse post Baptismum commissa, sed quòd Ecclesia non exerceat iudicium, nisi in eos qui iam sunt baptizati; quod longè aliud est: etenim Sacramentum ipsum confessionis, seu absolutionis, per quod Ecclesia exercet iudicium in Pœnitentem, dari nullo modo potest nisi post Baptismum. Nam ipso instanti Baptismi homo nequit confiteri, nequit dolere de peccato tunc commisso, multò minùs absolui; quia si eo instanti peccat actu, ergo est incapax tunc absolutionis; & quomodo tunc doleret de peccato quod tunc committit? si verò peccata iam tunc non durant, non sunt materia Pœnitentiæ; ergo meritò dixit Concilium iudicium non fieri ab Ecclesia nisi in priùs baptizatos. *Soluuntur obiectiones ex Tridentino petita.*

6

Quia verò secundo loco loquitur de lapsis post Baptismum quibus verbis iam requirit ipsa peccata esse commissa post Baptismum, potest adhiberi solutio vniuersalis pro vtroque loco: nolo autem defatigari cum aliquibus, quorum solutionem Lugo impugnat, vt probem illa peccata eo instanti commissa esse post Baptismum: quia reuerà non sunt, si de temporis coëxistentia loquamur: naturà autem sunt simul: & verò peccatum fictionis potiùs est prius natura. Hac ergo solutione reiecta respondeo, Concilium ideò dixisse, peccata commissa post Baptismum pertinere ad Pœnitentiam, quia locutum est solùm de duobus temporibus, scilicet ante Baptismum & post illum: nam de illo casu ferè metaphysico, quod peccatum eodem physico instanti cum Baptismo finiatur, non erat operæ pretium agere, aut quidquam definire. Hanc verè esse mentem Concilij clarè colligetur ex eiusdem Concilij verbis & ratione, quam adducit ex Paulo: & quæ est vnica eáque efficacissima sententiæ nostræ probatio.

7

Tridentium enim ea ratione dixit peccata debere esse post Baptismum, quia, vt ait Paulus 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* vnde cap. 5. ait idem Concilium Sacerdotes esse constitutos iudices à Christo, vt ad ipsos omnia peccata mortalia deferantur, in quæ Christi fideles ceciderunt. Ex his clarè argumentatur: Eo ipso instanti quo Baptismus perficitur, homo est Christi fidelis, est intra Ecclesiam, est subditus Ecclesiæ: sicut ipso primo instanti, quo homo accipit gratiam, est propriè & in toto rigore filius adoptiuus Dei, est iustus hæres gloriæ, &c. non minùs quàm in reliquis omnibus sequentibus instantibus: & idem est in omnibus aliis formis: nam in instanti primo quo communicantur subiecto, dant illi suum effectum formalem, non minùs quàm in secundo & tertio. In primo enim instanti quo vnitur mihi albedo, sum omnino albus; in primo quo calor, sum calidus, in primo quo frigus, frigidus, &c. ergo in primo instanti, quo homo baptizatur, est fidelis, est Christianus, est Ecclesiæ subiectus, sicut in secundo, tertio & quarto sequentibus: ergo peccata, quæ in eo instanti fiunt, sunt hominis Christiani, fidelis, subiecti Ecclesiæ: ergo illa peccata subiacent clauibus Ecclesiæ. Confirmatur alia instantia: nam qui facit professionem religiosam, eo ipso instanti quo illa professio completur, est verus Religiosus est subiectus Religioni, &c. *Eo instanti quo Baptismus perficitur, homo est fidelis, & subditus Ecclesiæ.*

Hoc idem probat Lugo suprà, quia Ecclesia

potest

potest ho minem excommunicare pro peccato eo instanti Baptismi commisso ergo illud peccatum subiacet clauibus Ecclesiæ Hoc argumentum omitto, quia ipsum antecedens est tam dubium quàm quæstio in qua sumus; vnde non aliter probari potest, Ecclesiam habere eam vim excommunicandi ob tale peccatum, quàm recurrendo ad principium à nobis allatum, quòd scilicet peccatum tunc commissum sit hominis fidelis,&c. hoc autem principio admisso, non est necessarium recurrere ad hoc, quòd possit Ecclesia excommunicare talem hominem,&c.

8 *Omnia peccata debent per Baptismum vel Pœnitentiam directè deleri posse.*

Secundò potest ea nostra sententia satis efficaciter inde probari, quia omnia peccata debent directè deleri vel per Baptismum, vel per pœnitentiam ex Christi institutione: atqui peccata commissa eo instanti Baptismi non possunt per se deleri per illum; ergo debent deleri per Pœnitentiæ Sacramentum: consequentia est bona, & maior certa; quia videtur in terminis repugnare, Baptismum esse per se & natura sua ordinatum ad delendum id, quod simul est cum ipso Baptismo: nec potest responderi, Baptismum postea reuiuiscentem posse delere illud peccatum; etenim illa reuiuiscentia non est certa. Et sanè ex eo quòd Christus non dedisset Baptismo vim reuiuiscendi, nequaquam sequeretur peccata facta in instanti Baptismi magis esse hominis Christiani quam iam sint; item non magis esset Pœnitentia ordinata ad ea peccata tollenda quàm iam; quia ordinatio illa est per se & independens à vi reuiuiscendi. Denique Baptismus reuiuiscens non videtur posse alium effectum præstare quàm illum, quem, dum re ipsa est susceptus, poterat præstare, si non fuisset impeditus: atqui vt deleat peccatum, quod simul cum ipso existit, est planè in terminis repugnans; ergo dum reuiuiscit non potest habere per se vim delendi peccatum sibi in fieri coëxistens; ergo per se debent huiusmodi peccata ad Pœnitentiam spectare.

Baptismus non potest delere peccatū quod cum ipso existit.

9 Fortasse dices, Hoc argumento nimium probari, scilicet etiam peccata commissa ante Baptismum debuisse remitti per Pœnitentiam, casu quo Baptismus non reuiuisceret; nam etiam tunc non remitterentur per Baptismum fictè susceptum. Respondeo negando sequelam, quia etiamsi actu tunc non remitteretur per Baptismum, potuissent tamen remitti per se; quia etiã tunc habuisset Baptismus vim remittendi omnia peccata commissa ante se; per accidens autem contigisset, quòd cum fictione Baptismus esset susceptus; eo ergo casu remitterentur per accidens per Pœnitentiam. Sicut si quis ante Baptismum habeat contritionem non remittentur ei peccata per Baptismum, cum iam sint priùs remissa; & tamen semper est verum; quòd illa peccata per se loquendo debeant per Baptismũ deleri. Ideò in argumento à me facto non dixi omnia peccata debere actu remitti per Baptismum, vel per Pœnitentiam, sed debere esse capacia, vt possint per vnum ex eis Sacramentis remitti; hoc autem non potest conuenire his peccatis, quæ eodem tempore coëxistunt cum Baptismo, vt per se possint per illum deleri; ergo per se debent ad pœnitentiam spectare.

10 *An peccatum commissum in Baptismo sit hominis Christiani.*

Obiicies; Peccata eo instanti commissa non sunt hominis Christiani vt Christiani; ergo non spectant ad Sacramentum Pœnitentiæ. Respondeo, Si in illa reduplicatione *vt Christiani* velint Auctores huius obiectionis dicere, & Character & esse Christianum se habere per accidens, seu non influere in ea peccata, facilè à me id nunc admittendum. At nego inde quidquam inferri ad intentum nostrum; nam etiam quandocumque aliquis fuit baptizatus (etiam ante mille annos si vis pro argumento) & postea planè inuincibiliter oblitus se esse Christianum peccat, procul dubio respectu illius peccati se habet omnino per accidens ratio Christiani; & maioris claritatis gratiâ ponamus hominem illum, qui inuincibiliter penitus ignorat se esse Christianum, baptizatum fuisse infantem, & postea educatum inter gentes, ideóque nihil de Christianismo audiisse, certè huius peccata nullam penitus malitiam aut grauitatem ex eo capite Baptismi susceptí accipient ergo materialiter omnino se habebit ea ratio ad peccatum, ideóque non erit illud peccatum Christiani vt Christiani in sensu, in quo iam loquimur, nemo tamen inde potuit inferre, nec apparenter quidem, illud peccatum non pertinere ad Sacramẽtum Pœnitentiæ; ergo. Dixi me admittere, quòd ratio Christiani se habeat per accidens ad illud peccatum: nam cùm in eodem instanti vtrumque fiat, non est facile explicabile, quomodo non accipiat ex ea circumstantia grauitatem, ac proinde etiam quomodo non pertineat ad Pœnitentiam. Verùm nostra sententia non pendet ab hoc puncto; siue enim accipiat inde grauitatem, siue non, pertinet ad Pœnitentiam; quia pro hoc puncto non consideratur maior aut minor grauitas, sed, an sit factum nécne ab homine subiecto Ecclesiæ: quo sensu ex dictis constat euidenter debere peccatum illud dici Christiani vt Christiani; neque ad hoc esse quærendas prioritates naturæ, sed coëxistentias physicas realis, quæ eo casu à nemine possunt negari.

11 Dices adhuc vlteriùs Per Baptismum applicatur sanguis Christi ad soluenda debita omnia contracta; inter quæ sine dubio includitur illud ipsum debitum, quod tunc contrahitur; vti anguis Christi effundebatur ad satisfaciendum etiam pro peccato quod committebatur ab ipsis crucifixoribus. Respondeo; Si hæc instantia de sanguine Christi quidquam probaret, ostenderet sanè euidenter, per Baptismum posse remitti etiam illa peccata, quæ tempore sunt eo posteriora: quia & id habet Christi sanguis, vt etiam pro futuris peccatis sit redemptio. Dicimus ergo, Debitum contractum in ipso Baptismo non posse per illum solui, vt paulò superiùs ostendimus. Assigno autem manifestam disparitatem inter sanguinem Christi & Baptismum ad rem præsentem, quòd sanguis Christi est pretium vniuersale ex se abstrahens ab omni applicatione; inde de se est aptus vt deleat omnia peccata, pro quibus modo debito applicatus fuerit: pretium autem ad soluendum benè potest esse etiam antequam contrahatur debitum: at baptismus est applicatio eius pretij & sanguinis, seu est ipsa solutio actualis. Implicat autem, eo ipso tempore quo contrahitur & existit debitum peccati, illud soluiː ergo Baptismus non potest esse solutio pro eo peccato.

Obiicies vltimò: Ergo si quis in Baptismo committat peccatum aliquod veniale, & immediatè post moriatur, non ibit statim ad cælum; cùm illud peccatum non remittatur quoad culpam per Baptismum, multò minus quoad pœnam: hoc autem videtur esse contra communem sensum. Respondeo concedendo sequelam; ne-

go autem id esse contrarium sensui communi, quia quando communiter dicitur illum, qui moritur immediatè post Baptismum, ire statim ad cælum, supponitur non commisisse vllum peccatum neque in susceptione Baptismi, neque post illum. In Martyre posset etiam habere locum eadem difficultas; facilè tamen respondetur, Martyri ex opere operato dimitti reatum dum moritur, non verò dum liberè se obtulit martyrio, quia post eam oblationem potest peccare venialiter: quæ peccata saltem posteriora ea voluntate non possunt per illam deleri; ergo debent deleri ex opere operato in ipso mortis momento, quo iam non potest committere venial; imò tunc conteritur de illis, si quæ habuit immediatè ante mortem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quæ fuerit D. Augustini & Diui Thomæ mens in hoc puncto.

PVtant nonnulli Augustinum omnino fuisse in contraria sententia, eò quòd Tomo 7. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. dicat per Baptismum dimitti omnia peccata, etiam quæ sunt in ipso Baptismo, seu remitti ipsam fictionem, etiamsi posteà eadem peccata iterùm redeant, vti in parabola illa Matthæi 18. Dominus dimisit actu seruo suo omne debitum, etiamsi hic seruus nondum tunc dimisisset conseruo suo suum creditum; cui tamen ob cõtinuatum illud odium iterùm omnia peccata dimissa redierunt. Respondeo, Augustinum, si vt hæc obiectio sonat loquatur, docere rem planè improbabilem, & quidem ex duplici capite: Primò, quòd peccata possint actu remitti eo ipso instanti quo committuntur, vel quo homo nullo modo dolet de illis: Secundò, casu quo remittantur verè, nihilominùs posteà redire, debet igitur Augustin. ab omnibus explicari. 12

S. Augustinus explicatur de peccatis in Baptismo commissis.

Dico ergo, eum ibi solùm agere contra Donatistas, vt probet non debere hominem rebaptizari, etiamsi cum peccato accedat ad Baptismum; vt autem id ostendat, rogat Donatistas, An eo casu, quo quis accedit cum peccato, dimittantur peccata nécne. Vbi nihil ipse Augustinus asserit de suo; vnde facta interrogatione ait, *Eligant quod volunt, si inquiunt esse dimissa*; illis obiicit, quomodo sit verum, quòd Deus effugiat fictum; & tamen eum hominem fictè accedentem suscipiat in suam gratiam. Vbi potiùs Augustinus putat impossibile tunc ea peccata remitti; addit tamen (perinde ac si admisso aliquo impossibili casu discurreret) licet concedamus quòd in ipso momento Baptismi dimittantur ea peccata: admittendum etiam quod nihil illis paulò post ea remissio prosit; quia statim propter peccatum durans redeunt antiqua: sicut seruo illi, cui odium adhuc habenti in suum conseruum Dominus in puncto rationis reddendæ omnia remisit: quæ tamen iterùm duplicata sunt de nouo ob odium continuatum. Hæc est tota mens Augustini: ex qua nihil prorsus ad rem nostram, An peccatum in ipso Baptismi physico instanti commissum remittatur, deinde per Baptismum, an per Pœnitentiam: quandoquidem ibi Augustin. eodem instanti supposuit contra Donatistas remissionem: hanc autem non admittunt vllo modo hi cum quibus agimus.

13 Cardinalis Lug. explicans hunc locum dicit Augustinum non loqui de peccato perseuerante ipso puncto quo finitur Baptismus: nam si admittit tunc omnia dimitti, ergo tunc non committitur peccatum. Probabilis solutio, censeo tamen etiam de eo momento locutum Augustinum, non tamen (vt dixi) ex sententia sua, nam supponit ita illud odium, seu illam non-condonationem debiti, fuisse in eo seruo contra suum conseruum, vt planè & antè & tunc, & deinde durauerit: admittit ergo ad conuincendos hæreticos vnum absurdum ab illis dictum, quòd Deus condonet omnia etiam illi qui actu peccat: & propterea obiicit illis locum scripturæ, quomodo stet quòd Deus non amet peccatum, seu fictum: clara ergo eius loci solutio est quam dixi, quòd loquatur supposita sententia absurda Aduersariorum.

Explicatur D. Thomas de eisdem peccatis in Baptismo commissis.

Circa Diuum Thomam est etiam aliqua difficultas: nam quæstione 69. art. 10. ad 2. hæc habet: *Ad secundum dicendum, quòd fictio non remouetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam sub sequentem; quâ remotâ Baptismus aufert culpam ad reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismi, & etiam simul existentium cum Baptismo.* vbi sentit clare peccata in Baptismo commissa per illum remitti: in responsione item ad tertium ait effectum Baptismi esse, remittere peccata præterita vel præsentia. Negari non potest Diuum Thomam valdè obscurè ibi locutum, ac valdè insinuasse contrariam sententiam. Cardinalis Lugo duas adhibet explicationes; vnam numero 41. quòd Diuus Thomas loquatur de fictione actuali, quam dicit tolli per Pœnitentiam sequentem, per quod non negat reatum eius fictionis prout coexistentem Baptismo auferri per virtutẽ Baptismi præteriti, cùm statim subiungat: quòd remota fictione per Pœnitentiam, Baptismus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum & etiam simul existentium cum Baptismo; vnde putat hic Auctor culpam fictionis iuxta Diuum Thomam tolli per Baptismum, fictionem verò actualem tolli per Pœnitentiam: quam expositionem conatur ibi probare ex aliis verbis eiusdem D. Thomæ in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2 quæstiuncula 3. ad tertium. Ego tamen, verum fatear, non possum intelligere, an Cardinalis per hanc explicationem intendat ostendere, D. Thomam esse contra nos, an verò pro nobis, cùm enim in hac (quæ est secunda explicatio ipsius pro Diuo Thoma) nolit loqui de peccatis, quæ immediatè antequam perficeretur Baptismus fuerunt finita, ac proinde quæ in ipso Baptismi instanti non extiterunt, (de his enim loquitur in prima solutione vt statim videbimus) sed loquatur de illis quæ coëxistunt Baptismo eò instanti, quo ille perficitur, & de his dicat hic Auctor Diuum Thomam loqui, eaque non per Pœnitentiam, sed per Baptismum remitti quoad culpam; profectò iam videtur clarè admittere, ex mente Diui Thomæ remitti per Baptismum peccatum physicè coëxistens ipsi Baptismo, etiamsi rationem actualem fictionis dicat tolli per Pœnitentiam: hoc autem est contra hunc Auctorem & contra sententiam quam hic defendit, esto olim (vt fatetur & vidimus) contrariam defenderit: vnde vix non inducor, vt suspicer hanc explicationem pro Diuo Thoma fuisse ab hoc auctore traditam olim, quando contrarium docuit, positamque hic sine refutatione noua, vt videbatur exigere: quidquid 14

tamen

tamen de hoc sit, primam explicationem eiusdem, esto ea ipsi non ita placeat, ego censeo esse
15 optimam, quando scilicet Diuus Thomas loquitur vtroque loco citato de peccatis simul existentibus cum Baptismo, non loqui in eo rigore metaphysico, in quo nos iam sumus: id est, vt sint ea peccata vltimo illo instanti, quo perficitur Baptismus, quia (iuxta notata paulò antè à nobis) cùm nesciat homo, an ea fictio non durauerit saltem vno instanti vltra finem ipsius Baptismi: quo casu sine dubio non posset per Baptismum remitti saltem secundùm eam vltimam durationem: non erat ad intentum Diui Thomæ de ea rigorosa coëxistentia loqui, solùm ergo agebat de peccatis illis quæ homo committit, dum quasi moraliter est in actu suscipiendi Baptismum, dum rogat vt baptizetur, dum se disponit, dum Sacerdos accedit, &c. omnia enim hæc dicuntur præsentia Baptismo: in ordine autem ad considerationem nostram sunt præterita, dummodò in ipso vltimo instanti non existant. Confirmo hanc explicationem Primò, quia ipse Diuus Thomas proponens argumentum tertium ea quæst. 69. supposuit in eo non remitti per Baptismum nisi peccata præcedentia: quam propositionem nō reuocat deinde, vti debuisset, si verè iudicasset, peccata vltimo instanti Baptismi facta posse per illum remitti: ergo postea, dum dicit remitti etiam præsentia, loquitur iuxta nostram solationem de præsentibus morali modo, non omnino physicè: in argumento verò, dum dixit sola præterita remitti, locutus fuit de præteritis propriè & physicè: & ita ea duo conciliantur. Secundò confirmo eam explicationem, quia pro intento Diui Thomæ eo articulo erat impertinens disputatio de nostro casu rigoroso: solùm enim volebat ibi ostendere, Baptismum reuiuiscere deinde ad causandam gratiam ablata per Pœnitentiam fictione: dicit autem eam fictionem per Pœnitentiam non per Baptismum auferri: pro quo puncto ea altera quæstio erat
16 inutilis. Confirmo Tertiò, quia Diuus Thomas non dixit vnquam fictionem remitti per Baptismum, sed per Pœnitentiam: si autem putasset peccata, etiamsi existant simul cum Baptismo, per hunc deleri, necessariò id debuisset admittere in fictione: quia hæc vt est fictio, ipso vltimo instanti Baptismi finitur: reliquo enim tempore sequenti iam non est fictio, sed fuit: ergo supponit Diuus Thomas pro certo remissionem peccati existentis eo instanti, quo debeat esse effectus Sacramenti, non pertinere ad Baptismum, sed ad Pœnitentiam: ablata autem per Pœnitentiam fictione, vtpote quæ debuit necessariò durare vsque ad ipsum instans vltimum Baptismi, delet omnia alia peccata præcedentia.

Quid Intelligat Diuus Thomas per peccata coëxistentia Baptismo.

Obiicit.

Obiicies: Etiam fictio potuit finiri ante vltimum Baptismi instans: etenim, si quis voluit iniquè recipere Baptismum, & vi huius voluntatis re ipsa illum recepit, verè habuit fictionem, quantumuis, dum actu finitur Baptismus, fuerit distractus: ac proinde etiamsi iam cessauerit ab eo peccato physicè loquendo: quo casu certum est posse per Baptismum deleri eam fictionem, quia in ratione peccati tota quanta præcessit Baptismum: ac proinde eo casu non est postea necessarium nisi habere attritionem de illa: eo enim ipso Baptismus reuiuiscet iuxta ea quæ diximus Tomo præcedenti. Casus autem hic est valdè frequens. Quomodo ergo Diuus Thomas dixit fictionem remitti debere per Pœnitentiam? Respondeo, Posse quidem hunc casum euenire aliquando: nego tamen illum esse frequentem, quia cùm ea voluntas fictè suscipiendi illud Sacramentum se habeat per se hìc & nunc ad eam susceptionem, non facilè homo obliuiscì potest tunc se malè agere & peccare dum suscipit Baptismum: ideoque puto Diuum Thomam non agere nisi de fictione, quæ propriè est voluntaria ac libera eo instanti quo existit: ea autem, de qua in obiectione, non est propriè tunc voluntaria: & verò in rigore physico nec tunc erat peccatum, sed fuerat. Quòd si tamen ob concursum hominum & varias cæremonias dicas etiam frequenter tunc distrahi baptizatum vti in primo Sacro solent distrahi Neomystæ, potest Secundò responderi, D. Thomam, dum docet per Baptismum deleri peccata simul existentia cum illo, loqui non de peccatis coëxistentibus actualiter, sed de coëxistentibus habitualiter: ac si dixisset, Baptismus remittit omnia peccata antecedentia, quæ adhuc durant habitualiter, & maculant ipsum hominem etiam dum fictè suscipit Baptismum: ita vt dum facit D. Thomas eam copulatiuam, *præcedentium* &, *etiam comitantium Baptismum*, non loquatur de diuersis peccatis aliquibus iam præteritis, aliis verò tunc existentibus, sed de eisdem actu præteritis & manentibus moraliter. Hæc enim omnia tolluntur per Baptismum. Quæ expositio continet valdè claram doctrinam, & est in se faciliima.

17 *Prima responsio.*

Secunda.

Dices; Sufficiebat eo sensu dicere, Baptismum delere peccata præterita. Respondeo, Fortasse id sufficisse; pro maiori tamen claritate Diuus Thomas vsus est ea additione. Secundò respondeo, Non id sufficisse, quia poterant esse aliqua peccata præterita, iam tamen deleta per contritionem; ac proinde non durantia habitualiter, quæ per Baptismum eo ipso non delebantur. Et de Diuo Thoma hactenus.

Replica: Solvitur. Primò,

Secundò.

SECTIO VII.

Quomodo peccata, quæ iam semel sunt in confessione dicta, sint materia confessionis.

PECCATA, de quibus iam est homo confessus, posse esse etiam materiam pro secunda confessione, est omnino certum, de quo infrà. Item non esse obligationem ea secundò confitendi, nisi inualida fuerit absolutio, etiam dicemus infrà. Nunc solùm inquirimus (antequam declaremus in particulari quæ & quomodo sint confitenda) An teneatur pœnitens ita dicere quæ confessus est, vt constet Sacerdoti iam eum fuisse confessum; & è contrario quæ tunc primò confitetur, intelligat Confessarius ea nondum fuisse clauibus subiecta.

18 *Vtrùm peccata iam in confessione dicta sint dicenda cum ea circumstantia, quòd fuerint clauibus subiecta.*

Pater Ludouicus Torres in Opusc. Theol. centur. 4. dub. 7. dicit id omnino esse necessarium, imò, addit, non esse in praxi tutam contrariam sententiam, sed perniciosam & improbabilem. Fundamentum illius est, quia sæpè est necessarium dicere tempus, quo peccatum est commissum, vt si sit à Religioso, & sit reseruatum; nam commissum in sæculo non fuit reseruatum, secùs si in Religione: Secundò, si pœnitens sit in proxima occasione peccandi, & iterùm relabendi: Tertiò, si pœnitens habeat

Sententia P. Torres.

consuetudinem peccandi, quam debeat explicare, vt debita ipsi applicetur medicina, & iudicare possit Sacerdos, an sit dignus absolutione nécne. Quartò, quia Confessarius potest interrogare, vtrùm ea peccata confessus fuerit; & tenetur pœnitens respondere; ergo etiam tenebitur à se id dicere. Quintò, ad imponendam pœnitentiam videtur necessaria ea cognitio; longè enim grauior debet imponi ei qui primò non nec illud peccatum confitetur, & nullam pro eo anteà fecit pœnitentiam, quàm illi qui eam fecit, & fortè æqualem peccato. Sextò denique quia magis distat peccatum deletum per confessionem à non deleto quàm veniale a mortali; nam illa duo distant, sicut ens & non ens: peccatum enim remissum non est iam peccatum; non remissum autem est verè & propriè peccatum, debet ergo explicari differentia illa.

19 *Qui confitetur peccata iam semel vtrè expiata, non tenetur ea de re monere Confessarium*

Nihilominùs contraria sententia, quam docet Suarez, Thomas Sanchez, Bonacina, Homobonus & Diana, quos refert & sequitur Lugo supra sectione 2 est verissima: & Ludouicus Torres grauissimè in ea censura errauit: & in primis aduerto ferè omnia argumenta huius Auctoris summùm probare, in aliquo casu esse posse eam obligationem. Dixi, *ferè omnia*, quia quintum & sextum videtur esse generale ad omnes casus. Nihilòminùs & illud nimis multùm probare videtur: de quo statim. Vt verò ab vltimo incipiam, dico me planè mirari vehementer, potuisse illud sub eis terminis ab homine docto obiici: nam si illa instantia de ente & non ente quid. quam valeret, profectò etiam teneretur homo dicere, vtrùm habuisset antè contritionem de peccatis quæ primò confitetur, an solam attritionem; nam si contritionem habuit, iam illud peccatum est non ens, quia iam est remissum: hoc autem quis non iudicet esse absurdum? Secundò, si peccatum illud iam debet considerari in genere peccati, sicut non ens consideratur in genere entis: ergo illud peccatum verè non est peccatum: ergo neque erit materia confessionis: quia non peccata, seu quæ sunt minùs adhuc quàm veniale (vt ait hic Auctor) non sunt materia sufficiens pro confessione: hoc autem dicere est hæreticum: ergo illud argumentum nimis multùm probat: ei absolutè respondeo, Nos non confiteri illud peccatum quasi hodie manens, sed ratione status, quem habuit dum homo peccauit: tunc autem fuit verum ens in genere peccati, seu verum peccatum.

Soluuntur argumenta contraria.

20 Primum argumentum de tempore rationis reseruationis non est ad rem: Primò, quia si confitetur habenti iurisdictionem etiam absoluendi à reseruatis, iam tota ea ratio cessat. Secundò cessat, si peccatum non est reseruatum. Tertiò cessat, si sit in articulo mortis, quando nulla est reseruatio. Eodem modo secundum argumentum non probat vniuersaliter, quia non omnia peccata habent eam occasionem proximam, seu periculum relabendi: & licet habeant sufficiet si pœnitens, nihil dicendo de secunda aut tertia confessione, dicat se esse in proxima occasione peccandi. Ad tertium, negamus esse obligationem dicendi, habere se consuetudinem peccandi, nisi interrogetur. & fortassis non semper nec interrogatus tenebitur confiteri, nisi consuetudo sit tanta, quæ Confessarium posset ad negandam absolutionem ad tempus inducere: quia ego non teneor Sacerdoti mea priora peccata reuelare, de quo infrà dicam fusius. Vbi obserua grauem hoc puncto æquiuocationem ab hoc Auctore committi: nam ex eo quòd ego vnicum v. g. furtum, homicidium, &c. millies confessus fuerim, aut non nisi iam prima vice, nullo modo sequitur me esse in proxima aut remota occasione relabendi: hoc enim non prouenit ex confessione multiplici aut vnica eiusdem numero peccati, sed ex eo quòd admiserim alia similia ei peccato de quo fueram iam antè absolutus.

Hoc autem punctum planè est extra nostrum intentum de confessione secunda aut prima. 21

Quartum, quòd Confessarius possit id interrogare, non videtur vrgere: Primò, quia multa potest Confessarius interrogare, quando iudicat se indigere eorum scientia ad perfectius suo officio fungendum: quæ tamen non interrogatus non tenetur pœnitens dicere. Secundò, quia fortassis pœnitens non tenetur eo casu respondere: sed posset dicere, Ego hoc feci, vtrùm confessus sim nécne, non teneor dicere. Si vult mihi imponere pœnitentiam grauem, perinde ac si non fuissem illud confessus, faciat, acceptabo: aut dicat Confessarius, *Talem impono si ès confessus, & talem si non* Et ex hac ratione respondetur ad quintum de impositione satisfactionis; habétque id maximè locum, quando homo iam est confessus & id non dicit: tunc enim se solùm exponit periculo, vt grauior ipsi imponatur pœnitentia: si autem pœnitens est contentus eam subire, nemini facit iniuriam, sed potiùs sibi vtilitatem spiritualem: remittitur enim ipsi hoc modo plus de pœna in Purgatorio debita, quia magis ea opera ceteris paribus satisfaciunt, si sint imposita in satisfactionem, quàm si fierent voluntariè vsurpata. Concludo ergo, nullam penitus esse rationem, quæ vel probabiliter eam inducat obligationem: non debet ergo concedi.

22 *An faciens confessionem generalem cum se meminit dicere, quæ peccata non fuerit antè confessus.*

Hinc tamen oritur dubium grauius: videtur enim sequi, si pœnitens dicat velle se facere confessionem generalem, posse peccatum quod hodie fecit explicare, perinde ac si feciſſet ante multos annos. Occasione huius argumenti tangit Lugo difficultatem ex sua sententia, quòd duratio sit identificata actibus liberis, ac proinde iis peccatis. Vnde si pœnitens vel dicat expresè aliam durationem peccati, vel ex tali modo confitendi eam insinuet, iam eo ipso dicet aliud peccatum: id quod videtur esse contra valorem confessionis non enim debet vnum peccatum pro altero dici. Hæc tamen obiectio mihi videtur huc violenter intrusa & quidem non habere magis probabile argumentum hunc Auctorem ad identificandum actus voluntatis & intellectus cum duratione quàm cum vbicatione, ostendi alibi meo iudicio manifestè. Secundò, quia esto ea sententia re ipsa esset vera: qui tamen confitetur, nec cogitat de illa, multò minùs tenetur illi accommodare: cui enim vnquam pœnitenti id venit in mentem? Tertiò, quia esto duo illi actus ratione durationis sint physicè diuersi, in genere tamen moris sunt planè idem: alioquin semper teneretur dicere, non solùm quòd sim furatus, sed quâ die, quâ horâ, quo quadrante, quâ parte quadrantis: quia alioquin non dicerem idem numero peccatum quod feci: ad hoc autem obligare esset plusquam absurdum. Quartò, quia totum id habere posset non explicando an sim de eo confessus nécne, sed dicendo, Heri tali hora hoc feci, etiamsi iam ab eo tempore bis, etiamsi nec semel essem confessus.

fessus. Ea ergo instantia vt à puncto præsenti penitus aliena reiecta,ad quæstionem suprà propositam respondeo, Nullum esse inconueniens, quòd in eo puncto decipiatur Confessarius,dum credit peccatum fuisse iam pridem commissum: quod tamen heri primò admissum est : neque quoad hoc est maior difficultas , quòd is error contingat, dum pœnitens dicit se velle facere confessionem generalem , quàm si id non diceret : ideò ego hoc dubium non reputo grauius præcedenti,seu ab illo distinctum.

23 Aliud rursus hac occasione moueri potest, Vtrùm si quis dicat se velle facere confessionem generalem ,possit tamen reticere aliqua peccata. Victoria in Summa §.155. seu 166. & Ledesma 2. parte quarti , quæst. 8. art. 2. dub. 15. dicunt,Si pœnitens dicat se velle omnia dicere, non posse deinde vllum reticere;contrarium tamen est certum, quia licet ea esset aliqua deceptio, non tamen in puncto materiæ debitæ;iam ea peccata non sunt materia necessaria, aliunde verò dat sufficientem pro absolutione cum sufficienti dolore.ergo non peccat grauiter , magis quàm si priùs dixisset se fuisse sanctum , deuotum, &c. Addo, esto in eo mendacio peccasset grauiter , posse tamen eum deinde mutato animo se ita accusare de illo, vt Confessarius non intelligeret ipsum in eo dicto de confessione generali commisisse mendacium.Denique si hæc ratio de deceptione esset vllius momenti,sequeretur eum,qui , antequam veniat ad suum ordinarium Confessarium , confiteretur graviora omnia alteri, peccare mortaliter:quod etiam est contra omnes Auctores , vt videre licet apud Dianam Tomo 2.Tex 4 Resolutione 112.

SECTIO III.

Quid de peccatis dubiis.

24 QVAERITVR difficultas est,Vtrùm sit obligatio confitendi peccata dubia. Dupliciter potest aliquid dici dubium;Primò, quia esto habeam iudicium probabile de illo , non tamen euidens & certum; Secundò, quia habeo rationem dubitandi , non tamen talem quæ sufficiat ad formandum iudicium,nec quidem probabile de vlla ex duabus contradictoriis , vt dici communiter solet,an stellæ sint pares,an impares.

Qui iudicat probabiliter se non grauiter peccasse non tenetur confiteri.

His positis, certum est apud omnes, si quis formet iudicium probabile,quòd non peccauerit grauiter,non teneri ad confessionem, quia sequi potest opinionem probabilem sicut in aliis materiis:eo enim ipso operabitur humano modo prudenter.

Dices , Saltem ratione periculi æternæ damnationis tenebitur confiteri; nam si re ipsa peccauit , & non confiteatur , ea probabilis conscientia non liberabit illum à peccato.Hæc ratio vrget validè Patrem Suarez, qui vniuersaliter docet disp. 22. sect. 9. quidquid est necessarium submittere contritioni,etiam ratione periculi esse necessarium confiteri ; & hinc probat debere peccata secundo modo dubiè submitti confessioni; videtur autem inferri clarè , etiam hæc,quia est idem periculum in eis.Nos respondemus Primò , Iam non esse sermonem ratione periculi,sed per se; Secundò, illi periculo posse occurri vel per contritionem vel per confessionem aliorum peccatorum cum dolore generali de omnibus,eo enim ipso absoluetur saltem indirectè ab hoc;ideoque cessabit totum illud periculum , non minùs quàm si reipsa confessus fuisset illud peccatum.

25 *Quid si sciat se peccasse, dubitet autè an sit confessus, iudicando probabiliter quòd sic.*

Circa hoc idem punctum , priusquam ad dubium secundum veniamus,quæri potest, An sit idem dicendum, casu quo homo sciret certò se peccasse,solùm tamen haberet probabile iudicium,quòd sit confessus. Ratio dubitandi est; quia etiam in hoc casu potest formare iudicium illud probabile prudens,quod diximus vniuersaliter loquendo sufficere ad operandum iuxta rationis regulas ; ex altera verò parte cùm possessio certa sit pro obligatione,& solùm probabile iudicium quòd illi satisfecerit, videtur adhuc obligandus Pater Coninch disp.7 num 68. putat talem omnino teneri ad confessionem:sicut qui certò scit se debere Petro v.g centum. & solùm probabiliter iudicat se illi satisfeciſſe, tenetur ei satisfacere. Iudico tamen magis consequenter nos discurrere , si omnino dicamus etiam eo casu non esse obligationem confitendi. Ratio est, quia in omni materia videtur sufficiens illud iudicium probabile ad operandum licitè,nisi in casu quo esset aliquod periculum graue:quale iam diximus hîc non subesse , cùm per confessionem aliorum peccatorum deleantur saltem indirectè ea , quæ homo vsus bona fide non confitetur. Confirmo : nam quantumuis sit certissimum præceptum obligans Sacerdotes ad orandum,si tamen homo formet iudicium probabile se iam hodie orasse iam id sufficit, vt non obligetur ad secundò orandum ergo etiamsi ob certitudinem peccati commissi constet euidenter de obligatione confitendi , si tamen potest formare iudicium probabile,quòd iam sit confessus , poterit illud peccatum non amplius confiteri, nisi instaret periculum vitæ, & nullum aliud haberet peccatum : tunc enim ratione periculi iuxta dicta suprà obligaretur ad confitendum illud : & (vt verum fatear non video ego cur sit maior obligatio in hoc casu, quàm quando format iudicium probabile, quòd non peccauerit.Ad instantiam dico eodem modo eum hominem non teneri tunc satisfacere Petro, sed posse acquiescere probabilitati quam de solutione habet,vel certè non teneri totum refundere , sed summùm mediam partem : id quod in præsenti non habet locum in ordine ad confessionem.

26 *An dubium de peccato admisso teneatur illud confiteri.*

Circa peccata dubia rigorosè loquendo,Pater Layman nihil definiendo , sed eam aliis quasi cogitandam proponens, sat sibi probabilem esse insinuat Tomo 1 lib.1.Tract.1.cap. 5. num. 37. sententiam,quæ negat esse obligationem ea confitendi : Pater verò Ioannes Præpositus in præsenti quæst.5.de integritate confessionis dub. 3. num. 117. speculatiuè dicit eam esse probabilem:Coninch autem eam admittit , quando dubium est,non an sit mortale,an veniale , & an sit de illo confessus,nécne , sed quando dubitat, an re ipsa illud commiserit. Aliqui autem Recentiores id absolutè docent:quos quidem ego non legi:aliunde tamen intelligo ita ab eis sentiri.Hæc sententia non aliud habet fundamentum , quàm quod ex aliis materiis desumi potest,in quibus solet dici, in dubio meliorem esse conditionem possidentis : quod enim vrget in contrarium Suarez , hoc principium non rectè hîc applicari quia homo eò quòd obligetur ad confitendum hoc peccatum , non obligatur ad

aliud quod excedat dubium; quia solùm obligatur ad dicendum hoc peccatum esse dubium; dubium autem esse peccatum omnino est certum: hoc inquam mihi nequaquam satisfacit, nam hæc ipsa obligatio confitendi est satis certa & determinata, nec admodum levis (vt benè notauit Lugo) adhuc ergo illud principium videntur vrgere ad probandum non esse talem obligationem. Potest etiam eadem sententia ex Tridentino Sessione 14. cap 5. confirmari; ibi enim Concilium dixit oportere à pœnitentibus omnia mortalia dici, quorum post diligentem discussionem sui, conscientiam habent: atqui qui dubitat, an verè peccauerit, non potest dici habere conscientiam peccati quia habere conscientiam est esse certum de eo peccato

Pro contraria autem opinione non videtur esse fundamentum alicuius momenti; quòd enim nonnulli dicunt in dubiis certiorem partem esse sequendam, non habet hic locum Primò, quia nec absolutè illud principium est verum, vbi conditio possidentis prævalet. Secundò, quia si homo per contritionem doleat de eo peccato, si illud commisit, eo ipso iustificabitur, nec erit vllum periculum in omissione confessionis Tertiò, quia si habet alia peccata saltem venialia, quæ vix vnquam desunt potest de illis confiteri, & habere dolorem vniuersalem de omnibus aliis, si quæ reipsa commisit, vti paulò antè diximus, casu quo probabiliter iudicet se non peccasse; & tunc indirectè saltem absoluetur ab eo dubio, si aliunde non supponamus esse obligationem illud confitendi: & quidem quoad periculum non est maius in casu dubij quàm in casu æqualis probabilitatis pro vtraque parte: nam quando vtraque pars est æquè probabilis, tam facilè in qualibet ex illis potest quis reipsa decipi, quàm quando vtraque est purè putè dubia: ergo ratione periculi salutis non est maior ratio, cur quis teneatur in casu huius dubij secundi quàm in casu probabilitatis.

27 *Dubitans an sit confessus peccatum certò patratum, tenetur confiteri.*

Absolutè DICENDVM est PRIMÒ: si homo certus sit se mortaliter peccasse, dubitet tamen an sit confessus, tunc clarè apparere quòd teneatur; quia possessio stat eo casu pro peccato, vt sic dicam; à possessione autem seu à debito non debet liberari quis per dubiam solutionem: & quoad hoc optimè potest ex aliis materiis argumentum deduci pro præsenti; nam Tomo 3. agentes de similibus casibus vniuersaliter diximus, quando debitum, seu præceptum est certum, dubium autem è contrario, vtrùm illi sit satisfactum, certam esse obligationem satisfaciendi; ergo ex hoc capite non est in præsenti difficultas.

SECVNDÒ DICO, Eam distinctionem Patris Coninch, quòd si sit dubium an commiserim peccatum nécne, non teneat confiteri, teneat autem, si certus sim quòd commiserim, dubitem tamen an fuerit mortale an veniale: hanc inquam distinctionem non videri consequenter traditam, quia cùm peccata venialia non sint materia sub obligatione confessionis, profectò dubitáre an sit mortale an veniale, idem omnino est ac dubitare, vtrùm commiserit peccatum quod teneatur confiteri, (vt obseruauit benè Lugo:) est ergo eodem modo in vtroque casu aut negandum aut asserendum

28

Dico TERTIÒ: Etsi stando ratione non careat magna probabilitate ea sententia negans talem obligationem, ob illud fundamentum quòd in dubiis sit melior conditio possidentis, & ob verba Tridentini; cùm tamen res hæc tota vnicè pendeat ex institutione & voluntate Christi Domini, qui sine dubio exigere potuit, vt talia peccata confiteremur, non obstante toto eo opposito fundamento: potuit etiam è contrario ad id non obligare, non videmur meliùs posse nos eam quæstionem decidere quàm ex auctoritate communi, ex qua inuestigandum est quæ fuerit in hoc puncto eiusdem Christi Domini voluntas, cúmque omnes Doctores hucusque séserint omnino talia peccata debere manifestari sub ratione dubiorum: & verò (quod longè grauius est) etiam totius vulgi sensus id supponat vt omnino certum: videtur planè perpetua Ecclesiæ traditione creditum in Ecclesia, Christum omnino voluisse ea peccata manifestari in confessione: ac proinde nequaquam licitum erit ab ea cõsuetudine discedere. Auctores autem duo vel tres, qui quæstionem hanc ex professo recenter discutientes verterunt in dubium eam obligationem (& verò nec sunt ausi absolutè contrarium docere, haud dubiè, quia viderunt in contrarium totũ communem sensum Ecclesiæ) non possunt facere probabilem contrarium sententiam, nec prævalere contra communem fidelium sensum, maximè cùm positiuam nullam rationem pro se adferant, iam enim ostendimus, eis rationibus non obstantibus, potuisse Christum Dominum naturalissimè requisiuisse eorum peccatorum confessionem: vt verò ostendant Christum id non voluisse, non adferunt nec quidem apparens fundamentum. Et ex hoc nostro discursu respóderi vno verbo potest omnibus quæ possunt adduci obiectionibus ex aliis materiis: nam huiusmodi instantiæ nihil probant de ea voluntate Christi, ac proinde non sunt ad rem.

Dubitans an peccauerit grauiter tenetur confiteri.

Dices: In dubio Legis latæ hæc non obligat (vt ait Thomas Sanchez lib. 1 in Decalogum cap. 1. num. 12.) quod principium etiam sequitur Lugo sect. 1. num. 109. vbi etiam addit, contra eum, qui ius clarum potuit dicere, & non dixit, interpretationem esse faciendam: ergo cùm Christus expressè & clarè non obligauerit ad dubia confitenda, non debemus nos eam obligationem astruere. Huic respondet idem Lugo secutus Sanchez, In præsenti non dubitari de præcepto. nam præceptum est confitendi peccata certa & dubia: vnde qui scit se habere peccata dubia, non dubitat de præcepto, licet dubitet de peccatis. Hæc ille num. 74 quæ (vt verum fatear) ego non satis capio: quomodo enim hi Auctores dicunt non dubitari de præcepto, cùm tota quæstio hæc dubitatio sit, an detur præceptum de confitendis peccatis dubiis? aut quomodo supponunt præceptum esse de confitendis dubiis & certis, cùm de hoc ipso formalissimè dubitemus? quod enim sit præceptum de confitendis certis, non facit præceptum de confitendis dubiis. Fortassè debuit ita solutio tradi; vt dicatur præceptum de peccatis confitendis: est certum (non additâ eâ particulâ *de confitendis certis & dubiis*, de qua est tota quæstio:) vtrùm autem hæc fuerint peccata nécne, dubium est. Quæ videtur esse sufficiens solutio pro obiectione posita: habet tamen grauem adhuc difficultatem, quia reuerà videtur illud ipsum præceptum moraliter esse duplex: vnum de peccatis certis, aliud de dubiis: vnde licet constet certò de primo, non tamen constat de secundo: ergo non ideò secundum debet obligare. Respondeo

29

spondeo absolutè, Aliud esse non constare omnino certò de præcepto, aliud verò illud esse dubium: quòd enim est dubium, denotat non esse rationes vt probetur illud esse; at nos ostendimus iam esse, & quidem non solùm longè probabiliores quàm sint ad illud negandum, sed moraliter quodammodò certas, vt non videatur licitum eis resistere; vnde concludimus Christum clarè illud iussisse, esto non adeò clarè, vt sit omninò euidens.

SECTIO IV.

Examinantur aliæ probationes communis sententiæ; & respondetur obiectionibus contra illam.

IVgo conatur hanc nostram sententiã vlteriùs probare, eò quòd Sacerdotes sint
30 constituti vt vicarij Christi, ad quos peccata omnia deferantur, quæ debuissent ad Christum ipsum, si in terris esset, deferri (vt insinuat Tridentinum Sessione 14. cap. 5.) Atqui si Christus esset in terris, debuissent omnes ad illum etiam cum peccatis dubijs recurrere; nam ad illum debuissent omnes illi recurrere quicunque ante institutionem Sacramenti Pœnitẽtiæ tenebantur recurrere ad contritionem quandoquidem contritio solùm remittit in vi & voto cõfessionis. Rursum, ante Christum omnes qui habebant conscientiã dubiam de mortali tenebantur habere contritionem de illo non solùm in mortis articulo ob periculum damnationis, sed etiam aliis temporibus, quando in vita obligabantur ad gratiam Dei & amicitiam procurãdam, ergo de primo ad vltimum non obligabimur confiteri peccatum eo sensu dubium. Neque hinc (inquit) sequitur, eum etiam, quia habet dubium probabile de peccato, teneri ad illud confitendum; nam ante Christum qui probabiliter putabat se non peccasse, poterat etiam probabiliter iudicare se esse in amicitia Dei; ac proinde non tenebatur aliquid amplius facere: quia qui probabiliter operatur iuxta regulam rationis, prudenter operatur, nec vlteriùs obligatur; at ille qui nec probabiliter quidem scit se esse in Dei gratia, tenetur sine dubio eam procurare. Neque item inde sequitur (ait idem Auctor) nos teneri ad procurandam amicitiam aut æqualitatem iustitiæ cum aliis hominibus quando dubitamus, an illos offenderimus, aut iniuria affecerimus; quia præceptum charitatis erga homines est negatiuum reipsa; vnde dummodò mihi non constet me offendisse proximum, aut lædisse illum in bonis, ad nihil teneor, ac præceptum charitatis in Deum est affirmatiuum, obligans ad procurandam cum illo pacem & amicitiam; ergo non sufficit quòd non sciam me esse extra gratiam illius, sed oportet positiuè aliquo modo id scire, saltem probabiliter.

Totus hic discursus est probabilis, non tamen
31 talis vt sententiæ contrariæ probabilitatem impediat quia multa in eo miscentur, quæ sunt valdè dubia: etenim (vt paulò ante dixi, explicans in quo sint momenta vtriusque sententiæ) omnibus his rationibus non obstantibus potuit Christus Dominus non obligare ad confessionem dubiorum, siue ipse maneret in mundo, & possent ad ipsum omnes recurrere; siue non; quòd autem id re ipsa voluerit, non probat hic discursus ex ea mansione desumptus.

Secundò argumentor, quia videtur consequentia desiderari in hac doctrina: supponit enim hic Auctor, quando est dubium probabile, non teneri hominem vnquam confiteri, neque in articulo mortis, sed sufficere tunc contritionem. Hinc argumentor euidenter, & probo falsam esse eam propositionem vniuersalem, in qua fere fundatur tota vis eius discursus, scilicet Christum obligasse ad Sacramentum Pœnitentiæ, quandocumque in Lege antiqua erat obligatio ad contritionem: hanc inquam vniuersalem propositionem ostendo euidenter falsam, quia in Lege antiqua erat obligatio contritionis in periculo vitæ, quandocumque erat probabile dubium peccati mortalis, ne ille homo se exponeret euidenti periculo damnationis; & tamen in Lege gratiæ non successit loco huius obligationis obligatio confitendi peccata huiusmodi, vt supponunt ferè omnes Auctores; ergo non in omnia successit Pœnitentia. Rogo ergo, Vnde infert hic Auctor, successisse circa dubia?

An in omni casu, quo tenebantur ad contritionem in Lege veteri, teneamur in noua ad confessionem.

Tertiò, ille discursus habet aliquam difficultatem, quia præceptum confessionis non obligat etiam in Lege gratiæ, quandocumque obligasset in antiqua contritio; nam ad confessionem obligamur tantùm semel in anno. Multorum autem valdèque probabilis sententia est, præceptum amoris Dei & contritionis obligasse frequentius quàm semel in anno; & licet fortè ea sententia vera non sit, est tamen longe probabilior quàm ea quam impugnauimus: ac proinde non poterit huius falsitas fieri dependens ab illius falsitate. Denique etiã in Lege gratiæ sæpè tenemur ad contritionem, non tamen ad confessionem, scilicet quando administramus Sacramenta eàve suscipimus: (excipio Eucharistiam.) Et probabilissimum est etiam Sacerdotes antiquos administrantes Sacramenta maximè circumcisionis fuisse obligatos ad contritionem, si habebant conscientiam mortalis: ergo non est vniuersaliter verum in Lege gratiæ esse obligationem ad confessionem, quando quasi ex natura rei est obligatio aut fuit in Lege veteri ad cõtritionem.

Dicerem ego ad discursum huius Auctoris, ob illam amicitiam Dei me in casu peccati dubij teneri ad contritionem sicut teneor dum suscipio Sacramentum, aut administro; non tamen teneri ad confessionem: eo enim ipso cessat vis totius eius discursus. Non est ergo hic maius mysterium quærendum quàm quod iam nos ostendimus.

Posset tamen Secundò ex Tridentino vlteriùs communis sententia suaderi. Nam Concilium Sessione 14. cap. 5. ait; *Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Hinc enim possumus argumentari hoc modo: Ergo peccata illa dubia non remittuntur per eam confessionem. Patet consequentia, quia de illis non est verum dicere, quòd non occurrerint vllo modo memoriæ: occurrunt enim, & quidem adeò, vt homo nequeat formare iudicium probabile, quòd ea non commiserit: quòd si non includuntur ea confessione, profectò, ne homo faciat confessionem sacrilegam, tenebitur ea confiteri, vt sic remittantur. Hac ratione vtitur etiam Lugo ibi: est tamen meo iudicio valdè inefficax: Primò, quia eo sensu etiam non inclu-

An ex Tridentino probari possit esse confitenda peccata dubia.

derentur peccata occurrentia, de quibus possim formare iudicium probabile, quòd ea non fecerim; nam etiam de illis nullo modo potest dici, quòd non occurrant vllo modo memoriæ; & tamen ad illa dicenda non obligamur; ergo neque hîc. Secundò, quia esto non includerentur ea confessione, solùm fieret inde, teneri hominem ad contritionem de illis, me impediret fructum confessionis; sicut quando non vult confiteri peccatum probabiliter dubium, tenebitur conteri de illo, si fortè timet ne (quia cum occurrerit memoriæ, & non fit illud confessus) non comprehendatur in ea confessione: est enim, vt dixi, eadem de vtroque ratio quoad punctum occurrendi memoriæ.

33 Hinc contrà constat nullam esse obiectionem pro aduersa sententia inde desumptam, quòd Concilium eo loco non ponat vt necessariam materiam pro confessione peccata dubia; ergo non tenemur ea dicere. Respondetur enim; Esto Concilium non dixerit ea esse necessariam materiam; non tamen ideò ea negasse. Hanc solutionem non approbat Lugo num. 71. atque ideò aliter esse obiectioni respondendum & tamen numero 72. respondet ei per eadem verba quæ hîc negat, scilicet Concilium licet nihil explicauerit circa peccata dubia, ea tamen non excluisse: quòd verò hic addit pro solutione, Concilium ea includisse dum dixit, *Illa omnia esse materiam necessariam quæ occurrunt memoriæ; cùmque dubia occurrant memoriæ, eo ipso esse materiam*; hoc inquam reiici immediatè antè, quia etiam probat de peccatis quorum habemus conscientiam probabilem; nam & hæc occurrunt memoriæ. Nobis ergo pro solutione sufficiat, quòd ibi id non negauerit Tridentinum.

Quod præterea superiùs obiiciebatur, Tridentinum dixisse, ea sola peccata esse materiam necessariam, de quibus homo habet post diligentem discussionem conscientiam; de dubiis autem nemo dicatur habere conscientiam; hoc inquam nō cogit nos, quia nihil est frequentius in modo loquendi quàm conscientiam diuidere in dubiam, certam, probabilem: passim enim dicimus; Ille operatur cum cōscientia dubia, &c. ergo qui post diligens examen dubitat an peccauerit, habet verè & propriè conscientiam de illo peccato, licet dubiam. Non ostendit autem obiectio Tridentinum requisiuisse conscientiam certam; ergo locus ille nullo modo vrget nos.

Obiectiones contra sententiam communem soluuntur.

Quòd item obiici solet, In dubio, an sit casus reseruatus, non teneris pœnitentem adire Superiorem; ergo neque in dubio mortalis tenebitur confiteri: hoc inquam non vrget; et respondet Lugo, Reseruationem, cùm sit lex pœnalis debere explicari strictè, & de his solùm delictis quæ sunt propriè delicta: homicidium autem dubium est homicidium secundùm quid: ergo non debet censeri reseruatum. At potestas retinendi peccata est fauorabilis Sacerdoti; ergo debet explicari laxè, & vt extendatur etiam ad peccata dubia; hoc enim Sacramentum est institutum, vt in casibus, in quibus anteà homines tenebantur in hac vita recurrere ad Tribunal Dei, teneantur nunc ad Sacerdotem.

Hæc tamen responsio facilè reiicitur: Primò, quia si res consideretur diligenter, nequit quoad hoc vlla prorsus assignari disparitas inter illas duas Leges: nam sicut legem confessionis dicit Lugo fauorabilem, quia Sacerdotibus dat potestatem retinendi, quantumuis sit odiosissima respectu pœnitentium, quatenus hos cogit sua delicta manifestare: profectò eadem omnino ratione dicam ego legem reseruationis esse fauorabilem, quatenus Superioribus dat facultatem retinendi illud peccatum: quatumuis sit odiosa pœnitenti, quem obligat ad illud confitendum eidem Superiori.

34 *Respectu quorum lex aliqua debeat dici odiosa, vel fauorabilis.*

Displicet Secundò ea solutio, quia lex non debet dici odiosa aut fauorabilis, nisi ratione illorum qui ea obligantur; at lex obligans ad confessionem peccati dubij, non concernit confessarios; ij enim ea non liganter; sed respicit præcisè pœnitentes quos obligat; his autem odiosa est, non fauorabilis (vt ex terminis patet) ergo nulla sumi potest inde differentia. Confirmo id clarissimè, quia si sufficit ad hoc vt lex sit fauorabilis, quòd sit in alicuius fauorem, etsi ille ea lege non tangatur, excogitabilis non erit lex vlla, quæ non sit fauorabilis; quia esto sit odiosa respectu eorum quos obligat eo tamen ipso est in fauorem aliorum, in quorum vtilitatem, honorem aut commodum redundare debent actus illi, ad quos obligat talis lex.

Tertiò impugnatur ea solutio, quia (vt diximus paulò antè) non est verum illud principium, quòd teneamur recurrere ad confessionem, quoties tenebamur ad Deum ante institutionem confessionis; ruit ergo fundamentum solutionis huius Auctoris.

Vnde peccatum dicatur dubium.

Quartò displicet, quatenus dicit peccatum dubium non esse absolutè peccatum, sed secundùm quid: hoc enim apertè est falsum, & contrarium eidem Auctori, qui (vt statim videbimus) ostendens, cur qui confessus est peccatum vt dubium, & postea deprehendit se certò illud commisisse, non teneatur secundò confiteri, optimè ait; peccatum esto sit dictum vt dubium, dictum tamen secundùm totam suam essentiam, & secundùm omnia quæ ex parte sua habuit; quia dubium vel certum non tenet se ex parte peccati, sed ex parte scientiæ de ipso peccato. Hinc ergo argumentor; Scientia aut dubitatio non facit peccatum in se esse absolutè peccatum, aut esse secundùm quid; hoc enim à se debet habere, non à dubio Confessarij, aut meo; ergo peccatum illud verè est & absolutè peccatum, licet ego de illo non sim certus. Aliunde ergo quærenda est obiectionis positæ solutio; & quidem ea erit consequens ad fundamentum nostræ sententiæ, vt sic magis doctrina tota cohæreat. Diximus ergo, hanc obligationem confitendi peccata dubia non ex ipsa rei natura, sed ex voluntate Christi nobis communi traditione manifestata desumendam esse. Idem è contrario dico, quòd peccata dubia non fit reseruata de facto, non debet ex natura ipsa rei desumi, aut eò quòd non sint peccata absolutè sed ex pura voluntate reseruantium, qui sine dubio potuerunt illa reseruare: quòd autem re ipsa non reseruauerunt, colligimus (sicut ibi contrarium) ex communi sensu Doctorum: qui sensus maximè circa leges humanas est nobilissimus earum interpres.

SECTIO V.

Appendix ad dicta.

35 *Recentioris sententia.*

VM dubium præcedens iam pro impressione expediuissem, incidi in quemdam Recentiorem.

centiorem, qui fusissimè conatur probare, nullam esse obligationem ea dubia peccata confitendi: ait ergo, eum qui dubitat de peccati commissi num, quantitate, aut absolutione, non teneri confiteri: id quod deinde fusissimè, vt dixi, probat. Ego verò antequam ad examinanda fundamenta illius veniam, obseruo in hac thesi sic vniuersaliter posita illum non seruare consequentiam: nam licet dicat dubium de confessione numquam esse posse; tamen reducendo rem ad rigorosos terminos sit, dato eo dubio de confessione & certitudine commissi peccati, teneri ad confessionem saltem in articulo mortis, & quando suscepturus est Eucharistiam, habet enim hæc formalia verba: nam etsi rationes obligationem confitendi persuadeant, nó ostendunt ante articulum mortis teneri. Vides eum absolutè concedere obligationem confitendi; quod tamen hîc vniuersaliter negauerat ea secunda conclusione, eodem modo quo in dubio de peccato. Secundò etiam noto circa hæc vltima verba me mirari, quòd cùm videat hic Auctor rationes obligare ad confitendum addat tamen id esse durum concedere; rectè hic Auctor toto eo opere nihil vult nisi meris rationibus asserere: infinities enim propè repetit nihil curandum, quòd Auctores dixerint contrarium; inculcat enim sæpissimè, singulis diebus reddi probabilia quæ à multo dicta antea: & quæ videbantur esse contra omnes.

Plus iusto videtur de-cere.

Idem vltrius ostenditur.

Vlteriùs, si est obligatio confitendi illud peccatum, profectò debebit esse ante articulum mortis, saltem quando obligat præceptum annuæ confessionis: cùm enim talis homo habeat peccatum mortale, & teneatur ad confessionem (absolutè abstrahendo nunc ab hoc vel illo tempore) quâ probabilitate poterit dici, non cadere supra illud peccatum præceptum de annua confessione? Id quod maximam habet difficultatem, si adhuc habeas alia mortalia, & ratione illorum teneatur confiteri: quo enim iure tunc ille liberatur ab obligatione non reticendi illud in ea confessione.

Dari potest dubium de confessione.

Quod verò hic Auctor dicebat, non posse dari tale dubium de confessione, mihi (vt verum fatear) visum est valdè mirabile; neque capio, cur magis possit homo dubitare vero dubio, an consenserit necne in talem delectationem illicitam, quàm vtrùm postea eam sit confessus, cùm in vtroque casu res sit facti; circa quod ex defectu memoriæ passim dubia similia oriuntur etiam in his qui habent optimam memoriam. Ego sanè puto me illam habere vtcumque bonam; & aliunde non soleo valdè arripi cogitationibus aut distractionibus; & tamen sæpè habui proprium dubium, an orauerim néene, Tertiam, Sextam v.g. &c. cur ergo non potero habere dubium, an dixerim in confessione hoc aut illud?

Respondetur obiectioni.

Obiectio autem huius Auctoris desumpta ex eo, quòd vel illa persona confitetur ordinariè benè, vel malè: si benè, pro ipso stat præsumptio, quòd illud peccatum dixerit; si verò malè, è contrario stat, quòd non sit confessus benè: hæc inquam obiectio nullius est momenti; nam esto soleat talis homo optimè confiteri, non scio vnde persuadeat sibi hic Auctor non posse hominem, esto se diligenter examinet, non recordari alicuius peccati; aut vnde colligat, esto in examine recordatus fuerit, non potuisse in ipsa confessione illius oblinisci, certè liceat sic dicere, Totius orbis experientia in contrarium stat: nam passim ob similes obliuiones secundò & tertiò acceditur ad confessionem: hoc ergo supposito, cur quæso non poterit mihi post confessionem venire species clara alicuius commissi peccati, quin possim recordari, an illud cum ceteris sim confessus? non ergo de possibilitate huius dubij etiam frequenter dubitandum est: dato autem illo, videtur omnino certum, teneri hominem illud peccatum confiteri; quia debito certo non fit satis per dubiam solutionem, vt in Horis Canonicis; quia certum est præceptum orandi, si ego posteà planè dubito an orauerim, teneor sine dubio orare: & idem est in voto, &c. iuxta omnium receptissimam sententiam, quæ non pendet ab illa altera, an in materia pecuniæ etiam teneat soluere, quando dubito an soluerim; quia ibi ob damnum in ea positione pecuniæ fortè est alia ratio quam hic: quod enim illi homini graue damnum importat illa confessio? imò magnum meritum: Verùm quidquid de hoc sit, solutio supra posita certissima est. Hæc circa dubium de confessione, quando est certitudo de commisso peccato, & dubium de confessione.

37 *Argumentum primum huius Auctoris.*

Iam ad præcipuum punctum, quando est dubium de ipsa commissione. In quo fortissimè hic Auctor negat obligationem confitendi, licet in fine quæstionis videatur in dubium reuocare quæ dixit, & indecisus manere. Id quod I. imò probat, quia in Tribunali Mechlinienfi hæ accusationes, Appello, de latrocinio sortem, quia dubito vtrum furatus fuerit, &c. & similes admitti non debent. Verùm ego non video, cur Tribunal Mechliniense debeat esse regula totius Ecclesiæ: & ex dicendis paulò post constabit, ex forensibus iudicijs nullum ad rem nostram desumi posse argumentum. Secundò argumentatur, quia materia dubia sola non sufficit ad confessionem: quòd autem aliqui dicunt, debere tunc pœnitentem confiteri, vel de aliquo mortali iam antea subiecto clauibus, si illud habeat, vel de aliquo veniali, hoc ipse fortiter impugnat: quia obligare ad mortale secundò dicendum, est grauissimum onus. Secundò, quia potest contingere vt nullum habeat. De veniali autem ait apertè esse contra Tridentinum, quod nullatenus obligat ad confessionem venialium. Quòd si verba Tridentini sunt de Fide; & ita vniuersaliter prout iacent: profectò facere in illis vllam exceptionem erit illicitum, maximè priuata auctoritate. Hæc tamen obiectio non habet difficultatem; nam necessariò ab omnibus sunt intelligenda ea verba per se loquendo, & ratione remissionis venialium: hoc est dicere, Venialia pro remissione non requirunt vel confessionem, vel votum illius: hoc autem in omni casu verissimum est: quòd autem aliquando per accidens ex alio capite possit esse obligatio confitendi venialia, certissimum est. Nam si præcipiatur confessio, vt per Regulas præcipitur in omnibus ferè Religionibus certis temporibus, & quis non habeat nisi venialia, haud dubiè tenebitur ea confiteri: idem est, si voto se ad confessionem singulis mensibus obligauit, & non habeat mortale, debebit venialia confiteri; neque per hoc vel in minimo derogabitur Tridentino; ergo dicere, casu quo aliunde detur obligatio confessionis (vti diximus dari ex peccato dubio) teneri hominem ad confitendum aliquod veniale, vt det materiam certam, nullo modo obest ei definitioni Tridentini, neque est excepuo

Secundò.

Per accidens potest esse obligatio confitendi venialia.

Explicatur Tridentinum.

ptio à regula: de hac enim necessitate ex alio capite extrinseco proueniente non loquitur Tridentinum. Secundò respondeo, Si contingat Petrum v.g. nullum aliud habere nec quidem veniale, sed vnicum mortale dubium (& hoc ipsum responderi potest, etiam si habeat alia venialia, & non placeat prior solutio) posse tunc confiteri sub dubio illud peccatum, & sub dubio accipere absolutionem. Mirum est, quòd non contra hanc solutionem dicat; ait igitur, Fortè ibi esse Sacramentum, fortè non: (id quod nos libentissimè ei concedimus:) addit verò dicere, *Si verè furatus es, ego te absolvo, & impono talem pœnitentiam; si verò non es furatus, non te absolvo*, quidquid alij clament, non esse ferre sententiam, non esse reum mulctare, non esse absoluere. Hæc tamen obiectio videtur probare, non solùm non esse necessarium confiteri illud peccatum, sed nec posse quem, esto velit; quia id non est verum efficere Sacramentum. Respondeo absolutè, Me mirari valde hunc Auctorem in hoc singularem reperisse difficultatem præ Baptismo in casu dubij, & præ confirmatione, &c. sicut enim dici potest, *Ego te confirmo si non es confirmatus*, *Te baptizo si non es baptizatus*; & sicut in tali casu dubij de Baptismo est obligatio illum dandi, cur ratione dubij Sacramenti (relinquo nunc alia argumenta) non posset esse obligatio confitendi eo modo, & dandi etiam absolutionem eo modo conditionatam, siue id dicatur esse ferre sententiam, siue non, quod ad quæstionem de voce pertinet, de qua ego nō sum solicitus? Dicam tamen, si re ipsa ille est reus, re ipsa latam sententiam; non latam, si non est.

38 *Secunda solutio.* *Replica.* *Respondetur.*

Circa quod illud breuiter occurrit dubium, Vtrùm eo casu teneatur Sacerdos in absolutione dicere expressè, *Te absolvo, si non es absolutus*: an verò sufficiat mentaliter eam conditionem adhibere. Putat hic Auctor contra Ioannem Sanchez in Selectis debere exprimi, neque id consequenter à Sancio negatum; quia verba formæ debent respondere confessioni, ne proferatur exteriùs forma inualida; vti ob similem rationem ipse pœnitens tenetur sub dubio dicere suum peccatum. Mihi tamen magna in hoc puncto apparet differentia; inter pœnitentis confessionem & absolutionem Sacerdotis; nam si pœnitens suum peccatum non dicat sub dubio, non poterit colligi aliunde illud esse dubium; quid ergo mirum, si teneatur expressè sub dubio confiteri? At eo ipso quòd pœnitens vnum tantùm peccatum, & illud quidem sub dubio confitetur, intelligitur Sacerdos dando absolutionem respondere illi eo sensu quo est confessus; hoc est sub dubio dare absolutionem, etiamsi exteriùs id non explicet verbis. Omnino ergo iudico cum Sanchez circumstantiam esse tunc talem, quæ conditionem mente conceptam sufficienter declaret; quando autem datur talis aliqua circumstantia, iam fatetur etiam hic Auctor non esse necessarium eam conditionem exprimere exteriùs.

39 *An eo casu danda absolutio cum expressa conditione.*

Secundò eandem doctrinam ex Tridentino conatur suadere, quia ea Sessione 14. cap. 5. ait quemlibet debere confiteri ea peccata, quorum, post discussionem diligentem conscientiam habuerit: atquì licet in aliis locis vox *conscientia* de dubia etiam dici possit, non tamen in hoc loco Tridentini, quia in ea confessio requiritur, vt Sacerdos cognita causa possit sententiam ferre; non potest autem causa dubia dici cognita, ergo. Vides hoc argumento probari non solùm nos non teneri, sed nec posse confiteri dubiè peccatum dubium; quia si exerceri circa illud non potest iudicium, ergo nec possumus illud confiteri, hoc autem ego ferè dicerem erroneum. Ab oluté ergo respondeo, Concilium ibi, dum causam cognitam requirit, non exigere nisi cognitionem status ipsius pœnitentis: hunc autem statum ego perfectè nosco, dum scio illum habere dubium; habeo enim de hoc reflexam cognitionem certam: id quod sufficit, vt ego sciam, quomodo debeam illi dare absolutionem, & aliquam imponere pœnitentiam, non tam grauem, quàm si constaret certò de peccato; in omnem tamen euentum aliquam. Quod item rursus ex eodem Tridentino pro se adfert, scilicet sola peccata quæ occurrunt teneri nos dicere, parum illi fauet; nam reuerà dubia occurrunt dubiè memoriæ, & probabilia probabiliter, & certa certò; vnde tenebitur eo modo illa dicere: potiùs ergo hinc videtur iuuari communis sententia: quidquid verò de hoc sit, saltem non militat contra eam hæc obiectio. Vnde, quòd addat Concilium nihil aliud requirere, non addit vim ei sententiæ, quia iam ostendimus Concilium non excluisse ea dubia.

Nona ex Tridentino obiectio. 40 *Soluitur.*

Præter hæc argumenta adducit pro ea varios Auctores, & primo loco Ioannem Sanchez in Selectis disput. 1. num. 12. Ego eum habere non potuit: in verbis tamen, quæ ex illo citantur, nullo modo eam sententiam tenet: quod enim dicat, *Semper tamen liberum erit pœnitenti solam materiam dubiam confessioni subiicere, quando certam mortalem non habet, vel in venialem solam fuerit lapsus*, non fauet ei sententiæ: non enim debet intelligi docere, erit liberum subiicere dubiam, vel non subiicere; sed, erit liberum illam materiam subiicere solam sine alio peccato: egerat enim, An cum sola dubia posset dari absolutio, & dixerat expedire vt aliquid certi adderetur: post quæ subiungit citata verba: hoc est, Non cogetur pœnitens addere aliam certam materiam. Potrò hunc esse verum sensum patet manifestè ex his quæ addit: *Liberum erit, quando aliud mortale non habet, neque in veniale est lapsus*, hinc enim euidentissimè constat eum non de absoluta confessione peccati dubij loquutum. Nam si quando non habet aliud peccatum, non tenetur confiteri dubium: multò minùs tenebitur, quando habet aliud: quia in hoc casu per confessionē peccati certi remitteretur ei, saltem indirectè, peccatum dubium, casu quo re ipsa illud committeret: ne proinde non esset in periculo damnationis, sicut si nullum habens nisi dubium, nullo modo confiteretur: tunc enim exponeret se periculo damnationis: non ergo loquitur Sanchez de libertate ad absolutè confitendum, sed ad confitendum vel simul cum aliis, vel solum; non ergo ibi fauet huic sententiæ.

Quid de Auctoribus pro ea sententia. *Non citatur tuto bonè Sanchez.* 41

Secundò inducit Baldellum & Salas: verùm hi duo nullo modo agunt de casu nostro, licet videantur vniuersaliter loqui, sed præcisè de generali quæstione, An qui dubitat se debere centum proximo suo, possit in conscientia etiam pro se iudicare se nihil debere, & dicunt omnino posse: (id quod nos etiam in omnibus aliis materiis omnino docemus: & quando quæstionem hanc præsentem non tangimus, loquimur sine exceptione:) per quod tamen de dubio confessionis, in quo sunt aliæ rationes diuersissimæ

Neque Baldel. lus & Salas.

ex

expericulo æternæ damnationis, ex praxi Eccleſiæ, &c. de quibus ſtatim, illi nihil docent. Citat præterea à Stephanum Bauni, qui tamen expreſſiſſimè eſt contra ipſum; nam ait teneri eum qui probabiliter dubitat: atqui omnis dubitans dubitat non ſolùm probabiliter, ſed certò; nam licet dubium ſit, an peccatum fecerit, quod tamen dubitet eſt certiſſimum; ergo hic Auctor contrarius eſt ei ſententiæ. Citat etiam Granedum, quem ſemper ita vocat; credo eſſe errorem: eſt enim Granadus noſter, quem ei fauere puto. Addit Auſonium; qui tamen apertè eſt pro contraria ſententia: quòd autem argumenta illius vel eam non probent, vel ipſe non loquatur conſequenter nullo modo oſtendit eum eſſe in hac ſententia; quam potius dicit improbabilem. Citat præterea varias theſes, quæ non magnam habent auctoritatem. Ei fauet Paulus Layman; (qui tamen ſaltem in hora mortis ait teneri nos confiteri illud peccatum:) fauet etiam Amicus; qui tamen eam ad ſummum dicit probabilem.

42 *Sententia Auctoris.*

Quid in hac quæſtione ſit dicendum iam oſtendi: nunc rurſus dico fruſtrà in ea quæri rationes pro vna aut altera parte, cùm tota quanta pendeat ab inſtitutione Chriſti: non obſtantibus enim omnibus rationibus pro vna & altera parte fuit liberum & libertimum Chriſto Domino obligare nos ad confitenda dubia peccata, ſiue in Tribunali Mechlinienſi ſiue in quocumque alio cauſæ dubiæ non admittantur; fuit etiam è contrario libertimum nos non obligare: quid autem de facto voluerit, non poteſt niſi ex auctoritate diiudicari. In ea autem etſi definitio nulla reperiatur, ſenſus tamen communis hucuſque in Eccleſia receptus videtur omnino ſuadere, Chriſtum voluiſſe nos ad id obligare: etenim omnes omnino videntur ita id præcipere, vt ſemper ſe de dubiis accuſent.

Euaſio præcluditur.

Videamus quid huic probationi reponat hic Auctor; Primò ergo ait ex hac ipſa experientia oſtendi non conſtare clarè, multò minùs certò de hoc præcepto, ac proinde illud eſſe dubium; in dubio autem præcepti meliorem eſſe conditionem poſſidentis pro libertate noſtra.

Replicaret fortaſſe aliquis, præceptum eſſe de confitendis omnibus mortalibus commiſſis: & hoc quidem certiſſimum eſſe: dubium autem vtrùm hoc ſit commiſſum, ac proinde poſſeſſionem ſtare pro præcepto. Hæc tamen replica non habet difficultatem vllam: nam eo ipſo quòd præceptum ſolùm ſit de commiſſis, & dubitetur, an hoc ſit commiſſum, iam formaliſſimè eſt dubium de præcepto circa hoc peccatum: ac proinde non poteſt dici poſſeſſionem eſſe pro præcepto. Meliùs ergo Secundò dicimus, Licet non ſit planè omnino certum illud præceptum, colligi tamen ferè certò ex ea communi praxi fidelium: multa enim in Eccleſia tenentur, ita vt vix liceat ſine nota erroris ab eis diſcedere: quæ tamen non omnino clarè colligantur ex traditionibus aut definitionibus Eccleſiæ: vt circa receptiores Sanctorum Hiſtorias, quas temerariè quis præſumeret negare.

Secundò ergo reſpondet, Argumentum illud de communi Eccleſiæ praxi ſibi videri tantum valere, quantum ſi contra feſtum Immaculatæ Conceptionis ſic argumentaretur quis: Fuit praxis & vſus Eccleſiæ non celebrare Feſtum Immaculatæ Conceptionis, & non agnoſcitur eius praxis initium: ergo credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui quæſtionem de Immaculata Conceptione potuerunt meliùs cognoſcere. Ita ille. Quæ ſolutio valdè mihi leuis videtur: & quidem libentiſſimè illi admittimus benè inferre, eam conſuetudinem non celebrandi Conceptionem fuiſſe tempore ipſorum Apoſtolorum, imò, ſi amplius vult, etiam ab ipſo exordio mundi: ſed quid inde: aliud enim longè eſt agere de vſu priuatiuo, *Hoc nõ fiebat olim*; aliud verò, *Hoc fiebat; & quidem in materia, de qua alioquin ex natura rei nemo cogitaſſet.* Ratio diſparitatis à priori eſt clariſſima. Nam ad non introducendum nouum vſum naturæ indebitum non eſt neceſſarium declarare illum eſſe illicitum aut malum, aut eſſe prohibitum à Domino, aut à Chriſto in lege gratiæ: ſed ſufficit illum non fuiſſe creditum tunc obligatorium; per quod non impeditur, quò minùs poſtea fiat obligatorius. Et hoc modo dicimus de Conceptionis feſto vti & Aſſumptionis tempore Apoſtolorum: quia cum celebrare illud Feſtum fuiſſet quid noui, non celebrare autem fuiſſet conſuetudo, vt ſic dicam, antiqua, certè vt pergerent non celebrando, non fuit neceſſaria poſitiua vlla ratio, quaſi id eſſet illicitum. E contrario autem accidit in vſu poſitiuo, qualis eſſet, ſi ab initio fuiſſet inſtitutum Feſtum illud: deberemus enim dicere, vt Apoſtoli præter conſuetudinem communem decernerent debere celebrari illud Feſtum, debuerunt iudicare eam Conceptionem dignam fuiſſe celebratione, ac proinde non fuiſſe peccaminoſam. Circa noſtrum caſum res hoc ſecundo modo contingit: Nam cùm confiteri peccata ſit manifeſtè præter ordinem naturæ, & ad id obligare ſit graue onus, quodque eo ipſo non eſt credendum fuiſſe ab omnibus ſuſceptum, ſi ad illud non eſſet vlla obligatio, rectiſſimè infertur; Omnes tunc confitebantur peccata dubia, & confeſſi ſunt deinceps; ergo ſignum eſt eos omnes ſuppoſuiſſe à Chriſto traditum ea de re præceptum.

43 *Alia reſponſio refutata.*

Reſpondet Tertiò, Non conſtare de tali praxi. Sed contrà, quia manifeſte id falſum eſt, cùm vel vnus aut alter Doctor, qui à paucis diebus quæſtionem hanc mouit, vix audeat eam obligationem negare: id quod profectò eſſet ridiculum, ſi non agnoſceret praxim, aut aliud principium valde receptum; cui quia ſe opponere nõ audet, ideò eam etiam ſententiam non audet tradere, ne quid ceteris valdè nouum dicat; ſupponit ergo illos ſenſiſſe, hucuſque talem eſſe obligationem.

44 *Tertia ſolutio reiecta.*

Quartò reſponderi ex ipſo poteſt, Praxim illam ortum habere, eò quòd Auctores omnes hucuſque ita docuerint, & pauci à paruo tempore inceperint id reducere ad dubium, prout ſæpiùs contingit in ſententiis antiquati incipientibus. Sed contra Primò, quia hoc ipſum quòd doctrina hæc noſtra ſit tradita à Doctoribus, & pertineat maximè ad mores, rectè colligimus eam fuiſſe traditam à Chriſto Domino, qui in rebus tam neceſſariis, & vſum Sacramentorum concernentibus, non patitur inualeſcere ferè per totam Eccleſiam aliquid falſum. Secundò ea ſolutio clarè reiicitur, quia quando Doctores maximè Scholaſtici, inceperunt tradere eam doctrinam, non id fecerunt moti aliorum Doctorum auctoritate, quia hoc modo abiremus vſque ad Chriſtum; (quod adhuc eſſet melius pro nobis;) fecere ergo id, quia vel ipſi ita confitebantur, vel alios audierant hoc modo confitentes; vel quia notauerãt hunc eſſe ſenſum omnium fidelium

Quarta reſutatio, & vnde orta ſit praxis confitendi dubia.

sum absoluitur homo directè ab illo; & verò si circa horam mortis, aut alio tempore, quo tenerer confiteri, nullum aliud peccatum haberem, tenerer eodem modo de illo confiteri; & tunc si re ipsa illud extitisset, fuisset validum Sacramentum, & absolutus tunc fuissem non indirectè, quia à nullo alio absoluor, vt suppono; ergo directè; ergo non est necessum illud iterùm confiteri, quia vltra directam absolutionem non est necessum aliam quærere; confirmarique potest eadem doctrina, quia si quis dubius de voto aut irregularitate censuráve petat absolutionem cum hac conditione, si fortè obstrictus sit, eaque ipsi detur, non debet (esto deinde deprehendat se certò obstrictum) petere nouam absolutionem; quia prior ideò est data, vt si fortè reipsa posita est ea conditio, seu si re ipsa est votum, &c. maneat homo liber; ergo quando deprehendit certò reipsa fuisse votum, iam deprehendit certò fuisse absolutionem validam: ac proinde non est cur cogatur petere secundam, quod benè noranit Lugo.

47 Contra hanc doctrinam aliqua obiiciuntur, quæ tamen omnia habent eodem modo vim, nõ solùm in casu Patris Thomæ Sanchez, sed etiam in altero de numero: vbi tamen omnes ferè stant pro nobis; habent inquam vim, quia, vt diximus, non est possibile disparitatem inter vnum & alterum assignare. Primò obiicitur; Ergo si narrem illud peccatum Confessario non vt à me factum, sed vt possibile, non erit posteà necessarium dicere me illud fecisse. Respondeo negando sequelam: & verò mihi valdè mirabilis videtur hæc obiectio: in ea enim narratione nihil est de accusatione, nihil de signis doloris, nihil de petitione absolutionis: qua ergo probabilitate comparatur hic casus cum nostro, in quo & accusatio & dolor, &c. perfectè reperiuntur, non minùs quam dum sub dubio se accusat de octo aut decem?

Soluuntur obiectiones.

Secundò obiicitur; Peccatum debet manifestari prout est in conscientia pœnitentis ergo si deprehendam posteà me certò illud fecisse debebo vt de certo me de illo accusare. Hoc argumentum iisdem terminis repetit Lugo secundo & quarto loco: illúdque vtrobique vrget contra alteram partem, quæ est communis: illud nos suprà insinuauimus, diximúsque non esse necessariam eam conformitatem nisi pro prima vice, quando homo directè ab illo absoluitur. Vnde etiam obiter respondetur tertiæ obiectioni, quòd si ab initio fuisset certum, debuissem tunc illud manifestare vt tale, ergo & nunc: negatur enim consequentia, quia prima vice non eram ab eo absolutus, debebam ergo tunc dicere vt certum, alioquin decepissem, & non fuissem sincerè confessus, quando tamen iam sum absolutus, non resurgit noua obligatio ob dicta: quòd si ex ignorantia, qua putarem inuincibiliter posse me peccatum certum confiteri vt dubium, etiam prima vice dixissem vt dubium, esto tunc non peccassem de nouo, ob eam quam diximus ignorantiam, non tamen obtinuissem absolutionem; quia non confessus essem illud prout in mente erat, quando illius directam absolutionem eram obtenturus, & quando reipsa illud dedi vt materiam sed decepi aduertenter Confessarium.

Peccatum confitendum est prout est in mente confitentis dum confitetur

48 Denique obiicitur; Quia si oblitus sum circumstantiæ mutantis speciem, debeo illam deinde explicare, & verò etiam peccatum ipsum secundò dicere, si aliter non possum detegere eam circumstantiam; ergo & hic, quando illius circumstantiæ, quòd certò illud fecerim, sum oblitus, tenebor illud repetere. Iam dixi superiùs certitudinem non esse circumstantiam ex parte obiecti & peccati, sed ex parte cognitionis; nihil ergo latet Confessarium ratione cuius obligetur ad secundam confessionem; vti quando non manifestatur circumstantia, quæ moraliter est nouum peccatum. Hæc obiectio posset iudicari habere vim contra Lugo, qui (vt paulò antè vidimus) pro solutione obiectionis cuiusdam dixerat peccatum dubium non esse peccatum nisi secundùm quid. Hinc enim inferri videtur, Ergo quando diximus illud vt dubium, non sumus confessi peccatum verum, sed peccatum solum secundùm quid: ac proinde non satisfecimus nostræ obligationi. In nostra tamen doctrina superiùs data obiectio caret difficultate, quia iam ostendimus, rationem dubij & certi non esse ex parte obiecti, sed ex parte scientiæ; ac proinde fuisse tunc totum peccatum manifestatum in confessione, & non solùm peccatum secundùm quid.

Illa nunc mihi occurrit obiectio, quam obiter tetigimus suprà, quòd ad imponendam pœnitentiam valde videatur conducere, scire vtrùm reipsa commissum sit illud peccatum nécne; grauior enim debet imponi, quando certò constat fuisse commissum, quàm quando de illo dubitatur, Propter hanc autem pœnitentiam debent manifestari circumstantiæ mutantes speciem, ergo & hæc certitudo debebit declarari. Respondeo tamen, Non omnia, quæ ad maiorem minoremve pœnitentiam imponendam debent cognosci, necessariò esse manifestanda: de quo fusiùs infrà agentes, An circumstantiæ notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem debent ob hanc causam manifestari. Secundò respondeo ex eo principio de æqualitate Pœnitentiæ, Cùm iam species peccati tota quanta sit nota (vt diximus) Sacerdoti, summùm inferti obligationem in Confessario, vt hoc modo dicat pœnitenti, Hanc tibi impono pœnitentiam: quòd si tamen deinde deprehenderis te certò illud commisisse, facias talem grauiorem.

Non omnia quæ faciunt ad grauiorem pœnitentiam, sunt necessariò in confessione explicanda.

Illud pro complemento huius puncti aduerte etiam iuxta sententiam Sanchez & Dianæ: si quis integrè confessus est peccatum secundùm omnes suas circumstantias, esto ipse non distinxerit, vtrùm fuerit veniale nécne; imò etiamsi id Confessarius ipse non cognouerit: non tamen esse necessarium posteà, si certò deprehendat fuisse mortale, illud secundò confiteri. Ratio est, quia non est necesse Confessario scire semper vtrùm peccatum sit mortale, an veniale. Quam doctrinam etiam Lugo approbat vt omnino certam. Ego tamen, vt verum fatear, longè maiorem in ea inuenio difficultatem quàm in præcedenti: quia cùm species saltem peccati debeat manifestari, & ita, vt, quantum fieri possit, eam intelligat Confessarius: cúmque mortale à veniali non solùm specie, sed etiam genere differat, non scio quo sensu dicere verè possimus Confessarium formasse verum iudicium de eo peccato si quod fuit mortale iudicauit esse veniale. Ergo si ego scio Confessarium iudicasse me solùm veniliter peccasse, & ego deprehendo reuerà fuisse mortale, iam deprehendo differentiam specificam, & longè quidem maiorem quàm si putassem esse furtum, quod fuit ebrietas. Nec sufficit respondere, Iam noui totam

49 *Confessus peccatum cum omnibus circumstantiis, ignorans tãc, tamen esse mortale, reflexus deinde fuisse mortale, an tenetur denuò confiteri.*

speciem physicam, dum scitur fuisse furtum: etenim species physica est quasi per accidens in ordine ad punctum præsens, in quo moralis grauitas & diuersitas per se & principaliter debet considerari. Ego fateor, si res speculatiuè essent cõsideranda, dicendum fore, dari talem obligationem; quia tamen esset graue onus pœnitentis illum obligare ad hoc vt Confessarius formet iudicium de qualitate venialis aut mortalis, postquam iam ipse ex parte sua rem totam cum omnibus suis circumstantiis declarauit, non creditur Christum illum amplius obligasse.

Decidituꝛ quæstio negatiuè.

50 Congruentia etiam sat bona pro hac doctrina adferri inde potest: Nam quòd circumstantiis omnibus iam enarratis Confessarius iudicet esse mortale, aut veniale, pendet ex doctrina & ingenio, aut è contrario ex stoliditate eiusdem Confessarij, quam pœnitens non tenetur examinare, nec deceret id facere; vti etiam non expediret eumdem interrogare, an intellexerit quale illud peccatum sit; debet enim supponere pœnitens in Confessario esse sufficientem pro hac distinctione scientiam: & licet ipsi constet quòd fortasse Confessarius aliter iudicauerit, non est cur cogatur iterùm redire, & illum informare aliter, sicut si ipse sincerè determinatè numerum peccatorum exposuisset, esto fortasse Confessarius ex aliqua inaduertentia putasset alium numerum fuisse, & hoc post confessionem sincerè, vt dixi factam deprehendisset, nequaquam teneretur ideò secundò confiteri ad eam ignorantiam depellendam; quia hoc esset onus expositum graui animi scrupulis & afflictionibus confitentium. Addo tamen, si pœnitens (licet in ea narratione non peccasset, vel quia inuincibiliter id fecit, vel quia ita putabat factum esse, tali tamen modo narrasset suum peccatum, vt quasi necessariò ea narratio induceret in quocumque Confessario etiam prudenti iudicium, quòd non fuisset nisi veniale, & deprehendisset postea idem pœnitens fuisse mortale, tunc omnino iudicatem illum teneri ad declarandum fuisse mortale quia tunc ex parte sua non feciſset id quod erat necessarium ad hoc, vt Sacerdos ferret iudicium de qualitate eius peccati.

Limitatio responsi.

51 Huic annexum est aliud dubium, quando quis dicit, *Accuso me, quòd decies plus minúsve peccauerim*, quotus numerus, maior aut minor è contrario per ea verba denotetur. Variæ sunt in hoc puncto opiniones quia res est in se incerta & omnino pendens à prudentum taxatione: quod enim vni videtur parum, alteri est multum; vti semper solet in similibus materiis euenire: quidam ergo dicunt esse debere quartam partem assignati numeri; vt si dico octo, intelligantur duo plus vel duo minùs; alij dicunt tertiam, alij dicunt quintam partem. Verùm hi omnes non videntur rem tetigisse, nam ad hoc debet primo loco ponderari magnitudo eius numeri determinati. Nam licet duo, quod est quarta pars, sint plùs minúsve respectu octo; at si dico mille profectò addere quartam partem id est 150. non est plus minùs; viginti tamen aut triginta essent parum respectu mille. Fateor me non videre vllam regulam generalẽ, qua tradi possit optimum tamen consilium esset pro Confessariis ipsis, si quando pœnitens dicit, Iutaui, v. g centies plus minùs, interrogent illum, putásne te decies supra centum probabiliter nécne? & sic suo modo in similibus numeris: tunc enim si pœnitens ipse scit se in hoc determinare, respondebit statim, & cessabit totum dubium; si non scit, non est ampliùs quærendum, siue iam Confessarius dubitet, an illud plus denotet 30. siue 20 siue 50. quia non tenebitur pœnitens tunc plus dicere.

Quid faciendum Confessario, si pœnit. sunt incertus numero certo addas plus minùs.

SECTIO VII.

An sit mortale dicere peccatum falsum in confessione.

52 ALIIS terminis solet proponi hæc quæstio: An sit mortale in confessione mentiri. Dico *in confessione*, hoc est in materia ad confessionem pertinente; nam in aliis esto sub confessione fiat, respectu tamen confessionis habebit per accidens. Suppono cum Suario disput. 22. sect. 10. num. 5 & Lugo supra num 98. id quod nos supra insinuauimus ad aliud propositum, non teneri pœnitentem etiam Confessario interrogante respondere ad ea quæ directè non pertinent ad hanc confessionem; inde si quæratur, An aliud peccatum commiserit, quod is ille alibi confessus sit, non teneri respondere, ac proinde vtendo debita restrictione posse negare se illud commisisse, nisi forte id declarare esset omnino necessarium, vt Confessarius ferret iudicium circa statum pœnitentis: de quo fusiùs infrà agentes de dilatione absolutionis.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de veniali ficto, aut si illud sine dolore dicat.

PRo prima quæstione & secunda ei affini, de defectu doloris circa aliquod ex dictis in confessione, quam simul cum hac tractabimus, suppono nullum esse dubium, id non fore mortale, si homo dicat se illud veniale (quod fingit, aut de quo non dolet) non dare pro materia confessionis: eo enim ipso quòd id dicat, iam non mentietur propriè in confessione qua tali: nec in peccato ad eam pertinente deerit dolor: ac denique nequit erit vllum periculum, quòd Confessarius sit prolaturus verba absolutionis supra indebitam materiam. Quæstio ergo, est quando ita confitetur illud peccatum, vt possit Sacerdos putare illud dari pro materia absolutionis. In quo puncto eum grauiter peccare affirmant multi apud Suarez disp. 22 sect. 10. eò quòd illud peccatum tunc datur pro materia; & tamen non potest supra illud cadere forma absolutionis, quia nec de illo potest esse dolor, neque absolutio. Hæc autem est grauis irreuerentia contra Sacramentum; vt si quis Sacerdoti consecraturo multas hostias immisceret aliquas horrideaceas. Deinde redditur forma absolutionis falsa: significat enim hominem absolui ab omnibus illis quinque v.g interim tamen non absoluitur nisi à quatuor: vnde iuxta sententiam asserentem, propositionem dicentem quatuor occurrere, si non occurrant nisi tres, totam reddi falsam, fieret fortasse tota forma absolutionis falsa; hoc autem esset grauis iniuria Sacramenti. His iisdem argumentis probatur etiam esse graue peccatum confiteri peccatum veniale verum, sine dolore tamẽ; quia etiam supra illud non potest cadere absolutio, vt supra debitam materiã, &c. vnde simul hic vtrumque punctum, vt dixi, retractabimus, ne bis eadem cogamur repetere.

53 *An sit mortale dicere peccatum veniale fictum in confessione vel verum sine dolore.*

Contraria

Contraria nihilominùs sententia vera est; eam defendit Suarez ibi cum vtroque Soto, Angelo, Sylvestro & Nauarro, quos sequitur Valquez quæst. 91. art. 1. dub. 7. & Lugo ea sect. 2. num. 99. Dicimus ergo solùm id esse veniale peccatum, dummodo dentur alia venialia aut mortalia pro Sacramenti valore & effectu sufficientia. Probari autem solet communiter à Suario, Lugo & aliis; quia etiam in reliquis Sacramentis non est mortale admiscere aliquid, quod non pertineat ad materiam, vt si rosaceæ aquæ guttulæ paruulæ admiscerentur elementatoris pro materia Baptismi: si in calice plus de aqua infunderetur quàm posset conuerti in vinum, & consequenter quàm posset consecrari: in opinione etiam communi, quæ negat aquam immediatè transire in sanguinem, vbi ea forma,

54 *Hic est calix*, non caderet supra illam aquam. Quæ instantia maiorem habet vim eo casu, quo Sacerdos sumens calicem deprehenderet esse aquam; teneretur enim tunc statim consecrare; non est autem credibile statim illam aquam conuerti in vinum; ergo tunc Sacerdos proferret verba supra materiam aliquam incapacem; & tamen nec quidem id est leue peccatum: idem ergo in nostro casu dicere poterimus.

Probationes communes parum efficaces.

Hæ instantiæ non videntur mihi admodum efficaces, & quidem prima de aqua in Baptismo nihil apertè probat; quia verbum illud *baptizo* in toto rigore est verum, dummodò præcipua pars sit aqua naturalis: vnde per illam admixtionem aquæ rosaceæ nihil impeditur, quod potuerit ibi significari per ea verba; non enim aliud sonant quàm Lauote aqua elementari: hoc autem verissimum est, quantumuis simul ille aspergatur aqua rosacea: non enim propositio illa dicit, *Totum hoc quo te abluo est aqua*, sed absolutè indefinitè *Lauote*; quod, vt dixi, esto simul illum intingat oleo, est verissimum; imò de facto illa aqua habet aliquid ex mandato Ecclesiæ de Sacro liquore, qui non est aqua, & consequenter nec materia ad lauandum. At Sacerdos dum dicit, *Ego te absoluo*, videtur significare se ab omnibus illis peccatis, quæ prolata sunt, absoluere; vnde pœnitens non apponens dolorem requisitum, vel peccatum illud fingés, planè videtur esse causa, quòd verba sint saltem inadæquatè falsa: id quod censeri posset grauis in Sacramentum iniuria.

Instantia item illa de aqua admixta vino multò minùs est efficax; maximè si vera sit sententia multorum, quòd ea adhibeatur ex Christi institutione. Facilè enim dicitur ipsum Christum Sacramenti auctorem potuisse ita id disponere, ideóque nõ posse probari nobis licere alias partes materiæ adhibere; quòd autem aliquando sit ibi vel terræ, vel alterius rei aliquid admixtum, est per accidens, quia & moraliter non est vitabile, nec est notabile ab hominibus: at ea additio venialis sine dubio est & vitabilis à pœnitente, & notabilis à Confessario.

55 Dices cum Lugo disp. 14. num. 18. in hoc Sacramento pij homines solent accusare se etiam de imperfectionibus, quæ tamen non sunt materia Sacramenti, nec capaces absolutionis; ac proinde videntur etiam ex parte reddere falsa verba absolutionis, non minùs quàm veniale fictum. Respondeo, Neque hac instantia quidquam probari; nam Confessarius aduertens eas imperfectiones non esse peccata, sine dubio non profert formam absolutionis suprà illas, vti diximus suprà. Difficultas autem nulla est in admixtione materiæ incapacis, quando in Sacramenti Ministro est aduertentia ad eam materiæ diuersitatem; vti non est vlla omnino irreuerentia, quòd dum ego consecro hostiam triticeam, videam aliam ibi prope hordeaceam, si agnosco esse hordeaceam; nam tunc non dirigo intentionem ad vtramque: vnde potiùs ex hoc capite (vt vidimus) desumitur argumentum in contrarium: quia si illæ duæ hostiæ ita ponerentur, vt illas Sacerdos non posset distinguere, ac propterea suprà vtramque æqualiter proferret formam esset graue peccatum eã dare occasionem: ergo. Et hinc breuiter respondetur alteri instãtiæ (quâ vtitur hîc Lugo) quòd fortasse ex Ecclesiæ consensu posset esse licitum hostiam consecrandam ornare aliquibus punctulis aureis, quæ tamen sint capacia consecrationis. Respondetur inquã in talibus punctis, eo ipso quòd possent à Sacerdote distingui, cessare totum periculum proferendi verba supra illa, ideóque nullum fore periculum falsitatis in ea forma. Vides his instantiis nullatenus probari nostram sententiam, sed potiùs inde quodammodo reiici.

Vera probatio sententiæ communis.

Iudico ergo eam sententiam non posse positiuo argumento probari, sed solùm indirectè ostendendo, ea quæ in contrarium adducuntur non esse efficacia: ac proinde non esse cur dicamus ibi esse malitiam grauem, quam non debemus ponere sine fundamento sufficienti. Argumentor ergo pro illa sic: Mendacium ex se non est nisi peccatum veniale, si aliunde non adfert aliquod graue nocumentum, quale hîc non reperitur: ergo solùm est veniale peccatum fingere veniale quod non commisisset: quoad doloris verò defectum res est clarior, quia non dolere de veniali non est mortale, nisi aliunde ea carentia doloris asseratur aliud nocumentum; atqui hîc nullum adfertur, ergo. Imò hæc ratio ex hoc capite videtur suadere, quando veniale, quod confiteor, ita à me est commissum, & solùm est ibi defectus doloris, non esse in ea carentia nec quidem venialem culpam.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur obiectionibus.

56 *Solutiones obiectionum parum efficaces.*

IAm ad obiectiones oppositas. Ad exemplum ergo de hostiis respondet Suar. ea disp. 22. differentiam in eo consistere, quòd forma Eucharistiæ directè cadit supra materiam: vnde redditur falsa, si aliquæ ponerentur vt consecrandæ, quæ tamen essent consecrationis incapaces: at forma absolutionis cadit supra personam, & solùm significat quòd pœnitẽs absoluatur: id quod verissimum est: significat etiam quòd illi detur gratia remissiua peccati: hoc autem verum est, esto non omnia ea peccata illi remittantur: non ergo frustratur Sacramentum. Cardinali Lugo non placuit hæc solutio, & meritò: quia verba absolutionis ita cadunt supra personam, vt tamen significent remissionem eorum peccatorũ, quæ pœnitens confessus est: ergo si ponit pœnitens impedimentum pro absolutione ab vno, reddit formam saltem inadæquatè falsam. Ideò ipse Lugo aliter respondet, verba absolutionis solùm significare, *Ego quantum est ex me remitto tibi peccata*: hoc autem etiam tunc est verum, licet ob indispositionem pœnitentis non dimittatur illud, de quo non habet dolorem, &

aliud, quod reuerà non est commissum. At verba consecrationis dicuntur absolutè. *Hoc est corpus meum* inde oportet vt saltem in singulis hostiis ibi appositis ea verificentur, etiamsi in qualibet hostia sit aliquid admixtum de terra, aut alia materia, quæ non sit capax consecrationis, quia supra talem non intendit Sacerdos proferre verba. Hæc solutio mihi non placet, quia ex illa videtur sequi, etiamsi nullum verum peccatum confiteretur homò ille, cum tamen adhuc non peccaturum grauiter; quia si ea verba solùm denotant, *Quantum est ex me te absoluo*; profectò sicut dicitur verè de omnibus, etiamsi ab omnibus non absoluat, etiam verè dici poterit, esto à nullo penitus absoluat; quia semper subintelligitur, *Quantùm est ex me.*

57 Respondebis fortasse, Verba quidem etiam tunc fore vera: quia tamen nullam daret materiam, Sacramentum fore irritum: hoc autem esse graue peccatum. Sed contrà, quia in tantum est iniuria grauis Sacramenti illud facere irritum, in quantum datur occasio, vt formæ verba proferantur à Ministro nomine Christi falsè & irrisoriè: atqui eo casu non proferrentur falsè, quia fieret sensus ille conditionatus; ergo non fieret grauis iniuria.

Respondebis adhuc, Iniuriam esse in eo, quòd proferantur verba facientia Sacramentum, & interim nullum omnino fiat. Sed contrà, quia si non est iniuria quòd nomine Christi proferantur verba absoluentia ab omnibus peccatis, esto re ipsa ab omnibus non absoluant, quia solùm dicit quòd absoluat quantum est ex se: (id quod nunc verè dicitur,) etiam non erit grauis iniuria, si dicat nomine Christi se facere Sacramentum, esto illud non faciat: quia non dicit se absolutè illud facere, sed quantum est ex se: id quod etiam est verissimum tunc temporis. Quare enim erit mortale, quod ego dem occasionem Sacerdoti vt dicat: *Ego quantum est ex me te absoluo, & facio Sacramentum*; esto ob alterius defectum nullum tunc re ipsa fiat? si verba absolutè proferantur, tunc facilè apparet vbi sit indecentia in eorum frustratione.

Secundò ea solutio non placet, quia longè probabilius est ea verba proferri absolutè vti in omnibus aliis Sacramentis; & saltem veritas huius puncti, in quo iam sumus, non pendet ab eo quòd verba proferantur cum reflexione illa, *Quantum est ex me*; quam reflexionem ideo ponit hic Auctor, vt explicet, quo pacto possit dari Sacramentum hoc validum & informe. Quæ est etiam singularis opinio, à qua non pendet veritas huius puncti, quòd scilicet non sit mortale dicere vnum veniale sine dolore, aut confiteri vnum quod re ipsa commissum non est. Et quidem, si ad priuatas sententias in aliis punctis pro huius quæstionis solutione licet recurrere, nos statim expediremus ab hac difficultate; diceremus enim ea verba significare, *Dono tibi gratiam remissiuam huius & illius peccati quantum est ex se.* Quæ verba absolutè sunt vera, & causant suum effectum, licet per accidens ab hoc aut illo peccato ea gratia ideò non liberet, quia vel non est illud commissum, vel non est dispositio pro illius remissione. At verba illa *Hoc est corpus meum* directè cadunt supra omnes illas materias, ad ponendum in eis Christum; neque habent sensum alium, in quo possint verificari, si materiæ illæ non sint capaces.

58

Abstrahendo tamen ab istis priuatis opinionibus responderi potest, Confessarium circa peccata venialia, quæ scit non esse materiam necessariam confessionis, & posse odio haberi sub particularibus motiuis quorum vnum se non extendat ad omnia alia, & circa quæ, eò quòd difficiliùs vitentur, non ita soleat esse vniuersale propositum ea omnia vitandi, probabiliter supponere, posse circa vnum aut alterum ex illis pœnitentem esse minùs benè dispositum, & ob eam causam illam absolutionem esse limitatam ad ea, pro quibus apponitur sufficiens dispositio: quæ etiam ratio applicari potest ad veniale fictum; nam etiam in enarrandis venialibus potest facilè aliquis error admisceri, ideò non esse eam voluntionem tam expressam ad omnia quàm sit in mortalibus. Fortasse contra hanc solutionem dicet aliquis: Ergo si Sacerdos absolutè velit ab omnibus absoluere, iam absolutio erit nulla; ac proinde pœnitens qui dedit eam occasionem nullum faciendi Sacramentum grauiter peccauit. Secundò, quia non videtur pendere ex Confessarij voluntate, quòd possit sine mortali error admisceri. Respondeo, Has obiectiones etiam habere locum in solutione Lugo & aliorum; quia quòd Sacerdos dicat, *Absoluo te in quantum possum*, non verò dicat, *Absolutè & simpliciter te absoluo*, etiam videtur prouenire ab eius voluntate. Absolutè autem dico, in omnium sententia debere concedi id pendere aliquo modo ab intentione Confessarij. nam si ille intendat ita absoluere ab omnibus illis peccatis, vt si ab vno non absoluat, non absoluat ab aliis; sine dubio dato eo nostro casu, tota absolutio esset nulla, & quidem etiamsi pœnitens sine vlla sua culpa, sed putans se illud veniale commisisse, illud diceret, aut esto commisisset illud, ex inaduertenti tamen in eius peccati de illo non doleret: eo enim casu absolutio illo sensu data circa omnia peccata nulla esset omninò; nemo autem docet ordinariè loquendo, si in eo errore interueniat bona fides, reddi Sacramentum nullum; ergo illæ replicæ habêt locum etiam extra casum in quo iam sumus. Respondemus ergo absolutè Pœnitentem non dicendum peccare grauiter, eò quòd possit Sacerdos occasionem accipere proferendi formam falsam pœnitens enim supponit habiturum Confessarium eum sensum, qui est per se annexus huic Sacramento, vt dictum est.

Vera solutio, vbi explicatur quomodo Confessarius debeat habere in absolutione venialium.

Absolutio pendet aliquo modo à Confessario.

59 Replicabis, Ergo tunc Sacerdos profert verba illa indeterminatè supra hæc aut illa peccata, perinde ac si quis haberet ante se duas hostias, vnam consecratam, alteram non; ipse tamen eam non posset distinguere, quo casu non posset validè consecrare: quia non posset determinatè illam ostendere quam consecraret; ergo cùm Confessarius non sciat quod peccatum sit materia valida pro hac absolutione, quod verò non, non poterit determinatè scire, à quibus peccatis absoluat: vnde tota absolutio videtur reddenda nulla: si enim diceret, Absoluo te ab vno tantùm ex his duobus, & non diceret determinatè à quo, non esset absolutio valida: cùm ergo illa verba *Absoluo te* habeant implicitum eum sensum ab his peccatis, sicut dum dico, *Hoc est corpus meum*, habent sensum supra has hostias, quas possum determinare: profectò sicut si non possit determinare materiam, efficit inualidam consecrationem: ita, si non possit determinare quæ sint ea peccata, à quibus absoluat, faciet inualidam

An Confessarius debeat posse determinare materiam.

Supra quam profert absolutionem.

ualidam absolutionem. Respondeo, Hanc replicam non esse contra solutionem à me datam, sed vniuersalem contra totam sententiam, quam defendimus: ei respondetur, Absolutionem Sacramentalem non esse eo sensu alligatam ad præsentem materiam clarè & distincte propositam, sicut est consecratio; quia si pœnitens dicat, *Si fortè habeo aliquod aliud peccatum, de illo doleo, & peto absolutionem*, etiam supra illud cadit absolutio saltem indirectè: idem à fortiori contingit, quando fit confessio vnius tantùm peccati expressè, reliquorum in communi, aut tantùm per sola signa doloris, nullo dicto peccato; vt in periculo vitæ, & quando homo post petitam confessionem amittit vsum rationis, aut loquelam: quibus casibus Confessarius nec vnum quidem peccatum potest determinare. Id autem non sufficit in consecratione, pro qua planè debet esse demonstrabilis materia; deinde si Confessarius audiuit mea peccata, etiamsi posteà in fine confessionis iam non recordetur priorum, nec possit illa determinatè demonstrare, nihilominùs validè me absoluit. In consecratione autem nequaquam sufficit, quòd paulò antè viderim & potuerim demonstrare materiam consecrandam; sed requiritur, vt in ipso pũcto quo verba profero eam materiam possim ostendere. Aliter ergo ea demonstratio requiritur

Differentia inter materiam consecrationis & absolutionis respectu earum formarum & eas proferentis.

60

in consecratione quam in absolutione. Cuius ratio à priori est facilis; quia cùm Christus dederit facultatem Sacerdotibus absoluendi, non ab vno tantùm aut duobus, sed etiam à millenis & millenis, si de omnibus illis quis confiteatur, & in his casibus sæpè moraliter sit impossibile Confessarium distinctè omnium recordari, vt possit ea ostendere; non potuit ab eo requiri determinata notitia. Cùm item, vt paulò antè dixi, circa venialia sit difficile illud propositum & dolor de omnibus & in eorum narratione, quia facilius elabuntur è memoria, possit esse error, non fuit expediens, vt tantum Christus ibi requireret rigorem in prolatione eius formæ. Denique cùm ea absolutio ab illis omnibus detur per modum vnius, sufficit quòd in illo complexa sint, quæ possint absolutè remitti, & ratione quorum possit absolutè verum esse, quòd hic homo absoluitur. Adde, si velimus in toto rigore loqui, fortasse eam idem esse rationem in consecrat onis materia; nam licet ea ita debeat esse vicina, vt possit à Sacerdote ostendi, seu demonstrari, non tamen est vllo modo necessarium Sacerdotem scire, quanta illa sit, parua, an magna an multæ hostiæ, an paucæ: ideò etiamsi non videat hostias actu, & iudicet plures esse, aut è contrario longè pauciores quàm sint reuerà, aut putes alias esse diuersas quàm re ipsa sint, validè consecrabit. Quòd item dicebatur, si ille vellet absoluere solùm ab vno ex duobus quæ audiuit, & non determinaret hoc potiùs quàm illud; fore vt à neutro absolueret, est verissimum; at in nostro casu iam determinat peccatum implicitè, quatenus intelligit ibi Absoluo te absolutè ab aliquibus; ab hoc autem iuest pro illo dispositus, & ab altero si est dispositus; inde cùm conditio ponatur respectu aliquorum, non respectu aliorum, inde est vt determinetur tum absolutio ad hoc potiùs quàm ad illud; & quoad hoc etiam posset consecrari materia aliqua, de quâ non certò constat esse sufficientem, si intentio consecrantis ea esset: *Volo consecrare hanc hostiam, si non est consecrata, aut si est triticea, non bordeacea*, &c. & ex his respondetur ad ea quæ suprà vrgebantur de veritate eius propositionis; *Absoluo te ab omnibus his peccatis.*

SVBSECTIO TERTIA.

Quid de mortali ficto.

QVæri vlteriùs potest, An sit idem dicendum, si quis fingeret peccatum mortale, quod non commisisset. Respondeo, Si non dicat se illud iam esse confessum, sed quasi primò illud det pro materia, tunc omnino peccaturum mortaliter. Ratio est, quia vti non potest peccatum graue reticere, ita nec potest graue fingere, sed debet in eo Tribunali sincerè agere, si contrà sinceritatem agit, peccat iuxta materiæ grauitatem, grauiter si materia est grauis, leuiter si leuis: potest etiam secunda ratio adduci ex immediatò antè dictis de venialibus; nam cùm mortalia nondum in confessione detecta sint materia necessaria confessionis, & vnum non possit remitti sine alio (contrario modo quàm venialia) necesse est vt Sacerdos, eo ipso quod illud mortale audit à pœnitente, supponat vt omnino certum, & quidem per se illud dari pro materia; ac proinde etiam eius intentio & verba planè cadent directè supra illud aliter quam diximus de venialibus, si ergo pœnitens malitiosè dedit causam, vt Confessarius fungens suo officio indebitè reipsa proferat formam absolutionis supra totam illam materiam, sine dubio peccabit grauiter. Sed quid, si pœnitens diceret se iam illud antea confessum fuisse: videtur enim tunc esse eadem de illo ratio, quæ de venialibus. Respondetur communiter, non esse eandem rationem quia (vt paulò antè diximus) ille homo se grauiter infamat in eo Tribunali, vbi cogitur agere sincerè: & licet ipse sua intentione non det illud peccatum tamquam materiam absolutionis, adhuc tamen illud subiicit huic iudicio, & variat notabiliter conceptum, quem de pœnitente Confessarius habet in ordine ad vitam præteritam. Ità Lugo eo loco, quæ non carent difficultate: & quidem quod dicitur de variatione conceptûs, patitur instantiam è contrario, si ille pœnitens de aliquo peccato, quod anteà fecerat, & de quo fuerat iam confessus, dum illud secundò commisit, se accusaret, ac diceret, se simile peccatum anteà non commisisse: sine dubio enim variaret conceptum Confessarij eodem planè modo quo in casu nostro, in nostro variaret in peius, hic in meliùs: & tamen non ideò hic mortaliter peccaret; ergo variatio illa non indicat grauem malitiam. Quòd præterea dicebatur illud subiici huic iudicio, etiam non vrget: nam (eodem Auctore teste) si aliquod mortale, de quo iam fuerat pœnitens, absolutus, repetat in confessione secunda sine dolore, dummodò det aliam materiam absolutionis, non peccat, sicut quando dat veniale sine dolore: (quæ doctrina est omnino bona, & consequenter tradita;) & tamen haud dubiè tunc illud subiicit præsenti iudicio non minùs quàm illud confictum: subiicit inquam verbis, non re, quandoquidem de illo non dolet: cur ergo hoc modo subiicere aliquid si fuerit mortale magis quàm in altero casu, si attendere præcisè velimus eã rationem, quòd subiiciatur iudicio? Denique illa ratio quòd in eo iudicio debeat homo agere sincerè, & se non grauiter diffamare,

61

Fingere peccatum mortale in confessione est peccatum graue.

Quid si fingens addat se illud peccatum fuisse confessum.

62

etsi maiorem habeat vim, fortasse non omnino conuincit, quando pœnitens dicit se iam fuisse illud peccatum confessum; quia tunc ea diffamatio cùm non sit in materia necessaria eius iudicij, non est tanti momenti, & potest perinde se habere ac si pœnitens intra confessionem, non tamen se accusando de eo peccato diceret aliquid, vnde Sacerdos conciperet eum iam anteà peccasse grauiter; v.g si diceret, *Accuso me quòd peccaui cum vna, cum qua anteà peccaueram; de quo tamen antiquo peccato iam me non accuso, quia iam fui de illo confessus*; aut aliter, ne in hoc casu recurratur ad aliquam quasi consuetudinem; *Accuso me quòd furatus sim ab ea persona pecuniam, cum qua olim peccaueram; de qua fornicatione iam egi pœnitentiam, & nunc me non accuso*, tunc enim non peccaret mortaliter: propter hæc ego non auderem ita certò tale mendacium dicere esse mortale: & ita absolutè sentit P. Tannerus disp. 6. q. 4. dub. 12. Addo tamen, si circa illud peccatum adderetur aliqua circumstantia grauis noua falsa, quam anteà non fuisset ille cófessus, tunc sine dubio fore mortale; quia quoad illam circumstantiam grauem iam ea confessio est prima, ac proinde si res sit grauis, est obligatio grauis veritatem sincere dicendi.

DISPVTATIO XXXII.

De obligatione confitendi circumstantias aggrauantes: vbi aliquid in particulari, quæ sint mutantes speciem.

1 PECCATI circumstantiæ, vt suppono ex Tomo 3. de Actibus humanis, quædam sunt quæ transferunt peccatum in aliam speciem; vt circumstantia coniugati transfert copulam cum aliena ad speciem aggrauantem notabiliter: vt furari mille non extrahit furtum ad aliam speciem, aggrauat tamen notabiliter peccatum supra furtum v.g. vnius floreni: & quidem debere explicari eos quæ speciem mutant, definitum est à Tridentino Sessione 14. cap. 5. & Can. 6. vbi damnat eos qui dixerint non esse necessarium eas confiteri. Quæ definitio vniuersalis non patitur exceptionem. Vnde quòd aliqui dixerunt, circumstantias, quæ solùm mutant species magis notas, non esse necessariò explicandas, non videtur vllo modo posse tolerari, nisi forte loquantur de differentia specifica in genere tantùm physico, non in morali. Hæc tamen doctrina ita est intelligenda, vt circumstantia illa, quam tenemur confiteri, addat speciem nouam mortaliter grauem; nam si addat solùm circumstantiam specie quidem diuersam, venialiter tamen tantùm malam, procul dubio sicut non teneor confiteri venialia, ita neque illam nouam circumstantiam, quæ vt sic est solùm veniale peccatum: v.g si fornicationi, furto, &c. adueniat circumstantia mendacij aut vanæ gloriæ &c. Licet autem in genere sit certa hæc obligatio confitendi eas circumstantias mutantes speciem, est tamen postea in praxi maxime difficile ostendere in particulari quæ illæ sint: de quo puncto nos secundo loco in hac Disputatione tractabimus, quia reuerà (vt dicam infra) non spectat ea quæstio huc: circa aggrauantes ergo sit.

Circumstantia vt sit materia necessaria confessionis debet addere speciem nouam mortaliter malã.

Sententia negans circũstantias tantùm aggrauantes confitendas proponitur.

Ego ab hac quæstione facilè me extricabo, quia reuerà omnia quæ pro vtraque parte fusè à multis dicuntur, ferè reuocantur ad vnum vel alterum argumentum pro qualibet parte: quod tamen varie variis dilatatur. Sententia negans videtur vnicè fundata in Tridentino, quod Sessione 14. cap. 5. cùm nullam fecisset mentionem circumstantiarum aggrauantium, sed alia posuisset quæ pœnitens debet præstare, addit, *Nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesia exigi*: ergo excludit ibi necessitatem dicendi circumstantias aggrauantes: clarius autem videtur id ipsum colligi ex eodem Concilio, dum affirmans esse obligationem confitendi circumstantias mutantes speciem, nihil dicit de aggrauantibus: videtur ergo eo ipso negare esse necessarium has confiteri. Nec sufficit dicere ibi etiam non negasse Concilium id requiri, sed abstraxisse, ac proinde solùm esse argumentum negatiuum: hoc inquam non sufficit cùm enim agendo de circumstantiis liniret Concilium suam decisionem ad mutantes speciem, profectò iam excludit alias: sicut dum explicat, quorum peccatorum confitendorum sit obligatio, eo ipso quòd non nominet nisi mortalia, reiicit venialia: quòd si voluisset Concilium abstrahere ab opinionibus inter Catholicos, dixisset sanè, *Debere saltem explicari circumstantias mutantes speciem*: non autem essent addenda ea verba, *Nihil aliud à pœnitentibus exigi*: quibus quasi virtualiter dicit non esse necessarium confiteri aggrauantes: & hinc probatur clarè ex Christi institutione nullam esse obligationem

3

SECTIO I.

Proponuntur duæ oppositæ sententiæ; & in quo sit substantia difficultatis.

2 QVÆSTIO hæc. an sufficiat dicere, Furatus sum materiam peccati mortalis, esto fu-

eas confitendi; quandoquidem Ecclesia tota Spiritus sancti lumine illustrata in generali Concilio non potuit hinc obligationem ex verbis Christi colligere; vnde fit legem illam saltem non esse claram. Lex autem in dubio legis latæ non obligat, vt cum aliis tradit ipse Thomas Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 10. num. 32. contra eum enim qui ius clarum dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda.

Secundò rationem addunt; quia si circumstantiæ notabiliter aggrauantes debent declarari; ergo etiam notabiliter minuentes; quia in confessione sicut nemo potest negare delicta, ita neque è contrario ea augere; obligare autem ad hoc est planè contra communem sensum Doctorum; ergo.

Tertiò, quia etiam deberet declarari quantitas in detractione & damnis illatis, item duratio actus, intensio & alia, ad quæ tamen vix vllus obligat.

Quartò addi potest esse valde incertum, quæ sint circumstantiæ notabiliter aggrauantes, quæ verò leuiter tantùm, ac proinde per contrariam sententiam reddi valdè incertam eam obligationem. Hæc est tota substantia huius opinionis, quam esse probabilem & tantorum virorum auctoritas & rationes prædictæ persuadent manifestè.

34 *Proponitur sententia asserens, & vt probabilior defenditur.*

Nihilominus contrariam iudico esse probabiliorem, & in primis testimonium ex Tridentino videtur mihi satis exigui & leuis momenti: Primum quidem, quia (vt Lugo ipse notat) dum Concilium dicit, *Nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesia exigi*, non est sermo de circumstantiis mutantibus speciem, vt inde probetur Ecclesiam positiuè dicere, non esse necessum confiteri solùm aggrauantes; eo ergo loco Concilium præcisè agit in communi, Non exigi aliud quàm vt post debitum examen conscientiæ dicantur ea peccata quæ occurrunt memoriæ: id quod non est ad rem præsentem. Secundum autem testimonium etiam non vrget: optima enim est solutio suprà insinuata, quòd tradiderit Concilium, quæ sunt certa abstraxerit ab incertis. Replicæ verò factæ, maximè à Lugo, sunt contrà ipsum; nam expressè agens de peccatis dubiis (quæ ipse dicit esse materiam necessariam confessionis) obiicit sibi simile argumentum; quòd scilicet Tridentinum non dixerit illa esse necessariò confitenda; ei autem respondet his verbis num. 72. *Concilium licet nihil ibi explicauerit de peccatis dubiis, ea tamen non excluſiſſe.* Ecce hic approbatam responsionem Suarij & aliorum in nostra materia. Fateor illum ibi etiam aliam addere responsionem, & conari probare, Concilium etiam fecisse mentionem de iis peccatis dubijs; verùm iam non de secunda hac solutione, sed de prima ago; quam vt bonam tradit; contra eam autem possunt fieri omnia argumenta, quæ ipse hìc facit contra Suarium de lege dubia, &c. Deinde illa confirmatio, quòd Concilium docens materiam necessariam esse mortalia, eo ipso implicitè excluserit venialia; potest potiùs retorqueri contra ipsum: nam quia Concilium voluit positiuè excludere venialia, non solùm dixit affirmatiuam illam de mortalibus, sed statim expressè id de venialibus negauit dicens: *Nam venialia*, &c. ergo cùm hìc non fecerit exceptionem de circumstantiis aggrauantibus, sed solum affirmauerit positiuè de mutantibus speciem, profectò non debet indicari voluisse positiuè eas excludere; sed solùm quòd noluerit rem (quæ adhuc erat in opinione multorum) determinare, vt de Fide in alterutram partem. Vrgeo id meo iudicio efficacitèr valdè. Nam vti nobis obiicit hic Auctor, quòd si præscindere voluisset Concilium, dixisset, *Saltem mutantes speciem*; eò autem quòd id non dixerit, colligit mentem Concilij fuisse positiuè dicere, non esse necessarium eas confiteri: ego sanè potiori iure dicam, si Concilium voluit eas excludere, cùm sciret multos esse graues Auctores, qui contrarium iudicarent, & sine dubio præsentes ibi aderant multi, saltem Soto contrarium sentiens ibi erat; cur quæso non dixit Concilium, vt suam mentem declararet; *Non tamen necessum est confiteri purè aggrauantes*: hoc enim tam facilè addi potuisset, quàm è contrario dicitur, potuisse addi *vel saltem*; quia reuerà si positiuè sensit eas non esse sub obligatione, magis erat necessaria ea positiua exclusio, quàm ad præscindendum fuerit necessarium *vel saltem*: nam præcisio ex natura rei quasi intelligitur, dum vnum affirmatur, & de alterò nihil dicitur: exclusio autem positiua vnius non intelligitur per affirmationem alterius. Vides ergo non magis stare Tridentinum pro illis quàm pro nobis. Quod dicebatur, In dubio legis eam non obligare, &c. etiam non vrget: quia hìc non est dubium propriè legis: sed probabilitas, & quidem maior quam de oppositio, vt dicemus: ac proinde etiam dicimus dari obligationem probabilem. Denique quòd Eccl sia illustrata lumine Spiritus sancti id non collegerit ex institutione Christi, etiam non vrget. Iam enim ostendi neque collegisse contrarium, cùm illud etiam non expressèrit: fatemur quidem non esse id de Fide: ac non propterea nihil positiui affirmare de Sacramentis possumus, nisi illud sit de Fide: & nisi Ecclesia id collegerit manifestè ex institutione Christi. Numquid non hic Auctor dicit species vini causare gratiam nouam? hoc autem non definit Concilium, neque colligitur ex Concilio. Numquid non dicit eas quandiu sunt in stomacho nouam causare gratiam? Numquid non dicit aquam transire immediatè in vinum? hæc non definit Concilium. Similiter possunt multa adduci; sed satis ad clarè probandum Concilium non stare pro ipsis.

35

Ad rationem primam, quòd deberent declarari etiam circumstantiæ notabiliter diminuentes intra eamdem speciem, respondemus Primò Non deesse Auctores qui id admittant, vt Scotus & Cano apud Suarez, qui aliter respondet, scilicet non posse esse circumstantias quæ notabiliter minuant, quia non possunt extrahere peccatum ab ordinario modo quo solet committi. Verùm hæc solutio mihi non placet; nam si cogerer metu grauissimorum suppliciorum & mortis ad me inebriandum, certò, esto non excusaret à peccato, non esset tamen illa circumstantia intra ordinarium modum peccandi, nec de ea diminutione posset Sacerdoti, nullo alio dato fundamento, quidquam occurrere. Ego vt magis consequenter discurram, non dubitarem eo casu teneri dicere, me ob illam causam inebriatum: & idem est, si simili tentatione superatus aliud quodcumque peccatum commisissem; deberem enim id declarare. Respondeo Tertiò, Has circumstantias modo explicato notabiliter minuentes raras esse; aliàs autem, quæ etiam minuant, vix reperiri, ideóque eam obli-

An circumstantia notabiliter minuentes sint explicanda in confessione.

gationem illas declarandi vix habere locum, nisi in vno aut altero casu raro. Quòd in secunda ratione dicitur, Etiam debere declarari longam durationem, &c. non dubito eodem modo id esse dicendum ac de quantitate furti: quia si quis liberè constanter odium Dei traheret per duas trésve horas, aliud esset formandum iudicium, quàm si per ictum oculi. De intensione, esto ea valdè augeat malitiam, quia tamen nos non possumus illam dignoscere, non est tanta obligatio. Circa vltimum, quòd non possit determinari, quæ sit notabiliter aggrauans, quæ leuiter, dicemus paulò pòst.

SECTIO II.

Amplius confirmatur sententia affirmans.

7 CONTRARIA ergo sententia, quam dixi probabiliorem, suaderi maximè potest fundamentis, quibus idem Tridentinum vtitur ad probandum debere declarari in particulari peccata in confessione, & non sufficere se in communi accusare, *Peccaui*: ait ergo Concilium: *Constat enim Sacerdotes, iudicium hoc incognita causſa exercere non potuisse, neque æquitatem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent*: vnde infert, Debere omnia omnino mortalia declarari, & circumstantias mutantes speciem; quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant, vt de grauitate criminum rectè censere possint. & pœnam, quam oportet pro illis imponere pœnitentibus. Ex hoc discursu licet ipsum Concilium, vt diximus, solùm intulerit necessitatem explicandi circumstantias mutantes speciem (quia de aliis est opinio probabilis negans:) nihilominùs valdè efficaciter nos inferimus, esse eam obligationem, quia reuerà quando sunt notabiliter aggrauantes, vehementer mutant iudicium Confessarij, & aliam per se inducunt obligationem pœnitentiæ imponendæ. Si enim ego sum furatus vnum millionem alter solùm vnum florenum (qui sufficit ad peccatum mortale;) profectò incomparabiliter maior esset inter nos differentia in genere moris, & magis digna quæ à Confessario scirentur, maximè ad rectè imponendam pœnitentiam, quàm si ego duobus actibus distinctis furatus essem, vno vnum, altero alterum florenum, aut quàm si ei furto addidissem circumstantiam simplicis fornicationis, aut sacrilegij; eò quòd ex templo illum florenum accepissem. Nec potest facilè, qui sine præconcepta iam opinione rem considerat, negare, hanc deductionem esse longè probabiliorem quàm argumenta, quæ pro contraria sententia adducuntur.

Circumstantias notabiliter aggrauãtes confitendas esse probatur ex Tridentino.

8 Dices Primò: Hæc mea deductio non est vllius momenti, quia Deus propè infinitè maiori pœna punit illum qui furatur florenum integrum sufficientem ad mortale, quàm puniat eum, qui ob vnum crucigerum minùs acceptum non peccauit mortaliter; illum autem qui millionem furatus florenum furatus est, non cum tanto excessu punit: non est ergo mirum quòd Confessarius etiã ipse non teneatur ita scire excessum mortalium inter se quam mortalis à veniali: etiãsi videatur hic excessus ex parte materiæ longè minor quàm ille, Respondeo; Licet mortale quamdiu non remittitur, maiori eà pœnã puniatur, vt in obiectione dicitur, in ordine tamen ad intentum nostrum optimam esse eam comparationem. Nam remisso iam mortali per pœnitentiam, non videtur probabile Deum non statuere in Purgatorio longè maiorem pœnam pro furto vnius millionis respectu furti vnius floreni tantùm, quàm statuat pro eius floreni furto respectu furti venialis quinquaginta nouem crucigerorum. Cùm igitur pœnitentia à Confessario imponenda vnicè respiciat magnitudinem pœnæ illius, quæ post dimissum peccatum debetur in Purgatorio, optima est illa mea ponderatio, quòd in ordine ad hanc pœnitentiam imponẽdam longè magis necessaria videatur notitia furti integri millionis præ furto floreni, quàm notitia furti floreni præ furto quinquaginta nouem crucigerorum.

Dices Secundò, Manifestum esse, hanc rationem non æquè procedere pro his circumstantiis, ac pro illis quæ mutant speciem; nam si æquè probarent in vtroque casu, ergo Concilium dixisset idem de vtroque. Respondeo, Hinc solùm ostendi eas rationes non vrgere tam clarè & tam certò in his circumstantiis quam in aliis; quod sufficit, vt Concilium in vnis definierit obligationem in aliis præsciderit. At per hoc nequaquam ostenditur, quòd infra limites summæ certitudinis (quæ ad Fidem requiritur) non probent illæ rationes ita, vt reddant nostram sententiam probabilem & probabiliorem contraria: quod solum nos intendimus: neque enim volumus vllo modo nostram facere de Fide, sed deductam magis probabiliter ex principiis Fidei.

Respondebis Secundò: Sine notitia circumstantiæ mutantis speciem non scitur peccatũ in specie. Sed contrà, quia eodem modo si non sciam illum furatum esse millionem, non scio peccatum in individuo, non solùm in individuo physico, vt sic dicam, sed nec morali. Id quod fortùs vrgetur contra Cardinalem Lugo, qui ea solutione vtitur: nam ipse ait, Si ego occidi Petrum, & in confessione dico me occidisse Ioannem (suppono aliunde non esse maiorem grauitatem in vno quàm in altero, nec vllam penitus aliam differentiam) me tunc non confiteri validè: quia non dico illud peccatum quod feci, sed aliud. Inde argumentor: Tunc dico peccatum quod feci in specie & moraliter in individuo: quia, vt dixi, idem est moraliter quòd occiderim Petrum ac si occidissem Ioannem: ergo ad notitiam in Cõfessario requisitam non sufficit dicere peccatum in specie sed in individuo. At ille qui dicit se furatum materiam grauem, non dicendo vtrùm millionem, an verò vnum florenum, non dicit moraliter loquendo peccatum in individuo quod fecit: nam nemo per illa verba suspicatur eam maximam pecuniæ summam significari. Confirmo id rursus ad hominem: quia idem ipse Auctor fusè conatur contra Patrem Vasquez probare, si quis vno ictu occidat centum homines, in rigore non magis esse ibi plura peccata, quam si vna vice accipiat furto ex mensa centum aureos, maximè si hi sint diuersorũ dominorum: quo casu sicut occidens centum facit diuersis damnum, ita accipiens eos centum facit diuersis damnum: quam paritatem fusissimè hac sectione probat (vt dixi) contra Patrem Vasquez: ex ea autem obiicit sibi: In tali casu non sufficiet dicere, *Feci homicidium*: ergo nec sufficiet

9

Cardinalis Lugo non satis cohaerenter loquitur.

sufficiet in furto mille aureorum dicere, *Furatus sum rem grauem*: respondet autem, Ideò non sufficere dicere, *Feci homicidium*, quia vox illa *homicidium* videtur significare mortem vnius tantùm.

Ex hac solutione sic ego ad rem nostram argumentor: Nam quamtumuis ea vox *homicidium* ex se non neget plures esse occisos; quia tamen communiter homines non solent intelligere nisi vnum, non sufficit dicere, *Feci homicidium*; ita eodem prorsus modo dico, esto ea vox *furtum vnum* non neget fuisse vnius millionis; quia tamen nullus in communi acceptione solet eam grauitatem apprehendere, profectò debet ea vox vsurpari pro longè minori materia; ac proinde per eam non declarabitur peccatum hoc numero, quod factum est, sed aliud. Quidquid autem sit de his vocibus,

Secundò argumentor, Quia saltem in casu illo, quo vno ictu occidit decem, satisfaceret (iuxta doctrinam huius Auctoris (si pœnitens diceret, Feci homicidia; iam enim ponit vocem in plurali, quæ planè nullam habet limitationem, sed ex integro est indifferens ad duo, tria, centum, mille; sicut furtum ad furtum vnius floreni, duorum centum, mille, millionum; quis autem quæso audebit dicere, si ille homo voluit, & re ipsa occidit centum, sufficere dicere in confessione, Feci homicidia? Quòd si sacerdos sit simplex, & nihil amplius quærat ab eo pœnitente, hunc tamen sufficienter suum declarasse peccatum. Quòd si illa vox adhuc non placet, ponamus aliam: si quis dicat, *Ego fui homicida*; hæc enim indifferens est ad multa homicidia significanda: & tamen non posset probabiliter dici id sufficere pro confessione in eo casu; ergo cùm (iuxta hunc Auctorem) eadem sit ratio quoad præsens de furto mille aureorum, & de homicidio centum hominum vno ictu facto, v.g. accendendo pulueres, & omnes illos centum excutiendo in aëra; &c. profectò si ibi non teneor dicere, me furatum mille, aut centum millia, nec tenebor etiam dicere, me occidisse centum: quod, vt dixi, videtur esse planè contra mentem omnium etiam contrariæ sententiæ Auctorum.

11 Vbi, antequam replicam contra discursum à me factum dissoluam videtro, Patrem Vasquez supra, cùm sibi obiecisset hanc instantiam de eo qui vno ictu occidisset duos, qui tamen tenetur numerum dicere, respondisse negando consequentiam ad quantitatem furto acceptam: disparitatem autem assignat; nam quando circumstantia supponit iam malitiam, tunc est aggrauans, & non est obligatio eam dicendi; quando autem eam non supponit, tunc ait debere explicari. Cùm ergo occisio Petri non supponat Pauli occisionem, necessum est vtram que declarare. Hæc ille; quæ tamen non videntur vllo modo subsistere. Idem enim ego dicam de furto, si pecunia, quæ est in mensa v.g. sit media pars Petri, media Ioannis; eo enim casu malitia furti pecuniæ Ioannis non supponit vllo modo malitiam furti pecuniæ Petri, quia omnino independenter à furto vnius pecuniæ furari potui alteram: & è contrario sicut dicit Vasquez potuisse me occidere Ioannem, esto nihil de Paulo cogitassem, & è contrario: & tamen quantumvis mihi constaret de diuersis dominis illius pecuniæ, non teneret in sententia Vasquez illam materiam aggrauantem dicere: ergo ea disparitas nulla est: & verò hæc ipsa ratio nullo modo pendet a eo, quòd illa pecunia sit diuersorum: etenim si sint in mensa duo cumuli Ioannis, in quolibet centum ducati, si vno ictu accipio vtrumque cumulum, certissimum est furtum vnius cumuli non magis supponere furtum alterius, & è contrario, quàm occisio Petri non supponat Pauli occisionem: ergo si vterque est occisus vno ictu, sicut vtraque pecunia est vnica volitione accepta (vt supponimus) non poterit esse maior ratio declarandi ea duo homicidia quam ea furta: vel è contrario non minor obligatio hîc quàm ibi. si discursus Patris Vasquez probare aliquid iudicandus sit: vnde tandem constat non posse aliquam bonam in hoc puncto differentiam assignare. Iam videamus quid è contrario obiici nobis possit

Dicet ergo aliquis, Nimis multùm probari nostro discursu: nam in homicidiis non solùm teneor dicere numerum notabiliter aggrauantem, sed quemcumque maiorem: at in furto non quamcumque maiorem quantitatem teneor, sed notabiliter maiorem. Respondeo, Me vsum argumento ad hominem ex Cardinalis doctrina tam fusè contra Vasquez probata. Absolute enim in homicidio videntur mihi esse distincta numero peccata iuxta distinctionem hominum: ratio est, quia in communi acceptione hominum (in qua sumus, dum agimus, an dicatur vnum, an duo peccata) vnus homo cum altero non facit vnum moraliter loquendo, sed quilibet censetur disparatus respectu alterius: vnde occisio duorum non dicitur moraliter vna occisio, seu duplex, seu duæ occisiones: at vna pecunia cum altera facit vnum quid, vnam summam: ac proinde furtum eius summæ moraliter reputatur vnum peccatum, vnum furtum: & ex hoc capite non est necessum quemlibet excessum declarare, quia semper est vnum peccatum, seu vnum furtum: solùm ergo debet declarari quando circumstãtia auget illud numero peccatum notabiliter, propter rationes factas. At in homicidio, cum ex quolibet homine occiso fiat nouum peccatum numero distinctum moraliter, non mirum si tamquam distinctum peccatum debeat explicari. Hanc ego disparitatem puto absolutè veram: argumentum autem suprà formaui ad hominem contra eum Auctorem, vt dixi.

Quare singula homicidia explicanda in confessione

SECTIO III.

Amplius confirmatur præcedens discursus.

Effugium P. Vasquez præcisum.

PAter Suarez disp.12.sect.5.etsi sententiam nostram, vt dixi, defendat: hunc tamen discursum præcedenti sectione à nobis pro illa factum non videtur approbare: ait enim, Casu quo aliquis occideret vno ictu duos pluresve homines, ideò præcisè fore in confessione obligandum ad numerum, non quia sint ibi multa homicidia, vt diximus, sed quia illa multitudo est circumstantia aggrauans: porrò non fuisse ibi multa homicidia probat à simili: nam dare eleëmosynam diuersis pauperibus non sunt multi actus eleëmosynæ, ergo neque occidere multos homines vno ictu erunt multa peccata. Quòd si ideò respondeas, eam elargitionem eleëmosynæ dici vnum bonum opus à totâ illâ summâ pecuniæ, quæ datur in eleëmosynam, vtget: ergo è contrario si quis decem pauperibus extremè indigentibus 11

digentibus neget eleëmosynam, erit illud vnum peccatum ab vna illa summa negata, quia contrariorum eadem est ratio. Respondeo tamen ad hanc vltimam replicam (cetera enim eo ipso soluta sunt) Eo casu illam negationem eleëmosynæ extremè indigentibus ideò iudicari multa peccata, quia per illã negationem illi homines quasi occiduntur moraliter, ideóque iam reditur ad eam priorem nostram doctrinam; in eleëmosyna autem iis pauperibus data non reperiuntur effectus illi disparati, à quibus dicantur vacari actus virtuosi. Adde, cùm tota hæc distinctio numerica peccatorum sit à Doctoribus ea maximè de causa inuenta, vt explicetur obligatio ea peccata declarandi in confessione, & circa actus bonos non sit id necessarium, vti est in malis; ideò reputari moraliter multa peccata illum actum qui multos occidit; at illum qui multis benefacit non vocari è contrario multos actus; neque in re morali, & ad acceptionem vocum pertinente quærendum est maius mysterium.

Cur negatur eleëmosynam pluribus extremè egentibus sint plura peccata: dare autem simul pluribus non sint plures actus eleëmosynæ.

Vnde respondetur obiectioni alteri quam adducit idem Suarez de amore vnico circa decem homines, qui non dicitur decem amores; ergo neque è contrario homicidium vno ictu decem dicetur decem peccata; huic inquam respondetur, In actu malo ob rationem datam præcisè considerari eam multiplicitatem non quidem physicam, nam in hoc pares illo duo sunt, & hoc probant maximè argumenta Suarez, sed moralem. Respondeo Secundò, Assignati etiam posse aliam diuersitatem, quòd amor vt putè sistens intus, cùm non causet exteriùs diuersò; adæquatè & numero effectus, non dicitur moraliter multiplex bonus actus; sicut è contrario occisio decem dicitur decem homicidia; ac proinde si odium decem accipiamus fortasse ex hoc capite nõ faciet decem peccata, nec quidem moraliter. 13

Replicabis cum Patre Suario & Lugo, Si quis vno ictu comburat aut velit comburere domum cum tota sua familia, quæcumque illa sit, non potest actus ille dici habere plures malitias, quot enim illæ erunt? & tamen necessum est explicare grauitatem obiecti; ergo ea obligatio non oritur ex eo, quòd illa voluntas sit multa peccata. Respondeo, Hanc obiectionem meo iudico esse etiam contra Suarium; nam quòd ille interrogat tamquam impossibile in mea sententia, scilicet Quot erunt ibi peccata? ego interrogabo eodem modo contra illum, Quanta est ibi grauitas materiæ? nam sicut ego ex numero hominum occisorum desumo numerum moralem peccatorum iuxta dicta; ita ipse Suarez ex eodem numero hominum occisorum desumit grauitatem maiorem eius peccati, quod ipse vocat vnum: si ergo ego, quia non scitur numerus occisorum, non possum numerum peccatorum dicere, eadem ratione nec poterit ipse dicere illius vnius peccati grauitatem. Vides difficultatem planè esse communem? Vti ergo Suarez debet respondere, cùm peccati magnitudo non desumatur ab effectu, sed ab intentione, oportere in eo casu rursus quærere, non quot homines re ipsa in ea domo ille occiderit; fortasse enim vel præter illius opinionem nullus erat; fortasse omnes euasere; fortasse erant longè plures quàm ille cogitauerat; est ergo quærendum, quot ille præter propter apprehenderit esse ibi; & sicut iuxta illum numerum Suarez auget malitiam illius vnius homicidij, ita ergo multiplico numero homicidia, & ex eis moraliter multiplico numero peccata occisionis. Vides quàm facilè res hæc componatur?

Quòd denique Suarez dicebat, Hanc obligationem explicandi quot homines ille vno ictu fuerint occisi non pendere ab eo, quòd illa volitio sit vnum aut multiplex peccatum; vnde ille argumentatur contra negantes circumstantias intra eadem speciem notabiliter aggrauantes esse declarandas; quandoquidem hæc debet declarari, esto solùm aggrauet, non autem multiplicet numero peccatum; hoc inquam mihi etiam placuisset, si quod paulò superiùs insinuauimus, quælibet circumstantia aggrauans in aliis etiam materiis esset declaranda. Ipse enim fatetur, & meritò, si in furto materia mortalis sit florenus, non esse necessarium, si furatus sim duos, id explicare, sed eam obligationem tunc solùm dari quando circumstantia notabiliter aggrauat, at in homicidio, si vel vnum ampliùs hominem occidi, teneor id declarare; ergo hæc obligatio vel non oritur ex ea regula generali; vel recurrendum ad nostram explicationem, quòd scilicet illa homicidia non faciant moraliter vnum quid, sed multa, ideóque tamquam moraliter multa homicidia debeant declarari; & reuerà non video ego viam, qua meliùs hæc omnia combinentur quàm hæc sit. 14

Dices tamen adhuc: Ergo si quis furatur pecuniam diuersorum dominorum, non sufficeret dicere, *Furatus sum tantam materiam*: sed debebit dicere, fuisse diuersorum, seu se diuersis personis intulisse damnum. Si quis v. g. furetur rem pertinentem ad plures hæredes: respondebis, Eo casu ius illud ad hæreditatem non fuisse multiplex, sed vnicum residens pro indiuiso in omnibus hæredibus. Hæc solutio non satisfacit; nam potest ea pecunia furto accepta, fuisse diuersorum dominorum sine vlla connexione illorum in iure; vt si quilibet in eodem sacco posuisset centum florenos. Meliùs ergo dicitur, pro malitia furti non considerati nisi quantitatem rei ablatæ; quòd autem ab hac aut ab illa persona, esse per accidens, nisi speciale inde & graue alicui ex illis nocumentum proueniat, de quo nunc non agimus; ac proinde in genere moris idem esse, siue vni siue duobus auferatur, nec esse necessum dicere, vnam, aut duas, aut tres fuisse eas personas à quibus furatus sum. Non ita in homicidio, quia hoc respectu eiusdem personæ non habet propriè magis & minùs, ideóque non potest in ipso considerari maior aut minor summa, sed quòd vnum sit distinctum moraliter ab altero, & ideò vt tale explicandum in confessione.

An qui furatus est à pluribus, debeat eam pluium circumstantiam confiteri.

Denique confirmo meum discursum alia instantia valdè clara. Nam si vnus Sacerdos, ne oret, proiiciat Breuiarium in mare, quando nauigatio non est nisi duorum summùm dierum, alter verò quando nauigatio est trium mensium; nemo dicet hunc satisfacere dicendo, Proieci Breuiarium in mare, sed explicare debere necessariò, quam putauerat futuram diuturnam eam nauigationem, quia illæ recitationes diuersorum dierum non vniuntur inter se, vt faciant vnum quid: etenim obligatio orandi vna die est planè independens per se ab obligatione alterius dici. Porrò eum Sacerdotem magis teneri dicere quàm illum qui solùm ad vnam diem putauit se reddere incapacem ad orandum, videtur ex terminis notum. Neque hîc potest recurri ad vocem externam, sicuti paulò antè dixêre nonnulli de ea voce *homicida*: etenim vox illa, 15

An reddens se incapacem orandi Breuiarij debeat confiteri singulas vices quibus omisit peccè.

Proieci

Proiecì Breuiarium in mare, ex se tam est indifferens ad significandum tempus longissimum quàm breuissimum futuræ nauigationis; ergo si Auctores nolint hîc agnoscere multa peccata, sed solùm circumstantiam aggrauantem, debebunt concedere eas circumstantias esse declarandas.

An vnico consilio inducens plures ad peccandum debeat eam pluralitatem explicare.

Id quod vlteriùs vrgeo alia instantia apud omnes fere certa, si scilicet ego directè suadeo vno argumento, aut vno imperio, mando diuersis vt furentur, certò obligor dicere quot homines ego induxi vt sint fures; nec sufficit dicere, me suasisse furtum, quia reuerà ego sum caussa moralis directa & per se omnium eorum furtorum; ergo teneor dicere quot. Item si aliis vno argumento suasissem vt essent homicidæ, non sufficisset dicere, Suasi homicidium, sed, Suasi duobus, tribus, &c. ergo si ipse immediatè occidissem plures, etiam id debuissem explicare; ergo circumstantia aggrauans debet explicari.

Fortè respondebis, Quando aliquibus suadeo vt sint fures, ego sum caussa moralis saltem mediata peccatorum quæ illi committunt; sicut ergo illi committunt multa, ita ego sum caussa multorum; ac proinde ego debeo etiam numerum dicere illorum quibus id suasi; at quando vno ictu occido multos, non sunt ibi multæ actiones occidendi, sed vna. Respondeo, Meum consilium & persuasionem etiam in eo casu esse vnum, & illud solum esse quod mihi est peccaminosum; nam aliorum peccata solùm se habent per modum obiecti respectu mei consilij, ac proinde ex eo quòd deinde plura aut pauciora homicidia sequantur, ego iam non pecco plus aut minùs quàm peccauerim dum consilium dedi; ergo ea præcisa ratione obligor, quòd damna moralia illata sint multa: hæc autem ratio eadem est in nostro casu; nam homicidia facta per illam actionem etiam sunt multa; est ergo eadem ratio vtrobique; ergo debent etiam circumstantiæ aggrauantes intra eamdem speciem declarari.

SECTIO IV.

Aliorum argumenta pro eadem sententia; & quæ sit indicanda circumstantia notabiliter aggrauans.

16 DIco hac eadem conclusione Tannerus supra congerit diuersos antiquos Canones Ecclesiasticos, quibus videtur declarari obligatio confitendi eas circumstantias: hos eosdem adduxerat, licet non tam fusè, Pater Suarez; ego tamen eis non vtor, quia nec sunt adeò pro nobis expressi; nec aliud videtur ex illis inferri quàm particularis aliquorum vsus in his circumstantiis explicandis.

An verum sit illud, Non tenetur pœnitens omnia sponte dicere, quæ tenetur interrogatus.

Agumentatur præterea Suarez Quia si Sacerdos interroget grauitatem materiæ, tenetur eam pœnitens declarare, ergo e iam non interrogatus debuit eam dicere. Negant Aduersarij consequentiam, quia multa potest interrogare Sacerdos, quæ pœnitens à se non tenetur dicere Hæc tamen solutio licet fortè in aliis rebus, quæ propriè non sunt peccata, deseruiunt tamen ad hoc, vt Confessarius intelligat peccatum ipsum, locum habere possit, in his tamen quæ peccata sunt, non video cur teneatur respondere, si à se aliquin non tenebatur ea dicere; excusatur quidem aliquando pœnitens non dicendo id ad quod tenetur, quia id facit ex simplicitate: quando autem Sacerdos interrogat debet respondere: quòd tamen ablata ignorantia non teneatur à se dicere, & interrogatus teneatur respondere, non facilè capio: vti quia non est de necessitate dicere venialia, eo ipso esto interrogetur, an illa habeat, non tenetur id dicere: habet autem hæc instantia è venialibus maiorem vim, quia ea vtuntur sententiæ aduersæ Auctores vt suprà vidimus. Denique (vt optimè ponderat Suarez) iudicij huius confessio non est violenta; sed voluntaria; ergo non tenetur pœnitens fateri interrogatus seu coactus plus quàm tenebatur voluntariè & à se ipso. Omitto alias probationes Tanneri & aliorum, quæ minoris momenti sunt, & possunt facilè explicari. Hæc nobis sufficiant ad maiorem huius sententiæ probabilitatem ostendendam.

17 *Quanta debeat esse circumstantia aggrauans, vt qui eam teneatur confiteri.*

Circa secundam partem tituli quærimus Quandoquidem non quælibet circumstantia aggrauans necessariò est explicanda in confessione, quæ debeat censeri notabiliter aggrauans. Aliqui putant eam quæ duplicat materiam, si v.g. materia ad mortale sufficiens in furto est florenus: tunc qui furatus est duos, tenebitur id dicere, & consequenter omnem maiorem quantitatem supra duos, vti duos & medium, tres, &c. quia iam illa quantitas respectu floreni est notabiliter aggrauans mediæ ex parte, imò plus. Hæc resolutio videtur dura Patri Suario: mihi tamen potiùs videtur in praxi suauis, Nam si non iudicetur circumstantia aggrauans, nisi quæ ascendit ad decem florenos, ideò pœnitens qui nouem est furatus non teneatur dicere nisi, Feci furtum peccati mortalis: profectò esto re ipsa non sit furatus nisi duos florenos, quia tamen Confessarius sciret, esto furatus sit nouem, posse eam summam reticeri, habebit tunc ex eo modo confitendi occasionem, vt suspicetur pœnitentem furatũ esse nouem: ideoque ex hoc capite poterit potiùs bona æstimatio pœnitentis apud Confessarium: si autem statim dixisset, Furatus sum duos, impediuisset illam suspicionem: potiùs ergo ex hac parte iudicanda est suauior ea sententia. Quia tamen ex altera parte potest, esto re ipsa furatus sit nouem, suspicari Sacerdos eum furatum esse tantum quatuor, aut duos, videtur compensari illud periculum: ideò, quidquid sit, an ex hoc capite dici debeat durior, an suauior, d eo aliunde, nullo modo esse duram, quia quò minor est ille excessus, eò obligatio illum dicendi minùs nocet pœnitenti: quia supposito quòd dicat se furatum esse materiam peccati mortalis, nihil ei nocet si dicat parum, etiam vltra illam.

18 *Resolutio quæstionis, & quid pro hac materia obseruandum.*

Pro solutione aduerte, In hac quæstione solùm esse dubium de vno determinato termino: nam illo assignato, iam quidquid supra illum fuerit, semper erit aggrauans notabiliter respectu materiæ infimæ sufficientis ad mortale. Vnde ex hoc capite est hic longè minus difficilis resolutio quàm in aliis taxationibus, in quibus semper est necessarium nouum & nouum iudicium prudens. Hoc posito dico, Si materia v.g furti, gravis infima est florenus, videri satis probabile si quis fateatur quinque, debere iam obligari ad id dicendum, & consequenter à fortiori si quinque & medium, &c. quia licet ille medius non aggrauet notabiliter, aggrauat tamen simul cum alijs respectu vnius floreni, quem supponimus esse

esse materiam, supra quam cadit aggrauatio, & respectu cuius reliquæ omnes summæ superiores semper sunt aggrauantes; & quò magis eis summis additur, redduntur magis aggrauantes; ideóque semper omnes illæ debent explicari. Nec video cur Suarez dicat totum hoc relinquendum conscientiæ pœnitentis, vt quando ille iudicet se notabiliter excessisse modum ordinarium peccandi, tunc teneatur id explicari; mirror inquam hæc dici, cùm modus ordinarius peccandi pro præsenti materia sit ille, qui præcisè sufficit ad mortale, v.g florenus in furto; ad sciendum autem quæ quantitas addita floreno notabiliter excedat florenum, non est necessaria vllo modo conscientia pœnitentis, vt per se patet, sed hoc à non peccantibus potest decidi tam benè quàm à peccantibus. Mihi sanè valdè probabile videtur quod dixi quinque florenos, alius forte dicet solos quatuor augere notabiliter eam materiam; & tunc iam habetur pro reliquo superiori augmento regula generalis.

An circumstantia intensionis sit in confessione explicãda.

Circa intensionem fortè posset ex hoc capite esse difficultas, quia in ea non possumus agnoscere, an sint duo, an tres, an quatuor gradus; quomodo ergo sciemus quando est obligatio illam declarandi; Respondeo, Me ideò suprà dixisse vix vmquam esse obligationem illam manifestandi, quia nobis est valdè incognita; illud tantùm possumus asserere cum Suario de ea vehementia affectus & valdè extraordinaria, quæ debet iudicari notabiliter aggrauans, neminem melius posse decernere quam ipsum pœnitentem. In duratione facilior res est, quia clarè ea potest dignosci; in ea autem si quis vno quadrate perseueraret in volitione peccaminosa, non dubitatem id debere explicari, à fortiori autem si diutiùs, eo modo quo de furto diximus; quando autem duratio dici vnius v.g. debeat censeri vnum peccatum, quando verò duo, tractaui Tomo 3. disp. 43. sect. 6.

Quid de duratione dicendum.

SECTIO V.

Explicantur breuiter aliquæ circumstantiæ mutantes speciem, quæ debent in confessione manifestari.

19 SI Scholasticam methodum rigorosè tenere vellemus, hac de re nec verbum nobis agẽdum hîc esset. Vti enim ratione confessionis non est nobis hîc tractandum, quæ actiones sint peccata, quæ verò non; ita neque agendum esset, quæ circumstantiæ dent distinctam speciem, quæ verò non. Alioqui sub hoc prætextu, quæ scilicet teneamur dicere in confessione, deberemus huc intrudere omnes omnino ad vnam morales materias; quod esset valdè absonum. Perinde ac si quis tractans materiam de Fide ageret ibi de omnibus omnino mysteriis, quæ tenemur credere; & è contrario de his quæ sunt extra obiectum eius Fidei. Nihilominùs cedendo multorum praxi aliqua hîc dicemus breuiter de his circumstantiis: de quo puncto fusissimè agit Cardinalis Lugo tota fere disp. 18. quæ longissima est. De his circumstantiis egi Tomo 3. disp. 43. sect. 6. vbi tradidi regulam dignoscendi, quando mutent speciem, quando non; illis suppositis,

SVBSECTIO PRIMA.

Proponuntur aliqui casus circa obligationem confitendi eas circumstantias.

PRimus est, An Religiosus peccans contra castitatem teneatur dicere se esse Religiosum, an sufficiat dicere se habere votum castitatis. Respondeo, Non esse necessarium aliud dicere quàm se habere votum: ita Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp 23. quia votum castitatis in Religione non obligat nisi vi virtutis Religionis ipsi voto intrinsecæ. Contrarium sentit Lugo, quia putat Religiosum se tradere Religioni, sicut vxor se tradit marito; ac proinde sicut vxor peccat contra dominium mariti, ita Religiosum peccare contra ius quod habet Religio; hæc tamen ratio mihi videtur supponere falsum. Etenim vxor ideò peccat contra ius maritii, quia hic habet ius vtendi corpore vxoris: contra quod ius est vsus cum alio viro. At Religio nullum habet ius vtendi corpore Religiosi; nec per votum castitatis Religiosus se subdit Religioni, sed soli Deo: per votum autem obedientiæ explicatur ea traditio, ac proinde castitatis violatio non est immediatè contra ipsam Religionem.

Religiosus peccans contra castitatem satisfacit confitendo solum votum se violasse.

20 Secundus casus, An si quis habeat votum castitatis, & suadeat alteri, aut indirectè det illi occasionem peccandi contra castitatem, teneatur id explicare: qua occasione agitur hîc fusè à nonnullis, ad quod vitium spectet scandalum, de quo egi suo loco Tomo 3. In præsenti dico, Etiamsi dum alteri suadeo luxuriam, peccem contra castitatem absolutè, non tamen me peccare contra votum meum castitatis: quia votum meum non fuit nisi de seruanda in me castitate: sicut si fecissem votum virginitatis non peccarem contra illud suadendo alteri, vt duceret vxorem: ac proinde ex hoc capite nec quidem tamquam circumstantia aggrauans est necessarium illud votum explicare: secùs si fecissem votum non inducendi alium in luxuriam.

Obstrictus voto castitatis suadens alteri peccatum luxuriæ non peccat contra suum votum.

Tertiò quæritur, An si alterum habentem votum castitatis induxi ad luxuriam, debeam dicere illum habuisse votum. Communiter videntur Auctores supponere id esse necessarium, quia illud scandalum participat malitiam ex malo ad quod inducit proximum. Lugo tamen ea sect. 4. num. 159. distinguit, si scandalum sit caussa directa, quia proximo hoc suadeo & intendo vt fornicetur, vt inebriet se, &c. admittit eam sententiam communem: si autem præter meam intentionem & indirectè tantùm id sequatur ex mea actione, tunc putat esse solam malitiam scandali, nec teneri me aliud dicere, quàm me fuisse caussam quòd alter peccauerit grauiter. Disparitatem assignant, quod quælibet virtus v.g. castitas me obligat non solùm vt ego sim castus in me, sed ne positiuè impediam, quò minùs alij sint casti; non tamen me obligat, vt ego procurem positiuè illos esse castos: sicut Prælatus Petri, v.g. obligans illum ad ieiunium, obligat simul me indirectè, ne ego Petro consulam ieiunij violationem: non tamen ideò me obligat vt positiuè procurem Petrum ieiunare, aut vt impediam ne non ieiunet.

Quid si persuasus habui votum etiam teneatne fatebor id confiteri?

Ego tamen in hac doctrina magnam video difficultatem. Primò, quia esto dicamus cum sententia communi castitatem obligare me ad vitandum

tandum illud scandalum etiam indirectum, ex quo Petrus peccaturus est contra castitatem;non tamen ideò cogeremur dicere castitatem:obliga ad positiuè procurandam Petri castitatem:ergo cùm omissio scandali non sit procuratio positiua castitatis alienæ,sed ablatio causæ, quæ alterum induxit ad non seruandam castitatem; ad hanc autem ablationem causæ, iam hic Auctor fatetur me obligari per castitatem: non ei fauet, quòd non tenear positiuè procurare castitatem proximi. Vnde videtur mihi aliqua æquiuocatio commissa in ea doctrina,dum in ea dicitur obligari me ad cessandum à scandalo, esse obligari ad procurandam positiuè in altero castitatem: & dum inde infertur, Castitas non obligat vt positiuè procurem Petri castitatem :ergo neque me obligat ne dem illi indirectè occasionem luxuriæ.

21 Secundò displicet ea doctrina; quia si non obstante quòd indirectè tantùm sim causa eius peccati, nihilominùs contraho absolutè malitiam grauem ex illo effectu, seu ex illo damno secuto in proximo; cur quæso non contraham diuersam ex diuerso malo quod in eo causo? Ná malitiam vt sic ego non causo in proximo, sed malitiam luxuriæ,aut ebrietatis; quia malitia vt sic nec à me agnoscitur tunc,nec præscindo tunc à particularibus speciebus; sed determinatè,vt supponimus, video me inducere illum in luxuriam; ergo non facio contra charitatem inducendo illum in malum vt sic, sed in malum contra castitatem; ergo si ab inductione in malum participo rationem mali, profectò ob inductionem in malum hoc contraham malitiam hanc in specie:fateor me illam ipsam non contrahere tam grauiter, quàm si directè suasissem; id tamen non probat magis de ipsa specifica malitia luxuriæ quàm de malitia vt sic, seu de malitia scandali,seu contra charitatem;quia omnes illas contraho longè minùs quando indirectè induco quàm dum directè; ac proinde siue dicendæ sint duæ malitiæ, siue vna, tenebor semper dicere ad quod peccatum induxerim; vt videntur ferè omnes docere, vno aut altero excepto.

An iis qui neglexit fraternam correctionē tenentur confiteri in qua specie peccati neglexerit.

Dices: Qui omittit correctionem fraternam, etsi peccet contra charitatem, non tamen contrahit malitiam eius peccati, quod non corrigit ergo neque hic.Respondeo Primò, Hic habere locum quod dicit Lugo, virtutem v. g. castitatis me non obligare ad positiuè procurandum vt alij seruent castitatem corrigere autem alterum iam est positiuè procurare vt ille sit castus,&c. at dare scandalum plus est quàm non procurare positiuè vt alter sit castus, seu plus est quàm proximum non corrigere: est enim è contrario dare positiuam causam, vt ille contra castitatem peccet, non est ergo bona consequentia ex vno ad alterum.Secundò dico;Cùm correctio fraterna iam supponat hominem lapsum, & quasi per se ordinetur ad hoc vt surgat, non ita pro illa considerari speciem peccati,quàm quòd non agat pœnitentiam;ac proinde eam omissionem non habere malitiam ex specie peccati, sed ex damno non recipiendi iterum gratiam, &c. Quòd si aliquando etiam obliget ea correctio ad impediendum peccatum, tunc ego non dubitarem dicere obligari etiam me ad dicendum in confessione, in qua specie ille homo, quem non correxi, periclitabatur, quia reuerà tunc debeo dici causa illius peccati.

Quod diximus de scandalo,à fortiori dicendum est,Si quis habens votum castitatis peccet cum altero habente simile votum, , quia ibi datur maior adhuc cooperatio in peccatum alterius; & verò id habet etiam locum in sententia Cardinalis Lugo,vt expresè ipse docet hac eadem disput.num. 14. & num. 28 ter eumdem casum tractans:) vti etiam quando vxoratus peccat cum maritata: quam obligationem ipse reducit ad hoc, quòd sit diuersa specie obligatio, qua castitas obligat me, vt ego sim castus, ab ea qua obligat ne alios ad luxuriam inducam: ego tamen pro hac doctrina meliorem iudico rationem Sanchez, Vasquez & Salas, quòd in tali casu fiat duplex iniuria in adulterio contra duas personas; vti in Religioso cum Religiosa fit duplex sacrilegium:vnum ex parte viri,alterũ ex parte fœminæ.Respondet Lugo,Hoc quidem verum esse,non tamen habere locum in sententia negante circumstantias purè aggrauantes debere explicari in confessione quia ea est circumstantia purè purè aggrauans. Verùm iam dixi duo homicidia etiam vno ictu facta esse duo peccata:id quod etiam habet in præsenti locum, quia ibi est transgressio duplicis voti castitatis in duplici persona. Ratio allata ad probandum aliunde eam sententiam,eò quòd sit diuersa obligatio castitatis pro me ac pro castitate aliena,habet contra se aliquam difficultatem; quia in rigore non est ibi duplex specie obligatio,sed vna, minùs tamen quemlibet obligans circa castitatem alienam quàm circa propriam: cùm enim materia circa quam sit eiusdem speciei, & circa personas etiam eiusdem speciei,non video quare debeat esse ea obligatio diuersa in specie propriè loquendo:ergo ex hoc capite adhuc ea erit circumstantia aggrauans intra eamdem speciem.

22 *Obstrictus voto castitatis peccans cū alia persona etiam obstricta illi voto debet vtrumque explicare.*

Illud restat circa præsens punctum, vtrùm quando fui scandalo aliis teneat non solùm peciem peccati, sed etiam numerum personarum quas scandalizaui dicere. In sententia, quæ docet aggrauantes circumstantias debere explicari, haud dubiè idem erit in præsenti dicendum: in negante tamen putaret quis non esse necessarium,quia ea multitudo non causat diuersitatem specificam;nihilominùs etiam iuxta eam doctrinam puto declarandum quoad fieri possit numerum, vti diximus de eo qui vno ictu occidit multos homines: quia reuerà eadem est vtrobique ratio: & nullus est qui neget,si directè suadeo decem hominibus vt fiant fures me id teneri confiteri:ergo si meo exemplo,esto indirectè, re ipsa eos ad furandum induco, debebo eum numerum explicare semper. Dico, *si induco re ipsa*; iam enim non disputo, quando debeam dici inducere,& peccare peccato scandali, sed id aliunde suppono ex Tomo 5. disput.de Charitate.

23 *An is qui præbet scandalū debeat numerum personarum quibus dedit confiteri.*

Quæritur Quartò,An Religiosus violans præceptum Superioris faciat contra duo præcepta, & voti & obedientiæ,ac proinde teneatur id declarare Respondeo, Si independenter à voto possit Superior obligare sub peccato,tunc contrahi duas malitias, vnam contra votum, alteram contra obedientiam, ideóque vtramque declarandam: si verò non aliam habeat quàm ex voto,ita vt esto maneret homo subditus, & deberet ei obedire,non tamen ad id teneretur sub peccato graui: tunc dico non fore nisi vnicam malitiam in transgressione præcepti Superioris, cui ex voto tantùm teneor sub mortali obedire.

An Religiosus violans præceptum Superioris cōmittat duplex peccatū.

Qua occasione fusè à nonnullis tractatur hic, An res præcepta eo ipso ponatur in illa specie virtutis, in qua est illa materia. De quo puncto ego fusè egi Tomo 3. disput. 41. sect vltima; vbi ostendi, frangere ieiunium, ad quod teneor ex voto, non esse contra virtutem naturalem abstinentiæ; & idem dico, Si Superior mihi mandasset grauiter illud ieiunium, nihilominùs addo, non videri sufficiens dicere in confessione, Peccaui contra votum, sed debere dici in qua materia; quia esto haustus vini v.g. temperatus, factus tamen contra mandatum Superioris, non contrahat indecentiam eius speciei, quam habet ebrietas; contrahit tamen diuersam malitiã, quam si mihi esset mandata celebratio Sacri, & eam omisissem. est ergo per se obligatio eam malitiam in confessione declarandi.

SVBSECTIO SECVNDA.

Alij casus explicati.

24 *An eunuchus peccans contra castitatẽ teneatur eam circumstãtiã confiteri.*

QVintò quæritur, An qui fornicatur, si sit eunuchus, aut alioqui impotens, teneatur hanc circumstantiam dicere. Hunc casum bis tractat Lugo sub eisdem terminis & n. 178 & num. 338. vbi contra Filliucium benè ait eam circumstantiam esse declarandam, non solùm quando secuta est copula, sed etiam in voluntate efficaci & desiderio eam habendi: quam sententiam tenent Henriquez, Lessius, & Sanchez, quos ibi citat: ratio autem est, quia ea circumstantia transfert fornicationem illam ad peccatum contra naturam, éstque quasi in specie pollutionis, cùm ea copula nullo modo ordinetur ad generationem humanam.

An sponsata teneatur suam circumstantiam fateri, si peccauit in sponsalibus.

Sextò, An si sponsa de futuro peccet ante matrimonium contractum, teneatur explicare se habuisse sponsalia. Aliqui negant, quia nondum est alieni iuris; vti qui habet votum Religionis, si peccet contra castitatem non tenetur illud votum explicare; quia licet habeat implicitum votum emittendi deinde votum castitatis, hoc tamen votum adhuc non habet. Alij affirmant, quia cùm ex contractu teneatur se crastina die v.g. quasi vendere sponso, iniquè facit, si hodie se reddit peioris conditionis: vt qui teneretur hodie ex contractu vendere cras equum, faceret contra iustitiam, si hodie eruto oculo equi illum priorem redderet. Tertiò alij dicunt, A fœmina sponsa peccante debere explicari eam circumstantiam, non tamen à sponso. quia grauius est sponsam peccare, & grauius dedecus subit, quàm si sponsus de futuro peccet. Has tres sententias dicit Lugo probabiles. Mihi secunda maximè placet; tertia non videtur satis consequenter tradita: nam licet sit grauior ea fornicatio in sponsa quàm in sponso. est tamen etiam grauis in sponso, quia & sponsus se vendet sponsæ; ergo etiam in illo obligatio eam declarandi, licet non tanta.

25 *An circumstantia grauitatis personæ sit confitenda.*

Septimò quæritur, An dignitas operantis, v.g. quòd sit Episcopus, Sacerdos, debeat explicari. Respondeo, Aliunde decidendum, quando hæc dignitas addat notabilem grauitatem peccato, quando verò non. Breuiter tamen respondeo, Nisi ratione scandali aut voti ea maior grauitas oriatur, ratione solius auctoritatis vix vnquam oriri; ideóque neque esse specialem obligationem confitendi eam circumstantiam.

Octauò dubitatur circa peccata ex ignorantia admissa, Vtrùm ea differant specie nécne à peccatis in eadem materia commissis. Supponimus autem debere ignorantiam esse culpabilem qua occasione dubitari etiam solet, Vtrùm nolle inquirere de veritatibus Fidei, ne cogatur eas credere, sit peccatum infidelitatis, & eiusdem speciei cum peccato negantis mysterium aliquod sufficienter propositum; sicut, An nolle rescire vtrùm sit fera, an homo ille in quem iaculatur, est peccatum homicidij. De ignorantia egi Tomo 3. vbi ostendi, per illam minui valdè malitiam, & ex hoc capite iudico etiam debere explicari in confessione; dixi etiam illud peccatum esse in eadem specie saltem subalterna cum cõmisso scientificè. circa negligentiam verò sciendi mysteria Fidei Pater Vasquez c. 2 disp. 226. cap. 1. & 3. ait; Etiamsi malitia homicidij, maneat eadem, quia siue homo occidatur ex ignorantia affectata, siue scienter, re ipsa ille occiditur, ait tamen illum qui ignorat affectatè mysteria Fidei, ne cogatur ea credere, non habere malitiam infidelitatis quæ consistit in hoc, quòd quis scienter aduersetur dictis & auctoritati Dei loquentis. Hæc doctrina visa est difficilis Cardinali Lugo, eò quòd etiam quando quis negligit examinare, an sit doctrina Dei, & ob eam negligentiam re ipsa dissentit his quæ sunt à Deo dicta, offendit auctoritatem Dei; ergo est eadem malitia, maximè cum non requiratur pro hæresi hominem scire, id esse dictum a Deo. Confirmatur autem instantia hæc; nam si quis affectatè ignoret quis sit Pontifex, ne ei deferat honorem, etiam incurrit peccatum eiusdem rationis, licet non tam graue quàm si scienter illum contemneret.

Ignorantia circumstãtiæ confitenda.

Mihi tamen adhuc videtur satis probabilis ea doctrina Vasquez; pro quo aduerte malitiam hæret ei non consistere in eo, quòd putans Deũ loqui, nolit tamen ei credere; hoc enim fortasse est impossibile, cùm lumine naturæ sciatur Deum esse necessariò veracem, ideóque qui credit id esse à Deo dictum, vix possit non credere esse verum: est ergo malitia propriè in eo, quod homo visis & auditis motiuis credibilitatis sufficientibus ad quemcumque proteruum intellectum mouendum non velit assentiri, sed eis dissentiat. Hæc malitia in rigore non inuenitur in eo, cui ea motiua non sunt proposita, esto affectatè ea ignoret; nam talis nequaquam ostendit duritiem sui capitis, imo est paratus, si audiret ea motiua, omnino illud mysterium credere. Sicut qui (licet non malitiosè, quia ad id non tenetur) voluntariè tamen negligit scire historias Bibliorum Sacrorum, ac consequenter eas non credit, non facit eam irreuerentiam nec quidem materialiter loquendo, quam facit qui non permittit auditis motiuis Fidei trahi se ad præbendum illis assensum.

26 *In quo consistat malitia hæresis.*

Vnde ad rationem Cardinalis dico malitiam infidelitatis non consistere in eo præcisè, quod homo non credat, sed quod visis & auditis tot motiuis non sinat se eis moueri: quæ malitia nullo modo est in eo qui scienter negligit audire ea motiua: est enim infidelitas quædam species contentionis proteruæ & duræ, nolentis cedere veritati claræ, contentionis autem malitia non potest esse in eo, qui nulla argumenta in contrarium audiuit. Hinc pulchrè potest assignari ea disparitas, quam Pater Vasquez intendit: nam malitia homicidij consistit in eo quod proximus priuetur vita; hoc reipsa fit etiam

quando

quando sub dubio illum occido. At ea contentio & durities non est, quando nulla argumenta in contrarium audiui; est quidem in vtroque casu omissio credendi Deo, & in hoc est aliqua similitudo cum homicidio; at ea negatio seu carentia assensus non est propriè peccatum hæresis: hæc enim, vt diximus, consistit in duritie illa quâ auditis motiuis non vult cedere: & hoc est quod Vasquez dicere voluit, malitiam hæresis consistere in hoc, quòd quis scienter aduersetur dictis Dei: hoc est, quòd resistat motiuis sufficienter propositis. Et de hac digressione satis.

27 Iam ad rem nostram dicimus; Siue illud peccatum dicatur habere eamdem malitiam, siue diuersam, certissimum esse debere, eam esse longè minorem, & fortè specie infima diuersam: ac proinde debet sine dubio explicari in confessione: vti si quis omisit actum Fidei quando tenebatur illum elicere, longè diuersum peccatum fecit ab illo qui negauit mysterium Fidei; licet vtrumque sit contra Fidem. De quo fusiùs egi. Tomo 3. dum de infidelitate disputaui: vbi etiam tractaui, per quem ex illis actibus amittatur habitus Fidei. quæ omnia, quia huc non pertinent, nunc omitto.

An circumstantia consuetudinis peccandi sit confitenda.

Nonò quæritur, An qui peccat ex consuetudine teneatur id dicere in confessione. Henriquez, Fagundez & alij apud Dianam Tomo 1. Tractatu de Circumstantiis, resol. 15. affirmant; Suarez verò, Vasquez, Bonacina, & alij apud eumdem Dianam negant; quia si ea antiqua peccata iam ille est confessus, non tenetur ea secundò confiteri. id quod ego etiam verum omnino iudico.

Dices; Per ea peccata constituitur quis in occasione proxima peccandi; ergo tenetur occasionem vitare; ergo, si eam non vitat, peccat; ergo debet id explicare in confessione. Hæc obiectio visa est satis difficilis Cardinali Lugo; respondetur tamen, non esse obligationem eam consuetudinem confitendi; quia nec homines attendunt communiter ad illud periculum mortale sequentis peccati, neque facilè possunt scire, quando consuetudo perueniat ad hoc, vt inducat proximum periculum peccandi. Hæc vera. Addo tamen ego, mihi obiectionem videri non solùm non grauem, sed è contrario leuissimam, quia sine dubio est obligatio tollendi eam consuetudinem, & eam iam homo quantum est ex se abstulit; nam cùm ea consuetudo non sit distincta ab ipso peccato, & hoc debeamus tollere sine dubio debemus tollere consuetudinem: quòd verò illam ille homo ex se abstulerit patet, quia iam dolet de illo peccato: quòd si secundò iterùm induxit consuetudinem peccando, iterùm de illa dolet iam, & seriò proponit eam tollere: in quo apparet summa disparitas inter hunc casum & alias occasiones seu pericula peccandi: nam illa sunt quid distinctum ab ipso peccato, v. g. quòd maneat in eadem domo cum fœmina, &c. Vnde dicendo quòd peccauerit cum illa & quòd doleat, non dicit se dolere, aut se velle deserere occasionem peccandi, seu exire ex ea domo, aut certe ex illa meretricem eiicere, sicut in nostro casu, vbi occasio est ipsum peccatum quod iam defleo, de quo doleo, &c.

28 *An saltem interrogatus teneatur confiteri eam consuetudinem.*

Difficilius Secundò obiicies consequenter ad nostram doctrinam; Si Sacerdos interroget de consuetudine, tenetur ei pœnitens respondere; ergo etiam non interrogatus tenebitur: quia (vt ex Suario suprà diximus) hoc iudicium est voluntarium, & quod homo tenetur interrogatus dicere, tenetur à seipso. Confirmatur, Quia vel dicere eam consuetudinem iuuat ad cognoscendam grauitatem peccati, & ad imponendam diuersam pœnitentiam, vel non: si iuuat, ergo etiam non interrogatus tenebitur id dicere: si non iuuat, ergo neque interrogatus tenebitur: quia non tenetur ille bis dicere suum peccatum.

Respondeo tamen Primò negando consequētiam: nam quæ suprà diximus debent intelligi de obligatione dicendi ea quæ propriè sunt peccata, & intrinsecè ad ea spectant, vt sunt circumstantiæ aggrauantes: de aliis verò rebus, quæ non sunt circumstantiæ, potest aliquando Confessarius, quando non putat se formasse sufficiēs iudicium, interrogare aliqua, ad quæ pœnitens interrogatus tenetur respondere; quæ tamen ex se non erat obligatus dicere. Secundò & melius respondeo, Per se loquendo non teneri eam consuetudinem dicere etiamsi interrogetur: quia nemo per se cogitur bis confiteri idem peccatum de quo rursus infrà agentes, An aliquando sit obligatio bis idem confitendi.

Hac occasione disputant aliqui, Vtrùm si quis tam potentem habeat consuetudinem iurandi falsò, vt postea sine libertate iuret, teneatur sub mortali eam consuetudinem tollere: ex vna enim parte videtur non obligari, cùm iam amplius non peccet in eo iuramento, ex altera, cùm iuramentum illud sit aliquid saltem materialiter malum, tenetur occasionem illius vitare. Et hæc ratio est omnino efficax: de quo puncto fusè & benè agit Lugo; est tamen extra intentum nostrum, quia hic non disputamus quæ sint peccata, sed supposito quòd sint peccata quæ teneamur confiteri.

An circumstantia virginitatis violatæ sit explicanda.

Dubitatur Decimò de violatione virginitatis, an debeat explicari, seu an sit specialis in ea malitia. De quo puncto fusè egi Tomo 5. vbi vt longè probabilius dixi, nullam addere malitiam specie diuersam nec notabiliter aggrauantem, ideóque non esse necessum eam confiteri. Vide Lugo hic à numero 213. ad 230. benè id ipsum ostendentem. Nam & Aureola amittitur, & reseratur claustrum eodem modo per copulam licitam, & tamen ibi nulla est malitia, ergo quòd hæc duo causentur per copulam illicitam arguet quidem peccatum commune copulæ illicitæ, nihil tamen speciale ex his duobus capitibus desumetur. Alios casus particulares circa hanc materiam castitatis omitto, quia non tam huc spectant quàm ad materiam de Matrimonio vel de castitate.

SVBSECTIO TERTIA.

Alia circumstantia, quæ debent explicari.

29 *An violans duo præcepta in eadem materia teneatur id ipsum confiteri.*

VNdecimò quæritur, An qui violauit duo præcepta in eadem materia, naturale & positiuum, aut qui incidente Vigilia in Quadragesima aut. Quatuor Temporibus, non ieiunauit teneatur id confiteri. Hæc difficultas pendet ab his quæ dixi Tomo 3. disput. 41. sect. 3 & 4. disputans, Vtrùm inde augeatur specie aut saltem numero malitia peccati: de ea etiam agit hic Lugo à num. 244. vbi ait durum esse obligare pœnitentem, vt quando se accusat de furto teneatur dicere, vtrùm illud sit in ea Prouincia vbi peccauit aliqua lege speciali prohibitum: quòd verò ibi non sit diuersa malitia probat, eò quod

quod peccatum inobedientiæ contra Deum adeò sit magnum, vt circumstantia, quæ additur inobedientiæ contra hominem, parum augeat eam malitiam. Obiicit sibi; Ergo irreuerentia contra Deum & hominem non erit diuersa ab irreuerentia in solum Deum: quod videtur esse contra omnes. Respondeo, Discrimen inter obedientiam ex vna parte, & Religionem ac iustitiam ex altera esse, quòd Religio & iustitia respiciunt directè bonum alienum; diuersum autem quid est lædere Deum ab hoc, quod est lædere Sanctos. At obedientia respicit bonum proprium, vnde præceptum debet ordinari ad bonum proprium subditi; inde fit, vt, si res mandata est eadem, non debeat considerari diuersitas imperantis, nisi illa sit infinita, vt est diuina; quia multò magis est conforme naturæ rationali sinere se regi à Deo quàm à Superiore creato; ergo quando abest contemptus Superioris creati, nulla est specialis ibi malitia præter inobedientiam in Deum.

An Religio vel iustitia magis respiciant bonum alienũ quàm obedientia.

Hæc doctrina est satis difficilis, & in primis in ea per secundam rationem planè deseritur prima, quæ inde desumebatur quòd suprà excellentiam diuinam parum aut nihil addat Superior creatus. vnde intulit hic Auctor, Parum aut nihil addere malitiæ, quòd quando inobedientia est contra Deum, sit etiam contra homines. Hæc inquam tota quanta ratio deseritur, & recurritur ad hoc, quòd obedientia non respiciat bonum imperantis, sed obedientis: quidquid tamen de consequentia sit, displicet. Secundò ea ratio, nã sicut quòd Petrus honoret suum parentem est bonum mortale parentis; ita quòd ei obediat est bonum etiam eiusdem parentis: idèò enim habere superioritatem in alios est bonum morale ipsius Superioris, sicut habere excellentiam supra alios; ergo sicut qui non honorat altiorem aufert illi aliquod moraliter debitum, ita & qui ei non obedit aufert illi aliquid moraliter ei debitum: non enim minùs obedientia cedit in honorem Superioris, imò multò magis quàm genuflexio, &c. & quidem hoc intrinsecè ex ipso conceptu obedientiæ; vnde miror in hoc puncto quæsitum esse discrimen ab hoc Auctore. Vrgeo id; nam vel non obedire alicui Superiori, prout conceptus Superioris abstrahit à Superiori creato & increato, denotat aliquid auferri moraliter ab eo cui non obeditur, vel id non denotat, sed præcisè arguit hominem non facere id quod est in bonum ipsiusmet hominis operantis; sicut non colere excellentiam dicit aliquid auferri moraliter debitum ei excellentiæ: si asseratur secundum, scilicet non dicere quidquam de eâ ablatione, manifestè inferam, Ergo non obedire Deo nullam adferet specialem malitiam magis quàm si purè putè non obederetur creaturæ; quia vti se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; si verò ille conceptus in cõmuni adfert ablationem aliquam rei debitæ Superiori, sicut negatio cultus aufert ablationem alicuius rei debitæ illi excellentiæ quæ non colitur; ergo ea inobedientia contracta ad Superiorem creatum & increatum aliquid auferet simul & à Superiore increato & à creato, ideóque erit inobedientia illa contra vtrumque, eodem omnino modo quo inhonorare Sanctos est contra illos & contra Deum. Quòd verò dicebatur, Obedientiam esse debere in bonum subdditorũ, nihil minuit de difficultate. Primò, quia solùm hinc probatur eam habere duo, & facere rem quæ moraliter est in bonum subditi, & simul etiam in Superioris honorem, seu reuerentiam, seu cultum prout vocare id volueris: annexum enim id est intrinsecè actui obedientiæ. Secundò, quia obligatio propria obedientiæ in rigore nequaquam desumitur ex eo, quòd res sit in bonum subditi; nam quantumuis sit in huiusmodi bonum, si non sit mandata, non est obligatio ad illam; ergo obligatio faciendi illam esto, supponat quòd debeat esse in meum bonum, non tamen inde oritur, sed ex hoc quod ratio naturalis dictat æquum & necessarium esse exhibere, cui honorem honorem, cui obedientiam obedientiam; non est ergo in hoc puncto differentia inter cultum & obedientiam. Adde, neque semper esse necessarium vt res illa quæ præcipitur (exceptâ moralitate obediendi) sit in bonum ipsius, cernitur autem id maximè in obedientia religiosa mandante res alioquin indifferentes: vt dum S. Franciscus iussit Lactucas inuerso modo plantari: dixi ex proposito (excepta moralitate obediendi: nam in hoc sensu etiam colere alios, & restituere illis debita, est maximum bonum morale ipsius colentis & restituentis. Propterea in Republica sæpè multa vni mandantur, quæ non sunt propriè in bonum illius: & idem constat in famulis huc & illuc ad res ipsis molestissimas missis: ergo neque ex hoc capite est vlla diuersitas in his virtutibus.

Non est æquus vt res imperata sit in bonũ subditi.

30 *An non obedire Superiori aliquid ei dẽ detrahat.*

Denique adiimo argumentum ab hoc Auctore factum, meo tamen iudicio nullo modo solutum, si quis non obediret soli Superiori creato, haberet ille actus aliquam malitiam, quam non haberet qui præcisè non obediret Deo: ergo actus qui vtrique non obedit, habet in se duas malitias, id eóque est diuersus ab inobedientia in solum Deum. Respondet, illam inobedientiam quæ solùm esset in hominem, ideò habituram tunc specialem malitiam, quia esset solùm in hominem: hanc autem non potest retinere eo ipso, quòd sit simul inobedientia in Deum ac proinde negat tunc habiturum duas malitias. Hæc solutio videtur mihi non carere magna æquiuocatione. Pro quo aduerte, in illa inobedientia circa purũ hominẽ duo debere considerari: vnũ est positiua malitia, seu quòd sit mala vt octo: alterum, quòd non sit magis mala, seu quòd nõ sit mala vt duodecim: quòd sit mala vt octo, purè putè habet ex conceptu illo positiuo, quòd sit inobedientia contra hominem nam ille alter conceptus, quòd sit solùm contra hominem, seu quòd non sit contra Deum, non dat illi malitiam, imò potiùs aufert, seu impedit: sicut quòd copula cum Ioanna v. g. sit contra castitatem, non prouenit illi ex eo, quòd Ioanna non habeat maritum, seu quòd ea copula sit purè putè contra castitatem, siue quòd non sit contra iustitiã: hic enim conceptus, quòd non sit contra iustitiam, non est conceptus dans malitiam, sed ex se potiùs in eo genere eam negans. Hinc argumentor efficaciter meo iudicio: Conceptus ille dans malitiam illi inobedientiæ in purum hominem, totus quantus reperitur, licet non solus in ea inobedientia, quæ est in Deum & in hominem: quòd autem addatur illi alius, adeóque primus ille iam non sit solus, non tollit malitiam prioris sed addit aliam: sicut quòd copula cum maritata Antonia non sit solùm contra castitatem, sicut erat copula cum Ioanna soluta, vt diximus, non aufert ab ea, quòd sit contra castitatem, sed tantùm aufert illi hunc conceptum

31 *An fuerit eadem mandatũ Dei & hominis plus habeat malitiæ, quàm facere contra solum Dei mandatum.*

quòd

quòd non sit putè putè contra castitatem. Atqui ex eo quòd alicui actui malo tollatur hic conceptus negatiuus, scilicet, *Non opponi nisi vni virtuti*, & addatur illi opponi duabus, non potest tollere priorem malitiam, sed nouam addere: neque quoad hoc sum solicitus, an illa prior maneat eiusdem speciei cum altera formaliter, an æquiualenter; nam & illa volitio, qua quis vult cum maritata peccare, non habet malitiam formaliter eiusdem omnino speciei infimæ cum altera alius actus, quo vellet cum soluta peccare quia prior ille habet sibi essentialiter identificatam iniustitiam, hic verò non; illa autem identificatio sine dubio facit essentialem diuersum conceptum formaliter; & eodem modo actus, qui esset simul fides & scientia, non haberet eiusdem infimæ speciei conceptum cum actu qui esset puræ scientiæ non tamen propterea non haberet formaliter illum conceptum in alia tamen specie; ergo ea inobedientia habet totam malitiam inobedientiæ in solum hominem, & totam quæ in Deum solum; licet ob identitatem vtriusque inobedientiæ constitueretur vna alia species diuersa ab illis, æquiualens tamen vtrique. Constet ergo non esse assignandam differentiam inter inobedientiam & Religionem.

An qui optat proximo malum, debeat malitiam ipsum specificare.

Desiderium participat malitiam obiecti.

31 *Resolutio superioris quæstionis.*

Absolutè in hoc puncto loco citato dixi; Si Legislator specie distinctus velit inducere nouam obligationem suo præcepto supra illam quæ est imposita ab altiore Legislatore, tunc sine dubio inducendam, & eo casu futuram obligationē vtriusque præcepti in confessione aperiendi: quòd verò suprà obiiciebatur, durum esse pœnitentem obligare vt dicat vtrùm furtum in ea Prouincia sit prohibitum nécne, non vrget; quia illæ Leges accidentales ordinariè nō inducunt obligationem mortalis, sed augent tantùm pœnas exteriores; ideóque non est obligatio eas declarandi Vide quæ citato loco dixi.

An circumstantia annexa excommunicationis sit confitenda.

Quoad alterum punctum de Vigilia incidente in Quadragesima aut quatuor Temporibus, etsi aliqui (vt Tannerus hìc quæst 7. dub. 3.) dicant esse obligationem id confitendi; contrarium tamē est longè probabilius, vt & citato loco dixi; quia nullus facit sibi vllum scrupulum, quasi ex eo capite grauiùs peccauerit.

Quæri Duodecimò potest; An si peccato commisso fuerat annexa excommunicatio, teneatur quis id declarare, quasi ex eo capite peccatum illud fuerit grauius. Si ratione excommunicationis non potest absolui, haud dubiè debebit hæc declarari. Absolutè negant aliqui, quia ea circumstantia non addit malitiam peccato; neque specialiter quis obligatur ad non peccandum ex eo capite. Ego tamen non dubito esse ibi specialem malitiam saltem aggrauantem; nam reddere se incapacem suffragiorum Ecclesiæ, auditionis Sacri, Communionis fidelium, & sepulturæ sacræ, si in eo statu moriatur, adfert haud dubiè maiorem aliquam malitiam, vtrùm autem ea sit tanta, vt diuersitatem causset necessariò in confessione explicandam, est mihi valdè dubium: probabile iudico debere dici, quia saltem aggrauat notabiliter intra eamdem speciem.

SVBSECTIO QVARTA.

An in desiderio de malo proximi sit declaranda specifica differentia mali optati.

33 HOc est decimumtertium dubium in præsenti materia, Vtrùm in odio proximi sit declarandum malum quod illi optaui; an verò sufficiat dicere, Optaui illi malum graue. Loquor de puro desiderio, non de voluntate efficaci: hæc enim sine dubio accipit inde diuersitatem: nam velle efficaciter infamare proximum, diuersum peccatum est ab hoc, quod est velle illi comburere domum: est ergo difficultas sistendo in desiderio ipso. Mihi videtur longè probabilius dari talem obligationem. Ita Suarez disput. 6. de Charitate, Syluius apud Dianam eo Tractatu de Circumstantiis, tesolut. 3. & apud Lugo num. 219. Coninch de Charitate disput. 29. dub. 3. num. 61. Ratio à priori est, quia illud desiderium suo modo participat rationem malitiæ quæ est in obiecto, sicut voluntas efficax; atqui efficax diuersificatur, ergo etiam desiderium: & vrgeo ad hominem ex Cardinali Lugo, qui insinuat contrarium esse probabilius: nam expressè paulò inferiùs num. 236. de delectationibus morosis habet hæc formalia verba: *Dico itaque breuiter, delectationem, sicut & desiderium, malitiam accipere ex malitia sui obiecti* addit (quod tamen ad rem nostram impertinens est) *etiam accipere aliunde; ac proinde etiam posse delectationem aliquam esse malam, esto obiectum illius sit bonum*: rationem à priori reddit num. 178. quia quando per delectationem & gaudium & desiderium non separat voluntas rationem mali ab obiecto, approbat & amplectitur illud per affectum; & hinc sequentibus numeris colligit diuersa peccata esse & debere in confessione explicari delectationem de copula cum coniugata à delectatione in copula simplici, &c. nisi mente separentur illæ circumstantiæ ab eo actu. Hinc autem euidenter infertur, idem in præsenti de desiderio dicendum esse: iam enim supponimus in eo desiderio non separari eas malitias speciales. Confirmatur rursus ad hominem ex doctrina eiusdem qui hac eadem disput. num. 160. ait, Si simul cum lætantia de peccatis commissis sit complacentia & gaudium circa illa, necessariò debere explicari in confessione speciem peccati circa quod fuit ea complacentia: quia hæc (sicut & gaudium) specificatur à malitia obiecti: & sic de aliis. Quam doctrinam vniuersaliter tradit ad omnes materias homicidij, furti, &c. est autem eadem ratio de desiderio quæ de complacentia, quia desiderium est quædam complacentia in re vt apprehensa, sicut gaudium est in re vt iam obtenta. Vnde meritò idem Auctor eo citato numero 176. gaudium & desiderium inter se omnino idem facit quoad participationem malitiæ ex obiectis: & reuerà ex terminis apparet longè aliud odium esse, desiderare Petro vt ei auferātur tres aut quatuor floreni à desiderio vt occidatur crudelissimè, aut vt infamia summa afficiatur vnde non video quomodo hæ duæ doctrinæ eius Auctoris cohæreant inter se; debet ergo nostra absolutè defendi,

34

Sententia negans malum desideratum esse specificandum.

Pro contraria tamen stant Vasquez, Tutrianus, Lorca & alij apud Dianam suprà, quia etiam pro eadem citatur à Lugo. At Diana non magis fauet huic opinioni quam nostræ: solùm enim addit, *Hæc etiam est probabilis*. Illam ita Lugo dicit probabilem, vt planè in probatione eam præferat nostræ: ideò dixi suprà eum insinuare contrariam: huius fundamentum est nam volitio efficax accipit malitiam specificam ex obiecto, etiamsi tantùm materialiter ametur, quia

Alcacer & Lopez. Contrariam cum Nauarro censet probabiliorem Diana Tomo 2. Tractat. 4. resolut. 161. Lugo vtramque dicit probabilem; magis tamen in hanc secundam inclinat: rationem huius sententiæ Diana & Lugo tangunt, quòd malitia iactantiæ consistat præcipuè in irreuerentia, quæ fit Deo dum peccator gloriatur de eius offensa; hæc autem irreuerentia non potest esse contra specialem virtutem, v.g. contra castitatem, quia castitas non est persona capax vt ipsi fiat irreuerentia; ergo solum sit Deo; ergo omnes iactantiæ sunt tantùm intra terminos irreuerentiæ contra Deum; ergo omnes eiusdē speciei. Hæc tamen ratio meo iudicio debilis est, & verò si ad terminos, quibus eam Cardinalis explicat attendamus, est contra ipsum: adducit enim in ea hanc instantiam; sicut si quis subditus gloriaretur de proditione aut contumelia Principi illata, quo pacto videretur insultare Principi, & eā dem contumeliam iterū u inferre. Hinc argumētor: Ea gloriatio est quasi secunda illatio illius iniuriæ & contumeliæ; ergo habet suo modo malitias primæ illationis; ac proinde sicut initio fuēre diuersæ contumeliæ, sic secūdæ hæ illationes erunt diuersæ. Secūdò, quòd dicitur eam malitiam consistere in hoc, quòd homo assumat offensam Dei vt materiam gloriationis, admittimus quidem, inde tamen argumentamur pro sententia prima, quia si assumere offensam Dei pro materia gloriationis est offensa Dei; ergo assumere grauiorem offensam erit maior offensa: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet mag s ad magis. Si homo solùm glo iaretur; Ego peccaui mortaliter, non considerando specialem rationem malitiæ, haberet locum ea ratio; at si gloriatur quòd fuerit atheus, profectò aliter Deum offendit quàm si gloriaretur, quòd esset furatus vnum florenum, ac proinde aliter etiam Deum offendit.

38 *An gloriatio de peccato opponatur virtuti, quæ illud peccatum prohibet*

Quod denique dicitur de iniuria, cuius non est capax virtus castitatis, quia non est persona rationalis; multò minùs vrget, quia castitas esto non sit persona, prohibet ne quis fornicetur; ergo potest prohibere ne quis glorietur de fornicatione; quia cùm gloriatio ex se sit de aliquo bono; (nam de malo pudet potiùs hominem;) profectò eo ipso quòd castitas dicit, *Fornicatio est mala*, dicit, *De ea non est gloriandum*; est ergo ea gloriatio contra castitatis doctrinam: hoc enim solo sensu dicimus luxuriam esse contra castitatem: nam alioquin sicut virtus castitatis non est persona capax cui inferatur iniuria: ita etiam non est persona capax imperādi aut prohibendi. Denique etiamsi ibi nihil cogitemus de iniuria, nisi in solum Deum; profecto sicut cætera omnia peccata esto non sint iniuria nisi in Deum solum (loquor secundum grauitatem moralem: nam iniuriam aliam minoris momenti in homines aliqua peccata etiam habēt:) inde tamen nullo modo infertur, Intra eam rationem iniuriæ non habere maiorem aut diuersam rationem vnum peccatum præ alio: ita idem de hoc peccato iactantiæ dicendum est.

Ex his concludo. Longè probabilius esse, & multò magis consequens ad ea quæ hucusque diximus, eas iactantias esse moraliter diuersas: ac proinde esse obligationem eas declarandi in confessione. Obserua autem (quod benè notauit Lugo) pro hoc puncto, per accidens se habere quòd homo re ipsa fecerit illud peccatum: quia hæc iactantia est ob scandalum annexum quod intrinsecè habet imbibitum. Vti blasphemia: esto interiùs homo non ita sentiat, habet suam malitiam, quia de se est illatiua apud audientes minoris æstimationis virtutis, vel caussatiua affectus in illud vitium, &c.

Secundò hinc obserua à fortiori, qui alterum laudauit ob commissum peccatum, debere declarare speciem peccati laudati: quia id est quasi directè illum hominem & alios ad peccatum hortari: & idem est si è contrario cum vituperet, quòd non peccauerit: Lugo addit, Si hæc laudatio aut reprehensio non fiat corā ipso qui peccauit, sed coram aliis, non esse necessariò explicandam speciem peccati, quia tunc solùm indirectè alios inducit: ego tamen quia suprà dixi, Esto solùm indirectè quis moueat ad peccatum, debere explicata speciem peccati, id ipsum censeo hic dicendum. Addo & meo iudicio efficaciter, laudem & reprehensionem non minùs de se inducere alios quàm ipsum qui fecit, quia ea solùm ratione inducit, quatenus laus & gloria est ex se motiuum attrahens ad similem actionem faciendam: atqui ea laus ex suo conceptu non est minùs attractiua respectu eius qui adhuc eam actionem non fecit, quam respectu eius qui illam fecit: sicut enim hic attrahitur ad faciendam secundò eam actionem, ob quam est laudatus: ita alij attrahuntur ad faciendam illam primò, vt pari modo laudentur. Imò si deberemus loqui iuxta ea quæ de temporalibus bonis meritò docet sanctus Gregorius, quòd potissima minùs delectent quàm dum proponuntur absentia, cum sæpè homo experiatur minus se ea laude fruiti quàm putauerat, dum eam expetit: fortasse dicere aliquis, magis ob eam laudationem alios qui adhuc eam laudem non obtinuerunt moueri ad imitationem facti, quàm ipsum laudatum ad secundò simile factum aggrediendum. Quidquid tamen de hac maiori motione sit omnino vtilius declarandam eam speciem peccati, etiamsi absens quis laudetur ob illud. Hinc constat à fortiori debere declarari speciem peccati, quando quis directè consulit & mandat aliquid, quia ille est moraliter causa eius mali. An autem sit minus malum consulere aliquid, quàm immediatè per se illud causare, dixi fusè Tomo 3.

39 *Qui laudauit alium de peccato graui, tenetur illud specificare, licet eo absente eum laudauerit.*

Circa blasphemias quæritur, Vtrùm debeat dici quòd fuerint contra Deum, aut contra Sanctos. Respondeo, Vti cultus Sanctorum differt specie à latria, quæ est cultus Dei; ita è contrario irreligionem, seu blasphemiam in Sanctos esse diuersam à blasphemia in Deum? de quo in materia de Religione fusiùs; vnde colligitur vlteriùs omnino eam debere declarari in confessione. Quæritur præterea de peccato hæresis, An sit necessarium explicare, quæ illa hæresis fuerit. Hæc quæstio pendet ab his quæ in materia de Fide dicuntur. Ex quibus suppono diuersum specie peccatum esse, negare Deum existere, quàm negare Incarnationem; item diuersum esse, negare Incarnationem ab hoc, quod est negare canem Tobiæ occurrisse suo domino; non solùm ea ratione (qua benè vtitur Lugo cùm Castro Palao (quatenus hæ diuersæ hæreses inferunt diuersos ritus, sed quatenus negant etiam diuersas veritates maioris aut minoris momenti. Deinde qui negat Deum esse, negat eius veracitatem directè & ipsi magis immediatè facit iniuriam, quàm qui admissa tota Dei existentia veraci negat hoc aut illud mysterium esse sufficienter propositum ad hoc vt credatur; nam

40 *Blasphemia in Deum vel Sanctos sunt specificanda.*

licet per aliquot consequentias ostendatur talis homo non credere Deo, id tamen est valdè remotè & implicitè, ac proinde non potest habere eam malitiam quæ reperitur in dissensu illo immediato eius veracitatis diuinæ: & idem dico de eo, qui dicit Christum fuisse hominem magnũ, longè enim aliam ei & Deo infert iniuriam quam si diceret, non constare ex Scripturis quòd ipse Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ: est ergo ea diuersitas declaranda. *Diuersitas specifica in hæresi etiam explicanda.* Fateor in aliquibus articulis esto inueniatur diuersitas physica inter eos dissensus, quia ex obiecto materiali etiam ea desumitur (vt aliunde suppono) in ordine tamen ad Fidem esse planè materialem differentiam: vt qui diceret Tobiam non habuisse Angelum secum, & qui diceret Ionathan non fuisse iunctum amicitiâ Dauidi, non haberẽt diuersitatem moralem peccati, quia neque in ordine ad motiua ipsa credibilitatis, neque in ordine ad iniurias tertiæ personæ aut Dei est vlla diuersitas inter eos dissensus. De hoc tamen fusiùs egi Tomo 5. de Fide.

41 *An apostasia à Fide specificanda.* Maius dubium est de apostasia, quam aliqui dicunt addere nouam malitiam. Contrarium tamen dixi eo loco (nisi fortè per accidens:) possunt enim æquè clarè & fortiter proponi motiua vt obligetur homo ad credendum de nouo, quàm proponantur ad continuandam Fidem, seu ad non deficiendum ab illa, imò aliquando fortiùs, Ex hoc ergo capite nulla prorsus erit specialis obligatio credendi in vno casu præ altero: alunde etiam potest quis ignorare se esse baptizatum, ideoque neque ex eo capite quidquam accrescit: Dixi *nisi per accidens*; nam si homo agnoscat se esse Deo per hoc specialiter ingratum, sine dubio grauiùs inde peccabit. Hæc tamen circumstantia potest etiam inueniri in aliis casibus: neque adeò aggrauat peccatum, vt obliget ad eam explicandam in confessione. Denique (quod benè obseruauit Lugo) si quis confiteatur se fuisse hæreticum, iam eo ipso dicit se post Baptismum commisisse illud peccatum: quia hæresis ante Baptismum admissa non est materia confessionis.

Multos alios casus tangunt hi Auctores: verùm sicut ferè magna pars eorum quos & nos attulimus non spectant huc, sed ad proprias materias, an sint peccata,, an diuersa specie, an numero (vt initio huius sectionis notauimus:) videri tamen possunt multi specialiter circa peccata carnis cum consanguinea, Confessarij cum pœnitente, de obligatione in delectatione morosa dicendi qualitatem personæ, &c. apud Lugo hîc & apud Dianam eo Tractatu de Circumstantiis. *An obiectum delectationis morosæ in materia veneræ sit specificandum.* De delectatione morosa nos fusè egimus Tomo 3. disp. 47. per totam: vbi vt probabiliùs omnibus pensatis diximus eas non differre inde specie: neque huic conclusioni obest quod paulò superiùs diximus de desiderio, scilicet illud etiam in aliis materiis accipere diuersam malitiam: etenim ibi agebamus de desiderio quod directè fertur in mala diuersa: vt desiderium mortis proximi, desiderium infamiæ illius, &c. hæc enim desideria directè respiciunt, mala illa diuersa: quo sensu etiam admittimus delectari de Sodomia diuersum peccatum esse à delectatione in simplici fornicatione, aut à delectatione in bestialitate; quia hæc obiecta intrinsecè in se differunt. Loquebamur ergo de circumstantiis, quæ illi copulæ, de qua quis delectatur, sunt accidentales, & aliò pertinent, & à quibus præscindere ea delectatio potest: vt sunt, quòd femina illa sit maritata, sit consanguinea, sit Religiosa, &c. Vide fusiùs eo loco dicta. Iam ad ea quæ propriè sunt huius Tractatus de confessione, supposita ex aliis materiis declaratâ malitiâ & diuersitate peccati.

Dices, Me nimis scrupulosè in hac materia agere, & valdè onerare Confessarios ad interrogandum pœnitentes de his omnibus circumstantiis. Respondeo, Vt iam dixi paulò antè, Hanc quæstionem non esse propriam huius loci, sed spectare ad Tractatus de scandalo, luxuria, &c. vbi propriè discutitur, an ex illis circumstantiis mutetur species peccatorum nécne: vnde dico, Me hîc non grauare Confessarios: quia quòd declarãdæ sint in cõfessione circumstantiæ, quæ diuersificant speciem, non est doctrina à me inducta, sed tradita vt de Fide à Tridentino, cui (si est in hac materia aliquod grauamen) tribuendum illud est: seu Christo potiùs, qui eo modo nos voluit ad confessionem obligatos. Quòd autem dixerim eas iactantias, contumelias, blasphemias, &c. esse specie diuersas, non magis ad Confessarios quam ad ipsos peccantes spectat: & ex dictis hucusque videtur omnino efficaciter ea diuersitas probata.

DISPVTATIO XXXIII.

Quibus casibus possit aut debeat in confessione reticeri peccatum, aut circumstantia illius.

IN QVIBVS diximus quæ peccata sint materia confessionis, iam oportet explicare, quibus casibus possint aliqua ex his aut etiam omnia omitti, quibus etiam ob aliquod graue periculum debent reticeri, & quomodo ea tunc remittantur. 1

SECTIO I.

Nonnulli casus traduntur.

PRIMVS potest esse quasi vniuersalis ad omnia peccata: An si Confessarius peccauit cũ pœnitente siue in materia carnis, siue in quacumque alia furti, homicidij, &c. possit tunc pœnitens

pœnitens complex ei confiteri. Diuus Thomas agens de Confessario qui cum femina peccauit, dicit in additionibus quæst. 20. art. 2. ad primum, Quòd nec Sacerdos debeat audire eam confessionem, sed feminam ad alium dirigere; nec illa debet ei confiteri tum propter periculum, tum quia est minor verecundia, si tamen re ipsa illa cum vero dolore confiteretur, absolutionem fore validam. Cui doctrinæ nihil est addendum, nisi quòd id possit permitti, quando ambo seriò dolerent, & omne periculum cessaret: & quòd licet minùs per se deceat, non tamen ideò (nisi alius grauis defectus admisceatur) id erit peccatum graue.

An Confessarius possit audire personam cum qua peccauit.

2 *Pœnitens timens malum Confessario potest peccatum reticere, quando est si sibi vel alteri timeat.*

Secunda difficultas, Vtrùm quando pœnitens sibi aut alteri timet damnum aliquod graue, possit reticere in confessione aliquod peccatum, aut illius circumstantiam mutante speciem, quam alioquin tenebatur dicere. Communis & certa sententia affirmat; pro qua Suarez disp. 22. sect. 2 refert multos Auctores. Ratio communis pro ea est quòd præcepta positiua non obligent cum dispendio & periculo magno: vbi etiam communiter notatur, non esse necessarium illud periculum imminere ipsi pœnitenti, sed sufficere si vel Confessario, vel proximo cuilibet, quia lex charitatis obligat me ad præcauendum malum illius, ac proinde me liberat ab illa obligatione dicendi talia peccata, si ex ea confessione malum illud immineat. Aduertunt etiam communiter Doctores, non debere si pœnitentes facilè fingere ea pericula, sed necessariam esse valdè probabilem causam timendi; quæ autem illa sit, non potest à nobis decidi, quia pendet ab innumeris circumstantiis, quæ à nobis determinari non possunt, v.g. à materia ipsa, à qualitate personæ, ab indole Confessarij; an soleat reuelare confessiones, an timeatur saltem vsurus ea scientia. Communiter tamen dicitur, Si quis peccauerit cum eius sorore aut consanguinea valde proxima, esto nihil aliud damni timeatur quàm ipsa illa scientia, reputari graue damnum, & sufficiens ad reticendum illud peccatum. Verùm hoc ad casum in titulo propositum spectat, non ad hanc suppositionem.

Tenetur tunc quærere alium Confessarium

Tertiò aduertunt, talem pœnitentem debere quærere (quantum commode fieri potest) alium Confessarium, cui integrè confiteatur. Vbi dubitari solet, An in tali casu debeat quis confiteri reliqua peccata, an verò omnino confessionem differre donec inueniat alium, cui integrè confiteri queat. Diuus Thomas in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4. docet, tunc debere hominem se gerere perinde ac si non haberet copiam Confessarij, & verò addit, forè melius confiteri tunc laico quàm tali Sacerdoti. Vnde Viguerius putat omittendam potiùs confessionem quàm dimidiandam. Nihilominùs si necessitas aliqua confessionis occurrat, confitenda esse reliqua peccata communis sententia docet. Et verò Vasquez quæst. 91. art. 2. dub. 3 num. 2. ait, certum esse quòd propter vnum peccatum, quod sine periculo dici non potest, non excusetur pœnitens à confessione aliorum peccatorum, si sit obligato alioquin confitendi. Id ipsum docet Suarez suprà citans Sotum, Alensem, Paludanum & Nauarrum; si ergo occurreret necessitas sumendi Eucharistiam, & non haberet alium cui confiteretur, deberet eam confessionem quasi dimidiatam conficere, vt debitè accederet ad Eucharistiam: Secundò, si vrgeret mortis periculum propter maiorem certitudinem salutis: Tertiò, vt præceptum annuæ confessionis seruetur: Quarta necessitas est, vt vitet aliquam infamiam, quam incurrere posset, si non confiteretur: Quintò, si negligat magnam vtilitatem, quam homo percipit ex confessione, & deberet eam multo tempore differre. Notant præterea Auctores; data postea occasione teneri illud peccatum confiteri, quia nondum fuit clauibus Ecclesiæ directè subiectum, eodem planè modo quo dicimus de peccato non occurente memoriæ: si enim illius postea recordetur quis, debet illud confiteri.

Au liceat tunc dimidiare confessionem, si alium non habeat Confessarium.

3

Iam verò circa hunc eundem casum possunt aliqua in dubium verti. Primum, An teneatur habere contritionem de eo peccato. Ratio autem dubitandi est, quia tunc perinde se habet ac si non esset copia Confessarij, quo casu deberet esse de illo contritio; nihilominùs, cùm ex Tridentino constet peccata quæ non occurunt memoriæ remitti simul cum aliis, & eadem ratio sit de hoc, quod reticetur ob causas iustas, non est cur requiratur contritio.

An licitè reticens peccatum teneatur de illo contteri.

Secundum dubium est, An teneatur quis cùm primùm fuerit facta Confessarij copia statim illud dicere. Habet autem maximè locum hæc quæstio in annua confessione, si illam feci non integram; & statim post illam habeo copiam Confessarij, an tenear illud statim confiteri, vt sic singulis annis confitear omnia peccata quæ occurrunt memoriæ. Ita sentit Soto apud Suarium suprà numero 8. quem tamen bene ipse reiicit, quia ex nullo iure obligatio illa potest ostendi; non est ergo ea imponenda; satis igitur erit, si, quando occurret deinde occasio secundæ confessionis, & habeam Confessarium, cui sine periculo confiteri possim, illud confitear. Quod dicitur de necessitate statim confitendi illud peccatum, vt satisfiat præcepto confessionis annuæ obligantis ad omnia mortalia occurrentia dicenda in confessione semel in anno, habet aliquam difficultatem infrà tractandam, & fortasse eo casu admitti poterit talis obligatio cum primùm dicendi illud peccatum.

An proxima occasione teneatur illud confiteri.

4 *An teneatur confiteri, si nullum aliud mortale habeat.*

Tertiò quæritur. An si non habeat ille homo vllum aliud mortale, præter hoc quod dicere non potest, obligetur ad confessionem eis casibus de quibus paulò antè. Respondeo, In mortis articulo ob periculum damnationis deberet saltem alia venia, quibus sine dubio non careret, confiteri, & de omnibus se accusare, vt sic certò obtineret remissionem etiam de illo mortali: & idem esset quando deberet Eucharistiam suscipere, quia tunc obligatur ad confessionem ob maiorem certitudinem de statu gratiæ: cùm enim (vt colligitur ex Tridentino) tam certò dimittatur tunc illud peccatum omissum, quàm si fuisset in confessione explicatum, non est cur excusetur homo ille à procuranda ea remissione per viam illam certam confessionis, quam exigit Tridentinum pro debitè suscipiendo Sacramento Eucharistiæ.

Quando peccatum est ob solas circumstantias, an substantia peccati sit confitenda tacita circumstantia.

Quartò quæritur, Si peccatum illud non nisi ratione circumstantiæ mutantis speciem habeat annexum periculum, sit melius illud omnino reticere etiam quoad substantiam, quæ posset alioquin sine periculo dici; an verò hæc sit dicenda omissa circumstantia, ex qua potest oriri periculum illud. Hoc vltimum affirmant nonnulli,

nulli. Lugo tamen putat hoc esse periculosum, quia Confessarius fortassis interrogabit vlterius: si autem ei respondeatur, Non recordor, vel non possum id dicere, aut non teneor, veniet in maiorem suspicionem; si autem absolutè negetur ea circumstantia iam tunc non dicetur peccatum illud, quod est re ipsa factum, sed aliud quod non est commissum ideóque confessio esset inualida. Ego ex hac vltima parte non haberem magnam difficultatem, quia nisi fortè ex conscientia erronea pœnitentis aliter contingeret, non puto eo casu futuram inualidam confessionem etiamsi circumstantiam illam pœnitens omnino negaret: de quo fusius infrà, dum egero, An dicere vnum peccatum in indiuiduo physico diuersum ab eo quod feci, moraliter tamen idem cum illo, reddat inualidam confessionem. Circa substantiam ergo quæstionis non dubito, quin sæpè sit illud periculum, quod Cardinalis insinuat: & verò fortasse nulla facta noua interrogatione potest astutus Confessarius colligere circumstantiam illam ex sola confessione substantiæ ipsius peccati; tunc ergo totum esset omittendum. Addo tamen, aliquando è contrario nullum penitus esse periculum, vt possit deprehendi; eo autem casu sine dubio debebit dici substantia peccati tacita circumstantia intra primam sententiam, quia homo tenetur dicere peccata omnia quæ sine periculo potest; quando autem timeri possit Confessarium venturum in notitiam circumstantiæ, quando verò non, nos decidere non possumus, sed ipsius pœnitentis prudenti iudicio id erit relinquendum.

Quid si damnum sequatur, ex pura malitia Confessarij, licebitne reticere.

Vltimò circa hoc dubitari potest, an si damnum illud, quod timetur in Confessario, prouenturum sit ex malitia ipsius, quia v.g. audito tali peccato sit accepturus occasionem feminam pœnitentem solicitandi ad peccatum, ideoque non tam ipsi pœnitenti quàm Confessario timeatur damnum, debeat tunc peccatum illud reticeri. Nauarrus & alij apud Suarez dicunt; Si periculum illud sequatur ex malitia Confessarij non curandum, nisi inde posteà ipsa femina sibi aut alteri tertio timeat aliquod aliud damnum, si verò Confessarius fragilis sit naturæ, tunc pœtentem teneri non dare ei vllam occasionem peccandi. Quæ doctrina mihi etiam videtur bona; quomodo autem homo possit per accidens vtendo suo iure facere aliquid in multis casibus, vnde proximus occasionem sumat peccati, dixi fusè Tomo 3.

SECTIO II.

Quid si nullum aliud damnum timeatur ex ea confessione, quam quòd personæ complicis innotescat Confessario.

5 HÆc difficultas valdè celebris est inter Auctores; oritúrque ex dictis præcedenti sectione insinuauimus enim, ad reticendum aliquod peccatum, aut circumstantiam illius, sufficere, si tertiæ personæ timeatur graue aliquod malum; cum autem diffamatio sit ex se graue damnum, quærimus, an illud solùm sufficiat ne declarem circumstantiam, quâ dictâ Confessarius noscet personam complicis; ideoque hic apud illum diffamabitur. Supponendum autem, si possit pœnitens totum suum peccatum dicere non detegendo complicem, teneri in conscientia sub peccato graui id facere: quia non potest infamare alterum sine causa: in quo puncto omnes conueniunt, excepto Gersone & Medina apud Vasquez quæst. 91. art. 2. dub. 3. num. 1. eos secutus est Fagundez lib. 5. de secundo Præcepto Ecclesiæ cap. 1. num. 3 qui pro se malè citat Suarium, cum hic disp. 34. sect. 1. n. 1. communem sententiam clarissimè tradat.

Si pœnitens potest peccatum integrè confitori non prodendo cõplicẽ, peccatum prodit.

Dices fortè, Non est graue apud vnum Confessarium infamari, cum ille rem totam in secreto retenturus sit. Sed contra, quia eodem modo si sub iuramento secreti manifestarem etiam nõ Confessario sine vlla causa delictum alterius graue non peccarem: id quod tamen est manifestè falsum. Dico ergo non solùm apud multos, sed apud quemlibet seorsim esse rem grauem, quod ille de me habeat siniſtrum in re graui conceptum.

SVBSECTIO PRIMA.

Propositis duabus extremis sententiis declaratur, in quo sit quæstionis difficultas.

6 MVlti graues Auctores, quos refert & sequitur Diana citato sæpè Tract. de Circumstantiis, resolut. 49. & Tomo 2. Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 54. disput. 34. sect. 2. dicunt debere etiam tunc eam circumstantiam reticeri; sunt autem hi, Matsilius, Nauarrus, Viguerius, quos etiam refert Suarez disput. 34 sect. 2. præter hos sunt Valentia, Villalobos, Ludouicus Lopez, Ioannes De la Cruz, Faber, Medina, Bañez, Canus, Victoria, Petrus Soto, & Ledesma; licet hi vltimi excipiant casum mortis, in quo dicunt posse detegi complicem. Verum hæc limitatio est improbabilis; quare enim ego magis potero alium detegere dum morior quàm dum viuo, cùm ad securitatem absolutionis & consequenter meæ salutis illa declaratio non sit necessaria?

An quando periculum est prodendi cõplicem possit peccatũ vel aliqua circũstantia reticeri.

Secunda sententia, quæ est multo communior docet id licitum esse; pro ea citat Suar. suprà valdè multos, quos & Diana refert & Lugo, qui vltimus etiam eam defendit. Adducitur pro ea Diuus Bernardus in Formula honestæ vitæ, vbi hæc habet; *De nullo prorsus siniſtrè loquaris; quantumcumque sit verum, vel manifestum nisi in confessione: & hoc vbi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Hoc tamen testimonium quia nec distinguit inter venialia & mortalia, cùm tamen ad declarandum veniale id non liceat (vt statim dicemus) & quia nimis vniuersaliter loquitur non excipiendo vllos casus, fortasse non habet magnum pondus, quidquid de illo sit, iudico quæstionem hanc valdè esse dubiam, vtpotè vnicè planè pendentem à voluntate Christi Domini; qui & potuit ad id obligare, & potuit esse contentus, si in similibus casibus fieret confessio formaliter integra, esto nõ materialiter. Vnde aduerto, gratis aliquos ex Auctoribus secundæ sententiæ defatigari in probando eam manifestationem etiminis in complice esse contra præceptũ naturale, ac proinde non posse per positiuum reddi licitam; item infero è contrario, Auctores secundæ sententiæ minùs bene desudare, vt ostendant ita eam manifesta

Sententia vetans prodi à Christi voluntate.

nifestationem esse ex natura rei malam, vt tamen etiam ex natura rei possint multæ circumstantiæ occurrere, quæ eam faciant licitam, seu auferant ab illa conditiones illas, sub quibus tantùm erat illicita; vt cùm inde sequitur maius bonum ipsius reuelantis, cum natura iudicij id requirit,
7 cùm non sit sine causa, &c. In quo puncto valdè fusè discurrit Suarez: Colligo inquam hos omnes gratis defatigari his discursibus. Et quidem Primò, certum est; nam licet in obiectis aliquibus intrinsecè malis, vt in mendacio, odio Dei, &c. non possit Deus dispensare; aliqua tamen obiecta dicimus nos intrinsecè mala, quæ tamen à Deo sine vlla alia causa, sed sola sua voluntate reddi possunt licita, & verò etiam honesta; quale est occidere innocentem, & hoc (de quo nos disputamus) scilicet detegere crimen alterius occultum: cuius ratio est manifesta: cùm enim Deus sit Dominus vitæ & famæ nostræ, potest haud dubiè ipse sola sua voluntate dare mihi facultatem vt & alterum occidam, & vt crimen occultum illius manifestem: quo pacto in die iudicij occultissima quæque toti mundo manifestabuntur. Cum ergo Christus Dominus instituens Sacramenta habuerit ius hoc in vitam & famam nostram: potuit instituendo Sacramentum dare licentiam pœnitenti, vt cõplicis crimen manifestaret Confessario, quando aliter suum peccatum dicere non posset: ad quod faciendum, præter rationem adductam ex dominio, accederent congruentiæ, quæ possent valdè cohonestare eam reuelationem; nõ est ergo probandum id de facto non licere ex repugnantia in natura rei, aut ex malitia intrinseca & essentiali eius reuelationis. Hinc etiam colligo è contrario, gratis Auctores secundæ sententiæ defatigari, vt ostendant ex natura rei esse tunc licitam eam manifestationem: etenim sicut ad hoc, vt fieret licita, sufficeret si Christus eam imperasset; ita è contra si eam non imperauit, aut ad eam non dedit licentiam, profecto ex natura rei manet illicita, & omnia omnino argumenta eorum Auctorum nullius sunt ponderis; quia vel supponunt quòd deberet probari, vel assumunt principia valde incerta. Et sane & Suarez & post ipsum Lugo agnoscunt benè multa ex his fundamentis nulla esse; vt & nos paulò post etiam breuissimè insinuabimus.

Aliqua obiecta mala potest Deus sua voluntate reddere licita

Potuit Christus velle vt complex detegatur, potuit nolle.

8 Relictis ergo his fundamentis deueniendum est ad Christi Domini voluntatem, & inuestigandum, Vtrùm de ea aliquid pro vna aut altera parte ostendere possimus. De quo puncto non multùm videntur esse soliciti Auctores; sed qui secundam tenent sententiam, inde probant posse tunc complicem manifestari; Primò, quia non est damnum graue infamari apud vnum, & maximè qui tenetur in secreto seruare delictum. Vtrùm hi supponunt falsum; ipsi enim admittunt, si scirem meum peccatum esse manifestandum à Confessario vel vni soli, me non teneri illud Confessario dicere; ergo hæc manifestatio vni soli facta sufficit ad non declarandum peccatum complicis etiam ex horum sententia. Secundò, quia si id esset ex se leue peccatum, ergo etiam tantùm leuiter peccarem, si dum possem alteri confiteri, manifestarem huic Confessario peccatum complicis; hi autem supponunt me tunc peccare graviter; ergo: scio quidem Dianam (qui tamen est in contraria sententia) iudicare, etiam extra confessionem non esse graue peccatum reuelare vni soli personæ mortali occultum alterius, & ex hoc capite eum iudicare esse probabilem sententiã secundam, licet probabiliorem iudicet primam. Verùm, quidquid sit de antecedentis veritate, quod communiter negant Auctores, vt dixi immediatè profectò minus bene Diana intulit inde probabilitatem secundæ sententiæ non saltem admittit eam reuelationem alieni peccati vni soli factam esse veniale; ergo tunc saltem venialiter peccabo in ea confessione manifestando complicem, si autem venialiter pecco, iam eo ipso non tenebor illud manifestare, in præsenti autem quærimus, Vtrùm omnino licitè possit id fieri. Quòd si Diana dicat malitiam illam venialem compensari aliunde, etiam posset idem dicere, esto illa manifestatio vni soli facta sine causa esset mortale peccatum; non ergo bene intulit probabilitatem huius sententiæ.

An sit leue apud vnicum diffamari in re graui.

SVBSECTIO SECVNDA.

Examinantur alia argumenta pro secunda sententia: & quid in eadem tenendum.

PRo quâ alij præterea argumentantur; nam pœnitens habitus vt confiteatur suum peccatum integrè, etiamsi per accidens debeat detegere complicem. Addit ipsum complicem se ex posuisse huic periculo, cùm sciret alterum in confessione debere illud detegere. Verum in hac ratione supponitur id de quo est quæstio; quia de eo iure pœnitentis dubitatur. Adde, si ea propositio recte examinetur, videri habere sensum falsum quomodo enim obligationem manifestandi complicem vocatur ius pœnitentis? Ius solet dici aliquid fauorabile eius in quo est; quando autem est obligatio ad faciendum aliquid, maximè id sit onerosum, non potest vllo modo dici ius. Atqui detegere personam complicis non est in fauorem pœnitentis, sed potiùs cum ad id obligare est quodammodo odiosum; ergo ex hoc capite non potest dici debere prævalere illud ius pœnitentis cõtra alterum complicis; nec potest dici, pro meliori ipsius pœnitentis directione esse vtiliorem eã manifestationem, vt ex hoc capite possit vocari ius pœnitentis ea obligatio manifestandi complicem: quia vix, & ne vix quidem est explicabile, quæ vtilitas sequatur pœnitenti secluso præcepto declarandi circumstantias mutantes speciem ex eo quod manifestem complicem ad remissionem enim culpæ id non requiritur nisi vi præcepti, neque ad directionem in futurum, non potest ergo loquendo rigorosè dici ius ea obligatio; de quo adhuc paulo post. Quòd verò dicebatur, complicem debere sibi imputare eam manifestationem, cùm dum peccauit præuidit fore vt alter sit obligandus ad detegendum ipsum, quando id confiteri debuerit, non vrget; Primò, quia euenire potest vt complex nihil de hoc sciat, si Christianus non sit; in eo autem etiam est obligatio consulendi ipsius honori. Secundò quia iam in hoc argumento supponitur id de quo est tota quæstio, scilicet posse detegi à complice, de quo ille esto Christianus sit, fortè nihil omnino cogitat, imò contrarium supponit.

9 *Peccant cæteris paribus alio ita vt peccatũ confiteretis nequeat nisi reuelando complicẽ, an detegere implicitè faciat facultatem vt reuelet.*

Argumentatur præterea Suar. quia in iudicio iusto (sub qua ratione hoc Sacramentum institutum est) ille qui est solius criminis hoc ipso ratione delicti fit subditus Iudici, quantum ad

hoc

An iudicium Pœnitentiæ Sacramenti sit institutum iuxta omnes conditiones iudicij humani.

hoc vt iudex possit inquirere peccatum sui subditi: etiamsi id fieri non possit nisi quasi in obliquo cognoscendo personam, cum qua peccauit: vnde in foro externo qui habet ius accusandi aliquem, potest illum de tali delicto in iudicio accusare, etiamsi necesse sit indicare personam complicis; testis etiam legitimè interrogatus tenetur respondere, &c. ergo idem erit in præsenti materia. Hoc tamen argumentum meo iudicio & supponit quod vertitur in dubium, & alioqui nimis multùm probat; etenim dubium est, vtrùm Christus hoc Sacramentum instituerit sub ratione iudicij secundùm has omnes conditiones, quas Suarez tribuit humano iudicio: Aduersarij enim id negant; vnde id quæso reiicitur? Quòd verò ea instantia nimis multùm probet adhuc est clarius, quia in humano iudicio esto crimen possit totum declarari non detecto complice, potest tamen Iudex me ad illum detegendum cogere. Nam si dico, Furatus sum cum aliis mille, certè vt meum delictum cognoscatur etiam perfectissimè, nihil omnino facit ad rem quòd illi alij socij fuerint, Petrus potiùs quàm Ioannes. Vnde in confessione Sacramentali non possum tunc dicere qui illi fuerint; & tamen Iudex potest me cogere ad eos declarandos: ergo. Imò esto non dicendo me habuisse socium possit crimen meum declarari, potest Iudex interrogare me, an aliquem habuerim. Deinde hæ interrogationes possunt à Iudice fieri, esto inde aut mihi aut complici aut aliis secuturum sit malum aliquod aliud graue. Hoc autem in confessionis iudicio non fit. Ratio disparitatis à priori inter hæc duo iudicia quoad punctum præsens est nimis clara: nam humanum iudicium directè ordinatur ad bonum Reipublicæ, non autem personæ reæ, quæ interrogatur: imò in rigore est in damnum huius: deinde Iudex humanus (quod ferè ex præterita ratione deducitur) non intendit solùm punire hûc reum, sed omnes alios: & quia illi voluntariè & vltrò nõ se detegent, imò quàm fieri potest occultabunt sua peccata: ideò Iudex habet ius ad eas interrogationes: & verò etiam ex solis indiciis potest id facere, vt Reipublicæ noxios deprehendat. Aliter in iudicio Sacramentali res contingit: nam illud ordinatur præcisè in bonum ipsius pœnitentis, non aliorum: est item voluntarium, vnde etiam supponitur ad illud venturus alter complex si sit Christianus, sicut hic venit, & de suo peccato acturus pœnitentiam. Deinde notitia (si quam possit Confessarius habere de complice) nihil potest deseruire ad complicis emendationem: non est ergo ratio, cur debeat hîc seruari idem tenor qui in aliis iudiciis.

10

Differentia inter iudicem humanum & iudicem fori pœnitentiæ.

11

An spectet ad reuerentiam Sacramenti vt faciat prodere complicem.

Argumentatur Tertiò Suarez, quia reuerentia debita huic Sacramento magis exigit, vt debitè tractetur, & in sua puritate ac integritate conseruetur dicendo omnes species peccati, quàm vnius complicis bonum nomen exigat, vt propterea debeat Sacramentum relinqui imperfectum, maximè cùm ea manifestatio non sit adeò nociua complici. Verùm hæc ratio multò magis supponit id quod probari deberet: si enim Christus non petiit pro hoc Sacramento eam declarationem in tali casu, profectò reuerentia debita Sacramento id non exigit: vti id non exigit (etiam iuxta hunc Auctorem) quando timetur aliud malum mihi aut complici. Ratio à priori: nam Sacramentis non alia debetur reuerentia, nec alia materia quàm Christus petierit: vnde si voluisset vt in confessione solùm nos accusaremus in communi dicendo *Peccaui mortaliter*, non deberetur maior accusatio pro reuerentia Sacramenti quà ea confusa.

An faciat ad proximi vtilitatem prodere complicem.

Quartò ergo ait, spiritualem vtilitatem proximi id requirere vt melùs eius conscientiæ prospiciatur, & pœnitentia Sacramentalis commodiùs imponatur: hæc ratio apud negantes circumstantias notabiliter aggrauantes debere explicari, non multum roboris habere potest; quia longè magis ibi ea declaratio videtur esse necessaria ad satisfactionem imponendam, & ad vtilitatem proximi, ac magis frequenter ille casus occurrit quàm manifestatio complicis noti Confessario; quæ vix contingit, nisi quando cum sorore aut consanguinea peccatur: in sententia autem Suarez & nostra, qui eas circumstantias aggrauantes dicimus declarandas, videtur habere aliquam vim. Nihilominùs dico absolutè illud esse debile, quia vtilitas pœnitentis solùm potest esse, quòd ille ponatur in statu gratiæ; & ad hanc non est necessaria ea declaratio, quia illud peccatum tunc ex integro dimittitur, sicut peccatum de quo fuit oblitus: potest item ea vtilitas esse maior pœnitentia; hanc autem potest tunc petere pœnitens, esto eam circumstantiam non declaret. Denique ea vtilitas non est tanta, vt inde detur obligatio manifestãdi complicem. 12

Tertia vtilitas potest excogitari in ordine ad aliquam specialem instructionem, quam daturus ei fuisset Confessarius, si eam circumstantiam nouisset: verùm neque hæc habent locum, quia non probatur eam esse tanti momenti, vt æquiualeat ei reuelationi delicti. Denique, quia si Christus non obligauit ad hoc, non est attendenda vtilitas hæc, nec impositio eius pœnitentiæ. Vides argumenta hæc leuia esse?

An Christus voluerit fideles sua peccata confitori integrè, nulla habita sua aut proximi famæ ratione.

Magis ad rem ipsam argumentatur Lugo numero 398 ait enim Christum in hoc Sacramento voluisse vt fideles integrè deferrent sua peccata ad Sacerdotes, non stante infamia quæ ex confessione oritur: sicut autem obligauit ipsum pœnitentem ad subeundam propriam infamiam apud Confessarium propter bonum confessionis; ita obligauit ad eadem detegenda etiam cum infamia complicis, quia magis per se requiritur ad obligandum aliquem vt seipsum infamet, quàm vt infamet alterum, cùm possim aliquando manifestare crimen alienum ad vitandum aliquod malum meum graue. Cùm ergo bonum integræ confessionis tale ac tantum sit, vt propter illud Christus obliget pœnitentem, vt manifestet sua crimina, consequens est, vt propter illud idem bonum permiserit vt manifestetur complex. Hæc ratio etsi magis probabilis, nullo tamen modo satisfacit; quia cùm res hæc tota, vt dixi, pependerit ex Christi Domini voluntate, qui potuit pœnitentem ipsum obligare vt se manifestaret, non obligando, imò nec dando licentiam vt manifestaret complicem. Certè consequentia ab vno ad alterum non valet; & quidem ratio disparitatis inter eas duas personas ad rem præsentem est maxima; nam cùm pœnitenti conferatur beneficium maximum in Sacramento, quale est condonatio peccati & augmentum gratiæ & gloriæ, non habet quòd molestè ferat, si obligetur etiam cum aliqua infamia, ad sua peccata Sacerdoti manifestanda. Hæc ratio tota quanta cessat respectu complicis, qui ex eo Sacramento nullam prorsus

Disparitas inter pœnitentem & complicem in fructu Sacramenti consequto.

sus habet vtilitatem; sed si & ipse velit liberari à peccato, iam tunc debebit Confessario suum
13 delictum manifestare. Deinde, cùm per se loquendo rarò contingat hoc periculum, & pœnitentis peccata possint per se sufficienter explicari sine ea lasione proximi non videtur fuisse necessarium ad integritatem per se Sacramentalis indicij dare eam licentiam declarandi complicem: quòd enim in vno aut altero casu non ita explicaretur ille status, non fuit tanti momenti, vt propterea esset dispensandum in obligatione naturali seruandi famam proximi; aut (vt loquamur magis iuxta discursum suprà factum) non fuit necessitas vt Christus vteretur suo dominio in famam hominum, & daret pœnitenti licentiam, imò imponeret obligationem manifestandi complicem.

An Sacramentum Pœnitentiæ secùm trahat necessitatem reuelandi complicem.

Dices cum Lugo, Hoc Sacramentum per se videtur afferre eam manifestationem; nam per se loquendo vnusquisque debet confiteri proprio Pastori: est autem per accidens, quòd Pastor concedat facultatem confitendi alteri, quàm posset non dare. Pastori autem notæ sunt oues; ergo saltem quatenus complex debet eidem Pastori confiteri: confessio integrè facienda afferet eam infamiam. Hæc tamen ratio reiicitur eodem argumento quo hic Auctor vsus est contra eos, qui dicebant complicem, dum peccauit, se exposuisse huic infamiæ, ac proinde illum cessisse iure suo. Contra hanc rationem argumentatur hic Auctor; non fieri potest vt complex sit Ethnicus, & quidem id per se, maximè in primitiua Ecclesia, ergo: hæc ratio etiam hic habet vim contra ipsum. Secundò dico, Esto per se confessio sit facienda Pastori, non esse necessum vt idem sit Pastor fratris & sororis quia in eadem ciuitate possunt esse in diuersis Parochiis diuersi Pastores. Tertiò, quòd Parochi essent habiti ri se alluuantes, & Pontifex summus Pastor esset daturus facultatem vt independenter etiam á voluntate Parochi possent aliis confiteri, per se fuit intentum à Christo & non per accidens. Denique cùm per se esset futurum, vt in quolibet oppido, fortè etiam pago, futurus ordinariè esset distinctus Parochus, & aliunde peregrini per se fruantur priuilegio loci ad quem veniunt; facilè potuit, qui vitare cupiebat infamiam proximi, excurrere ad locum vicinum, vbi notus ipse non esset, aut saltem non essent noti parentes & sorores, &c. non ergo fuit necessitas obligandi ad eam manifestationem.

14 *An in Pœnitentia institutione sustulerit Christus obligationem non diffamandi complicem.*

Fortassis sic posset aliquis argumentari: Christus Dominus absolutè voluit vt declararetur peccatum pœnitentis cum circumstantiis saltem variantibus speciem (vt ex Tridentino suprà ostendimus:) atqui non constat illum fecisse exceptionem vllam de casu, quo complex esset declarandus: ergo absolutè obligauit etiam ad hoc, quia generalis regula omnia complectitur. Hoc argumentum esset apud me efficacissimum, si Auctores omnes, etiam qui hanc sententiam defendunt non facerent exceptiones multas ex ea regula generali; quas tamen exceptiones tam parum constat factas esse à Christo, quàm constet de hac nostra, de qua dubitamus: quòd si illæ ponuntur, quia ex natura rei videtur esse ad illas obligatio, & non constat è contrario positiuè eas à Christo ablatas; idem omnino ego dicam de hac nostra, scilicet ex natura rei esse eam obligationem non manifestandi alienum peccatum, & non constare, quòd in ea Christus dispensauerit; ergo non debemus id asserere: nam obligatio, quæ est ex natura rei, non censetur ablata, etiam ab eo qui potest eam auferre per legem positiuam, nisi expressè eam reuocet, aut nisi lex illa positiua petat necessariò eam ablationem. id autem in præsenti non petere patet ex aliis similibus casibus, quos dixi excipi ab omnibus; v.g. quando ego timeo meum peccatum à Confessario reuelandum vel vni tantùm, etiamsi timeatur solùm in confessione id faciendum; tunc enim non obligor meum peccatum tali Confessario dicere; & tamen ibi non est maior manifestatio, quàm si ego reuelem complicem: hîc enim peccatum complicis reuelatur vni, cui ille non confitetur, sed ego, qui illud reuelo. In eo item casu est hoc idem: nam meum peccatum reuelaretur tunc à meo Confessario vni, cui ego non confiteor, sed confitetur ille qui illud reuelat; ergo si ego excusor dicere meum, ne alius quàm meus Confessarius illud sciat, etiam excusabor dicere peccatum Petri, ne alius, cui Petrus non confitetur, illud sciat; quia iam dixi cùm hoc Sacramentum in pœnitentis bonum summum ordinetur, faciliùs fuisse illum obligare ad se in eo diffamandum aliquo modo, quàm vt diffametur proximum, qui ex eo Sacramento nihil prorsus vtilitatis accipit.

Iudicium de vtraque sententia.

Ex his constat stando ratione probabiliorem esse primam sententiam: quia cùm non constet à Christo illam obligationem naturalem non prodendi complicem esse ablatam per hoc Sacramentum, non possumus nos dicere ablatam esse; obligat ergo etiam in eo casu. Secunda autem sententia habet pro se Scholasticos plures. Quidquid de re ipsa sit, vtraque in praxi potest commodè teneri.

SECTIO III.

Aliqua dubia circa casum præcedentis sectionis.

PRIMÒ potest quæri, An si delictum com- 15
plicis iam sit planè notum Confessario, possim saltem tunc illum manifestare. Respondeo. Omnino posse quia tũc nõ esset diffamatio: nam & extra confessionem possum tunc illud dicere, seu vt de re nota cũ illo loqui. Vnde dico, Si constet mihi certò illum confessum fuisse iã hoc ipsum peccatum eidem Confessario, non dubium quin possim tunc & debeam eam circũstantiam declarare; quia iam non est diffamatio, & tunc obligabit integritas confessionis.

Casu quo sit licitum prodere complicem, an etiã sit necessariũ.

Secundò quæres, An si dicamus cum secunda sententia licitum esse eo casu complicem detegere, debeamus eo ipso dicere, etiam ad id teneri, ita vt vnum sequatur ex alio. Respondeo, Omnino id sequi, quia (vt benè ait Suarez numer. 11. & magis vniuersaliter Vasquez q. 91 art. 2. dub. 9. num. 40.) quotiescumque possum nullo obstante impedimento integram confessionem facere, debeo eam facere; quia tunc obligat præceptum generale faciendi integram confessionem; atqui eo ipso quòd sit licitum complicem detegere, nihil obstat quò minùs eam faciam integram; ergo teneor.

In hac tamen ratione sic vniuersaliter deducta habet Cardinalis Lugo difficultatem, eò quòd si ego ex confessione timeo mihi aliquod malum,

possum reticere illud peccatum; & tamen possum etiam illud confiteri, quia possum cedere iure meo ad vitandum illud malum? ergo. Idem in aliis casibus similibus probat Lugo ibi. Ego omnino iudico non semper illud vniuersale principium esse verum. Quoad punctum tamen præsens videtur efficaciter concludere; & contra illud non habet vim ea instantia, quam etiam sibi opposuerat Suarez, eique respondet. Ideò me tunc posse confiteri integrè, quia possum cedere & non cedere iure meo; at respectu proximi, quem iam supponimus etiam inuitum posse declarari à me, non potest esse aliquid aliud, quod me excuset quò minùs integrè confitear rectè; ergo ibi bene infertur, Possum licitè illum detegere, ergo tenetur vi præcepti Christi de confessione integrè facienda.

Reiecta ergo ea ratione Suar. & Vasq. resolutionem tamè eorum & nostram probat Lug. tedeundo ad illud principium; Quòd sicut bonum meum nomen me non excusat quò minùs obliger ad meum peccatum manifestandum, etiam cum aliqua mea infamia; ita neque me excusat quò minùs reuelem complicem: hæc tamè ratio iam est à me reiecta, & assignata disparitas inter me & complicem. Tenendum est ergo fundamentum illud Partum Suar. & Vasq.

16 *Dato quod teneatur peccato mortali prodere còplicē. an teneatur etiam in veniali, siid velim confiteri.*

Tertò quæri potest, An data ea secunda sententia, dicendum sit idem, si necessitas declarandi complicem oriatur ex peccato veniali declarando: hanc mouet Lugo a num. 410 & benè respondet, tunc non licere, quia cùm ad veniale confitendum Christus nos non obligauerit, non potest dici necessarium nobis esse pro integritate confessionis proximum infamare, Quam doctrinam maximè iudico veram, si pro declarando veniali meo ego deberem mortale proximi reuelare; si autem solùm etiam esset detegendum venìale proximi, fortè posset dici, id esse licitum, quia ea infamia est leuis. Nihilominùs etiam tunc puto pœnitentem venialiter peccaturum, quia non habet caussam sufficienter excusantem, cùm nullo modo teneatur illud veniale confiteri, & totam vtilitatem Sacramenti possit obtinere alia venialia confitendo, aut illud ipsum confitendo, non tamen declarando eam circumstantiam. Addit autem benè ibidem hic Auctor; hoc ipsum esse intelligendum de mortali iam semel in confessione remisso; quia iam de hoc confitendo nulla est obligatio, quæ possit mihi licitam facere eam proximi manifestationem, cùm iam non sit eius manifestatio ad integritatem confessionis necessaria. Addit Secundò, si de veniali dubitem an sit mortale, tunc eodem modo me fore obligatum ad manifestandum complicem; quia peccata dubia sunt etiam materia necessaria confessionis. Quæ doctrina suppositis eis duabus sententiis nullam habet difficultatem.

Secundò dices, Praxim esse in contrarium. Feminæ enim sæpè solarij caussa referunt Confessario peccata mariti sui subinde etiam grauia, Confessarij autem id sine scrupulo vllo permittunt frequenter. Respondeo, in rigore hanc obiectionem esse extra nostrum casum; quia hæc consuetudo est independens ab eo, quòd illæ fœminæ dicere possint sua peccata non reuelando peccata mariti, sed quasi independenter ab hoc puncto solarij causa ea dicunt; eo modo quo extra confessionem possent ea narrare. Vnde dico, Si extra confessionem potest ob illud solatium hic mos cohonestari, posse & in cõfessione quod si extra confessionem illicitus est, erit & in ipsa confessione; nam quòd ego accedam vt me accusem, non dat mihi ius vllum vt de alienis peccatis loquar, maximè quando vt me explicem non est vlla necessitas explicandi aliena, prout videtur supponi nõ esse in obiectione facta. Quasi tamen nequeat proprium sine alieno satis declarari, id pertinebit ad dubium sequens.

17 *Si peccatum alterius explicari nequeat, an debeat tertia per ona nõ complicis prodi naturalis defectus eius peccati.*

Vlteriùs Quartò quæritur, An eadem sit ratio de manifestatione peccati tertiæ personæ non complicis; vbi etiam venitur in dubium, An si ego meum peccatum nõ possim sufficienter declarare nisi manifestando alterius naturalem defectum occultum, v.g quòd sit spurius, quòd infamis, &c. possim & teneat id facere: vt si filius det matri venenum, eò quòd esset grauida ex adulterio; aut si detexit occultè peccatum illius. Suarez suprà sect. 2. num. 14. negat, quia complex ex eo quòd fuerit particeps delicti, factus est specialiter subiectus illi iudicio & proinde amisit ius in suam famam. Quæ ratio in delicto personæ non complicis non habet locũ: deinde ratio quæ ex reuerentia debita Sacramẽto desumitur hic etiam cessat, cùm casus sit rarissimus, & reuerentia debeat seruari rationabili modo: nulla autem ratio patitur, vt is qui inuitus sustinuit aliquam iniuriam, v.g virgo aliqua planè violenter est defloratа; eadem rursus toleret alteram infamiam sine vlla culpa sua, dum à stupratore in confessione detegitur. Denique cessare vtilitatem ex parte pœnitentis, quia eo casu ipse debet sustinere detrimentum, ne alius incurrat infamiam, cùm ipse solus illud delictum commiserit. Non carent magna probabilitate hæ rationes, maximè illa de duplici iniuria; quia si soror v.g violenter est stuprata sine vllo suo peccato (de quo non fuit propriè complex) profectò durum est, vt adhuc eam frater detegat apud Confessarium. Non est item hæc ratio vniuersalis, quia potest aliquando contingere (vt in interrogatione ipsa supponimus) tale esse peccatum illud quod detegitur, vt non fiat tertiæ personæ à pœnitente duplex iniuria, sed pura puta ea manifestatio de qua agimus: vt si ego peccaui cum ea, cum qua frater meus peccauerat; tunc enim quærimus, An possim detegere meum fratrem. Eo autem casu ego per meum peccatum non feci fratri iniuriam; esto meum peccatum, quia inde habet grauitatem, non possit declarari nõ explicato fratris peccato; cessat ergo ibi ea ratio Patris Suarez. Prior etiam de iudicio non videtur efficax, quia obligatio declarandi complicem non est nisi ratione integritatis confessionis; ad quam per accidens se habet, quòd peccatum alterius sit peccatum complicis necne; si tamen meum nõ potest sine vllo declarari. In humanis iudiciis, vbi Iudex omnium delicta punire debet, & ex vno complice transit ad alterum, habet vim ille discursus; at in nostro nullo modo.

Ego hanc sententiam Suarez sequor in eo casu de iniuria; quem etiam ferè admittit Lugo num. 423. in aliis putarem magis consequenter ad principia eius secundæ sententiæ discurri, si dicatur esse etiam tunc obligationem manifestandi illud peccatum; cum ratio complicis videatur se habere per accidens, & sic inde nihil sit quod excuset. Dico *nihil sit quod excusat*: nam

18 *Resolutio dubii.*

nam quando est ea duplex iniuria, potest illud ipsum reputari graue malum eius personæ: & habet maiorem vim, si ea sit innocens: vnde non erit tunc obligatio eam prodendi.

Quantam industriam facere debeat quærendo alium Confessarium pœnitens ne prodat complicem.

Quintò quæritur, Dum dicitur in ea secunda sententia non posse pœnitentem detegere alienum peccatum, si commodè possit alium Confessarium inuenire quid intelligatur per *tò commodè* an teneatur aliò ire vt eum habeat, an expectare ad tempus, & quamdiu. Respondeo, Rem hanc esse prudentum iudicio decidendam: pendet enim à diuersis circumstantiis, v.g. a periculo pœnitentis, à deuotione & frequentia circa Sacramenta, à commoditate sine magna molestia inueniendi alium Confessarium, & similibus circumstantiis. Merito docet Lugo, si post illud peccatum pœnitens est confessus, illúdque oblitus, quia iam est in gratia, non esse cur ita properet ad integram confessionem, nisi ea dilatio fiat cum aliqua nota: vt si cogeretur Sacerdos omittere Sacrum, ego hanc limitationem non ponerem, quia fortasse talis posset tunc celebrare sine confessione, iuxta ea quæ dixi Tomo 7. ostendens probabiliter non esse obligationem præmittendi ante Communionem confessionem nouam de peccatis, quorum inuincibiliter est oblitus: quia quoad totam certitudinem de statu gratiæ & dispositionem pro Venerabili iam ille habet quidquid optare posset, si non fuisset oblitus eius peccati: quidquid tamen sit de hoc puncto, vt diximus, quando Confessarius est in statu peccati, & non vult dolere, ideóque peccando est administraturus Sacramentum, non ideò me debere id valdè curare, ne negligam meam vtilitatem ex confessione ortam; idem suo modo hic dicimus, non esse necessarium valdè diu eam confessionem differre ob reticendum complicis peccatum. Fateor maiorem aliquantulum esse obligationem expectandi quàm in casu allato de Confessario: eo quòd Confessarius semper potest elicere actum contritionis, & sine peccato audire confessionem, quam ego volo facere: ideóque si in peccato velit me audire, sibi imputet, non mihi: in nostro autem præsenti casu non est in manu complicis, quòd ego habeam alium Confessarium: ideò ego debeo paulò plus de ipsius honore esse solicitus, & aliquantulùm ad duos tresve dies expectare; quia tamen habere contritionem est valdè difficile, & aliundè non minùs periculosum in statu mortalis iacere, non putarem vltra duos vel tres dies obligandum ad eam dilationem in gratiam proximi.

19

Qui complex diffamauit in confessione an teneatur ad famæ restitutionem.

Sextò quæritur, Si pœnitens potens alteri (cui complex sit ignotus) confiteri, id non faciat, & illum iniustè infamet, an teneatur ac restitutionem. Respondeo, Si fieri posset restitutio, teneretur ad illam: vt benè docet Lugo: Est tamen difficillimum inuenire in eo casu modum restitutionis: nam dicere, *Non cum illa, sed cum alia peccaui* esset mentiri & dare vnum peccatum pro alio. Melius posset excusare si diceret Confessario deinde, Erraui dicendo esse talem quia reuerà in praxi erraui id dicendo. At si Confessarius iam sciat hanc ipsam doctrinam, nihil credet inde. Quoad damna extrinseca fortunarum: si quæ sequantur, tunc clarior est obligatio, & modus facilior ea compensandi.

Vltimò quæri potest, An ipse Confessarius, quilo habet notas personas omnes domus pœnitentis possit hunc interrogare, an sit in occasione proxima peccandi: inde enim facilè colligere posset quis aut quæ sit complex. Respondeo, Si sequamur sententiam primam, non fore licitam eam interrogationem, casu quo (vt supponitur) Confessarius sit eo ipso deuenturus in notitiam complicis: nam si pœnitens non potest hunc dicere, profectò nec Sacerdos poterit cogere pœnitentem, eíve dare occasionem manifestandi illum. Quòd si iuxta secundam sententiam sit discrendum, dicere etiam debemus, licitè posse illam interrogationem fieri: nam licet ob notitiam peccati non sit necessaria, quia tamen ad periculum, in quo versatur, explicandum, & pro directione Confessarij est valdè vtilis ea notitia, potest omnino ea interrogatio fieri.

SECTIO IV.

An extra casum integritatis confessionis possit esse obligatio manifestandi alienum delictum.

QVARITVR, An esto ad integritatem confessionis non sit necessarium manifestare complicem, possit tamen aliquando Confessarius pœnitentem cogere ad illum manifestandum. Quæ difficultas etiam habet locum, esto alter, cuius peccatum scio, non sit complex. De hac quæstione egit fusè Banez 2 2 quæst. 33. in fine, qui in primis ait non esse medium aptum ad correctionem alterius notitiam, quæ habetur in confessione: Secundò ait, Multa ex ea manifestationi posse sequi inconuenientia: Tertiò addit, Eum vsum esse iniurium Sacramento, quia est aliquo modo contrarius eius sigillo. Pro contraria sententia refert Lugo ea disp 18 sect. 8. Ferdinandum Guerrerum Archiepiscopum Granatensem, à pietate & doctrina celebrem, qui multos ponebat casus, in quibus dicebat debere Confessarium pœnitentem ad eam manifestationem quam si facere nolit, addebat negandam ei absolutionem: Primò, si sciret aliquem occultè dogmatizare, & pœnitens ipse eum non posset deferre: Secundò, si sciat Sacerdotem reuelare confessiones: Tertiò, si sciat aliquem celebrare, qui non sit Sacerdos: Quartò, si sciat de Medico aut Pharmacopola venenatis medicinis Rempublicam inficiente: Quintò, si femina solicitata ab amico mariti in proximo sit periculo consentiendi. His possunt similes alij casus excogitari pro ea obligatione adstruenda.

20

An Confessarius possit adigere pœnitentem ad prodendum peccatum alienum extra casum confessionis.

Pro hac sententia citat etiam Lugo ibi Gandauensem, Antoninum, Bonauenturam, Richardum, & Syluestrum: Suarez verò disp 31. sect 4. num. 18 obiter rem tangens supponit aliquando posse esse obligationem eius manifestationis, citátque pro ea doctrina Sotum. Priùs verò idem Suarez sect. 2. eiusdem disputationis docuerat, ob aliquam vtilitatem magnam licitam esse eam reuelationem: pro quo citauerat Augustinum ex cap. *Hoc videtur* causa 22. quæst. 5. imo Diuus Antoninus ab eo citatus ob solam hanc vtilitatem, quòd Confessarius, si noscat personam illam, sit pro illa efficaciùs oraturus, putat posse licitè complicis aut alterius delictum manifestari.

Hæc res facilè potest decidi; pro quo Dico
21 Primò: sæpè contingit pœnitentem antecedenter ad confessionem, seu independenter ab eo quòd confiteatur, teneri deferre delictum alienum, etsi occultum; vt tenemur deferre ad Tribunal sanctæ Inquisitionis hæreticos & alios iuxta diuersas Bullas Pontificum; & ad hoc punctum pertinent aliqui ex casibus quos ex Guerrero adduximus. Item in Republica ciuili sine dubio si quis sciret de hoste Reipublicæ occulto grauissimum damnum moliente teneretur illum deferre; in Religione item si sciret aliquem suis malis moribus inficientem reliquos, teneretur eum prodere. In his & similibus casibus ea obligatio est omnino, vt dixi independens à confessione; ac proinde si Confessarius intelligat talem non velle deferre eas personas, potest illum cogere, non quia ipse ei obligationem imponat, sed quia declarat eam, quam alioquin habet, & potest ei negare absolutionem, si non faciat; sicut eum qui restituere non vult cùm possit, tenetur non absoluere. In hoc puncto nullus potest dubitare.

Tenetur pœnitens independenter à confessione aliqua peccata aliena manifestare.

Non tenetur ea sub sigillo confessionis manifestare, nec potest ad hoc obligari.

Dico Secundò: In nullo ex his casibus potest Confessarius pœnitentem obligare, vt sibi sub sigillo confessionis reuelet tales personas. Hanc etiam puto certissimam esse, nec posse à Guerrero negari. Probatur autem facilè Primò, Quia ea obligatio deferendi, quam diximus esse in pœnitente, non erat ad deferendum ipsi Confessario, sed vel Inquisitoribus vel Prætori ciuitatis, &c. Confessarius autem non imponit tunc nouam obligationem. Secundò, quia ea delatio sub sigillo confessionis esset planè inutilis, cùm Confessarius non posset vti ea scientia ad emendandos eos defectus; ergo esset speculatiua tantùm notitia, ac solùm ad curiositatem spectans; cúmque, vt diximus, non sit necessaria ad declarandum peccatum pœnitentis, non posset Confessarius obligare, vt sibi illud reueletur; imò nec sine peccato graui posset admittere vt sibi dicatur: & pœnitens etiam peccaret mortaliter illud reuelans.

22 Dico Tertiò: In his & omnibus aliis casibus si pœnitens per se velit illas personas deferre eis quibus obligatur, non potest Confessarius cogere, imò nec rogare pœnitentem, vt sibi etiam sine sigillo confessionis eas personas manifestet; quia iam esset diffamatio non necessaria neque vtilis, cum supponamus deferendas eas personas iis ad quos spectat.

Quàndo possit & debeat pœnitès talia peccata Confessario manifestare, & quomodo.

Dico tamen Quartò: Si contingat & pœnitentem habere eam obligationem deferendi, & ei per seipsum non posse satisfacere, tunc posset Confessarius in se hoc onus subire, & eos deferre: quòd si pœnitens alium non haberet per quem id exequeretur, teneretur etiam tunc manifestare eos Confessario; extra sigillum tamen confessionis, vt scilicet posset ea scientia vti in ordine ad illam delationem; quòd si tamen pœnitens esto per se non posset deferre, haberet tamen alium, per quem id vellet præstare, non posset confessarius illum cogere, vt sibi eos reuelaret; quia obligatio pœnitentia ad deferendum non erat determinata ad ipsum Confessarium, sed ad deferendum ei qui possit illi malo occurrere, siue id immediatè præstet per se, siue per alium: iam enim dixi eam obligationem esse antecedenter ad confessionem & omnino independenter ab illa: posset ergo tunc eligere quemcumque vellet. Addo autem, si pœnitens ipse per se commodè possit, nec vllum inde sibi timeat graue malum, teneri per seipsum eos deferre, & non posse aut Confessarium aut vllum alium eligere, eò quòd iam vni amplius quàm esset necessarium faceret notam eam infamiam alienam: id quod ex dictis in tertia conclusione de Confessario clarissimè constat non esse per se licitum. Dixi paulò antè, Posse Confessarium acceptare in se eam curam deferendi: nam si nolit, sed id remittat ipsi pœnitenti, vt vel per se id faciat, vel aliquem quærat quid id præstet, nó potest pœnitens eum obligare; si tamen contingeret pœnitentem planè nec per se nec per alium id posse præstare, Cófessarius verò posset sine periculo, tunc iure naturæ ea obligatio relaberetur in ipsum; quia etiam Confessarius tenetur bonum communitatis respicere: ideò enim diximus posse eum obligare pœnitentem ad eam manifestationem, vt præstet ipse quod alter non potest; ergo tunc cogitat ipse id præstare: est autem aduertendum circa hoc, melius in tali casu fore si pœnitens licentiam illam det extra confessionem, vt quæ postea facta fuerint, habeant minorem speciem violati sigilli confessionis. Monet etiam Lugo benè, si Confessarius sit Prælatus, & quæ ei dicuntur sint de subditis, debere valdè cautè se gerere in credendo; quia possent duo vel tres nequam hoc modo malitiosè contra aliquem conuenire dando licentiam Prælato vt vtatur ea scientia in gubernatione alterius, non tamen dando licentiam vt illi aliquid dicat; & tunc nescius quid circa se agatur, & qua de causa puniatur, non posset excusationem etiam iustam adducere, & inauditus pateretur.

23 *Cautela pro Prælato qui suorum confessiones audiunt*

Ex his constat, quid sit dicendum de sententia Bañez, cui in his conclusionibus magna ex parte assensi sumus; quatenus verò vniuersaliter videtur dicere, nunquam esse licitum dare eam licentiam Confessario, reiiciendus omnino est; quia & sæpe non potest per alium impediri illud damnum (vt diximus) ne autem in præiudicium sigilli confessionis sit ea manifestatio, potest ea licentia dari extra confessionem; & denique possunt esse multi casus, vbi planè sciri non possit, an aliquis alius à pœnitente dixerit eam rem confessario, qui illam postea defert, multò autem minùs sciatur dictam esse in confessione. Quòd si Petrus potuit à me petere (esto mihi non cõfiteretur) vt eam rem ego deferrem ob iustas causas, cur non idipsum poterit petere, esto fuerit mihi confessus? Certè confessio non impediuit eam potentiam id à me petendi. Denique quod insinuabatur suprà ex D. Antonin. pœnitentem posse explicare alienum delictum vt Confessarius, quia ei afficitur, feruentiùs pro eo oret, non potest vllo modo admitti, quia effectus illius orationis est valde incertus absolute; multò autem magis est incertus, quatenus ex eo cap. oratio est feruentior, nec debet alter pro tam dubia vtilitate certam infamiam incurrere.

Non licet dicere delictũ alterius Confessario præcisè, vt pro eo feruentius oret Confessarius.

DISPVTATIO XXXIV.

De obligatione dicendi actionem externam peccati & peccatorum numerum.

1 HÆ difficultates propriæ sunt huius loci; in his enim non tam agimus quæ sint peccata, quàm quæ debeant in Confessione declarati etiãsi sæpè aliquid circa primum punctum admiscere nobis erit necessarium.

SECTIO I.

An sufficiat confiteri voluntatem interiorem efficacem effectu non declarato.

An actus exterior sit necessariò explicandus in confessione.

QVÆRIMVS, An sufficiat dicere, Volui efficaciter occidere Petrum, an verò vlteriùs tenear dicere, Dedi ei ictum lethalem; an etiam Tertiò debeam dicere, Et reipsa occidi. In hac quæstione potest aliquid de re misceri, Vtrùm scilicet actio illa exterior addat aliquid de bonitate & malitia supra interiorem. De hac tamen fusè egi Tomo 3. vbi cum communi docui, nihil omnino angere. Potest etiam aliquid miscerì de modo loquendi, Vtrùm scilicet non obstãte quòd nihil addat de malitia, nihilominùs sit dicenda ea actio peccatum. Cui respondetur, Omnino debere dici: vti enim liberè dicor scribere, ambulare, currere, &c. quia illæ actiones denominantur à mea interiore volitione libera, ita eodem modo nominantur peccata aut è contrario virtutes. Rursus hic est noua quæstio de voce circa effectus qui deinde sequuntur, Do ictum v. g. lethalem Petro, ex quo ille paulò pòst moritur; mors non est iam actio mea physica non solùm potentiæ liberæ voluntatis huius enim nec ipse ictus est, sed nec potentiæ vllius exterioris: iam enim ego, ampliùs nihil ibi facio; nam etsi ego sim absens, imò mortuus, aut etiam ex integro annihilatus, mors illa aut sanitas è contrario eodem omnino modo causabuntur in Petro: id quod habet locum, siue immediatè post ictum moriatur, siue post horam, siue post annum. In his ergo quæ non sunt, vti dixi,
2 actiones meæ physicæ, habet locum quæstio ea secunda de voce, Vtrùm scilicet dicendus ego sim peccare, & tunc moraliter occidere, quando operatur venenum à me datum; an verò hæc omnia purè sint dicenda affectus mei peccati. In hac autem quæstione, vt patet de voce, in qua eo ipso vnus hoc modo, alter illo loquitur, sunt variæ sententiæ; nam quidam dicunt, si sequatur effectus immediatè, tunc posse me dici peccare in ipso effectu, non verò si diu post. Secundò alij putant hominem peccare toto tempore, quo effectus ille durat. Distinguunt Tertiò alij; vel enim retractauit voluntatem, qui dedit causam, vel non: si retractauit, eo ipso dicunt cessare in illo eam denominationem causantis; si non retractauit, dicunt eam durare. In hac tam ipsa retractatione est varietas sententiarum: nam quidam putant eam debere fieri per actum supernaturalem & talem, vt deleat peccati illius maculam. Alij censent sufficere, si sit etiam naturalis: quia hæc efficit, ne effectus ille dicatur voluntarius.

De hac quæstione ego egi Tomo 1 disp. 45. à num. 1. vbi dixi, Primò non plane esse loquendum in eo rigore quo Pater Vasquez, qui tunc solùm dici effectum esse nobis voluntarium, quando subest actu nostræ libertati: quam sententiam etiam hic sequitur Lugo; etenim in omnium hominum ferè iudicio dum carnifex iugulat, dicitur illi libera esse iugulatio, & ea censetur opus ipsius; quòd si id faceret priuata auctoritate & peccando, nemo diceret iugulationem illam non vocandam actionem externam illius & peccatum; & tamen si in eo rigore ad rationem Vasquez attendamus, ea non deberet dici nisi purus effectus carnificis: imò in rigore ipsa etiam gladij ad collum applicatio non esset vocanda actio illius: id quod eo citato loco probaui, quia licet cùm primùm carnifex v.g. impetum dedi brachio, fuerit libet, ipso tamen tempore, quo iam gladius cadit, nullam profectò habet ampliùs carnifex potestatem retinendi ictum, etiamsi vellet illum retrahere. Simili ratione vtitur Lugo ad probandum actionem satisfactiuam pœnalem non esse formaliter liberam, quia cùm primùm quis dat impetum flagellis v.g vt verberet, iam am ampliùs non habet libertatem ad cohibendum manum. Vnde in præsenti contra ipsum & Pat. Vasq. infero, Ego vt in communi modo loquendi aliquid dicatur peccatum, & iudicetur verè actio externa peccaminosa hominis, non est necessum eam tunc sub iacere actu libertati, ita vt nunc possit cohiberi.

An solùm tunc effectus dicendus sit voluntarius, quãdo subest actu libertati nostræ.

Dixi Secundò, Nec è contrario ad id sufficere, quòd trahat initium à peccato, alioquin qui semel dedit alteri venenum quod per duos vel tres annos operatur, deberet dici semper tunc actu peccare & actu occidere illum hominem; id quod est contra communem modum loquendi. Dixi etiam ibi, Ad hoc, vt in ea longa mora cesset denominatio illa peccantis, non esse necessarium cum eis tertiis Auctoribus recurrere ad retractationem voluntatis, multò autem minùs requiri eam retractationem esse supernaturalem Hæc ibi fusiùs deduxi circa hanc quæstionem de voce, ea autem debui breuiter insinuare pro præsenti intento.

In quo Pater Vasquez Tomo 1. num. 12. disp. 94. cap. 3. negat esse necessarium declarare in confessione eos effectus: aitque sufficere dicere, *Dedi causam sufficientem mortis, ebrietatis,* &c. Idem tenet Lugo suprà num. 44. vbi pro se citat Granadum ac Suarium Tomo 2. de Religione, lib. 3. cap. 8. num. 5. sunt quidem in eo Tomo terni libri tertij, in nullo tamen quidquam ea de re inuenire potui: in libro tertio, qui est in vltimo Tractatu, agit quidem Suarez cap. 8. num. 5. de consuetudine iurandi, aut peierandi. de obligatione verò confessionis nihil dicit; citat etiam pro se Patrem Sanchez tamquam reputantem probabilem eamdem sententiam lib. 1. in Decalogum, cap. 16. num. 46. ad ad finem: vbi etiam nihil inuenio: imò nec ibi sunt numeri nisi 26. Diana etiam resolutione 64. de Circumstantiis citat Laimanum lib. 1. Tra-

Sententia negans actum externum confitendum.

ctatu 2. cap. 3. verùm neque ibi quidquam planè reperire potui. Alios præterea citat Diana, quos videre non licuit. Quotumcumque ea sententia sit, probari solet, quia illi effectus non sunt peccata; ergo non est necessum eos dicere in confessione.

4 *Sententia asserens actum externum esse necessario confitendum.*

Contrarium tamen tenet Thomas Sanchez lib 9. de Matrimonio, disp. 45. num. 30. Tannerus in 1. 2. quæst. 4. dub. 3. & alij quos refert Diana supra: quam sententiam ipse etiam dicit probabilem, imò videtur eam non postponere oppositæ. Hæc videtur probari ipso communi sensu fidelium: in confessione enim numquam dicunt præcisè, *Dedi ictum vnde debebat sequi mors*, sed absolutè, *Occidi hominem*, *Inebriaui me*; & tamen ebrietas solum est propriè effectus, non autem actio mala hominis: hæc enim in hausu præcise consistit. Neque hanc consuetudinem Vasquez dicit esse inutilem, sed potiùs eam laudat: vnde possumus probabiliter argumentari eo modo, quo circa peccata dubia argumentabamur: eò enim quòd ferè omnes, quando dubitant de peccato, censent se debere illud confiteri, efficaciter colligimus Christum Dominum voluisse vt ea etiam peccata dubia referrentur ad Confessarium: eodem planè modo ex vsitato omnium ferè modo eos effectus confitendi possumus valdè efficaciter colligere Christum voluisse, vt illi explicentur in confessione, siue sint vocandi peccata, siue effectus peccati extrinsecus tamen illi: id quod ad solum vocem pertinet. Confirmo: Nam in rigore loquendo, coram Deo, cui in confessione volumus reconciliari, ea malitia exterioris actionis est omnino nihil, solumque puta putàque denominatio extrinseca: & tamen illam debemus explicare in confessione (vt omnes sentiunt, & statim dicemus: ergo etiamsi illa mors secuta nihil omnino noui de malitia coràm Deo adferat in eo effectu: quia tamen communiter solet reputari actio nostra, & denominatur mala, dicendum est Christum voluisse illam explicari in cõfessione, non minus quam ipsam actionem exteriorem etiam in se nec liberam, nec nouam habentem malitiam. Nec deest magna congruentia huius obligationis; nam vt Confessarius de obligatione restituendi aut sati-faciendi parti læsæ tam in bonis quàm in fama, & de aliquibus censuris quæ ab Ecclesia imponendæ erant ob diuersa peccata dependenter ab ipso effectu re ipsa secuto, meliùs sciret deliberare, expediens per se fuit eos effectus Confessario declarare, & licet in vno aut altero casu ea necessitas videatur cessare, non ideò erit absolutè dicendum, Christum non præcepisse eam confessionem: etenim (vt in materia de Legibus & alibi sæpè dicitur) non est necessum ad hoc, vt Lex aliqua obliget vniuesaliter, eius rationem seu motiuum occurrere in omnibus omnino casibus, sufficit si per se & frequentius occurrat.

5 *Probabilius est cõfitendos esse effectus-cuius ex tamen se liberè data.*

Ego in hac materia censeo secundam hanc sententiam esse probabiliorem, & magis iuxta sensum fidelium. & has rationes, prout à nobis deductæ sunt, valdè efficaciter ostendere eam fuisse mentem Christi: quòd si tamen cum ea vniuersalitate non debeat defendi, quando scilicet effectus planè est moraliter separatus à mea actione, vt cùm do venenum, & mors deinde in altero sequitur; quando tamen quasi per modum vnius est ille effectus coniunctus cum mea actione, esto iam non sit physicè in rigore liber, vt in illo exemplo de decollatione & de comestione dixi, planè iudico non sufficere dicere actionem meam, prout præcisè orta est ab impero liberò, sed etiam secundùm se totam, etiamsi in fine iam non potuerit cohiberi à me.

Quis enim aseret sufficere ad confessionem dicere, *Dedi impetum manui, cum pugione ad confodiendum Petrum*, non dicendo quòd re ipsa confoderit? vti nec esse obligatum ad dicendum, *Dedi alapam publicè Sacerdoti*, sed *Impuli meam manum ad dandam alapam?* Fortasse in his casibus nec Vasquez, nec alij id negabunt; & solùm de illis effectibus tam tempore quam loco à mea actione seiunctis locuti sunt, vt de veneno & iaculatione, nam mors ibi à me iam remotè causatur.

Circa quæ obserua cum Cardinale Lugo; Si quis animo non orandi proiecit Breuiarium in mare, non debere se in cõfessione accusare præcisè dicendo, Quòd non orauerit sex, octo diebus; quia fortè illæ omissiones propriè non fuêre peccatum, sed debere dicere, Se, dum cogitaret viginti vel diebus fore in nauigatione, proiecisse Breuiarium, & se reddidisse incapacem ad orandum: quòd si velit addere, poterit etiam dicere, *Vti re ipsa orani.* Clariùs hæc doctrina apparet in voto castitatis, nam si quis contra illud ducat vxorem, non debet se accusare quòd habuerit copulam toties cum vxore; etenim si id fecit reddendo debitum, potiùs fecit bonum opus iustitiæ quàm peccatum; sed debet dicere,

6 *Multò magis confiteri debet actum ipsa externa.*

Accepi vxorem, quo me expo ui peiculo id faciendi Circa actiones verò ipsas meas exteriores immediate à volitione mala imperatas nulla est inter Auctores dissensio; omnes enim fatentur debere declarari in confessione; cuius rei varias rationes adferunt, quæ non multùm suadent. Lugo num. 45. ait actionem externam simul cum voluntate interna integrare vnum idemque peccatum; quia tamen conflatur illud peccatum ex duobus subiectis participantibus malitiam diuersissimè, vnum enim subiectum illam participat intrinsecè, alterum extrinsecè & denominatiuè; necessum fuit vtrumque subiectum explicare, alioquin non explicaretur tota species peccati, quæ nõ sumitur solùm ex malitia, sed ex subiectis illius; si ergo non explicatur actus externus, nondum explicatur peccatum illud, quatenus participat mediatè & denominatiuè. Hæc tamen ratio vel sumit idem per idem, vel falsum aliquid supponit; si enim in rigore loquatur de specie peccati vt peccatum est & offensa Dei, & vt meretur pœnam odiumque illius, profectò falsò supponitur speciem peccati vt sic desumi proprie ex actione externa: nam hæc tam se habet per accidens ad odium fundandum ad grauitatem offensæ augendam, ac si non esset in rerum natura; cur ergo in ordine ad reconciliationem cum Deo, quàm solam (vt dixi paulò antè) in confessione intendimus, non debet iudicari sufficientissimè & adæquatissimè nota ea peccati species, esto non noscatur actio externa quod si hic Auctor nomine peccati iam intelligat totum id, quod siue proprie siue, purè denominatiuè vulgariter dicitur peccatum, fatemur totum id non cognosci non cognito exteriori actuat hic est tota difficultas præsens, cur sit necessarium confiteri peccatum totum in eo

sensu

sensu, cùm, vt diximus, iam includat aliquid, quod solum quoad voces videtur addi supra propriam rationem peccati: est ergo ea ratio insufficiens.

Probatio vera communis sententia.

Ego vti dixi rem hanc totam ex Christi institutione decidendam, ita non video aliam meliorem probationem, quàm quòd perpetua Ecclesiæ traditione constet eam fuisse voluntatem eiusdem Christi; quandoquidem omnes omnino in confessione semper ita se explicant, & ad id se obligatos iudicant. Christus ergo voluit, vt peccata quæ apud homines, licet denominatiuè, vere tamen reputantur peccata, ad Confessarium deducantur.

Hîc solet quæri circa locum, quanta sit obligatio dicendi, vbi peccauerim. Verùm hæc res spectat ad speciales materias, in quibus agitur, quando ex loco noua prouenit malitia, v.g. An pollutio in loco sacro, an effusio sanguinis, &c. habeat nouam malitiam. Ego vno verbo respondeo. Si nouam habeant malitiam, quæ sit quasi sacrilegij, erit explicanda, sin minus, ex dictis huc vsque constat non esse obligationem vllam, nisi aliquis contendat intra eandem speciem aggranare notabiliter, quod tamen est difficile credi tu, quia ea circunstantia, si aliquid addit, certè id, extra speciem furti, luxuriæ, &c. reputandum est. Videatur Lugo suprà à num. 461.

7 *An circumstantia loci sit explicanda.*

Secundò quæri potest de aliis circumstantiis, v.g quibus auxilijs commissum est peccatum; item de fine actionis, &c. qua occasione fusè hic multa nonnulli repetunt, quæ ad alias materias morales purè spectant, vt notaui initio præcedentis disputationis. De his fusè Lugo, maximè autem, An opus incompossibile cum re præcepta sit etiam peccatum, & distinctè ab omissione rei imperatæ; item, An lex ponitiua imperans hodie ieiunium, ponat illud intra virtutem temperantiæ, ita vt illud frangere (esto præcisè ad sedandam famem sine vllo alio excessu) sit tamen peccatum contra temperantiam. Hæc & similia non spectant huc: idò in his hærendum non iudico, sed discurrendum iuxta ea, quæ quilibet in propriis locis de his materiis docuerit: si enim ex his captious nouam malitiam in illis actionibus agnouerit, consequenter dicat eas deberе manifestari ob rationem generalem suprà datam; quòd si nouam neget malitiam, neget etiam obligationem eas confitendi. Has quæstiones ego tractaui Tomo 3. disput. 45. sect. 1. & disp. 41. sect. 5. & alibi, iam ad ea quæ sunt propria huius loci.

Quando differre in circumstantiis in ordine ad confessionem.

SECTIO II.

An si quis ex errore peccauit, satisfaciat dicendo se peccasse, an debeat dicere id factum ex errore.

8 ILLVD magis spectat ad rem præsentem, Verùm si quis hodie diem Lunæ v.g. putat ex errore esse diem Veneris, & tamen comedit carnes, teneatur in confessione dicere hunc errorem, si illum deprehendit ante confessionem; an verò sufficiat dicere, *Comedi carnes die prohibito.* idem est de accipiente rem propriam furtiuè, putando se accipere rem alienam. Pro hac sententia suppono ex Tomo 3. quoad malitiam idem omnino etiam moraliter esse illud peccatum, quod fuisset, si reuerà die Veneris comedisset carnes, &c. est ergo quæstio proposita proptia huius loci, quia si dicamus sufficere, videmur planè admittere errorem substantialem; nam ego tunc confiterer peccatum, quod tamen re ipsa non feci; quia ego re ipsa non comedi carnes die prohibito, nec furatus sum re ipsa rem alienam. Vnde, sicut qui occidit Petrum si diceret, *Occidi Paulum*, non rectè confiteretur, quia non diceret peccatum quod fecit, sed aliud quod non fecit; ita in præsenti, ex alia verò parte, si negemus id sufficere, imponimus graue onus pœnitentibus; vt scilicet quando post confessionem deprehendunt suum errorem, teneantur secundò confiteri, quia reuerà non fuerant confessi suum peccatum: hoc autem & est difficile, & contra praxim Ecclesiæ; nullus enim iudicat se teneri ad eam confessionem iterandam. Pater Suarez disput. 22. sect. 4. num. 14. ait, Si posset explicari in confessione illud peccatum non explicato errore, non multum id ad confessionem referre; quia verò moraliter vix aliter potest explicari peccatum, debere etiam errorem declarari; ideoque in praxi semper declarari re ipsa. Secundò quia expediens sæpè est, vt Confessarius possit illum errorem tollere. Hæc vltima ratio mihi videtur non magni momenti in ordine ad eam voluntatem pœnitentis; imò in rigore supponit falsum: etenim vel pœnitens dum confitetur nouit suum errorem, vel non: si non agnoscit, non potest illum tunc manifestare; si agnoscit, ergo iam est ablatus ille error; ideoque ex hoc capite non erit necessarium dicere, se ex errore peccasse. Prima ratio magis accedit ad rem ipsam; displicuit tamen Cardinali Lugo, quatenus dicitur in ea, quòd communiter declaretur ille error in confessione cùm rustici vix vnquam dicant se ex errore peccasse. At Suarez tamen loquitur de iis qui iam agnoscunt suum errorem; rustici autem (de quibus loquitur Lugo) nondum sciunt se errasse; quid ergo mirum si confiteantur eodem modo ac si sine errore peccassent, quidquid de hoc punctо sit?

9 *Qui peccauit ex errore, non tenetur errorem explicare, modò peccatum confiteatur.*

Sententia negans esse necessarium eum errorem confiteri est omnino vera; quam Vasquez & Sanchez, quos refert & sequitur Lugo tenent; & videtur sufficienter probata ratione paulò antè facta; nec alia indiget probatione, quàm vt oppositæ sententiæ obiectioni satisfaciamus, quomodo scilicet tunc confessus fuerit peccatum, quod re ipsa fecit. Respondeo cum Lugo, quoad malitiam volitionis interioris nullam planè esse difficultatem: quia hæc tota quanta eadem numero est, quæ fuisset, si re ipsa comedisset carnes die Veneris: nam hæc malitia non desumitur immediatè ex ipsa prohibitione, sed ex cognitione prohibitionis, seu ex eo quòd proponatur prohibitio: tunc autem iam est proposita, & eodem modo ac si extitisset à parte rei, ergo: quoad ipsam verò actionem externam eodem modo dicendum est illam fuisse malam & contra præceptum Ecclesiæ, non quidem contra præceptum re ipsa existens, sed tamen propositum voluntati vt existens: & hoc est quod ei actioni externæ dat malitiam, eodem plane modo quo immediatè diximus de actione interiori: ac proinde moraliter æquiualenter in ordine ad rationem peccati fuit contra prohibitionem Ec-

Vnde desumatur malitia volitionis comedendi carnes v.g. die vetito.

cleſiæ. Quam doctrinam facilè applicare etiam poſſumus ad caſum, quo rem meam abſtuli putans eſſe alienam; nam malitia interior eadem numero eſt: non enim deſumitur ex eo quòd re ipſa id, quod accepi, ſit alienum, ſed quòd ego iudicans eſſe alienum illud rapuerim. Deinde acceptio exterior etiam eadem in ratione malitiæ, ſicut diximus de comeſtione carnis.

10 *An confeſſus ſe occidiſſe Petrum, cùm Paulum occiderit, teneatur repetere cùm ſuum errorem deprehenderit.*

In occiſione Petri, quem putauit Paulum, inuenit maiorem difficultatem Lugo; ego autem iuxta ipſius principia inuenio ferè minorem: nam cùm ipſe dicat non teneri nos confiteri effectum, ſed actionem noſtram tantùm exteriorem, profectò cùm eadem actio mea exterior ſit quando iacio ſagittam, ſiue hæc deinde tangat Petrum, ſiue tangat Paulum, ſiue feram (vt ex terminis conſtat) non erit error in peccato prout eſt materia confeſſionis; ſiue dicam, Ieci ſagittam in Petrum, ſiue dicam, Ieci in Paulum; error autem ille in effectu ſecuto ex meo peccato erit planè per accidens, quia non eſt circa materiam peccati & confeſſionis: & idem planè dico, eſto non iaculando, ſed confodiendo & decollando occidiſſem Paulum: nam motus ille meæ manus circa pugionem idem eſt numero, ſiue pugio diuidat hanc numero materiam, ſiue illam: vti immerſio meæ manus in aquam non eſt diuerſa ex eo quod ſit hæc aut alia aqua: & idem eſt quando in ipſo aëre moueo manum meam; non enim ille motus eſt diuerſus ex eo quòd iam ſit hic iſte numero aër, quem diuido de facto ab eo qui fuiſſet, ſi eſſet alius numero aër diſtinctus. Ratio à priori eſt, quia motus ille manus habet idem numero ſubiectum in vtroque caſu, nempe eamdem numero manum, pergit per idem ſpatium imaginarium: quòd autem ex vbicatione meæ manus aut pugionis producatur, deinde magis diſtincta numero vbicatio in vno caſu quàm in altero, quia in vno truditur ex ſuo loco caro Petri, in qua pugio facit foramen, in alio verò truderetur caro Pauli, non facit meum motum eſſe diſtinctum, ſe effectum mei motus diſtingui ab eo, quem idem meus motus alibi produxiſſet: effectus autem ille mei motus non eſt materia confeſſionis in ſententia Cardinalis: vnde non ſcio, cur ille dixerit futuram diſtinctam meam actionem, eò quòd occidiſſem Petrum, ab ea quâ Ioannem.

In noſtra tamen ſententia, quæ dicit, probabilius eſſe debere hos effectus aperiri in confeſſione, maximè quando immediatè coniuncti ſunt cum mea actione: vt dum decollo aut confodio alterum, maiorem habet difficultatem obiectio: nam tunc mors ſecuta eſt diſtincta planè in vno caſu ab ea quæ eſſet in altero: ergo ſi vna dicatur loco alterius, fiet error ſubſtantialis in materia neceſſaria confeſſionis. Nihilominùs adhuc iſiſtendo ſolutioni pro aliis caſibus datæ dico: Eſto phyſicè ille effectus fuerit numero diſtinctus, imò & ſpecie, ſi loco Petri occidi feram; nihilominùs in ordine ad confeſſionem moraliter eſſe eumdem omnino effectum: nam ſi effectus non variant vllo modo iudicium Confeſſarij in ordine ad impouendam ſatisfactionem, & ad cognoſcendam actionem externam & internam pœnitentis, error in illis non eſt notabilis.

11 *Reſpondetur negatiuè, niſi quid aliud obſtet.*

Dices: Saltem mentiretur pœnitens, dum diceret occiſum eum, qui te ipſa occiſus non eſt. Reſpondeo, Si aduertenter id faciat peccabit venialiter; an autem impediat valorem abſolutionis, dicetur ſectione 3. Quòd ſi confeſſus ille fuit antequam errorem deprehendit, non eſt mentitus formaliter, ſed materialiter; & tunc habet locum data ſolutio, quòd ille error ſit per accidens ad confeſſionem; & inde infero, Non teneri ſecundò confiteri vt corrigat illum, quia non ſcio quem finem vtilem poſſet habere ſecunda ea confeſſio illo tantùm animo facta.

In ſecundo exemplo ſuprà poſito de furto eodem modo eſt diſcurrendum, quo de motu phyſico, dum alium occido manu, vel inſtrumento aliquo, acciplo: in tantum enim illam rem traho mecum, in quantum teneo fortiter vbicationes manus ne cadat, aut ne aperiatur: vnde prouenit rem detentam, quæ ratione ſuæ quantitatis non poteſt penetrare meam manum, manere in eo loco: ergo actio me furandi, vt eſt actio phyſica mea, eſt eadem numero, ſiue teneam manu aurum, ſiue argentum, ſiue plumbum: ergo ex eo capite non eſt ex parte mea diuerſa actio, eſto ſit diuerſus effectus inde ſecutus, qui, vt iam dixi, moraliter in ordine ad confeſſionem ſe habet per accidens. 12

Vbi obſeruo, Cardinalem Lugo ideò putare exteriorem meam actionem eſſe eamdem numero, ſiue accipiam partem plumbi, ſiue partem auri, quia ego immediatè exerceo actionem circa quantitatem: quantitas autem deinde trahit ſecum ſubſtantiam argenti, aut auri; prima ergo actio eſſet eadem, ſiue ſub illa quantitate, ſub qua de facto eſt aurum, eſſet argentum aut plumbum, vel è contrario: quantitatem autem ipſam non ſignifico determinatè, ſed hanc vel illam. Hæc tamen explicatio mihi non placet: Primò, quia iam oſtendi meam actionem non eſſe diſtinctam etiam independenter à toto hoc puncto de quantitate: quia ea quæ propriè eſt mea actio, non verſatur niſi circa vbicationem meæ manus: quæ vbicatio eadem eſt numero, ſiue ſupra manus teneam libram plumbi, ſiue libram auri, eſto ex ea detentione manus oriatur diuerſa vbicatio auri aut plumbi. Secundò, quia ego dum dico, *Furatus ſum argentum*, non ſignifico, Furatus ſum quantitatem accidentalem diſtinctam à forma argenti aut auri: nam etſi quantitas ſit identificata cum ipſa forma auri, eſſet idem modus quo confiteretur ruſticus ſe furatum partem plumbi. Tertiò, quia eſto quantitas ſit diſtincta, & ſit occaſio impenetrabilitatis, probabilior tamen ſententia dicit accidentia recipi immediatè in materia: à qua opinione non pendet hoc punctum de confeſſione. Fortaſſe tunc per ipſam materiam poſſet res explicari, quia eadem numero materia eſſet, ſiue in illa eſſet forma auri ſiue forma plumbi. Et ex hoc capite hæc impugnatio non haberet locum, ideò vniuerſaliùs & clariùs eam ſolutionem impugno: quia ſiue quantitas ſiue materia ſignificetur, ego tamen dum dico, *Accepi aurum*, non dico, Accepi materiam aut quantitatem quæ poterat eadem numero eſſe ſub forma auri aut plumbi; ſed, Accepi illam quæ re ipſa erat ſub auro, hanc tamen re ipſa non accepi: ergo iam non dico eamdem meam actionem ſed aliam: clariùs ergo res explicatur, & magis iuxta Philoſophica principia, eo modo quo ego dixi.

SECTIO

SECTIO III.

Quid si dicatur vnum peccatum non commissum loco alterius commissi eiusdem tamen rationis.

23 HAc occasione moueri potest dubium magis vniuersale, ex cuius decisione quid dicendum sit de præcedēti clarius constabit; quæro ergo, An valide confitear, si inter actiones exteriores, quæ proprie sunt peccatum externum, dicam vnam pro altera: imò & de volitione interiori idem quæritur, An si ego dicam, Habui voluntatem furandi hunc librum, interim tamen non habui, sed alium numero distinctum eiusdem omnino rationis & valōris cum altero, sit valida confessio: Idem est si inter duas feminas soluras dicerem, Volui peccare cum Maria, & re ipsa peccaui, interim peccaui cum Ioanna. Habet autem maiorem difficultatem quæstio, aduertenter in hoc commisi mendacium: quæri enim potest, An illud impediat valorem absolutionis, & sit peccatum graue. Pro claritate autem suppono nullam omnino in genere moris differentiam inde desumi. Cardinalis Lugo semper supponit eam confessionem futuram inualidam, quia non confitere peccatum quod feci, sed aliud; vnde videtur manifestè inferri. Quòd si ego dixi per oblitionem *Peccaui cum hac*, quæ re ipsa non erat illa cum qua peccaui, tenear illud idem peccatum secundò confiteri. Eadem est, si dicam, Furatus sum centum Petro, cùm tamen non nisi Ioanni sim furatus. Imò sequitur ex ea sententia non fuisse validam confessionem, si nullum aliud peccatum dedi pro materia. Alij Auctores non tractant ex proposito hoc dubium; videntur tamen supponere communiter, si mendacium illud committatur intra confessionem nō fore validam, quia re ipsa non dicitur peccatum illud quod factum est, sed aliud distinctum, quod cùm re ipsa non extiterit, non est homo ille capax absolutionis. Quæ ratio habet locum maximè circa volitionem ipsam interiorem, in qua est malitia. nam sine dubio alia malitia numero est, qua quis vult peccare cum Ioanna ab ea qua cum Maria, siue interior actio sit eadem, siue non; eò quòd (iuxta paulò antè dicta) physica actio non respiciat immediatè nisi ipsius agentis subiectum, reliqua verò sint ei extrinseca. Nihilominùs negari non potest, quin in rebus moralibus, quando individua sunt omnino similia, pro nihilo planè reputetur, quòd sit hoc individuum potiùs quam illud: si enim sunt duo ducati aut floreni (& idem est de qualibet alia moneta) planè omnino similes, nemo dicet esse furtum si ego vnum meum loco alterius alieni permutem: quòd si loco ducati, quem furatus ei fueram, aut loco noui pallij ei restituam alium numero dacatum aut pallium aliud ex eodem omnino panno, eodem modo factum, quodque numquam fuisset in vsu, ac proinde eiusdem omnino rationis cum primo, ita vt nec discerni vllo modo inter vtrumque possit, dicere iure meritò possum, Restitui illi suum ducatum, suum pallium; & tamen physicè loquendo non restitui, sed alium numero; ergo eadem planè ratione si ex illis duobus palliis aut ducatis, omnino inter se (vt dixi) similibus ego furatus essem pallium A, esto postea in confessione dicerem, Furatus sum pallium B; adhuc tamen moraliter loquendo dicerem idem omnino peccatum quod feci. Ratio à priori est, quia tota ea distinctio numerica in genere moris est planè nullius momēti, vnde in materia de Merito dixi cum, qui esset physicè determinatus ad vnum è duobus actibus omnino æqualibus eiusdem speciei, non habiturum libertatem sufficientem ad meritum. quia esto physice loquendo tota substantia illius actus, quem eligeret, esse ipsi omnino libera, quia tamen in genere moris idem esset actus, ac alter numero distinctus fieret, vt perinde tunc planè iudicaretur ac si esset determinatus physicè ad hoc numero individuum: vnde si famulo det dominus vnum ducatum, vt pauperi in eleēmosynam illum donet, & ille loco illius ducati numero donet alium omnino similem, potest ille famulus iure dicere, *Feci quod iussisti, dedi eleēmosynam quam mandasti.* In peccatis autem respectu confessionis hæc ratio habet maiorem vim, quia in ordine ad iudicium, quod Confessarius debet formare tum de grauitate peccati, tum de Pœnitentia imponenda, tum de statu ipsius pœnitentis ea differētia purè putè numerica videtur mihi penitus inutilis: nō est ergo ille error talis, qui impediat absolutionis efficaciam. Confirmatur à posteriori ex absurdo quod supra tactum est, & reuerà est satis graue. Nam ex opposita sententia sequitur, si vel per errorem inuincibilem homo dicat, Furatus sum pallium Petri, dum vellet dicere Pauli (cuius re ipsa pallium acceperat, fore talem hominem obligatum deinde cùm primùm aduerterit se erraſſe se iterùm confiteri illud peccatum: id quod est grauissimum onus, maximè si nō habeat eūdem Confessarium sed alteri nouo debeat peccatum illud manifestare. Imò, vt supra dixi, sequitur eam priorem confessionem fuisse inualidam, si aliud non dixit peccatum: quia non est apposita materia capax absolutionis ac proinde illi non est remissum illud peccatum: hoc autem plane videtur esse contra sensum omnium fidelium.

Ad rationem dubitandi suprà positam, quòd eo casu pœnitens non fir confessus peccatum quod fecit, sed aliud, satisfactum iam est, dum ostendimus physicè quidem non esse idem peccatum, moraliter tamen esse idem numero. Vti in sententia Cardinalis Lugo, qui durationem identificat cum actu interiori voluntatis, ac consequenter cum actu qui est propriè peccatum, ac proinde peccatum factum hodie est necessariò quoad substantiam distinctum ab eo quod fuit heri; ob id tamen neque consequenter ad suam sententiam obligaret pœnitentem, qui ex errore dixisset, se Martis occidi Petrum, si tamen illum occidi die Lunæ; non inquam obligare vt confiteretur secundò illud idem homicidium, licet re ipsa non dixisset peccatum quod fecerat, sed aliud: nec excusaretur ab hac secunda confessione ex eo quòd per errorem id dixisset; nam si argumentum suprà contra nos factum quidquam probat, profectò eodem modo conuincit in vno casu quo in altero: si enim non sum confessus peccatum quod feci, sed quod non feci, siue ex errore id prouenerit siue ex scientia, nō dedi materiam sufficientem, quia non absoluitur vllus ab eo quod non fecit, sed ab eo quod fecit, quis autem potest probabiliter dicere,

14 *Præterminatus ad alterum è duobus indiuiduis solum distinctis, nihil mōtiretur hoc pro illo eligendo.*

Cōfitens peccatum aliud pro alio solo numer distinctione an valide confitetur.

Sententia negans valide cōfiteri illud peccatum.

Contraria sententia vera: In moralibus non attenditur differētia pure numerica.

In cōfessione nō physica individua habetur, sed moralis in actibus.

dicere,Eo quod duratio successiua identificatur cum actibus voluntatis neminem valide confessurum,nisi diceret Occidi Petrum tali anno, tali mense,tali die,tali hora,tali quadrante, tali momento ? nam alioquin peccatum illud non fuisset re ipsa declaratum.

15 *Imò sufficit speciem peccati dicere tacita indiuiduatione.*

Et hinc formo rationem alteram à priori pro ea doctrina; nam si aliquis solum dicat peccatum in specie,esto nihil dicat de indiuiduatione, confitetur validè & sufficienter, idque in omnium omnino sententia,v.g. Peccaui cum soluta,Furatus sum ducentos aureos cuidam,Occidi vnum hominem, quibus casibus non dixit ille peccatum in indiuiduo:nam peccare cum soluta est species quæ potest contrahi ad hanc & illam fœminam, & consequenter potest contrahi ad hanc numero fornicationem vel illam; ergo notitia differentiæ indiuidualis,seu peccati in individuo vt individuũ est,non est necessaria ad valorem & integritatem confessionis ; ergo esto in ea individuatione erretur, & dicatur vna pro altera , quia tamen species tota dicitur,erit valida confessio : probo hanc consequentiam meo iudicio clarè,quia ad valorem confessionis non solùm requiritur,ne in materia necessaria detur vna pro altera , sed vt materia necessaria distinctè cognoscatur ; ergo si individuatio est materia, & ideo non debet vna pro altera supponi, eodem omnino modo non sufficit ab ea abstrahere,sed debebit ea declarari:vel si è contrario non est necesum eam individuationem dicere,profecto ratio erit,quia quà talis non est materia necessaria : si ergo non necessaria,ergo error in illa individuatione non impediet absolutionis valorem. Vti quia instrumentum , quo occidi non est,materia confessionis ,eo ipso dicere Occidi pugione, esto id fecerim non pugione,sed gladio, non potest reddere confessionem nullam.

Dicere in confessione vnum individuum pro altero non est peccatum mortale.

Iam hinc colligo,etiamsi ex proposito quis in eo puncto mentiatur, non peccaturum mortaliter;quia mendacium illud non adfert secum vllum notabile nocumentum;non enim aliud ibi posset excogitari , quam reddere confessionem nullam ; hoc autem iam diximus non iferri ; ergo si quis v.g. vt Confessarium deluderet , diceret,Peccaui cum persona tibi omnino ignota (suppono autem illum peccasse cum sorore ipsius Confessarij) certè quoad totum iudicium quod de peccato ibi fit , integrè est confessus; nam in confessione non tractatur,an fuerat hæc femina numero . an illa , ergo error in hac individuatione habet se omnino per accidens.

Dices : Mentitur in confessione , ergo eam reddit inualidam. Respondeo , Mendacium ex se solùm esse veniale,nisi aliunde habeat grauem malitiam;peccatum autem veniale non impedit valorem confessionis, ergo neque illud mendacium, quod (vt iam ostendi) non habet aliam grauem malitiam.

16 Et hinc colligitur à fortiori, nullo modo esse necessarium confiteri eum errorem quando dixit, Furatus sum rem alienam,& postea deprehendit esse suam (vt dixi sectione præcedente:)etenim tunc moraliter dixit peccatum quod fecit;quia in ordine ad absolutionem, ad dolorem , ad satis factionem re ipsa est furatus rem alienam,licet physicè non nisi suam acceperit : hoc autem in ordine ad forum confessionis est valdè per accidens.

Confirmo hoc ex his quæ Pater Suarez disp.22. sect.22. tradit ex Nauarro , Soto & Caietano. sect. 2 num.2. tradit ex Nauarro , Soto & Caietano;quæque dicit adeò esse vera & certa , vt nulla ratio dubitandi circa illa appareat;scilicet, nullam esse obligationem in confessione declarandi speciem purè physicam peccatorum,Quia, inquit , Confessarius non debet ferre iudicium de speciebus entis, seu naturæ,sed de moribus; & ideò ad illud iudicium impertinens omnino est naturales species distinguere.Hæc ille:ex quibus ad rem nostram manifestè argumentor ; Ergo pari ratione,imò & maiori,erit impertinens ad hoc iudicium distinguere inter indiuiduationes purè putè physicas peccati;qualis est Vtrùm hæc fornicatio fuerit cum hac aut cum illa;ergo etiamsi erretur in hoc puncto , nulla est penitus ratio,cur de valore confessionis dubitetur. Denique id probo ex communi omnium sensu ; nam si quis peccauit cum sorore v.g.Confessarij,& pœnitens possit talem circumstantiam,veram tamen,dicere, per quam Confessarius planè iudicet eum cum alia omnino femina peccasse,nemo dicet , ideò illum non absolui valide. Atqui in tali casu Confessarius non intellexit peccatum pœnitentis, sed aliud numero , & tamen absolutio est valida;ergo etiamsi pœnitens expressè dixisset se cum allia peccasse,adhuc absolutio esset valida: patet euidenter,quia in tantum potest requiri vt ille dicat suum numero peccatum , in quantum est id necessarium vt Confessarius illud cognoscat;nam confessio non ordinatur vt ego sciam quid fecerim;(id enim independenter ab omni confessione scio;) ergo debet esse vt Confessarius , qui me debet absoluere sciat materiam determinatam, à qua me est absoluturus,ergo in ordine ad absolutionem per accidens est , quòd ego illud numero peccatum confiteat, aut quòd non confiteatsi in vtroque casu Confessarius formet conceptum eiusdem peccati , per accidens item erit,quòd ego indirectè narrando eam circumstantiam cauſem iudicium aliud in Confessario;aut quod id faciam directè dicendo me peccasse cũ alia;non est ergo cur dicatur,eo casu nõ fore validam cõfessionẽ.

Confessarius non debet ferre iudicia de speciebus naturæ sed de moribus.

SECTIO IV.

Quomodo sit in confessione explicandus numerus peccatorum.

17 HÆc difficultas propria est huius loci,habet quidem annexas sibi quæstiones varias, de quibus fusè agitur in Tractatu de Actibus humanis, circa explicationem numeri peccatorum tam interiorum quàm exteriorum; quando scilicet quis din manet in eadem volitione occidendi Petrum v.g. aut fornicandi , furandi,&c. (cùm necessum sit passim interrumpere eas volitiones, vel ob distractionem naturalem,vel ob extrinsecas occasiones occurrentes) quot sint eo casu dicenda peccata , an vnum , an plura ; & quomodo ea pluralitas multiplicanda.Habet etiam difficultatem in ipsis actionibus exterioribus , v.g. in eodem exemplo allato de eo qui vult occidere Petrum , & ea de causa quærit gladium , exit domo', interrogat vbi eum possit inuenire, &c.an hæ actiones omnes sint vnum peccatum,an plura Has inquam quæstiones aliò spectantes habet sibi annexas hæc quam proposuimus ; si tamen hanc obligationem confessioni

nis excludamus, quæstiones illæ planè impertinenter tractarentur: quoad rem enim ipsam nulla in eis esse potest difficultas. nam siue actus illi dicantur vnum, siue duo peccata, apud Deum tamen semper habent nouum æquale demeritum, quoties cum noua libertate continuantur; vti è contrario etiam in merito: id quod fusè ostendi Tomo 3. disp. 42. sect. 1. & 2. Verùm autem sint dicendi vnum an multa peccata, pertinet planè ad modum loquendi; qui nisi ratione confessionis (vt dixi) nullius esset momenti. De quo etiam ego, qui iudico circumstantias aggrauantes, etiam si speciem non mutét esse in confessione aperiendas, non multùm curarem, quia nisi in ordine ad confessionem tota ea quæstio nullam plane habet vtilitatem; eo autem ipso quòd debeamus etiam eas circumstantias confiteri, parum vel nihil interest, quòd dicatur vnum aut duplex peccatum; quia esto sit vnum, teneor tamen, quantum moraliter possum, eius durationem liberam confiteri, cùm saltem sit circumstantia notabiliter aggrauans; hoc autem sufficit iam pro explicando illo peccato; quia verò sententia negans, debere eas circumstantias explicari, est valde communis, numerum tamen peccatorum aperiendum esse in confessione si certum ex Tridentino, necessum est declarare, quomodo in similibus casibus dicantur multiplicari numero ea peccata.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid sit de numero peccatorum externorum.

18 ETsi actiones externæ, maximè quæ ex se alioqui à sint differentes, non subeant denominationem peccati, nisi ratione volitionis interioris; quia tamen in ipsis est aliqua specialis difficultas, siue volitio interior sit vna, siue multiplex, de eis specialiter nunc agendum. De hoc puncto egi Tomo 3. disp. 10. sect. 2. & disp 44. à num. 17. vbi ostendi in hac quæstione, vtpote de sola voce, ideoque ab acceptione hominum pendente diuersissimum esse modum discurrendi; quidam enim iudicant, eo ipso quòd homo quicunque de nouo ratione cesset ab actuali volitione illa peccaminosa, & eam iterum resumat, iam nouum committere peccatum, ac vt tale declarandum in confessione: & sanè physicè loquendo res ita est, quia illa volitio interior physicè non habet vnionem vllam cum sequenti, ac proinde fiet duo peccata; in ordine tamen ad confessionem id videtur nimis rigidum aliis Auctoribus: ac proinde dicunt, Etiamsi physicè discontinuetur ea volitio, dummodo in opere exteriori maneat virtualiter connexa facere vnum peccatum. Alijs hinc vlteriùs alij, Etiamsi in ipsa actione exteriori discontinuetur, dummodo non diu, adhuc manere vnum peccatum; vt si quæreus hostem dormiat in via. Alij, etiamsi distractio sit magna, dummodò interius non retractetur per contrarium actum, quantumvis de nouo per integrum annum volitio eius obiecti non repetatur, dicunt vnum tantùm esse peccatum.

Diuersitas magna est inter volitiones internas versantes circa idem obiectum, an sint plura peccata distincta actu.

Si actus interni respiciant diuersa obiecta externa, sunt diuersa peccata.

Aduerto nos agere de volitione quæ respicit idem peccatum externum; vt si eundem Petrum velit occidere, eandem pecuniam furari, cum eadem fœmina peccare: nam si velit diuersa obiecta, iam erit in omnium sententia duplex peccatum: id quod noto propter Cardinalem Lugo, qui vt probet ad vnitatem peccati externi non sufficere, quòd multæ actiones proueniant ex vna voluntate interiori, vtitur instantia illius, qui vno actu velit duobus diebus Dominicis ludere, & videt ea occasione omittendum Sacrum; qui tamen duo peccata committit: ad hanc enim instantiam respondetur, eam esse de duobus obiectis disparatis, quorum quodlibet suam habet malitiam; ac proinde non esse mirum, si ibi sint duo peccata. Nos autem in præsenti agimus, vt dixi, de vnico obiecto malo, v.g. de vna cæde Ioannis longo tempore volita & tentata; & ob hanc causam non est ad intentum præsens alia eiusdem instantia de eo qui vnico actu vellet & pollui & furari; etenim ibi saltem ob speciem diuersam peccati necessum esset totum illud dicere, siue iam ea volitio dicatur vnum, siue duo peccata; id quod ad vocem putam pertinebit.

19 *Insuperiùs sc. præter aliquæ quæstiones de externis & internis peccatis.*

Aduerto secundò, Hìc à nonnullis moueri distinctas quæstiones de peccatis externis, & distinctas de internis; cùm tamen, si res bene perpendatur, tota difficultas ferè sit in solis internis (vt suprà insinuauì;) & id patet in ipso exemplo, quo maximè vtuntur in hac materia de illo qui diu manet in voluntate occidendi, & ex hac facit iter vt quærat suum inimicum, vbi disputant, quot ille peccata externa commiserit. In hoc enim, si res bene ponderetur, tota difficultas est circa voluntatem internam, nam iter externum & aliæ diligentiæ non sunt peccatú, nec quidem obiectiuè in se, nisi vt denominantur ab illa voluntate interiori occidendi, quæ ordinantur ad homicidium; ac proinde exterius, antequam ad homicidium perueniatur, nullam habent malitiam: si autem reipsa occidatur hostis, non habetur nisi vnica malitia: tota ergo difficultas est ibi circa interiores volitiones malas, quotiescumque illæ debeant dici interruptæ, quotiescunque connexæ, vt inde sciatur quoties denominent ea media exteriora in ratione distinctorum peccatorum: & idem est in voluntate diuturna non reuocandi; nam omissio exterior vna est, & non potest multiplicari nisi ratione volitionum.

Dixi, Fere solùm esse difficultatem circa actus interiores; nam in aliquibus casibus est etiam circa exteriores, vt in publica meretrice: ibi enim peccata ipsa exteriora possunt quodammodò per modum vnius reputari. Idem est in fure, qui constater, prout occasio fert, furatur, & similibus; licet in his ipsis tota planè ratio dubitandi ad ipsam volitionem interiorem reducatur. Nam si vna volitione vnam fornicationem tantùm & aliam alia intendisset, sine dubio esto vnâ post alteram immediatè admisisset, debuisset dici commisisse multa peccata: tota ergo dubitandi ratio reducitur in volitionem, quatenus per vnicam voluit ea omnia obiecta exteriora.

Quando interruptio actuum internorum breuis dicitur vnius peccati: secùs si sit magna interruptio & quomodo talia peccata explicanda in confessione.

Quidquid ergo de hac re sit, eis citatis locis ex 3. Tomo docui, quando interruptio est brevis, illas omnes actiones externas ad idem homicidium ordinatas iudicari vnum tantùm peccatum; si tamen sit magna interruptio, & planè impertinens ad finem intentum, posse dici duo peccata: quia verò in hoc ipso est summa varietas iudiciorum, ego omnino censeo esse in confessione dicendum, *Tanto tempore in tali voluntate permansi; eam autem vt inter homines contingere solet, occurrentibus occasionibus interrumpi iterumque resumpsi; quoties autem determinatè id dicere non possum.* Hic est meo iudicio vnicus modus explicandi eam durationem peccati in confessione.

Secundò

id sufficere, quia omnia illa censentur per modum vnius. Mih tamen non videtur adeò facile explicare, cur tres copulæ ordine cum vna fœmina etiam in eodem luxuriæ calore debeant censeri tria peccata; & tamen tria iuramenta falsa non debeant dici tria peccata, esto facta fuerint in eodem calore non cedendi. Potest tamen responderi, iuramenta illa, eò quòd cadant supra eamdem virtutem, & ordinentur ad vnum quid, ad suadendam scilicet præsentibus eam assertionem, non censeri moraliter distincta. Copulæ autem ex se sunt planè disparatæ, nec ad vnum quid ordinantur. In his autem rebus, quas iam dixi planè ad quæstionem de modo loquendi pertinere, facillimum est ex vna leuissima disparitate, quæ in scholastico rigore non subsisteret, aliter loqui in vno casu quàm in altero. Est tamen hoc ipsum in ordine ad confessionem, de qua agimus, valdè dubium, Vtrùm Christus Dominus fuerit contentus ea tam leui disparitate, vt in vno casu non petierit in confessione dici ea tria iuramenta, petierit autem dici eas tres copulas. Certè, nisi ob extrinsecam auctoritatem Doctorum, Ego in multis ex præcedentibus casibus, in quibus diximus non esse necessarium explicare cum physicum numerum actuum omnino dicerem esse obligationem; & reuerà quia iuxta nostram sententiam circumstantiæ valdè aggrauates debent explicari, omnino iudico, quando quater aut quinquies illa iuramenta multiplicantur, iam debere explicari, quia saltem ea est circumstantia valdè aggrauans.

Solutio negationis affirmatiuæ.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de tactibus impudicis præcedentibus & subsequentibus copulam.

24 *An actus ante ipsam post illicitam copulam sine explicandi sint in confessione.*

QVærimus, Vtrùm sufficiat in confessione fateri copulam, an verò sit necessarium eos tactus specialiter dicere. Communiter docetur, tactus, qui præcedunt, non necessariò declarandos, quia ordinantur ad copulam, faciúntque vnum peccatum cum illa. Ego tamen (vt verum fatear) habeo magnam difficultatem in hac doctrina, suppositâ sententia Lugo & aliorum qui eam tradunt: dicunt enim tactus illos habere malitiam specie diuersam à copulatinde argumentor. Ea malitia non eis aufertur per hoc, quòd sequatur copula; ergo siue vocanda sint duo peccata, siue vnum, erit obligatio dicendi vtrumque, saltem tamquam circumstantiam mutantem speciem. Respondebis cum Lugo ea disp. 16. num. 242. in tactibus esse malitiam contrectationis illicitæ & turpis alicuius personæ, item quòd ea delectatio ibi sistat, & non progrediatur ad copulam. Prima malitia etiam reperitur in copula, quia illa etiam est contrectatio illicita personæ; ac proinde sufficientissimè explicatur ea malitia dicendo se habuisse copulam. Altera, quæ in eis tactibus reperitur, est quòd vlteriùs non ordinentur ad copulam; hoc autem prædicatum non explicatur quidem dicendo præcisè copulam: at illud re ipsâ tunc non fuit in illis tactibus, quia illi non stiterunt in se; seu non fuit verum de illis dicere quòd non fuerint ordinati ad copulam; non est ergo necessum eos declarare. Hæc solutio plus habet de speculatione quàm de veritate. Pro quo obserue differentiam specificam, esto aliquando à nobis nobis explicetur per solam negationem alterius differentiæ oppositæ; sicut increatum explicamus per negationem creationis, & irrationale per negationem rationis nihilominùs tamen in re ipsâ semper esse debere prædicatum aliquod essentiale diuersum ab opposita differentia, alioquin daremus a parte rei rationem ipsam generica sine vlla differentia; illam autem ipsam negationem alterius differentiæ diceremus differentiam: id quod est planè contra sensum omnium & rationem ipsam, quia per solam extrinsecam carentiam differentiæ non differt essentialiter res ab illa, sed accidentaliter; sicut subiectũ per solam carentiam albedinis non fit in se subiectum diuersæ speciei ab eo qui habet albedinẽ: saltem enim debemus vltra eam rationem generica, vt constituat speciem diuersam, concipere repugnantiam essentialem ad hoc, vt identificetur illi opposita differentia, vti concipimus in bruto essentialem repugnantiam cum rationalitate: quam repugnantiam non concipimus in ratione generica, ergo in tactibus & osculis inhonestis debemus concipere præter rationem genericam, in qua conueniunt cum copula, differentiam essentialem, scilicet quòd ex sua essentia quasi ibi sistant, seu quòd eis sit essentiale non esse copulam, & per hanc differentiam constituent speciem diuersam à copula; hoc autem prædicatum seu hanc differentiam essentialem sine dubio etiam retinent quando copula adest: quia etiam tunc oscula sunt diuersa à copula. Hanc autem differentiam nequaquam explico dum dico copulam; ergo.

Differentia, quæ per negationes explicantur à nobis, non ideò sunt purum nihil sed præcisiua positiua.

25

Secundò id ostendo adhuc fortiùs, quia illa negatio vt est purè quid extrinsecum, & vt est explicata ab hoc Auctore, non est malitia, sed potiùs est negatio malitiæ; vti quòd petri occisio non fiat in templo, non est malitia, neque constitutiuum malitiæ, sed negatio illius; ac proinde qui specificam malitiam homicidij debet explicare, non satisfacit dicendo, Non fuit sacrilegium, sed debet dicere quid fuerit positiuè; ita qui dicit, *Habui copulam*, sine dubio dicit se non caruisse copula, seu se non habuisse eam negationem copulæ, quæ deest osculis; at se habuisse osculum, seu malitiam positiuam specificam osculi non declarat, vt per se est euidentissimum. Meliùs fortasse possemus dicere, eos tactus non differre propriè specie morali, sed penes magis & minus, ideòque non esse necessum eos explicare; quia nec variant speciem, nec notabiliter aggrauant. Quæ ratio potest applicari ad eosdẽ tactus copulam secutos; in quibus tamen minùs conueniunt Auctores. Nam & Suarez & Vasquez & Coninch apud Lugo num. 553. dicunt debere illos explicari, quia illi non ordinantur ad copulam præcedentem ergo non applicantur dicendo illam: quæ ratio habet maximam vim contra Lugo, qui docet eos non necessariò explicandos; habet inquam vim, quia (vt immediatè antè vidimus) ea sect. 3. n. 241. ideò dixit declarari tactus declarando copulam; quia eo casu id quod est quasi differentia propria eorum tactuum, scilicet, quòd sistant in se, non habetur, quando ordinantur ad copulam. Hæc solutio quæcumque illa sit, planè cessat in tactibus subsequentibus; quia reuerà illi non ordinantur ad præcedentem copulam. Vnde coactus est hic Auctor ob argumentum Suarez explicare totam differentiam specificam malitiæ eorum tactuum independenter ab eo quòd ordinentur ad copulam;

Tactus tempori integrant vnum eum morale cum copula, quando non distant nisi modico tempore ab illa.

26

lam, seu quòd in se sistant: vnde maius robur habet argumentum nostrum paulò antè factum, quòd dicendo copulam, nequaquam explicetur propria malitia specifica illorum. Meliùs consequenter ad solutionem immediatè traditam dicimus eos, siue ante copulam sint, siue post illam, facere vnum quid cum ipsa, seu vnam speciem integram sicut ex dispositionibus essentia & passionibus fit vnú quid in genere physico, ac proinde non esse necessariò declarandos. Addo, moraliter semper illos interuenire, ac proinde ex hoc ipso capite non esse necessarium illos declarare, quia id ipsum supponitur è Confessario; addidetim tamen, si notabili interposita morula haberentur, vix posse negari obligationem eos declarandi, quia reuerà iam non facerent vnum quid cum copula. Hoc ipsum dico de delectatione purè intrinseca, quæ de copula immediatè præcedente aut futura haberi posset, illam scilicet per modum passionis iudicari facere vnum quid cum ipsa copula. Hinc dicendum est è contrario, si illi tactus etiam ante copulam assumantur sine vllo animo copulæ, quæ tamen postea ex nouo consensu admittatur, omnino debere declarari in confessione. Ita Diana Tomo 3. Tractatu 4. Miscellan. resolut. 20. Lugo num. 5. & Gaspar Hurtadus de Sacramento Pœnitiæ disp. 6. difficult. 6. & Vasquez quæst. 91. dub. 5. num. 2. quia tunc non faciunt vnum quid cum copula, sed se habent disparate. Hæc ratio meo iudicio in principiis Lugo nullo modo satisfacit; nam licet ratione eius ordinationis optimè ostendat, quomodo in priori casu sint vnum peccatum, non verò in secundo; at si in primo ablata est illis tactibus malitia propria specifica, quæ consistebat in eo, quod non coniungerentur cum copula, profectò etiam hæc eadem auferetur illis, si sequatur immediate copula, esto antè non fuerit intenta, ac proinde tunc non addent malitiam specie diuersam; quoad numerum verò etiam non addent iuxta hunc Auctorem, quando interruptio est parua ponit enim exemplum in eo qui die ieiunij è mensa, in qua comedit carnes, surgit etiam animo finiendi prandium, & tamen illo animo statim mutato iterùm comedit carnes, quem putat non teneri dicere se bis eas comedisse; ergo si immediatè post tactus sequatur copula, esto ab initio fuerit vnico actu intenta, non facient duo peccata carnis, sed vnum numero. ex nullo ergo capite erit tunc obligatio iuxta hùc Auctorem eos tactus confitendi. Nos qui ad eas negationes pro hac explicatione non recurrimus, maioti cum consequētia dicimus eo casu esse obligationem illo confitendi, non verò in primo: quia in primo ita moraliter ex illis & copula fuit vnum peccatum, vt nulla propriam habuerit differentiam specificā in secundo verò ob disparatas eas duas volitiones fuerunt duo numero peccata. Quæ de tactibus impudicis respectu copulæ dixi, debent intelligi eodem modo respectu pollutionis, si quis seipsum turpiter tangat animo se polluendi, tunc enim facient vnum peccatum cum pollutione, distinctum tamen, si sine eo animo se tangit, ac paulò pòst mutato animo re ipsa voluntariè se polluat.

27 *Quid si sint sine intentione copulæ, hæc tamen postea sequatur.*

18 *An cessans à comestione carnis illicitæ, mox, mutato animo rursus comedit, debeat vt plex peccatū confiteri.*

Adhuc tamen restat obiectio immediatè antè obiter insinuata de eo qui die ieiunij bis comedit carnes, & tamen non sunt ibi duo peccata. ergo neque hi tactus simul cum ipsa copula facient duo numero peccata, etiam quando habiti sunt sine animo copulæ, quæ deinde est secuta. Respondeo, Comestionem illam, cùm sit actio eiusdem omnino speciei, facilius censeri continuari quàm tactus cum copula, à qua specie differunt. Adde, priorem volitionem comedendi carnes non fuisse determinatam ad illud tempus, quo prima vice cessauit, sed antea saltem vagè se extendisse ad comedendum quidquid afferretur ad mensam, & licet, quia nihil singulare iam videbat, surrexit, adhuc tam non est voluntas perfectè reuocata sed cùm primùm vel aliquid spe tale ferculum videt affetri, vel amicos venientes, iterùm quasi renituit ea voluntas, & contingit moraliter duas illas comestiones. Non ita contingit in tactibus; nam præfixus plane erat in eis terminus vi priorū voluntatis; vnde quòd postea vi voluntatis secundæ de nouo fuerit voluerit etiam copulam, nō potest proprie tribui priori volitioni tribui; ideoque non possunt tunc dici vna actio etiam moraliter, sed duæ omnino distinctæ.

SVBSECTIO TERTIA.

Quomodo explicandus numerus volitionum internarum.

29 HOc dubium in primis mouetur circa eas internas volitiones, quæ etsi habeant pro obiecto aliquam actionem exteriorem, non tamen prodeunt in illam, vel certe semel tantùm; nam de voluntatibus, quæ prodeunt in actus distinctos, actum est duabus præcedentibus subsectionibus; de illis ergo quærimus, quomodo earum numerus sit dignoscendus. Melchior Canus Relectione de Pœnitentia Part. 5. ait, Si quis turpem v.g. amorem fœminæ reuocauit per volitionem contrariam, & iterùm illum resumpsit, explicare debere in confessione quoties id fecerit, si verò per cessationem puram, vel per distractionem, somnum, &c. cesset, tunc non teneri dicere amplius quàm, Per diem v.g. per hebdomadam, per mensem, mansi in eo amore turpi. Hanc sententiam quoad secundam partem vt incredibilem (si ei sinistri addatur) reiicit Suarez disput. 25. sect. 4. num. 9. eadem Vasquez dicit esse falsissimam ea quæst. 91. art. 1. dub. 5. num. 1. Lugo tamen putat eam non bene à Suario reiectam, eò quòd dixerit illam repetitionem peccati apud Deum mereri nouam pœnam; ergo est nouum peccatum. Contra quod ait Lugo hoc argumentum habere vim, etiamsi illa volitio fuisset continuata cum noua libertate. quo tamen casu etiam iuxta Suarium esset vnum tantùm peccatum; ergo ea ratio de merito apud Deum nimis multùm probat. Aduertendum tamen est Suarium non vsum fuisse ea ratione adeò solitariè accepta, sed dixisse, *Illæ duæ volitiones merentur duplicem pœnam*: & addidisse, *Eas satis apud homines esse distinctas, nullam habere inter se vnionem physicam aut moralem vt constituant vnum peccatum*: per quas duas vltimas clausulas præuertit Suarez impugnationem Lugo, quia in instantia, quam in contrarium hic attulit, est continuatio moralis, & apud homines non est distinctio sufficiens. Argumentum ergo Suarez manet adhuc bonum. Quia verò dixerat, *Nisi aliquid addatur ei Cani sententiæ, eam esse inexcusabilem*, addit *Si interruptio illa interior sit nimis breuis, & quæ moraliter vix possit à nobis distinguis.*

Cani sententia de volitionibus quæ interruptis interruptis mora cessatione nō cōtendit.

30

stingui, non esse necessarium dicere nisi, *Mansi in eo peccato vna hora, duabus horis*, &c. si tamen interruptio sit notabilis, esto ea fiat per puram suspensionem sine actu contrario, debere tamen explicari; quia reuerà illa sunt coram Deo & in ordine ad moralem æstimationem plura peccata.

Cardinalis Lugo sententia de iisdem volitionibus

Lugo tamen adhuc addit; Si secunda voluntas resumatur quasi vi prioris, à qua cessatum erat; v. g. decreuit heri quis furari, postea cessauit vel per somnum, vel per cibum, vel per garritionem cum aliis, aut per aliam quamcumque distractionem ab ea voluntate, hodie verò recordatus illius, illámque approbans, adhuc quærit furandi occasionem; in hoc casu dicit hanc repetitionem facere vnum peccatum cum præcedenti, & habere locum sententiam Cani. Ego tamen non video quomodo hoc deseruiat ad punctum confessionis, de quo agimus. Admitto nunc (id quod ad quæstionem de voce pertinet) eas duas volitiones dici vnum peccatum: nego tamen, An velit hic Auctor ita ea dicere vnum, vt pœnitens planè non teneatur in confessione aliud dicere quàm, Habui volitionem fornicandi, nec teneatur addere quòd fuerit in illa tribus quatuórve diebus; an verò debeat hoc addere; si primum dicatur, videtur planè terribiliter laxa ea sententia: & sanè in illa videntur habere locum censuræ Suarez & Vasquez; quis enim dicat, Si hoc modo per integrum annum, aut etiam duos annos, homo singulis diebus liberè eam volitionem peccaminosam renouet, eò quòd illam habuerit ad initium anni, non fore obligandum ad ampliùs dicendum in confessione quàm, Habui semel voluntatem fornicandi. Profectò neque Canus ipse hoc dixit; nam etsi eas volitiones vocauerit vnum peccatum, censuit tamen debere explicari in confessione tempus, quo in eis homo etiam cum ea interruptione durauit.

Quòd si Lugo ita admittat debere dici vnum peccatum, vt tamen teneatur pœnitens dicere, se duobus tribúsve diebus in ea volitione durasse, tunc parum interierit vel potiùs nihil ad confessionem disputare, Vtrùm sit vnum aut duplex peccatum; quia Confessarius sine dubio intelliget fuisse tunc interruptiones saltem ratione somni & aliàs, quæ ferè necessariò singulis etiam horis contingunt, etiam circa res de quibus homines ex vehementi passione cogitant.

31 Obiicies cum eodem: Si illæ volitiones tandem peruenissent ad opus, & homo habuisset copulam cum ea fœmina, sufficisset dicere, Semel peccaui cũ fœmina nec fuisset necessarium dicere quoties habuisset propositum; ergo etiam ante consummationem operis illæ voluntates habebant inter se sufficientem connexionem ad constituendum vnum peccatum; nam si ante opus iam fuissent duo, non potuissent per ipsum opus fieri vnum. Respondeo negando antecedens; nam licet casu quo ea voluntas prodiret in opus, non esset necessarium dicere quoties id voluerit, debuisset tamen dicere quamdiu mansit in ea voluntate: hic enim habet locum quod dixi suprà, videri planè incredibile, eum, qui toto anno voluisset fornicari cum aliqua, repetendo easdem voluntatem liberè singulis diebus, & tandem in fine anni fuisset fornicatus, non debere aliud in confessione dicere quàm, *Fornicatus sum semel cum soluta*, nihil dicendo de eo longissimo tempore quo id voluit: & verò etiamsi decem annis id procurasset, sufficeret eodem modo illa confessio: hoc autem (vt verum fatear) mihi videtur omnino improbabile; imò idem Auctor paulò superiùs numero 546. docet voluntatem occidendi Petrum, si per interruptionem extraordinariam fuerit intermissa, non facere vnum peccatum: vt si v.g. scio illum primò post mensem rediturum, & decerno tunc illum occidere, interim distrahor, rediit ille, occido illum vi prioris voluntatis cuius recordor, & quam approbo; eo casu, inquit, non est vnum peccatum, sed duo. Ex hac doctrina, quæ est verissima, efficaciter ad rem nostram argumentor: Ergo non debemus pro ea multiplicatione peccati interni considerare, Vtrùm ea secunda volitio assumatur quasi ex memoria prioris, quia hæc assumptio etiam ipso teste poterit fieri post mensem, quando non facit vnum peccatum, sed debet attendi ad regulam Patris Suarez, Vtrùm scilicet ea interruptio fuerit exigua, ita vt quasi pro nihilo reputetur.

32 *Quando breues fuere interruptiones volitionum internarum, satis est dicere tempus, quo simul cum; nos durarũt; & quantum debent esse tempus quo durarit, vt debeat explicari.*

Quòd si interruptiones tales fuerint, vt eas possit ipse pœnitens distinguere, non dubito quin ad eas explicandas teneatur: quando verò interruptiones non posset distinguere, debet se explicare eo modo, quo statim ad initium huius quæstionis diximus *Mansi v.g. tribus horis in mala cogitatione; quoties autem ea quasi imperceptibiliter fuerit interrupta non scio.*

Illud nunc in dubium verti potest, Quanta debeat esse ea continuatio, vt homo non satisfaciat dicendo Volui fornicari, sed debeat addere, protraxique eam per tantum aut tantum tempus. In hoc puncto variæ sunt sententiæ & quidem aliquæ laxæ nimis; aliqui dicunt tunc explicandam, si fuerit per mensem: alij è contrario ad horam id adstringunt. Mihi videtur, si per duas horas ea cogitatio protrahatur, omnino esse explicandam, quia re verâ intra duas horas satis multæ repetitiones liberæ eius peccati contingunt: magna est diuersitas ab eo qui instantaneè tantùm idem obiectum appetit. Lugo putat, quot ex quis voluntariè cessat ab ea cogitatione si posteà eam resumat, esto mora sit breuis; debere dici vt duo peccata. Denique ego concludo hanc quæstionem repetendo quæ paulò superiùs dixi, vix esse morale Christum reliquisse materiam confessionis adeò laxam; & pendentem in quæstione de voce ab vnius vel alterius acceptione: *Vtrùm illi actus debeant vocari vnum aut duo peccata.* Vnde longè probabilius mihi videtur debere in talibus occasionibus rem sincerè declarari dicendo: *Tanto aut tanto tẽpore in tali voluntate permansi; intra quod probabiliter habui, tot interruptiones:* aut si nec huius rei rationem potest reddere, dicat: *Quoties autem interruperim nullo modo id ere possum.*

33 *Quid faciendum illis, qui longo tempore manserunt in statu peccati, siue semper parati ad peccandum obstata occasione.*

Circa illas item personas, quæ in statu continuo peccandi diu manserunt: vt sunt publicæ meretrices mercatores, qui continuò plus longè quàm iustum pretium exigunt, fur, qui data quacumque occasione furatur, &c. agitur in præsenti fusè ab Auctoribus, qui communiter dicunt, si aliter hæ personæ non possunt explicare commodè numerum, teneri dicere se tanto tẽpore in occasione peccati mansisse. Quia verò ea vna meretrix (& idem est suo modo de fure &c.) potest intra vnum annum millies, álla centies peccare, debebit dicere quanta probabi-

liter fuerit ea frequentia peccati. Debet etiam meretrix explicare, Vtrùm peccauerit cum habentibus votum castitatis, aut cum vxoratis, quia hæ circumstantiæ trahunt peccatum ad diuersam speciem: in furtis item, an fuerint res Ecclesiasticæ; quia etiam ea circumstantia extrahit furtum ad rationem sacrilegij. Hæ autem malitiæ non declarantur dicendo solam illam consuetudinem, quia hæc tota manere potuit, licet nullus Religiosus aut habens votum castitatis, peccauerit cum ea; & licet fur nihil ex Ecclesiis acceperit. Quoad numerum verò internarum volitionum, etiam dicunt communiter & meritò Auctores, non interrogandas tales personas: quia moraliter est impossibile vt vllum explicent. Tota hæc doctrina habet locum, etiamsi homo non existat in exteriori actuali occasione peccandi, sit tamen ita affectus, vt nullam videat fœminam, quam non turpiter amet, aut numquam excitetur ei species actus turpis, quin habeat delectationem morosam, &c. Idem est de eo qui concubinam habet constanter domi.

14 *An idiota factus doctior teneatur repetere quæ agnouit se minùs clarè explicasse.*

Verùm circa rusticos & idiotas, qui valdè crassò modo confitentur, potest moueri ea quæstio, An si postea euadant doctiores, & possint meliùs distinguere illum numerum, cogendi sint ad secundò confitenda ea peccata. Respondeo iuxta ea quæ suprà diximus de illo qui confitetur peccatum dubium vt tale, non teneri illud secundò confiteri, etiamsi posteà deprehenderit se certò illud fecisse; eodem modo discurrendum in præsenti, & asserendum eos non obligari ad repetendas illas confessiones. Solùm posset obiici, hinc à paritate rationis sequi, si quis ob temporis angustias, quia imminebat vitæ periculum, fecit confessionem dimidiatam, non teneri postea, si euadat, integrè confiteri; id autem videtur esse contra sensum ferè omnium. Respondetur tamen negando consequentiam; nam in nostro casu dicta sunt omnia peccata secundùm speciem, quoad numerum verò quantum fieri potuit, ita vt Confessarius vtcumque illum intellexerit. At quando dimidiata fuit confessio, vel quia tantùm dixit, *Habeo multa peccata*, nullum determinando, vel quia vnum determinatè dixit, alia verò in communi, non subiecit ea in specie clauibus; ac proinde non fuit à rectè ab eis absolutus. Vnde si rusticus & puer; quando fuerunt crasso modo confessi, non explicuerunt species peccati, sine dubio debebunt eas posteà declarare, si contingat eos deprehendere postea quid fecerint. Quòd si denique in illa confessione inchoata ob mortis periculum dictæ sunt species peccatorum, numerus autem eorum, licet non omnino determinatè, ita tamen vt Confessarius plus minùs, iuxta qualitatem pœnitentis, eum intellexerit, tunc etiam non erit necessarium quidquam circa eam confessionem repetere: secùs si tantùm fuit dictus numerus in communi, nihil plane determinando: tunc enim debet posteà numerus dici.

Confessarius ne sit nimium minutus in examinando maximè sexto præcepto.

Circa quam materiam aduertunt benè Doctores, Confessarium non debere nimis scrupulosè examinare & interrogare pœnitentem, ne reddat confessionem nimis grauem, maximè in materia castitatis, in qua & maior pœnitenti iniici potest pudor, & fortassis dari occasio vt sciat ea quæ anteà tutè ignorabat: ac denique vel ipsi pœnitenti vel Confessario potest suboriri tentatio aliqua grauis: quantum autem debeat esse illud examen, non potest facilè decidi, sed id prudentis Confessarij iudicio relinquendum.

Non est consultum idiotas à confessionali removere vt melius se præparent, sed potius examinandi.

Aduertunt Secundò, excusari meritò sæpè Confessarios qui admittunt ad confessionem pœnitentes anteà non præparatos, maximè si sint rustici, & valde simplices: etenim tales etsi remittantur millies, vt suam examinent conscientiam, nihil penitus deprehendent ampliùs: nec possunt melius præparari quam si Sacerdos diligenter eos examinet, & interroget, discurrendo per ea præcepta, quæ moraliter ab illis potuerunt violari. Ego sanè inter multos rusticos, quos audiui, & qui seriò fuerant priùs moniti, vt se diligenter examinarent, & verò quorum multi omnino se iam esse præparatos dicebant, vix duos aut tres audiui, qui à se aliud dicere scirent quàm *Peccaui*: summùm autem addebant, *Blasphemaui, iuraui*: cùm tamen posteà diligenter eos interrogaui in particulari, licet sæpè nihil ampliùs extorquere potuerim, à multis tamen satis distinctam confessionem extorsi, quàm, si se seorsim præparassent, in æternum non fuissent assecuti ob nimiam ruditatem: ob quam vix sæpè sunt huius Sacramenti capaces.

DISPVTATIO XXXV.

An aliquando sit obligatio idem peccatum bis confitendi.

EXPLICVIMVS præcedenti disputatione, quando homo liberetur ab obligatione confitendi peccata: iam in hac è contrario tractandum, quando teneatur illud bis dicere.

SECTIO I.

Aliqui casus clariores proponuntur.

SVPPONIMVS, si integrè & rectè fuit facta confessio, & absolutio data ab habente iurisdictionem & volente absoluere, nullam esse necessitatem repetendi, esto possit homo, si velit ea secundò confiteri. Necessitas ergo repetendi debet venire ex defectu aliquo, de quo iam hic agendum: & quidem, si defit dolor, vel propositum requisitum ex parte pœnitentis ad valorem Sacramenti certum est eam confessionem debere repeti: vt si audiens confessionem non fuit Sacerdos, vel non habuit animum absoluendi, vel certè caruit iurisdictione. Vbi tamen aduertendum est dupliciter posse pro præsenti puncto eum carere iurisdictione: Primò, quia nullam omnino habet nisi ad sola venialia, quam habent

(vt

(vt dicemus infrà) omnes Sacerdotes Secundò, quia habebat quidem ad mortalia non tamen ad omnia; eò quòd aliqua ex illis erant reseruata. In hoc autem casu communiter dicunt Doctores, pœnitentem, qui bona fide confessus est, non teneri repetere nisi ea peccata reseruata, cætera verò, quia ab eis directè est absolutus, non esse repetenda: reseruata verò ideò debebit iterùm confiteri; nam licet ab eis sit absolutus, quia vnum mortale non remittitur, nisi simul cætera remittantur, ea tamen absolutio non fuit directa à reseruatis, eodem planè modo ac si obliuius fuisset illorum: quo casu deberet data occasione illa confiteri. Id quod etiam dicendum est, si pœnitens bona fide accedat ad eum, qui solùm habet potestatem absoluendi à venialibus, & confiteatur simul cum venialibus mortalia quia tunc cùm venialia remitti non possint nisi remisso etiam mortali, & supponamus tunc bona fide procedere tam pœnitentem quam Confessarium, absoluetur ab omnibus indirectè; erit tamen obligatus ad omnia mortalia deinde confitenda habenti ad illa iurisdictionem. Dixi, Si confiteatur veniale aliquod; nam si nullum confitetur, tunc quia à nullo potuit absolui directè, à nullo etiam absoluetur indirectè. Habebit autem locum hæc indirecta absolutio à mortalibus ratione venialium, esto illa mortalia sint etiam reseruata: quia veniale de facto non remittitur, nisi remissis omnibus mortalibus: obligabitur ergo hic pœnitens, cùm deinde errorem intellexerit, ea confiteri Sacerdoti habenti ad illa omnia iurisdictionem. Eodem modo tenebitur repetere confessionem, si Confessario ob excommunicationem erat iurisdictio suspensa; quia perinde est ac si nullam haberet. Circa quoad tamen obserua, non impediri eam iurisdictionem quacũque excommunicatione, sed requiri post Cõcilium Constantiense, vt illa sit vel ob notoriã Clerici percussionem, vel quia nominatim declaratus est excommunicatus. Quartò debet repeti confessio, si pœnitens reticuit aliquid, quod putauit mortale: id quod ita intelligendum, vt in ipsa occultatione peccauerit mortaliter, ideoque impedierit valorem confessionis: nam si putauit se adhuc posse obtinere remissionem aliorum, habuitque dolorem sufficientem tunc non erit necessum, vt ea peccata, quæ dixerat, repetat sed solùm illud quod reticuit: si autem confessionem fecit inualidam, tunc omnia debet repetere. Quòd si (vt sæpissimè contingit) post eam confessionem malè factam faciat alias bonas, quia ex obliuione præcedentis malæ, aut ex alio capite, iudicauit se non teneri ad præcedẽtem repetendam, tunc Confessarius, qui errorem deprehenderit, non debet illum obligare ad repetenda peccata, quæ in aliis confessionibus bona fide factis confessus est; quia iam ab illis est absolutus directè, sed ad ea quæ in ea aut in eis confessionibus, quas mala fide fecit confessus est, nisi & illa eadem in sequentibus bonis dixisset: quòd si & illud ipsum peccatum, quod tacuit, confessus est in sequentibus confessionibus bonis, nihil tamen dicendo, quòd fuerit anteà malè confessus, non tenebitur de illo se accusare de nouo, sed solùm dicere, Quòd fecerit confessionem inualidam semel: quia hoc solùm peccatum non est confessus: nec potest à Confessario cogi vt dicat, quale fuit illud peccatum quod tunc reticuit: potest enim tunc respondere, Se iam illud deinde in confessione bona fide facta aperuisse.

Confessus se non esse reseruata non habenti iurisdictionem, debet illa reseruata deinde retexere, non alia cæteris, nisi etiam pro his carnifex turi sit iurisdictionem Confessarius.

2

Qui reticendo aliquid in confessione peccauit mortaliter, licet ex errore, remittatur confessionem repetere, & sequentes omnes malæ fide factas.

3

Aliqui dicunt, casu quo quis non impleuit pœnitentiam; teneri etiam ea peccata secundò confiteri; alij verò id limitant, quando quis est oblitus pœnitentiæ; nam tunc cùm non possit ei proportionata imponi, nisi peccata sciantur, oportebit ea iterùm confiteri, vt ei imponatur pœnitentia. Verùm vtraque hæc sententia est planè improbabilis; Prima quidem, quia boni tas præcedentis confessionis non reuocatur per sequens peccatum, & suminùm erit obligatio adhuc eam pœnitentiam perficiendi, & accusandi se de peccato in eius omissione commisso: de quo infra. secunda verò sententia etiam caret fundamento, quia satisfactio non est pars essentiaris, sed tantùm integralis Sacramenti, ac proinde sine illa stat valor absolutionis præteritæ: obligatio autem satisfactionis implenda est solùm, quando moraliter potest impleri: in eo autem casu obliuionis iam non potest moraliter, neque est vlla obligatio secundam petendi

Oblitus pœnitentiæ non tenetur ideò sua peccata rursus confiteri.

4

Maior difficultas est in casu, quo Confessarius est ignarus, an teneatur postea apud alium doctum totam confessionem repetere. In hoc puncto est duplex sententia: vna quæ dicit, si Confessarius est ità ignarus, vt nec communia mortalia sciat distingere a venialibus, tunc confessionem esse inualidam quia est perinde ac si quis confessus esset vel dormienti vel ignoranti id omnia: si verò saltem communia mortalia a venialibus possit distingere, etiamsi vnum aut alterum non possit, tunc confessionem esse validam: ita Vasquez quæst. 9. art. 3 dub 2. vbi pro se refert ylueiirum, Richardum & Nauarrum: eamdem iam tenet Luisius Turrianus de Pœnitentia disput 2. dub. 2. Altera sententia docet in vtroque casu confessionem esse validam: ita Suarez hic disput. 28 sect. 2. num. 12. citans Gabrielem, Medinam & alios: eamdem tenent Henriquez lib. 5. de Pœnitentia cap. 15. num. 5. Gasparat Hurtadus de Sacramentis disput. 10. de Pœnitentia, difficult. 15 Lugo, num 102. & Diana Tomo 2. Tractatu 4 de Sacramentis resol. 121. In hac quæstione dicendum est Primò: Si pœnitens accessit bona fide, confessionem fuisse validam, quia ad valorem illius sufficit, quòd Confessarius intelligat vnum peccatum, imò noscat peccatum in communi; ergo tunc ab omnibus, saltem indirectè, absoluitur: & quidem ad hominem contra prioris sententiæ Auctores facilè id probatur, quia si quando Sacerdos vnius vel alterius delicti grauitatem ignorat, nihilominùs adhuc ab eo absoluit etiam directè, profectò esto ignoret omnia, absoluet, directè ab omnibus, iuxta illud principium, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Addit confirmationem Suarez, quia in articulo mortis, si non esset alius Confessarius, deberet pœnitens ei ignaro cõfiteri omnia sua peccata mortalia, non ob indirectam absolutionem, sed ob directam ergo talis habet potestatem absoluendi directè Fortasse contrarij Auctores negabunt antecedens, dicẽtque in eo casu solùm teneri moribundum dicere se peccasse Quidquid ergo de hac secunda impugnatione sit, prima mihi videtur sufficiens, addo rationem a priori, quia in Confessario non requiritur nisi vt intelligat mea peccata; eorum autem inter se comparationes non est necessum vt cal.cat imò

An ob solam ignorantiam Confessarij sit repetenda confessio.

5

sæpè

Non est opus vt Confessarius comparationes inter peccata calleat, modò ea intelligat.

sæpè in plerisque moraliter id est impossibile: nam sæpè dixi, quando comparantur species aliquæ inter se tam physicæ quàm morales, vix potest explicari quæ ex illis sit nobilior, an verò sint æquales: quis enim dicet, an viridis color sit nobilior rubro, an ruber si nobilior cæruleo, & sic de omnibus fere? non tamen propterea dicendi sumus ignorare eos colores. In moralibus autem speciebus idem suo modo reperitur. Nam ipse Vasquez negat vnquam posse peccatum inferioris ex se speciei crescere ex circumstantiis, vt adæquet superiorem: alij constantissimè contrarium asserunt; quidam dicunt, Non implere satisfactionem Sacramentalem esse mortale, alij esse venale: quidam dicunt, Mentiri in confessione, etiamsi non sit in materia ipsa necessaria pro absolutione, esse mortale, alij veniale: quidam dicunt, Furari quatuor Iulios esse materiam mortalis, alij venialis: & sic in innumeris aliis materiis. Accedat pœnitens (vt potest fieri) cum talibus peccatis tantùm ad confessionem, ecce iam Confessarius in nullo ex illis scit perfectè distinguere, & quidem esto sit valdè doctus; quis ergo dixit talem non posse validè absoluere?

Obiectionis solutio.

Dices: Saltem ille Confessarius scit distinguere inter alia communia, & quæ sunt omnibus nota. Sed contrà euidenter, quia vt ab iis peccatis, quæ ego hodie ei confiteor, me absoluat validè, nihil omnino iuuat eum habere scientiam de aliis quæ non confiteor, si de his quæ confiteor scientiam nullo modo habet. Quæ propositio mihi videtur euidentissima: vnde euidenter etiam videtur reijci ea opinio, quia reuerà per accidens est, quòd pœnitens habeat alia peccata Confessario magis nota.

6 Secundò obijcies: Debet Confessarius scire posse imponere pœnitentiam, quæ sit peccatis proportionata: hoc autem non potest, si nesciat inter veniale & mortale distinguere. Respondeo Primò, Hanc obiectionem habere locum etiam in eo casu, quo solùm confiteretur ea peccata, quæ illæ non scit distinguere. Respondeo Secundò, Hanc rationem in sententia Vasquez nullam habere vim: nam inordine ad imponendam proportionatam pœnitentiam profectò multo magis deberent explicari circumstantiæ aggrauantes notabiliter, quàm debeat sciri hæc distinctio peccatorum, Pone vnum qui furatus est millionem ducatorum, alterum qui solùm florentum, tertium qui florenum absque octo cruciferis, hic peccauit venialiter; (supponamus integrum florenum esse materiam necessariam pro mortali;) duo priores peccauerunt mortaliter: quis tamen non dicet, eum qui furatus est millionem mereri longè maiorem pœnitentiam respectu illius qui solùm florenum, quàm hic mereatur maiorem quàm ille, qui est solùm furatus florenum absque octo cruciferis? & tamen non est necessarium (iuxta Patris Vasquez principia) vt Confessarius sciat illam differentiam priorum illorum inter se; quia cùm pœnitens non teneatur eam dicere, non potest illam Confessarius scire; cur ergo quæso ratione imponendæ pœnitentiæ æqualis debebit scire differentiam inter secundum & tertium furtum? Profectò si moraliter & prudenter res consideretur, apparebit, nullam esse disparitatem. Dicimus igitur Sacerdotem debere percipere & intelligere diuersitatem peccatorum, vt Tridentinum ait; hoc autem sine dubio intelligit dum dico illi, *Furatus sum*, *Fornicatus sum*: intelligit enim fornicationem non esse furtum, & è contrario; at vt intelligat, vtrùm hoc sit grauius illo, non est necessum: nec de eo quidquam dixit Tridentinum: quòd si inter ipsa mortalia inter se non est necessum vt sciat distinguere, non erit necessum inter mortalia & venialia, qui eadem est ratio in ordine ad satisfactionem imponendam.

Quid velit Tridentinum requirens in Confessario scitum diuersitatis peccatorum.

Replicabis; Ergo non solùm validè, sed etiam licitè talis idiota Confessarius poterit absoluere. Respondeo negando consequentiam, quia licet ad valorem absolutionis id non requiratur (quod solùm nos hucusque probauimus) vt tamen licitè id præstet, nec se exponat periculo male dirigendi pœnitentem, aliosve errores committendi, necessaria est in eo scientia maior.

7 *Confessarius idiota licet validè, illicitè tamen administrat Sacramentum Pœnitentiæ.*

Restat nunc exemplum supra allatum de dormiente & de ignorante idioma: cui respondemus illum primum nihil reipsa audire, secundum nihil intelligere, ac proinde respectu ipsorum nullam esse confessionem factam: in nostro autem casu scit homo peccatum & speciem, licet non sciat illius grauitatem.

Contra hanc communem solutionem posset quis obijcere, Esto Confessarius non intelligat idioma, percipit tamen ex ipsis signis pœnitentem se accusare de peccato in communi eodem modo quo ab infirmo, qui loqui nequit, aut à muto: qui tamen possunt absolui: ergo. Respondeo, Hinc replicam nihil nobis obesse, quia nunc solùm loquimur de absolutione directa à peccatis. Secundò loquimur, quando nec in genere, ob defectum idiomatis intelligit Confessarius pœnitentem se accusare: quomodo autem, quando per signa sola, & quando quis in communi nullum dicendo peccatum in particulari se accusat, valeat absolutio, fusiùs infrà dicemus.

8 *Si Pœnitens sciat dormitasse Confessarium audiendo confessionem, teneturne totã vel saltem partem repetere*

Quia verò retigimus casum de dormiente, dubitari circa illum potest, Vtrùm si quis aduertat Confessarium dormitantem aliqua non audiuisse peccata, teneatur totam confessionem repetere. Huic dubio respondetur: Si in particulari constiterit postea, quod fuerit illud peccatum, quod Confessarius non audiuit, videri omnino certum, esse obligationem illud confitendi: quia de illo, vt diximus paulò ante, reuerà non est facta confessio. Dubium ergo est, Vtrùm quando non scitur quod illud fuerit, teneatur tamen pœnitens totam Confessionem repetere. Respondet cum distinctione Cardinalis Lugo: Vel enim ea confessio fuit generalis multorum peccatorum: & de vno tantũ in genere dubitatur: & tunc ait non esse necessarium vllum in particulari repetere, sed solùm dicere, se de aliquo accusasse, & illud non fuisse à Confessario auditum, quod autem fuerit in particulari non scire: addit tamen debere vlteriùs eum dicere, Eo tempore solebam confiteri tales & tales species: quod si illud dubium sit de vna particulari confessione in qua panca peccata confessus est, tunc debere repeti illa omnia: quia tunc de quolibet in particulari posset dubitari, vtrùm illud dixisset in confessione. Exemplum adducit, si ex reuelatione sciretur Romæ esse aliquem qui putat se esse baptizatum, & tamen non est: non posset in particulari vllus de se dubitare, an esset baptizatus: nec ideo ei liceret rebaptizare, ar

Distinctio Cardinalis Lugo.

at si id diceretur inter decem, tunc quilibet posset prudenter dubitare, vtrùm ipse esset nécne; ac proinde omnes deberent baptizari secundò sub conditione. In hac instantia illud videtur
9 mihi ad modum loquendi pertinere, vtrùm etiam in primo casu dicendum sit nécne, quemlibet posse timere, seu dubitare, an non ipse sit; etenim certum est dubium illud cadere etiam tunc debere supra quemlibet: quod vel inde patet, quia ille ipse, de quo re ipsa verificabitur, quòd non fuerit baptizatus, non habuit maiorem causam timendi quàm ceteri Romani; & tamen re ipsa fuit de illo verificatum, quòd non esset baptizatus; potuit ergo ille iure timere, potuêre ergo etiam reliqui. Aliud ergo est dicere, tunc iure non potuisse quemlibet timere; (ex rigore enim potuere omnes timere;) aliud verò, quòd ea occasio timoris non fuerit tanta, vt sufficerit ad hoc, vt quilibet rebaptizaretur: hoc secundum verum est, primum non ita; id tamen, vt dixi, forsasse totum, pertinet ad solam vocem. In casu ergo confessionis in primis iuxta sententiam eorum, qui docent peccata dubia non necessariò debere in confessione dici, consequenter asserendum non teneri in particulari vllum peccatum repetere, quia de quolibet esset dubium, vtrùm iam in confessione fuisset explicatum: ac proinde dubitaretur, vtrùm esset materia necessaria confessionis.

Dices: Aliquid non fuisse dictum omnino est certum, licet in particulari non constet quid sit illud: ergo est obligatio certa confitendi vnum. Respondeo, Eam obligationem confitendi esse certam eo solùm modo quo est certitudo, quòd non sit explicatum illud peccatum, nempe vagè & quasi in communi. Sufficiet ergo tunc dicere: *Vnum peccatum non intellexit Confessarius, non scio quod illud fuerit, ac proinde de illo me accusso vti possum.* Secundò dico, Videri mihi sat graue onus obligare pœnitentem ad secundam peccatorum confessionem, cùm iam ab omnibus sit absolutus, & quidem directè vno excepto: obligare inquam solùm propter vnum quod fuit neglectum, non ob culpam pœnitentis, sed ob Confessarij somnolentiam: si constaret mihi mediam partem aut ampliùs non fuisse ab eo auditam, facilè admitterem obligationem hanc: at propter vnum dubium obligare ad dicenda secundò decem aut viginti peccata, videtur satis graue onus. Vnde non nisi ad se accusandum in communi modo paulò ante dicto eum obligarem. Vnde ea obligatio, quam Lugo imponit, dicendi, *Solebam tunc tales species peccati committere*, valdè est grauis: quia tunc pœnitens ille valdè multùm cogeretur de suis antiquis peccatis dicere ei secundo Confessario.

Resolutio sententiæ dubii negatiua

SECTIO II.

Quid sit dicendum, quando pœnitens est excommunicatus.

10 QVÆRIMVS, Vtrùm debeat repeti confessio, quando pœnitens est excommunicatus, & non absolvitur priùs ab excommunicatione. Pater Vasquez 3. Part. Tractatu de Excommunicatione, dub. 4. ait confessionem tunc temporis esse inualidam, ideoque omnino repetendam, siue excommunicatio sit maior, siue minor: pro quo citat Paludanum, Syluestrum & alios: quos etiam refert Suarez Tomo 5. de Censuris, disput. 10. sect. 3. num. 1. vbi Sotus id limitat ad excommunicationem maiorem. Fundamentum huius sententiæ maximè desumitur ex cap. vltimo, *Si celebrat.* de Clerico excommunicato: in quo hæc habentur de minori excommunicatio, quæ à fortiori de maiori locum habent: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta; sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cùm non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum; quæ in solâ consistit perceptione, remotus.* Hæc enim verba videntur denotare talẽ excommunicatum esse factum incapacem suscipiendi Sacramenti: ergo cùm Ecclesia habeat potestatem reddendi aliquos incapaces absolutionis (potest enim tollere iurisdictionem omni Sacerdoti respectu pœnitentis excommunicati) de facto eam abstulisse ex eo textu omnino dicendum est. Huic loco fidit Vasquez valde. Lugo verò n. 6. 7. ait a Patre Suario iudicari difficillimum, & varias tentatas esse solutiones pro eo: ac tandem ipsum consentire in solutionem Nauarri, quam priùs reiecerat: Suarez tamen nequaquam ad intentum nostrum dixit esse locum illum difficilem, nec pro eo intento varias ei adhibuit solutiones: sed ad propositum administrandi Sacramenta dixit esse difficilem, cùm in eo dicantur duo quæ videntur contraria, scilicet & quod per minorem excommunicationẽ non priuetur homo potestate administrandi Sacramenta, & quòd nihilominùs peccet in eorum administratione; & vt hæc duo combinaret, adhibuit Suar. varias solutiones disp. 24. sect. 2. quas ex ipso hic examinæ Lugo.

Nos eis relictis, quia non huc, sed ad materiam de excommunicatione & eius effectu spectant, ad rem nostram dicimus locum esse facilem, quia in illo solùm dicitur, quòd per eam excommunicationẽ fiat homo remotus à susceptione Sacramenti, id quod non debet intelligi, nisi de licita, non de valida, vt ex eo cõstat euidenter; nam non solùm validè potest talis excommunicatus suscipere Sacramentum Pœnitentiæ (quâ instantiâ vtitur Lugo ad probandum in eo loco esse difficultatem communem Patri Vasquez) sed omnium aliorum; nam & validè recipit Ordines & Eucharistiam & Confirmationem & Extremam Vnctionem; non ergo ibi Pontifex egit de remotione à valida susceptione, sed à licita: vnde cùm Pœnitentiæ Sacramentum, vt validum sit, requirat, ne homo in eo moraliter peccet, eo ipso quòd Ecclesia eius susceptionem reddidit illicitam, reddidit indirectè inualidam: vnde ad rem nostram colligitur è contrario, quòd si quis immemor excommunicationis, ac proinde non peccans, accedat bona fide ad eius susceptionem, validè possit absolui, & Pœnitentiæ Sacramentum suscipere. Locus igitur ille nihil habet difficultatis contra nos.

11 *Cur excommunicatus alia Sacramenta valide suscipiat, non tamen Sacramentum Pœnitentiæ, nisi sit oblitus excommunicationis sua & bona fide accedat.*

Quidam præterà obiiciunt; Excommunicatus est præcisus ab Ecclesia; ergo non potest de suis peccatis iudicare. Hoc tamen argumentum est ridiculum; probaret enim, Ecclesiam non posse punire excommunicatos, quia sunt extra Ecclesiam; imò neque posse eos absoluere ab ex-

Sententia P. Vasquez negans posse absolui.

communicatione, quia vt exerceatur actus absolutionis, debet priùs iam supponi iurisdictio. Alia etiam absurda ex eo antecedente deduci possent. Dicendum ergo est, Excommunicatum nullo modo liberari à iurisdictione Ecclesiæ, cùm actu subiaceat pœnis ab ipsa inflictis, sed solùm à participatione Sacramentorum, à communibus precibus, &c.

12 *Resolutio totius quæstionis.*

Contraria ergo sententia, quam fusè eo loco defendit Suarez & Lugo num. 613. quæ docet, eam confessionem esse validam & habere suum effectum, tenenda est; pro qua & hi duo & Diana 2. Tomo, Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 78. multos alios adducunt. Ratio illius non potest alia esse, quàm quòd nullo modo possit ostendi, Ecclesiam per excommunicationem intendisse inhabilitatem illam etiam in eo qui bona fide accederet; si autem Ecclesia id non intendit, negari nequaquam debet eos esse capaces; & verò nec prudenter Ecclesia id tentasset, alioquin, inquit Lugo, ille qui esset immemor excommunicationis, numquam posset iustificari per Sacramentum Pœnitentiæ; quia numquam peteret absolutionem ab illa, cum ignoraret se ea innodatum. Ad hoc tamen posset respondere Vasquez negando consequentiam, quia ideò præmittitur ante absolutionem Sacramentalem absolutio ab excommunicatione. Quidquid ergo de eo absurdo sit, saltem ex eo capite id non videretur prudenter factum, quòd cum homo ille procedat inuincibiliter iustè, habeatque omnia necessaria ad absolutionem à peccatis, & hæc sit tanti momenti, non erat expediens illum conijcere in periculum grauissimum æternæ damnationis ob excommunicationem, quæ solùm posita est vel per modum cuiusdam pœnæ temporalis, vel vt homines ad resipiscendum excitarentur.

13 *An excommunicatus ignorans suum statum bona fide confitens, absolvatur ab excommunicatione, per formulam absolutioni Sacramentali præmitti solitam*

Secundum dubium præcedenti annexum est, An per ea verba, quæ ante absolutionem à peccatis præmittuntur circa absolutionem ab excommunicatione, re ipsa tollatur ea excommunicatio quam homo bona fide ignorabat. Pater Suarez disp. 31. sect. 4. num. 19. censet, etiamsi quis habens casum reseruatum, cuius tamen oblitus est, confiteatur habenti iurisdictionem in illum, non absolui directè ab illo, seu non auferri reseruationem: vnde de censura occulta dicit, eam non auferri tunc nisi ad reincidentiam, quia ea absolutio præmittitur in quantum est necessaria ad absolutionem Sacramentalem; ideoque dicitur, *In quantum indiget*: atqui ad hanc absolutionem non est necessum tolli excommunicationem absolutè; sufficit enim si tollatur pro eo effectu absolutionis, esto deinde redeat: vti quando Pontifex confert alicui gratiam aliquam, solet præmittere absolutionem ab excommunicatione, in ordine tamen ad solùm eum effectum. Cardinali Lugo visa est hæc sententia dura & difficilis. Verùm & hoc ipsum Suarez eo loco insinuauit, ait enim: *Quòd si id nimis rigidum videatur.* Potest responderi Secundò, tolli tunc absolutè censuram, non tamen reseruationem casus, ob quem ea imposita fuerat. Quam solutionem æquè defendit ac primam.

14 Ego circa hunc casum ita iudico; Primò, illum non esse ad rem nostram: quia hic agimus de peccatis & de obligatione ea confitendi ob defectum in confessione commissum; hoc autem in præsenti non habet locum, quia supponimus illum hominem esse absolutum ab eis peccatis quæ confessus est, nec obligari ampliùs ad ea dicenda; quoad alia autem quorum est oblitus, sine dubio habet obligationem ea confitendi, siue maneant reseruata, siue non; quia ea non subiecit Ecclesiæ, vt diximus. Vtrùm autem reseruatio tunc tollatur nè ne, non est huius loci: de eo infra: vti nec est huius loci, an tollatur ea censura ad reincidentiam, an absolutè quia hoc pertinet ad materiam de Excommunicatione.

Secundò tamen dic breuiter, Probabilius esse eam absolutè tolli; quod, vt dixi, etiam defenditur à Suatio, & bene probatur a Lugo eo loco. Addo alteram eiusdem probationem, quia supposita doctrina paulò antè tradita, quòd excommunicatio, esto duret, non impediat valorem absolutionis, non potest in rigora tunc dici data ea absolutio à censura in ordine ad solum valorem absolutionis, cùm sine illa hæc esset valida: debet ergo habere constantem effectum, alioquin planè nullius momenti ea esset. Et de hoc puncto ad intentum nostrum satis. *Responsio affirmatiua.*

SECTIO III.

Quid si Sacerdos ante absolutionem obliuiscatur peccatorum.

QVÆRITVR, An si vel omnium vel multorum ex peccatis auditis obliuiscatur Sacerdos ante absolutionem, teneatur pœnitens confessionem repetere. 15

SVBSECTIO PRIMA.

Explicantur varii sensus quæstionis, & aliquorum sententia proponuntur.

VAriis de caussis ea obliuio potest contingere, vel quia confessio est valdè longa vel quia non vno die facta: vel quia Sacerdos est obliuiosus, & in fine non recordatur, quid initio dixerit pœnitens: vel quia confessio fuit irrita defectu doloris in pœnitente, aut iurisdictionis in Confessario: aut quia reticuit vnum peccatum aduertenter, & paulò pòst redit ad eumdem Confessarium: an dicere tunc sufficiat, *Accuso me de præcedentibus peccatis & de hoc quod tacui.* Multa sub hoc dubio continentur, quæ magna indigent distinctione. Et Primò quidem suppono vt omnino certum, quæstionem solùm esse, si ad eumdem Confessarium redeat pro absolutione. Nam si distincto, qui non audiuit priora peccata, non est dubium debere omnia repeti, quia ego non possum absoluere ab his quæ ego non audiui, sed Ioannes: ergo respectu mei, qui sum daturus absolutionem, tam per accidens se habebit illa confessio facta Ioanni, ac si facta non esset; debet ergo apud me distinctè tota illa repeti. Secundò suppono etiam vt certum, si post auditam totam confessionem, quando Confessarius & recordabatur peccatorum, & reliqua omnia aderant ad absolutionem necessaria, imposuit pœnitentiam, solamque absolutionem distulit ob aliquas cautlas iustas, non esse necessum eum posteà, quando pœnitens redit pro absolutione, recordari, nec quidem in confuso eorum peccatorum, sed *Quædam supponuntur pro dubij resolutione.* *Confessarius, qui impositâ pœnitentiâ distulit ab*

solutionem. nec est opus vt recordetur deinde peccatorum quando absoluet

sed sufficere, si recordetur eum pœnitentem fuisse benè confessum, & absolutionis capacem: quòd si hic ab eo tempore nouum aliquod peccatum commisit, tenebitur hoc dicere, & pro eo imponenda erit noua pœnitentia, & danda absolutio pro omnibus. Ratio huius est, quia ea notitia nùc de præsenti nec est necessaria ad pœnitentiam imponendam, eam enim supponimus impositam, nec ad valorem absolutionis; quia si recordatur de præsenti Iudex se heri audiuisse reum & illius delicta, ac ei determinasse pœnam sub qua erat dimittendus hodie ex carcere, non est necessum ad hodie faciendam eam dimissionem recordari vllo modo eorum delictorum; sed approbare potest hodie sententiam quam heri reliquit inchoatam. In hac parte conuenire omnes videntur contra Nauarrum, qui confusam saltem peccatorum notitiam etiam tunc requirit; id tamen, vt ostendimus, sine necessitate adstruitur.

16 *Quid si carnifex iurisdictionem quidem habeat, & petat hæc quæ similes quando est danda absolutio.*

Dices, Hac ratione probari, etiamsi Sacerdos ille non habuisset iurisdictionem, si tamen imposuisset pœnitentiam proportionatam illis peccatis, posse dare postea absolutionem, esto nó recordaretur vllo modo, nec quidem in confuso, peccatorum etenim confessio explicita (vt diximus sæpè non alia de causa requiritur, quàm vt pœnitentia debito modo imponatur; ergo si hæc est imposita, non erit vllo modo necessaria in eo noua illorum peccatorum notitia. Consequens autem videtur planè absurdum, confessio enim illa facta non habent iurisdictionem, perinde debet censeri ac si omnino nulla fuisset. Respondeo, Quidquid sit de veritate consequentis, de quo infrà, nego consequentiam; quia nó potest censeri valida impositio pœnitentiæ, si non habet iurisdictionem qui illam imponit; debet ergo tunc perinde iudicari ea impositio ac si nulla fuisset, oportebitque de nouo eam imponere. De nouo autem non potest, cùm non recordetur peccatorum vllo modo, nec quidem in confuso, vt supponimus; debet ergo tunc secundò audire ea peccata, quando iurisdictione iam acquisita voluerit dare absolutionem: nos autem locuti antè fuimus in casu quo omnia sunt ritè facta, & sola absolutio desideratur; ad hanc enim diximus non esse necessum recordari vllo modo peccatorum, nec quidem confusè; & pro hoc casu habet locum tam ratio quàm instantia allata de Iudice, qui audita heri causa rei, & assignata illi debita pœnitentia, sine vlla hodie memoria delicti potest ex carcere eum dimittere.

His positis tota præsens difficultas reducitur ad casum, quo vel non sit imposita pœnitentia vel certè non validè; quia deficit in Sacerdote iurisdicto; aut quia ipse pœnitens non est ritè confessus, vel ob doloris defectum, vel quia malitiosè reticuit aliquod peccatum. In omnibus autem his casibus potest noua suboriri difficultas circa ipsam obliuionem peccatorum ex parte Confessarij; nam in ea contingit magna inæqualitas. Obliuio enim est quando penitus excidunt è memoria peccata, vt non magis recordetur, quàm si nihil audiuisset. Obliuio etiá eñ, quando in confuso tantùm recordatur, videtur autem pro præsenti quæstione magna hæc diuersitas; ideò dixi supra, oportere diligenter omnes hos casus distinguere.

Quid faciendum si confessio fuit vitiosa, & Confessarius non recordetur illius, nó pœnitentia sit imposita.

17 Suarez quidem disp.22.sect.6.docet non nocere eam obliuionem, quando confessio priùs facta non habuit defectum vllum in se, nequè ex parte Confessarij: quòd si illum habuit, tunc putat necessariò eam repetendam. Fundamẽtum huius secundæ conclusionis est, quòd talis confessio non fuit materia confessionis (puto voluisse dicere, Non fuit materia absolutionis) nec vera accusatio Sacramentalis; ideò siue Sacerdos imponat pœnitentiam, siue non, iudicat debere iterari confessionem; non declarat autem, vtrùm id sit intelligendum quando Confessarius est omnino oblitus peccatorum, an verò etiamsi adhuc retineat confusam notitiam eorum. *Sententia Suarij.*

Vasquez verò ea quæst. 92.art.3. dub. 3. refert Paludanum & Adrianum pro alia limitatione, vt tunc scilicet teneatur pœnitens confessionem repetere, quando Confessarius non habuit iurisdictionem; quia tunc illa confessio non fuit Sacramentalis, quia non est facta vero iudici. Hanc distinctionem ipse Vasquez non admittit, quia si est defectus aliquis, siue ex parte Confessarij, siue ex parte confessionis, semper confessio est non Sacramentalis. *Vasquez.*

Gaspar Hurtadus disp 8 de Pœnirentia diff.8. putat, etiamsi Sacerdos non recordetur status pœnitentis, ita vt possit prudenter imponere pœnitentiam, quam non imposuerat anteà: non requiri iteratam confessionem explicitam, sed sufficere mediam quandam minus distinctam, quæ sufficiet vt possit taxari prudenter pœnitentia. *Hurtadi.*

Denique Cardinalis Lugo Vasquem reiicit num. 635. Suarium verò num 634. & inter vtrumque medium amplexus viam; sentit ergo, si defectus sit ex parte Confessarij, quia vel non est Sacerdos, vel non habet iurisdictionem, putat contra Vasq eam confessionem nihil valere, si excidit è memoria Confessarij; si verò facta sit vero Sacerdoti, iudicat tunc eam Sacramentalem, & sufficientem vt prout manet in memoria Sacerdotis, & renouatur per subsequentẽ accusationem, sufficiat ad validam obtinendam absolutionem. Fundamentum illius est quia confessio Sacramẽtalis est accusatio sui facta coram legitimo iudice; ergo quando hoc habet, esto deinde ex defectu absolutionis non fiat Sacramentum, erit adhuc Sacramentalis, & potèrit mediodicto pro absolutione deseruire: at quando Sacerdos non erat iudex, non videtur illa confessio Sacramentalis ex se, sed perinde ac si fieret mera laico. *Cardinalis Lugo.*

Ego tamen in hac doctrina Primùm censeo non responderi quæstioni ex integro, quia in ea supponit manere in Confessario confusam memoriam sufficientem ad imponendam absolutionem. Nos autem quærimus quid sit dicendum etiam, quando nulla manet memoria. Secundò puto huc Auctorem, vt reiiceret Suarium & Vasquem, aliqua inter se pugnantia tradidisse contra Suarium enim ait num. 634. praxim communem esse contra illum; nam esto quis confiteatur casus reseruatos ei qui non habet iurisdictionem & Sacerdos tunc differat in crastinum absolutionem, donec obtineat facultatem, absolutio postea data est valida, etiam tunc non adsit memoria distincta eorum peccatorũ; nec obligatur tunc pœnitens ad reperenda ea peccata, sed præcisè vt se accenset de illis in cõfuso. Hanc doctrinam dico non videri planè cohærere cum ea, quam diximus paulò antè tradi

di ab eo contra Vasquez num 635. Se licet confessionem factam Sacerdoti non iudici esse per in le ac si esset facta laico; si autem esset facta laico, deberet repeti distinctè; ergo illa de reseruatis, quia est facta non iudici, repetenda erit; cuius oppositam docet in eo argumento contra Suarium. Respondere fortasse poteris, Illum Confessarium, licet non habeat in reseruata iurisdictionem, habere tamen in alia, ac proinde respectu illorum esse iudicem legitimum; ideoque non esse necessarium illorum confessionem repetere. Sed contrà, quia hìc & nunc ea iurisdictio omnino est per accidens; nam cùm pœnitens habet reseruatum aliquid, eo ipso hic & nunc Sacerdos ille non habet absolutè iurisdictionem ad absolutum tum ab omnibus aliis, magis quam quilibet Sacerdos non approbatus non habet iurisdictionem, seu non est legitimus iudex ad absoluendum etiam à venialibus (si pono aliunde non esse causam ad confessionem dimidiandam) Secundò, ea solutio ideò non potest tradi, quia oppositum sentit eo numero 634. Cardinalis; praxim enim, quam adducit contra Suarium, ait esse, vt licet Confessarius oblitus fuerit etiam ipsorum reseruatorum, non tamen cogatur repetere pœnitens etiam ipsa reseruata. Certissimum autem est, quòd ille Sacerdos tunc respectu reseruatorum non fuerit legitimus iudex, ergo ea impugnationes contra Suarium & Vasquez non sibi cohærent. Quidquid verò de consequentia huius Auctoris sit,

19 *Quid intelligatur nomine confessionis Sacramentalis, est de voce.*

Mihi in hoc puncto, quæ scilicet sit dicenda confessio Sacramentalis, aliquid videtur miscerì de voce, & quodammodò in eo peti principium. Si enim ea dicatur confessio Sacramentalis, quæ postea sufficiat ad absolutionem, supponetur id de quo est disputatio; quia id ipsum in præsenti quærimus, quæ sufficiat, quæ non: Si verò dicatur Sacramentalis, quæ facta est quasi in ordine ad Sacramentum, & quæ inducat obligationem secreti, profectò omnes illæ debent vocari Sacramentales, esto desit iurisdictio in Confessario. Vnde si quis confiteatur casus reseruatos alicui, qui non aduertit se non solùm habere iurisdictionem, ac deinde reflectit se non posse absoluere, nihilominùs tenetur ad sigillum non aliter quàm si habuisset perfectissimam iurisdictionem & idem dico, si esset fictus Sacerdos, ac proinde nullam planè haberet iurisdictionem, si alter bona fide ei confitetur, tenetur ad sigillum ergo in hoc puncto illæ omnes confessiones sunt Sacramentales; quo ergo sensu vna dicetur Sacramentalis, altera non? Vrgeo hoc ipsum; Nam si è duobus Sacerdotibus vnus solùm audiat casus reseruatos nesciens sibi deesse iurisdictionem, secundus audiat casus non reseruatos, & vterque imponat pœnitentiam iustam, vterque differat iustas ob causas absolutionem in crastinum; interim primus ille reflectat se, quòd illi casus essent reseruati, & statim petat à Superiore & re ipsa obtineat facultatem absoluendi; redeantque ambo die sequenti ad suos pœnitentes, ambo etiam oblati peccatorum, solumque sciant se imposuisse debitam pœnitentiam, & pœnitentes fuisse absolutione dignos; cur quæso magis vnus dare poterit absolutionem quàm alter; aut si vnus non potest, cur poterit alter; aut cur magis vna præcedens confessio dicetur Sacramentalis, altera verò non? Declaro id ratione à priori; nam necessitatem dicendi omnia peccata in particulari colligit Tridentinus, eò quòd Sacerdotes ex Christi institutione sint iudices, & inaudita causa non possint imponere pœnitentiam proportionatam; atqui ad hunc finem per accidens est, quòd ea iurisdictio Confessarij fuerit ante auditam confessionem, aut post illam, quia (vt suppono) ad proportionatam imponendam ea iurisdictio se habet per accidens; ergo vt confessio dicatur Sacramentalis, non est necessarium vt fiat iudici vt iudici. Vrgeo id ad hominem; Nam esto quis confiteatur habenti alioquin iurisdictionem, si tamen pœnitens non habet vllum dolorem, possumus in toto rigore dicere, Hì & nunc illam confessionem factam esse non habenti iurisdictionem, quia reuera à nullus Sacerdos habet iurisdictionem absoluendi eum, qui non habet dolorem; quia non dedit Christus iurisdictionem faciendi Sacramentum sine partibus essentialibus; sicut nullus habet iurisdictionem absoluendi à reseruatis alteri supra se, & nullus habet potestatem baptizandi sine aqua, aut conficiendi Sacramentum Confirmationis vel extremæ vnctionis sine Chrismate & sine oleo. In hoc autem sensu videtur mihi meritò dixisse Vasquez suprà, omnes eas confessiones non dicendas Sacramentales, vel certè non magis vnam quàm alteram.

Habet se per accidens iurisdictio ad imponendam proportionatam pœnitentiam.

20

Dices tamen; Ergo idem erit admittendum, si quis confiteatur alicui ficto Sacerdoti, qui tamen immediatè post factis re ipsa Sacerdos, & acquirens etiam iurisdictionem, reditet ad pœnitentem; debemus enim consequenter dicere, sine noua confessione posse illum vi prioris dare absolutionem; hoc autem videtur planè absurdum. Respondeo primò negando consequentiam. Disparitas est manifesta; nam laicus nullam pœnitentis habet iurisdictionem audiendi confessiones nec remotâ nec proximam; ac proinde quidquid tunc audiuit, fuit perinde ac si non audiuisset. At Confessarius approbatus esto in aliqua peccata reseruata non habeat iurisdictionem; est tamen absolutè designatus ab Ecclesia Minister, est iudicatus sufficienter potens, prudens ad imponendam pœnitentiam, etiam pro illis ipsis reseruatis; quòd enim hæc sint reseruata, non est ideò factum, quia in Confessario non supponatur sufficiens doctrina ad iudicandum de illis, aut ad imponendam pœnitentiam eis proportionatam, sed vt pœnitentes ob difficultatem obtinendæ absolutionis magis coërceantur ab eis peccatis. Vnde idem Superior cum eadem omninò sententia, eo ipso quòd cesset ab officio, iam non potest absoluere, à quibus anteà poterat & alter, eo ipso quòd è contrario fiat Superior, habet potestatem absoluendi, quam anteà non habebat, esto nulla addatur ei scientia noua. Præterea in eo casu vterque bona fide accessit, non est ergo cur dicamus eam pœnitentiam impositam tunc prudenter iuxta dilecti grauitatem non sufficere, vt accedente deinde iurisdictione sit valida illa absolutio; sicut est valida in altero, qui habeat etiam facultatem tunc absoluendi ab eis casibus; ac proinde colligitur inde non esse vniuersaliter verum, quòd actualis iurisdictio faciat ad hoc, vt eum minori memoria peccatorum possit absolui pœnitens, prout dicebat Lugo contra Suarez & Vasquez. Respondeo Secundò, Me hucusque solùm dixisse, ex ea iurisdictione non esse sumendam vllam disparitatem ad vocandam vnam confessionem

Non sunt ideo reseruata peccata, quòd Confessarius non sit sufficienter ad imponendam pœnitentiam instructus.

præ

præ altera Sacramentalem. Quid autem sit absolutè sentiendum iam statim explicabo.

SVBSECTIO SECVNDA.

Deciditur quæstio.

21 *Si Confessarius præceperit fieri oblitus confessionis ante impositam pœnitentiam, repetendi ... sit confessio.*

PRima CONCLVSIO: Si ante impositam pœnitentiam Cõfessarius obliuiscatur ita peccatorum, vt nec quidem in confuso eorum recordetur, sed perinde se habeat ac si planè ea non audiuisset, necesarium videtur eam confessionem etiam explicitè & distinctè ex integro repetere, vt hic tè detur absolutio. Id quod verum iudico, siue Sacerdos habuerit omnem iurisdictionem requisitam, siue nullam, & siue ex parte pœnitentis nullus fuerit defectus siue aliquis. Hanc conclusionem non ita distinctè ponunt Auctores, solus Vasquez absolutè eam videtur tradere supra num. 2. cùm enim dicat non esse specialem rationem de cõfessione facta iudici aut non facta iudici, & ibi doceat, si non maneat memoria confusa peccatorum, debere confessionem reperi; quia perinde esset ac si nõ præcessisset, profectò sentit debere distinctè repetiri: nam si non præcessisset, sine dubio deberet fieri omnino distincte & in particulari: eandem etiam tenet Cardinalis Lugo supra num. 641. contra Gasparum Hurtadum: eandem etiam supponere videtur Suarez, dum semper ad hoc, vt ne iteretur confessio, requirit aliquam memoriam peccatorum, & quidem quæ sufficiat ad imponendam prudenter pœnitentiam. Ratio pro hac sententia est clara; nam si non est memoria vlla præcedentis confessionis magis quàm si non fuisset audita, non potest plane vlla eius vtilitas nunc de præsenti esse quæ possit excusare à secunda confessione, & quidem omnino explicita; nam si nihil manet quod excusaret, ergo idem dicendum erit, quod diceremus si non præcessisset: tunc autem omnino requireretur distincta, ergo & nunc. Confirmatur exemplo ex humanis; nam est Iudex auditu set olim, qui nudo sententiam non tulit, delicta alicuius rei; si tamen iam, dum debet illi assignare pœnitentiam vt eum dimittat, non magis recordatur delictorum quàm si nihil audiuisset; profectò iniquè & contra numeris sui obligationẽ ageret, si iam examinatum dimitteret: siue aliquam imponeret pœnitiam, cùm se graui errore in ea imponenda exponeret.

Dices: Christus non aliud requirit (vt ex Tridentino constat) quam vt omnia peccata deferantur ad legitimos iudices: ergo si demus hũc Sacerdotem fuisse tunc ex parte sua legitimum iudicem, quia ipsi de iurisdictione nihil deerat, iam erit satisfactum per præcedentem confessionem explicitam, esto ea nunc omnino euanuerit ex eius memoria, vti suprà diximus non amplius requiri, si imposita est pœnitentia. Respondeo, Christum ideò eam confessionem distinctam petisse, vt Sacerdos imponere posset pœnitentiam; vnde hanc non imposuit tunc quando peccata intellexit, ea præcedens confessio iam est perinde ac si non fuisset, vt in allato exemplo iudicis clarè constat.

22 *Confessio præterita debet aliquo saltem signo doloris repeti ante absolutionem vt hæc sit valida, etsi data ibi erat pœnitentia.*

SECVNDA CONCLVSIO: Si in eo casu daret ille Sacerdos absolutionem, inualida ea esset nisi aliquo signo accusationem suam renouare pœnitens. In hanc videntur omnes consentire semper enim requiritur etiam ad valorem, vt præcedens confessio aliquo nouo signo renouetur: & ratio est; nam si se ille de nouo non accusat, cùm supponamus præcedentem confessionem fuisse nullam, vndecumque id veniat; profectò si non renouetur per aliquam accusationem, vt reddatur capax absolutionis & pœnitentiæ, non poterit esse sufficiens vt cadat validè absolutio in illa peccata.

Dices, Si moribundus hodie petat absolutionem & quidem ex parte sua bene præsente me adhuc non Sacerdote, esto cras, quando ego primùm accipio iurisdictionem absoluendi, quia fio Sacerdos, possum tamen illum absoluere validè vi præcedentis confessionis etiam non renouatæ coram me iam iudice; ergo idem erit in homine sano: nam licet in infirmo ob periculum damnationis vt licitè id faciam non sit necessaria noua confessio, pro valore tamen absolutionis eadem videtur esse vtrobique ratio. Vrgeo id amplius: Nam esto ille infirmus quando petiit confessionem non habuerit dolorem & interim etiam esto ex parte ipsius non fuerit valida confessio, si tamen antequam ego Sacerdos accedam & dem ei absolutionem, ille restitutus sensibus, interiùs tamen præsens sibi addidit dolorem sufficientem, & ego do illi absolutionem, omnino erit illa valida.

Fortassis respondebis, In infirmo ideò validè posse dari absolutionem, quia supponitur durare adhuc in sua confessione, nec eam per nouum peccatum retractasse: at qui bene valet, potest mutasse animum, aut per nouum peccatum retractasse in actu exercito eam confessionem. Sed contra Primò, nec hæc ratio habere locum posset, etiamsi ille valide fuisset confessus, & ego habuissem omnem iurisdictionem, ac illi imposuissem pœnitentiam; eo autem casu nemo requirit ad dandam illi deinde absolutionem, vt ille renouet suam confessionem; & tamen etiam tunc potuit mutare animum; ergo ea disparitas nulla est. Contra Secundò, qui a posteriori ego conueni, cum illo, cuius confessionem explicitam audio, hoc modo; Si non habueris nouum peccatum eras, aut non mutaueris animum, non erit necessarium quidquam mihi dicere, sed ego veniens dabo tibi absolutionem si autem aliquid de nouo habueris, accusa te de illo, vt ab omnibus te absoluam; tunc autem eo ipso quòd ille taceat dum ego venio, multò magis se ostendit non mutasse animum quàm infirmus, qui esto non det iam vllum signum, fortassis interiùs habuit aliquam complacentiam in peccata, & retractauit in actu exercito confessionem priorem.

23 *Cur Absolutio possit agere, qui cordi fuit ante duos dies v.g. deesse signũ doloris potens Confessarium tunc sensibus capere est, non item Sanum, qui integrè confessus erat absque absolutione, nisi de nouum dolo ris signum.*

Obiectio hæc meo iudicio non caret graui difficultate, nec tangitur ab Auctoribus: & vix poterit facilè assignari disparitas inter eos duos casus: nihilominùs dico eam non tam esse contra casum præsentem de obliuione peccatorum, quàm vniuersaliter contra alios casus: est enim eadem difficultas, esto omnino recordaretur eorum peccatorum, quæ mihi nondum Sacerdoti ille est confessus ex parte sua serio & cum vero dolore; nam etiam tunc non possem iam factus Sacerdos & habens iurisdictionem eum absoluere, nisi aliquo modo renouaret eam priorem confessionem saltem dicendo, Accuso de me eis peccatis &c. hoc autem videtur ipsum impugnari ea instantia infirmi: ergo obiectio nimis est vniuersalis. Respondeo, Secundo, Constare

ex

ex Concilio Christum Dominum voluisse vt homo confiteretur verò Sacerdoti, eo autem casu nec explicitè nec implicitè ille homo est confessus vero Sacerdoti: non explicitè, quia quando fecit confessionem explicitam ego nō eram Sacerdos: non item implicite, quia quando iam eram Sacerdos nullum dedit signum doloris aut confessionis; ergo non est confessus prout requiritur ab obtinendam absolutionem. In casu autem infirmi alia est ratio, quia hic non confitetur per se immediatè Sacerdoti, sed quasi per interpretem; ad hoc autem non est necessum vt intepres audiens sit Sacerdos; sufficit ergo quòd posteà per interpretem id resciat ille qui iam verus Sacerdos daturus est absolutionem; quia Christus pro casu eius necessitatis fuit contentus ea confessione: possum autem optimè ego ipse, qui heri audiui ab infirmo eam petitionem esse per memoriam eius quasi nuntius ad meipsum, & quidem melius quàm si ancillæ solæ id heri audiuissent, & hodie mihi iam Sacerdoti narrarent. Sanus autem & qui potest per seipsum immediatè loqui, nō potest per tertiam personam nec licitè nec validè confiteri; vnde memoria, quam ego habeo de confessione illius heri mihi nondum Sacerdoti facta, esto adhuc apud me sit & quodammodò sufficiens, vt per modum tertiæ personæ seu nuntij possim mihi hodie referre præcedentem confessionem illius, non valet tamen absolutè; quia Christus in homine sano & potente per se agere cum Confessario noluit vt ageret per internuntium.

24 *An per interpretem vel litteras absenti confessus possit deinde à præsente Sacerdote absolui absque noua confessione, vel saltem signo doloris.*

Replicabis; Nos dicimus non esse illicitum confessionem fieri per interpretem, dummodò absolutio detur in præsentia; vnde si aliquis per famulum mihi omnia sua peccata diceret, & rogaret, vt venirem, & ei darem absolutionem, possem id facere; esto quando ad illum intrarem, nullam de nouo faceret confessionem, sed exspectaret absolutionem; ergo disparitas allata nō sufficit. Respondeo, Me etiam in eo casu non admissurum fore absolutionem validam, nisi dum Confessarius accedit, vno saltem verbo pœnitens renouet suam accusationem: id quod sufficiet, vt etiam licitè possit ei dari absolutio etiam directa ab omnibus peccatis sine vlla noua confessione. Neque huic doctrinæ quidquam docemus infrà contrarium; nam licet dicamus, à Clemente Octauo non esse reiectam opinionem quæ docet, confessionem posse fieri absenti; per hoc tamen non diximus illum qui potest loqui, esto explicitam confessionem absenti factam nō teneatur repetere, non debere tamen aliquo signo in præsentia confirmare coram Sacerdote suam confessionem ad hoc vt absoluatur validè. Hāc autem necessitatem secundæ protestationis negamus esse necessariam, quando infirmus non potest loqui, & quoad hoc dicimus illi Christum fecisse fauorem, quem non fecit potentibus per se loqui. Quòd si vlteriùs quæratur, Vnde nobis constet de hac Christi Domini voluntate; respondendum erit, Ex sensu communi Doctorum; nam moribundis eo modo confessionem petentibus dari posse absolutionem sentiunt ferè omnes (vt infrà videbimus;) homini autem benè valenti, & per se loqui potenti posse dari, si ipse præsens nullum det Sacerdoti signum, nullus docet, imò contrarium omnes supponunt: ergo.

TERTIA CONCLVSIO: Vt non solùm validè, sed etiam licitè Confessarius possit pœnitentem absoluere, requiritur ea peccata non ita excidisse è memoria Confessarij, vt prudenter non possit ei pœnitentiam imponere; nec sufficit vnius vel alterius peccati etiam in individuo recordari: id quod habet locum, siue dum audita est confessio, defectus fuerit ex parte iurisdictionis, siue ex parte ipsius pœnitentis, dummodò non sit imposita pœnitentia. In hac conuenio cū Patre Vasquez, qui (vt vidimus suprà) iure merito dixit, Quicumque interueniat defectus in confessione, siue ex parte pœnitentis, siue ex parte Confessarij, si non est perfectum Sacramentum, nec imposita pœnitentia, debere dici, illam confessionem non esse Sacramentalem. Dissentio autem tum à Patre Suario, putat eam oblitionem non nocere, quando nullus fuit defectus, etiamsi non sit imposita pœnitentia: dissentio etiam à Cardinali Lugo, qui putat nō obesse oblitionem, si confessio est facta coram legitimo iudice, esto ex parte sua illa non fuerit exacta ostendi enim suprà in rigore, si confessio non habeat dolorem & integritatem, &c. non posse hic & nunc dici fieri coram iudice ligitimè, cùm Christus Dominus non dederit iurisdictionem vllam ad absoluendum hominem carentem dolore & proposito emendationis. Ratio vniuersalis huius doctrinæ nostræ desumitur ex dictis suprà: quòd scilicet explicita confessio exigatur in ordine ad ponendam pœnitentiam proportionatam: ergo quandiu hæc est imponenda, debet Sacerdos habere notitiam distinctam peccatorum: vndecumque supponamus prouenire, quod anteà non fuerit imposita: debebit ergo, vt licitè procedat Sacerdos, iterùm tunc eam confessionem audire. Ex quo capite minùs placet, quòd Suarez putauerit id solùm locum habere, quando confessio alium defectum non habet præter impositionis pœnitentiæ: nam propter hanc ferè vnicè requiritur ea confessio explicita, ergo quando nō est imposita ea pœnitentia, debebit repeti confessio.

25 *Ad absolutionem pœnitentem super confessum non impositæ eā pœnitentiæ requiritur tanta peccatorum memoria in Confessario, vt prudenter possit competentem pœnitentiam imponere.*

Cardinalis Lugo qui (vt vidimus) putat, etiamsi ex parte confessionis fuerit defectus, non tamen necessariò eam esse repetendam; obiicit contra Suarium, & consequenter à fortiori contra nos, id esse contra communem sententiam. Verùm id obiicitur, non probatur, cùm & Vasquez & Paludanus & Adrianus & Suarez ita sentiant, nec possit ipse pro contraria alios adducere qui eam expressè defendant, nisi summùm Patrem Gasparum Hurtadum. Vrget, Ex nostra sententia sequi, si pœnitens in confessione ex pudore reticeat vnum peccatum, & immediatè postquam surrexit à pedibus Confessarij resipiscens redeat, & illud eidem Confessario confiteatur, debere cogi ad repetendam confessionem; quia etiam tunc non tam distinctè recordatur Confessarius peccatorum quàm dum audiuit illum dicentem, *Sexies fornicatus sum, vigesies furatus*, &c, hoc autem est contra communem praxim; ergo. Respondeo, Eo casu, si statim redeat pœnitens, non esse morale vt Confessarius sit iam oblitus peccatorum: quod dicebatur, non habere eum tunc tam distinctam notitiam, quàm quando ea audiuit, est fortasse verissimum: at hoc in omnibus omnino tantillum longis confessionibus contingit, etiam quando immediatè datur absolutio: nam in fine non potest confessarius tam distinctam habere notiam

26 *Solummodo obiicitur.*

tiam numeri & specierum peccatorum quàm inter ipsam auditionem habebat; quia in fine ob multitudinem peccatorum non potest Confessarius vnico quasi intuitu distinctè eorum recordari, imò nec ipse pœnitens id poterit. Vnde neque moraliter potuit Christus requirere ad absolutionis valorem eam simultaneam & actualem memoriam omnium peccatorum auditorum, quæ vix non physicè est impossibilis. Denique cùm in eo casu supponatur imposita pœnitentia pro eis quorum est oblitus Sacerdos, non est vllo modo contra nos.

Obiicies Secundò aliam communem praxim, Si quis hodie confiteatur reseruata, & Sacerdos differat absolutionem in crastinum, valida hæc est sine vlla obligatione repetendi reseruata, esto Confessarius sit eorum oblitus. Respondeo, Me iam ostendisse suprà, hanc obiectionem esse etiam contra hunc Auctorem; etenim ipse ait illam confessionem, quæ non sit coram legitimo iudice, non esse verè Sacramentalem, nec prodesse ad absolutionē, si Sacerdos est eius oblitus atqui hæc praxis desumitur ex casu quo facta est confessio non habenti iurisdictionem: Sacerdos enim ille non erat legitimus iudex pro casibus reseruatis; ergo vel nimiùm vel nihil probat obiectio ex ea praxi desumpta. Secundò ei absolutè respondeo, si loquamur de necessitate repetitionis reseruatorum, nihil inferri de praxi communi: quia moraliter loquendo est impossibile Confessarium obliuiscì reseruatorum, cùm enim hæc ex se ordinariè sint pauca, & ratione reseruationis hærere soleant memoriæ ac intuitu illorum petatur iurisdictio à Superiore, vix est morale Confessarium eorum statim obliuiscì: vnde non mirum, si regulariter non petatur noua confessio; quòd si tamen aliquando obliuisceretur, & tunc peteret nouam confessionem, iam casus non esset contra nos; si verò non peteret, cùm sit rarus casus, non faciet praxim tantam, quæ euertat nostram doctrinam. Quòd si ideò in obiectione loquamur de non reseruatis, dicatúrque potuisse pœnitentem simul cum reseruatis alia multa habere non reseruata, quorum obliuiscetur Sacerdos, qui distulit in diem sequentem absolutionem; & tamen non solùm non cogitur pœnitens ad repetenda reseruata, quorum Sacerdos recordatur, sed nec ad non reseruata, quorum non recordatur. Respondeo, Etiam de his non posse esse ibi praxim adeò communem; Primò, quia ea dilatio in sequentem diem non est tam ordinaria cùm potius qui habet casus reseruatos, ordinariè curet peti facultatem antequam incipiat confiteri. Quòd verò in ipsa primùm confessione agnoscatur reseruatio, non est adeò ordinarium vt faciat praxim. Respondeo Secundò; Non est etiam ordinarium, quòd eo casu habeat valdè multa peccata grauia non reseruata. Respondeo Tertiò, Neque cōstat tunc Confessarium non exigere à pœnitente aliquam cōfessionem saltem breuem, quæ sufficiat ad excitandas species præcedentium peccatorum. Respondeo Quartò, Neque constat eo casu Confessarium oblitum fuisse, Cùm ergo ex omnibus his capitibus pendeat ea praxis contra sententiam Patris Suarez & nostram, & omnia simul ea concurrere sit difficillimum; non video vnde probauerint esse praxim communē, quæ ei sententiæ obsit. Denique respondeo, Nos non loqui in hac conclusione cum eo rigore; vt debeat Confessarius habere tam distinctam memoriam peccatorum omnium, ac si ea videret vno intuitu sed sufficientem ad imponendam prudenter pœnitentiam; nullo autem modo ea praxis ostendit contrarium, sed solùm, quòd non sit necessaria memoria omnino distincta: idquod paulò antè docui etiam contingere frequenter, quando immediatè post auditam confessionem datur absolutio.

Quando Confessarius absoluit, non est opus vt clarè recordetur omnium peccatorum, modò possit prudenter pœnitentiam dare.

18

Tertia praxis potest obiici; Quando aliquis qui diu non est confessus, & facit generalem confessionem solet per duos trésve dies eam facere, quo casu certum videtur Confessarium vltimâ die, quando dat absolutionem, non recordari distinctè omnium peccatorum; & tamen nullus docet eo casu obligatum esse pœnitentē illum ad repetendam confessionem; ergo. Respondeo (vt paulò antè dixi) Nos non requirere permanentiam explicitam confessionis, sed talem quæ sufficiat ad prudenter imponendam pœnitentiam. Talem autem memoriam habet ille Confessarius tunc; sine dubio enim recordatur, an ille in materia luxuriæ, iniustitiæ, &c. habuerit grauia peccata, & præter propter etiam retinet memoriam consuetudinis peccandi. Vnde nihil inde contra nos, qui in conclusione loquimur de eo casu, quo Confessarius ita obliuiscceretur, vt non posset imponere debitam pœnitentiam. Quanta autem debeat esse ea memoria non explicita, sufficiens ad imponendam prudenter pœnitentiam dicam subsectione sequenti.

17

QVARTA CONCLVSIO: Si Sacerdos audiens confessionem, & deprehendens aliquem casum reseruatum imponat pœnitentiam proportionatam, absolutionem verò dandam differat, donec facultatem obtineat, validè & licitè dabit absolutionem; etiamsi dum redit ad pœnitentem fuerit ex integro oblitus omnium peccatorum, & solùm recordetur pœnitentem fuisse benè dispositum, & se illi debitam pœnitentiam imposuisse. Hæc doctrina in eo differt à suppositis nequam initio statim sectionis traditis; nam ibi loquebamur, quando integra fuerat iurisdictio in Sacerdote, & sola defuit ipsa absolutio; quo casu nullum videtur esse dubium ob rationem ibi datam: nunc autem loquimur, quando ad aliqua peccata defuit iurisdictio in Sacerdote: quo casu est longè maior ratio dubitandi ob sequentem obiectionem, ex cuius solutione probabitur hæc conclusio: est autem hæc: Suprà diximus ex Concilio Tridentino Christum requisiuisse, vt ad Sacerdotem habentem iurisdictionem deferantur peccata; vnde ostendimus, confessionem factam non Sacerdoti, etiamsi ille doctus sit, & imposuerit proportionatam pœnitentiam, non valere ad hoc, vt si ea peccata exciderunt omnino ex eius memoria, possit licitè aut validè absoluere, esto iam sit factus Sacerdos, & habeat omnem iurisdictionem necessariam.

Confessarius dare nequit competentem pœnitentiam potest tamen absoluere pœnitentem, licet sit oblitus confessionis prioris, & fuerit casus reseruatus in eo, pro quo tunc non habebat iurisdictionem.

Hinc ergo argumentum sumitur contra hanc conclusionem quartam: Nam etiam hic Sacerdos non erat legitimus iudex respectu horum peccatorum reseruatorum, & verò etiam respectu aliorum; quia neque ab illis poterat absoluere, quamdiu non accipiebat iurisdictionem in reseruata adiuncta; ergo confessio illi facta est perinde ac si esset facta laico; ergo esto tunc imposuerit Sacerdos pœnitentiam, quia tamen non habebat iurisdictionem, debebit postea de nouo

19 *Obiectio.*

eam imponere: quòd si peccatorum non recordatur vllo modo, debebit iterùm ea pœnitens illi repetere: id quod in hac quarta conclusione negatum est. Respondeo: Quando ille qui audit confessionem est verus Sacerdos, & absolutè habens iurisdictionem absoluendi, quod tamen supra vnum aut alterum peccatum reseruatum eam non habeat, nequaquam obest quia ad imponendam pœnitentiam pro non reseruatis habuit iurisdictionem esto, quia vnum sine alio non remittitur, non potuerit dare pro illis absolutionem, ergo in ordine ad pœnitentiam pro illis non est necessum ea secundò audire: imò neque Superior ipse, à quo ille petit licentiam pro reseruatis, potest quidquam circa non reseruata decernere. Quoad reseruata verò non est difficultas, tum quia supponimus illum per se habere ad id sufficientem scientiam: vt enim superiùs dixi, hæc reseruatio non fit ob defectum scientiæ, sed præcisè ad reddendam difficiliorem eam absolutionem, & per hoc deterrendos magis subditos ab eis peccatis. Vnde fit vt Confessarius, qui hodie non habet potestatem absoluendi, si fiat Superior eam habebit statim, esto non ideò habeat iam maiorem scientiam aut prudentiam. & idem dico è contrario de eo qui cessat ab officio, & eo ipso esto nihil amiserit de antiqua scientia, iam tamen non potest absoluere ab illis peccatis: ergo ea iurisdictio censetur hic & nunc ad eum finem rectè imponendæ pœnitentiæ quasi inutilis. Vnde etiam ordinariè dum licentiam dant Superiores, nihil determinant de pœnitentia; quòd si tamen ad hanc imponendam dicamus eos tenere iurisdictione, tota tollitur difficultas, si tunc Superior ipse determinet pœnitentiam pro illis reseruatis, & eam Confessarius dicat pœnitenti ad hæc autem non requiritur vlla repetitio confessionis ex parte pœnitentis, neque vlla maior memoria ex parte Confessarij. Aliter contingit, quando Confessarius est fictus Sacerdos, quia tunc nec proximam nec remotam auctoritatem vllam omnino habet imponendi pœnitentiam pro vllis peccatis, imò nec potentiam, vt per modum cuiusdam internuntij Superiorem adiret, vel ab eo imponendam pœnitentiam exquireret, aut vllam facultatem absoluendi acciperet. Quid ergo mirum, si & impositio pœnitentiæ & auditio ipsa iudicentur inutiles, vt possit ille postea, quando iam nullo modo recordatur peccatorum, ab eis absoluere sine noua eorum notitia, ex qua imponere possit debitam pœnitentiam.

Differentia inter ordinarium Confessarium quoad casus reseruatos, & non Sacerdotem quoad ordinaria peccata audienda in ordine ad absolutionem, quòd postea acquirat ei potentem in iurisdictionem.

SVBSECTIO TERTIA.

Qualis debeat esse ea memoria peccatorum, ne sit necessarium peccata repetere.

30 DIximus hucusq; non esse necessariam omnino explicitam memoriam, iam oportet explicare, qualis sufficiat. Ratio autem dubitandi est: nam infra explicitam, seu intra limites confusæ est maxima latitudo: nam confusa est, dum recordor omnium, non tamen numeri, an sæpè an rarò: in qua ex illis speciebus frequentiùs, in qua rariùs, &c. oporteret ergo explicare quæ ex his confusis notitiis sufficiat; nã inter eas est maxima differentia, & vix videtur posse vniuersaliter de omnibus illis affirmatiuè responderi. Præterea si ratio Patris Suarez suprà facta vllius est momenti, cùm desumatur ex eò, quòd ea confessio non sit Sacramentalis, debebit iudicari ea confessio perinde ac si nullo modo esset facta, ac proinde noua & omnino distincta debebit interuenire. Respondeo (quod in similibus materiis sæpè notaui) Difficillimum esse taxare quid sufficiat, quid non, quando semel venitur ad rem quæ patitur magis & minus. Ego putarem sufficere eam memoriam, quâ recordaretur quis maiori ex parte specierum peccati: vt enim recordetur omnium omninò etiam ipsorum individuorum, est planè ferè semper impossibile, etiam quando immediatè datur absolutio post confessionem non interruptam, si hæc solito longior sit: id quod maximè verum est circa numerum; hic enim facilè euadit ex memoria. Si ergo quando immediatè datur absolutio post confessionem, non est necessaria ea omnino distincta memoria, profectò non video quo fundamento possimus eam requirere in casu nostræ quæstionis: nec puto Patrem Suarium plus requirere nam loquitur, quando planè omnia exciderunt è memoria: ita enim quæstionem proponit initio numeri sexti; vnde meritò numero septimo ait, Eo casu non posse illam confessionem repeti per vnum verbum; quando autem manet saltem confusa memoria, non exigit integram repetitionem & in hac videtur maximè constituisse differentiam inter confessionem validam ex parte sui, quòd tunc si imposita est pœnitentia, nulla omnino nec confusa quidem requiratur memoria peccatorum; si autem pœnitentia non est imposita, valida sit absolutio, esto nullam omnino habeat memoriam: erit tamen, inquit, illicita, quia se non potest Confessarius dirigere prudenter pro danda pœnitentia; vt verò licita etiam sit, tunc dicit sufficere confusam. Quòd autem dicebatur, argumentum Suarij, si quid probat, etiam ostendere, debere esse omnino distinctam eam secundam confessionem, negamus id sequi; nam si iterùm pœnitens se accuset de illis peccatis, & Confessarius habeat confusam memoriam, iam de præsenti facit confessionem sufficientem: vnde meritò (vt notaui paulò antè) dixit Suarius eam confessionem non posse fieri vno verbo, quando peccata exciderunt omnino è memoria: quando tamen confusè saltem Confessarius recordatur, posse vno verbo reuocare species, si pœnitens dicat, *De omnibus illis me accuso.* Et in hoc sensu etiam loquitur Lugo suprà.

Qualis debeat esse memoria ruperæ cõfessionis, vt Confessarius possit absque repetitione dare remissionem & absolutionem.

31

Rogabis: Si ego iam non nisi confusè recordor eorum quæ mihi Ioannes confessus est ante annum, & ille hodie ad me veniat, dicatque eumdem nunc esse statum suæ conscientiæ qui fuit ante annum, habere se scilicet tot ac tam grauia peccata, & eiusdem speciei, an possim ego dare ei absolutionem sine distinctiori confessione Lugo dicit hoc non sufficere, quia tunc non tam Confessarius format iudicium de statu pœnitentis, quàm ipse pœnitens de se: debet autem in hoc tribunali solus ipse Sacerdos ex peccatorum notitia formare iudicium de eorum grauitate.

An sufficiat confessio, quâ pœnitens dicit se habere eadem planè peccata quæ habuerat in vltima cõfessione, posito quòd Confessarium vltimæ confessionis bonè recordetur.

Iudico tamen hic esse opus distinctione: nam si pœnitens dicat, *Habeo eadem peccata quæ ante annum, & tot numero*, profectò si Confessarius habet memoriam eorum quæ ante annum confessus ille est, iam ipse Confessarius formac iudicium, & pœnitens dicit peccata: hoc autem

autem semper debet intervenire, quia semper pœnitens est accusator & testis contra se; cui vnicè est credendum: si tamen pœnitens diceret se alia habere peccata alterius rationis, æquè tamen grauia, tunc habet locum ratio huius Auctoris, quia Confessarius cùm non sciret quæ illa essent, non posset ipse de grauitate eorum indicare. At si pœnitens dicit, *Hæc eadem quæ ante annum*, profectò iam format iudicium de statu pœnitentis, eo modo quo format quando dat absolutionem, & imponit pœnitentiam postquam audiuit diu confessionem, eamque solùm retinet in memoria confusa: alioquin si ratio contraria probaret aliquid, certè & illud, etiamsi ego hodie distinctè recordarer Ioannem mihi ante annum confessum viginti furta, decem adulteria, &c. & ille mihi diceret, *Accuso me, quod hoc anno commiserim eadem numero & specie quæ ante annum, & non alia habeo enim scriptam vtramque confessionem*, sequeretur, inquam me non posse dare ei tunc absolutionem, nisi ea peccata repeteret; esto mihi certissimè constaret me eorum clarissimè recordari: hoc autem planè est contra communem sensum, quia etiamsi mihi nec quidem sit confessus peccata, si tamen ego illa aliunde scio, & de illis accusat, ego possum illi dare absolutionem; ergo cùm in præsenti casu ex memoria mea, & ex dicto ipsius cui teneor credere, clarè ac distinctè constet quæ fuerint peccata, non video qua ratione probabili dicere possimus, me debere ab eo exigere maiorem notitiam. Quod dico de notitia omnino distincta, eodem modo intelligendum est de confusa, eo statu quo confusa confessionis proximæ sufficit; nam etiam tunc (vt iam ostendimus) habeo eandem notitiam confusam, dum ille mihi reuocat in memoriam confessionem antè factam, & addit illam minorem, *Se eadem nunc omnino habere peccata quæ tunc*. Et denique in hanc sententiam videtur etiam consentire hic Auctor num. 642. & 643. dum ait id sufficere, si, postquam pœnitens dixit se hoc anno habere tot peccata, &c. refricetur Confessario memoria confusa eorum peccatorum; tunc enim ait posse vllum absoluere: at in hoc tamen ipso sensu, & suppositâ ea confusa memoria ex parte Confessarij, videtur locutus numero 640. dum conatur probare; Esto ob memoriam confusam confessionis heri factæ possim hodie dare Petro absolutionem, non tamen possim, si stante in me eadem memoria peccatorum, quæ ante annum confessus est, hodie mihi dicat, *Idem omnino est status meæ conscientiæ qui ante annum*, profectò in hoc casu, si adest ea memoria confusa, necessum est vt excitentur species: vnde, vt verum fatear, non capio quomodo ea disparitas, quam ibi dat, cohæreat cum secunda hac doctrina

33 *Quid si tantùm habeat confusam notitiam prioris confessionis.*

Resolvitur quæstio.

Absolutè autem circa eum casum omnino iudico, nisi planè distincta specierum & numeri peccatorum præcedentis anni memoria maneat in Confessario, non posse licitè eum absoluere, in quo conuenio cum prima ea resolutione Cardinalis, & à secunda differo. Ratio à priori, quâ simul ostendo disparitatem inter eum casum & priorem, ea est: nam vt ego licitè absoluam Petrum, necessum est me scire ea peccata à quibus absoluo, etiam quoad numerum; non dico debere me ea scire in puncto ipso quo do absolutionem, sed vel tunc, vel antè; hoc enim minimùm requirit Tridentinum: atqui in eo casu neque iam dum do absolutionem neque antea numerum & species illas dist. nctè sciui: ergo. Probo minorem: nam si quando peccator se remittit ad confessionem præcedentem, Confessarius non recordatur & specierum & numeri præcedentium peccatorum, non est verum vllo modo, quòd numerus peccatorum hoc anno commissorum sit dictus Confessario (prout requirit Tridentinum:) non enim est in se dictus, vt patet: non in alio, quia si iam illius alterius numeri non recordor, non possum ex illo med atè & per consequentiam deuenire ad notitiam præsentis numeri (vt ex terminis patet:) ergo neque de præsenti neque de præterito scio numerum illum: non de præsenti, vt ostensum est: non etiam sciui de præterito, quia ante annum sciui quidem numerum eorum peccatorum quæ tunc fuerunt, at non sciui numerum futurorum, quia non habui tunc alteram præmissam, scilicet, *Et annò sequenti erunt tot quot hoc anno*. Vt autem quis possit hodie consequentiam inferre, non sufficit quòd ante annum habuerit aliquam propositionem quæ si hodie existeret simul cum altera hodie acquisita, inferre posset quis aliquam veritatem, debent enim præmissæ simul esse vt possit inferri consequens: numquam est ergo verum quòd ego habeam aut habuerim notitiam numeri eorum peccatorum, à quibus eum hominem hoc anno debeo absoluere; sed habui aliorum, à quibus olim absolui: hoc autem sine dubio non sufficit ad absolutionem hodiernam: & hinc colligitur ea quam dixi differentia inter hunc casum & illos priores: nam in illis licet dum Confessarius dedit absolutionem, non recordaretur distinctè eorum peccatorum, illa tamen ipsa peccata vere distincte iam nouerat: non est autem pro valore absolutionis necessarium, vt in ipso puncto, quo illa datur, sit ea notitia distincta, sed vel tum vel antea eam habuerit Confessarius: in præsenti verò non e casu neque tunc habet, neque antea habuit horum peccatorum notitiam distinctam: ergo.

SECTIO IV

Vltima difficultas circa confessionis repetitionem.

33

EA est, Vtrùm, qui oblitus est circumstantiæ mutantis speciem teneatur postea dum eam circumstantiam confitetur, repetere etiam ipsum peccatum: an sufficiat dicere v. g. Oblitus sum circumstantiæ iniustitiæ: non dicendo an in materia luxuriæ, an honoris, &c.

SVBSECTIO SECVNDA.

Prior pars vera sententia.

Oblitus circumstantiæ mutantis speciem non tenetur ipsum peccatum repetere, si absque repetitione potest circumstantiam confiteri.

REspondeo cum communi sententia, Si ea circumstantia secundùm suam speciem possit declarari non declarato peccato, non teneri illud repetere. v. g. contrà votum in materia castitatis potest quis peccare non peccando contra castitatem, si habens votum castitatis petat ab vxore debitum: è contrario etiamsi non habens votum fornicetur, peccet contra castitatem, non contra votum: ergo si primò dixit se fornicatum, & oblitus est circumstantiæ voti, satisfaciet,

faciet, si dixerit posteà, *Peccaui in re graui contra votum.*

Contra hanc doctrinam obiicit Cardinalis Lugo, quòd reuerà qui dicit se violasse votum in re graui ostendit se peccasse in aliqua alia materia non prohibita; ergo non confitetur peccatum quod fecit, sed aliud quod non fecit. Confirmat; Si quis dicat se furatum esse viginti, cùm furatus sit centum, non dicit furtum quod fecit, sed aliud distinctum. Quo casu Vasquez & alij dicunt confessionem non esse validam; ergo etiam in præsenti. Patet consequentia, quia sicut in eo furto malitia conflatur ex duplici illa quãtitate 20. scilicet & 80. ita in eo peccato malitia specifica conflatur ex ea duplici violatione voti & castitatis: & sicut in hoc peccato carnis est duplex malitia contra duplex ius voti & castitatis: ita si quis furetur vno actu pecuniam, quæ sit hominum diuersorum, faciet contra duplex ius: vti si vno ictu occidat duos homines, facit sine dubio contra duplex ius; ideóque non satisfacit, si dicat se vnum hominem occidisse. Propter hanc obiectionem putat hic Auctor numero 657. stando ratione, probabiliorem esse contrariam sententiam, quam ita tenet Sylvester verbo *Confessio* 1. quæst 10. vt dicat contrariam magnum errorem continere. Ego tamen hoc argumentum non reputo tale, vt probabilitatem æqualem faciat ei sententiæ, taceo maiorem, quia in primis abstrahentium non est mendacium; & illa propositio, Violaui votum in re notabili seu graui, est verissima in toto rigore non solùm morali, sed etiam Philosophico: quòd autem Confessarius intelligat aliter, nihil interest, quia non tenetur pœnitens cauere eos errores Confessarij. Et sanè hic ipse Auctor docet suprà, & optime quando est periculum, ne Confessarius veniat in notitiam personæ complicis, vnde potest aliquod graue incommodum sequi, non teneri, imò nec debere pœnitentem eam circumstantiam confiteri; & verò, si nullo modo mentiendo possit pœnitens aliquid dicere, vnde Confessarius putet esse aliam personam, tunc posse id facere: v.g. pœnitens est frater Confessarij, si dicat se cum sorore peccasse, iam Confessarius, intelliget suam sororem. Da, mihi constare Confessarium certò putare sororem suam & meam non exiuisse domo tota die, cùm tamen reipsa fuerit in campis; profectò si ego dicam in confessione, *Peccaui heri cum sœlata in campo*, ille intelliget non fuisse suam sororem; & tamen nemo vnquam dixit ideò illam confessionem non fuisse validam. Et verò pro ostendenda hac veritate non est nobis necessarium ad eos casus & suppositiones recurrere, sed vniuersaliter loquendo, quandocumque est periculum, ne ex circumstantia peccati colligat Confessarius personam complicem, & inde aliud malum timeatur, potest in omnium sententia reticere eam circumstantiam, & tenetur confiteri peccatum nisi etiam sit periculum, quod ex ipso peccato deprehendat eam circumstantiam. Demus ergo cessare hoc vltimum periculum, tenetur sine dubio peccatum dicere tacita circumstantia. In hoc ergo casu semper habet locum ratio eius Auctoris, si aliquid contra nos valeret: nam etiã tunc, si Ioannes dicat, *Commisi fornicationem cum sœlata*, tacet autem, quòd sit soror, Confessarius eo ipso concipit aliud peccatum quàm ne ipsa fuerit, quia concipit peccasse cum diuersa fœmina ab ea, cum qua reipsa peccauit. Secundò, illud peccatum ratione circumstantiæ fuit specie diuersum à simplici fornicatione, & tamen confessio est valida & validissima; ergo.

Nullum periculum potest facere, vt tunc peccatum pro altero confitear, aut vt absoluar ab vno pro alio.

Fortè respondebis, Ibi excusari ratione periculi. Sed contrà euidenter; quia nullum periculum potest efficere, vt ego licitè confitear peccatum quod non feci, loco illius quod feci; multò minùs vt validè absoluar ab eo, quod non feci & quod dedi tunc pro materia. Posset quidem tunc periculum illud efficere, vt ego reticerem tum peccatum; si tamen dicere illud sine ea circumstantia est dicere aliud quod non feci, loco illius quod feci (vt hic Auctor opinatur,) profectò nullum periculum potest mihi aut id dare facultatem, taceo obligare. Atqui Auctores non dicunt posse me tunc totum illud peccatum reticere, sed solam eam circumstantiam, ex qua cognita imminet damnum; tunc verò præcisè dicunt debere etiam ipsum peccatum reticeri, quando eo dicto timeri potest, ne Confessarius vlteriùs disquirens veniat in notitiam circumstantiæ; ergo illud argumentum, quod formisse Confessarius formabit conceptum alterius peccati, non obest huic sententiæ; quia huiusmodi errores Confessarij ex suo præcipitato iudicio non sunt curandi: scire enim deberet ille, si prudens esset, posse eo modo diuidi confessionem peccati vel ob obliuionem præteritam, vel ob aliquod periculum in detegenda materia, seu circumstantia. potest ergo continere suum assensum; quod si non facit, sibi imputet, Habetque meus hic discursus locum etiam quando pœnitens ob iustas cautlas reticet omnino peccatum: nam etiam tunc Confessarius iudicat illum non habere aliud peccatum graue, cuius tunc recordetur: id autem etiam videtur obesse absolutioni, non minùs quàm quòd concipiat vnum peccatum pro alio, quia ad integram notitiam status pœnitentis non minùs exigitur scire hunc nihil amplius habere; quàm interfit scire, habere hoc & illud: vti ergo in eo casu non curatur hic error, ita neque debet in nostro casu.

Non tenetur pœnitens præcauere omnes errores Confessarij, licet præuideret illos secuturos ex suo laquendi modo.

Ostendo præterea argumentum illud non esse bonum, quia sequeretur manifestè, esto per obliuionem naturalem homo eam circumstantiam omisisset, fuisse tamen inualidè confessum: non dico sequi, eum, vt declaret circumstantiam omissam, teneri confiteri etiam ipsum peccatum hoc enim est de quo disputatur; sed dico Confessionem præcedentem fuisse inualidam, si solum illud peccatum confiteatur: hoc autem est contra communem omnium sensum. Sequelam probo manifestè: nam si quis oblitus planè voti, solùm recordetur fornicationis, ideóque solã illam fateatur, nec ei aliud peccatum occurrat, tunc iuxta hos Auctores confitetur peccatum quod non fecit, non confitetur autem quod fecit; ergo non est confessio valida vllo modo, & consequenter nec absolutio, quia nemo validè absoluitur ab his quæ non fecit: quis autem dicat hunc ex ea obliuione esse incapacem validè accedendi ad hoc Sacramentum, si non recordetur nisi fornicationis?

Denique si esset bonum illud argumentum, sequeretur nec validè confiteri qui diceret, *Peccaui cum fœmina sœlata*, nisi diceret quæ illa esset eique esset Confessario nota: quia nisi hoc sciat

36

37

38

39

sciat Confessarius, non intelligi peccatum in indiuiduo, neque pœnitens illud confitetur; ergo si Confessarium intelligere vnum peccatum numero loco alterius facit confessionem inualidã, quia non concipit peccatum quod fecit pœnitens; eodem planè modo quando solùm intelliget peccatum in specie, & non in indiuiduo, non erit validum Sacramentum, quia non solùm requiritur, ne Confessarius positiuè decipiatur, sed vt positiuè intelligat quid fecit pœnitens, & à quo ipse eum absoluat. Vides quam multùm probet illud argumentum, ob quod reiicitur ab hoc Auctore vt minùs probabilis ea sententia communis? ei respondi supra: Esto Confessarius vnum indiuiduũ physicum peccati loco alterius intelligat, imò etiamsi in hoc positiuè mentiretur pœnitens, quia dum dicit se furatum librum A, furatus est librum B, eiusdem tamen omnino rationis, valoris, &c. in ordine ad absolutionem esse errorem planè materialem, quia ea indiuiduatio quà talis nec est mala, nec ab ea absoluitur homo moraliter, neque ad statum pœnitentis cognoscendum est ex se vllo modo necessaria. Idem dico cum proportione de malitia specifica; pro quo aduerte duo esse in ea transgressione voti in re graui: vnum, quod sit contra votum, hoc tot im perfectè perfectissimè cognoscitur: & ex specie sua idem quidem, siue noscatur fuisse in materia carnis, siue non. Alterum est, quòd illa transgressio iudicetur à Confessario non habere aliam malitiam. Hic error nihil facit ad rem; quia cùm ea altera malitia, quæ tunc ignoratur à Confessario, iam fuerit per confessionem ei pœnitenti remissa directè, eo ipso, moraliter loquendo, perinde se habet ac si reipsa non fuisset: & vti ea malitia non spectat ad forum huius Confessarij, ita est per accidens quòd ille eam ignoret, seu quòd putet illam non fuisse; vti quòd ille putet me non habere alia peccata, esto re ipsa illa habeam (quæ tamen ei non possum confiteri) est etiam per accidens (vt paulò antè dicebam) siue enim inde sequatur eum formare iudicium alterius speciei ei peccato adiunctæ, siue non, semper format materialiter iudicium eius speciei moralis quàm pœnitens tenetur lubricere claubus hic & nunc.

Valor absolutionis aut confessionis nõ impeditur per modicum pœnitentiæ circa indiuiduationem peccati.

40 Solùm restat illa instantia de homine, qui cùm fuisset furatus centum, diceret, Furatus sum viginti. quæ in nostra sententia obligante ad confessionem circumstantiarum aggrauantium non habet magnam difficultatem: in aduersa verò ipsi viderint, cur ille, quandoquidem tunc verum dicit (quia qui furatus est centum, sine dubio furatus est viginti) non tamen confiteatur validè. Addo tamen, si pœnitens dicat, *Furatus sum quinquaginta*, & secundò dicat, *Furatus sum alia quinquaginta*, sufficientissimè confiteri, quia reuerà declarat totum suum peccatum: id quod verum iudico, siue ea pecunia fuerit duorum hominum, siue vnius; quia ea differentia est tota materialis in ordine ad confessionem: & licet fortasse aliquantulùm sit grauius totum illud damnum vni tantùm homini inferre quàm duobus: ea tamen differentia non est in ordine ad confessionem notabilis; neque vllus dixit necessariò aperiendam in confessione. Deinde per hoc, quòd diuidam illud peccatum, non insinuo fuisse diuersas personas eas, à quibus sum furatus.

Qui est simul furatus centum, an satisfaciat dicendo bis se furatum quinquaginta, quasi duabus vicibus fuisset furatus.

Dices; Eo casu ostendo me commisisse duo furta, cùm tamen fuerit vnicum. Respondeo, Me tunc confiteri duo quidem peccata, at quæ æquiualent moraliter illi vni; vti idem Lugo fatetur, si duos occidi vno ictu, vna voluntate, quo casu feci vnicum tantùm peccatum interius; nihilominùs si vnus vtcumque dixi me occidisse vnum, altera possum dicere, *Occidi vnum* & tamen denoto duo peccata, cùm reipsa non fuerit nisi præcisè vnum. Quod enim ait differentiam in eo esse, quòd in homicidio solo duo iura, at verò in furto vnũ tantùm, nihil omnino probat; quia esto fuerint in eodem homine iura illa, in se tamen sunt duo; nam ius ad quinquaginta priora est distinctum realiter à iure ad alia quinquaginta. Deinde si nihil aliud dicam quàm *Furatus sum centum*, hic Auctor admittit me benè confessum; & tamen tunc non dico fuisse illas vnius hominis; ergo ratione vnici illius iuris nullo modo ostenditur differentia ad rem nostram. Et vt ostendam id clariùs, pone duos homines: vnius scit esse in sacco quinquaginta ducatos Petri & quinquaginta Ioannis: alter scit in alio sacco esse centum omnes Antonij: ille furatur vno actu illum saccum, hic alio actu vnico alterum saccum: ambo deinde confiteantur, nec dicunt amplius quàm *Furatus sum centum*: vterque satisfacit: & tamen vnus fecit contra duo iura, alter contra vnicum: quomodo ergo quæso ratione iuris vnici minùs benè è contrario confiteretur, si secundus diceret, *Furatus sum quinquaginta*, & idem secundò diceret *Furatus sum quinquaginta*, alter verò etiam in eo casu benè confiteretur? profectò si ius vnicum non obstat in casu, quando nihil magis vnus quàm alter explicuit, neque etiam oberit vllo modo in eo secundo casu: quia & in illo vtroque modo continetur. Non est ergo hinc quærenda vlla disparitas.

Denique absolutè respondeo. Quia illa vox *quinquaginta* iuxta communem sensum addita furto videtur negatiua quantitatis maioris, fortasse dici potest non esse validam eam confessionem: at in nostro casu dum dico, *Violaui votum in materia graui*, vox hæc *in materia graui* non additur ad diminuendum, sed ad ostendendum quòd fuerit materia capax peccati mortalis: vtrum autem aliunde habuerit ea ipse materia rationem peccati, nullo modo; nec quidem iuxta communem acceptationem, aut negat aut affirmat illa confessio.

41

Verùm hinc replicabis: Ergo etiamsi ego ex proposito in eadem confessione ea diuidam ac dicam, *Peccaui contra castitatem*, & paulò pòst, *Violaui votum in re graui*, faciam validam ac licitam confessionem: hoc autem videtur esse contra communem sensum: non enim admittunt eam diuisionem nisi ex obliuione, aut ratione alicuius imminentis periculi. Respondeo, Auctores licet in prioribus casibus dicant licere, de secundo tamen casu nihil negare: vnde satis probabiliter dici potest sufficere; & ita expressè Suarez fatetur num. 9. Neque obest quod obiicit contra Suarium Lugo; scilicet si ille modus confitendi non significat ea fuisse duo peccata, sed abstrahit ab eo, quòd fuerint duo aut vnum tantùm: ergo si reuerà fuerunt duo, debebo non solùm dicere, *Peccaui contra castitatem*, &, *Peccaui contra votum in re graui*, sed tenebor dicere, *Et id feci per duos actus*; alioquin non in-

An liceat in eadem confessione diuidere peccatum; quod est in duabus speciebus, dicendo semel peccaui substantiam; & alij quibus interiectis addere, quòd peccauit contra votum in re graui?

telliget Confessarius me duo peccata fecisse, prout debet intelligere iuxta Tridentini doctrinam: hæc autem obligatio est planè contra sensum communem. Respondeo, Illum modum confitendi ex se denotare, fuisse ibi duo peccata: ac proinde non esse vllam obligationem in hoc secundo casu illius additionis. Per hoc tamen negamus, in primo casu fuisse malam confessionem; nam (vt dixi) quòd Confessarius, quando fuit vnum peccatum æquiualens moraliter duobus, illud concipiat, perinde ac si fuissent duo illi distincta, quibus æquiualet, non obest confessioni: vt si vna volitione vno ictu occidi duos homines, possum absolutè dicere, *Occidi duos*: licet hæc vox sic dicta planè significet duo peccata, quia ratò vna volitione & vna actione occiduntur duo: est ergo ea doctrina Suarij valdè probabilis.

Solutio dubij superioris.

Secundò tamen respondeo cum Lugo negando sequelam, quia quando separatio illa fit in eadem confessione, videtur planè denotare, illud peccatum non habuisse talem circumstantiam: quando autem non est vlla ratio faciendi eam distinctionem sinceritas confessionis exigit vt non separetur circumstantia à peccato cuius fuit, neque peccatum à suis circumstantiis, prout hic sine necessitate fieret.

SVBSECTIO SECVNDA.

Altera pars vera sententia.

41 *Quando circumstantia omissa non potest explicari sine peccati repetitione, tum ipsum peccatum repetendum est.*

EA autem est: Quando circumstantia peccati in priori confessione omissa non potest declarari integrè, nisi repetatur substantia peccati, tunc oportere vt peccatum illud iterùm dicatur. Pro quo aduertit Lugo; Aliquando illam ipsam circumstantiam esse rationem genericam, quæ non potest explicari nisi explicando materiam, per quam contrahitur ad talem vel talem speciem; vt circumstantia sacrilegij, quæ reperitur in furto rei sacræ, & in homicidio Sacerdotis; nam per hoc, quòd quis dicat, *Commisi sacrilegium*, nullo modo declarat speciem illius etiam intra sacrilegij conceptum: aliud enim sacrilegium est occidere Sacerdotem, aliud rem sacram furari: similiter violentia esse potest circumstantia peccati; at diuersa specie violentia est, quæ infertur virgini, ab ea quæ meretrici, quia violentia est contra iustitiam: diuersum autem ius est, quod quis habet in vitam, ab eo quod habet in honorem, infamam, &c. Vnde sicut non sufficit dicere *Læsi graviter meum proximum*, sed oportet dicere in qua specie; ita non sufficit pro explicatione illius circumstantiæ dicere, *Intuli violentiam grauem proximo*, sed debet dici in qua materia.

Circumstantia voti & sacrilegij pari passu ambulant in ordine ad confessionem.

Hæc doctrina est valdè probabilis, non caret tamen aliqua difficultate, maxime ratione illius exempli de Sacrilegio: nam sacrilegij circumstantia reduci videtur ad speciem religionis, sicut transgressio voti; nec videtur magis minúsve in suo conceptu diuersificari per materiæ diuersitatem quàm transgressio voti. Pone Iudicem qui habeat ius occidendi aliquem, & illum curat occidi in templo; hæc occisio non habet nisi puram malitiam sacrilegij, sicut transgressio voti in re alioquin licita, graui tamen; ergo sicut quia poterat esse voti transgressio sine fornicatione, & è contrario fornicatio sine trãsgressione voti, suprà inferebamus, Eam circumstantiam voti esse quasi disparatam cum ea materia, & posse explicari vnam malitiam sine altera in ea fornicatione; profectò cùm idem contingat in ea occisione hominis in Templo, debemus dicere eam rationem sacrilegij esse disparatam. Idem possumus concipere in occisione Sacerdotis; potest enim in ea separari ratio sacrilegij à ratione homicidij. Nam si Iudex habeat ius occidendi Sacerdotem reum grauis criminis, & adiudicatum morti, non possit tamen illum occidere antequam degradetur; certè si eum ante degradationem occideret, esset sacrilegus, non esset homicida; & verò eodem modo sacrilegus intra rationem puri sacrilegij (secluso conceptu homicidij) ac si occidisset innocentem Sacerdotem: est ergo circumstantia separabilis ab homicidio, & explicabilis sine illo. Quod verò dicebatur, illud sacrilegium ex specifica materia accipere grauitatem, habet etiam locum in voto; nam longè aliud est non dare Deo vnum simplex ieiunium quod vouisti, quàm ei non dare decem millia, quæ vouisti in Dei honorem pauperibus; ergo ex hoc capite non est maior difficultas in sacrilegio quàm in voto. Vnde satis mihi est probabile, non esse etiam tunc specialem obligationem declarandi substantiam illam peccati in sacrilegio magis quàm in voto; & idè potest cum proportione dici de violentia & de iniustitia. Nam si ego iam antè dixeram me furatum esse centum, & in altera confessione dico me intulisse grauem violentiam: iam dico totum peccatum. Idem est si dico, *Occidi hominem*, & posteà dico, *Grauem violentiam intuli parenti meo contra pietatem*, eo enim ipso dico totum occisionis parentis. Idem est in materia castitatis, si quis dicat, *Fornicatus sum cum sorore*, & posteà dicat, *Intuli violentiam grauem sorori*, iam videtur totum peccatum dicere. Nihilominùs maxime in hoc puncto violentiæ videtur omnino tenenda ea limitatio Cardinalis Lugo, quæ & fuerat Suarij; sic autem ego explico eam differentiam: si quis occideret vnum alium hominem, & suo parenti inferret violentiam grauem extra percussionem, non committeret in iis duobus peccatis tam graue quid, quàm si violenter eumdem parentem occidisset: ergo hæc violentia non sufficienter explicatur dicendo *Occidi hominem*, & posteà dicendo *Intuli violentiam parenti in re graui*.

43

44 *Qui violauit in re graui votum, an teneatur ipsam rem siue materiam explicare in confessione.*

Secundò tamen obiicies ex dictis à nobis Tomo 3. disput. 4. num. 41. Etsi votum & lex non ponant materiam præceptum, & quam noui, in ea virtute ad quam alioquin spectat ea materia; nihilominùs in confessione aperiendam esse eam materiam quia ab illa accipit votum specialem gratuitatẽ; ergo nõ sufficiet in confessione dicere. *Transgressus sum votum in re graui*; sed debebit explicari quæ res ea sit: ergo siue ea materia alias sit contra alterum præceptum, siue nõ ad explicandam tamen ipsius voti grauitatem debebit ea declarari. Confirmatur, eodem omnino modo discurri ibi de voto, quo de Lege, respectu materiæ quam præcipit: atqui non sufficit mihi dicere, *Transgressus sum præceptum Ecclesiæ in re graui*. sed debeo dicere, *Non audiui Sacrum die Dominico*: ergo eodem modo si voluissem eam auditionem die Lunæ, non sufficeret mihi dicere, *Transgressus sum votum in re graui*: sed tenebor dicere quæ illa fuerit: hoc

hoc est, *Omissi die Lunæ Sacrum quod voueram:* ergo si Sacrum illud fuisset sub alia obligatione eo die, v.g. sub præcepto, & ego iam fuissem confessus, quòd transgressus essem præceptum audiendi Sacrum, adhuc posteà vt declaratem malitiam voti, debetem illam omissionem Sacri confiteri. Hæc replica probat mihi eas instãtias allatas communiter non esse omnino bonas; & puto in eis habere locum eam limitationem Suarij. Nihilominùs tamen substantia sententiæ communis adhuc tota stat, quia possum inuenire casus multos, vbi esto explicetur materia eius circumstantiæ (vt hæc obiectio contendit) non tamen ideo detegatur peccatum anteà iam in confessione dictum: nam in eodem exemplo audiendi Sacrum, si ego feci votum illud audiendi die Dominica, & postea illud non audio, ac in confessione oblitus circumstantiæ voti, dixi me negligisse Sacrum die Dominica; postea tamen quando volo declarare circumstantiam voti, etsi debeam dicere, *Omissi Sacrum, ad quod ex voto tenebar*, non est necessarium dicere, illud fuisse die Dominica; ac proinde non est necesse vt alteram malitiam transgressionis præcepti declarem. Idem est in furto; nam si dixi me furatum esse pecuniam, & oblitus sum dicere me habuisse votum non furandi, quantumuis teneat posteà, dum dico me transgressum fuisse votum, dicere etiam materiam: possum tamen non dicendo peccatum furti eam dicere hoc modo: *Accepi pecuniam quam voueram me nolle accipere.* In castitate potest fortè idipsum ostẽ

45 di, si vxoratus dicat, Habui copulam eo die quo ex voto tenebar non habere; potest enim fieri vt Confessarius sciens illum habere vxorem, putet eum loqui de copula cum sua vxore, quæ alioquin est licita. Denique concludo, Quandocumque potuerit ea circumstantia explicari explicata materia, prout necesse diximus esse ad circunstantiæ declarationem, absque eo quòd præcedens peccatum explicetur, habet locum conclusio communis, vt ex Suario & Lugo notauimus.

Iam autem ex his, quæ immediatè notauimus, soluitur alia obiectio contra eam communem sententiam: quòd si non est necessarium dicere materiam, quam per votũ violaui, neque erit necesse dicere materiam, in qua Deum grauiter offendi, sed præcisè accuso me, quòd offenderim Deum in materia graui; hoc autem est hæreticum, & contrà Trid. definiens, esse necesse species peccati declarare. Huic inquã obiectioni respondetur, nos ideo consequenter docere, etiã in eis casibus esse necessarium dicere materiam, quam transgressus sum; licet quando illa aliunde est prohibita, & hoc secundum ego iam sum confessus, non sit necesse dicere eam prohibitionem, quando non dicto peccato dici ea materia potest: vt si iuraui falsò, & contra, votum; & accusaui me de iuramento falso, satis est quòd posteà dicam: *Accuso me quòd cùm haberem votum non iurandi, illud transgressus sum in iuramento graui:* & in exemplis suprà positis clarè idipsum cernitur.

DISPVTATIO XXXVI.

De integritate confessionis in casu necessitatis.

1 EXPLICVIMVS hucusque materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ: iam agendum de confessione quæ est proxima: circa quam varia possunt in dubium verti, quæ hac & sequentibus disputationibus declaranda erunt; in hac quidem de integritate eiusdem in casu necessitatis, quando scilicet homo non valet vel somnia vel etiam vllum in particulari dicere, nec dare doloris signa.

SECTIO I.

Quid si vnum tantum peccatum aut nullum plane determinate dici possit.

Si alicui hic & nunc sit communicãdum, & vnicum habeat peccatum mortale quòd ob iustum casum non debeat confiteri an saltem venialia debeat cõfiteri, ante Communionem.

ANte propositi dubij explicationem quæri breuiter potest, cùm superiùs dixerimus, peccatum ob cuius confessionem graue aliquod damnum timetur, non esse materiam necessariam confessionis, quid sit dicendum, casu quo Ioannes v. g. non haberet ex mortalibus nisi vnum tale, & occurreret ei necessitas communicandi, quia vel sine nota eam Communionem differre non posset, vel deberet satisfacere præcepto Communionis annuæ, an obligaretur tunc ad dimidiatam confessionem & sola venialia dicenda? Pater Suarez sect. 2. disputat. 23. negat; quia non obligatur homo ad confitenda venialia. Ego tamen consequenter ad ea quæ Tomo præcedenti de Eucharistia tradidi, dicendum iudico, eum omnino teneri: etenim eo loco ostendi rationem ob quam tenemur ante Eucharistiam præmittere confessionem, esse, vt habeat homo quasi moralem certitudinem de statu gratiæ pro Venerabili Sacramento dignè suscipiendo necessariæ: hæc autem ratio habet locum in præsenti: nam licet ille homo non dicat peccatum illud mortale; si tamen (vt supponimus) Confessarius habeat iurisdictionem ad absoluendum ab illo; eo ipso quòd homo ille confiteatur venialia cum dolore vniuersali se ad illud mortale etiam extendente, absoluetur ab illo perinde ac si fuisset directe de illo confessus: nam illud peccatum debet tunc iudicari perinde ac si homo fuisset illius oblitus: qui casu iuxta Tridentini definitionem remittitur simul cum aliis, licet cum obligatione illud posteà, quando data occasio fuerit, confitendi competenti Confessario. Cùm ergo in hoc casu possit ille homo habere eamdem planè certitudinem de statu gratiæ pro Eucharistia suscipienda, quam haberet, si fuisset confessus illud peccatum, non est cur excuserut

ab ea obligatione præmitendi confessionem ante Eucharistiam: vnde consequenter dicendum iudico, illum non teneri, cùm primùm facta sit ei occasio confitendi, illud statim confiteri, sed posse expectare vsque dum obliget per se præceptum confessionis: id quod adhuc videtur asserendum, esto debeat communicare; quia iam illud peccatum in ordine ad necessariam dispositionem ita censetur remissum, ac si verè illud confessus fuisset.

Qui vi morbi oppressus nullum potest peccatum specificare, an possit absolui.

Iam ad dubium suprà in titulo propositum: An qui incipit confiteri, & oppressus vi morbi non potest vlteriùs pergere, possit absolui. Quæ difficultas habet locum, etsi nullum in particulari peccatum dixerit, sed solùm in communi, *Peccaui, & peto absolutionem.* Respondeo, Quoad primam partem ex communi omnium (vno excepto Victoria, qui Relectione de confessione num. 167. subdubitat) omnino posse absolui, quia integritas confessionis solùm requirit, vt dicantur ea peccata quæ possunt dici: vnde sicut quando ex oblivione, aut ob graue periculum, quod timetur, omittuntur aliqua, non est id contra essentiam Sacramenti: ita neque est, quòd eo casu, quando non potest nisi vnicum dici, non dicantur reliqua.

3 *Sententia negans talem posse absolui, & eius rationes.*

Circa secundam partem: quando non potest dici vllum determinatum, sed solùm *Peccaui*, maior est difficultas, eo quòd Soto, Canus, Abulensis, Ledesma, Nauarrus apud Patrem Vasquez quæst. 91 art. 2. dub. 1. num. 2. Apud Dianam verò Tractatu 3. de Absolutione moribundi, resolutione 1. etiam Conradus, Medina, Nunnus, Auila, Aluarez, Coquetius, Graffius, Pedraca & Angles negent, posse absolui: quorum fundamentum est, quia materia huius Sacramenti debet esse confessio: in eo autem casu, si nullum peccatum dicitur, nulla est confessio: ergo. Confirmatur, quia Iudex non potest prudenter iudicare, nisi cognita causa: Hoc tamen argumentum, si bonum esset, probaret etiam non posse absolui, si solùm vnum peccatum dicatur: nam apud Tridentinum agens de confessione nulla est distinctio inter eos duos casus, quod dicatur vnum tantùm reliquis omissis, vel dicatur solùm *Peccaui*. Quoad confirmationem item ex conceptu iudicij &c, eodem modo videtur requiri, non solùm vt vnum peccatum cognoscatur, sed omnia, alioquin non poterit benè exerceri iudicium. Quid enim iuuat scire vnum, si ignorentur mille? ergo si hi Auctores fatentur esse validam, quando vnum dicitur peccatum cæteris omissis, eò quòd tunc dici non possunt: debebunt etiam fateri, quando solùm dicitur *Peccaui* esse validam confessionem, quia hoc ipsum est, confiteri quantum potest.

Ad bonã cõfessionẽ est opus vt pœnitens dicat aliquid ignotum Confessario.

Dices, Quòd ille peccauerit iam sciri à Confessario, qui scit omnem hominem esse peccatorem. Respondeo, Ad valorem confessionis Sacramentalis non esse necessum, vt pœnitens dicat Confessario aliquid ei ignotum: nam si Confessarius vidit meum delictum, possum ego accedere & dicere, *Accusò me de eo peccato quod tu scis*: accusatio ergo solùm dicit agnitionem culpæ coram iudice & petitionem absolutionis; id autem potest propriè esse esto nihil noui dicatur Confessario. Adde, esto sciat Confessarius nullum hominem esse sine peccato, non tamen ideo scire, hunc hominem non fuisse paulò ante confessum, ita vt nullum habeat iam peccatum. Adde vlteriùs, eum non sciuisse, virùm hic vellet absolui, & doleret de peccatis: quæ duo pro danda absolutione debent à Confessario sciri.

4 *Cur absolutio non facilè integrè confessione tenearur deinde, si possis, integrè confiteri.*

Secundò obiicies: Semper debet homo absolui directè ab aliquo peccato, vt indirectè absoluatur à reliquis quæ non dicit; at qui tunc directè à nullo absoluitur, cum nullum dicat: ideoque teneturne postea, si conualescat, omnia in particulari dicere. Hæc difficultas est visa valde grauis Cardinali Lugo disp. 17. sect. 1. et Suarez respondet disp. 23. sect. 1. num. 11. tunc dimitti peccatum secundùm rationem offensæ diuinæ, ideoque relinqui omnes species peccati vt subiiciendas deinde confessioni. Hæc solutio etiam est visa difficilis Lugo, eo quod ratio generica, vel sunt omnia peccata confusè sumpta, vel aliqua ratio metaphysica abstracta: omnia illa simul sumpta esse dimissa dici non potest, quia eo ipso non esset obligatio vllum ex illis subiiciendi: non item ratio aliqua communis abstracta, quia absoluere directè ab aliquo peccato, est cedere iure, quod Deus habet ad auersionem propter illud: quo ergo Deus tunc iure cedit? Nam si solùm rationem communem condonat, poterit propter rationem specificam ei homini irasci. Ratio autem specifica cuiuscumque peccati, v.g. adulterij, secundùm quod excedit infimum peccatorum mortalium, est digna odio & auersione graui. Imò si eo casu moribundus fuisset absolutus à minimo mortalium (ponamus dari illud posse) non teneretur tunc illud confiteri: quia iam esset absolutus directè à tota malitia graui illius: hoc autem est falsum, ergo.

Nihilominùs idem Auctor dicit admitti posse, tunc peccatum dimitti directè secundùm rationem communem: id quod ita explicat: Nam in his, quæ includunt actionem intentionalem, non est necessarium semper designare id, ad quod terminatur ea actio: v. g. si Deus alicui peccatori promitteret, *Puniam quidem te propter mortalia, non tamen in æternum*: vi huius promissionis teneretur Deus cessare aliquando, non tamen hoc anno aut sequenti, qui semper posset diutiùs & diutiùs protrahere non puniendo in æternum; vnde nunquam ita cessaret, quin semper adhuc nouam gratiam faceret illi homini. Ita in præsenti, dum Deus condonat eo casu directè rationem communem peccati, obligat se, vt non irascatur propter illud, sicut priùs; quantum autem debeat remittere de indignatione non continetur in ea promissione, quia posset minus & minus remittere. 5

Iudico rem hanc esse faciliorem quàm vt ad tales considerationes nos cogat venire. Et in primis si admittatur (vti multi iudicant possibile) peccatum mortale omnium infimum, non potest consideratio huius Auctoris habere locum, quia remissa ratione peccati mortalis vt sic, quæ in eo reperitur, nulla specifica mortalis manere potest, quæ remittatur; tunc autem iuxta hunc Auctorem non esset obligatio illud peccatum confitendi, quia quod in eo manet remittendum solùm est, vt sic dicam, veniale: veniale autem non est materia necessaria confessionis: ergo per eam speculationem non soluitur difficultas: quia etiam tunc, si conualesceret ille homo, deberet confiteri peccatum illud mortale etiam

infimum,

infimũ, quia non esset explicatũ in confessione.

6 *Quo respectu dicantur peccata directè vel indirectè remitti.*

Verùm quidquid de hoc sit, si res ad prima principia reducatur, facillima est. Etenim loquendo respectu Dei omnis remissio peccati etiam eo casu est directa, directissima quoad culpam totam & reatum æternum; neque ibi est necessum quidquam de ratione communi seu abstracta considerare: vt quando homini Deus dimittit peccata propter contritionem, omnia directè directissimè dimittit; (vbi obiter noto me re ipsa non videre specialem aliquam difficultatem in nostro casu præ ea remissione per contritionem; Jquòd autem Theologi vtantur ea voce *directè* vel *indirectè dimitti*, purè putè id sit in ordine ad obligationem ea peccata posteà subiiciendi clauibus: quando enim manet obligatio ea subiiciendi, dicimus indirectè ea fuisse dimissa, directè verò quando non est obligatio. In eo ergo casu, si loquatur de dimissione in ordine ad Deum, dicimus omnia esse directè directissimè dimissa, nec opus esse ad eas rationes confusas logicas recurrere; si verò loquamur in ordine ad sensum Theologorum, dicimus nullum planè esse dimissum directè, quia manet obligatio omnia confitendi: cur autem maneat ea obligatio in foro externo, cùm in interno omnia sint iam condonata, non potest aliud fundamentum aliaque ratio adduci, quàm quòd Christus voluerit imponere eam obligationem, vt omnia peccata mortalia, quantum fieri potest, expressè subiiciantur Confessario, esto iam sint per aliam viam etiam per ipsam confessionem dimissa, si tamen adhuc non sunt explicata. Quæ obligatio est planè independens à puncto illo remissionis: vt patet euidenter ad hominem & contra Suarium & contra Lugo; nam ipsi admittunt Sacramentum pœnitentiæ validum & informe; quo casu dicunt, Esto ea peccata, quæ tunc in confessione dicuntur, nullatenus sint remissa neque quoad rationem communem culpæ, neque quoad particularem, non esse tamen ampliùs obligationem ea confitendi, Vnde debemus eo casu dicere, In sensu Theologorum ea peccata esse directè remissa, quia ea remissio directa purè putè consistit in ablatione obligationis declarandi ea peccata Confessario; eo autem casu talis remissio directa non fit per eas considerationes metaphysicas quandoquidem nihil de ratione communi aut particulari proprie dimittitur in foro Dei; ergo pro ea dimissione directa non est necessarium ad aliud recurrere quàm ad hoc, quòd Christus voluerit omne mortale, siue dimissum sit per contritionem siue per confessionem non explicitam, subiici expressè Ecclesiæ clauibus, si fieri potest.

Vt solus Christi voluntate oritur, quòd peccata indirectè remissa debeãt explicari in confessione.

7

Qualis sit forma absoluentis à peccatis iam indirectè remissis.

Eo igitur casu obiectionis Sacerdos absoluens ac dicens, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, virtute hæc omnia dicit, *esto non habeas nisi attritionem. Ego te absoluo à tuis omnibus peccatis coram Deo quidem directè directissimè, & do tibi gratiam iustificantem: coram Ecclesia verò, seu in ordine ad obligationem tua omnia peccata subiiciendi deinde in confessione explicita, si possibile tibi fuerit, nullam penitus do tibi absolutionem.* Videsne quàm res sit clara, & in se facilis? Differt autem hæc confessio ab illa, in qua aliqua peccata, non tamen omnia fuere dicta; nam tunc licet in foro Dei etiam absolutio (iuxta dicta) sit directa directissima quoad omnia peccata: in ordine tamen ad forum Ecclesiæ homo ille liberatur ab obligatione subiiciendi deinde ea, quæ tunc distinctè confessus est; non tamen libetur ab obligatione dicendi ea quæ tunc non potuit dicere; ideoque tunc dicimus ab aliquibus absolui directè, ab aliis verò indirectè. In quo nullum est maius mysterium quærendum.

8

Secunda ergo sententia dici posse tunc & debere absolui pœnitentem: ita Suarez, Vasquez Dinus Antoninus, Salas, Ioannes Medina, Corduba, Angelus, Richardus, Turrianus, Coninch, & alij multi, quos refert & sequitur Diana: eamdem etiam tenet Lugo suprà Probatur autem, quia integritas confessionis non obligat ad impossibilia sed exigitur in quantum fieri potest: vnde si periculum aliquod timeatur ex manifestatione alicuius peccati non est obligatio illud dicendi; neque est credendum Christum Dominum voluisse tales personas relinquere incapaces iustificationis per hoc Sacramentum. Confirmatur, quia si (quod fieri potest) aliquis recordaretur se peccasse mortaliter, & planè oblitus est quale esset illud peccatum, teneretur confiteri se peccasse nullum in particular dicendo peccatũ; ergo peccatum in genere est materia sufficiens confessionis, alioquin in dicto casu repugnaret obligatio confitendi. Denique idem suadebitur ex dicendis de iis qui absente Confessario dede runt signa pœnitentiæ.

Sententia asserens posse & debere absolui, & rationes eius.

SECTIO II.

Aliqua dubia circa casum præcedentem.

9 *An Sacerdos morituros possit pœnitentẽ absoluere nõ audita integra eius cõfessione vt non reatum reposcere quã est confessus.*

INTER quæ primum sit An si Sacerdos audiens confessionem timeat se moriturum ante finem, possit statim dare absolutionem, siue adsit alius, siue non, qui eum pœnitentem possit audire. Censent nonnulli, vt detur tunc absolutio, sufficientem causam esse, ne talis pœnitens cogatur bis ea peccata confiteri Ita Sotus in 4 distinct 18. q.2 art.2 Suar. verò disp 25. sect 1. initio solùm id admittit, si non adsit alius qui confessionem perficiat: vbi non explicat, an hæc sola necessitas sufficiat, an verò debeat esse etiam aliquod aliud periculum ex parte ipsius pœnitentis. Vasquez quæstione 91, art. 2. dub. 2. magis distinctè videtur docere, nisi etiam ex parte pœnitentis sit aliquod periculum, non sufficere: id quod etiam docet clariùs Lugo disp. 16. num. 4 & videtur valdè conforme sensui communi. Nam si quis incipiat confiteri mihi aliena lingua, ex parte tantùm nota, & ego audiam duo vel tria peccata, deinde tamen videam me non posse exactè illum intelligere, non do illi absolutionem, sed remitto illum ad alium, qui eam linguam perfectè calleat. Addunt aliqui aliam instantiam de eo qui post aliqua peccata non reseruata profert aliquod reseruatum, tunc enim Sacerdos non dat absolutionem, sed remittit illam ad alium, qui habeat potestatem. Hæc tamen instantia non videtur omnino efficax, quia eo casu Sacerdos iam ratione reseruatorum agnoscit se non habere potestatem absoluendi validè; quid ergo mirum si non absoluat, in nostro autem casu non est ea ratio, cùm supponamus eum habere integram iurisdictionem. Confirmo, quia in casu quæstionis videntur Auctores docere, esto illicitè, validè tamen dari

Resolvitur quæstio negativè.

dari posse tunc absolutionem ; at in casu de reseruatis, si audito peccato reseruato daret Sacerdos absolutionem, profectò ea esset inualida, est ergo diuersitas inter vtrumque. Quidquid tamen de instantia sit, sententia est probabilis.

10 *Probabilis sententia asserits fieri posse.*

Negandum tamen non est etiam contrariam esse probabilem; quia illud onus dicēdi bis peccatum sæpè excusat à confessione integra materialiter probari fortasse id posset; nam quioblitus circumstantiæ eam postèà confitetur, non tenetur in secunda confessione repetere illud peccatum ad hoc, vt faciat integram materialitet totius illius peccati confessionem, vt diximus supra. Hæc tamen instantia non multùm valet, quia eo casu iam est priùs dicta substantia tota illus peccati, ideóque facta est confessio etiam materialiter integra quid ergo mirum, si non sit obligatio dicendi secundò illud peccatum ; in nostro autem casu daretur absolutio supra ea quæ adhuc non sunt dicta sine vlla necessitate, præcisè ne pœnitens cogeretur dicere secundò suum peccatum. Melius posset idipsum confirmari ex alia doctrina multorum Theologorum, qui dicunt posse Superiorem audire subditum quoad casus reseruatos, illumque absoluere, ac deinde remittere ad ordinarium Confessarium, vt apud eum reliqua confiteatur; ibi autem iam sit dimidiata confessio. Nec sufficit, quod obiicit in contrarium Cardinalis Lugo. Etiam in hoc ipso casu Auctores dicere, illum pœnitentem tunc debere Cōfessario ordinario declarare omnia peccata, etiam ipsa reseruata, & quæ antè confessus fuerat: hoc inquam non obest. Etenim licet hinc optimè probetur, quòd pœnitens ille obligetur ad confitenda secundò ea peccata (id quod tamen aliqui negant ; de quo infrà) altera colligitur, quòd vt possit dari absolutio non auditis ex integro peccatis pœnitentis (prout illam dat in eo casu Superior) non sit necessaria magna caussa; neque enim illius prioris absolutionis defectus suppletur per hoc, quòd secunda confessio sit integra : hæc enim secundi habet per accidens respectu primæ. Est ergo adhuc probabilis ea prima sententia.

11 Secundò circa prædictum casum quæri potest; An si Confessarius hodie incepit confessionem infirmi audire, & eras dum reuertitur, eum inuenit destitutum sensibus, possit eum absoluere. Respondet benè Lugo num. 6. cum Diana, Chapeauilla & Zambrano, Omnino posse, nec debere timeri eū mutasse voluntatem, nisi planè positiua essent signa eius mutationis. Id quod ampliùs confirmabitur ex dicendis de eo qui in absentia Confessarij petiit absolutionem.

Si dicta confessione generali in Sacro Sacerdos vel Minister caderet in periculum mortis an vi illius confessionis posset absolui,

Tertium dubium, Vtrùm Sacerdos, qui in Sacro dicit confessionem generalem, si caderet repentè in apoplexiam, nullumque aliud daret signum doloris, posset absolui vi eius confessionis ? Habet locum hoc dubium etiam in ipso ministrate ad Sacrum & eamdem confessionem generalem dicente. Respondeo cum Laymanno lib. 5. Tractatu 6. cap. 8. & Lugo num. 13. illos non posse absolui quia ea confessio non est Sacramentalis, nec in ordine ad Sacramentum; & sanè Ministri sæpè eam dicunt, quando potiùs habent contrarium animum non confitēdi: quod idem in multis peccatoribus Sacerdotibus contingit.

Quartum dubium est, Vtrùm non solùm possint in casu illo necessitatis absolui, sed debeant. Respondeo, Omnino debere, quia cùm sit saltem probabilis ea sententia communis, possitq; ab ea absolutione pendere æterna infirmi salus, tenetur Confessarius ex charitate ei opinioni se accommodare, cùm è contrario nullus se exponat periculo; neque in eo casu vlla fiat irreuerentia Sacramento.

12 *In periculo naufragij, incendij, &c. potest quis absolui nō præmissa vlla confessione.*

Quintum dubium An pro danda absolutione, confessione imperfecta, sit etiam sufficiens necessitas quando est periculum naufragij aut incendij, &c. Respondeo, Omnino esse, quia illud non minùs est periculum vitæ, quàm si esset vi morbi: imò tunc si non posset omnibus seorsim dare absolutionem, omnes tamen vel vnicum peccatum dicerent, vel certè clamarent, Pero absolutionem, posse omnes vna vice simul absoluere; sicut suo modo diximus de Baptismo, posse simul multos vna forma batizari.

Qui in tali periculo solū veniale in cōmuni confitetur, absolui debet, sicut, & infans de quo dubitatur an sit rationis capax

Sextum dubium est. Vtrùm qui solùm dixit veniale in communi, possit etiam absolui. Respondeo, Etiam posse, quia adhuc magis distinctè est confessus, quàm si præcisè dixisset *Peccani*; ergo à fortiori est absolutionis capax: debet verò absolui, quia fortasse habet mortalia, quorum non recordatur, & per eam absolutionem iustificabitur ; alioquin ex defectu illius damnandus. Vnde idem dico de puero, de quo dubitatur, vtrùm habeat vsum rationis nécne, si confitetur aliquod veniale, à fortiori autem si aliquod mortale dubium, absoluendus erit sub dubio quia si confessionem certam fecit, & dubium est de vsu rationis perfecto, meo iudicio eadem omnino ratio est, ac si esset de iudicio rationis certum, & dubium vtrùm de peccato; quo casu omnes admittunt esse materiam sufficientem, & debere dari absolutionem saltem sub conditione; & idem dico, esto non potuerit vllum in particulari peccatum dicere, dederit tamen signum doloris, & petierit absolutionem.

13 *Infirmus qui dedit signa doloris ut absolui debeat, licet non potuerit expressè Confessario.*

Septimum dubium est, Vtrùm si infirmus non dedit signa, quibus peteret absolutionem, sed pure putè dedit signa doloris, tundendo pectus dicendo, *Domine miserere mei*, & *Propitius sis mihi peccatori*, &c. possit tamen absolui. Pater Suarez videtur omninò sentire, id non sufficere, quia quod homo habeat dolorem, non est signum quod habeat animum confitendi. pro qua sententia multos refert Diana Tom. 2. Tract. 3. resol. 2. Contrariam tamen sententiam, quam tenent Chapeauilla, Layman. & Zambranus, quos refert & sequitur Diana eo loco, & post ipsum Lugo sect. 7. omnino tenenda est: quia in Catholico credente necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, signa illa doloris planè sunt in ordine ad obtinendam remissionem peccati per confessionem, quam scit esse ad eam remissionem necessariam ; ac proinde illa signa sunt etiā petitio confessionis. Adde saltem eo casu esse dubium, vtrùm ea signa ex eo affectu confessionis oriantur; ergo tanquam in dubio poterit & debebit tunc absolui saltem sub conditione.

SECTIO III.

De infirmo nullum dante doloris signum.

QVÆSTIO hæc olim nulla, nūc à nonnullis valdè potenter agitata, diligentem sui exigit discussionem, maximè propter Modernum quendam

14

quendam acerrimum Nouitiarum defensorem. Quæritur ergo, An qui nullum planè doloris aut confessionis signum dedit, & moribundus iacet, possit absolui.

SVBSECTIO PRIMA.

Sententia affirmans proponitur.

Molfesij Homobonj & Antony de Litteratis sententia.

MOlfesius, Homobonus & Antonius de Litteratis apud Dianam suprà resolutione 8. affirmant, si moribundus ille sit homo bonæ vitæ, & consueuit confessionem frequentare posse ei absolutionem dari; quia de ipso præsumendum est, quòd eo articulo desideret hoc Sacramentum suscipere. Verùm quidquid de sententia veritate sit (de qua paulò post) hæc ratio pro illa allata sic ita ab ipsius Auctoribus intelligatur, vt loquantur in ea de desiderio absolutionis concepto a moribundo posse periculum illud vitæ, probare videtur plus quàm ipsi intenderant: nam etiam scelerati homines, si tamen Christiani & Catholici, supponendi sunt in mortis periculo habere voluntatem confitendi, cùm omnes debeant tunc supponi velle saluari, & consequenter admittere velle remedium, quod sciunt esse ad eam salutem necessarium. Hoc tamen facile reiicitur, quia huiusmodi graue vitæ periculum frequentissimè incurritur, ita vt homo de eo penitus nihil noscat; destituitur enim repente sensibus: ergo nihil potest inde inferri adhuc, vt iudicentur tales homines capaces absolutionis. Vt igitur magis verosimiliter hi Auctores discurrant, debent loqui de desiderio confessionis antequam quis in illud periculum incidat: hoc enim desiderium præsumi facilùs potest in homine qui frequentiùs confitetur. Quid tamen huic argumento dicendum infrà constabit. Confirmant eam sententiam auctoritate Gregor. XV. qui dum fuit Arch. episcopus Bononiensis, in memoriali Confessariorum edito Bononiæ præcepit similibus dari absolutionem. Respondemus tamen id non aliam auctoritatem habere quã priuati hominis tã sententiæ.

Authoritate Gregory XV. confirmatur.

Clementis VIII. facto.

Tertiò id probant ex facto Clementis VIII. qui dicitur absolui se sub conditione hominem, quem vidit cadentem ex fabrica S. Petri. Cardinalis Lugo ait se diligenter inquisiuisse Romæ, & nihil potuisse de hoc facto deprehendere. Recentior qui iam ait. Etiamsi nihil sit inuentũ à Cardin. non propterea sequi, non esse probabile ita re ipsa contigisse: ego tamen dico, Ex tã incerta narratione nihil inferri pro casu nostro.

15 Secundò respondeo, Neque omnino esse eam historiam ad huius Moderni mentem, quia potuit prudenter cogitare Pontifex illum hominẽ adhuc in casu ipso habuisse iudicium plenum, & agnouisse suum periculum, & desiderasse absolutionem: hoc autem non sufficit ad loquendum vniuersaliter de omnibus moribundis, qui frequentissimè ita repentino morbo obruuntur, vt nullo modo possint agnoscere se esse in eo periculo; ideoque nec nos possumus præsumere in eis esse sufficientem dispositionem pro absolutione; adde neque eam totam interiorem dispositionem tunc de nouo habitam esse sufficientem sine exteriori petitione absolutionis: de quo infrà fusius: multò ergo minùs erit dispositus ille, de quo tunc non potest interior dispositio præsumi.

Castrensium Confessariorum praxi.

Adducunt Quartò praxim castrensium Confessariorum, quos dicunt absoluere milites cum eos in pugna vident cadentes non expectato vllo signo doloris. Respondeo Hanc non videri posse desumi quidquam pro præsenti dubio, in casu enim pugnæ manifestum vitæ periculum præuisum potest præsumi aliquem dolorem de peccatis & desiderium absolutionis ex orsisse, & verò communiter de hoc ipso præmoneri solẽt ante, imò interrogari, an non petant absolutionem, si fierint læsi periculosè: hoc autem non potest præsumi de aliis qui inopinatè extra se facti sunt. Quod verò hic Recentior respondet, aut obiicit in cõtrarium, milites qui sibi præsentes, & periculum præuidentes non confitentur cum possint, minùs debere præsumi habere animum ad confessionem, ideoque videri eos minùs esse ad absolutionem dispositos; hoc inquam non obest vllo modo: nam quod non confiteantur tunc, frequentissimè prouenit, quia cum pauci sint ordinariè Confessarij, & milites multi, non facilè possunt confiteri; supponique debent habere contritionem, aut ad eam conari, vt casu quo absolui Sacramentaliter nequeant, per illam saluentur. Denique respondeo, solùm ex ea praxi sequi, aliquos esse in sententia horum Auctorum, non tamen propterea veram illam esse.

16 Quam probant tandem hic ex Sacerdotali antiquo Romano de Sacramento Pœnitentiæ, vbi ex S. Antonino dicitur, quòd possit tunc absolui. Lugo respondet, dubium esse an S. Antoninus loquatur de absolutione Sacramentali: verùm cum verba illius exponi esse dicant, *Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato*, per hoc vltimum verbum satis clarè denotat se de absolutione Sacramentali loquutum: licet absolutio a censura non sit Sacramentalis, à peccato tamen semper est Sacramentalis. Nec obstat etiam quòd addat idem D. Antoninus, communicandam illum esse, etiamsi non fierent confessus, quia non potuit, quibus verbis denotare videtur non fuisse ibi Sacramentum confessionis: hoc inquam non obstat, quia verò *Non fuerit confessus* debet intelligi de confessione expressa. Est ergo valde probabile ibi Antoninum admittere veram absolutionem à peccatis. Meliùs ergo respondetur, illud Rituale non fuisse approbatum, sed multos habuisse errores: de quo vide ipsum Lugo Tomo de Sacramento Eucharistiæ disp. 20. sect. 3. Secundò respondeo, Antoninum non loqui ibi cum ea vniuersalitate, quã loquuntur multi ex Aduersariis, sed de eo præcisè qui assueuit frequentare confessionem; est enim in eo maior longè præsumptio quàm in aliis. Hanc eamdem sententiam sustinet Recentior ille, de quo suprà, qui eam sine vlla limitatione (prout præcedentes Auctores) sed absolutè defendit, & quidem cum indignatione in illos qui eam non volunt dicere saltem probabilem; atque, nisi sibi afferatur demonstratio Sole meridiano clarior in contrarium, non fore contentum.

Sacerdotalis antiquo Romano.

17 Verùm non omittam, antequam examinem huius Auctoris fundamenta, notare obiter hic, periculosè illum ex hoc principio in genere moris discurrere passim, dum, nisi manifestissima demonstratio ipsi adferatur in quacumque materia, illam statim dicit probabiliter licitam, vnde laxat incredibiliter conscientias: in qua enim morali materia possunt eiusmodi demonstrationes

Periculosus eiusdem Auctoris discursus notatur.

nes adduci? sanè vix est vna aut altera; vnde enim obsecro luce meridiana clariùs ostendet ipse in Decalogo (extra quem nullum penitus admittit vel veniale peccatum) contineri prohibitionem pollutionis? libenter(vt inculcat ipse) eam demonstrationem ego viderem, & cui aliquo modo satisfacere non possem: quòd enim 1.Cor.6. Paulus dicat, *Molles Regnum Dei non possessuros*, non obest; nam idem dicit de auaris eodem ipso loco; certissimum autem est auaritiam intra limites auaritiæ non esse mortale peccatũ: vehementer sanè timeo ne ex similibus principiis paulò pòst vix vllum sit peccatum mortale. Vigeo: in Decalogo eodem modo prohibetur furtum quo mendacium det quæso hic Auctor demonstrationem sole meridiano clariorem, quâ ostendatur Deum prohibuisse sub peccato mortali furtum, non verò mendacium. Dicendum est ergo, sufficere in rebus moralibus demonstrationes moraliter tales, seu moraliter certas, maximè quando consensus ferè communis Theologorum & fidelium id ipsum persuadet: hoc posito ad rem nostram.

SVBSECTIO SECVNDA.

Examinantur aliqua argumenta huius Auctoris.

18 *Hic Auctor pro se argumentum Malderi & alio rũ retorquet.*

IGitur torquendo pro se argumentum Malderi & aliorum, ait, absolutio est actus iudicialis, ergo debet intervenire in illo accusatio: at ille qui non dat signum vllum, non se accusat; ergo. Hoc argumentum retorquet, quia vti in iudiciis sufficit accusatio in virtualis, ita hîc; sufficare verò in eis iudiciis putat se euidenter ostendere: nam si quis deprehendatur in cubiculo suspensus damnatur tamquam sibi manus iniecisse, & per carnificem trahitur, &c. quis eum accusauit? respondet, Vita male ante acta, scelera, &c. vnde infert errare eos qui accusationem veram requirunt in iudicio; rogatque sincerum Lectorem, vt recognoscat vter ex Concil. meliùs suam sententiam deducat; putatque euidens esse, se meliùs dialecticari.

Ne hoc argumento aqui. nocationem passus.

Si ipsius euidentiæ non sint aliæ quàm hæ, non adeo miratur eum velle habere euidentias pro omni morali materia. Ego dico euidens esse & euidentissimum, eum in hoc argumento æqui nocationem passum; Primò, quia in hoc differt iudicium Sacramentale ab aliis, quod in hoc accusatio debet esse ab ipsomet reo: ergo requiritur vt ipse reus eam faciat; ergo non potest desumi ex eo quod deprehendatur etiam in ipso facto alioquin si superueniam & deprehendam Petrum sodomiticè peccantem, quia illa est accusatio virtualis, potero ego illi etiam nihil dicenti dare absolutionem, quia iã se accusat virtualiter; & talis virtualis accusatio sufficit iuxta hunc Auctorem. Vide quid probet ea euidens dialecticatio. In aliis iudiciis accusatio non requiritur, vt fiat à reo, sed à quocumque, & quomodocumque; non enim alio de capite requiritur, nisi vt iudici constet de delicto: vnde in delicto publico non est vlla propria accusatio necessaria. Da iudicem cum multis aliis in eum, quem dixi sodomiticè peccantem, incidere, non est alia tunc accusatio necessaria, ideoque potest ipso facto eos duos adiudicare igni, etiamsi illi centies negent se peccasse; quæso autem an possem absoluere Sacramentaliter eum, de cuius peccato per meos oculos & per Dei reuelationem constaret, si tamen ille negaret se peccasse, aut non peteret veniam? Ecce quàm leue est illud argumentum, vt erroris damnet Dianam & alios quærentes pro absolutione Sacramentali accusationem ipsius rei.

19 *Tridentinum obscurè loqui dicit.*

Secundò ait Trident. obscurè loqui in hac materia Sess.14.cap.3.vbi ait; *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio.* Hinc argumentatur; Contritionem intelligit communis sententia de contritione impropria & imperfecta. Secundò, confessionis vocabulum æquiuocum est, & à multis de confessione integra materialiter intelligitur. Satisfactio item variè accipitur. Quibus positis ait, Cur temerè sic Petrus secum discurreret: eodem modo loquitur Concilium de confessione, quo de contritione & satisfactione: atqui sufficit contritio impropria & imperfecta, nempe attritio; sufficit etiam satisfactio volita; ergo etiam sufficiet confessio impropria & imperfecta, qualis illa est, quæ ex vitæ testimonio præsumitur. Præterea contritionis nomine Concilium intelligit desiderium contritionis; ergo & intelliget desiderium confessionis. Post hæc petit sibi demonstrari aliquo euidenti syllogismo disparitatem.

Concilio iniuriam facit dicendo obscurè locutũ.

Citra hoc argumentum ego primùm dico, In eo iniuriam fieri Concilio, quòd dicatur illud æquiuocè & obscurè locutum; locutum enim est adeò clarè, vt non sciam quid clarius possit optari. Vtitur enim ipsum Concilium voce illa attritionis, & illam sufficere expressè definit. Vnde potiùs retorqueo manifestè argumentum: Circa contritionem expressè limitat priora verba, & declarat quo sensu sit locutum, circa confessionem verò nihil limitat; quo ergo quæso iure tu debes corrigere in hoc verba Cõcilij, & impropriè explicare quod illud absolutè docet.

Regula inter Catholicos generalis, eaque vera.

Regula generalis inter Catholicos omnes omnino certa est, verba Scripturæ, & à fortiori Conciliorum (quæ magis se solent declarare) debere intelligi in naturali & proprio sensu, nisi inde aliquod sequatur absurdum manifestum; atqui nullum potest hîc ostendi, si verbum *confessio* propriè intelligatur; ergo.

Desiderium contritionis posse sufficere est improbabile.

Secundò quòd dicit desiderium contritionis posse sufficere, hoc ego dico improbabile, nisi annexam habeat detestationem peccati ob pœnas inferni, &c. vbi explicat ipsum Concilium; iam autem hoc desiderium erit vera attritio.

20 *Attritio quid.*

Vbi vlteriùs notandum, aliud esse attritionem esse imperfectum dolorem, quatenus non habet motiuum nobilissimum, aliud non esse verum & proprium dolorem, & detestationem peccati. Concilium autem primò vsurpauit vocem *contritio* in genere prout significat doloré verum, detestationem veram, verum propositum non peccandi, &c. in hoc sensu abstrahendo à nobilissimo motiuo dixit esse partem Sacramenti, quando autem descendit ad explicandas differentias specificas illius doloris clarissimè dixit, illum dolorem, qui contrahitur ad nobilissimum motiuum, & vocatur contritio, sufficere extra Sacramentum, intra Sacramentum verò sufficere alterum minùs perfectum; vbi hic obscuritas? vbi hic ansa, vt tu trahas id ad confessionem non solum imperfectam, sed etiam impropriam? quoad satisfactionem autem etiam

euidentissimè

Satisfactio vt exercita non requiritur.

euidentissimè constat,eam vt exercitam non requiri, seu non esse partem essentialem, sed integralem:vnde ipsum Concilium verbo integritatis Sacramenti vsum est ; dico enim dixit, & ad integritatem Sacramenti , & ad plenam & perfectam remissionem ea tria requiri. Vnde omnes omnino Theologi de satisfactione in re exhibita ita censuerunt. Ratióque est manifestissima;nam cùm sit certissimũ, cùm primùm datur absolutio,etiam antequam ponatur re ipsa satisfactio , dimitti peccata,& infundi gratiam , euidenter colligitur Sacramentum iam quoad essentialia esse perfectum ; quia Sacramentum antequam essentialiter perficiatur nec dat gratiam, neè remittit peccata.Da quæso mihi vnam paritatem tam euidentem, vt defendas tuam explicationem circa confessionem.

21 *Huius auctoritatem argumentum retorquetur.*

Iam nunc retorqueo argumentum;Si ille modus discurrendi huius Auctoris valet,rogo illum (& debet mihi dare disparitatem euidentem, alioquin nihil efficiet;ad hominem loquor, quia re ipsa in rebus moralibus non sum adeò obstinatus;vt sine euidentiis nihil agam.) Si Petrus secum ita discurrat , Concilium ita loquitur de absolutione sicut de contritione, confessione & satisfactione;atqui sufficit contritio imperfecta, confessio imperfecta, & desiderium sati-factionis;ergo etiam sufficiet absolutio impropria,imperfecta,imò desiderium illius; Discurrétne temerè Petrus:audebísne dicere, Annuere capite aut scribendo absolutionem, illam chartam ei dare, sufficere ad Sacramenti valorem? Vidésne ad quæ deuoluimur per eiusmodi deductiones ?

Obiectio:

Soluitur Primò ,

Fortasse dices,Forma debet esse verba , quia alibi Florentinum dixit , Sacramenta, excepto Matrimonio, debere constare verbis pro forma; hinc enim rectè infertur , Non sufficere nutus pro absolutione , &c. Sed contra Primò , Ergo fateris posse aliunde nos inferre disparitatem,admittas ergo illam quam ego infero contra tuum argumentum ex ipsa declaratione Concilij , vt paulò antè dixi.Secundò,ex hac solutione probas quidem requiri verba ; at quæ debeant esse vera & perfecta absolutio non probas, quia etiam verba possunt indicare impropriè absolutionem:vt si quis dicat , Credo te esse absolutum, cupio te absolutum, ecce desiderium absolutionis,sicut tu argumentaris de desiderio contritionis.Neque etiam obest , quod ipsum Tridentinum ponat ibi verba , *Ego te absoluo* : etenim non obstante quòd in individuo ponat ea tria, tu ipse iudicas probabile , sufficere dicere *Absoluo*;ergo ex eo,quòd ea ibi sint, non infertur, illa esse essentialia.Contra Secundò , quia Concilium illa posuit,vt ostenderet debere esse verba absolutionis,sicut etiam dixit requiri confessionem; ergo sicut explicatur definitio de confessione per confessionem impropriam, cur idipsum non dicam ego explicari posse de verbis indirectè absolutionem denotantibus ? Constet ergo eam explicationem Concilij non posse vllo modo subsistere , ac proinde ex ea non fieri probabilem eam sententiam.

Secundò.

22 *Obiectio.*

Obiicit Tertiò:nam esto requiratur vera accusatio etiam in casu mortis, verèque manifestata exteriùs(quod tamen rursus repetit, sibi nondum esse euidenter demonstratum)ea tamen adhuc datur , esto tunc temporis nullum dederit moribundus signum:in quo puncto dicit , Omnes Auctores , aut ferè omnes confundere duas quæstiones toto cælo diuersas. Vt ergo suum intentum probet , ponit Sacerdotem pium & religiosum eo modo opprimi morbo; hic autem singulis diebus orat suas Horas , & petit à Deo dum orat Pater noster, vt Deus ei remittat peccata hoc autem non petit nisi per viam ordinariam fiat,id est,per confessionem : quia aliter de facto non remittuntur peccata ; an non iste confessionem postulat singulis horis ? Hac ratione dicit se conuicisse ante aliquot annos doctissimum quemdam, vt fateretur id esse verissimum, si constaret mihi talem Sacerdotem cum attentione interna dicere Patet noster. Extendit autem id ad omnes vix non impios & sceleratos,quia & illi etiam orant, & iuxta Hispanicum adagium , Non est latro qui non habeat suam deuotionem.Format ergo ex his rationem ; Ille est dicendus exteriùs petere confessionem , qui facit exteriùs ea quæ non faceret , si illam non peteret : atqui hi sunt tales ; ergo. Addirque, eum qui dicit vitam orthodoxam & piam non significare animum petentem vltimam absolutionem,debere negare omnia signa:certius enim est eum qui vixit Christianè , velle mori Christianè,quàm confessionem peti ab eo qui pectus manu percutit,aut cœlum respicit.

23 *Responsio.*

Respondeo , Auctores communis sententiæ non solùm non omnes (vt hic nimis audaciter obiicit, sed vix vllum confudisse hic eas quæstiones ; sed iure merito dixisse , Hanc confessionem externam ab hoc Auctore positam non esse ad rem præsentem.Id quod clarissimè ostenditur supponẽdo vnum principium,quod est euidentissimum apud Confessarios ex notitia confessionum, & ferè apud omnes alios , scilicet longe aliud esse me hodie habere voluntatem confitendi in hora mortis,idque desiderare, idque petere a Deo etiam hodie:aliud verò,quòd hodie iam doleam de peccatis,& proponam me non amplius peccaturũ.Hæ duæ volitiones adeò toto cælo differunt, vt qui eas confundit patiatur æquiuocationem grauissimam ; & id suadeo euidenter ex dictis huius Auctoris : nam si nullus est fur sine aliqua deuotione:ergo nullus est fur Catholicus , qui etiam quando est fur non velit saluaria , & ad hoc ordinet illam deuotionem, & qui non velit in hora mortis dolere de peccatis:& tamen de fide est,illum,dum actu furatur,& non deserit vitium illud, neque posse confiteri sufficienter,neque posse ei dari absolutionem.Hinc etiam est , quòd toties à Concionatoribus & aliis reprehendantur illi, qui differunt conuersionem & pœnitentiam ad finem vitæ, aut certè ad aliquod longius tempus : reprehenduntur autem non propterea quod non velint mori Christianè,aut in hora mortis nolint confiteri,cùm certum sit eos id velle , sed quia id differunt : ergo habere hodie animum confitendi ea hora mortis non est vllo modo signum, quòd hodie doleat de peccatis, & velit ampliùs non peccare:prout de fide est, requiri ad hoc,vt sit capax absolutionis. Secundò hinc colligitur,quidquid de recitatione Pater noster dicitur esse nullius momenti,eò quòd illud recitetur ferè ab omnibus omnino Catholicis,imò hæreticis singulis diebus:& tamen simul est certissimum maiorem partem eorum esse in mortali,vel ferè ab omnibus dici , aut dictum aliquoties etiam dum sunt veleraut in peccato , & dum non habebant actu dolorem de illo. Dicere enim

24

maiorem partem hominum esse attritam durum orat Pater noster, est meo iudicio penitus improbabile: vnde euidenter colligitur, dicere recitationem illam esse per se signum actualis doloris de peccatis, & propositis actualis emendandæ vitæ, est (iterùm dico) penitus improbabile, ergo per hoc non est facta confessio exterior sufficiens pro absolutione. Dixi in maiori parte hominum, quia esto in vno aut aliquibus sit; vt tamen sit signum per se, debet esse saltem in plurib⁹. Ratio est, quia illa petitio summùm est signum optantis in hora mortis obtinere dolorem & remissionem, vt diximus.

Quid de Sacerdote pio & religioso.

Veniamus iam ad Sacerdotem illum pium & religiosum: in quo maior est probabilitas de bona interioti dispositione, nihilominùs tamen dico neque in eo sufficere; id quod meo iudicio efficaciter probo: Nam vel supponimus eum Sacerdotem habere peccatum mortale, non obstante tota ea exteriori pia vita, vel non: si supponimus non habere, non est cur ita soliciti simus de danda ei absolutione cum materia adeò dubia; quandoquidem non indiget ea absolutione: quòd si supponimus, vel timemus ne sit in mortali, profectò debemus necessariò etiam fateri, totam illam exteriorem eius hominis pietatem non esse signum veri doloris & actualis attritionis; quia peccatum mortale cadens in eam deuotionem destruit ex integro præcedentem petitionem absolutionis, & doloris exteriorem manifestationem, quæ in Confessario debet esse vt det absolutionem. Explico id clarissimè: Ponamus Petrum hodie mihi dicere, Ego peto à te absolutionem ad vltimam horam mortis, sine dubio hic expressissimam iam habet confessionem, & quidem ratione expressionis sufficientissimam: Secundò tamen ponamus eum post mediam horam peccare mortaliter, idque mihi euidenter constare, quia vidi illum fornicantem, cadat ille statim in periculum vitæ nullo dato de nouo signo doloris; poteróne illum absoluere vi petitionis præcedenti die factæ? nullus id probabiliter dicere potest, cùm peccatum illud mortale euidentissimè retractauerit dolorem præcedentem, & præterea ratione sui requirat iam nouum de ipso dolorem; ergo longè minùs sufficiet ea petitio confessionis adeò implicita & impropria, quæ in recitatione Pater noster & in exteriori bona vita continetur, si aliquo mortali in eam cadente retractatur virtualiter: ergo si suppono eum Sacerdotem esse in peccato mortali, nihil apud me exteriùs protestabitur tota illius bona vita exterior.

25 *Quid de Petro petente absolutionẽ ad vltimam horam mortis.*

Confirmo id Secundò, quia à maiori parte confitentium, qua in re optimi testes sunt qui frequentes audiunt confessiones, à maiori inquam parte etiam illi qui singulis mensibus aut etiam hebdomadibus confitentur, & exteriùs reputantur pij & optimi Christiani, accedunt tamen (non dico omnes, sed à maiori parte) fere semper cum aliquo mortali: quàm enim facilè *Seculares in mortalia consentiunt.* sæculares in aliquam turpem cogitationem consentiunt, in aliquam grauem detractionem, aliquod interius odium, &c. & tamen omnes illi etiam quando in eo peccato sunt, & antequam conterantur, dicunt Pater noster; ergo ea bona exterior vita non est sufficiens confessio pro absolutione.

Probat præterea suam sententiam ex absolutione quæ solet dari militibus: verùm huic iam paulò antè respondi. Vrget, quia ille potest absolui qui dixerit, Si eò venero & carcam sensibus, peto absolui; ergo cùm omnes supponantur hoc velle, omnes poterunt absolui. Huic tamen iam respondi, illam petitionem non esse sufficientem (nisi fortè paulò antè illum morbum facta fuerit iuxta dicenda inferiùs) quia per se loquendo retractatur nouo peccato. *Qui possit absolui.*

SVBSECTIO TERTIA.

Alia argumenta pro eadem sententia.

POst hæc adducit alium casum de hæretico aliquo materiali, hoc est non errante culpabiliter, & interrogat; An si ille diceret, Ego, verum sit confessio auricularis necessaria nécne, ignoro omnino, si tamèn est necessaria, illam volo, quærit. An talis possit sub conditione absolui: & cùm supponat omnino posse, infert, A fortiori posse Catholicum in nostro casu. Respondeo, In obiectione hac duo misceri in vnum valdè disparata: nam materialis ille hæreticus ex parte petitionis absolutionis habuit quidquid fuit necessarium; vnde ex illo ad Catholicum nihil petentem nihil valet consequentia, quia in præsenti toti sumus, an sine ea petitione signo aliquo manifestata à Confessario possit absolui: quomodo ergo in quæstione de necessitate petitionis argumentatur ab vno expressissimè petente ad alterum omnino mutum? 26 *Casus de alio quo hæretico materiali.*

Secunda difficultas quæ miscetur in ea obiectione est, An ille modus credendi conditionaliter sit sufficiens ad salutem. In hoc verò puncto est è contrario summa disparitas inter hæreticũ illum & Catholicum moribundum; nam hic sine vlla dubitandi ratione supponitur habere quod necessarium est ex parte Fidei; de illo autẽ est vt minimùm grandis ratio dubitandi. Vnde quoad hoc assumitur ibi difficilius antecedens quàm sit consequens, aut, vt meliùs dicam, planè disparatum. Quòd si me vrgeas vt dicam quid de illa conditionata fide sentiam; respondeo, Id quidem non esse de re, nec debere omnes quæstiones vbique misceri; absolutè tamen omnino dixerim esse insufficientem, quia debet esse actus fidei supernaturalis, vt homo sit dispositus proportionatè ad gratiam; quia *sine Fide impossibile est placere Deo.* Atqui subsumo; Non est propria fides dicere, *Credo tibi hoc dicenti, si ita est*: hic enim actus est planè ridiculus, & qui non arguit vllam maiorem æstimationem de dicto Dei quàm de dicto hominis cuiuslibet, etiam mendacissimi; nam & huic loquenti eodem modo dicere debeo, Credo tibi si ita est. Et sanè in hoc sensu non video; cur nos non possimus dicere, imò cur non etiam teneamur esse parati ad dicendum: Si vera est re ipsa fides Mahometana aut Iudaica, nunc ego illas credo, seu illas teneo. Fides ergo vera & sincera & requisita ad salutem has conditiones nugatorias excludit, & credit absolutè simpliciter sine formidine dicendo, *Ita ita est*: eo enim alio modo conditionali etiam Ethnici credunt nostram fidem si vera est. *Disparitas inter hæreticum & Catholicum moribundum.* Hebr. 11.

Respondere fortassis posses, Illum hæreticum non dicere solùm Credo si ita res est; sed, Credo si Deus id re ipsa dixit hoc autem me non dicere de Petro, aut de homine, quia esto eum id dixisse sciam, non tamen continuò id credo; ergo 27

per

per eum actum iam præponit Dei veracitatem veracitati humanæ. Sed contrà manifestè, quia per hoc solùm ostenditur, hominem illum assentiri partialiter obiecto formali Fidei diuinæ, hoc est, Deum non posse errare: at per Fidem veram plus creditur; nam Deum non posse errare & mentiri credunt omnes omnino hæretici, nisi blasphemi sint in Deum; & pro hac veritate credenda non est multùm necessarium captiuare intellectum in obsequium Fidei (vt Paulus dixit) nam explicatis terminis Deum esse veracē omnino persuadet ratio naturalis. Aliud ergo principium aut obiectum formale Fidei, quod credi debet absolutè, est, Deum re ipsa, hoc dixisse, seu hoc reuelasse; & circa hoc sunt motiua credibilitatis, circa hoc est pia affectio supernaturalis & reuerentia in Ecclesiam id proponentem: quis autem non videat ridiculum esse dicere, Piam affectionem requiri ad hunc assensum, Credo hoc dictum esse à Deo si re ipsa dictum est? & in hoc assensu habent locum omnia quæ ante hanc solutionem dixi, quòd id omnes omnino credant, &c. Vides quam labefactentur principia Fidei nostræ per huiusmodi actus conditionaliter tantùm credentes, hoc est, Credo si ita est. Et satis de hac digressione.

Deum non posse errare hoc mentiri credunt omnes hæretici.

Quid in casu moribundi contingere possit.

Iam ad nostram quæstionem alias addit rationes pro ea sententia ex aliorum Auctorum mente. Prima est Molf sij, quòd in casu moribundi possit contingere, vt ille sit memor salutis, & interiùs habeat attritionem, quâ sit rectè dispositus ad salutem; docet enim experientia frequentiùs ita fieri: quæ ratio saltem probat in eo, qui Catholicè vixit. & vbi vigent conciones & catechismi. Respondeo Primo, Me non capere, vnde hic Auctor dicat experientia constare ita frequentiùs fieri: etenim si de dolore tunc eo articulo primùm elicito loquatur, cùm, qui ex huiusmodi periculis euadunt paucissimi sint, non scio vnde desumatur ea experientia maior. Fuerim potiùs ex his, qui vel aquis, vbi vix non sunt submersi, vel cadendo, &c. incurrere talia pericula, & ad se postea rediere, aliquos audiui, & semel dum exirem ex naui cadens in aquam sat profundam expertus sum ipse, vix quidquam de altera vita aut de dolore de peccatis eis occurrere, sed totam attentionem ad se trahi ab ipso periculo. Quòd si loquatur de attritione & dolore, qui sit frequentiùs in homine perfectè sano, iam ostendi supra potiùs esse contrarium etiam in his qui videntur valdè Christianè viuere: non enim cùm primùm mortaliter peccant, statim se pro confessione disponunt. Sed quidquid sit de hoc, Secundò absolutè respondeo, Hoc argumentum esse idem cum eo, quod est solutum suprà, dum ostendi bonam exteriorem vitam non esse petitionem exteriorem absolutionis & confessionis; imò addiderim potiùs, esse signum in contrarium. Nam quò melius homo viuit, eò se minùs peccare ostendit; vnde & minùs indigere confessione. Addo iam licet mihi diuinitus constaret per reuelationem Dei; eum hominem verè esse attritum, & optare confessionem, non ideò fore eum capacem illius; nam materia huius Sacramenti debet esse externa, & poni ab ipso pœnitente; atqui eo casu clarè constat nullam esse; ergo quòd supponatur vel non supponatur interiùs habens eam attritionem, non iuuat vel in minimo ea sententiam, quia tota difficultas est circa exteriorem accusationem. Aliam refutationem huius argumenti vide statim.

In necessarijs ad salutem tutior pars eligenda.

Secundò argumentatur ex Homobono: quia in necessarijs ad salutem tutior pars est eligenda; & certiori periculo occurrendum in euentiam autem Sacramenti, vel sacrilegij periculum tum conditione adhibita, tum probabilitate opinionis ex auctoritate saltem extrinseca vitare possumus; ergo. Respondeo, Hoc argumentum nimis multùm ostendere scilicet posse gentilem aliquem bonorum morum, & addictum Christianis, esto numquam prorsùs perierit Baptismum, vel de eo quidquam dixerit posse inquam in mortis periculo dum sensibus est destitutus baptizari; quia fieri potest vt interiùs id desideret, & sit attritus (vti in præcedenti argumento dicebatur) & quia in rebus ad salutem necessarijs tutior pars est eligenda, & vitari potest periculum sacrilegij & irreuerentiæ per conditionalem formam. Habétque meo iudicio id maiorem vim in Sacramento Baptismi, quia ex se nullam requirit materiam aut formam ex parte baptizandi: vnde si mihi constaret aliquem Gentilem habere desiderium Baptismi, quia Deus id mihi reuelaret, possem omnino, imò deberem eum baptizare. At paulò antè ostendi, licet ex eadem reuelatione constaret mihi de attritione & desiderio confessionis, si tamen exteriùs materiam non adhibuit, me non posse ei dare absolutionem; quòd autem ea exterior vita non sit accusatio Sacramentalis, iam est sufficienter ostensum.

28

29

Hinc absolutè respondeo, Ita in necessarijs ad salutem nos debere sequi partem tutiorem; vt tamen habeamus in Sacramentis id quod exigunt Concilia pro eorum constitutiuo; nam si eo caremus (vt ostendimus in hoc casu carere) nihil penitus agimus, sed potius Deum quodammodo tentamus, vt ex instantia allata de Baptismo clarè constat.

Ex his etiam reiicitur alia instantia ex Sacramento Extremæ-Vnctionis, quod potest dari tali moribundo, esto nullo signo illud petierit, ergo & absolutio: respondetur enim, Disparitatem esse maximam: nam Extrema Vnctio non requirit vt partem essentialem actum aliquem exteriorem infirmi; sufficit enim quod non iudicetur ille auersari hoc Sacramentum cúmque in eo suscipiendo nulla sit molestia pro infirmo, sed potiùs maximum bonum tum quoad augmentum gratiæ, si in ea sit, tum quoad remissionem mortalis, si fortè illud habeat, & sit attritus, non est, cur non debeamus illum censere habitualiter velle hoc Sacramentum: hoc autem pro valore absolutionis non sufficit; quia debet adhiberi ab ipso suscipiente materia ipsa, quâ constat Sacramentum, scilicet confessio exterior saltem implicita per petitionem exteriorem absolutionis; ostendimus autem manifestè eo casu nullam adhiberi exteriorem materiam ab ipso absoluendo, ergo. Hæc pro probabilitate interioris eius opinionis; circa extrinsecam verò ab auctoritate nihil aliud adfert, quàm quod nos initio attulimus.

Extrema-Vnctio non requirit vt partem essentialem actum aliquem exteriorem infirmi.

SVBSECTIO QVARTA.

Opposita sententia defenditur.

30 *Opposita sententia tenenda, quam reliqui omnes Auctores defendunt.*

TEnenda ergo opposita sententia, quam reliqui omnes Auctores defendunt, vt videre est apud Dianam suprà resolutione octaua, & Tomo tertio, Tractatu quarto, Miscellaneo, resolutione nonagesima secunda & apud Lugo suprà numer. trigesimo nono, & sequentibus, & quæ ante triginta aut quadraginta annos adeò certa erat apud omnes Theologos & Fideles, vt (ipsis Aduersariis testibus) opposita non fuerit probabilis. Vnde dico pro me, Neque hodie eam esse probabilem quia illius Auctores non adducunt solutionem probabilem ad loca Conciliorum, quibus clarè nostra probatur, vti ex dictis hucusque constat. Quàm enim leues sint responsiones ad Tridentinum iam vidimus.

Probatur ex Arausicano Concilio & Carthaginensi tertio & quarto.

Probari præterea potest ex Arausicano Concilio capite duodecimo, & Carthaginensi tertio & quarto; in quibus hæc habentur: *Subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Quo eodem modo loquitur Rituale Romanum auctoritate Pij Quinti editum, non dans licentiam absoluendi nisi sub ea conditione. Circa Arausicani locum & consequenter circa Romanum Rituale vix non negatur hic Auctor, aitque consequentiam à nobis ex hoc loco illatam tam esse lepidam, ac si quis diceret, *Homo est animal; ergo equus non est animal*: inde addit, Nisi corrumpamus textum addendo particulam *tantùm*, nihil nos effecturos: ego tamen cum maiori veneratione accipio licentias datas à meis Superioribus, maximè autem ab Spiritu sancto. Nam si Pater Rector mihi dicat, *Si absoluisti id quod tibi commendaui, potes ire spatiatum*, non nugabor, nec dicam, Qui dat licentiam, si hoc feci, non negat; si non feci, sicut qui dicit hominem esse animal, non negat equum esse animal: hoc enim modo interpretari dicta Conciliorum est planè ea reddere ridicula. Ratio à priori est manifesta, quia quando illa conditio additur, ponitur vt requisita; vt cùm dicitur, Potest celebrare, si sit Sacerdos, potest licitè, si non sit irregularis. Denique in omnibus omnino materiis huiusmodi conditiones appositæ ponuntur vt necessariæ, non vt otiosæ & inutiles.

31 *Obiicio.*

Secundò respondet, Eo ipso quòd Concilium coniunxit ibi Baptismum cum Pœnitentia, fauere potiùs ipsis, quia catechumenus in morbum lapsus potest baptizari; ergo & Catholicus absolui. Sed contrà, quia catechumenus eo ipso quo talis est iam in præparatione animi, & petitio Baptismi in eo non desumitur ex morum probitate, sed quia expressè exteriùs se velle baptizari dixerat. Vnde saltem infertur, Etiam pro absolutione debere anteà eam aliquo signo peti; est autem inter Baptismum & absolutionem magna quoad hoc disparitas; nam Baptismus propriè non componitur ex voluntate suscipientis, esto requiratur ea voluntas vt sit illi voluntarius; ad hoc autem sufficit semel illum petiisse, & eam voluntatem non retractasse, siue in peccatum posteà inciderit, siue non; quia peccata non retractant voluntatem suscipiendi validè Baptismum; nec pro huius valore & effectu requiritur accusatio exterior de peccatis, sufficit interior attritio ad effectum gratiæ: ad valorem autem simpliciter nec attritio requiritur, sed præcisè, vt dixi, quòd illi sit voluntarius, de quo sufficienter constat ex voluntate præcedenti non retractata; de qua retractatione ego non debeo quidquam supponere in malam partem, sed procedere bona fide. At pœnitentia requirit veram accusationem sui & peccatorum ad illud momentum, quando debet dari absolutio committentium. Iam autem clarè ostendi suprà, bonam vitam non esse accusationem sui, imò potiùs esse excusationem; ostendi præterea ipsam etiam vocibus exteriùs factam petitionem absolutionis retractari per peccatum sequens. Licèque esto nunc à me petat Petrus, vt ipsi dem absolutionem post meridiam horam: si tamen intra illam admittat aliquod peccatum, de quo mihi constet, non potero illi dare absolutionem, nisi noua adsit post peccatum petitio, quæ sit iam accusatio eius peccati. Cùm ergo ideò censeant hi Auctores esse aliquam rationem vrgentem ad dandam absolutionem, quia fortè ille homo est in nouo peccato graui, profectò etiamsi exteriùs anteà clarè & expressè petiisset absolutionem, non tamen ei posset dari, quia per subsequens peccatum retractauit eam accusationem; post commissum autem peccatum nullam posuit, vti de fide est esse necessarium pro illius obtinenda remissione per confessionem; ergo adhuc cum tota ea bona vita est incapax absolutionis. 32

Quid dicas qui anticipatè petit absolutionem pro hora mortis.

Fortasse tamen ad hoc vltimum responderi posset, Eum, qui anticipatè petiit absolutionem pro hora mortis, habuisse tunc temporis peccatum mortale, pro quo illam petiit; ab eo autem tempore debere nos præsumere nullum nouum ab eo admissum, ac proinde posse nos illi dare absolutionem. Verùm hæc consideratio rarò subsistit, neque valet pro regula generali: similes enim petitiones absolutionis pro hora mortis moraliter loquendo & per se eò tendunt, vt si deinceps cadat in aliquod mortale, non periclitetur de salute æternâ; nam ea petitio sit ordinariè coram Sacerdote: hic enim rogatur, vt eam det, si contigerit petentem destitui repentè sensibus; si autem solùm esset ille solicitus de remissione mortalis, quod tunc habet (vt obiectio supponit) & de eo peteret absolutionem, & haberet iam tunc dolorem sufficientem de illo, cur quæso non absolutionem statim peteret? nisi vel quia non est dispositus, vel quia non vult adhuc deserere illud peccatum; quodcumque autem ex his tunc occurrat, ea petitio est planè insufficiens.

Secundò respondeo, Si tamen damus casum, Eam petitionem absolutionis esse quidem pro peccato solo tunc existente, de quo ille, esto iam doleat, ob aliquam tamen aliam causam differt confessionem, fortasse posse tunc admitti si incidat ille in grauem cum morbum, posse ei dari absolutionem modo interiùs explicando. 33

Aliam

Aliam euasionem huius Auctoris ; quòd vita orthodoxa sit petitio eius absolutionis, quia reincidit in argumentum ipsius quod suprà refutauimus, non petit nunc nouam impugnationem.

Vbi aduerte Iacobum Bajum apud Dianam suprà eo Tomo 3. resol 91. & apud Lugo suprà num. 41. docere, absolutè posse ei moribundo dari per modum suffragij ; qua doctrina vel intendit hic Auctor eam absolutionem sic datam valere ad remissionem peccati; in hoc autem sẽsu improbabiliter discurrit, quia remissio peccati non datur nisi per Sacramentum : ea autem absolutio per modum suffragij non est Sacramentum (vt per se patet) cum iam ostenderimus non dari materiam necessariam huius Sacramenti. Si verò dicat Baius, Eam absolutionem datam per modum suffragij valere per modum orationis alicuius eo modo quo à Concionatoribus solet post concionem dari, libenter admittimus: in hoc autem sensu res est extra præsentem quæstionem ; noto tamen talem absolutionem non debere dari per verbum *Absoluo*, quod significat actum Sacramentalem, sed deprecatiuè; *Misereatur tui*; *Absoluat te Deus*, &c.

SVBSECTIO QVINTA.

Tria dubia annexa soluuntur.

34 *An sub dubio dari possit absolutio.*

ROgabis Primò : An saltem sub dubio dari possit absolutio : affirmat Bartholomæus à Sancto Fausto apud Dianam suprà, eò quòd potest sub conditione ei de quo dubitatur vtrùm habeat rationis vsum, dari absolutio ; ergo & in præsenti. Respondeo tamen, Non posse, quia in allato casu de dubio vsus rationis non constat certò deesse vllam partem necessariam pro valore Sacramenti ; in nostro autem casu licet de dolore interiori sit dubium, an detur in eo homine ; de confessione tamen & accusatione externa nullum omnino est dubium, sed manifestè constat nequaquam esse, vt hucusque ostendimus; materiâ autem essentiali certò deficiente non potest nec sub conditione, nec sub dubio concedi absolutio.

An hæc opinio sit probabilis saltem per auctoritatem extrinsecam.

Secundò rogabis, An hæc opinio sit probabilis saltem per auctoritatem extrinsecam. Respondeo, A multis ita censeri, qui sine dubio poterunt ea vti sequendo aliorum iudicium. Ego pro me nullo modo iudico illam probabilem: quando enim habeo clarissimum Concilij textum in contrarium, & Ecclesiæ totius hucusque communem praxim, non censeo probabile hoc à quatuor vel quinque Auctoribus recenter & quidem solùm sub dubio assertum. Vti in eadem materia confessionis, etiam post decisionem Tridentini, non desunt qui dicant probabile esse attritionem non sufficere in Sacramento ad eius effectum ; hoc tamen mihi adeò euidenter falsum videtur, cùm intelligenti Latinè contrarium clarissimè constet ex definitione eiusdem Tridentini Sessione 4. cap. 14. vt illi verbis saluis audeam dicere, Totus mundus non faciet mihi contrarium probabile ? quia etsi mihi euidenter videnti rem aliquam, exempli gratia Solem, omnes dicant, Probabile est nunc esse noctem, non potero dicere, Omnino id esse probabile ; & pro actione morali, quæ nisi media nocte fieri licitè non posset, non possem vllo modo sequendo eorum hominum dictum licitè eam actionem tunc facere.

35

Vbi pro complemento noto hunc Auctorem, vt auctoritatem adderet sententiæ iam refutatæ, narrare quamdam historiam me (esto ibi non nominer) concementem; ait enim, Iacente extra sensus, & nullo dato signo doloris, Ioan Balthasare Marradas, olim armorum in Bohemia Generali, me supernenientem iussisse vt foras omnes exirent, & ei absolutionem dedisse, ac postea dixisse ab eo datum signum doloris, vsum verò me hac arte & eo leui mendacio, ne præsentes scãdalizarem data absolutione sine vlla petitione moribundi. Historia hæc omninò est falsa; (decepit Auctorem grauissimè quicumque eam ipsi narrauit;) & iniuriam facit Dom Balthasari, quem tam miserè pro æternitate dispositum decessisse dicit; facit & mihi, quem licet bono animo mentitum dicit, & vsum opinione, quam tunc temporis nec quidem sciui ab vllo penitus doceri; ac proinde non potui illam iudicare probabilem, quam etiam hodie visis eorum Auctorum argumentis adhuc pro me iudico improbabilem. Res aliter longe contigit. Iacebat Dom Balthasar grauiter infirmus, sibi tamen præsentissimus : differebat admonitus (vti multi solent) confessionem, quòd periculum tantum esse non apprehenderet; ego tamen abire omnibus iussis, rogaui vt confiteretur; prætendit non posse iam se præparare; repositi, facilè; posteà: ego ipse sine molestia præparabo Vestram Excellentiam; & discurrendo per præcepta, &c. interrogaui an haberet aliquid, &c. vbi recordabatur annuit, negauit vbi non absoluto examine, quæsiui an doleret, respondit claris verbis se dolere, & absolutionem petere, quam & dedi: & verbis aliis vicibus inter orando illum an secundò doleret, & vellet absolutionem, eam secundò & tertiò ei dedi : mansi enim apud illum tribus diebus, & noctibus & in ipsa domo celebraui. Iam quilibet videat quæ possit ex hac historia pro contraria opinione confirmatio sumi.

36 *Si quis perfectè sanus repẽtè incidat in apoplexiam, poterúne vi prioris cõfessionis ei dari absolutionem ?*

Rogabis tamen vltimò circa hoc punctum, An saltem si quis hodie perfectè sanus, neque de mortis periculo quidquam cogitans, diceret coram me, Si, quod Deus auertat, repentè incidero in aliquam apoplexiam, & sensibus destitutus fuero, peto ab hoc momento absolutionem, & deinde die sequenti coram me in eam apoplexiam fuerit lapsus, possumne ego vi eius prioris confessionis ei dare absolutionem? Casum hunc tangit Lugo in militibus, qui ob repentinam aggressionem hostium spatium confitendi non habent, & dicunt ex corde se desiderare confessionem, & iam tunc absolutionem petere Sacramentalem si in mortis articulo sint ; aitque eos posse tunc absolui. Quæ decisio potest etiam in nostro casu habere locum, maximè cùm sæpè dixerimus posse dari absolutionem etiam diu post auditam confessionem. Est tamen adhuc aliqua in hoc puncto difficultas: nam intra spatium vnius diei facilè contingere potest vt talis homo commiserit aliquod mortale, pro quo ea accusatio præcedens non est sufficiens: nam vt bene Lugo ait num. 39.) videtur ridiculum quòd velit se aliquis hodie accusare de peccato cras primum committendo, vt ab eo absoluatur vi huius accusationis. Omnis enim accusatio est post commissum delictum, & ex hoc capite est diuersitas

inter hunc casum & illum, quo hodie do absolutionem illi qui fuit confessus heri; nam hic hodie accedens (si fortè aliquod graue cõmisit à tempore quo confessionem fecit) accusabit se hodie, quòd si non se accusat, supponitur nullum nouum peccatum mortale commisisse at in eo, qui post declaratam heri suam volitionem cadit hodie in apoplexiam, non habeo ego vllum signum quòd non commiserit aliud mortale; quòd si commisit, nullam habeo de eo accusationem aut confessionem. Nihilominùs tamen iudico posse tunc dari absolutionem saltem sub hac conditione, *Si ab hesterno die non admisit mortale.* Ratio est, quia eo casu habeo iam materiam confessionis certam, id est accusationem hesternam; & summùm est dubium, vtrùm eam per secundum peccatum reuocauerit; ergo possum tunc vti in dubio de peccato dare absolutionem.

37 Quæres tamen vlteriùs, Quàm procul possit censeri permanens ea petitio; nam si id admittamus sine termino, possemus etiam dicere, Quòd petere hodie eam absolutionem sufficere, vt post annum absolueretur ille, si lapsus esset in similẽ morbum; hoc autem videtur valdè durum, quia ferè est ex integro recidere in sententiam paulò antè tam fortiter reiectam. Respondeo tamen Primò, Etiamsi id admitteremus, non ideò nos relapsuros in illorum sententiam, quia illa ita eam tradunt, vt omnino abstrahant à tali petitione; nos autem per illam petitionem explicamus totam difficultatem circa materiam externam huius Sacramenti, quam illi nullatenus saluant, cùm nullam omnino supponãt exteriorem confessionem nec formaliter, nec æquiualenter. Est etiam alia differentia, quæ ad maiorem huius explicationem pertinet, quòd hic loquimur, casu quo ea petitio absolutionis facta sit illi ipsi Confessario qui daturus est absolutionem. Auctores autem oppositi putant quemlibet Sacerdotem, etiamsi nec viderit vmquam eum moribundum, neque habeat vllos testes asserentes eum petiisse confessionem, posse tamen illum absoluere; hoc autem omnino esse improbabile constabit ex dicendis infrà circa absolutionem eius qui in absentia tantùm Sacerdotis dedit signa doloris. Secundò respondeo, Difficile esse in his rebus moralibus, quando ab indiuisibili ac certo termino receditur, dicere, Tantum tampus sufficit, non verò paulò maius. Ego in primis in homine sæculari, qui probabiliter frequentiùs cadit in graue peccatum, vix vltra tres quatuorve dies putarem posse iudicari perseuerare sufficienter eam petitionem, nisi simul esset valdè bonæ vitæ; tunc enim multò plures dies possent admitti; vti in Religiosis, qui longè tariùs aut ferè numquam cadunt.

38 *Obiectio.* Dices tamen, Vel supponimus eum hominem à tempore, quo petiit absolutionem, admisisse peccatum graue, vel non; si admisit, eo ipso (vt discurrebamus) ea prior petitio nihil valet, ac proinde non poterit ei dari absolutio; si verò ab eo tempore non admisit vllũ mortale, non est necessum dare ei absolutionem, quia non est in necessitate, ob quam debeamus nos exponere ei dubio; ergo nullo modo est ei tunc danda. *Responsio.* Respondeo, Hanc absolutionem prodesse, vt si quando petiit cõfessionem habuit aliquod mortale, & simul attritionem de illo, liberetur ab illo casu quo nouum non commiserit.

Dixi eum hominem per subsequens peccatum retractare eam priorem accusationem; hoc tamen ipsum alicui videbitur non carere graui difficultate; nam quatenus illa confessio respiciebat præcedentia peccata, nequaquam retractatur, summumque inde videtur colligi, quòd de subsequente peccato non sit vlla confessio; at ad valorem absolutionis non est necessum quòd dicantur omnia peccata, vti duabus præcedentibus disputationibus ostendimus; ergo adhuc tunc erit confessio sufficiens. Respondeo tamen, Adhuc esse verissimum quod dixi, retractari eam confessionem per subsequens peccatum; nam confessio valida debet esse saltem implicitè de omnibus peccatis; hoc autem in nostro casu nõ est. Deinde dolor, qui per eam confessionem declaratur, debet etiam se extendere ad omnia peccata, saltem vt absolutio habeat effectum gratiæ; ergo ea prior accusatio, quia iam reuocata per subsequens peccatum, non sufficit ad dandam validè nunc absolutionem.

SECTIO IV.

An confessio in absentia facta si valida.

NVNC declarandum aliud præcipuum in hac materia dubium, Vtrùm scilicet, si doloris signa non sint data in præsentia Sacerdotis, testentur tamen præsentes eum petiisse confessionem, possit Sacerdos superueniens eum absoluere. De hac quæstione, vt quæ ad praxim valdè deseruit, & à qua frequentissimè salus æterna infirmi dependet, furè valdè egerunt Auctores; quia verò sententia affirmatiua, paucis exceptis, acriter ab omnibus defenditur, & à nonnullis ex his est diligentissimè tractata, breuiter me ab illa expediam. 39

SVBSECTIO PRIMA.

Proponitur sententia negans & præcipuum eius fundamentum.

SEntentia negans eam absolutionem esse validam docetur à paucis Recentioribus, quos citat Diana eo Tractatu de Absolutione moribundi, resolutione 4. maximè autem propugnata est à Didaco Aluarez Dominicano in 12. disput. 8. per totam. Huius fundamentum vnicum ferè desumitur ex Bulla Clementis Octaui edita 2. Iunij anno 1602. in qua dicitur non licere in vllo casu per litteras vel internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere: atqui in casu prædicto pœnitens confitetur per internuntium Sacerdoti absenti, ergo contra id Clemens statuit. *Sententia negans posse absolui ægrum, qui in præsentia Sacerdotis nullum edit signum doloris, licet antè dederit.*

40 In explicando hoc decreto valdè laborant Auctores nostræ oppositæ sententiæ; quidam dicunt ibi solùm prohiberi eam confessionem, nõ verò declarari nullam, seu irritam: hæc tamen responsio videtur esse inutilis, tum quia si illicita est etiam in eo casu, certè nullus timoratus Sacerdos eam impendet. Secundò, quia si valida esse posset, profectò cùm ab ea infirmi salus sæpissimè dependeat, non potuisset dici illicita cur enim illicita collatio valida Sacramenti, quando necessaria est ad æternam proximi salutem; *Varia explicationes Bullæ Clementis VIII. qui per hanc sedition ci tatur, & iudicium de illis.*

lutem? & quidem cùm hoc Sacramentum non exigat illas cæremonias, quibus conficitur Eucharistia, in quarum defectu nou potest etiam ob bonum infirmi sine paramentis, altari, &c. celebrari, sed sit res quæ non nisi accusatione & absolutione perficitur; si eo casu valida esset absolutio, quæ rogo posset esse causa iusta, eam tunc illicitam reddens?

Secunda explicatio.

Alij respondent, Eam confessionem fieri in præsentia Sacerdotis, quandoquidem præsente ipso Sacerdote & præsente etiam ipso infirmo ea confessio fit. Ita Vasquez quæst. 92. art. 1. & alij, quos refert Diana suprà resolut. 4. Vnde hic Auctor colligit Si hi, qui audierunt signa illa à pœnitente, non teuertantur simul cum Sacerdote, quem vocarunt, & in infirmi præsentia ea quæ dixerant confirment, non posse validè dari absolutionem. Meritò Cardinalis Lugo reijcit hanc sententiam. Primò, quia hoc ipsum, quod ex ea inferunt Auctores, ostendit illam esse falsam: id quod ego sic vrgeo; quid enim quæso re prudenter considerata efficit ad intentionem nostram, quòd præsente pœnitente, qui nihil penitus aut videt, aut audit, repetat mihi ille nuntius verba infirmi intra cubiculum, vt satis non sit id dixisse in cubiculo anteriori? éstne etiam credibile in institutione huius Sacramẽti Christum Dominum essentialiter requisiuisse vnam rem, quæ planè est moraliter ridicula? Vrgeo hoc ipsum ratione à priori, quam suprà Lugo bene tetigit. Nam ad hoc, vt quæ fiunt per interpretem, verè dicantur fieri in præsentia Confessarij, non sufficit, quòd Confessarius sit præsens, quando interpres loquitur, sed debet etiam esse, quando interpreti loquitur pœnitens Nam locutio pœnitentis cum Confessario eo casu duo dicit, & locutionem pœnitentis cũ interprete, & locutionem huius cum Confessario: quantumvis autem interpres mecum loquatur in præsentia infirmi, non tamen ideò ego reddor præsens locutioni pœnitentis infirmi cum interprete: neque per eam præsentiam infirmi, dum mihi interpres loquitur, censetur approbare infirmus suum delictum, aut illud mihi ostẽdere, cùm tam parum audiat, quàm si essemus mile leucis inde, ergo in rigore ea confessio sit absenti. Id quod confirmat benè ex matrimonio quando fit per interpretem: si enim contrahentes ante aduentum Parochi (qui idioma contrahentium nesciebat) dixissent suam voluntatem interpreti, & post aduentum Parochi interpres in eodem quidem cubiculo vbi sunt contrahentes: his tamen nec audientibus nec videntibus loqueretur cum Parocho, & ei exponeret mentem contrahentium, non fieret validum matrimonium: quia Parochus tunc solùm posset testari, interpretem dixisse, eos velle contrahere: per quod tamen non fieret testis, quod ipsi contrahentes dixerint quidquam interpreti; ergo tunc testimonium Parochi nihil aliud haberet roboris, quàm si ipse interpres testaretur eos voluisse contrahere: Parochi autem præsentia requiritur, vt ipse ex se non ex aliorum dictis sit testis matrimonij, debet ergo & videre eos loquentes cum interprete, & hic præsentibus illis & videntibus ac annuentibus illud narrare Parocho, alioquin non est locutio in præsentia per interpretem.

41 *Confitens sanus per interpretem debet esse præsens Confessario & & interpres etiam.*

Contrahentes matrimonium per interpretem debent esse præsentes Parocho dum eorum mentẽ explicat interpres.

Tertia ergo aliorum responsio, quam Lugo omnibus præfert & illustrare conatur, distinguit duas confessiones Sacramentales; vnam propriam & strictam, qua in actu secundo se accusat iudicialiter reus coram Iudice; alteram minùs propriam, quæ extenditur ad ea quæ præcedũt; vt cùm reus dicit, *Ego volo confiteri meum delictum de quo sum accusatus*: vel quando ad hunc finem vocat iudicem & Notarium, vt audiant confessionem. Hoc supposito, ait confessionem illam propriam non valere, nisi fiat coram Iudice & Notario; illam autem secundam, quia est extraiudicialis, posse admitti, & suos effectus habere, etiamsi non fiat coram Iudice & Notario, Dicunt, ergo Clementem locutum de confessione rigorosa, eamque definiisse, debere coram Iudice fieri, de hac verò secunda nihil ibi definiisse. In confirmationem huius explicationis adduc t Lugo testimonium Petri Lombardi Archiepiscopi Armanaci ad longum in Epistola hac de re scripta ad Pattem Coninch 6. Iunij anno 1624. quam etiam refert ad longum ipse Coninc. Opusculo de Absolutione moribundi in fine. In ea ergo Petrus Lombardus ait rem distinctam esse confessionem Sacramentalem à voluntate, seu voto, seu desiderio Sacramentaliter confitendi; id est aliud esse confessionem eiusmodi re ipsa factam, aliud attentatam, & tantùm in voto seu desiderio habitam. Rursus distinguit votum hoc, seu desiderium, seu voluntatem confitendi, in desiderium purè internum, & soli Deo notum, & in desiderium exterius etiam signis declaratum. Hoc supposito ille ait, Non licere Sacramentalem confessionem in absentia facere. At verò si inueniat infirmum ita destitutum sensibus, vt non possit suum desiderium declarare, sed tamen præsentes dent testimonium eius desiderij, posse tunc absolui eum infirmum; additque se interrogasse ipsum Clementem VIII. hac de re, eumque dixisse, Non fuisse suæ mentis eam absolutionẽm in tali casu impedire. Hæc ille.

Tertia Bulla explicatio de duo i confessione Sacramentali, formali altera & stricta, altera in desiderio & voto.

Testimonium Episcopi Armacani super mente Clem. VIII.

Ego circa hanc explicationem primùm iudico Petrum Lombardum videri locutũ terminis minùs Scholasticis, & minùs conformibus iis quæ de hoc Sacramento tradit Ecclesia. Etenim omnes supponimus Pœnitentiæ materiam esse confessionem Sacramentalem re ipsa factam, exercitam, & non solùm desideratam, seu attentatam; vti enim ad incurrendam excommunicationem ob homicidium v.g. Clerici, non sufficit desiderium, seu voluntas, seu votum occidendi etiam attentatum, seu signis exterioribus votum; sed requiritur re ipsa homicidium aut actualis reipsa vulneratio: ita in simili de confessione. Vnde Auctores omnes, qui nostram sententiam tuentur, non aliter dicunt tunc dari posse absolutionem, nisi quatenus illa signa desiderij dicunt esse veram actualem confessionem delicti, & non solùm desiderium confessionis; dicunt enim, qui petit absolutionem eo ipso se fateri reum, & confiteri saltem in communi, seu in confuso, sua peccata. Ergo termini illi, quibus Petrus Lombardus vtitur minùs sunt conformes veritati, longè meliores sunt illi, quibus diximus vti Lugo de confessione strictissima & minùs stricta, quia per illos admittitur non solùm desiderium habendi veram materiam, sed datur reipsa vera materia. In Sacramentis enim non sufficit desiderium quantumvis verum & proprium, etiam exterius manifestatum. Quod vt meliùs intelligas, aduerte quod diximus suprà

43 *In Sacramento non sufficit desiderium ponendi materiam, sed debet realiter poni.*

contra illos, qui censent posse absolui etiam illum, qui nec coram aliis dedit vllum signum pœnitentiæ: ibi enim notauimus pœnitentem respectu huius Sacramenti duo habere, & voluntatem illud suscipiendi, & insuper quòd ipse det materiam proximam illius: ratione ergo voluntatis illud suscipiendi diximus posse admitti, quòd sufficiat bona vita illius, & quòd frequentauerit hoc Sacramentum: at ratione materiæ, quam ipse debet adhibere, diximus id non sufficere, sed debere ipsum exteriùs ponere aliquid, quod sit vera confessio, vera materia. Ex his eodem modo in præsenti dicimus, voluntatem illam seu desiderium illud huius Sacramenti etiam exteriùs declaratum, si solùm sub ea reduplicatione desiderij declarati accipiatur, iudicari debere sufficiens ad hoc, vt posset conferri ei hoc Sacramentum, si aliunde ipse non deberet adhibere materiam illius: quia verò eam debet adhibere, ideò illud non sufficit. Etenim vt aliquis adultus baptizetur, etiam debet esse desiderium Baptismi, & quidem non purè internum, sed signis declaratum: & tamen qui baptizatur, non applicat materiam proximam aut remotam: vti è contrario in casu nostro pœnitens efficit confessionem, quæ est pars materiæ: ergo vltra voluntatem seu desiderium declaratum oportet actualem materiam seu confessionem positam non in desiderio sed re ipsa admittere in eo casu, vti admitit Lugo: circa cuius explicationem

44 *Desiderium confessionis vt desiderii est, non sufficeret ad absolutionem obtinendam.*

Secundò dico, Eam vel debere relabi in illam quam subsect. 2. trademus, vel minùs bonam esse. Etenim cùm illa confessio magis rigorosa, quam dicit à Clemente Octauo reiectam, æquiualeat etiam desiderio confitendi: si enim qui dicit *Volo confiteri, vocate mihi Parochum*, confitetur re ipsa sufficienter, vt possit deinde absolui, profectò longè magis confitetur ille, qui dicit *Volo confiteri, & eo animo dico tibi peccata omnia mea, vt ea dicas Parocho, & ille veniat, & me absoluat*: aut, *Do tibi in hac charta mea peccata, vt ea deferas ad Parochum, & ille ea legens huc veniat, & me absoluat.* Ergo illa confessio stricta & rigorosa, siue sub ratione minùs rigorosæ, siue saltem quatenus explicat desiderium & voluntatem confitendi, debet valere ad absolutionem etiam iuxta Lugo & Petrum Lombardum, cuius sententiam prior ille dicit se sequi. Iam ergo si illa confessio sufficit saltem sub eo conceptu generali, rogo quare Clemens eam reiecit absolutè & per verba maximè vniuersalia? Profectò ego non video aliquam in ordine ad casum nostrum vtilitatem in

45 ea distinctione confessionis strictæ & minùs strictæ; neque vnde potuerit Pontifex colligere in ordine ad dandam absolutionem Christum Dominum fuisse contentum confessione minùs stricta absenti, & non à fortiori contentum fuisse confessione rigorosa etiam facta absenti, cùm ratione absentiæ vtraque sit æquè improportionata, ratione verò declarationis maiorem habeat proportionem ea quæ magis est explicita, ideóque omnibus pensatis sit magis digna absolutione quæ est magis explicita, cùm & æqualeat minùs explicitæ, & habeat aliquid ampliùs, in puncto autem absentiæ sit par alteri: nec debet esse peioris conditionis in ordine ad hunc effectum, ex eo quòd sit magis declaratiua desiderij absolutionis, & explicatiua magis peccatorum; non est ergo vlla vtilitas in ea distinctione pro nostro intento. Fortasse in ordine ad hoc, quòd si Pontifex reiecit eam strictam & rigorosam confessionem, non autem alteram minùs rigorosam, dicere possemus, Casu quo infirmus bona fide mitteret integram & rigorosim confessionem omnium suorum peccatorum, eamque legeret Confessarius, & veniens iam inueniret infirmum alienum à sensibus, posset illum absoluere; quia iuxta dicta illa confessio saltem haberet vim desiderij confessionis exteriùs declarati, seu confessionis minùs perfectæ: si tamen infirmus rediret deinde ad se, non posset ea confessio esto explicita valere ad absolutionem directam omnium peccatorum, ideoque talis deberet ex integro confiteri secundò omnia ea peccata. Quoad hunc effectum dici posset vtilis ea distinctio: at (vt notaui) hic effectus iam est totus extra præsentem quæstionem, in qua non agimus, An posteà sit obligatio repetendi confessionem explicitam, sed, An ea signa, quia data in absentia, valeant pro confessione. 46

Quarto ergo alij dixerunt, Ibi damnari copulatiuam proportionem: id est, quòd vtrumque fiat absenti & confessio & absolutio: per hoc tamen non damnari, quòd confessio fiat absenti, dummodo absolutio detur præsenti. Contra hanc solutionem obiicit Lugo & alij quòd ipse Clemens reiecerit eam explicationem, & sub Paulo V. die 14. Iulij anno 1605. in Congregatione Sancti Offi ij sit declaratum eam explicationem non subsistere: Et reuerà si sola copulatiua propositio ibi reiicitur, ergo, dummodò confessio fiat in præsentia Sacerdotis, licebit absenti dare absolutionem; hoc autem planè est contra Pontificis sensum. Sequela verò patet, quia etiam in eo casu non esset id quod copulatiua ea proportio significat. Vnde mirari fortè quis posset, quod post hæc omnia & Becanus de Sacramentis cap. 37. quæst. 8. & Filliucius Tomo. 2. Tractu 7. cap. 1. num. 10. Coninch & Villalobos apud Dianam resolut. 8. eam expositionem tradiderint, quam & ipse Diana videtur probabilem iudicare. *Quarta Bulla explicatio.*

SVBSECTIO SECVNDA.

Explicatur Clementis testimonium, & defenditur affirmatiua sententia.

47 *Vera explicatio, & genuinus Bullæ Clementis VIII. sensus.*

NIhilominus mihi adhuc ea responsio sano sensu intellecta videtur satis probabilis, & posse facilè responderi his quæ in contrarium obiiciuntur. Pro quo aduerto tria ibi esse; vnum est, confessionem fieri absenti; alterum, absolutionem dari absenti; tertium, vtrumque dari absenti Hoc posito dico in primis Pontificem declarasse, non licere absenti vtrumque: hoc est nimis clarum, quia non potest ea propositio sensum habere laxiorem. Secundò dico, Non ita Pontificem damnasse copulatiuam vt relinqueret diuisiuam propositionem quamlibet probabilem, id est, vt possit tam confessio fieri absenti, si detur absolutio præsenti, quàm è contrario possit dari absolutio absenti, si facta est confessio præsenti. In hoc sensu corrigo parum eam explicationem, quia reuerà non est probabile, quòd absolutio possit dari absenti; non est ergo vtraque pars desiunctiuæ seorsim sumptæ relicta probabilis. Et iuxta hanc explicationem meritò & ipse Clemens & Congregatio Sanctæ Inquisi- *Quando propositio copulatiua falsa est, vel damnata, non sequitur idem dicendum de partibus disiunctiuè sumptis sed necessariò sequitur esse veras aut non damnatas vtrasque aut alteram.*

Inquisitionis dixerunt eam explicationem non subsistere, quia dabat manifestam occasionem ad dicendum posse absolui absentem dummodò confessio facta esset in præsentia; id quod dixi falsum omnino est; per hoc tamen dico non damnari à Clemente vtramque ex illis propositionibus diuisiuè sumptam; ac proinde adhuc posse dici, licere confessionem fieri absenti. Postrò instantiam claram dixisset quis, Christus cœpit prædicare, & mortuus est anno decimo quinto Tiberij Cæsaris: profectò meritò Clemens Octauus, & quilibet alius Pontifex, Bulla aliqua damnare potuisset eam propositionem, quia de fide est Christum tribus annis minimùm prædicasse: quod si post hanc Clementis damnationem dixisset aliquis, Solùm in ea damnari copulatiuam eam propositionem, haud dubiè iurè merito & ipse Clemens & Congregatio Sanctæ Inquisitionis sub Paulo dicere potuisset, & verò debuisset, Eam explicationem non subsistere in rigore, quia si sola copulatiua ea propositio fuisset damnata ergo quælibet ex illis seorsim sumptis relicta esset probabilis; ac proinde vnus posset dicere probabiliter, Christum incepisse prædicationem anno decimo quinto Tiberij, alter etiam probabiliter dicere posset, Christum mortuum anno decimo-quinto Tiberij; hoc autem est apertè falsum, cùm sit de fide, eum mortuum minimùm decimo-octauo anno eiusdem Tiberij. Per hoc tamen, quòd eo sensu reiceretur ea explicatio de sensu copulatiuo, non sequitur vllo modo, quòd etiam vtraque illa propositio seorsim damnaretur, cùm potiùs vna illa prior sit de fide, Christum incepisse anno decimoquinto Tiberij; altera verò, mortuum eo anno decimoquinto est apertè contraria sacræ Scripturæ. Idem planè in præsenti dicèdum est, & meo iudicio ratio à priori est manifesta, quia inter hæc extrema, scilicet. *Copulatiua tantùm propositio damnatur*, & hoc, *Vtraque etiam diuisiuè damnatur*, est medium, scilicet vnam tantùm determinatam ex illis esse damnatam.

48

49

Dices id quidem verissimum esse, quia sine dubio non est idem, vtramque seorsim esse probabilem, & vnam ex illis esse probabilem; vnde tamen cùm Pontifex nihil plus dicat de vna quàm de altera: colligitur damnari illam *Absolutio fieri potest absenti*, non verò alteram, *Confessio fieri potest absenti?* Respondeo, Vi verborum damnationis nihil speciale colligi, vel etiam in eo casu de propositione illa, *Christus incepit prædicare*, &c. vi illius damnationis nisi speciale de vna potiùs quàm de altera inferri posset; per hoc tamen non excluditur, quòd minùs nos aliunde habeamus fundamenta, vnde id clarè possimus colligere. In præsenti ergo nostro casu dico, Absolutionem posse dari absenti, numquam fuisse in Ecclesia auditum, nec probabile; ac proinde iuxta eum sensum meritò dicimus, Non admisisse Pontificem, quòd vtraque pars eius copulatiuæ sit permissa seorsim, non simul; per hoc tamè non debemus negare, vnam saltem esse veram.

Vnde constet non esse damnatum à Clemente VIII hanc partem copulatiuam, Confessio fieri potest absenti.

Sententia asserens ægrum, qui absente Parocho signa doloris dedit, petuisse: quòd ita vt absolutus esse, licet iam careat sensibus, defendatur, & probatur ex Romano Rituali.

Quo posito secunda eaque communissima sententia inter omnes Auctores, exceptis paucis (de quibus paulò antè) admittit validam esse eam absolutionem præsenti datam ob confussionem factam absenti. Vide Dianam supra, vbi inuenies innumeros Auctores pro illa. Probatur autem primò hoc ipso consensu Doctorum, qui ea in re pendente à sola voluntate Christi, Sacramenti auctoris, maximam ei tribuit auctoritatem. Qua enim via meliùs de Christi voluntate possumus aliquid intelligere, si aliunde res non sit definita, quàm ex communi consensu tantorum virorum, qui re diligentissimè examinata id fortissimè defendunt? Secundò probatur efficacissimè, quia in Rituali, Pauli Quinti auctoritate & approbatione editi, etiam post illam Bullam Clementis, præcipitur toti Ecclesiæ, vt infirmus sensibus destitutus, si confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit, absoluatur. Vbi eò progressi sunt aduersæ sententiæ Auctores, vt ausi sint dicere illud Rituale nó habere auctoritatem nisi vnius Doctoris; hæc tamen est audacissima euasio, quæque vehementem dat hæreticis occasionem ad impugnandos vt omnino illicitos ritus omnes, quibus Ecclesia in Missa & administratione Sacramentorum vtitur; nam nec Missale, nec Cæremoniale grauioribus verbis Pontificum approbata sũt quàm hoc Rituale; in Bulla enim illi præfixa ait Pontifex, *Se hoc Rituale curasse edi pro Officij sui munere, vt in Sacramentorum administratione omnia seruentur iuxta Apostolicas traditiones & decreta Sanctorum Patrum, ideoque demandasse se id nonnullis Venerabilibus Fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui cum consilio eruditorum virorum, &c. hoc Rituale confecerunt.* Adduque; *In quo cùm receptos & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus suo ordine digestos & approbatos conspexerimus* (nota hoc verbum *conspexerimus*, quod maximam approbationem significat) *illud sub nomine Ritualis Romani edendum indicauimus*: & infrà: *Vt in posterum omnes tanquam Ecclesiæ Romanæ filij eiusdem Ecclesiæ omnium Matris & Magistræ auctoritate constituti in sacris functionibus vtantur, & in re tanti momenti, qua Ecclesia Catholica & ab ea approbatus vsus antiquitatis sanxit, inuiolatè seruentur.* Hæc Pontifex. Vnde post tot grauissimas eius approbationes dicere, Errore esse contra Fidem in eo Rituali, ego iudicarem ferè hæreticum; sed à censura abstraho;

50

Explicatio prima Rituali iniusta.

Secundò alij minùs improbabiliter respondent, Rituale agere de eo, qui præsente Sacerdote ipso dedit per alios signa doloris & cõfessionis. Verùm neque hæc explicatio potest sustineri. Primò, quia si præsens iam est Sacerdos, cur quæso infirmus nó ipsi Sacerdoti dat ea signa, sed aliis? Secundò, quia in Ritualibus antiquioribus Romanis, vnde ea clausula accepta est, habetur clarè noster casus verbis his: *Adstantibus infirmo debet credi, si perhibent testimonium quòd confessionem petierit.* Tertiò, quia omnes intellexerunt sensum Ritualis esse illum, de quo nunc agimus; vnde aliqui ex Aduersarijs ad Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Sanctæ Inquisitionis, vt ea clausula, vtpote contraria Decreto Clementis tolleretur, recurrerunt; decretum tamen fuit, obseruandum Rituale, & illud non fuisse contrarium Clementi Octauo.

51

Explicatio altera Rituali Romano iniusta.

Secundò principaliter probatur ea sententia; nam videtur expresè tradita olim à Conciliis & sanctis Patribus; in Arausicano Concilio I. cap. 11. & in Carthaginensi IV. cac. 63. & Eusebius Papa apud Iuonem in Decreto Par. 15. cap.

Probatur communis sententia hac ex Concilio.

cap. 3. & 15. & sanctus Leo Magnus Epistola 91. ad Theodorum idipsum affirmat: horum verba vide apud Lugo & Coninch. Quòd autem aliqui ex Auctoribus aduersæ partis respondent, In eis textibus agi solùm de absolutione ab excommunicatione, reiectum est efficaciter ab Auctoribus nostræ sententiæ: quia in eis locis duo ponuntur, & reconciliatio & absolutio pœnitentialis: reconciliatio significat absolutionem à censura, altera verò à peccatis vnde, cùm vtrumque ibi concedatur, saltem ex vno capite habemus, olim fuisse eam pœnitentiam concessam post talia signa data in absentia,

Frustranea explicationes vitiatæ.

52 Aliam responsionem Cani & Soti, quam referunt Valquez ea q. 91. art. 2. dub. 4 & Aluarez disp. 1. sect. 4. in eis textibus esse sermonem de publicis peccatoribus, qui iam priùs fuerant confessi sua peccata, & pœnitentiam implendam iam acceperant: in quo casu licet non possent Sacerdoti præsenti secundò confiteri, poterant tamen absolui; hanc inquam solutionem benè etiam reiicit Lugo & alij, quia in eis textibus ea potestas absoluendi non alligabatur illi Sacerdoti, cui antea peccatores illi fuerant confessi; sed consuetudo erat in illo articulo, vt quilibet Sacerdos absoluere posset, vt & Tridentinum insinuat Sessione 14. cap. 7. de Pœnitentiæ Sacramento. Secundò, ea responsio non cadit in Leonem; nam ea citata Epistola egit de his qui confessionem differunt ad vltimum vitæ terminum, de quibus tamen subiungit, *Quòd si eo articulo mortis pœnitentiam petant*, &c. Denique si Sacerdos confessionem illius hominis iam audierat, quid quæso fuit necessarium vt præsentes testarentur de voluntate confitendi illius infirmi? Respondebis fortè, vt constaret eum manere adhuc in ea voluntate, & se accusare de peccatis, si quæ fortè commiserat de nouo. Sed contra, quia iam hoc ipso habeo intentum; nam saltem fieret tunc confessio absenti respectu eorum peccatorum de nouo commissorum, & de perseuerantia adhuc eius voluntatis: quod si semel de nouo vno peccato id admittitur, debet & de omnibus. Constet ergo ea testimonia solidissima esse pro nostra sententia, quam & Diuus Thomas expressè defendit Opusculo 65. §. de Extrema Vnctione, vbi ait: *Si Infirmus, qui petit Vnctionem, loquelam amisit antequam veniat Sacerdos: debet Baptizari, & à peccatis absolui*: hoc est, *Si Baptismum petiit ante, debet baptizari: si pœnitentiam petiit ante, debet absolui.* Vbi ridiculè respondet Aluarez explicando D. Thom. de Absolutione, qualis solet fieri per illa verba, *Misereatur tui omnipotens*, &c. ridiculè inquam quia ad hanc necessarium non est quod infirmus anteà quidquam dixerit: deinde pro ea absolutione non est necessarius Sacerdos. Denique ibi adeò clarè agit D. Thom. de absolutione Sacramentali, vt, nisi manifestam vim inferendo verbis, non possit in alium sensum trahi.

Communem sententiam clarè docuit D. Thom. vt. pro tali ægri absolutione.

53 Circa hanc communem doctrinam primò quæri posset, An sufficiat pro ea absolutione, quòd Sacerdoti constet de voluntate infirmi nō per ipsos qui immediatè id audierunt ab infirmo, sed mediatè ab his, qui id intellexêre ab aliis. Respondeo. Omnino id sufficere, quia testimonia citata non exigunt immediatam eam auditionem: si enim semel non requiritur id immediatè ab ipso pœnitente audire, parum est, quod vno gradu aut duobus gradibus mediatè id audiatur.

Ad talē ægri absolutionem sufficiens mediata relatio.

Secundò quæritur, An sufficiat quod hoc testimonium detur Parocho extra præsentiam infirmi. De hoc dubio egi discutiendo secundam responsionem quorumdam ad Bullam Clementis, & ostendi omnino id sufficere: quia illa præsentia habet se planè impertinenter ad notitiam, quæ in Sacerdote requiritur: & ita id defendit Lugo suprà num. 85. & multi alij quos Diana citat vbi suprà.

Non est opus vt testes sint in præsentia ægri, quando eius mentem explicant Confessario.

Tertiò quæritur, An sufficiat vnicus testis. Responderur affirmatiuè, quia in re, quæ nulli adfert præiudicium, vnius testimonium sufficit ad finem faciendam. Imo addunt Auctores, non esse necessarium, quòd testis ille sit Christianus; dummodò sit talis, cui possit prudenter credi: cùm credibile sit, eum in re quæ sua non interest, non velle mentiri.

Sufficit vnus cum testis.

Quartum dubium, Vtrùm eo casu obligetur Sacerdos, etiamsi oppositam sententiam teneat, eum infirmum absoluere. Respondeo, Obligari, quia negari non potest, quin nostra sit saltem probabilis: ergo tenetur ex charitate se ei accōmodare. Addo tamen, si non formet ille absolutè iudicium de probabilitate nostra fore vt non teneatur, imò neque possit licitè id facere, quia tunc ex erronea conscientia peccaret. Certè viso tantorum Doctorum consensu & fundamentis adeo solidis pro nostra sententia, deberet esse valde excæcatus, qui eam saltem ob auctoritatem extrinsecam non iudicaret esse probabilem, & mallet infirmum æternæ damnationis periculo exponere, quàm ei sententiæ se accommodare.

Confessarius licet sentiat contrarium, tenetur tamen hanc sententiam in præsenti sequi, & absoluere talem infirmum, ei aliqua tamen limitatione.

Vltimò denique quæritur, An eo casu debeat absolui sub conditione saltem mentali: sicut baptizatur ille de quo dubitatur, an sit baptizatus. Affirmat Suarez disput. 23. sect. 1. num. 12. Vasquez verò suprà num. 1. & num. 39. negat, quem sequitur Lugo n. 90. pro se etiam citans Ioannem Sancium, quia in Rituali non monetur Sacerdos de addenda ea conditione sicut monetur circa Baptismum. Disparitatem hanc tradit, quod in Baptismo supponitur planè dubium: vnde non potest nisi sub dubio seu sub conditione dari absolutio: in nostro verò casu est probabilitas de absolutione, in casu autem probabilitatis non est necessum addere illam conditionem: vnde addit, Si dubium sit, etiam vtrùm pœnitens habeat vsum rationis, vtrùm reipsa commiserit peccatum illud, quod confitetur, debebit absolui etiam sub conditione. Quæ doctrina clara & facilis est. Et satis de materia huius Sacramenti quatenus includit confessionem.

An talis ægri absolutio debeat fieri sub conditione.

DISPVTA

DISPVTATIO XXXVII.

De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

1 QVIA confessio peccatorum, quam hucusque explicuimus, non nisi cum dolore & proposito non peccandi de cetero vtilis est ad effectum huius Sacramenti obtinendum, ideoque communiter hic dolor reducitur ad materiam huius Sacramenti, oportet antequam de illius forma disputemus, agere de his duobus actibus. In hac quidem disputatione de dolore, in sequenti verò de proposito non peccando de cætero.

SECTIO I.

Vtrùm dolor de peccatis sit pars huius Sacramenti.

Dolor de peccatis necessarius ad hoc Sacramentũ.

SEQVITVR essentialiter dolorem de peccatis (quem sub attritionis & contritionis nomine Tridentinum explicuit) ad effectum huius Sacramenti, est certissimum inter omnes Catholicos; vtrùm autem ille sit pars Sacramenti, an verò sola cõditio ad effectum illius requisita minus est certum: quidam enim censent, vti in adulti Baptismo dolor de peccatis est quidem requisitus ad gratiam, non tamen est Sacramenti pars, sed hoc totum stat sine illo dolore, ita in præsenti. Pro hac sententia refert Lugo supra Ledesmam, Vegam, Bernardum de Gannaco & *alios*, qui vlteriùs progredientes dicunt posse etiam sine dolore hominem iustificari, dummodò non habeat actualem complacentiam in peccatis; alios etiam Suarez adfert disput. 20. sect. 3. quos ex parte ibi excusat ab hac opinione. Quidquid de illis sit, certa & communis sententia Thcologorum est, dolorem esse partem intrinsecam huius Sacramenti. Ita Diuus Thomas 3. Par. quæst. 84. art. 1 ad 1. & quæst. 86. art. 6. & alibi; eum sequuntur ceteri (vt videre est apud Suar. eo citato loco;) & videtur esse clara sententia Tridentini ea Sessione 14. vbi inter partes huius Sacramenti ponit dolorem; nec potest explicari de parte solùm integrali, sicut est satisfactio, tum quia si esset solum integralis, posset dari validum hoc Sacramentum sine dolore. Vnde esto homo non iustificaretur, non teneretur tamen ea peccata secundò confiteri; hec autem est contra praxim totius Ecclesiæ; quandocumque enim constat hominem caruisse dolore, eo ipso ab omnibus obligatur ad repetendam confessionem.

Dolor est pars intrinseca Sacramenti Pœnitentiæ.

2 *Responsio.* Respondebis, Eo casu non fuisse confessionem integram, quia non dixit illud peccatum carentiæ doloris. Aliquis id reiceret; nam si non est necessarius dolor ad valorem, neque etiam erit necessaria integra peccatorum confessio, cùm hæc non videatur alia ratione posse requiri quàm vt sit dolor vniuersalis. Nihilominùs hæc replica non vrget, quia in aliis Sacramentis (vbi dolor de peccatis non est pars) est tamen ille requisitus, saltem ne frustretur Sacramentum suo effectu, ergo ex hac parte peccabit ille; ergo cùm aliunde confessio peccatorum omnium, quæ occurrunt, sit pars Sacramenti, si ille se non accusat de eo peccato, non ponit partes omnes ad hoc Sacramentum requisitas. Aliunde ergo est ea solutio reiicienda, quia esto ille per ignorantiam inuincibilem cogitaret se non peccare non habendo hunc dolorem, non propterea ab vllo excusaretur à repetenda confessione illa; ergo non ex defectu confessionis ipsius, sed ex defectu doloris reputatur ab omnibus inualida. Posset etiam secundò excusari à nouo peccato, si esto aduerteret se peccare, non tamen putaret se teneri ad confitendum hoc peccatum; ergo. Ratio, cur in hoc Sacramento sit necessarius dolor tam quam illius pars, ea est; quòd sit institutum per modum iudicij, ac proinde debeat in eo intercenire accusatio delicti, accusatio autem non est simplex narratio, sed includit dolorem & propositum emendationis ex parte rei qui accusatur. Alia etiam additur, quod hoc Sacramentum sit per modum reconciliationis Dei cum homine & hominis cum Deo; ergo debuit includere vt partem dolorem, quo homo auertitur à peccatis suis, sicut Deus auertitur ab odio in homines. Hanc congruentiam non valdè approbo; nam eodem modo Baptismus est Sacramentum reconciliationis; & tamen non requirit vt partem eum dolorem; relicta ergo ea congruentia sufficiat prior ratio.

Reiicitur.

Ratio à potiori confirmatur.

3 *Obiectio. Responsio.* Obiicies, Dolor non est quid sensibile, ergo non est pars huius Sacramenti. Respondeo negando sequelam, quia vt sit pars, non est necessarium eum in se immediatè esse sensibilem; sufficit enim si fiat sensibilis per alteram compartem; sicut in matrimonio nemo potest negare consensum internum cõtrahentium esse partem essentialem illius, & tamen ille non est sensibilis nisi per verba, quæ etiam sunt pars eius Sacramenti: & idem est in adulto de voluntate suscipiendi Ordines, Confirmationem, Baptismum, &c. nam si habeat voluntatem contrariam, certò non recipiet Sacramẽtum; illa ergo volitio susciendi, aut saltem carentia volitionis contraria est pars Sacramenti, & tamẽ est occulta in se; ergo ex eo capite non est negandum doloré esse partem intrinsecam Pœnitentiæ: & sanè si vox ipsa *Pœnitentia* consideretur, ostendit statim in ea debere jncludi pœnitudinem seu dolorem de peccatis.

An hic dolor sit pars per accidens.

Circa quod quæri solet, Vtrùm dolor hic dicendus si pars per accidens, an verò per se Sacramenti. Respondeo, Quæstionem esse de nomine suppositæ præcedenti veritate; si enim est pars essentialis, ita vt sine illa non si verum Sacramentum, procul dubio debebit dici pars per se: quid enim magis per se alicui rei quàm ipsa illius essentia? quodsi nomine partis per se intelligitur, quæ per se sit sensibilis, in hoc sensu potest dici non esse partem per se. At hoc etiam est commune tam consensui coniugum in matrimonio quàm intentioni Ministri; quæ sunt nota tantùm per aliud, & tamen ipsa etiam sunt pars essentialis & per se Sacramenti; ergo.

SECTIO

SECTIO II.

Quando debeat hic dolor existere.

4 *Sententia asserens debere præcedere.*

QVÆRIMVS, An dolor hic debeat præcedere confessionem, an sufficiat, si eam sequatur. Coninch in præsenti disput. 4. dub. 6. ait omnino debere præcedere, quia confessio facit dolorem sensibilem; si autem dolor non est quando confessio incipit, non potest per illam ostendi; ergo non sufficiet. Hanc eamdem sententiam tuetur Layman lib. 5. cap. 4. vbi vult probare Suarium verbotenus esse contra illam; Suarez tamen expressissimè & fortissimè illam reiicit: dicit enim disput. 20. sect. 4. num. 31. *Quid Suarez in hoc fillo.* *in contrarium esse praxim fidelium tam pœnitentium quàm Confessariorum, qui post absolutam peccatorum omnium confessionem solent excitari & excitare ad contritionem.* Ad argumentum verò oppositum ait, Ipsum expectare absolutionem post dicta peccata, esse ostendere dolorem. De mente ergo Suarij non potest esse dubium: Bonacina etiam de Sacramentis disp. 5. quæst. 3. puncto 2. num. 18. illam reiicit. Diana autem Tomo 2. Tractu 4. de Sacramentis resolutione 134. vtrãque referens opinionem nihil dicit quid ipse sentiat. Clariùs Fagundez, de Præceptis Ecclesiæ præcepto secundo lib 2. cap. 6. num. 10. vbi alios pro se refert, eam reiicit. Lugo autem disput. 14. sect. 4. ait eam esse extraordinariam, & habere contra se omnes alios Theologos, & praxim quam dixi ex Suario. Addit-que, Etiam quando faciunt aliqui confessionem generalem per vnam vel alteram diẽ, solere differre dolorem vsq; ad finem. His respondet Coninch, Eo casu dum pœnitentes deinde dicunt, *Doleo de his omnibus peccatis aut accuso me de illis*, repetere virtualiter totam confessionem. Hæc solutio mihi videtur grauem habere difficultatem; Primò quia (vt Lugo & alij benè notant) ordinariè nec pœnitentes sunt soliciti vt secundò dicant *Accuso me*; nec Confessarij id exigunt, sed incipiunt dare absolutionem non expectato nouo alio signo doloris. Secunda difficultas quam ego inuenio est, quòd præcedens confessio, data eâ sententia Coninch, fuisset peccaminosa per se loquendo; nam cùm sit obligatio præmittendi dolorem, alioquin fiet confessio sacrilega; profectò eo ipso qui confitetur sine illo dolore, per se peccat, nisi habeat animum dicendi postea iterùm post dolorem habitum, *Accuso me de his peccatis*; hanc autem imponere obligationem planè est contra sensum fidelium: nemo enim posuit talem obligationem post dicta peccata repetendi, *Accuso me*, &c.

Varij Auctores contra Coninh.

5 *Rejcitur Primò,*

Secundò.

Non est necesse vt dolor præcedat ipsã confessionem.

Dicendum igitur cum citatis Auctoribus, Ad valorem confessionis necessarium non esse quòd dolor præcedat confessionẽ, sed satis esse si existat ante datam absolutionem. Ad illam verò obiectionem dicimus, Esto dolor non sit prior confessione, posse fieri sensibilem per illam; potest enim intelligi per modum rei cum ipso dolore connexæ; nam (vt benè ait Lugo) qui confitetur seriò, ostendit id se facere animo obtinendi remissionem peccatorum, ideóque se habere iam aut saltem velle habere omnia necessaria ad eam remissionem; inter hæc autem necessaria vnum est dolor; ergo ostendit se illum vel habere iam, vel habiturum tempore opportuno, hoc est antequam detur absolutio.

6 *Obiectio.*

Dices; Si confessio significat dolorem præsentem vel futurum, ergo mentitur ille in confessione, qui dolorem præsentem non habeat, nec animum dolendi, sed primò illum deinde habuit. *Responsio.* Respondeo Primò, Hanc obiectionem etiam posse fieri contra hunc Auctorem; nam esto quis sine dolore dicat sua peccata, facit tamen validum Sacramentum, si illum dolorem deinde habeat, & dicat, *Accusò me de his peccatis*: rogo autem, An tunc ille fuerit mentitus in prima confessione? si non, ergo neque in nostro casu. Dicere autem illum mentitum cùm sit in re graui, est idem ac dicere, illum grauiter peccasse, ac proinde debuisset se accusare secundò de eo peccato: hoc autem planè est inauditum; ergo. Respondeo Secundò, Animum saltem implicitum dolendi necessariò habuisse eum qui seriò voluit confiteri, & sciuit dolorem esse necessarium. Tertiò posset responderi, eam confessionem non esse signum doloris per modum loquelæ, sed per modum rei connexæ: quo casu non est mendacium eam ponere sine dolore: vt qui ridet exteriùs esto interiùs doleat, non mentitur proprie.

Secunda obiectio.

Secundo obijcit Coninch; Si dolor non debet præcedere, ergo sufficeret narrare peccata Sacerdoti per modum historiæ alicuius; & interiùs dolore ad hoc vt obtineret validè absolutionem: id quod à nemine admittitur. *Responsio.* Respondeo, Id repugnare, quia Sacerdos, si non aduertit illum velle absolui, & eo animo ea peccata dicere, non potest illi dare absolutionem: nec tunc ille dolor fieret sensibilis per vllam rem: & quoad hoc ego non video maius mysterium in nostra quàm in Coninch sententia. Pone enim eumdem pœnitentem interiùs quidem habere dolorem, & ex eo oriri quod confiteatur, interim tamen mihi narrat sua peccata per modum historiæ nihil amplius dicendo: profectò nec ego possum tunc dare absolutionem, quia illam non petiit, nec mihi ostendit suum animum & dolorem. Quid enim quæso speciale, si confessio fiat exteriùs per modum narrationis, quòd interior dolor si ante vel quòd sit post confessionem: nam esto antecedat, non tamen ideò demonstratur?

7 *Tertia obiectio.*

Denique obijcitur, Quòd accusatio vera debeat esse ex odio delicti. *Responsio.* Respondeo, Omnino debere esse: at eo ipso quod vult quis confiteri animo obtinendæ veniæ, iam habet animum dolendi & odium alterum imperfectum peccati.

Consultum tamen est dolorẽ præmittere.

Illud tamen non negauerim in praxi esse valdè periculosum differre dolorem ad finem confessionis; facilè enim potest vel obliuio, vel distractio aliqua accidere, ob quam negligatur ille dolor, & fiat irritum Sacramentum: potest item contingere, vt Sacerdos etiam distractus & oblitus hortandi hominem ad eum dolorem, aut *Debet quis absolutionem necessario præcedere.* fortè nec quidem dans tempus pro illo, proferat statim verba absolutionis: id quod maximè euenire potest, quando est magnus concursus pœnitentium, & Confessarij volunt se citò expedire. Vnde omnino suadendum semper est, dolorem præmittere, quidquid sit de valore confessionis quando tantùm sequitur. Debet autem esse ante absolutionem, alioquin hæc non caderet supra accusationem, & supra hominem benè dispositum; nam concomitantia realis non sufficit, quia accusatio quà talis debet omnino præcedere sententiam; iam autem dixi confessionem

nem constitui in ratione accusationis per eum dolorem; debet etiam ea dispositio monere Iudicem ad dandam absolutionem, ergo debet esse prior. Deinde esto ea concomitantia realis sufficeret, certè cùm non sit morale pœnitenti eam agnoscere; dum enim attendit ad tempus, quo verba proferuntur, impeditur valdè à dolore, qui requirit & attentionem & conatum magnum, facilè præmitteretur absolutio, fieretque irritum Sacramentum. Esto ergo moraliter ferè semper expediens, aut certè necessarium præmittere ante confessionem eum dolorem.

SECTIO III.

An unus dolor sufficiat pro distinctis confessionibus.

Hæc est difficultas maximè à praxim necessaria, in qua quærimus. Vtrùm pro qualibet confessione sit necessarius novus dolor de peccatis. Si peccata sint nova, nullum est dubium, quia antiquus dolor non potest se ad hæc nova extendere: quæstio ergo proposita solùm habet locum, quando confessio est de iisdem peccatis. De hac ait Lugo num.25. non loqui expresse Doctores; miror tamen id dicit: etenim & Henriquez ab ipso citatus eam in terminis discutit. Item Ioannes de la Cruce, Ledesma & Diana hos duos vltimos citans Tom.1.Tract 4.de Sacramentis,resolutione 116. eam etiam discutiunt. Hos eosdem & Lugo ipse citauerat simul cum Patre Salas in manuscriptis & Patre Henriquez. Vasquez etiam quæst. 92. art.3. dubio 5. n.1. & Bonacina de Sacramentis disp 5.quæst.4 punct 4 licet contrariam sententiam teneant à præcedentibus; mouent tamen expressè quæstionem quidquid tamen de hoc sit.

Necessè erat. Petatur à Deo hæc difficultas.

9 *Prima sententia requirens nouum dolorem.*

Prima sententia requirit nouum dolorem. Ita Vasquez, Bonacinà & alij, quos refert Diana sumptis nomine; quorum fundamentum est, quia cùm dolor sit materia proxima huius Sacramenti necessum est, vt quoties Sacramentum reperitur, etiam illa materia repetatur: licet enim cum eadem materia remota (qualis est aqua respectu Baptismi) possint fieri multi Baptismi, sicut de iisdem peccatis possunt fieri multæ confessiones, non tamen cum eadem ablutione potest esse duplex Baptismus, ergo nec duplex Sacramentum confessionis cum eodem dolore. Confirmatur, quia ob eandem rationem confessio debet esse duplex; ergo. Secunda tamen sententia, quam tenent alij supra citati negat requiri nouum dolorem id quod est longè probabilius. Ante illius tamen probationem aduerto à Diana & Lugo citari pro hac sententia Ledesmam, qui tamen, iuxta verba Hispanica quæ ex illo refert Diana) non videtur planè nobis fauere. Obseruo autem maioris claritatis gratia duplicem posse esse sensum huius quæstionis; vnum An perseuerante physicè antiquo dolore possit confessio noua peccati, cuius eram oblitus, sufficere ad nouam absolutionem: & in hoc solo sensu loqui videtur ibi Ledesma; hæc enim sunt verba, quæ ex illo Diana citat: *Itaque si pœnitens iteram confitetur idem peccatum non renouando dolorem, sed perseuerans in aliquo,* &c. Vides illum exigere adhuc perseuerare antiquum dolorem; qui autem ab eo iam cessauit,

Plures de iisdem peccatis confessiones fieri possunt cum vno dolore moraliter durante. Primus sensus quæstionis.

Ledesma mens.

esto non retractauerit illum, dici non potest propriè perseuerare in dolore; est ergo minimùm dubia sibi Ledesmæ mens. Secundus ergo sensus huius quæstionis est, An esto physicè dolor non duret, sed solùm moraliter, sufficiat tamen ad valorem confessionis nouæ. *Secundus sensus.*

10 *Quid dicendum in primo sensu.*

In primo sensu iudico rem esse adeò certam, vt videatur mihi omnino improbabile requirere distinctum numero dolorem, si antiquus physicè exstitit. Cuius ratio est manifesta; nam (vt dixi fusè Tom.3. agens de actibus humanis) idem omnino est in ordine ad complacentiam diuinam, retinere duobus instantibus eumdem actum amoris v.g. ac duobus numero distinctos sibique omnino æquales, vnum vno instanti, alterum altero habere; sicut idem est me duobus instantibus per eandem numero visionem Deum videre, ac duas visiones eiusdem Dei omnino inter se similes, vnam vno instanti, alteram altero habere ergo si durat physicè eo casu dolor ille, quem antea habui, idem erit ac si ille periisset, & alius solo numero distinctus eius loco successisset. Adde, illam durationem physicam eius doloris, post obtentam primam absolutionem iam esse nouum dolorem pro secunda absolutione Confirmatur. Confirmatio. Conficio hoc in ipso Baptismo; nam si Deus vellet eadem numero vbicationes quas ego tribui huic numero aquæ dum baptizaui Petrum, reproducere eum iam baptizo Ioannem in hoc eodem spatio imaginario, & simul eadem numero actiones, quibus eas vbicationes in aqua produxi prima vice, id quod sine dubio diuinitus fieri posset; supponio enim quando alterum abluo non recipi in illo vbicationes aquæ, sed in sola ipsa aqua;) certè eo casu eadem numero esset ablutio, quæ priùs fuerat, nec tamen propterea posset dubitari, quin valide baptizaretur Ioannes: quia illa secunda existentia illius ablutionis esset perinde, ac si esset distincta numero ablutio, & idem est quoad vnctiones in eodem Petro bis in periculo mortis existente: si ergo hic ponamus durare physicè actum illum doloris, non potest esse dubium, quin sit omnino sufficiens ad secundum Sacramentum. Tota ergo difficultas reducitur ad secundum sensum, quando non manet dolor physicè, sed solùm moraliter; hoc est, fuit, & adhuc non est retractatus, & ex memoria illius vult homo hic & nunc secundò confiteri.

In secundo sensu maximè tractanda quæstio.

11 *Vt concretum dicatur nouum, non est opus vt omnes eius partes sint nouæ.*

In hoc ergo sensu nos eam secundam sententiam defendimus, quæ probatur Primò, quia ad hoc, vt sit nouum Sacramentum, non requiritur, vt omnes partes illius sint nouæ; nam in Eucharistia Christus, qui est pars Sacramenti, semper est idem. Hæc ratio est optima ad probandum, vt dixi, non esse necessarium omnes partes esse distinctas. At cùm Christus etiam sit physicè actu præsens in secunda hostia, sicut in prima, potiùs videtur hæc instantia esse pro præcedenti resolutione quàm pro hac secunda; debet ergo ei instantiæ aliquid addi, scilicet necessarium non esse in Sacramentis omnes eius partes physicè existere, quando illa perficiuntur; vt patet in hoc ipso Sacramento Pœnitentiæ, & independenter à quæstione præsenti: non enim requiritur, vt quando datur absolutio, debeat existere physicè actu ipsa confessio, sufficit enim si moraliter censeatur manere, vt quando post hesternam confessionem hodie datur absolutio: De ipso etiam dolore idem clarè patet; potest enim quis petere absolutionem, & confiteri sua

Sacramentum non requirit semper omnes partes physicè existentes.

peccata,& tamen ante obtentam absolutionem vsum rationis amittere, absolutionem autem diu post validè suscipere vi præcedentis doloris & confessionis;quæ licet physicè actu non durent, moraliter tamen durant. ergo si aliunde non est necessum vt ad nouum Sacramentum sint de nouo omnes partes, poterit idem dolor etiam non existens physicè informare eam secundam confessionem pro secunda absolutione.

Confirmatio ex satisfactione disquiritur.

Hoc idem confirmari potest ex satisfactione, quæ esto sit pars integralis Sacramenti, potest eadem numero deseruire pro duplici absolutione;nam si imponitur pœnitenti pro satisfactione ieiunium crastinum,& immediatè post recordatus alterius leuis peccati illud mihi confiteatur, possum secundò illi in satisfactionem imponere illud idem ieiunium; quandoquidem possunt in satisfactionem imponi etiam opera ad quæ alias homo tenebatur. Hanc tamen confirmationem ego omitto; Primò, quia fortasse in ea habebunt Aduersarij eamdem difficultatem quam in dolore. Secundò, quia cùm satisfactio non sit pars essentialis Sacramenti,non est tantum mysterium in eo quòd illa non sit distincta,

12 quantum in partibus essentialibus. Hanc doctrinam non solùm intelligo, quando homo oblitus alicuius peccati illud posteà confitetur, & vi prioris doloris absoluitur (vt docet Henriquez suprà)sed etiam quando repetit eadem peccata, à quibus anteà fuerat quis absolutus directè: quod vltimum idem Henriquez negauit; benè autem Cardinalis Lugo ostendit illum in hoc puncto non fuisse consequenter locutum,quia si dolor ille antiquus non manet, parum est quòd peccatum illud iam fuerit pœnitens confessus: semper enim ea ratio videtur obstare quòd cùm dolor sit materia proxima confessionis, debeat esse nouus pro nouo Sacramento, huic autem non satisfit magis in vno casu, quàm in altero.

Henriquez inconsequenter locutus.

Responsio Henriquez.

Respondet Henriquez, quando noua confessio est de peccato nondum(in confessione dicto tũc dolor,qui per illam declaratur est saltem virtualiter distinctus ab eo qui fuerat anteà; nam primus solùm se extendebat ad peccata, quæ tunc sunt dicta, non autem ad hoc quod de nouo quis confitetur;in altero autem casu nec quidem virtualiter est diuersus. Hanc solutionem impugnat Lugo num. 33. quia ad valorem huius Sacramenti requiritur dolor vniuersalis.ergo dolor ille etiam vt ex se extendebat ad illud peccatum, quod excidit ex memoria, fuit requisitus pro valore. Hæc impugnatio in meis principiis negantibus Sacramentum validum & informe potest optimè adhiberi at iuxta Cardinalem non habet locum:vnde miror quòd eam posuerit vt absolutè efficacem,&quidem (vt ait ibi) iuxta sua principia sect. 5. tradenda: quandoquidem ait dolorem putè putè se extendentem ad peccata dicta in confessione sufficere pro valore Sacramenti.Quidquid verò de hoc sit,eam optimè

13 Secundò impugnat, quia ille dolor in tantum terminabatur ad omnia peccata,de quibus contetur pœnitens, in quantum habebat pro motiuo aliquid vniuersale extendens se ad omnia peccata, v.g.vel fugam inferni,vel spem gloriæ: ergo necessum est vt ille dolor secundum totam suam vniuersalitatem, & prout se extendebat ad peccatum,cuius homo est oblitus,fuerit dispositio pro præcedenti absolutione Nec potest Henriquez dicere, illum dolorem fuisse ex motiuo speciali: hoc enim probaret euidenter, illum dolorem non sufficere pro peccato sequenti,quia non extendebatur ad illud; & nunc manifestissimè deberet interuenire alius nouus dolor etiam physicè & specie diuersus. Secundò ego impugno eam solutionem clarissimè, quia negari non potest,quòd,esto per contritionem rigorosam ille homo se disposuisset ad cõfessionem illam, adhuc vi eius doloris n llum nouum repetendo, posset peccatum illud nouæ subiicere absolutioni, quod adeò verum est, vt esto ad omnem confessionem Christus requisiuisset contritionem rigorosam (vt aliqui dixerunt (potuisset ille eodem modo non repetendo nouam contritionem dicere illud peccatum, cuius fuerat oblitus. Vnde euidenter argumentor:Contritio essentialiter se extendit ad omnia peccata, etiam ad illud de quo agimus; & illa fuerat per confessionem ostensa: ergo posteà dum quis confitetur peccatum nouum, nullum prorsus dolorem nouum aut magis se extendentem ostendit; & tamen validè petit nouam absolutionem ab eo peccato;ergo non potest consequenter in vno aliter discurri quam in altero.

Impugnatio Lugo retinitur.

Melior secundo eumdem impugnatio.

Iam oportet respondere ad argumentum oppositum,& quidem non debere pro quolibet nouo Sacramento nouas partes intrinsecas concurrere ostendimus ex instantia Eucharistiæ: nouam nunc addo, supponendo in matrimonio corpora contrahentium esse materiam proximam iuxta quorumdam sententiam, quæ vt vera pro præsenti quæstione admitti debet;certè in eo Sacramento idem homo, qui fuit materia pro vno matrimonio cum Ioanna, potest esse pro secundo & tertio, &c. cum Francisca, cum Maria, imò cum eadem Ioanna, si dissolutum illud fuisset per ingressum in Religionem,& postea Pontifex dispensasset in votis solemnibus,vt possent secundò contrahere Non est ergo ex hoc capite vlla difficultas.Sola illa illa replica, quòd etiam videretur sufficere eadem omnino confessio ad diuersas absolutiones, videtur adhuc vrgere.Respondeo tamen cum Cardinali Lugo negando consequentiam, quia hoc Sacramentum est per modum indicij,quod non potest exerceri secundò absque noua confessione; quia postquam sententia valida prolata est in causa aliqua à Iudice,non potest iterùm proferri noua sententia, nisi fiat noua accusatio & nouus processus, quia iam est functus suo munere Iudex. Vt autem ponatur noua accusatio, non est necessarius nouus dolor;sufficit enim noua confessio, quæ esto in ratione accusationis includat seu significet dolorem, non est tamen necessum dolorem esse nouum, quia confessio dicit per modum subiecti & in recto ipsam externam locutionem, in obliquo autem & per modum formæ ipsum dolorem; concretum autem absolutè dicitur nouum & multiplicari ex multiplicatione subiecti, vt duo subiecta cum eadem albedine dici possunt duo alba, vti si nouum subiectum accipiat albedinem esto non nouam,dicitur tamen nouum album,vt vniuersaliter de omnibus concretis diximus in Philosophia, Tomo 1. Theologico & alibi.

14 *Solumnatur dubitationes.*

Instantia ex Sacramento Matrimonij.

Vna confessio cur non sufficiat ad duas absolutiones.

Obicies tamen adhuc; Ergo posset aliquis initio anni habere dolorem de aliquibus peccatis,& in virtute illius doloris non renouari confiteri singulis diebus toto anno eadem peccata; quod videtur absurdum. Respondeo, Ex repetitione confessionis id non esse magis absurdum quàm si non nisi semel, post habitum tamen dum

15 *Obiectio.*

Solutio.

dolorem,

dolorem, confiteretur v.g. aliquis petit confessionem, & immediatè redditur extra sensum, duratque in eo morbo multis hebdomadis nulla vmquam dando rationis signa, poteritne ille absolui à Sacerdote primo superueniente post duos menses nécne: si potest, & hoc non reputatur absurdum, esto ille dolor iam fuerit ante duos vel tres menses, eodem modo ego dicam id posse fieri, etiamsi per duos illos menses fuisset sibi præsens, & confessiones multiplicasset: quia si ad antiquitatem doloris attendamus, non habet maiorē aut minorē ex eo quòd fuerint interpositæ confessiones: neque redditur inde magis aut minus informans confessiones sequentes: ergo: si autem etiam quoad vnicam absolutionem requiratur, ne dolor ille nimis diu præcesserit, idem potest in præsenti quoad secundam & tertiam confessionem dici: ergo ex hoc capite non est vlla specialis difficultas contra nos.

Differentia quoad hoc inter Baptismū & Pœnitentiam

Absolute autem ego iudicarem per accidens omnino se habere in hoc puncto moralem temporis: nam licet in aliis Sacramentis requiratur coniunctio aliqua inter formam & materiā, quia ipsa forma significat quasi de præsenti materiam; vt cùm dico, *Ego te Baptizo*: non enim id verè dicitur de præsenti, si baptizatio ipsa fuit etiam heri: idem in Confirmatione, Ordine, &c. At in Sacramento Pœnitentiæ absolutio nihil penitus dicit de præsentia actuali confessionis & doloris, sed solùm. *Absolvo te à peccatis tuis*; subintelligitur autem, quæ confessus est; vtrùm verò confessio illa sit præsens nécne, non dicit vllo modo ea forma: & sanè cùm in iudiciis omnibus sæpè sententia differatur diu post accusationem, & post processum factam, nec constet Christum in hoc puncto quidquam mutasse in hoc Sacramento: non video cur ea longa præcessio impediat, nisi fortè, quia possunt interponi peccata aliqua grauia, quæ moralem illam doloris durationem interrumpant. De hoc autem inconuenienti testis erit ipse pœnitens, qui scire optimè poterit, an ea peccata commiserit nécne: si enim committit, tenebitur sine dubio dolorem renouare; si non committit, habebit locum totus noster discursus.

Dolor potest fat longo tempore præcedere absolutionem.

SECTIO IV.

Vtrùm dolor de peccatis ad confessionem necessarius debeat ex confessionis intentione oriri.

16 *Ratio dubitandi.*

DVBIVM hoc benè discutit Lugo ea disp. 14 a num. 36. ad 50. Tota autem difficultas oritur eo quòd dolor sit materia proxima Sacramenti; vnde videtur necessarium eum procedere ex animo suscipiendi Sacramentum: qui enim ablueret infantem sine animo illum baptizandi, & deinde concepta intentione proferret formam supra illum, non baptizaret validè; ergo requiritur voluntas antecedens conficiendi Sacramentum; ex alia verò parte neque ex Concilio, neque ex natura ipsa iudicij ostendi potest id esse necessarium: ergo.

Sententia Suarez.

Pater Suarez disp. 20. sect. 4. num. 29. disputans, quo pacto dolor possit antecedere aut comitari confessionem, ait esse necessarium, vt talis dolor internus ex intentione ipsius pœnitentis siue formali siue virtuali ad confessionem referatur; quibus verbis satis apertè insinuat eum dolorem debere fieri ex animo vel explicito vel virtuali confessionis; quia tamen subinngit statim seipsum declarans, Id posse tribus modis saluari sufficienter, vel quoties quis ea peccata recogitat & de eis dolet in ordine ad confessionem; vel quando præbet signum sui doloris in ordine ad absolutionem; vel quoties quis cum expresso confitendi proposito dolet de peccatis; quia inquam ita se explicat, & in secūdo modo nihil aliud requirit, quàm quod dolorem manifestet extenùs cum ordine ad absolutionem; ita corrigit priorem sententiam, vt planè sit in ea quam trademus statim vt benè Lugo notauit. Ego obiter addo, Patrem Suarez ibi tres modos eius relationis doloris ad confessionem posuisse, qui reipsa non videntur esse nisi duo; in primo etenim dicit: Quando quis cogitat vt ea confiteatur; tertius autem est, Quando cum expresso animo confitendi de eis dolet: hi autem duo modi non differunt inter se, quia si in primo est animus confitendi, iam recidit in tertium casum: quia cogitare vt ea confiteatur, & habere animum ea confitendi, idem est. Quidquid tamen de hoc puncto sit,

17 *Non est opus vt dolor de peccatis oriatur ex intentione confitendi.*

Certa sententia docet, non esse necessariam eam intentionem, sed posse quem, non cogitando de confessione, dolere de suis peccatis, & ex eo dolore concipere animum confitendi. Imò hic modus magis est connaturalis, quam si è contrario ex animo confitendi doleat: etenim propterea quis vult confiteri, quia dolet se peccasse; dispicentia enim in peccatis debet ordo ille actuum Primò procedere, vti infirmus non dolet de morbo ex affectu medicinæ, sed ex dolore morbi & ex dispicentia in illo vult procurare medicinam, vt sit priùs natura dolere, & deinde velle adhibere medicinam: & ita in humanis iudiciis contingit: qui enim alium accusat, id facit, quia displicet illi scelus alienum, & inde mouetur ad illud deferendum ad Iudicem, vt castigetur. Probatur deinde hoc ipsum: nam iuxta Tridentinum attritio, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ in Sacramento, ad Dei gratiam obtinendam disponit: neque aliud ex parte attritionis Concilium requirit. In his autem nihil penitus dicitur, quod ex confessionis proposito debeat dolor ille procedere: cur ergo nos id requiremus?

Probatur Primò,

Secundò,

Iam ad argumentum oppositum, quòd ex intentione præuia Sacramenti sint eius partes ponendæ, in quo fusus est suprà Lugo: atque non esse necessum vt partes proximæ Sacramenti omnes fiant ex intentione conficiendi Sacramenti: vt patet in speciebus Sacramentalibus, quæ sunt pars Eucharistiæ, non tamen fiunt animo Sacramenti: nam in pane ordinario potest validè fieri consecratio. Secundam ego addo ex eodem Sacramento instantiam, scilicet in ipso Christi corpore, quod haud dubiè est partialis pars proxima eiusdem Sacramenti, non solùm ratione vbicationis, sed maximè ratione sui, & tamen iuxta probabilem sententiam (quæ licet fortè vera non sit, non tamen ex hoc capite, sed aliunde reiicitur) ipsa substantia Christi non producitur à consecrante: ergo ad rationem Sacramenti non est necessum, vt omnes partes illius in se & quoad substantiam producantur animo conficiendi Sacramentum: ergo idem nos possumus dicere de dolore. Differentiam autem inter aliquas partes & absolutionē eam assignat hic Auctor, quòd suscipiens Sacramentum non

Respondetur argumento oppositio.

operarut proptiè nomine Christi, seu animo conficiendi Sacramentum: confirmat ex satisfactione Sacramentali, quæ (iuxta probabilem sententiam) potest valide expleri, licet homo sit omnino immemor sibi esse impositá illam pœnitentiam, si tamen faciat actionem re ipsa sibi impositam: ea autem satisfactio est etiam pars Sacramenti, ergo.

18 *Obiectio.* Obiicit in contrarium sibi; nam qui ordinatur non est minister Sacramenti, & tamen debet habere intentionem Sacramenti; nam si sine ea tangat calicem aut patenam, non ordinabitur; ergo etiam ex parte suscipientis requiritur ea intentio. *Solutio.* Respondet, Illum contactum ordinandi complere materiam quæ applicatur à Ministro: hic enim per traditionem conficit illud Sacramentum Ordinis; traditio autem includit acceptationem alterius. In confessione etiam requiritur aliqua intentio, id est, vt confiteatur Iudici vt tali; non enim sufficit ea peccata purè narrando dicere; ac proinde confessio etiam debet oriri ex intentione suscipiendi Sacramentum; at in dolore id non est necessarium.

Replica. Replicabis; Infanti potest conferri validè Ordo sine vlla acceptatione ex parte ipsius; ergo in adulto non ideò est necessaria ea intentio dum tangit calicem, quia per suam acceptationem compleat materiam quæ applicatur à Ministro. Respondet enim Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 6. num. 15. & 27. eam acceptationem requiri in adulto, non in traditione quæ fit infanti; & quoad hoc esse eamdem rationem de voluntate suscipiendi Sacramentum: hæc enim requiritur in adulto baptizando, confirmando, &c. non tamen in infante. Hæc autem intentio suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ satis est, si sit cùm confessionem inchoat; quia per hanc maximè consecratur exteriùs, quod proprium est Sacramenti, non est autem necesse vt illam intentionem habeat quando dolorem concipit. Verùm adhuc contra hoc replicabitur; nam si ea præcisè ratione intentio requiritur vt suscipiat effectum Sacramenti sufficiet illam habere in fine absolutionis quando perficitur Sacramentum, sicut in matrimonio sufficit, si quando alter coniux vltimò profert verba, prior habeat intentionem seriam contrahendi, esto eam fortè non habuerit dum ipse primò protulit ea verba: vt verò maiorem adhuc vim habeat obiectio (ne quis dicat etiam eo casu non fuisse validum matrimonium) ponamus virum dicere illa verba, *Ego te accipio in meam*, fœminam verò nihil de matrimonio cogitasse nisi quando vir protulit vltimam syllabam, & tunc acceptando respondisse, *Ego quoque*; certè tunc validum erit Sacramentum; ergo non est necesse vt intentio sit ante confessionem, sed sufficiet circa finem absolutionis. *Responsio.* Respondetur negando consequentiam, quia matrimonium, eo ipsò quòd pro materia proxima habeat contractũ, pro contractu verò sufficiãt verba vel nutus moraliter permanentia, etiam si iam physicè præterierint, sufficit quòd adhuc prior coniux sua priora verba non retractet ad hoc, vt censeantur adhuc permanere, ac si physicè tunc proferrentur de nouo. At in aliis Sacramentis verba non censẽtur moraliter manere in ordine ad eam approbationem vnde ille qui, dum Sacerdos dicit, *Ego te baptizo in nomine*, &c. haberet animum non suscipiendi Baptismum, quantumuis illum mutaret dum dicitur *& Spiritus sancti*, non accepisset verum Sacramentum; quia oportet, vt sicut Minister totam formam dicit sub intentione faciẽdi quod facit Ecclesia, ita illam etiam formam præcedat ex parte suscipientis intentio. Deinde quoad confessionem ipsam, iam dixi illam esse accusationem, non historicam narrationem, ac proinde debere informari dolore & animo deferendi peccata Iudici; ad hoc autem debet cùm primùm ea incipit narrare, habere animum obtinendæ absolutionis, aut si ab initio non habuit, vno saltem verbo circa finem eam confessionem repetere; ndn est ergo cur eã intentio debeat præcedere dolorem. Secundò fortasse breviùs posset responderi, Omnem dolorem de peccatis esse implicitum propositum confessionis, & quidem si peccata sint mortalia nondum per confessionem remissa, res est clarissima; quia cùm dolor ille sit desiderium obtinendæ remissionis, seu liberationis ab illis peccatis, & ad hanc liberationem sit necessaria cõfessio iam implicitè, ibi includitur propositum confessionis.

20 *Quãdo debeat esse intentio suscipiẽdi Sacramẽtũ Pœnitentiæ.*

Deinde, si peccata sint venialia aũt mortalia iam in confessione remissa, respectu quorum non est absolutè necessaria noua confessio, adhuc tamen ille dolor videtur esse implicitum desiderium habendæ nouæ & certioris remissionis, seu maioris de illa securitatis, ad quam confessio illa secunda est validè vtilis, ideò potest iure dici in eo dolore includi aliquod propositum confessionis vti omnis displicentia in morbo aliquo est implicitè voluntas applicandi remedium tutius, & quod facilè potest ab ipso infirmo applicari.

SECTIO V.

An ad valorem confessionis sufficiat dolor reflexus de carentia doloris; vbi de dolore pro confessione venialium.

21 *Sententia negans.* HAEVS circa hunc dolorem vtrũ specialiter potest in dubium, An si quis doleret se nõ posse, seu non habere dolorem de peccatis, quem etiam re ipsa non haberet, sufficeret tamen id ad accedendum ad confessionem. Hurtadus disp. 6. difficultate 4: Vasquez & Filliucius negant illum sufficere, quia dolere quòd non habeatur dolor, non est habere dolorem; vti dolere quòd Deum super omnia non amet, non est illum amare: Concilium autem dolorem verum requirit. Confirmari id potest; Nam si quis hodie v.g. dicat, volo cras dolere de peccatis ac confiteri, profectò etiam illa volitio dici queat implicitè continere dolorem, omnino tamen est insufficiens ad Sacramentum, nisi posteà habeat ille verum & proprium dolorem. Secundò id confirmo; Nam si eiusmodi reflexæ continentiæ doloris de peccato in reflexo dolore de eius cãrentia sufficerent ad Sacramentum, etiam deberet iudicari sufficiens alius tertius actus reflexus supra secundum, Doleo quòd non habeam dolorem de carentia doloris, & sic quasi in infinitum possemus per hos reflexos actus ascendere: id quod plane videtur absurdum.

22 *Dolor de carentia doloris de peccato moraliter loquẽdo est sufficiẽs pro Sacramẽto Pœnitentiæ* Iudico, si rem speculatiuè consideremus, omnino ita esse, quia renerà ille reflexus dolor de carentia doloris non est dolor de peccatis. Nihilominùs tamen addo, vix posse moraliter contingere quòd aliquis habeat verum dolorem de

ea carentia, & simul non habeat aliquem dolorem de ipsis peccatis;ac proinde putarem id fore sufficiens pro Sacramento; & verò in simili casu sanctum Bernardum absoluisse quendam refertur in Vita ipsius. Pro explicatione autem huius nostræ sententiæ aduerto dolorem de carentia doloris esse voluntatem habendi dolorẽ & quidem, quantum est ex se,efficacem ; licet, ille homo ob aliquam specialem dispositionem, vt sic dicam , corporis aut phantasiæ non putet sibi possibile hic & nunc elicere eum dolorem expressum,de cuius carentia dolet.Suppono vlteriùs , vix posse fieri vt aliquis habere velit dolorem de re aliqua,nisi illam apprehendat vt malam ; nam vt bona nemo dolet. Inde vlteriùs infero, Vix esse morale non sequi tunc in tali homine aliquam displicentiam in re illa,seu illis peccatis. Hinc colligo , si prior ille dolor ex se sit efficax,talem fore vt non admittat vllo modo peccatum: quomodo enim peccabit ille qui seriò & efficaciter ex se saltem mediatè displicet sibi in peccatis,& qui cupit efficaciter illa detestari?hoc autem iuxta Tridentinum videtur sufficere ad hoc Sacramentum:non enim requirit aliud quàm dolorem talem qui excludat voluntatem peccandi de cætero;iam autem ostendimus in eo casu etsi expressus dolor seu displicentia de peccatis sit valde remissa,reflexum tamen illum dolorem esse talem vt non patiatur secum peccatum(vt dixi,)ergo ille homo tunc est sufficienter dispositus ad gratiam cum Sacramento. Suppono aliunde illum dolorem reflexum esse supernaturalem, ideoque ex eo capite esse sufficientem dispositionem ad gratiam iuxta ea quæ vniuersaliter alibi tradidimus de supernaturalitate actuum in iustificatione intereuenientium.

23 *Responsio ad obiecta.*

Hinc facilè respondetur ad ea quæ obiiciebantur : ad primum ; quod ille dolor reflexus non sit propriè dolor de peccatis , iam est dictum , quomodo habeat saltem annexum aliquem dolorem licet remissum , ratione cuius satisfit his quæ requirit Tridentinum , adiuncta simul efficacia eius reflexi doloris excludentis (vt ostendi)peccatum.Ad primam confirmationem de eo qui hodie dicat , *Volo cras dolere de peccatis*, quique non est propterea sufficienter dispositus, nisi habeat alium actum doloris, dicimus, si illa volitio sit supernaturalis & efficax,vix posse sine aliquo dolore de peccatis habere,ac proinde illam probabiliter etiam sufficere.Respondeo Secundò negando consequentiam ex illa ad dolorem de quo agimus ; quia voluntas illa quæ obiectum suum respicit per modum amoris non considerat directè tam malitiam peccati quàm vtilitatem confessionis;ac proinde adhuc non includit displicentiam in peccatis , nisi valdè imperfectè. At ille serius dolor (de quo agimus modò) qui obiectum suum respicit per modum displicentiæ & fugæ, necessariò considerat malum:non potest autem considerare malum eius carentiæ , nisi iuxta dicta apprehendendo satis fortiter , & efficaciter malitiam peccatorũ quæ eum dolorem exigunt; ac proinde moraliter semper habet adiunctum proximè & immediatè aliquem dolorem. Responderi Tertiò potest , Propositum illud consi-

Non item voluntas de eliciendo cras v.g dolore præcisè in se spectata.

Respondeo.

tendi cras non includere de præsenti vllũ dolorem de peccatis, imò stare optimè cum proposito nunc peccandi;passim enim dũ homines peccant , habere propositum serium deinde confitendi;ergo illud propositum non potest valere pro dolore ad crast nam confessionem necessario. Ratio vlterior est , quia de præsenti nihil vult:pro futuro verò tempore nihil potest inferre,nisi in illo existat;si autem de præsenti durauerit cras illud propositum,& fuerit tam efficax quàm dolor à nobis assignatus, omnino dicemus illud esse omnino sufficiens, non quatenus hodie,sed quatenus cras existet.

Neque huic rationi obest quod suprà dixerimus non esse necessarium , vt ipso momento confessionis duret dolor ; vnde dicere aliquis posset illud propositum , esto iam non duret physicè,posse sufficere,si tamen includat dolorem : hoc inquam non obest , quia intelligi id debet de actu qui sit verus dolor. Hoc autem propositum non est verus dolor pro illo instanti quo existit,quia pro illo nihil omnino vult;pro instanti autem quod respicit vt obiectum , non potest esse dolor,nisi in eo existat : ergo si non supponamus eum hodie actu durare,non possumus dicere, Vi durationis solitæ hodie eum esse implicitum dolorem,multò minus explicitum:ergo neque heri fuit dolor,neque hodie est : nullo ergo modo sufficit. Nos autem loquimur de eo dolore reflexo , qui de præsenti carentia doloris circa peccatum sumitur , ac proinde etiam de præsenti infert,aut certè habet annexum dolorem, vt explicatum est à nobis , ideoque excludit necessariò de præsenti dein voluntatem peccandi:quid ergo mirum si sufficiat ?

Secunda confirmatio de eo processu in infinito non habet vllam vim:Primò, quia si ille tertius reflexus actus habeat alias conditiones(quas diximus habere eum secundum) eodem modo discurrerem,eumque sufficientem dicerem. Secundò respondeo , Vix esse possibile talem hominem non habere dolorem immediatum de carentia doloris, habere tamen mediatum:cùm enim tota quanta malitia quæ reperitur in carentia eius secundi doloris reflexi,reperiatur, & verò cum maiori titulo in carentia ipsa immediata doloris:profectò si homo ille non nugetur tunc,sed seriò doleat , tam facilè poterit habere hunc actum,*Doleo quod non habeam dolorem de peccatis* , quàm illum alterum , *Doleo quòd non habeam dolorem de ea carentia doloris.*Ac proinde casus ille videtur omnino impossibilis, ideóque nihil inferri ex illo potest contra nostrum intentum : adhuc ergo est valde probabile in nostro casu eum hominem esse ad Sacramentum hoc recipiendum fructuosè sufficienter dispositum Quæ hucusque diximus de doloris necessitate intelligenda etiam sunt eodem modo quoad venialia,quæ tamquam materia confessionis dicuntur:nam & hæc non remittuntur sine dolore,Vtrùm autem hic dolor debeat esse efficax omnino,an sufficiat simplex displicentia,explicabitur disputatione sequenti:quia ea efficacia maximè videtur pertinere ad propositum efficax non ampliùs illa committendi : de hoc autem propo sito agemus sequenti disputatione.

Eadem de dolore de venialibus.

DISPVTATIO XXXVIII.

An requiratur ad confessionem propositum non peccandi de cetero : vbi de obligatione vitandi occasionem peccati.

SECTIO I.

Quid circa propositum non peccandi.

1 CONCILIVM Tridentinum Sessione 14. cap. 4. sic loquitur : *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis ; actum habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Propter hæc vltima verba fuit aliquorum sententia omnino esse necessarium expressum & distinctum propositum non peccandi præter dolorem de commissis. Ita Ioannes Medina codice de Cõfessione, quæstione de confessione ficta iteranda, & Toletus lib. 3. Summæ cap. 4. §. *Quinta est.* E contrario alij id negant, Vt illi qui nec quidem dolorem dicunt esse necessarium ad hoc Sacramentum ; de quibus Suarez ea disp. 20. sect. 3. num. 7. & quoad propositum emendationis expressè Sotus apud eumdem Suarium sect. 4. num. 32. Verùm hi vltimi nimis clarè opponuntur vèrbis Tridentini iam citatis. Est ergo media sententia, quæ dicit necessarium esse propositum, non tamen formale & expressum, sed sufficere virtuale ; quale includitur in attritione aut contritione, quæ est dispositio ad gratiam, & qui est dolor de peccatis. Et quidem non esse necessarium distinctum dolorem videtur ex citatis Tridentini verbis colligi: in illis enim ipsa contritio dicitur esse dolor & propositum. Vnde si vno actu indiuisibili quis & doleat de peccatis, & simul proponat non peccare, certo certius est, illum actum fore sufficientem: nec plus exigunt qui formalem dolorem requirunt. Difficultas ergo est, quando actus doloris præcisè fugit peccata ob malitiam, nihil verò de futuro dicit: & in hoc sensu loquitur hæc tertia sententia, quæ est Suarij suprà Lugo sect. 1. & Recentiorum communiter : vbi, antequam eam probem, ne certa cum incertis confundamus, & ne eamdem difficultatem discutiamus bis, obserno, in præsenti materia posse nos agere vel supponendo sententiam Suarij & Lugo, quòd possit dari Sacramentum validum & informe, vel in sententia contraria, quam nos Tomo 7. defendimus vt probabiliorem. Si loquamur in sententia Suarij & Lugo, fatendum est, non quemcumque dolorem de præterit is peccatis sufficere, quia iuxta eam sententiam non quicumque dolor de præteritis est propositum non peccandi de futuro: vidimus enim eo Tomo 7. Cardinalem ex hoc capite docere, posse esse dolorem de peccatis omnibus qnæ homo confitetur ex speciali eorum malitia, quæ non reperiatur in peccatis futuris; ac proinde non omnis dolor erit propositum, vti neque è contrario omne propositum est dolor ; iuxta Tridentinum autem debet esse propositum ; ergo tunc debebit esse expressum & planè distinctum ab ipso dolore. Solùm ergo iuxta ea principia habebit locum nostra conclusio, si motiuum eius doloris extenderit se non solùm ad peccata quæ confitetur, sed fuerit vniuersale, omnia omnino peccata complectens. Quo casu in omnium sententia esto inuincibiliter fuerit oblitus aliquorum peccatorum, omnia tamen remittentur; & in eo casu includitur ibi, vt diximus, implicitè propositum non peccandi de cetero ; vtrùm autem illa sententia vera sit nécne, non est nunc disputandum.

Quorundam sententia.

Contraria sententia.

2 *In quo sit posita difficultas.*

Varius sensus quæstionis.

Quid in sententia Suarij & Lugo :

3 Quòd si loquamur supponendo nostram, quòd vel dolor pro valore Sacramenti requisitus debeat habere motiuum vniuersale, quod etiam se extendat ad peccata non occurrentia memoriæ & ad futura, vel quia (vt eo loco diximus) illud propositum non peccandi de cetero debeat habere motiuum vniuersale extendens se etiam ad præterita; vnde diximus, illud idem propositum esse dolorem de præteritis. Facilè probatur nostra & communis conclusio, quia qui efficaciter dolet se aliquid admisisse ob motiuum generale ad præterita & futura, sine dubio omnia detestatur saltem implicitè, si detestatur; ergo habet animum ea non committendi de cetero. Vnde eodem citato capite Tridentinum, agens in specie de attritione ex metu gehennæ, *ait illam, si voluntatem peccandi excludat, cum spe venia sufficere ad iustificationem :* vbi non videtur vllo modo requisiuisse expressum propositum non peccandi, sed quod attritio talis si naturæ vt non admittat animum peccandi ; eò autem ipso quòd ob motiuum vniuersale detestatur præterita peccata, iam diximus excludere omnem affectum ad illa; hoc autem est includere virtualiter propositum ea non admittendi.

Quid in mr. stris.

Obiicit.

Contra hæc obiici Primò potest Concilium ipsum Tridentinum damnans eo ipso capite 4. illos qui dicunt contritionem solùm includere cessationem à peccatis & vitæ nouæ propositum; malè ergo diximus nos, Illud propositum generale non peccandi ob motiuum vniuersale esse sufficiens ad hoc Sacramentum. Lugo quidem huic obiectioni responderet, Non omne propositum vitæ nouæ includere olim præcedentium, vt in exemplo quod ipse affert de sene, qui facilè proponit castam vitam in futurum, licet illi non displiceat lasciuia suæ iuuentutis vnde addit, necessarium esse dolorem. Ego tamen hanc instantiam eo citato loco reieci, quia ibi reuerà solùm est propositum non lasciuiendi, quia non potest: si enim vires & vigorem iuuenturis reciperet vi eius proposiri, nec in minimo se emendaret ille in futurum. Quidquid ergo de hoc puncto sit, respondeo, A nobis illud solum propositum de futuro admitti vt sufficiens, quod fundetur in detestatione peccati ; id est, quòd ideò proponit se numquam ampliùs admissurum ea peccata, quia ea vt mala odio habet, nec ob alias præcisè rationes extrinsecas proponit illa non facere, quo sensu è contrario dicimus omnem dolorem sub motiuo vniuersali esse sufficiens propositum non peccandi in futurum, prout à Tridentino requiritur ; nam licet ponat illud verbum ; *Cum proposito non peccandi de cetero* (vt in obiectione diximus) debet tamen id intelligi prout ipsum Concilium agens de attritione se explicat (iuxta paulò antè dicta;) quòd scilicet talis sit ille dolor, vt excludat propositum peccandi in futurum, seu, vt

4 *Responsio.*

Dolor de peccatis ex motiuo vniuersali est etiam propositum non peccandi de cetero.

huiusmodi

huiusmodi propositum non admittat; eo autem ipso quòd est dolor efficax, sine dubio illud non admittit: quis enim dolet efficaciter se aliquam rem malam admisisse, qui tamen velit eam secundò admittere?

5 *Secunda obiectio.* Secundò principaliter obiicitur, quòd attritio, quantumuis habeat motiuum vniuersale, scilicet timorem gehennæ & spē vitæ æternæ, non possit esse propositum nec quidem implicitum non peccandi de cetero; ergo debet addi alius actus distinctus, qui sit propositum. Antecedens potest probari variis modis, Primò, nam ad vitandas pœnas æternas, & ad non amittendam vitam æternam, non est necessarium non peccare, sed potè potè requiritur non mori in peccato; ergo in ea detestatione præteritorum ob huiusmodi motiua non includitur voluntas non faciendi illa, sed agendi pœnitentiam pro illis ante mortem, habet autem hæc replica maiorem difficultatem, si poneremus aliquem, qui sciret se esse prædestinatum: hic enim vi odij inferni non posset dicere, Non volo peccare, cùm sciret sibi illud peccatum non obfuturum, quia esset habiturus re ipsa de illo pœnitentiam. Secundò potest idem antecedens probari, quia si alicui proponeretur, *Vel debes admittere hoc peccatum, vel damnaberis*; id quod ex ignorantia posset aliquis reputare verum; non posset ille ex odio pœnarum inferni velle potiùs damnari, quàm illud peccatum admittere, vt diximus, agentes de attritione. Explicatur magis hæc difficultas; nam si aliquis apud se consideras grauitatem pœnæ inferni diceret, *Ego mallem peccare quàm in perpetuum pati eas pœnas*, peccaret grauiter; de facto autem renuit fugere hoc peccatum ex odio pœnarū, quia hoc esset dicere duo contradictoria simul, Nolo peccare ne damner, & Volo peccare ne damner.

6 *Vniuersalis solutio.* Vno ferè verbo his omnibus obiectionibus responderi posset, Eis non tam probari in attritione non includi propositum non peccandi de cetero, nisi forte in ipso mortis momento quàm nec posse vi illius hominem detestari omnia peccata præterita; imò illam non esse bonam videtur inde suaderi, cùm videatur inpretiatiuè magis detestari pœnas quàm peccatum. De his difficultatibus egi suprà disputans de attritione & honestate illius; vbi explicui, quo pacto non sit de conceptu cuiuslibet actus boni æstimare magis omne obiectum magis honestum quàm minùs honestum: dixi enim id soli actui amoris Dei super omnia conuenire: nam & voluntas dandi eleëmosynam magis amat in actu exercito eleëmosynam quàm alia obiecta; imò alia nullo modo amat: neque vi eius actus posset homo vitare alia peccata, excepta immisericordia. Quòd ergo attritio quasi in actu exercito magis fugiat infernum quàm peccatum, facit quidem vt illa non sit perfectissimus actus: quòd autem sit malus, nullo modo arguit.

Non pacto nō quilibet actus boni amat plus quod est honestius.

Ad vltimam obiectionem. Et hinc respondetur vltimæ obiectioni, quòd videatur potiùs ea attritio esse mala: iam enim ex dictis constat non esse: quoad alias verò dicimus eo modo quo pro obiectione admittitur, per attritionē posse odio haberi omnia peccata præterita: eodem modo nos dicere, In ea includi propositum omnia illa peccata vitandi in futurum. Ad id quod primo loco dicitur, Ad vitandam pœnam æternam & non amittendam gloriam, non esse necessarium fugere peccata, sed sufficere velle agere pœnitentiam finalem facilè respondeo, cùm homo ipso quòd peccet: iam sit dignus ea pœna, & omnino sit incertus de tempore & auxilio efficaci ad pœnitentiam, id sufficere, vt nolit vllo modo se ei tam graui periculo exponere.

Ad confirmationem de eo qui haberet reuelationem suæ salutis. Primò possumus respondere, In eo casu fortasse illud motiuum non fore sufficiens ad vitanda in futurum omnia peccata; sicut si aliquis ex ignorantia inuincibili sibi persuaderet aliquod mortale non puniendum de facto pœna æterna, non posset sine dubio tunc illud detestari vi eius solius motiui. Secundò respondeo; Vt etiam quando semel quis est confessus de mortali, & consequenter postquam iam illa peccata ipsum non reddunt dignum pœna æterna, adhuc tamen de illis potest habere attritionem ex motiuo inferni, eò quòd se exposuerit ei grauissimo periculo illum incurrendi; ita etiam eo casu reuelationis, cùm etiam tunc mortale, quantum est ex se, reddat hominem ei pœnæ obnoxium, esto Deus misericorditer eum sit liberaturus posse iure merito & dolere se peccasse, & nolle in posterum peccare. 41 *Ad confirmationem.*

Ad secundum casum, quo putaret se vel damnandum, vel debere admittere mortale, fatemur eo casu vi eius motiui non vitaturum mortale: addimus tamen id esse per accidens, neque obstare quò minùs ex se hoc motiuum sit impeditiuum de facto omnium peccatorum, quia reuerà de facto omnia peccata mortalia merentur pœnam æternam. Si autem ad hos casus ex ignorantia velimus recurrere, fortasse neque ipse amor Dei super omnia poterit vitare omnia peccata grauia, saltem quatenus sunt contra naturam rationalem. Nam si quis ex errore inuincibili sibi persuaderet luxuriam v.g. esto sit mala grauiter contra naturam rationalem, non tamen esse contra Deum; certè ex amore Dei super omnia illam non vitaret. *Ad secundum casum.*

8 *Ad vltimum casum.* Ad illum verò casum de actu illo, quo quis diceret, *Malo vitare infernum quàm pati æternas pœnas*, optimè respondet Lugo, Etiam tale peccatum posse odio haberi ex timore inferni, quia de facto illud etiam peccatum reddit hominem dignum ea pœna; & ad detestandum peccatum illud non est necessarium dicere, *Malo pati pœnas quàm peccare*: sed de obiecto actus nihil dicendo, potest de ipso actu reflexè dolere, quia ille de facto induxit dignitatem pœnæ æternæ; illa ergo attritio dicit: *Doleo quòd præposuerim pœnas peccato, per quam præpositionem incurri dignitatem earum pœnarum.* Ibi autem nihil dicit è contrario, Præpono peccatum pœnis, sed ab hoc omnino præscindit. Constet ergo attritionem eo modo, quo potest detestari omnia peccata præterita ex motiuo inferni & gloriæ, includere implicitè propositum non peccandi de cetero, ideoque illam sine vllo alio proposito esse sufficientem dispositionem pro valore Sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO II.

Quale propositum requiratur pro confessione venialium.

DIXI in fine præcedentis disputationis eodem modo requiri dolorem de venialibus, 9

bus, quæ sunt materia absolutionis, sicut pro mortalibus; solumque posse esse aliquod dubium, Vtrùm ille dolor debeat esse efficax necne; hoc tamen totum spectare ad hanc disputationem, in qua agitur de proposito non peccandi, nam ea efficacia maximè consistit in huiusmodi proposito. Cardinalis Lugo suppresso nomine refert aliquos, qui dicunt hunc dolorem efficacem non esse necessarium; nam alioquin numquam remitterentur venialia per ipsam absolutionem; supponeretur enim iam remissa per dolorem illum. Certa tamen sententia docet. Omnino eum requiri. Ita Suarez ea disp. 20. sect. 4. tem obiter tractans; ita Lugo num. 106. vnicè autem hæc sententia probatur ex Tridentino; nam loquens de partibus huius Sacramenti, vniuersaliter docet eas esse dolorem, & quidem talem, qui excludat voluntatem peccandi de cetero: hanc autem excludere non potest, nisi sit efficax; nã inefficax cohæret etiam cum ipso actuali peccato. Ex ratione autem iudicij id confirmatur; videtur enim esse contra rationem naturalem, vt iudex absoluat reum à culpa, quando ille habeat animum eam iterùm committendi. Ad argumentum oppositum diximus suprà, Probabile esse non per quamlibet attritionem extra Sacramentum remitti omnia venialia: Secundò dicimus hæc remitti per Sacramentum, quando quis ea confitetur simul cum mortali nondum remisso.

Ad confessionem solorum venialiũ requiritur etiã dolor, qui sit propositum nõ non peccandi de cætero.

10 *Dubium alterum.*

Quæres tamen Secundò consequẽter ad hæc, An admissa ea necessitate doloris efficacis, seu propositi non iterùm committendi illud veniale, ad valorem confessionis venialium sit peccatum mortale eum dolorem scienter omittere.

Quædam sententia reiecta.

Lugo num. 108. ait quendam Theologum recentiorem id negasse, quia frustrare Sacramentum in re leui non est mortale: vt cum quis confitetur multa venialia, non tamẽ de omnibus dolet, frustratur Sacramentum ex parte; & tamen non est mortale. Idẽ est in omissione satisfactionis leuis. Secundò Caietanus ait Eucharistiam non conferre gratiam sine deuotione actuali; & tamen non ideò est mortale sine illa communicare, dummodò homo non habeat aliud mortale. Tertiò, quia contrahere matrimonium absque intentione, quando alioquin imminet graue damnum, non est mortale; ergo.

Iure merito reiicit hanc sententiã Lugo ibi tamquam omnino falsam: mihi videtur etiam improbabilis, imò ferè erronea, quia ex ea sequuntur multa, quæ sunt contra sensum Catholicorum omnium, scilicet non esse mortale, irritum facere quodcumque Sacramentum. Pro quo aduerte æquiuocationẽ huius Recentioris, aliud enim est, quòd peccata venialia sint in se quid leue, aliud verò, quòd Sacramentum de eis perfectum sit res leuis: hoc secundum falsissimum est, primum autem verum.

11 *Respondetur argumento illius.*

Hoc supposito Primò explodituꝛ eius argumentum, & simul ostenduntur absurda quæ diximus sequi: nam Sacramentum Pœnitentiæ etiamsi constet confessione venialium, est tamen non minùs verum Sacramentum & nomine Christi administratum, non minùs graue quam Sacramentum Extremæ Vnctionis, Confirmationis, Baptismi, &c. nam etiam hæc omnia constant rebus in se leuissimis, Baptismus v.g. aqua, leui ablutione, Extrema Vnctio leui vnctione olei, &c. & tamen quodlibet Sacramentum est in se res grauissima: malè ergo hic Auctor confudit in vnum leuitatem peccati venialis cum leuitate Sacramenti; habeat autem hæc ratio maiorem vim, eò quòd peccata non reputãtur materia proxima, sed remota, & quæ per ipsum Sacramentum destruuntur. Quòd si velimus ad vtilitatem Sacramenti recurrere, etiam ex hoc capite deprehendemus nullo modo subsistere rationem huius Auctoris: etenim licet fortè remissio venialis non sit res adeò grauis, nihilominùs fructus gratiæ, quæ per Sacramentum confertur, est res magni momenti; & fieri potest, vt aliquando maior gratia conferatur in confessione venialiũ quàm in confessione mortalium tum ob maiorem dispositionem, quam eo casu habet pœnitens; tum quia iam supponitur homo in gratia; ac iuxta quosdam ex ipsa gratia subiecti crescit effectus Sacramenti, etiam ille qui dicitur ex opere operato. Deinde res dubia est, An non maior gratia ex se respondeat Sacramento Pœnitentiæ etiam de solis venialibus, quàm Sacramento Extremæ Vnctionis, aut fortasse etiam ipsius Eucharistiæ.

Confessionis Sacramentũ etiãsi de solis venialibus sit, est res grauissima.

12 *Dilatio confessionis an sit graue peccatum.*

Denique quia (vt optimè obseruat Lugo) etiamsi remissio mortalis ex se sit res grauis, tamẽ quòd fiat hodie per hanc cõfessionem aut cras per aliam secundam, videtur esse res leuis; ergo accedere hodie ad confessionem mortalium sine vllo dolore, cum proposito tamen iterùm confitendi cùm dolore post mediam horam - aut crastina die, non erit damnum magni momenti quia solùm per hoc patitur homo damnum dilationis illius breuissimæ; quod iam dixi esse in se rem valdè leuem. Non enim potest recurri vt exaggeretur ea grauitas ad periculum æternæ damnationis: quia hoc periculum idem omnino fuisset, si ille noluisset absolutè facere eam priorem confessionem, quam sine dolore facit, sed solùm secundam post mediam horam, aut certè crastinã: ea autem dilatione nec venialiter quidem peccasset: ergo nihil efficit ad rem præsentem illud periculum. Vrgetur ampliùs, quia si ex eo quòd per eam confessionem faciat iacturam leuem, non est peccatum mortale: ergo femina, quæ mentio viri habitu curaret se ordinari, non peccaret moraliter, quia illa nullam omnino iacturã gratiæ tunc faceret, cùm nullam potuisset accipere: quis autem negabit esse erroneum dicere, non peccare grauiter eam feminam, quæ esset causa vt irrisoriè & frustrà proferrentur verba Episcopi illam consecrantis: ergo idem erit in nostro casu, vbi & eodem modo irrisoriè ea verba proferuntur, & negligitur fructus, quem poterat ille percipere: qui fructus in ea ordinatione fictæ feminæ, quæ alioquin nihil inde poterat sperare, nullo modo negligitur.

13 *Respondetur argumento opposito.*

Ad contrariæ sententiæ argumentum præcipuum, quòd frustretur Sacramentum in re leui, ostensum est non frustrari in re leui: quia non frustratur in ipsis peccatis venialibus, quæ sunt res leuis, sed frustratur in carentia doloris: dolor autem ille non est res leuis: deinde esto esset leuis, quia tamen inde fit vt nullum omnino fiat Sacramentum, fit vt frustratio sit grauis, quia est irrisoria productio Sacramenti, quod in se est res grauissima. Ad probationem ex confessione multorum venialium, sine omnium tamen detestatione, diximus fusè suprà, eo casu non frustrari absolutè Sacramentum suo effectu: fit enim verum Sacramentum, & infunditur gratia, esto absolutio non cadat supra omnia peccata

de

de quibus ille confitetur; quod longè aliud est,

Responsio ad instantiam.

Eodem modo respondetur ad instantiam de omissione satisfactionis leuis; ibi enim non impeditur Sacramentum, sed complementum quoddam minùs principale illius, nec magni momenti; tum quia (iuxta probabiliorem sententiam) nullam causat ex opere operato gratiam habitualem; tum quia ea remissio pœnæ temporalis in se est res vtcumque leuis, & facilè aliunde reperabilis. Ad illam Caietani doctrinam de Eucharistia respondemus Primò negata consequentia, quia eo casu non frustratur Sacramentum; hoc enim non consistit in sumptione ipsa, sed antecedenter; solùm ergo impeditur ibi fructus: quod impedimentum fortè re ipsa maius non adfert damnum, quia si ille homo liberè omisisset ex integro eam Communionem, quo casu nullo modo peccasset; aliunde autem non sumit irreuerenter Christum, ergo. Secundò respondetur, Fortassis ex eo ipso capite reiici debere Caietanum, quòd ea duo doceat, & fructum impediri, & nihilominùs non esse obligationem accedendi cum deuotione. Ad vltimam è Sacramento Matrimonij respondetur ex doctrina Patrum Henriquez & Thomæ Sanchez (quos sequitur Cardinalis suprà) Christum Dominum ne elevando matrimonij contractum ad rationem Sacramenti illud redderet grauissimum, si non liceret (vt antea licebat) ob graue periculum vitæ aut honoris, &c. simulare consensum, noluisse nouam inducere obligationem habendi tunc verum consensum, ac proinde non benè inde trahi argumentum ad alia Sacramenta, in quorum actionibus fingendis nulla est vtilitas ad alios fines, & maximè in præsenti casu Pœnitentiæ: quid enim quæso damni aut periculi potest sequi ei homini confitèti omnia venialia, eò quòd habeat dolorem saltem de aliquibus?

14

An sit mortale non dolere de omnibus venialibus quæ quis confitetur.

Iam poterit tractari illud punctum quod insinuatum est, An sit mortale non dolere de omnibus venialibus, quæ quis confitetur per modum veræ materiæ; quia tamen de hoc dixi suprà vbi tractaui, an sit mortale cõfiteri aliquod veniale quod non fecerim: est enim eadem de vtraque quæstione ratio, ideò de ea hîc nihil amplius dicam.

Obiicies adhuc: Minùs requiritur ad remissionem venialis quàm mortalis; hoc autem maximè debet esse in hoc proposito efficaci. Confirmatur, quia de vno veniali possũ dolere, esto non de omnibus; ergo possum dolere de præsenti veniali, esto non detester futurum, & consequenter esto non habeam propositum illud vitandi. Respondeo, Eo præcisè sensu minùs requiri pro remissione venialis quàm pro mortali, quòd vnum veniale potest remitti sine altero, vnum verò mortale non potest solum; circa illud verò veniale quod remittitur nihil minus requiritur de dolore quàm circa mortale.

15

Dolor efficax de peccato peterito est propositum vitandi futurum planè simile.

Ad confirmationem, quòd possimus odio habere vnum veniale sine altero, ergo & detestari præteritum, esto non velimus vitare futurum, respondetur distinguendo antecedens: Possum vnum odio habere sine altero, si à primo sit aliquo modo diuersum, concedimus: si sit omnino simile, negamus. Vnde eodem modo consequens est distinguendum; Ergo possumus odio habere præteritum, & nolle vitare futurum; si præteritum sit omnino simile futuro, negatur consequentia, si sit aliquo modo dissimile, conceditur. Et quoad hoc idem etiam de mortalibus est dicendum; non enim differunt in hoc à venialibus, quòd possit aut non possit quis vnum sine altero detestari, sed in hoc, quòd illa detestatio particularis in mortalibus nõ sufficiat ad remissionem, sufficiat verò è contrario in venialibus. si ergo ponimus peccatum præteritum omnino simile futuro, necessum est vt detestatio efficax præteriti sit etiam propositum nõ commitendi illud in futurum: poterit ergo eo casu sufficere dolor de præterito sine animo non faciendi futurum, quando in præterito consideratur aliqua circũstantia specialis vel intensionis magnæ, vel durationis, vel reflexionis maioris, &c. ob quam specialiter potest odio haberi, & hoc capite, etiamsi ambo sint eiusdem speciei; poterit pœnitens vnum sine altero detestari; ex quo capite potest reddi facilior confessio de solis venialibus, quæ aliquibus ratione eius propositi videtur difficilis.

SECTIO III.

Obiectio quædam grauis discutitur.

MAIOR est difficultas in expl cando è contrario, quomodo ille, qui etiam de omnibus venialibus sub ratione aliqua generali dolet, possit tamen proponere omnia omnino in futurum vitare, cùm sine speciali gratia sit impossibile moraliter omnia vitare. Ergo vel dicendum est, quantumuis homo doleat, & confiteatur omnia venialia præcedentia, non tamen posse omnia ei per confessionem illã remitti, quod est contra ordinem; vel contra ea quæ immediatè diximus, erit admittendũm, sine proposito vitandi omnia posse omnia remitti.

16

An dolor sub ratione generali de omnibus venialibus sit, vel trahat secum propositum de deinceps vitandi.

De hac difficultate bis egit Suarez & disp. 4. de Pœnitentia sect. 4. num. 6. & paulò inferiùs in Commentario articuli primi quæstionis 67. Diui Thomæ; fusiùs verò Lugo ea disp. 14. num. 129. vbi varias solutiones refutat, & aliam diuersas adhibet. Prima solutio est Diui Thomæ, quam reiicit etiam Suar. in citato Commentario articulo 1. quòd possit homo proponere vitare singula; esto non omnia. Hoc tamen benè ab his Auctoribus reiicitur, quia velle vitare singula, est velle vitare omnia: vitatis enim singulis eo ipso vitantur omnia; quam ob causam fæpè dixi contra aliquos, non posse vllo prorsus modo intelligi quòd homo habeat potentiam moralem ad vitanda singula venialia; seu quodlibet veniale, non tamen ad omnia: posseque maioris claritatis gratiã numerũ omnium venialium, seu totius multitudinis esse quatuor: indeque ita discurri, Ad vitandum primum habet potentiam moralem; vitet ergo illud: nam ex eo quòd quivis faciat re ipsa id ad quod habet potentiam moralem, nullum sequitur inconueniẽs. Rogo, An vitato eo primo adhuc habeat etiam potentiam moralem ad secũdum: si habet, demus quod viter; iam rogo, An suppositis ea duplici victoria habeat potentiam moralem pro tertio, necne: si habet, idem dicam vitato tertio de potentia ad quartum: quod est vltimũ eius totius collectionis: ergo habuit non solùm ad singula, sed ad totam collectionem: nam vitatis tribus habere potentiam ad quartum & vltimum, est formalissimè habere potentiam ad totam collectionem: id quod est contra suppositionem: si verò nõ habet ad tertium

Prima quæst. dã solutio.

Reiicitur

17

tium aut quartum, ergo neque ad singula; sed necessariò illa impotentia debet tandem in vno aliquo determinato verificari. Quæ doctrina tota in præsenti locum habet.

Secunda solutio.

Secunda solutio quam ex Suar. refert Lugo, est, quòd licet homo non possit habere voluntatem vitandi omnia venialia in vniuersum, possit tamen habere propositum faciendi quantum est ex parte ipsius hominis ad ea vitanda, vel saltem minuenda; id quod sufficit vt in Sacramento remittatur omnia quæ fuere confessionis materia. Aduerto, etsi Suarez eo loco hanc solutionem insinuet, ea tamen disp. 4. sect. 3. num. 5. aliam tradere, scilicet de omnibus peccatis venialibus, quæ cum perfecta libertate committuntur, posse esse propositum efficax ea vitandi; quia omnia illa possunt re ipsa cum gratia ordinaria vitari. De his autem, quæ fiunt ex subreptione, ait non posse esse propositum omnino absolutum, posse tamen hominem proponere, quòd velit adhibere omnem diligentiam ad fugienda illa vel minuenda quantum humano modo potuerit. Contra hanc solutionem obicit Lugo eamdem esse difficultatem circa illud verbum, *facere quantum est in me ad vitanda ea peccata*; nam si sermo sit, quòd velim facere quidquid potentia physica possum, certum est me id nõ facturum; quia hoc ipsum esset vitare omnia venialia, cùm ad hoc habeam potentiam physicam: quando enim pecco, non facio quidquid possum facere ad non peccandum: si verò de potentia morali ibi fit sermo, id est, quòd homo facere velit quidquid potentia moralis possit, iam eo ipso non proponit vitare omnia, quia non habet potentiam moralem ad omnia; ac proinde non extenditur ad vitanda omnia, de quibus est confessus, cùm tamen de omnibus omnino doleat: vnde sequitur, vel falsum esse quod supponitur, eũ dolore de omnibus efficaciter, quia dolor efficax includit propositum ea non committendi, vel posse remitti præterita sine proposito ea vitandi: quod est etiam contra suppositionem. Confirmatur, quia dolor de peccatis, qui iuxta Tridentinum est necessarius, vt ea per Sacramentum remittantur (id quod debet etiam intelligi de venialibus debet esse talis vt non admittat voluntatem ea committendi secundò: atqui si solum requireretur id quod Suarez dicit, possem cum eo dolore nihilominùs habere animum committendi aliquod ex illis peccatis quæ moraliter nõ possumus vitare: quomodo ergo tunc dimittitẽtur ea omnia præcedentia? Ratio à priori huius impugnationis est, quia animus non faciendi quãtum moraliter potest, & animus nõ faciendi vltrà quam possit moraliter non repugnant inter se: ergo posset quis habere animum peccandi venialiter, quando moraliter nõ posset tale peccatum superare. Ea ergo Patris Suar. solutio nequaquam fugit difficultatem.

18 *Obiectio cõtra illam.*

Confirmatur impugnatio.

Ideò Cardinalis adhibet duas alias solutiones supponendo, quando dolor est nõ de omnibus, sed de aliquibus tantùm rectè posse esse propositum de vitandis illis omnibus: quia aliqua collectio vitari potest etiam moraliter, licet non omnis: quando ergo accusatio est vniuersalis, quo casu maximè seu vnicè vrget proposita difficultas, ait primò hominem se accusare non de singulis seorsim, sed de tota collectione vitalis est, seu quòd tam multa commiserit: quod si obiicias hinc sequi, Vi eius doloris non posse vllum peccatum in particulari remitti, quia de nullo habet in particulari dolorem, respondet, Posse saltem tunc remitti illa peccata quæ fuere vltima, & quæ eo ipso sunt commissa cum illa circumstantia aggrauante, id est cum frequentia: quæ circumstantia non fuerat in prioribus peccatis; vt cùm quis se accusat, quòd nimis diu fuerit distractus in oratione, remittitur ei illud peccatum saltem quoad eam partem, in qua incepit distractio esse longa: si verò iterùm obiicias. Hinc sequi, si quis se accusat de actu extensiue malo quà tali, v. g. quia intra malitiam leuem nimis multùm furatus est, non remitti ei vllam partem, quia de nullo specialiter se accusat, respondet negando sequelam, quia eo casu cùm simul omnes partes accipiantur, omnes sunt malæ: ac proinde omnes ille homo tunc detestatur, quia vna pars denominatur mala ab altera: at quando peccata committuntur successiuè, illa quæ sunt priora non participant vllam malitiam magnæ frequentiæ, neque vllam accipiunt denominationem ex futuris: e contrario verò vltima participant malitiam à prioribus, quia facere iam hæc postquã tot alia sunt facta, dicit aliquam specialem indecentiam.

19 *Duæ solutiones Cardinalis.*

Hæc solutio mihi maiorẽ adhuc ingerit difficultatem quàm prior Patris Suarez: Primò, quia reuera in venialibus nullam sæpè malitiã specialem habent vltima, eò quòd talia sint præ prioribus: tum quia sæpè homo dum ea committit, non se reflectit vllo modo supra hoc quòd alia fecerit: sed primò id aduertit, quando se examinat pro confessione: tunc autem euidẽter apparet non posse ei homini vi confessionis remitti illa quæ fuere vltima: pone illud vltimum fuisse mendacium leue, certè cum ea voluntate non committendi in futurum viginti venialia v. g. seu tam magnam collectionem (vt loquitur hic Auctor) stat voluntas committendi illud idem mendacium cum tota illa malitia quàm anteà habuit: quomodo ergo illud remitteretur? Hoc idem dicendum est, esto homo, dum illud mendacium commisit, aduerterit reflexè se alia peccata multa admisisse: nam inde non accreuit noua malitia, ita vt grauiùs sit puniendum secundum mendacium quà secundum, quàm primum: aut quòd ideò magis Deo displiceat, si in cæteris ambo sint paria: ergo ex eo capite, quòd per accidens fuerit vltimum, non habet malitiam, ob quam specialiter odio habeatur: ideóque redit argumentum factum, scilicet cum eo animo non committendi viginti, stare voluntatem committendi mendacium. Secundò ideò ea solutio non placet, quia non explicat id quod maximè intendimus, quomodo tunc omnia ea peccata, de quibus est confessus, dimittantur: nam si ad aliquotũ tantùm remissionẽ velimus recurrere, facile est dicere, quòd ille homo, qui de omnibus dolet, maximè doleat de grauioribus, & illa velit vitare: nam si ex se vellet omnia fugere quia mala, profectò virtualiter & implicitè fugere primo loco vult grauiora: ac proinde si non potest de omnibus proponere, intelligendus est virtualiter velle grauiora fugere: ideoque si omnia ei non remittantur, saltem hæc remittetur: est ergo tota difficultas, quo modo omnia omnino remittantur: hoc autem ea solutio nequaquam explicat. Denique ea habet maximam ex eo capite difficultatem, quòd penitus sit inexplicabile, quot tunc peccata ei homini remittantur: quia si ille dolor

20 *Discutitur ea solutio.*

Non semper secundum peccatum est ex eo capite grauius.

21 *Vltima eius solutionis impugnatio.*

dolor non extenditur ad omnia, quis quæso dicet à quo numero magno incipiat ille homo iudicare iam esse eam circumstantiam magnæ multitudinis? si autem dolor ipse non determinat illud peccatum, certè nec ipse Deus illud determinate poterit; quia Deus ibi non remittit nisi ea peccata, suprà quæ proptiè cadit verus dolor, & verum propositum ea vitandi; si gratis & non vi Sacramenti Deus ea peccata remitteret, posset facere ipse determinationem, quæ magis sibi placeret: at vi huius Sacramenti, & doloris nullum determinantis numerum, nullum potest remitti peccatum.

Tertia sent. dum solutio.

Secundam solutionem adhibet, aliud esse quòd homo non sit in posterum vitaturus peccata omnia, aliud verò, quòd de facto, quantum est ex se, non cupiat illa vitare: licet enim efficaci omnino voluntate non possit quis procurare id, quod scit certò non esse futurum, potest tamen id velle voluntate, quantum est ex parte ipsius hominis efficaci. Vnde dicunt Theologi communiter non esse contra valorem propositi ad confessionem requisiti, quod homo credat ob suam fragilitatem se non permansurum diu in illo bono proposito. Huiusmodi ergo voluntatem, quantum est ex se, efficacem habere potest homo de omnibus venialibus; & illa sufficiet ad hoc, vt ea omnia condonentur tunc. Hanc solutionem priùs tradiderat Suar. ea disp.4. sect.3. & mihi etiam placet.

22 *Facilior explicatio.*

Iudico tamen pro intento nostro adhuc faciliorem & clariorem esse illam, quam idem ibi insinuat obiter. Pro quo aduerte nos solum agere nunc, quomodo possimus per Pœnitentiæ Sacramentum de venialibus omnibus, quæ confessi sumus obtinere veniam, cùm ad hoc sit necessarius dolor efficax de illis, & propositum ea non admittendi. Pro hoc ergo puncto explicando dicimus nullam penitus esse difficultatem; nam licet nequeat vllus homo vitare omnia omnino venialia cum ordinariis gratiæ auxiliis, non ideò sequitur vllo modo, quòd non possit illa omnia de quibus est confessus: ac proinde non sequitur, quòd non possit de vitandis omnibus illis habere propositum prout requiritur ad hoc, vt ea omnia per confessionem remittantur: ratio est meo iudicio clarissima, quia nullus committit omnia venialia seu in omnibus speciebus quæ occurrere possunt: vnde esto non possit omnia omnino absolutè venialia vitare, poterit tamen omnia similia his de quibus est confessus; hoc autem sufficit sine dubio, vt omnia illa remittantur, quia iam diximus posse in venialibus dolorem extendi ad aliqua, esto non ad alia similia & illum dolorem sufficere pro confessione illorum. Non est ergo quærendum in præsenti maius mysterium, quomodo scilicet omnia venialia possint vitari, & consequenter quomodo possit quis proponere in futurum se ea velle vitare.

Aliud est nõ posse vitare omnia omnino venialia, aliud, nõ posse ea quæ cõmisit.

SECTIO IV.

Duo dubia circa eum dolorem de venialibus.

23 *An dolens de omnibus venialib. vnum fortiti, & ea in genere tã sũ confiteatur ab omnibus absolmatur.*

ILLVD magis proprium huius loci est; An quando quis habet dolorem extendentem se ad omnia venialia eiusdem speciei, eaque confitetur cum proposito ea vitandi, nullum tamen numerum dicendo, sed, *Accuso me quòd dixerim multa mendacia leuia & iocosa*: an tunc omnia illi remittantur nécne? Ratio dubitandi est, quia ex vna parte videntur omnia remittenda, cùm de omnibus doleat, & se accuset; ex altera verò cùm Sacerdos non formet conceptum de eorum numero, non videtur posse absoluere nisi summùm ab his, quæ probabiliter iudicat pœnitentem commisisse. Respondet Lugo Primò. Probabiliter dimitti omnia, quia Confessarius confusè saltem cognoscit numerum eorum omnium iuxta qualitatem pœnitentis. Secundò respondet, Si tamen nullo modo eum numerum cognoscat, tunc non omnia, sed aliqua remitti, tot scilicet, quot apprehendit Confessarius; neque necessum est pœnitentem dicere hæc potiùs quàm illa tamquam materiam, sufficit enim quòd velit aliquod ex illis: sicuti si debeas centum aureos, & soluas decem, non est necessum dicere pro quibus determinatè velis soluere, sufficit velle pro decem; vti etiam qui habet decem irregularitates, quia decem Clericos occiderat, si petat absolutionem censuræ ob duos Clericos occisos, non determinando quos, absolutus manet à duabus: & sufficit si posteà petat absolui ab octo: putat autem tunc determinatè à Deo remitti priora venialia vel certè grauiora. Hæc sunt probabiliter dicta: ego tamen putarem, si ille homo habet, vt supponimus dolorem vniuersalem de illis, esto non dicat quot illa sint, absolui ab omnibus: etenim ex parte ipsius est dolor sufficiens, est accusatio de omnibus: nam licet non recordetur numeri, omnia tamen ex se vult exprimere, ac proinde debent censeri pro expressis: Sacerdos etiam non limitat tunc suam absolutionem ad vllum numerum, sed potiùs extendit ad omnia de quibus pœnitens se accusat; quid ergo deest vt omnia remittantur? Nisi forte ipse pœnitens nolit se de omnibus accusare, esto de omnibus doleat, & tunc poterit habere locum secunda solutio huius Auctoris.

24 *Secunda quæstio.*

Secundò quæri potest, Vtrùm si habens dolorem de viginti v. g. venialibus, ob motiuum illis omnibus commune accedat ad confessionem interim tamen antequam confiteatur, committat vnum aliud veniale, eiusdem rationis cum aliquo ex illis viginti, & quod continetur sub eo motiuo vniuersali, ac proinde quòd etiam promiserat se vitaturum; quæritur inquam, An tunc censeatur dolor ille prior, & propositum illud iam retractatum circa omnia alia, ac proinde ille non sit sufficiens ad confessionem aliorum. Est autem ratio dubitandi: nam ille dolor in tantũ extendebatur ad alia venialia, in quantum detestabatur illud motiuum vniuersale: hæc autem detestatio iam cessat, seu iam reuocatur, eo ipso quòd amplectatur aliquod veniale contentum sub illo motiuo: cessat enim eo ipso odium circa illud motiuum vniuersale. Confirmatur, quia si respectu mortalium hoc contingat, eo ipso reuocatur propositum illud, & non sufficiet ad cætera mortalia confitenda; nam qui ob metum inferni detestatur furta, & postea vult fornicari, esto videat se incurrere inferni debitum, profectò iam reuocat omnino detestationem furti ob illud motiuum: vrgetque adhuc magis potest, si ponamus sub eodem motiuo, illum hominem detestari mortalia & venialia, ac postea admittere vnum veniale sub eo motiuo contentum: eo enim ipso videtur non posse iam vi eius doloris confiteri, nec quidem illa mortalia: est autem aliunde valdè durum dicere eum, qui

An dolor de tertio peccatũ ex commũi motiuo cõfentur retractati & insufficiens ad confessionem, si supersint peccatã aliud contra ipsum motiuum militans.

erat

Prima re-sponsio.

erat optimè dispositus ad confessionem mortalium, iam impediti ex integro ob vnum veniale interpositum. Ad hoc vltimum respondeo cum Lugo suprà num. 144. Dolorem de diuersis obiectis malis, esto sit ob motiuum vniuersale, & commune omnibus illis, ita tamen terminari ad illa omnia; vt magis detestetur id quod est grauius, & quod magis opponitur illi vniuersali motiuo: v. g. detestor peccata sub ratione offensæ Dei eo ipso saltem implicitè, cum odium Dei sit longè maior offensa magisque Deo displicens quam mendacium aliquod leue, necessariò magis detestor odium Dei quàm mendacium illud: id quod ego vlteriùs sic declaro: Nã si stante eo dolore quantumuis sub motiuo vniuersali per impossibile deberem vnum ex eis duobus admittere, certo certiùs admitterem veniale: neque eo ipso conferet amittere auersionem ab ea ratione vniuersali offensæ Dei, quatenus alia grauiora complectitur. Habet autem hæc doctrina maximè locum in hac, quam diximus comparatione venialis cũ mortali propter ingentem eorum inter se inæqualitatem: ac proinde vltima difficultas, quòd per vnum veniale impediretur quis à confessione mortalium, omnino cessat.

25 *Respondetur instantiæ de mortalibus.*

Secunda etiam de ipsis mortalibus facilè explicatur; nam admittimus consequenter (licet non in tanto eo rigore) posse manere illud odium quatenus respicit alia peccata mortalia in se grauiora, esto admittatur aliquod mortale minus; quo tamen casu non posset homo accedere ad confessionem, quia ad hanc requiritur dolor de omnibus omnino mortalibus, saltem quæ occurrunt memoriæ; addo autem hanc limitationem vt abstraham à sententiis, An confessionis Sacramentum possit esse validum & informe ob defectum doloris de peccatis non occurrentibus. Hinc denique ad primam comparationem ipsorum venialium inter se dicimus, si ea peccata venialia diuersa sint inter se manifestè inæqualia, ita vt possit homo aduertere, quòd sit grauius, eodem modo posse manere illum dolorem vniuersalem, quatenus extenditur ad ea grauiora venialia, esto homo admittat vnum ex leuioribus. Hanc limitationem posui, quia non est res vniuersaliter decidenda (vt eam Lugo decidit:) si enim homo ille eo casu admittit maximè graue veniale inter ea omnia quæ fuerat confessus, iam retractat ex integro illum doloré vniuersalem; nam si maximum peccatum sub illo motiuo contentum admittit, non potest profectò prudéter iudicari odio habens ob illud motiuum ea quæ ei motiuo sunt minùs contraria: id quod ratio naturalis dicta. Vnde Secundò dico; Si venialia illa sint omnino inter se æqualia, vel saltem talia reputentur à pœnitente, eo ipso quòd post illud propositum ex motiuo vniuersali admittat aliquod ex illis venialibus, cum iam videri omnino reuocare totum illud propositum, ita vt planè iam sit ineptus dolor ille ad confessionem; quia non potest tunc nec explicitè nec implicitè censeri ille odio habẽs vi eius motiui reliqua peccata, cùm admittat aliquod, in quo reperitur æqualiter tota quanta ea ratio, quæ poterat in eo motiuo apprehendi ad odio habenda reliqua; deberet ergo in eo casu nouus aliquis dolor de aliis accedere, quia ille antiquus nec physicè existit, cùm omnino repugnet cum eo nouo peccato: nec moraliter, cùm iam sit retractatus per illud peccatum.

Quid si venialia sint inter se inæqualia.

Si admitta-tur veniale, maximè graue, ex integro retra-ctatur dolor.

Quid si venialia sint æqualia.

Neque est inconueniens vllum, quòd eo casu teneatur ille homo nouum habere dolorem pro confessione venialium.

SECTIO V.

An aliquando ob consuetudinem peccandi sit alicui neganda aut saltem differenda absolutio.

HÆc difficultas est connexa his quæ de proposito non peccandi diximus: cùm enim illud sit necessarium ad valorem Sacramenti, & aliunde in eo qui eam malam consuetudinem habet, & in quo huiusmodi propositum, videtur etiam illi non dandâ absolutio, donec constet illum reliquisse eam occasionem. De hac difficultate agunt Nauarrus in Summa cap. 3. Suarez disp. 32 sect. 2. Dianna diuersis in locis: vbi etiam alios varios Auctores citat Tomo 1. Tractat. 70. resol. 15. & resol. 55. Tract. 16. resol. 45. & Tom. 4. Tract. 4. resol. 165. & Tom. 5. Tr. 4. resol. 108. & alibi. Lugo eâ disp. 14. sect. 10. 26

SVBSECTIO PRIMA.

Declaratur in quo sit præsens difficultas.

ADuertendum est, Auctores communiter dicere agere de duplicem peccandi occasionem: vnam remotam, alteram proximam. Occasio remota est illa, quæ non est connexa cum peccato, sed solum habet potentiam causandi: quo sensu aspectus pulchræ fœminæ potest iure dici occasio remota peccandi: proxima verò est vel quæ in hoc homine fere semper causat illud peccatum, vel ex se adeò est potens ad inducendum, vt sit dicti illinum illam vincere etiam pro illo qui primò se ei periculo exponit; ita communiter dici solet, videre fœminam pulchram nudam esse grauissimam occasionem peccati. Vbi aduertendum est Patrem Suarez disp. 35. sect. 2. docere, quando communiter asseritur hominem teneri ad vitandam occasionem proximam peccati, nomine *occasionis proximæ* nequaquam debere intelligi occasionem faciendi aliquod peccandum in communi, siue hoc, siue illud hoc est, vt potet se peccaturum; non tamen sibi in vlla particulari materia determinatè timeat, sed vagè in hac vel in illa; vt cùm quis aduertit, si confessionem diu differat, se peccaturum in materia vel carnis, vel furti, vel homicidij, &c. de nullo tamen peccato in particulari sibi specialiter timet: in quo casu etsi valde probabile, stando ratione, iudicet etiam esse obligationem vitandi talem occasionem, aut è contrario adhibendi remedium contra tale periculum, in praxi tamen ait non esse obligationem, & huiusmodi occasionem non dicendam proximam, sed remotam; quia quando in communi loquimur, nulla censetur moralis occasio vel periculum morale alicuius peccati: secùs est, quando occasio est de determinato aliquo peccato; tunc enim propriè potest dici occasio proxima. 27

Quid si occasio remota quid proxima ad peccandum.

Hanc doctrinam meritò iudicat difficilem Lugo, quia si ex defectu confessionis est periculum quòd sequatur hoc vel illud peccatum, aut ex eo quòd ego v. g. intrem talem domum, est

Ea doctrina retinetur.

pericu-

periculum ne vel blasphemem, vel tixer, vel ludam iniquè & fraudulenter, vel fornicer; profectò si attendam regulam charitatis tam in me quàm in Deum, non est minor obligatio non intrandi quam si solùm esset periculum ex eo ingressu quòd essem fraudulenter lusurus, imò (vt benè ait Lugo) maior est obligatio tunc, quia peius est se exponere periculo diuersorum peccatorum quàm vnius tantùm; in primo enim quasi virtualiter amplectitur homo omnes illas malitias, in secundo verò periculo solùm vnam: addo tamen limitationem; nisi fortasse hæc vna, quæ determinatè timetur, esset maxima inter omnes illas; eo enim casu fateor, minus foret exponere se periculo huius magnæ vel alterius minoris, quàm determinatè putare se in illam grauissimam lapsurum. Verùm hæc differentia per accidens est ad nostrum intentum; non enim aliud quærimus, quam quod tunc tam attendendo meum damnum quam offensam Dei teneor periculum certum huius vel illius mortalis vitare, si teneor vitare huius in particulari.

28 *Probabilior explicatio mentis Suarez.*

Aliunde fortasse posset probabilius Suarez suum mentem declarare: id quod videtur suprà tacitè insinuasse. Nam connexio confusa cum aliquo peccato, siue hoc siue illo, non potest ita facilè agnosci, sicut quando est cum certa aliqua specie, in qua & occasio, & propensio determinata ipsius hominis, & consuetudo facit illud periculum magis certum. Ad peccatum autem in communi fortè nec datur habitus, nec naturalis inclinatio, &c. Quidquid de hoc sit, vno verbo dicimus, si his non obstantibus timeatur non minùs aliquod peccatum in communi quàm in particulari, tunc habet locum ratio Cardinalis Lugo. Occasio ergo ideò dicitur proxima, quia est quasi moralis certitudo futuri peccati ea data, si tamen ipsa occasio est determinata aliqua. Dico *determinata*, quia si ipsa occasio concipiatur aliquid in communi, tunc non posset esse obligatio ad eam vitandam; deberet enim esse ad omnes omnino occasiones: id quod esset importabile onus, neque facilè posset homo dignoscere an hæc an illa esset occasio.

Qua sit propria quæstio huius loci.

His positis circa declarationem occasionis proximæ & remotæ aduerto tractari hic communiter, An sit obligatio vitandi occasionem remotam peccati, an non solùm proximam; quòd si hanc, an semper, in tantùm in aliquibus casibus. Quæ difficultas meo iudicio non est vllo modo huius loci, sed penitus independens à Sacramento confessionis; illud solum est proprium huius loci, An Confessarius debeat dare absolutionem nécne antequam deferatur occasio. Nihilominùs quia hoc secundum punctum aliquo modo dependet à primo, de illo etiam nos vno verbo dicimus. Si de occasione remota sit sermo, omnes Auctores conuenire, non esse obligationem eam vitandi; si enim ad id cogeremur, deberemus nec oculos vnquam aperire, ne videremus aliquid quod posset nos ad sui concupiscentiam trahere, nec cibum vllum aut potum gustare, quia possunt nos ad gulam & ebrietatem inducere. Circa proximos verò Auctores omnes è contrario videntur pro certo supponere, teneri hominem, si possit commodè, eam occasionem deserere: quia qui amat periculum peribit in illo. Vnde vt ille, qui in ea occasione est, absoluatur, debet proponere velle illam vitare; si verò in hoc nolit consentire, non est absoluendus, quia manet in voluntate peccandi.

Nisi est obligatio vitandi occasionem remotam.

His positis quæ ad alias materias spectant, proprium dubium huius loci est, An debeat aliquando absolutio dari antequam submoueat proximam eam occasionem. De quo agit Diana Tomo 5. Tractatu 14. resolut. 107. vbi pro negatiua parte refert Nauarrum, Syluestrum Chapeauillam & Antonium Fernandez: è contrario verò pro affirmatiua citat Sancium & Tabienam, Sancius autem addit: *Etsi pœnitens retinuerit post promissionem factam domi suam concubinam, esto sæpe admonitus, nihilominus tamen ei non negandam absolutionem; maximè si det signa ingentia, & promittat se velle eam occasionem fingere, absoluendus, inquit est, esto millies id promisisset, & millies decepisset; quia indicia præsentia superant præterita, cogunique Confessarium vt credat non esse illud propositum fictum; quod si non est, sed verum, non potest ei Confessarius absolutionem negare, nisi prudentialiter excusetur, quia cogitat è contrario ea esse ficta.* Diana verò eo loco etsi admittat posse talem absolui semel aut bis antequam occasionem deserat, addit tamen, tarò absolutionem concedendam, sed cogendum pœnitentem vt priùs occasionem tollat, & postea absoluendum; quia experientia constat, huiusmodi homines, maximè qui semel in anno confitentur, rarò aut numquam, postquam sunt absolati, tollere occasionem, sed iterùm eisdem & verò etiam grauioribus se peccatis implicare. Confessarius autem non solùm est iudex sed Medicus, ideóque debet ita ferre sententiam, vt simul curet pœnitentem in futurum. Pro qua doctrina citat nostrum Castrum Palaum Tomo 1. Tractatu 2. disp.2.p.9.§.3.num.28.

29 *Duę sententię circa proprium dubiū.*

SVBSECTIO SECVNDA.

Decìditur quæstio.

HOc dubium posset alicui videri omninò dependens ab altero puncto, de eo qui frequentissimè relabitur in eadem peccata, esto frequentissime confiteatur, an scilicet possit tali differri absolutio, donec se aliquo modo emendet, etenim e lo dicamus illud ipsum, quod est non deserere occasionem proximam, esse peccatum, non possumus tamen dicere, illud esse maius peccatum quàm sit ipsa actualis pollutio v. g. aut iuramentum falsum; si ergo homini promittenti se non velle se ampliùs polluere; aut falsò iurare, debemus dare absolutionem, quantumuis millies sit relapsus; cur eodem modo non debebimus eandem dare ei qui promittit se velle occasionem deserere, seu qui promittit se ampliùs nolle committere hoc peccatum manendi in occasione? neque enim potest maior obligatio esse occasionem vitandi quam sit vitandi ipsum peccatum; quandoquidem occasio non est mala nec propter peccatum: & habet ibi locum quod dici solet. *Propter quod vnumquodque tale & illud magis tale*: ergo si homini relapso sæpè in ipsum peccatum non est neganda absolutio, si proponat illud deserere; eodem modo homini relapso in conseruationem occasionis peccati non est neganda eadem absolutio, si tamen proponat etiam firmiter se velle eam deserere: cur enim magis obligabitur ad deserendam occasionem quam peccatum? sunt ergo connexæ hæ duæ quæstiones.

30 *An hæc quæstio sit eadem cum altera de relapso frequenter in eadem peccata.*

Nihilominùs tamen iudico Primò longè ma-

Maior ratio negãdi absolutionem per fauorãti in occasione proxima quàm relapso in priora peccata.

ioretn esse causſam ad negandam absolutionem homini manenti in occasione, seu qui occasionem non deserit postquam id promisit, quam homini qui relabitur in peccata postquam promisit se ea non committurum ampliùs. Non probo id, eò quòd maior sit ratio vitandi occasionem quàm peccata ipsa; id enim apertè repugnat; cùm occasio non sit mala nisi propter peccatum, ac proinde non nisi ratione illius vitanda, & (vt paulò antè dixi) *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*; est ergo ea sententia probanda Primò quia occasionem tollere est longè facilius quàm resistere tentationi posita occasione. Nam dicere ancillæ vt exeat domo, non habet illam difficultatem, quam homo habet visa illa, in non consentiendo tentationi: qui ergo rem illam longè faciliorem non exequitur, valdè ostendit se nullum verum animum habuisse, cùm sine vlla ferè tentatione

31 succubuerit. Respondebis, Illum succubuisse ex ipsa tentatione peccandi; nam post confessionem priùs mutauit animum non peccandi cum ea femina, & ex ea mutatione etiam mutauit animum illam ex domo eiiciendi; si verò mutatio animi circa ipsum peccatum luxuriæ non facit illum incapacem secundæ absolutionis, neque eum faciet mutatio circa eiectionẽ ancillæ, seu circa occasionem fugiendam. Respondeo, Licet contingere aliquando ita possit, frequentiùs tamen & per se oppositio modo euenire, vt relinquat occasionem domi, & posteà vi illius trahatur ad consensum; supponimus enim in hac sententia eum hominem allici ad peccandum ipsa occasione, non quasi vnicè ex sua naturali complexione; ergo occasionem illam faciliùs potest tollere quàm in ea positus resistere.

Secunda probatio.

Secundò hoc ipsum probatur, seu declaratur magis, quia in occasione tollenda tantùm est difficultas pro vna vice; nam semel ea ablata, iam non est necessarium eam secundò tollere; at manente occasione domi, sunt singulis momentis nouæ ac nouæ difficultates & tẽtationes. Certum est autem longè faciliùs esse semel hominem se vnicere quàm singulis momentis. Vnde iure merito inferimus illum, qui vi eius propositi nec semel se vicit, non habuisse propositum efficax.

Tertiò, Hoc ipsum ostendo: Nam quò homo est vicinior ipsi confessioni factæ, censetur magis durare in bono illo proposito & piis considerationibus, quas circa confessionem habuit; ac proinde tunc censetur meliùs & faciliùs posse exequi quod promisit quàm longo tempore post confessionem, quando à superuenientibus occasionibus variis & cogitationibus etiam sine culpa ipsius occurrentibus distrahitur ab antiquo proposito, vnde habet maiores vires tentatio posteà insurgens; cùm ergo eiicere occasionem possit statim post confessionem, profectò si non facit, arguitur valdè probabiliter nullum serium animum habuisse. Vt ergo possit prudenter Confessarius eum animum notare, debet pœnitens priùs occasionem deserere, & deinde absolui. Denique ideò est citiùs cogendus ad

32 occasionem tollendam, quia in vna occasione tolluntur reliqua peccata; at posteà non in qualibet victoria vnius tentationis tolluntur alia peccata futura; & cùm ea ablatio sit per modũ medij, debet ab ea incoari; nam qui medium necessarium ad finem non applicat, arguitur nullam habere intentionem seriam finis. Ex his ostenditur clarè: longè maiori titulo posse pœnitenti, qui non vitauit occasionem in secunda confessione, negari absolutionem donec eam vites, quàm ei qui recidit sæpè in eadem peccata debeat etiam absolutio negari. De quo puncto paulò pòst.

Neganda aliquando non absolutio vitandi proximum occasionem.

Ex his dico Secundò, Non solum esse eam maiorem rationem quam explicuimus, sed absolutè negãdam esse tali homini absolutionem (vt dicit prima sentẽtia suprà relata) quia reuerà ille homo sic decipiens Confessarium in occasione vitanda planè ostendit se nullum serium animum ea de re habere; vel certè dat Confessario prudenti occasionem vt id iure merito timeat. Et hinc obiter respondetur fundamento contrariæ sententiæ inde desumpto, quòd si homo habeat tũc serium dolorem, vt potest habere quantumuis anteà peccauerit, non debet ei negari absolutio. Respondetur enim, Si Confessarius posset interiorem animum immediatè intueri, fortè habiturum locum eam rationem; at cùm ille tamquam prudens iudex debeat ex his quæ experitur & quæ videt iudicare, tenetur tũc timere meritò defectum illum doloris, quidquid sit re ipsa interim; non enim ille iudicat de occultis: an autem ex hoc eodem capite sit etiam dicendum idem de eo, qui sine vlla extrinseca occasione in eadem peccata relabitur, discutiam sectione sexta.

Respondetur argumẽto opposito.

Secundò respondeo, Etiamsi Confessario constaret, illum habere serium animum, adhuc negare posse & verò aliquando debere absolutionem, quia non solùm hæc negatur sæpè ob defectum doloris, sed etiam quando censetur vtilis ea negatio ad hoc, vt homo potentiùs apprehendat magnitudinem rei, nec non vt timore illius dilationis impellatur suauiùs ad deserendam occasionem. Simile motiuum sine dubio habuit Ecclesia in aliquorum peccatorum reseruatione, vt scilicet homines ob difficultatem maiorem absolutionis obtinendæ retrahantur ab eis peccatis; & ex hac ratione soluitur aliud contrariæ sententiæ argumentum. quòd scilicet dispositio præsens bona retractet priora peccata; facile enim dicimus, Id non semper sufficere ad absolutionem dandam: vti enim diximus, Ecclesiam ad concedendam absolutionem in casibus reseruatis non esse contentam si habeat ille homo dolorem sufficientem de iis, vt propterea det cuilibet Sacerdoti vt ea remittat facultatẽ, sed ad vnam solam coarctat eam licentiam; ita in præsenti. Hoc tam est intelligendum extra articulum mortis, quia tunc ob periculum æternæ damnationis semper in fauorem illius est procedendum, maximè cum tunc non vrgeat relapsus periculum.

33

SVBSECTIO TERTIA.

Quædam limitatio huius doctrinæ.

EA est quam communiter adhibent Doctores, si scilicet periculum aliquod graue vitæ, aut honoris, aut scandali non interueniat; tunc enim non obligabitur ad eam deserendam id quod efficacitèr valdè probatur ex cap. *Consultationi*, de Frigidis vbi Pontifex duos, qui contraxerant matrimonium inualidum ob impotentiam coëundi, permittit simul habitare tãquam frater & soror propter scandalum & infamiam, certum autem est eo casu futurum

34 *Nisi graue periculũ incurratur euitãdo occasionẽ.*

in

in illis periculum proximum tactuum & aliorum peccatorum. Ob hanc limitationem dicunt aliqui maximè Sancius apud Dianam, si pœnitens dedit ancillæ centum aureos mutuò,& non sperat se posse illos recuperare, si eam breui dimittat è domo, non teneri eam dimittere; neque è contrario ancillam teneri exire,si dominus ipsi debeat centum, quos non sperat se foris consecuturã. Deinde ait non teneri eiicere domo concubinam,si ea sit valdè vtilis ipsi ad lucrandam pecuniam media negotiatione; sicut (inquit) qui diues est,& exercet officium fabri siue ferrarij siue lignarij,non tenetur die ieiunij cessare ab opere vt possit ieiunare; neque ille qui properat ad nundinas tenetur vt audiat Sacrum die festo iter interrumpere,si occasio elabatur è manibus. Denique addit Sancius, si concubina nimis vtilis sit ad oblectamentum, quatenus sine illa ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ concubinarum tædio magno afficerent, non teneretur eam eiicere, quia oblectamentum in dictis circumstantiis consideratum est maioris æstimationis quàm quodcumque bonum temporale; ob quod tamen fas est cuique de nouo admittere famulam quantumuis subsit labendi periculum; si ergo nouam potest admittere, ergo non tenetur antiquam eiicere cum eodem periculo. Hæc Sancius apud Dianam; qui meritò addit, Vtrùm hæc sint probabilia aliis iudicandum relinquo: quilibet enim tenetur saluti propriæ spirituali consulere etiam cum aliquo corporali & temporali damno.

35 Ego in primis in hac doctrina miror instantias de ieiunio & Sacro fuisse à Sancio huc intrusas;aliud enim est agere de ieiunio & Sacro, aliud verò de peccato carnis: illæ enim actiones solùm ex humano præcepto positiuo sunt obligatoriæ, & data ea necessitate seu vtilitate desinunt esse malæ; ac proinde se non exponit ille homo vlli prorsus periculo peccandi. At in præsenti agimus de actionibus quæ sunt essentialiter malæ,ac proinde agimus de periculo offensæ grauissimæ Dei & damnationis æternæ, an scilicet possit licitè ille homo in occasione ferè certa luxuriæ, &c. manere ob solos centum aureos,vel ob gustum maiorem in cibis. Quid ergo quæso ad rem facit,quòd alter liberetur ab obligatione positiua ieiunij, aut ab audiendo Sacro, vel ob morbum,vel ob aliquod lucrum?

Reprobat si nimis faciles aliqui hac parte. Secundò in hoc puncto dico eos casus meo iudicio esse improbabiles; & sanè ita mihi videntur aliqui Auctores prurire hominum auribus his opinionibus adeò periculosis & laxis,vt planè illos inducant in damnationis æternæ certissimum periculum, imò vt reipsa damnentur. Simplex aliquis fretus ea opinione, quòd meliùs sibi sapiant cibi à concubina præparati, dicet,Ego non peccò eam retinendo, quia vtor opinione grauis Auctoris; & consequenter quia iudicat se non teneri, non vult eam eiicere; dum autem eam non eiicit incessanter peccat. Rogo, Liberabitúrne ab his secundis grauibusque peccatis per hoc quòd dicat se non peccare retinendo ancillam? quòd si non liberatur, ergo vt gratiam facias ei in vno puncto centum aureorum aut sapidiorum ciborum reddis illum totã vita grauissimè peccantem.

36 *Replica.* Replicabis; Si damnum ex eiectione ancillæ sit graue, omnes fatentur non obligari eum ad illam eiiciendam; in eo autem casu videtur habere etiam vim nostrum argumentum; nam neque pro graui damno temporali debeo meam vitam totam reddere peccaminosam,ergo argumentum allatum nimis multum probat. *Respondetur Primò.* Respondeo Primò,Fortè ob hanc ipsam replicam esse speculatiuè summè difficile, An non etiam cum quocumque periculo graui temporali teneatur homo fugere occasionem proximam peccati: nam qui ex reuelatione sciret se,si in talem domum intraret,damnandum in æternum, deberet etiam cum quocumque detrimento temporali eam domum non intrare.ergo idem erit,si instet periculum peccati mortalis:quia damnatio æterna ideò præcisè est adeò fortiter vitanda, quia includit peccatum mortale. Videsne rem non adeò esse facilem? Secundò tamen respondeo *Secundò.* (quidquid de antecedenti sit, de quo statim) negando consequentiam ad casum nostrum, Primò, quia damnum illud graue honoris, &c. non tam frequenter contingit: ac proinde illud periculum non iudicatur adeò graue. At quærere titulos, quòd meliùs mihi sapiant cibi, &c. est planè dare occasionem, vt nullam vnquam vllus teneatur deserere occasionem peccati quantumuis proximam:quia semper inuenientur hæc apparentes & friuolæ excusationes. Secundò, quando damnum, quod ex eiectione timetur,est valdè graue, cum maiori fundamento possumus credere eum hominem seriò proponere emendationem,esto non relinquat occasionem, quàm si ob illa lucra adeò leuia maneat semper peccato obnoxius:ac proinde lõgè citiùs ab illo possumus sperare emendationẽ quàm ab altero.

36 *Quid ad vltimam de eo qui sciret se damnandum,si in talem occasionem se immitteret.* Oportet nunc respondere absolutè argumento paulò antè facto,scilicet si quis sciret se damnandum,si intraret talem domum, debere etiam sub grauissimo damno & vitæ periculo non intrare:ergo ad fugiendum peccatum erit eodem modo obligatus: ei respondeo negando consequentiam: Primò, quia in casu nostro, in quo iam sumus, non est certitudo, sed probabilitas quòd sit secuturum peccatum:in casu verò obiectionis est certitudo de futura damnatione. Secundò,quia est magna diuersitas in hoc, quod est permittere vnum peccatum, & inter hoc,quod est incurrere damnationem æternam, in qua neque est spes vlla remedij, & ex qua sequuntur infinita alia peccata & mala physica grauissima ipsius hominis:licet ergo quando venitur ad electionem ipsius peccati per voluntatem positiuam,citiùs homo debeat omnia mala eligere quàm ipsum peccatum, etiamsi hoc sit veniale tantum: at quando agimus de actione permissiua peccati, qualis tantùm reperitur in non vitanda ea occasione, ex qua timetur illud secuturum, non est maior obligatio non permittendi eam actionem,quàm sit non incurrendi infernum:id quod habet locum in minoribus damnis:nam esto scirem me posse impedire furtum graue Petri, si ego darem illi centum aureos,non tenerer eos illi dare vt illud peccatum impediem:sed possem illud permittere,at si de eo operatione positiua in illud peccatum ageretur, non possem illam admittere, licet essem incursurus omnia mala possibilia. Hæc autem differentia permissionis & cooperationis suo modo cernitur in Deo; qui licet nullo modo possit cooperari positiuè etiam minimæ actioni venialiter malæ,etiam alienæ, permittere tamen ea mala potest. Et satis de hac digressione:hæc enim difficultas non est huius loci: non enim quærimus, quando homo debeat præ peccato

mala alia eligere, sed quando pro absolutione obtinenda debeat priùs reliquisse occasionem peccati, supposito quòd obligetur absolutè ad eam occasionem deserendam.

38 *Propria quæstio decidituv.*

Iam quod huc propriè spectat discutiendum; An qui propter grave damnum, quod timet ex fuga occasionis, nó cogitur prima & secunda vice eam deserere; iuxta dicta supra; & tamen post aliquot confessiones nullam Cófessarius deprehendat emendationem, debeat tunc ei negare absolutionem, & eum cogere ad occasionem illam proximam deserendam, etiam cum maximo illo detrimento quod inde timetur? Omnino negandam absolutionem ait Suarez disp. 32. sect. 2. Gaffius, Reginaldus & Nauarrus apud Dianam Tomo 1. Tractatu 16. resol. 47. Coninch. de Sacramentis disput. 2. dub. 14. Contrarium tamen tenet Vualdus & Sancius apud eumdem Dianam, qui ibi suam mentem non declarat. Eamdem etiam tenet Lugo. num. 156. vbi reijcit argumentum Ioannis Sancij pro ea sententia desumptum ex eo, quòd quotidie absoluimus recidentem in eadem venialia, etiamsi occasionem eorum non fugiat. Hoc argumentum reijcit (quod & prius etiam reiecerat Coninc. apud eumdem Sancium) eò quòd ad vitandas occasiones proximas venialium non teneatur homo, nec quidem sub veniali; ac proinde non peccat quis venialiter eas non relinquendo, vti peccat mortaliter non relinquendo occasiones mortalium. Quidquid sit de hac impugnatione, quæ non caret maxima difficultate, quia sicut mortalis occasionem tenemur vitare sub mortali, ita videmur obligari sub veniali ad occasiones venialis; quidquid inquam de ea impugnatione aut solutione sit, sententia hæc Sancij, Vualdi & Lugo mihi probatur: & ratio pro illa est manifesta; nam si prima vice potuit absolui, esto de proxima occasione constaret, poterit & secunda & tertia, esto deprehendatur semper peccare; quia hæc noua experientia non facit aliquid noui cognosci in secunda confessione, quod non fuerit notum in prima: quòd enim homo ille cadat in ea occasione, iam fuerat notum in prima confessione, in qua supponimus Confessarium nouisse illam esse occasionem proximam, hoc est (vt diximus suprà) in qua ille homo frequenter cadit; ergo si ex hoc capite non fuit illi negata absolutio prim vice, neque secunda debebit ei negari, nisi fortè posset tunc colligi eum non habere animum se emendandi, eò quòd toties relabatur; hoc autem iam non prouenit ratione occasionis, sed aliunde: & habet locum in peccatis, quæ sine vlla alia occasione committuntur frequenter: de quibus statim.

Vera sententia probatur.

SECTIO VI.

An ei qui semper redit cum iisdem peccatis debeat differri absolutio.

39 *Quid sit Veritatis in dubium.*

QVærimus, An qui frequenter confitetur, & numquam se emendat, debeat semper absolui, an verò possit ei negari absolutio ad tempus, donec aliqua adhibeatur emendatio. Non vero in dubium, an sit neganda absolutio quando Confessarius non potest formare iudicium sufficiens de serio proposito, tunc enim certum est eum non debere eam dare quia nisi ipse prudenter iudicet adesse essentialiter requisita pro valore absolutionis, non debet poterre formam, ne faciat irritum Sacramentum. Est ergo quæstio, quando probabiliter putat pœnitentem habere serium animum, nullam tamen experitur emendationem, an possit tunc per modum medicinæ ei negare absolutionem. Singularis est in hoc puncto sententia Ioannis Sancij apud Dianam, ferè in omnibus locis suprà citatis, qui primò ait, Confessarium non posse non absoluere statim pœnitétem habentem dolorem, & propositum sufficiens, etiamsi millies sit in eadem peccata relapsus. Secundò dicit pœnitentem non obligari ad respondendum Confessario interroganti, an habeat consuetudinem committendi illud peccatum, sed posse æquiuocatione vtendo id negare; quia non tenetur bis confiteri idem peccatum. Hanc sententiam ait Lugo citari à Diana cum laude; Diana tamen laudat quidem Auctoris ingenium & lucubrationes, non tamen hanc opinionem; imò potiùs dicit se eam non probare; & in additionibus ad 3. Par. resolut. 27. ait Sancium improbabiliter in hoc puncto discurrere. Quidquid de hoc sit, prima pars eius opinionis probari potest ratione à priori, quia aliud est firmiter de præsenti proponere, aliud verò posteà data occasione cessãdo ab eo proposito peccare; illud solum requiritur ad valorem confessionis (vt & superiùs diximus agentes de venialibus) non verò hoc secundum. Confirmat, quia alioquin neque illi qui frequenter confitentur venialia deberent absolui, cùm sæpè redeant cum eisdem; non requiritur autem minus propositum ad valorem confessionis de fugiendis venialibus quàm de mortalibus. Cui argumento vehementer fidit hic Actor. Secundam verò partem, quòd non teneatur pœnitens dicere consuetudinem, iam probauimus, eo ipso quòd non teneatur bis cõfiteri.

Sententia singularis Sanc.

40 *Expedit aliquando negare absolutionẽ relapso.*

Contraria tamen sententia communis docet (vt videre est apud Dianam locis citatis) esto pœnitens sit benè dispositus, & habeat ius ad absolutionem, non tamen ideò illud habere, vt statim ea absolutio detur sed posse Confessarum eam aliquantulùm differre. In quod omnino tenendum censeo. Ratio est, quia Confessarius post auditam confessionem potest instruere pœnitentem, & de obligatione in futurum, de grauitate periculi docere; neque est in potestate pœnitentis dictis suis peccatis vrgere vt statim ante omnem instructionem sibi detur absolutio: potest etiam ob iustas causas eum obligare, vt ante absolutionem impleat pœnitentiam; quid ergo si pro pœna illi imponat vt deserat occasionem? expectare profectò poterit, an eam pœnitentiam expleuerit nécne. Sicut enim in imponenda pœnitentia exercere debet non solùm officium iudicis, sed etiam Medici, neque hoc impedire potest pœnitens; ita in absolutione ipsa imponenda idem officium potest & debet exercere; quando ergo Confessarius videt alia remedia nequaquam prodesse, ne ipsa facilitate absolutionis ille in sua mala consuetudine peccandi obduretur, si iudicet eam dilationem ei fore frænum ad se continendum, poterit, & vero debebit Confessarius eam absolutionem differre. Ego sanè dicere possum, me aliquoties cum aliquibus iuuenibus hoc remedio vsum, & feliciter mihi illud successisse.

Cum cautela tamen.

Est tamen cauendum, ne id fiat quando est periculum

periculum, quòd pœnitens omnino recedet à confessione, & liberiùs laxabit habenas peccandi. Aduerto præterea in eo, qui solùm semel in anno confitetur, vix posse hoc remedium applicari; tum quia talis eo ipso ostendit se valdè à confessione auersum, eámque odiosam iudicare; ac proinde si ei absolutio negetur, facilè ex integro confessionem deseret; ideóque ex ratione immediatè antè facta non debet cum eo periculo absolutio negari. Addo, intra tam longum totius anni tempus mirum non esse, si relapsus sit, neque in eo potest formari iudicium, quòd ex facilitate ac frequentia absolutionis concessæ relabatur in eadem peccata. Optimum pro talibus remedium & medicina esset, in pœnitentiâ illis imponere vt frequentiùs confiteantur, saltem bis in anno eos ad id inducendo, explicando & graue periculum damnationis in quo versantur; & quòd ipsa repetitione confessionis hæc eadem reddetur eis longè facilior.

41 Fateor in talibus hominibus, maximè si graues sint peccatores, huiusmodi annuas confessiones magna ex parte esse cæremonias, non tamen propterea Sacerdos debet suum officium omittere: imò eo ipso debet magis per instructiones, per rationes suauiter & efficaciter propositas conari huiusmodi homines ad bonam vitam deducere.

Quid de obligatione dicendi, an sit relapsus, sentiat Lugo.

Secunda pars sententiæ Sancij, quòd pœnitens non teneatur de consuetudine dicere, quantumuis interrogetur, visa est multò dutior aliquibus Auctoribus, maximè Cardinali Lugo, qui putat id esse contra omnes Theologos: nam & illi ipsi qui censent non teneri pœnitentem ad circumstantias notabiliter aggrauantes confitendas, dicunt tamen, eò ipso quòd de illis interrogetur, teneri eas dicere. Vnde infert, non valere argumentum illud: Pœnitens non obligatur ex se ad dicendum consuetudinem; ergo non tenetur eam confiteri si interrogetur. Rationem à priori reddit, quia Confessarius cùm sit Medicus ac iudex, habet ius ad interroganda illa, quorum notitia necessaria est ad correctionem vel pœnitentiam conuenientem, quia maiorem debet imponere pro furto graui quàm pro leui: maximè autem locum habet hæc ratio in consuetudine, quæ valdè mutat statum eius pœnitentis. Neque hoc est obligare ad confitenda bis eadem peccata, cùm in secunda hac confessione non det pro materia antiqua peccata, nec de illis se accuset, sed explicet ea in directè, ad declarandum suum statum sicut Monialis vel alia existimata virgo, cùm reuerà non sit, quando accusat se de peccatis contra castitatem, debet explicare se iam non esse virginem, ac proinde declarare suum peccatum antiquum quod iam confessa erat (iuxta sententiam docentem illam circumstantiam causare diuersitatem specificam.) Item vxoratus qui cognouit consanguineam suæ vxoris, & postea peccat quoties petit ab vxore debitum, debet explicare suum incestum præteritum. Multa similia exempla possunt adferri pro eodem intento. E contrario verò sententia sequerentur grauissima incommoda, si v.g. aliquis per viginti annos cum concubina quotidie peccans quotidie etiam confiteretur, dicendo se sola illa vice peccasse cum illa; quid hoc turpius & magis contra fidem & reuerentiam debitam Sacramento?

42 *Propria sententia.* Ego in hoc puncto censeo esse cum distinctione procedendum; & Primò quidem non videtur ea sententia Sancij adeò esse contra omnes Theologos: quòd enim Cardinalis dicat omnes sentire, circumstantias aggrauantes debere declarari quando quis interrogatur, esto non sit obligatio à se illas dicendi, hoc inquam non adeò est certum nam Later Suarez contrario argumento (& meo iudicio efficaciter valdè) impugnat sententiam docentem, quòd non sint tales circumstantiæ apertiendæ, ait enim hoc iudicium esse liberum & spontaneum, ac proinde non esse obligationem dicendi quasi coactè, & post interrogationem, ea quæ non obligatur quis à seipso dicere etiam ante interrogationem. Non est ergo adeò ea res certa. Secundò, Non videtur vniuersaliter verum, quandocumque Confessarius me v.g. interrogat an commiserim anteà simile peccatum, me teneri id fateri: hoc inquam adeò non est verum, vt meo iudicio sit falsissimum; sequeretur enim, quemlibet Confessarium ad peccatum quodlibet pœnitentis posse interrogare, Committisne hoc alia vice necne? & his interrogationibus totam meam vitam iterùm scrutari, & eo modo, ad quemcumque Confessarium venirem, deberem mea omnia peccata præterita dicere, quo nihil durius esse, & nihil magis à confessione deterrens dici posset; solùm ergo admitti debet ea obligatio, quando reuerà in eo peccato habitualem consuetudinem quæ possit specialem medicinam exigere. Vide etiam Doctores, quando dicunt interrogatum pœnitentem de consuetudine teneri respondere, semper addunt, si legitimè interrogetur, id est ex legitima causa: vbi tamen addo, fortasse Confessarium sæpè iudicare se habere iustam causam ad interrogandum; quando tamen pœnitens prudens oppositum iudicat, ac proinde tunc non obligabitur ad ei respondendum. Addo, hanc ipsam obligationem etiam in casu magnæ consuetudinis satis difficulter posse probari: quòd enim dicebatur, Confessarium esse simul Medicum & iudicem, est quidem verissimum, non scio tamen an id possit hic applicari solidè; nam Confessarius non est Medicus & iudex nisi ratione peccatorum quæ hic & nunc eius iudicio subiiciuntur, non respectu aliorum, quæ iam sunt deleta. Pone me in aliis materiis grauissimè anteà peccasse, & quidem grauiùs quàm si habuissem consuetudinem in vnica materia luxuriæ valde longam: iam accedo cum aliis peccatis plurimè diuersis à prioribus, tenebòrne, si Confessarius me interroget, an anteà fuerim grauis peccator, ei respondere, Fui? Profectò hoc nemo dicet; & tamen si res prudenter consideretur, esto hæc peccata non sint reincidentia in eadem materia, quia tamen absolutè sunt reincidentia, & post frequentia & grauissima peccata, fortassis magis necessarium pro medicina esset Confessario illorum habere notitiam, quam si peccassem ex consuetudine in materia sola furti v.g. aut luxuriæ. Confirmo hoc: nam Confessarius vnicè sortitur rationem Medici in impositione pœnitentiæ, vt ferè omnes fatentur. Da ergo pœnitentem pro Iubileo aliquo facere confessionem: da item quod Bonifacius Octauus dicitur fecisse, prohibuisse scilicet imponere pœnitentiam quando confessio est in ordine ad Iubileum: in eo casu haud dubiè cessaret ratio Medici: ergo tunc non teneretur pœnitens etiam interrogatus aliquid dicere de sua consuetudine. Quòd verò suprà ad minuendam difficultatem

An & quando pœnitens teneatur explicare malè peccandi cõsuetudinem.

43

Confirmatio.

Reiicitur limitatio Lugo.

eius repetitionis dicebatur ab hoc Auctore, scilicet non obligari tunc pœnitentem ad secundò confitendum sua peccata, quia non dat tunc illa pro materia confessionis, sed dicit illa vt melius intelligatur conscientiæ status; hoc inquam non lenit, sed grauat potiùs eã doctrinam: difficultas enim in dicẽdis peccatis Confessario nullo penitus modo prouenit ex eo quòd illa dentur pro materia absolutionis; hoc enim est potius fauorabile, quia per absolutionem obtinetur remissio illorum, quæ est pro pœnitente maximus fauor. Consistit ergo illa difficultas in eo quòd alteri reuelem peccata quorum me grauiter pudet. Hæc autem difficultas sine dubio manet tota eo casu, licet ea peccata non dentur pro materia, & iuxta paulò antè dicta cessat etiam vtilitas, quæ repetitur dum dantur pro materia, quia nec remittuntur nec confertur gratia ob illorum confessionem; non ergo mitigatur per eam solutionem, sed augetur onus illud.

44 Vides ergo rem non esse adeò claram? si ostenderetur peccatum, eò quòd sit ex consuetudine, esse grauius, & quidem notabiliter, tunc esset obligatio eam consuetudinem dicendi, vt grauitas peccati in ea confessione subiecti iudicio Confessarij benè dignosceretur; at si inde grauitas non crescit, cùmque, vt dixi, Confessarius hodiernus non sit Medicus omnium morborum, sed eorum quos nunc dico, & & horum grauitas non pendeat à notitia præcedentium non facilè ostendi potest, cur debeam ego præcedentes morbos dicere.

Respondebis, quia non possunt præsentes curari sine ea notitia. Sed contrà, quia hoc absolutè est falsum. Secundò respondeo, hanc replicam etiam habere locum, quando peccata anteà in confessione dicta fuêre in alia specie; quia etiam tunc supponitur animus valdè propensus ad non multùm curandum quodcumque sit peccatum, & quodammodò ex eo capite est peior dispositio illius hominis quàm si tantùm in vna certa materia sæpè lapsus fuisset. Tertiò denique neque instantiæ, quæ suprà allatæ sunt de Moniali, &c. vllam habent pro præsenti puncto difficultatem, quia eo casu non potest declarari ea differentia specifica sine altero peccato; quid ergo mirum si sit ea obligatio indirecta dicendi antiquum peccatum? At in casu nostro nec species fortè nec grauitas individualis pendet ex ea consuetudine: vnde ergo erit ea obligatio? & verò statim apparet instantias non esse bonas, quia in eis non solùm post interrogationem, sed ante illam tenetur pœnitens manifestare antiquum peccatum; hic autem saltem interrogationem non est obligatio, ergo non est res hæc adeò certa.

Nihilominùs quando consuetudo talis est, quæ verè ipsa sit quasi maxima causa peccandi, necessum est eam manifestare, quia etiam tunc illius præsentis peccati notitia perfecta videtur exigere notitiam consuetudinis, cùm ea consuetudo reddat illud peccatum si non grauius, certè longè periculosius, ac proinde ex hoc capite alia requiratur non solùm pœnitentia, sed hortatio, etiam suspensio absolutionis ad tempus &c. quæ omnia locum habent etiam tempore Iubilei.

45 Ad id quod ego obieci de recidentia in peccata diuersæ speciei respondeo. Eo ipso quòd homo non habeat aliquam certam passionem aut consuetudinem ad aliquod determinatum peccatum, sed quasi vagè ad hoc & illud, faciliùs sanari vti humor, qui in corpore hinc inde vagatur, non est tam periculosus, quàm qui ad vnam certam partem potenter occurrit.

SECTIO VII.

An possit confessio oriri ex malo fine.

Hæc difficultas connexa est cum his quæ de dolore & proposito non peccandi tradita sunt; videtur enim cum his actibus esse non posse vllus malus finis, cùm à fine vitientur media ex illo procedentia. Propter hoc fortasse aliqui antiquiores Auctores, quos referunt Pater Suarez disp. 20. sect. 3. & Cardinalis Lugo etiam suprà sect. 9. indicarunt, non solùm non posse validam confessionem à fine malo oriri, sed eo ipso, etiamsi finis sit solùm venialiter malus, necessariò fore eam confessionem graue peccatum: quia rem adeò sanctam, & quæ est remedium peccati, ordinat ad peccatum. Quam doctrinam aliqui ex his Auctoribus transferunt ad voluntatem concionandi, celebrandi, audiendi Sacrum, vno verbo, ad omnes ferè actiones ex se ordinatis ad bonum spirituale proprium; talis enim homo abutitur illis in malum, quod videtur esse grauis deordinatio. *Prima sententia.*

Reijcitur. Hæc tamen doctrina vniuersaliter prolata videtur planè improbabilis, ideóque eam reiiciunt iidem Suarez & Lugo ibi cum Nauarro & Soto, quos citant: eam etiam Coninch impugnat disput. 31. de Matrimonio dubio 2. Ratio autem est facilis, quia licet sit inordinatio mala rem honestam dirigere ad malum finem, si tamen ipse finis non est nisi leuiter malus, non poterit ea inordinatio esse mala, nisi solùm venialiter; quia finis non potest dare electioni maiorem malitiam quàm in se habet, nisi per accidens inde sequeretur aliquod aliud graue damnum; quod tamen in præsenti ostendi nullo modo potest, maximè quoad eas actiones concionandi, celebrandi & audiendi Sacrum. Dico *maximè quoad eas actiones*, quia de confessione ipsa adhuc videtur habere locum illa ratio, quam initio tetigimus, quòd scilicet per eum malum finem impediatur actus doloris, qui est necessarius ad valorem Sacramenti; eo autem ipso fieret irritum Sacramentum; quæ est grauis indecentia. & hoc est quod nunc nos maximè vertimus in dubium.

46 Pro quo aduerto tripliciter posse contingere confessionem imperari à malo fine; Primò, vt ea intentio sit mortaliter peccaminosa; eo autem ipso libentissimè admittimus non posse validam fieri confessionem, quia nec potest absolutio esse valida, dum aliquod committitur peccatum mortale: vnum enim sine altero non dimittitur: nec interueniret ibi integra confessio; repugnat enim hominem confiteri & dolere de eo peccato, quod tunc actu committit & approbat dum confitetur: vnde si ad quamcumque confessionem esset necessarium confiteri omnia venialia, & de eis dolere, etiam diceremus non posse validam confessionem oriri ab vllo fine etiam solùm venialiter malo. *Tripliciter fine quoad esse. Primum fieri,*

Secundo igitur modo euenire potest imperium mali finis respectu confessionis vt quidem ab initio homo ex malo fine etiam grauiter peccamino *Secundum,*

caminoso voluerit confiteri; animo tamen malo iam mutato maneat in proposito confitendi ob aliquod aliud diuersum motiuum, quod de nouo intendit. In hoc etiam sensu non potest è contrario vllum esse dubium, quin valida & fructuosa possit esse ea confessio, si se in ea accuset, & doleat de fine illo grauiter malo, quem ab initio habuit; nam præcedens peccatum non obest valori & fructui confessionis, quando de illo quis se accusat & dolet: quod si in tali casu peccatum non fuit graue, non erit ad valorem pœnitentiæ necessarium illud confiteri, dummodò alia detur materia.

Tertius in quo habet locum quæstio.

His ergo casibus reiectis, veniamus ad tertium, in quo solo locum habet proposita quæstio, si finis imperans confessionem sit malus venialiter tantùm, duretque ille actu dum confessio fit, in eamque influat, ita tamen vt simul adhibeantur ab eo homine omnes omnino partes, quæ alioquin sunt necessariæ ad valorem eius Sacramenti, confessio scilicet integra omnium mortalium; vel si solùm habeat venialia, confessio seria aliquorum cum supernaturali attritione, &c. In hoc ergo casu quærimus, An sit validum Sacramentum, aut certe, ne videamur supponere contrarium eius quod in ratione dubitandi initio obiiciebatur, quærimus, An duo hæc cohæreant inter se, imperare confessionem ex malo fine, & simul adhibere omnes omnino partes, quæ sunt ad illius valorem necessariæ;

47

Potest confessio esse bona, quamvis imperata sit ab actu venialiter malo.

Conclvsio nostra sit, Omnino posse ea duo inter se cohærere. Quæ est sententia, vt dixi, Suarij, Lugo, Soti, Nauarri & Coninch suprà citatorum, & inter Recentiores communissima; & quidem valorem & fructum non impediri ex eo præcisè quòd homo peccet venialiter, videtur esse certissimum; nam veniale etiam actuale cohæret cum omnibus requisitis ad mortalium confessionem, & ad absolutionem validam. Secundò non impeditur ex eo, quòd ea intentio reddat malam voluntatem ipsam suscipiendi Sacramentum: etenim hæc voluntas esto sit essentialiter requisita, solùm tamen concurrit ad hoc, vt reddat voluntariam seu non violentam susceptionem eius Sacramenti; vnde in aliis Sacramentis, quæ possunt etiam pueris administrari sine vlla prorsùs voluntate ea suscipiendi, illa tamen causant in illis suum effectum gratiæ. Atqui vt ea susceptio Sacramenti sit voluntaria & seria, sufficit quòd ametur efficaciter siue ob hunc siue ob illum finem; ergo. Deinde quòd ea intentio venialiter mala non noceat impediendo dolorem & attritionem supernaturalem de peccatis, facilè potest ostendi; Primò, quia in confessione duo considerare debemus: vnum est, ipsa actio exterior confessionis, quæ videri ab aliis hominibus potest, ideoque sola potest apprehendi vtilis ad finem illum vanæ gloriæ; alterum est attritio & dolor interior de peccatis: illi autem actus propriè non possunt imperari ab eo malo fine vanitatis, quia ad illum sunt omnino inutiles; debent ergo imperari ab alia voluntate non faciendi confessionem sacrilegam; sed casu quo ob vanitatem vult confiteri exteriùs, vult simul & semel nó peccare mortaliter faciendo eam confessionem sine dolore & sine aliis partibus requisitis ad valorem illius confessionis.

Intentio venialiter mala non impedit dolorem pro confessione requisitum.

Dices: Sicut actus exterior imperatus ab interioti nullam addit malitiam aut bonitatem vltra eam, quam habet interior, vt fusè ostendi Tomo.3. ita actus interior si imperetur ab alio interiori reflexo nullam addet supra illum malitiam aut bonitatem; ergo actus contritionis aut doloris de peccatis imperatus ab intentione malâ venialiter nullam addet bonitatē supra illam ac consequenter non poterit esse dispositio, quæ ad valorem huius Sacramenti requiritur. Huic argumēto posset responderi ex sententia vel Patris Vasquez negantis actum interiorem voluntatis posse imperari; vel eorum qui dicunt nullum actum efficacem imperantem posse adimere libertatem actui imperato.

Obiectio

Responsio quorundam reiecta.

Vtramque tamen hanc doctrinam fusè reieci Tom.3. Patris quidem Vasquez disp.3. sect.2. & 3. alteram verò disp.4. sect.1. ideò de hoc punctò nihil amplius dicam: ibidem etiam reieci sententiam Suar. & quorumdam Recentiorum, qui docent, etiamsi actus imperans necessariò inferat imperatum, hunc tamen adhuc retinere propriam libertatem. Deinde sectione secunda eiusdem disputationis discussi aliam solutionē Card. Lug. qui cùm nobiscum doceat, actum imperatum pro determinato instanti non habere propriam libertatem, ideoque non addere malitiam aut bonitatem supra imperantem, vt tamen responderet obiectioni propositæ, dixit de facto non dari ordinariè tale imperium, sed pro hoc vel pro illo instanti; & eo casu si actus imperatus habeatur ante vltimum instans, ait fore eo ipso liberum etiam quoad substantiam, quia pro instanti sequenti poterat illud imperium cessare; ac proinde illud vt durans primo instanti nullo modo obligauit ad actum imperatum. Hanc inquam doctrinam ibi examinaui, dixique esse quidem probabilem, non tamen videri omnino veram nunc addo pro præsenti difficultate necessariam non esse, vt statim dicam.

48

Responsio absoluta.

Respondeo ergo ex dictis paulò antè, Eo casu confessionis ob finem vanæ gloriæ non posse illam attritionem oriri ab eo fine, quia ad illum est plane impertinens, sed ab alio actu disparato, quo, vt dixi, homo non vult Deum grauiter offendere: qui actus non habetur vllo modo ex intento vanæ gloriæ, vt per se constat, sed per accidens coniungitur cum ea vana gloria; ergo hæc non viciat illum actum attritionis: addidi autem ea disp.num.14. si ponatur casus ita Metaphysicus, vt idem actus venialiter malus imperet efficaciter pro determinato instāti attritionem, tunc non posse eam deseruire ad Sacramenti valorem: eodem autem numero & sequentibus examinaui aliud punctum, vtrùm scilicet actus contritionis supernaturalis carens propria libertate, & imperatus à timore pœnarum, aut à spe gloriæ, sufficiat de facto ex acceptatione Dei ad iustificationem: dixique rem esse planè incertā, & probabiliùs non sufficere: quādo autem instante mortis periculo ex timore inferni aliquis imperat contritionem, dixi ordinariè contingere vt eo instanti, quo est contritio, non existat actus ille timoris, ac proinde contritionem esse sufficienter liberam vt possit iustificare. Et satis de dolore vt est pars Sacramenti Pœnitentiæ.

DISPVTATIO XXXIX.

De Ministro huius Sacramenti in casibus reseruatis.

SVPONIMVS vt certum de fide solum Sacerdotem esse legitimum Ministrum huius Sacramenti, vt definitum est in Tridentino Sess. 14. cap. 6. quæ veritas semper fuit in Ecclesia Catholica constantissimè & sine dubitatione ab omnibus credita. Videatur Vasquez quæst. 93. art. 1. & Suar. disput. 24. sect. 1. Neque obest quòd Baptismus possit in casu necessitatis à quolibet etiam laico concedi: etenim in materia Sacramentorum (quæ tota ex Christi voluntate pendet (non valet argumentum: *In hoc Sacramento constituit Christus pro Ministro quemlibet hominem, ergo etiam & in alijs Sacramentis eum constituit:* alioquin & fœminæ possent dare validè absolutionem eo casu, imò & possent valide consecrare corpus & sanguinem Christi, & Sacerdotes alios ordinare; quia Baptismum etiam fœminæ possunt validè administrare, & quidem etiam extra casum necessitatis, licet tunc peccent; ergo argumentum hoc de Baptismo nullius est momenti: cur autem Christus pro illo omnes omnino homines voluerit esse sufficientes Ministros, non est huius loci; & quidem nos vix possumus nisi diuinando ea motiua tangere: suppositâ ergo eâ veritate,

1 *Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.*

Instantia à Baptismo refellitur.

SECTIO I.

An potestas absoluendi pendeat à potestate consecrandi.

2 *Quæstio propria. Ratio dubitandi.*

QVÆRITVR, An si quis dum consecratur Sacerdos omittat aliquid essentiale, ideoque non accipiat potestatem consecrandi corpus & sanguinẽ Christi, & postea tamen in fine Episcopus putans illum esse validè consecratum ei det potestatem absoluendi per illa verba, *Quorum remiseritis peccata*, &c. habeat potestatem validè absoluendi ex vna enim parte videtur habere, quia ibi sunt duæ potestates, quæ ex conceptu suo realiter distinguũtur; potuit enim Christus dare vnam sine altera; & verò reipsa potestas consecrandi confertur ante alteram: & casu quo post primam collatam moreretur Episcopus maneret Sacerdos ille ordinatus potens celebrare, non tamen haberet vllo modo potestatem absoluendi; potest ergo è contrario hæc secunda potestas concedi sine prima. Ex altera verò parte cùm Tridentinum & alia Concilia dicant solos Sacerdotes habere eam potestatem, ille autem qui non accepit priorem potestatem non sit vllo modo Sacerdos, non potest dici accepisse validè potestatem absoluendi. Respondeo, Omnino dicendum talem non habiturum eam potestatem propter rationem immediatè factam, quæ omnino conuincit intentum. Confirmatur quia alioquin posset etiam directè ex nequitia aliquis Episcopus validè dicere, cuilibet: Do tibi potestatem remittendi peccata, nihil dicendo de potestate ad consecrandum: id quod planè est contra sensum omnium Catholicorum. Ad rationem in contrarium dicimus, Esto duæ illæ potestates sint ex conceptu suo diuersæ, & potestas consecrandi possit concedi, imò re ipsa de facto concedatur ante potestatem absoluendi, Christum tamen de facto noluisse concedi hanc secundam nisi priùs te ipsa concessa priori. De hac autem voluntate Christi Domini nobis constat ex definitionibus Conciliorum & communi Ecclesiæ traditione; quomodo autem præter hæc requiratur etiam iurisdictio, dicemus infrà.

Resolutio quæstionis.

Hinc colligitur, id quod nonnulli Antiquiores videntur tradidisse Sacerdote deficiente debere nos in casu necessitatis cõfiteri laico (quomodo Magister loquitur, in 4. dist. 17. cap. 4. & D. Thomas ibi quæst. 3. art. 3. quæst. 2. in solutione primi) vt bonum habeat sensum, soiùm esse intelligendum de confessionẽ non ad remissionem peccatorum obtinendam, sed ad humilitatem aliquam: nec tamen ob hunc ipsum finem id expedit semper, quia potest alunde graui habere inconuenientia. Quam doctrinam non solùm intellige de remissione mortalium, sed etiam venialium; quia cum concedere virtutem remittendi etiam venialia sit proprium Dei, nequaquam debemus nos vlli actioni externæ id tribuere sine sufficienti & graui fundamento ex quo constet Deum eam potestatem delegasse tali aut tali personæ; in præsenti autem nullum penitus habemus vt dicamus laico datam esse eam potestatem; ergo.

Quo sensu dictum sit, absente Sacerdote in casu necessitatis confitendum laico.

Vbi obiter quæres, An si laicus tentaret absoluere à peccatis, esset irregularis nẽne. Respondeo breuiter, si putaret in casu necessitatis posse à laico dari eam absolutionem, non fore irregularem, quia non exerceret actum Ordinis vt Ordinis, sed illum quem putaret etiam aliis non ordinatis conuenire posse: quòd si eam absolutionem tentaret fingendo se Sacerdotem, tunc incurreret irregularitatem iuxta generale principium, quòd qui attentat actum Ordinis illum non habens, fiat irregularis, de quo vide P. Suar. Tom. 3. in 3. Par. disp. 71. sect. 4. & Tom. 5. de Censuris disp. 42. sect. 4. n. 10. Nobis hæc breuiter tetigisse sufficiat, quia hoc punctum pertinet ad materiam de Censuris, vti alterum, quod etiam tractatur hîc à nonnullis, vtrùm in eo articulo mortis possit laicus absoluere saltem ab excommunicatione.

4 *An laicus tentans dare absolutionem incurrat Irregularitatẽ.*

Circa quod breuissimè dico, Aliquos, quos Diana refert & sequitur Tom. 1. Tractatu de Sacramentis, resol. 113. affirmare; quia sicut in eo casu datur ab Ecclesia omnibus Sacerdotibus facultas absoluendi à quibuslibet peccatis, ita eadem Ecclesia censeri debet dedisse laicis potestatem absoluendi à censuris, qui hanc potestatem potest tribuere etiam laicis, vtilitas autem eius concessionis esset non quidem ad libertatem à damnatione æterna, sed vt possit ille infirmus, si moriatur, sepeliri in loco sacro, & pro eo possint offerri Sacrificia. Contraria tamen

Alia quæstio.

5

sententia,

sententia, quam tenet Suarez, Vasquez, Sanchez, Sotus, Couinch, Layman, Villalobos, Couarruuias apud eumdem Dianam suprà, Paludanus, Nauarrus, Vgolinus & Graffius apud Suarez Tomo 5. disput. 7. de Censuris sect. 6. videtur probabilior: quam proboratione immediatè antè facta, quia potestas, quæ ex se soli conuenit altiori iurisdictioni non, debet vllo modo dici concessa minori nisi de ea concessione positiuè constet. Atqui nullus est textus vnde colligi possit concessum laicis ab Ecclesia eam potestatē; ergo: quod enim dicat Tridentinum, in articulo mortis quemlibet Sacerdotem posse absoluere à censuris & peccatis, nihil omnino probat de laico; imò cùm ea licentia limitetur ad Sacerdotes, eo ipso videtur quasi positiuè exclusus laicus. Confirmatur, quia illam potestatem simplicis Sacerdotis ad absoluendum à censuris & excōmunicatione in articulo mortis dicit ipsum Concilium fuisse semper in praxi in Ecclesia Dei, atqui nunquam fuit in Ecclesia vsus, quòd laicus absolueret ab excommunicatione, ergo.

Non potest laicus absoluere ab excommunicatione in articulo etiam mortis

Dices: Augustinus relatus in cap. *Sanctum est*, de Consecratione, distinct. one 4. approbauit reconciliationem factam in periculo vitæ à quodam laico. Respondetur Primò ibi Augustinum non dicere, eam fuisse validè & licitè factam, sed bono animo, & zelo, ac proinde à Deo acceptam ad liberandos illos duos à naufragio. Secundò respondetur, Fortasse non fuisse reconciliationem excommunicati, sed publici pœnitentis. Sed iam ad rem de Ministro Sacramēti.

SECTIO II.

An omnis Sacerdos in articulo mortis habeat iurisdictionem absoluendi.

SVBSECTIO PRIMA.

Datur in eis ea potestas: & vnde proueniat.

6 *In articulo mortis quilibet Sacerdos est Minister Pœnitentiæ.*

IN articulo mortis quemlibet Sacerdotem esse sufficientem Ministrum huius Sacramenti constat ex Tridentino Sessione 14 cap. 7. vbi ita ait; *Pie admodum, ne hæc ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscumque peccatis & censuris absoluere possint.* Circa quæ Primò quæritur, An ea potestas sit à Christo immediatè concessa; ita enim sentiunt Canus, Paludanus, Durandus & Ruardus apud Patrem Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 3. Probabilius tamen est, ex ipsius Ecclesiæ confessione id prouenire, vt reliqui omnes Doctores tenent; quos refert Suarez disput 26. num. 7. & Vasquez suprà; probatur quoque ex verbis ipsius Tridentini; quod ait eam consuetudinem piè seruatam semper in Ecclesia, quibus ostendit tacitè, ex Ecclesiæ pietate & condescendentia ortum traxisse eam consuetudinem; & hinc videtur facere, quòd ipsi Pontifices quando reseruant sibi absolutionem alicuius peccati, solent addere, *Præterquam tamen in mortis articulo*, quæ additio otiosa penitus esset si in potestate ipsorum non esset etiam pro ea hora ea peccata reseruare nisi fortè

Vnde profluat ea facultas.

dicas, ideò ea verba addi; non quia ipsi habeant facultatem reseruandi, sed quia volunt vt omnibus constet nullam tunc esse reseruationem, vndecumque id oriatur; aut fortè quia tunc etiam adnectunt censuram, volunt ostendere non esse in eo articulo reseruationem censuræ.

7 *Aliorum probatio discutitur.*

Hoc ipsum probant aliqui, quia ad absolutionem omnem requiritur iurisdictio, vt Tridentinum definit; ea autem iurisdictio aut est ordinaria aut subdelegata. Dici autem non potest, quòd omnes Sacerdotes habeant ex officio quòd sint inuicem Pastores & oues; ergo non habent ordinariam, ergo subdelegatam, ergo à supremo Pastore in terris, id est à Christi Vicario prouenientem. Hoc tamen argumentum me iudicio non est efficax, quia dicent Aduersarij eam iurisdictionem esse ordinariam pro eo tantùm casu, neque esse inconueniens vllum; si ratione illius dicantur secundùm quid inuicem Sacerdotes omnes inter se Pastores & oues pro illa mortis hora; vti hi ipsi, qui hoc argumento vtuntur, debent admittere eam mutuam subordinationem saltem ex concessione Papæ; quæ autem, eos rogo, maior repugnantia in hoc, quòd id habeant ex Papæ concessione quàm ex ipso Christo, sive ipsi in vtroque casu illam haberent? Quidquid ergo de hac ratione sit, sufficienter, vt dixi, probatur communis sententia, quia nullum est argumentum ostendens debere nos pro ea potestate recurrere ad Christum.

Obiectio.

Dices; Si Christus ipse eam facultatem non dedisset omnibus, reliquisset fideles sine sufficienti remedio pro hora mortis. Respondeo Primò, Posse eos fideles elicere actum contritionis, vti in casu quo nullus plane adsit Sacerdos. Secundò respondeo, Satis esse quòd Christus induxerit Vicarios suos ad hoc, vt eam licentiam vltrò fecerint omnibus Sacerdotibus: in hoc enim maximè ostendit suam prouidentiam circa Ecclesiam.

Responsio prima.

Secunda.

8 *Noua quæstio.*

Dixi *omnibus Sacerdotibus*, circa quod dubitari potest, vtrùm ea sit planè concessa omnibus siue excommunicatis siue degradatis, siue hæreticis, dummodò veri sint Sacerdotes. Respondeo, Ecclesiam omnibus his potuisse eam facultatem concedere; quòd autem de facto eam etiā concesserit, verba ipsa, quæ vniuersalia sunt, & sine vlla planè limitatione testantur.

Obiectio.

Dices; Sanctus Hermenegildus passus est martyrium, ne communicaret de manu Episcopi Ariani; ergo non licet hæretico Sacerdoti confiteri. Respondeo Primò, Id factum extra articulum mortis; nos autem loquimur de eo articulo, pro quo Ecclesia admittit hæreticos ad tradendam absolutionem. Secundò respondeo, Tunc temporis eam communicationem futuram fuisse signum quòd Sanctus Princeps in Arianam hæresim consentiret. Vnde addimus, si contingeret vt confiteri hæretico esset consentiendum signum hæresis, non deberet homo illi confiteri, sed se ad iustificationem per contritionem habendam excitare. Notat tamen benè Lugo hoc periculum vix posse esse, quia si homo testetur se nullo modo consentire hæresi illius Sacerdotis, sed confiteri illi; quia alioquin id permitteretur ab Ecclesia & vult ipse quantum potest suam salutem assecurare, tolleretur omnis occasio scandali; quòd si tamen adhuc post eam protestationem nonnulli scandalizarentur, id non deberet curari, sed iudicandum esset vt passivum scandalum. Tertiò respondeo ad sanctum Hermenegil

Responsio prima.

Secunda.

Tertia.

menegildum, Ibi non fuisse actum de cõfessione sed de Communione: quæ cùm non sit ita necessaria ad salutem, non ita potest ex manu hæretici suscipi sicut confessio, ne homo ex huius defectu damnetur.

9 *Quid intelligendum nomine articuli mortis.*

Quæres quid intelligatur per articulum mortis, an illud tempus quo iam homo vel animam agit, vel violenter est occidendus, an periculum ipsum mortis; vt cùm miles aggreditur hostem, cùm incipit nauigationem periculosam, &c. Aliqui putarunt solùm eo primo casu esse eam facultatem generalem absoluendi; alij verò melius dicunt ea duo pro eodem reputari: ita exceptis duobus aut tribus tenent Auctores, vt videre est apud Dianam Tomo 2. Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 1. & Thomam Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 13. Ratio huius est, quia si ille articulus rigorosus esset expectandus, non esset prouisum necessitati, ob quam Ecclesia dat talem facultatem; passim enim fieret, vt quando veniretur ad illum articulum, iam homo nec loqui posset, nec etiam haberet copiam vllius Confessarij. Vnde sicut ob periculum illud mortis etiam ante extremum articulum obligatur homo confiteri; ita tunc fruitur eo priuilegio seu facultate ab Ecclesia pro eo articulo concessa. Ego tamen putarem, quando quis nauigationem etiam maximè periculosam inchoat, si habet secum Sacerdotes, à quibus subortà fortè tempestate possit absolui, non debere iudicari periculum mortis, nisi dum incipit tempestas, vel si ipse Sacerdos incipiat ægrotare, tunc enim poterit ab eo absolui ab omnibus casibus reseruatis, &c. pro ipso verò Sacerdote, si solus sit, tum periculum incipit quando nauigationem inchoat, quia ipse sibi absolutionem dare non potest; quòd si sit alius cum ipso, debebit de eo, vti de laico immediatè antè, discurri.

Obiectio. Dices contra priorem partem: Potest fortè in ipsa nauigatione Sacerdos repentè mori, quando non erit commoditas alium quærendi: ergo etiam pro tali laico erit periculum in initio nauigationis. *Responsio.* Respondeo, Ex eo capite aliquid esse difficultatis: quia tamen talis mors repentina est valdè extraordinaria, non putarem ex eius præcisè timore posse iudicari initium eius nauigationis articulum mortis, vt eadem causa possit nauigaturus confiteri cuilibet. Non est eodem modo discurrendum de eo qui pugnam incipit: nam licet apud se Sacerdotem habeat, periculum tamen iam censetur incipere ab ipso pugnæ initio: non enim potest Sacerdotem habere præsentem ad omnem partem, ad quam se miles vertit: deinde ictus superuenientes auferunt vitam repentè antequam in ipso extremo articulo possit cogitare de confessione: idemque periculum est circa ipsum Sacerdotem. in nauigatione nõn habet id locum, quia tempestas non euertit in momento nauim, sed semper dat locum confessioni saltem in genere, si multæ sint in naui personæ & vnus tantùm confessarius.

10 *An in eo articulo præsente Sacerdote habente iurisdictionem, possit nihilominùs alius adhiberi. Prima sententia*

SVBSECTIO SECVNDA.

Quomodo debeat intelligi ea potestas quoad casus reseruatos.

PRæcipua in hoc puncto restat difficultas, Vtrùm ita in articulo mortis sit facta absoluendi potestas omnibus Sacerdotibus, vt tamen id sit intelligendum, si non adsit proprius Parochus aut Superior, qui habeat ordinariam facultatem absoluendi. De quo puncto fusè agunt Auctores. Prima sententia affirmat ita intelligendam eam licentiam, eò quòd Concilium propter periculum æternæ damnationis eam facultatem tribuit; ergo quando adest proprius Parochus & periculum cessat, non est cur credatur aliis concessa huiusmodi facultas: ita Suarez, Vasquez, Sanchez, Azor, Valentia, Molina, Turrianus, & alij, quos refert Diana Tomo 2. Tractatu de absolutione ab hæresi, resolut. 5. & Tomo 3. Tractatu 4. Miscell. resolut. 161. eamdem tenet Lugo disput. 18. n. 24. Secunda sententia negat adhiberi debere talem limitationem. Ita Sà, Nauarrus, Petrus Ledesma, Emanuel Rodriguez, Vega, Henriquez, Barbosa, Villalobos, Coriolanus, Conradus, & multi alij, quos refert & sequitur Diana ibi: eamdem etiam iudicat probabiliorem Tannerus disput. 6. quæst. 9. dub. 3. quibus ego etiam subscribò. Pro maiori verò claritate oportet distinguere duas difficultates, quæ non ita ab Auctoribus distinguuntur: vna est circa reseruationem casuum, altera circa confessionem de peccatis non reseruatis: sunt enim ea duo valdè distincta: nam esto qui nullum habeat reseruatum peccatum, sed mortalia ordinaria, non tamen ideò potest cuilibet Sacerdoti confiteri, sed debet vel suo Parocho, vel ei qui habet priuilegium absoluendi à mortalibus. Possumus ergo quærere, Vtrùm si quis in eo periculo mortis habeat casus reseruatos, possit à suo ordinario Confessario absolui non petita licentia à præsente Superiore. Secundò præterea quæritur, Vtrùm ita possit absolui ab eis peccatis non solùm ab ordinario Parocho, sed etiam à quolibet Sacerdote alias non approbato, esto præsens sit aliquis alius approbatus ab Ordinario & habens ordinariam iurisdictionem.

Defenditur. *Duplex hîc quæstio.* *Prima.* *Secunda.*

11 *In articulo mortis cessat omnis reseruatio.*

Hoc posito circa primum dubium omnino iudico cessare tunc reseruationem, quia verba Tridentini manifestissimè id indicant; dicit enim, *Vt nulla sit reseruatio in articulo mortis*: si autem in eo casu infirmus omnino teneretur etiam adire per se vel per Confessarium suum Superiorem, & ab eo petere licentiam pro eis casibus, esset tota quanta reseruatio, quæ solet esse extra casum mortis; nam etiam extra eum casum non teneor adire Superiorem si non possum. V. g. instat obligatio communicandi, & habeo alia mortalia præter reseruatum, nec possum cõmodè adire Superiorem, communiter docetur posse me tunc confiteri cuilibet approbato Cõfessario, licet cum onere deinde comparendi; ergo si in hora mortis tenerer adire, si cómodè possem meum Superiorem, tota quanta reseruatio, quæ est in aliis casibus, esse etiam tunc; hoc autem manifestè est contra Tridentinum, quod è contrario dicit nullam esse tunc reseruationem: & ita videtur Lugo sentire suprà fine numeri 27. dum ait infirmum non obligari ad petendam facultatem per Confessarium vel alium nuntium, aut ad manifestandum seipsum. Fateor hunc eumdem Auctorem videri docere contrarium infrà num. 33. vbi ait Si casus reseruatus sit ex iis à quibus Episcopus iure ordinario possit absoluere tunc, quamuis infirmus nõ possit accedere Summum Pontificem, si tamen possit Episcopum, non debere censeri infirmum illum carere copia Superioris: vbi innuit eum teneri saltem Episcopo se sistere, & non posse ab inferiori

Mens Lugo in hoc puncto

riori absolui; cuius contrarium videbatur dictum eo num.27.

12 *Quid de mente Suarez.*

Eodem modo non videtur P. Suar. satis constanter in hoc puncto discutisse: ex vna enim parte supponit, si adsit Superior, qui possit absoluere à reseruatis, debere ad eum recurrere infirmum siue mediatè; siue immediatè ex altera verò parte ait, si adsint duo tantùm Sacerdotes, vnus habens priuilegium absoluendi à reseruatis alter non; si tamen ambo sint approbati, non teneri tunc infirmum confiteri ei qui habet priuilegium, sed posse alteri. Qui doctrinæ non cohærent inter se, nam vel absolutè eo articulo mortis tollitur reseruatio, vel solùm quatenus est necessarium, ne infirmus moriatur sine confessione. Si absolutè tollitur, ergo quantumvis ibi sit Superior, qui ea peccata antè reseruauerat, non tenebitur ei confiteri infirmus, sed poterit cuilibet alteri habenti iurisdictionem ad mortalia non reseruata. Quod si ideo dicatur reseruationem non tolli absolutè, sed quatenus necessum est ne infirmus moriatur sine Sacramento; ergo cum sibi qui potest à reseruatis absoluere, iam cessabit periculum; ac proinde non poterit confiteri alteri non habenti potestatem absoluendi à reseruatis: ergo duæ hæ doctrinæ inter se non cohærent.

Quid de Sanchez & aliis Auctoribus.

Denique & Sanchez & alij contrariæ sententiæ Auctores non videtur satis consequenter loqui; nam (teste ipso Lugo n.27. potest inferior Sacerdos absoluere infirmum à casibus Episcopo reseruatis; nec obligatur Confessarius ad petendam licentiam ab Episcopo, licet possit; nec etiam infirmus tenetur eam licentiam per litteras vel per nuntium petere. Hæc autem non videntur plane conformia his quæ & idem Lugo n.13. tradit; vbi ait, Si casus sit reseruatus Episcopo, debere eum audiri, si possit pro absolutione. Deinde neque sunt conformia aliorum doctrinæ; *Quod si adsit ipse Superior, tunc infirmus tenetur illi confiteri* etenim quid quæso ad rem nostram facit, quòd absit aut præsens sit Episcopus seu Superior, si licet absens, potest tamen adiri sine periculo, ne interim moriatur infirmus sine confessione: eo enim ipso iam cessat tota quanta necessitas, in qua illi vnicè fundant facultatem inferioris ad absoluendum à reseruatis; ergo debent vel negare vniuersaliter eo casu posse inferiorem sine licentia Superioris absentis, qui tamen adiri possit, absoluere; vel certè, esto præsens sit, debebunt dicere, eius licentiam non esse necessariam. Quidquid de consequentia horum Auctorum sit nostra conclusio ex illo verbo Tridentini, *nullã esse reseruationem*, satis clarè probatur, quia *Tò nulla* omnem omnino negat reseruationem, Vlteriùs confirmatur; nam (vt aliqui ex nostræ sententiæ Auctoribus benè ponderarunt) non dixit Concilium, nullam esse reseruationem si absit Superior, aut si absit Confessarius habens ordinariam iurisdictionem, sed absolute sine vlla limitatione id docuit: non est ergo cur nos addamus verba quæ nullo modo includuntur.

13

14 *Obiectio.*

Dices: Tridentinum ideò dat eam facultatem, ne infirmus sine confessione decedens periclitetur de salute: atqui si adsit Superior, qui possit absoluere; iam cessat illud periculum: ergo. Respondeo Primò, Licet id fuerit motiuum, potuisse tamen Ecclesiam ampliorem facere potestatem vt bene Lugo notat ostendens hoc argumentum esse debile pro sua sententia: confirmatúrque id ex doctrina, quæ in materia de Legibus solet tradi, Legem extendi etiam ad casus, in quibus per accidens videtur cessare eius motiuum; vti fornicatio dicitur contraria naturæ propter periculum malè educendæ prolis: nihilominùs est mala etiam, vbi illud periculum omnino videtur cessare. Idem ergo in simili dicere debemus, Legem illam esse vniuersalem etiam ad casum, in quo motiuum illius videtur per accidens cessare. Secundò, respondeo, Falsum esse cessare motiuum illud in eo casu: nam licet præsens sit Superior, adhuc infirmus potest habere tantam difficultatem ei se manifestandi, & apud illum amittendi suum bonum nomen, vt summè ei reddatur difficilis confessio tunc, & vti Ecclesia eam reseruationem induxit, vt ob illum pudorem homines coërcerentur à committendis talibus peccatis, ita eadem Ecclesia supponit posse huiusmodi pudorẽ esse occasionem vt infirmus habeat summam difficultatem confessionis: volens autem tunc temporis efficere quam potest suauem confessionẽ, piè abstulit omnem reseruationem: & quidem in eo casu etiam cessat motiuum ipsius reseruationis, quod est, ne homines cadant facilè in talia peccata: hoc inquam tunc cessat, cùm non timeatur iam in eo moribundo relapsus in illa: ergo.

Secunda.

Responsio prima.

Contra hanc tamen solutionem obiicies Secundò, Nam saltem si nullus adsit tunc Confessarius nisi Superior, debebit illi confiteri non obstante tota ea repugnantia: ergo etiamsi adsit alius Confessarius poterit obligari ad confitendum Superiori. Respondeo, Me ideò dixisse Ecclesiam tunc piè voluisse facilitare confessionem illam, quantum fieri potest. In casu autem, quòd nullus alius sit Confessarius, cùm non valeat Ecclesia liberare ab obligatione absoluta confessionis imposita à Christo, non potest etiam infirmo illi amplius succurrere: tenebitur ergo infirmus confiteri reseruata vti reliqua peccata non reseruata.

Obiectio secunda.

Responsio.

15 *Obiectio tertia.*

Tertiò principaliter obiicies cum Sanchez, ex quo Lugo etiam idem obiicit: Ecclesia non vult nouum ius condere, sed antiquum obseruari: ideò enim dixit ipsum Concilium, *Piè in Ecclesia obseruatum est.* Atqui nunquam in Ecclesia fuit obseruatum, vt præsente Prælato posset Sacerdos inferior absoluere morientem à reseruatis: ergo neque id concessit Tridentinum. Consequentia videtur esse valdè bona, antecedens probatur variis antiquis Canonibus, in quibus dicitur, Ne Presbyteri absoluant infirmos sine licentia Episcopi, si adiri hic potest. Meritò indicat Lug. hæc testimonia nõ esse ex integro ad rem, cùm in eis agatur de absolutione à censura, addit tamen posse inde deduci argumentum, quia sicut pro absolutione à censura debet recurri ad Episcopum, ita videtur cum proportione de absolutione à peccatis. Mirot hunc auctorem eo modo deducere argumentum, cùm immediatè ante dixerit, pro absolutione à reseruatis non esse necessarium recurrere ad Episcopum: quomodo ergo argumentatur ex recursu ad eundem Episcopum pro absolutione à censura ad recursum pro absolutione à reseruatis? Respondeo, In censura esse disparem rationem: Primò, quia cùm illa sit ordinariè nota, non est vlla difficultas pœnitenti se manifestandi ex eo quod recurratur ad Episcopum: secùs est in reseruatis peccatis quæ sunt occulta. Secunda differentia est clara: nam absolutio à censura nõ

Responsio.

est

est ad salutem necessaria : in ordine autem ad hoc vt sepeliatur ille in loco sacro, & pro eo fiant Sacra & aliæ orationes Ecclesiæ, potest etiam post mortem obtineri licentia.

16 *Obiectio quarta.*

Obiiciunt Quartò: Nam saltem in textu, qui ex Euaristo Papa adducitur, agitur de confessione: in hoc enim ita legitur: *Presbyteri de occultis peccatis iussione Episcopi pœnitentes reconcilient, & sicut suprà posuimus infirmantes absoluant, & communicent.* Respondeo tamen hunc textum minùs meo iudicio vrgere: quia non constat ibi esse sermonem de peccatis reseruatis specialiter ipsis Episcopis: de quibus solis nunc agimus. Nam si peccata non erant reseruata, tunc textus probaret etiam contra Auctores qui eo vtuntur: nam pro peccatis aliis non est necessum recurrere ad Episcopum in casu mortis, de quo agimus, sed nec extra illum. Secundò, quia illa prior pars *iussione Episcopi* non cadit supra infirmos: ad illos enim verba tantùm illa, *& sicut suprà præmisimus*, extenduntur. Quid autem fuerit illud quod præmiserat, aut quis modus reconciliandi, cùm integrum caput non exter, non possumus dicere: maximè cùm ibi coniungatur cum absolutione Communio. Ad dandam autem Communionem moribundis: certum est non esse necessariam per licentiam Episcopi. Tertiò probabiliter dici potest, ibi agi de his infirmis qui erant publicè excommunicati, & vt *absolvuntur*, debebit de excommunicatione intelligi, vt posteà possint communicare.

Responsio prima.

Secunda.

Tertia.

Obiectio quinta.

Quintò obiicit præterea Extrauagantes duas: vnam Benedicti XI. quæ habetur inter communes libro quinto: alterem Bonifacij eodem etiam libro: in quibus solùm conceditur licentia absoluendi, si Episcopus & Pontifex non possit adiri. Respondeo tamen, Hos textus non esse vllius momenti contra nos: nam Bonifacius solum agit de absolutione ab excommunicatione: iam autem diximus ex hoc non benè trahi argumentum ad casus reseruatos: Benedictus verò non dicit, nisi quòd si timeatur mors, antequam possint absolui ab Episcopo, illos possint absoluere Religiosi; vbi non loquitur ad casum nostrum, quia (vt diximus suprà) hoc priuilegium absoluendi hora mortis habent etiam non Religiosi. Secundò, quia ibi non dicit, quòd in ipso mortis periculo recurratur ad Episcopum (de quo solo puncto nunc agimus) sed quòd si antequam absoluantur incidant in mortis periculum, possint à Religiosis absolui; nec exigit ibi Pontifex, vt post periculum illud inchoatum adeatur Episcopus. Tertiò denique, quia expressè agitur ibi de peccato, cui annexa est excommunicatio; de quo iam diximus esse longè disparem rationem; eodem modo respondetur ad alium textum ex cap. *Qui*, de sententia excommunicationis, in 6. vbi dicitur, Eum, qui in hora mortis instante necessitate absolvitur à censura reseruata, debere se sistere posteà si superuixerit; respondetur inquam, Ab excommunicatione non benè desumi argumentum ad nostrum casum; ergo ex his textibus nihil planè colligitur contra nostram primam conclusionem.

17

Obiici denique solet, quòd Ecclesia in hora mortis non minùs sit solicita vt prouideat de aliis Sacramentis quam de Pœnitentia; & tamen nec Euchatistiam, nec Extremam Vnctionem permittit dari sine licentia Parochi; & in ipsa Pœnitentia habet locum hæc consuetudo (quam ignorare non poterant Patres Concilij;) certum enim est neminem in hora mortis confiteri alieno Parocho, nisi vel de licentia proprij, vel in eius absentia. Hæc tamen obiectio non concernit hanc, sed secundam nostram conclusionem, quia hic non asserimus, nisi quòd eo articulo planè cesset omnis reseruatio casuum; verùm autem sicut extra mortis periculum nequimus mortalia non reseruata confiteri cuilibet Sacerdoti, sed habenti iurisdictionem, ita etiam idem dicendum sit in articulo mortis, sequenti sectione declarabitur.

SVBSECTIO TERTIA.

Quid de mortalibus non reseruatis: vbi de obligatione se sistendi, si conualescant.

CIrca primam partem propositi dubij probabile valdè mihi videtur non posse simplicem Sacerdotem absoluere nisi in absentia alterius ordinarij Confessarij; hoc est in articulo mortis non posse Religiosum confiteri cuicumque Confessario approbato, sed illi, cui poterat extra mortis articulum: id quod probatur primò ex vltima ratione contra priorem conclusionem facta, quia reuerà hic videtur esse Religionum omnium vsus, vt etiam tunc non audeant Religiosi confiteri nisi ei qui est assignatus Confessarius; quòd si alteri volunt confiteri, semper petunt licentiam à Superiore; signum ergo est eos supponere, se non habere potestatem eligendi quem velint; si autem in Ecclesia Dei fuisset semper ea licentia, certè non potuisset illa ignorari à Religiosis, qui maximè docti sunt: & nouerunt optimè quid sit iuris in hoc puncto. Tridentinum autem ibi id, quod dicit licere omnibus in eo articulo mortis, supponit fuisse semper in Ecclesia obseruatum. Secundò, quia expressè idem Tridentinum solùm ibi agebat de reseruatione aliquorum peccatorum enormium; quam reseruationem subiungit statim nullam fuisse aut esse in Ecclesia Dei in articulo mortis: circa reliqua verò peccata mortalia non reseruata nihil dicit ibi, quòd possint à quocumque Sacerdote etiam non approbato, & in præsentia habentis iurisdictionem, absolui: non ergo debemus nos eam licentiam extendere.

18 *Possunt in vt articulo absolueresquinam Sacerdos à mortalibus non reseruatis si adsit habilis potestatem legitimam.*

Verùm retorquebis argumentum: Si nihil dixit ibi Concilium de ea potestate, ergo etiam in absentia Confessarij habentis iurisdictionem non poterit absoluere simplex Sacerdos: hoc autem est clarè falsum. Secundò: Quomodo ergo vniuersaliter intulit ibi Concilium, *Atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absoluere possunt?* Respondeo, Duo tradi ibi à Concilio: vnum est nullam esse reseruationem peccatorum illorum, de quibus fuerat anteà locutum: per quam clausulam reliquit omnia peccata mortalia æqualia inter se quoad punctum hoc absolutionis de quo agimus: alterum ibi tradit, quòd scilicet omnes Sacerdotes possint absoluere, &c. in hac autem non dixit, quòd possit quilibet etiam in præsentia aliorum habentium iurisdictionem ordinariam, sed quòd absolutè possint: id quod verissimum est, si explicetur eo modo quo id explicat maior pars Theologorum, id est seruato ordine debito, scilicet vt non possit simplex Sacerdos præsente eo qui habet iurisdictionem. Solum videtur habere difficultatem, quòd id intulerit Tridentinum ex priori clausula dum dixit,

19

dixit, *Atque ideò*. Vnde ego(vt verum fatear)ex eis verbis, attentis etiam quæ immediatè post subiungit: *Extra quem articulum Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores & & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant*: his inquam verbis attentis, putarem Tridentinum ibi non locutum de omnibus omnino Sacerdotibus excommunicatis,& non habentibus ordinariam facultatem,&c. sed de legitimis alioquin Confessariis pro peccatis mortalibus non reseruatis;ac si diceret, *Vnde in articulo mortis quilibet Confessarius ordinarius habet potestatem absoluendi à quibuscùs peccatis, quantumvis alias reseruatis & enormibus.*

10 Dices adhuc: Vnde ergo constat,quòd in hora mortis quilibet Sacerdos simplex saltem in absentia approbati Confessarij possit absoluere ab omnibus peccatis? Respondeo, Id ante Tridentinum fuisse perpetua traditione scitum; vt patet ex Auctoribus qui ante Tridentinum scripserunt:qui tamen,vt Syluester.Rosella,Armilla, ita docent dari eam potestatem in simplici Sacerdote, vt solùm id intelligant in absentia Confessarij approbati.

Quòd si tamen hæc explicatio Tridentini vi deatur aliquibus dura, & omnino contendant, etiam in eo dari omnibus Sacerdotibus facultatem absoluendi, potest adhuc responderi ad obiectionem illa verba, *atque ideò*, non esse per modum propriæ illationis ex priori clausula in qua dicimus solùm esse sermonem de casibus reseruatis,sed quasi ampliatiuè, vt dicat *In hora mortis nulla est reseruatio: imò & quilibet Sacerdos potest quoslibet pœnitentes à quibuscùs peccatis quantumvis enormibus*,&c *absoluere*. Hinc tamen nihil colligitur, quòd possit Sacerdos simplex absoluere in præsentia habentis iurisdictionem.

Quid obseruandum à pœnitente in eo articulo,si adsint plures Sacerdotes.

Circa quod punctum vlteriùs obserua Primò, etiamsi dicamus simplicem Sacerdotem aut etiã excommunicatum degradatum,&c. habere potestatem absoluendi in præsentia approbati, nihilominùs pœnitentem teneri,cæteris paribus, ex lege charitatis eligere eum,quem scit ita esse dispositum, vt sine peccato ex administratione iniusta eius Sacramenti possit dare absolutionem. Ratio est manifesta, quia si possum meam vtilitatem omnem habere non dando occasionem proximo grauiter peccandi, haud dubiè id debebo efficere. Dixi *cæteris paribus*, quia fortassis ego possem habere talem & tam grauem difficultatem respectu alicuius, vt ea esset sufficiens ratio ad hoc; vt ego passiuam illam occasionem alteri non benè dispositio darem. Dico *passiuam*,quia Confessarius potest,si velit, tunc per actum contritionis se disponere,vt sine peccato administret illud Sacramentum. Pro quo puncto non tam est considerandum quòd ille sit vel degradatus, vel suspensus, vel irregularis, quia hæc omnia possunt repetiri sine actuali ipsius peccato,ac proinde cùm iuxta eã sententiam supponatur habere licentiam confessiones audiendi,non peccabit audiens;non itaque hæc tam consideranda quàm, vtrùm ille sit hæreticus,publicus peccator,&c. & credatur non conaturus se ad iustificationem disponere antequam audiat confessionem illam; vnde ex hoc capite deberet etiam aliquando priùs peti, vt audiret confessiones aliquis irregularis aut degradatus; quem tamen iam possemus probabiliter iudicare esse in statu gratiæ,quàm vt aliquis etiam ordinarius Confessarius, de quo mihi certò constaret,quòd esset in graui peccato,nec facilè illum habiturum vllum actum contritionis hic & nunc. Dixi, *Ex hoc capite debere talem præferri*, quia fortassè propter scandalum præsentium deberem tunc recurrere ad hunc licet peccaminosum,legitimum tamen Confessarium. *Limitatio quædam proponitur.*

Secundò aduerto etiam in sententia, quæ dicit simplicem Sacerdotem non posse validè absoluere in præsentia habentis iurisdictionem,id ita intelligendum, si hic velit audire confessionem; si enim nolit,tunc debet iudicari perinde ac si non adesset.

Tertiò aduerto, datâ eâ priori sententia dicendum consequenter, Non solùm debere præferri eum qui habet ordinariam iurisdictionem, sed etiam eum qui eam habet ex priuilegio; si v.g. ego ex priuilegio Pontificis possem absoluere à reseruatis, non solùm infirmus deberet Superiorem suum, qui habet eam ordinariam potestatem,præferre alteri nullam habenti, sed in absentia Superioris deberet mihi confiteri citiùs quàm alteri non potenti absoluere à reseruatis(licet hoc punctum neget Suarez,qui,vt suprà notaui, minùs consequenter discurrit;) nam tunc non est absolutè respectu infirmi vlla necessitas propter quam possit recurrere ad simplicem Confessarium; imò addo in eo casu illum non obligari ad recurrendum priùs ad Superiorem quàm ad me;quia si ego habeo respectu infirmi eamdem potestatem quam habet Superior,siue ex iure ordinario siue ex priuilegio proueniat,poterit ille pro suo libitu eligere vel Superiorem,vel me. 22 *Obseruatio quædam.*

Aduerto Quartò,datâ eâ sententiâ magis consequenter doceri(etsi in contrarium stet Lugo) debere simplicem Sacerdotem, & qui nullum aliunde habeat impedimentum,proferri Schismatico,hæretico,degradato, suspenso (vt benè notauerunt Suarez Sanchez & Tannerus suprà) quia licet omnes conueniant in hoc quod sint simplices Sacerdotes, habent tamen magnam differentiam inter se; nam aliqui præter defectum iurisdictionis habent alia positiua & grauia impedimenta ad audiendas confessiones & administranda Sacramenta: nec est cur debeamus nobis persuadere, Ecclesiam dispensare in his impedimentis nisi in defectum aliorum Sacerdotum,qui eis careant:quod enim verba Tridentini sint vniuersalia(vt obiicit Lugo)& nullam faciant distinctionem, parum nos vrget; nam vti non obstante ea vniuersalitate verborum docet ipse debere præferri eum qui habet iurisdictionem non habenti,cùm non sit necessitas cur concedatur facultas simplici Sacerdoti, ita eodem modo nos dicimus, non obstante ea verborum vniuersalitate debere præferre Sacerdotem non habentem vllum impedimentum positiuum ei,qui habet,quia iam non est necessitas vt Ecclesia dispenset cum hæretico, &c. in eo graui impedimento,seu cur concedat iurisdictionem ei qui est illius incapax,& non potiùs ei qui non habet vllam incapacitatem,sed solam carentiam iurisdictionis. 23 *Quarta obseruatio.*

Circa secundam partem tituli,Vtrùm scilicet ita in hora mortis cesset reseruatio,vt licet quis conualescat, non teneatur se deinde sistere legitimo Confessario,est aliqua difficultas maioris; nam Pater Gaspar Hurtadus disp.11. de Pœnitentia 24 *An absolutus in articulo mortis à non habente aliàs facultatem teneatur se sistere legitimo si conualescat? Sententia affirmans.*

nitentia difficultate 13. omnino iudicat eos sic absolutos in hora mortis teneri postea comparere, esto peccato non sit annexa excommunicatio reseruata, & verò videtur rem hanc vt certam supponere, nullum tamen pro illa citat Auctorem, sed eam addit parenthesin (quidquid in contrarium dicat Suarez:) illius fundamentum est, quòd facultas absoluendi eo casu ab excommunicatione (quæ conceditur in cap. *Eos qui*, de sententia excommunicationis) extensa est à Doctoribus pro absolutione à casibus reseruatis: atqui in eo capite imponitur grauis obligatio comparendi deinde coram legitimo Superiore: ergo eadem obligatio erit annexa absolutioni à reseruatis, quantumuis nullam habeant excommunicationem annexam. Idem docuerat Vasquez in præsenti quæst. 91. art. 3. dub. 8. num. 7. Secunda tamen sententia eam obligationem negans, nisi sit excommunicatio reseruata annexa, est ferè omnium: eam tenent Suarez, Sanchez, Coninch, Henriquez & alij, quos citant & sequuntur Tannerus quæst. 9. num. 71. & Lugo disp. 20. sect. 10. & Vasquez idem tradidit retractata priori sententia, quæst. 93. art. 1. dub. 6. num. 15. Ratio pro hac doctrina ea est, quia à Concil. Tridentino eo loco supra citato omnis omnino tollitur reseruatio, vt ibi notauimus: atqui si maneret ea obligatio se sistendi, nullo prorsus modo esset reseruatio ablata: vti nemo vmquam dixit, quando Religiosis iter facientibus datur licentia, vt si in via habuerint casum reseruatum, possint absolui, cum obligatione tamen se sistendi: nemo inquam dixit, eo casu omnem omnino ablatam esse reseruationem. In quo enim quæso præcipua essentia reseruationis consistit, nisi in ea obligatione se sistendi: Certè cùm sententia multorum & valdè probabilis sit, in casu necessitatis posse quem absolui indirectè à reseruatis ea non dicendo, vti docet ipse Hurtadus, nullus omnino fauor fieret moribundis, ex eo quòd tunc possent ab iis peccatis absolui ea dicendo Confessario, & cum onere ea secundò confitendi quia id esset eos obligare vt duabus personis confiterentur: & longè melius illis fuisset absolui indirectè cum eo onere comparandi, quia eo modo non nisi vni personæ deberent ea dicere. Probatur deinde eadem sententia: Nam (vt benè Suarez, Lugo & alij) ea obligatio sistendi se deinde non est annexa natura rei illi absolutioni, nisi imponatur à Superiore: atqui nullus omnino textus est aut ratio, vnde possit colligi impositam esse eam obligationem: ergo non debemus nos eam adstruere.

Sententia negans est probabilior.

25

Respondetur argumentis oppositis

Denique id confirmatur efficacissimè respondendo argumento oppositio: negamus enim Patri Hurtado ex illius textus extensione eam probari facultatem: adeò enim ea res est antiquior in Ecclesia, vt multi putauerint ab ipso Christo emanasse, vt vidimus suprà. Deinde Tridentinum asserit id semper in Ecclesia seruatum: quomodo ergo quæso reducit hanc facultatem hic Auctor ad caput illud *Eos qui*, quòd vix habet trecentos annos antiquitatis? Estne hoc fuisse semper ita in Ecclesia seruatum? Dicimus ergo, Ibi solùm esse obligationem ratione excommunicationis, de qua sola est ibi sermo. Vnde non licet id ad peccata seruata non habentia excommunicationem transferre. Quid autem sit dicendum circa casum excommunicationis, & quàm tunc sit obligatio sistendi se, &c. inferiùs constabit.

SECTIO III.

Quis possit à venialibus & à iam in alia confessione remissis mortalibus absoluere.

26 *Vnde profluat potestas absoluendi à peccatis venialibus & mortalibus iam semel remissis.*

HÆc difficultas pertinet etiam ad quæstionem de Ministro ordinario pro his peccatis, circa illum verò certum est inter omnes ferè Auctores posse quemlibet Sacerdotem ab eis absoluere; excipio iam excommunicatum, suspensum, &c. dubium autem est, Vtrùm ea potestas sit data immediatè à Christo omnibus Sacerdotibus, an verò ab Ecclesia. Patet Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 6. referens pro se Capreolum, Canum, Richardum & Ledesmam, putat circa venialia à Christo immediatè prouenire potestatem ab eis absoluendi: id probat, quia venialia nō sunt materia necessaria confessionis; ergo eorū absolutionem non subiicit Christus potestati Ecclesiæ, ita vt non possint remitti nisi recurrendo ad Ecclesiæ licentiam. Ad hoc argumentum reducitur alterum inde desumptū, quòd Ecclesia nō possit reseruare hæc peccata ergo nō dat iurisdictionē ad absoluendū ab illis.

Ab Ecclesia prouenit ea facultas.

Nihilominùs videtur longè probabilius, eam facultatem datam esse ab ipsa Ecclesia immediatè, ideóque in potestate illius esse reseruare venialia, non eo sensu, vt obliget ad ea dicenda in confessione, sed vt absolutio dari de eis in confessione non possit à quolibet: ita Suarez disp. 26. sect. 5. & Coninch in præsenti disp. 8. dub. 2. qui alios pro ea referunt; eis etiam subscripsit Lugo suprà num. 44. Probatur ab eis Auctoribus, quia etiam absolutio à venialibus est per modum iudicij; ergo debet supponere iurisdictionem in Sacerdote: atqui in simplici Sacerdote non est iurisdictio ordinaria, cùm ille non sit Pastor nec Prælatus, alioquin sibi inuicem omnes essent Pastores & subditi; quod esset perturbare omnem ordinē debitum in Ecclesia. Hoc argumentum meo iudicio non habet vllam difficultatem: etenim siue ea facultas sit concessa immediatè à Christo, siue ab eius Vicario, iam illa est de facto in omnibus Sacerdotibus, & meritò potest dici ordinaria potestas; siue tamen dicatur ordinaria siue non (ne in quæstione de vocibus hæreamus) eodem modo possumus omnes inuicem dici Pastores & subditi, ac si illa fuisset à Christo concessa; non enim ad hoc vt ego dicar subditus Petri, & Petrus è contrario subditus meus, quidquam facit, quòd ea potestas sit nobis data à Christo, magis quàm si esset data à sancto Petro; quandoquidem & sanctus Petrus potest etiam constituere subditos Ecclesiasticos tamquam Vicarius Christi. Ego (vt verum fatear) nullum video in hoc speciale mysterium, vti suprà dixi soluens simile argumentum in ordine ad absolutionem in hora mortis; omnes ergo debemus dicere eam inadæquatam & secundùm quid mutuam subiectionem in ordine ad absolutionem à venialibus, siue à Christo siue à Pontifice concessam, non esse in turbationem Ecclesiasticæ politiæ. Melius ergo probatur eo modo quo suprà circa potestatem absoluendi moribundos diximus, scilicet non posse nos pro libitu nostro sine solido fundamento dicere, Christum habuisse hanc vel illam specialem voluntatem & institu-

27 *Examinatur quorumdam argumentū.*

Probatio communis sententiæ.

institutionem, de qua nihil ex Scripturis, nihil aliunde colligitur; nam tota ea facultas, quam cognoscimus de facto, optimè explicatur per confessionem Ecclesiæ; ergo. Confirmatur, quia in aliquibus Religionibus habent reseruata aliqua venialia cum auctoritate & approbatione Ecclesiæ, id quòd, si Christus omnibus dedisset potestatem absoluendi à venialibus, non potuisset ab Ecclesia permitti, quia inferior potestas non potest coarctare potestatem concessam ab altiori. At si dicamus Ecclesiam concessisse eam facultatem, clarissimè intelligitur quomodo eam ex parte retractauerit in eis Religionibus quoad ea venialia, quæ voluit esse reseruata. Iam ad argumenta opposita facilè respondemus.

28 *Respondetur argumentis. Ad primum:* Primum quidem non habet, vt benè notauit Cardinalis Lugo, specialem difficultatem contra nos quàm contra Aduersarios; quia vti Christus ipse dans omnibus Sacerdotibus facultatem absoluendi à venialibus, nihilominùs noluit vt esset obligatio ea confitendi ita potuit relicta Ecclesiæ potestate quoad reseruationem eorum venialium: nihilominùs nolle adstringere ad eorum confessionem, & sanè in mortalibus, quæ semel sunt iam subdita clauibus Ecclesiæ, est eadem difficultas: nam & ad illa secundò confitenda noluit Christus nos obligatos: & tamen ibi Pater Vasquez non iudicat adeò esse certum, quòd potestas ab eis absoluendi, quam habent omnes Sacerdotes, sit ab ipso Christo immediatè concessa: ergo ex hoc capite non est cur in venialibus recurramus ad Christum.

Ad secundū Ad secundum, negamus Ecclesiam non posse reseruare hæc peccata immò ea sæpè reseruare iam vidimus: deinde esto non possit propriè reseruare, potest tamen non dare facultatem audiendi vllas confessiones, & eo ipso habemus intentum. Et quidem ipse Vasquez Tractatu de Excommunicatione dub.4. num.3. vniuersaliter ait Sacramentum Pœnitentiæ collatum ab excommunicato non tolerato non esse validum, nisi in casu necessitatis: vbi supponere videtur nec à venialibus posse illum excommunicatum validè absolueri. & denique magis dubium est Ecclesiam non posse reseruare venialia, quàm quæstio ipsa de qua nunc agimus: non ergo inde quidquam contra nos potest inferri.

29 *Quid de mortalibus iam anteà in confessione dictis.* Circa mortalia, quæ iam semel sunt in confessione dicta, ea mouetur ab aliquibus difficultas, quòd Sacerdos non intendat ab eis absoluere sub conditione, si sunt remissa, sed absolutè: hoc autem videtur repugnare, cùm hanc potestatem absoluendi habeant omnes Sacerdotes dependenter ab eo quòd pœnitens iam fuerit ab illis absolutus: ergo nec possunt intendere absolutionem nisi sub conditione. Verùm hæc difficultas meo iudicio nulla est quoad punctum præsens: hoc est, quòd omnes Sacerdotes habeant potestatem absoluendi ab eis peccatis: nam quamtumuis loquamur in eo ipso, qui habuit facultatem etiam prima vice absoluendi ab eis peccatis, de quo nemo negat, quòd habeat etiam potestatem absoluendi secunda & tertia vice: in hoc inquam potest eodem modo vrgeri illud argumentum: pro quo aduerte duo esse in Sacerdote: vnum est, quòd potuerit absoluere prima vice: alterum, quòd etiam secunda: in primo differt ab aliis simplicibus Sacerdotibus, in secundo conuenit cum illis: hoc posito, rogo, An ea secunda absolutio illius Sacerdotis, qui habet iurisdictionem etiam pro prima vice, sit conditionata in se, an verò absoluta: si conditionata, & id non reputatur inconueniens, idem dici poterit etiam sine inconuenienti de omnibus Sacerdotibus: quòd si ideò ea absolutio secunda illius Sacerdotis dicatur non conditionata, sed absoluta, idem ego dicam de absolutione data ab aliis Sacerdotibus: quòd verò hi non possint absoluere nisi præcesserit vna absolutio, non facit hanc secundam esse in se conditionatam: nam hæc non sit conditionata in se propter eam dependentiam: multa enim, quæ sunt in se omnino absoluta, non possunt existere, nisi priùs extiterit aliqua causa aut conditio, à qua pendent. Pro quo rursus aduerte esse in se formaliter conditionatum, non conuenire nisi solis actibus intellectus, aut voluntatis, qui suum obiectum aut affirmant aut amant dependenter à conditione aliqua: vt dum dico, *Dabo tibi librum si feceris hoc*; aut dum dico, *Si Petrus vocatus fuerit respondebit*: hi ergo actus sunt conditionales propriè: nam reliqua entia in se omnino sunt absoluta: vt lapis, lignum, aqua, albedo, &c. hoc posito facilè intelligetur tota hæc difficultas: nam aliud est, quòd aliquis actus intellectus vel voluntatis ad hoc vt existat, pendeat ab aliqua præsupposita conditione: aliud verò, quòd in se sit conditionalis, seu quòd respiciat suum obiectum sub conditione. Hoc secundum nullo modo infertur ex primo, alioquin omnes omnino actus voluntatis & intellectus deberent dici formaliter conditionales; quod est absurdissimum: sequela verò probatur, quia omnes hi actus, vt existant, pendent ab aliquibus conditionibus: nam & iudicium pendet ab apprehensione. & hæc pendet à speciebus, &c. & vt magis ad rem nostram loquamur illa ipsa absolutio, quam dat etiam ipse Papa, est in sua entitate dependens à iurisdictione: si enim hanc non haberet illa absolutio, esset nulla & tamen non propterea actus ille voluntatis apponit illam conditionem: non enim dicit, *Absoluo te si habeo potestatem*, sed purè putè dicit, *Absoluo te*: idem in nostro casu dicendum, scilicet si ea peccata mortalia non fuissent anteà in confessione remissa non haberent omnes Sacerdotes vim dandi absolutionem, sin non posset ea absolutio existere: interim tamen illa non dicit, *Absoluo te si iam es confessus*, sed absolutè, *Absoluo te*: non est ergo ex hoc capite vlla hic specialis difficultas.

An absolutio ab illis debeat esse conditionata Vtrùm autem hæc potestas, quam in omnibus Sacerdotibus residere diximus ad absoluendum à mortalibus iam anteà subiectis clauibus, proueniat immediatè à Christo Domino, an verò ab Ecclesia, potest eodem modo verti in dubium sicut de venialibus: respondendumque est, etiam eodem modo ab Ecclesia ea venire, quia non est vlla auctoritas vllúmve argumentum, quo probetur Christum Dominum aliquam differentiam fecisse in ea potestate: non debemus autem sine fundamento graui in his recurrere ad Christum, cùm possimus per Ecclesiam id explicare.

Etiam ea potestas prouenit ab Ecclesia.

SECTIO IV.

Quis sit ordinarius Minister huius Sacramenti.

31 MINISTER ordinarius est Sacerdos ille, qui est Pastor respectu suarum ouium; vti

Pontifex respectu totius Ecclesiæ, Episcopus in suo Episcopatu, Parochus respectu suorum subditorum; à quo autem Papa possit absolui, dicemus infrà. Episcopum verò habere etiam supra se Pastorem Archiepiscopum, Archiepiscopum verò Patriarcham, docent aliqui; communis tamen sententia eos dicit in hoc foro esse immediatè subditos Papæ, habent tamen ex iure communi facultatem eligendi sibi Confessarium non recurrendo ad Papam: ita ex capite vltimo de pœnitentiis & remissionibus: id quod locum habet etiam dum hi sunt in aula Pontificis; intelliguntur autem nomine Episcoporum etiam Abbates exempti & immediati Pontifici, Generales Ordinum & Prouinciales & Superiores locales; vti communiter docent Auctores, & videre est apud Dianam Tomo 2. Tractatu 2. de dubiis Regularium, resolut. 1. & Tomo 3. Tractatu 4. Miscell. resolut. 1. limitandum tamen id est, quando in aliqua Religione iuxta proprias regulas inferiores Prælati habent assignatum à suo Superiore Confessarium. Dixi iuxta constitutiones seu Regulas, quia (vt benè Diana ea resolut. 1. de dubiis Regularium) non sufficit ei priuilegio renuntiare per Capitulum generale, quia cùm illud ius sit iam insertum in corpus iuris, habet vim legis; ac proinde renuntiatio illa nihil operetur quando in constitutionibus ei renuntiatur, cùm constitutiones approbatæ sint per ipsum Summum Pontificem, qui habet potestatem tollendi illud priuilegium; quantumuis insertum in corpus Iuris, eo ipso pro illis Religiosis nullam iam amplius vim habebit.

Quinam possint sibi eligere Cõfessarios.

32 *Dubium speciale circa Societatẽ Iesu.*

Vbi quærere aliquis obiter posset, An ei priuilegio in Societate nostra per constitutiones detogetur. Respondeo cum Cardinali Lugo infrà disp. 20. num. 66. non esse derogatum; nam licet Regula dicat, *Curandum esse vt sit vnus omnium Confessarius*; illa tamen Regula non adimit Rectori potestatem validè assignandi subditis Confessarium (nisi ordinarium, hunc enim sine Prouincialis licentia eligere non potest;) poterit ergo etiam pro se eligere, licet non ordinarium, pro vna tantùm vel altera vice, eo plane modo quo Episcopi: non loquor nunc de casibus reseruatis, de quibus infrà. Iam ad lineam.

An includatur in eo priuilegio Vicarius Episcopi.

In eo priuilegio eligendi sibi Confessarium non includi Vicarium Episcopi docet hìc Lugo: non videtur tamen in hoc consequenter procedere; nam infrà disp. 20. num. 58. tractans, An Episcopus pro casibus reseruatis à Pontifice pro Episcopatu possit sibi Confessarium eligere; vi huius capitis finalis vlteriùs id extendentis ad Vicarium Pontificis asserit cum Vgolino & aliis, omnino eum posse se facere absolui à reseruatis, sicut potest pro aliis personis assignare Confessarios: hoc autem ipsum est eum frui priuilegio huius capitis, non solùm quoad non reseruata, de quibus nunc agimus, sed etiam quoad reseruata; quod adhuc grauius est; id autem, vt dixi, in præsenti negatur à Lugo. Quidquid autem de illius consequentia sit, dico, Etiamsi vi huius capitis Vicarius non possit pro se eligere Confessarium; quando tamen Episcopus dat ei facultatem assignandi pro reliquis, debet censeri etiam dare illi, vt possit ipse sicut reliqui ei qui pro ceteris assignatus est, confiteri. Putarem tamen ei Vicario Vicario non esse liberum (sicuti est Episcopo) eligere pro se vnum, qui non eligatur pro communitate. & fortasse in hoc solo sensu loquitur Lugo hic; poterúntque hoc modo duæ illius doctrinæ conciliari.

A fortiori autem in eo capite finali sub nomine Prælatorum inferiorum non includuntur Parochi (vt omnes Auctores docent:) quia hi non sunt Prælati, nec propriè Superiores, ac proinde debent ab Episcopo petere Confessarium per se loquendo. Dico per se, quia cùm multi alij, maximè Religiosi, habeant priuilegium audiendi etiam eorum confessiones, non obligantur de facto ad Episcopum recurrere Cardinales, etiamsi Episcopi non sint; eodem modo habent saltem ex consuetudine facultatem sibi eligendi Confessarium: imò & pro sua familia possunt illum eligere.

33 *An Prælati omnes.*

Ea antiqua priuilegia vix iã sunt in vsu.

Circa quæ priuilegia illud notandum est, de facto vix illa esse in vsu; nam post Tridentinum sæculares non possunt confiteri nisi Confessario approbato ab Ordinario: huic autem Ordinarius: eo ipso quòd illum approbet, dat etiam ferè semper facultatem seu iurisdictionem in omnes suos subditos. Regulares iam eo ipso quòd approbati sint, habent facultatem absoluendi quoscumque sæculares, imò & Regulares, nisi hi per suas constitutiones sint impediti quò minùs aliis confiteantur quàm assignatis à suis Superioribus, aut de eorum licentia. Qui certum non habent domicilium, debent confiteri ei Parocho, sub quo reperiuntur dum confitentur: additur tamen limitatio, dummodò ex industria non discesserint ex loco suo vt occasione itineris alteri confiteantur: id quod intelligendum etiam est de iure ordinario: nam (vt paulò antè notaui) cùm sint tot Regulares & sæculares habentes ex priuilegio facultatem audiendi quoscumque possunt etiam peregrini & illis confiteri. Denique qui in duobus locis habet domicilium, potest quemlibet ex Parochis illorum locorum eligere.

34 *Possitne Episcopus aut Parochus absoluere subditos suos extra suam Diœcesim.*

Quæres Primò, An Parochus vel Episcopus possit extra suam Diœcesim absoluere suum subditum. Respondetur communiter, Posse, quia hæc iurisdictio non est contentiosa, nec requirit cæremonialem strepitum & iudicialem, propter quem solet prohiberi, ne Iudex extra suum territorium exerceat iudiciales actus: quia tamen saltem aliquam habet solemnitatem, non solet in Ecclesiis alienis audiri confessio nisi de licentia Parochi aut Religiosorum eius templi: non quia ab eis petatur iurisdictio, sed ob decentiam aliquam: vti etiam petitur ad celebrandum. Intelligenda autem est hæc conclusio etiam in eo qui habet iurisdictionem delegatam: v.g. dat mihi Cardinalis Pragensis iurisdictionem in suos subditos, inuenio vnum ex illis extra Bohemiam, possum illum etiam ibi absoluere, nisi fortè ipse expressè limitasset eam licentiam ad suum Episcopatum.

Secunda quæstio.

Secundò quæres, An ratione delicti acquiratur iurisdictio in hoc foro: vt qui in alieno Episcopatu peccauit debeat ibi absolui. Nonnulli ita affirmarunt: communis tamen sententia negat: vnde & in Religione potest quis absolui à peccatis quæ in sæculo commisit: & si quis è Religione dimittatur, potest à sæculari Sacerdote absolui à delictis in Religione perpetratis, & in ea reseruatis.

An ob ignorantiam Parochi possit pœnitens alium Confessarium eligere.

Tertiò quæritur, Vtrùm propter ignorantiam seu inscitiam proprij Parochi possit pœnitens sua auctoritate eligere alium. Huic quæstioni causam dedit caput 9. *Placuit*, quæst. 2. de Pœnitentia, distinct. 6. vbi ita dicitur: *Placuit vt*

deinceps

deinceps nulli Sacerdoti liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti recipere ad pœnitentiam sine consensu eius cui se prius committit, nisi per ignorantiam illius cui peccans prius confessus est. Propter hanc limitationem vltimam, *nisi per ignorantiam*, communis sententia, quam sequitur Vasquez quæst.93.art.2.dub.3 affirmat id esse licitum; dicit tamen eadem sententia ignorantiam debere esse tantam, quæ confessionem reddat irritam. Deinde non posse eligi alienum si adsint alij, qui habeant ex commissione aut priuilegio iurisdictionem; imò aliqui dicunt, si possit adiri Episcopus, debere peti ab eo licentiam; alij denique docent, debere saltem tunc peti licentiam ab ipso Parocho. Hanc doctrinam extendũt nonnulli ad alios defectus Parochi quòd v.g. soleat reuelare confessionem, vel incitare ad malum, vel si sit excommunicatus, aut suspensus: de quibus opinionibus vide Patrem Suarium disput.27. sect. 2. qui omnino iudicat probabilem esse eam sententiam, & in praxi posse omnino teneri etiam cum illa additione, quòd extendatur ad alios Parochi defectus. Nihilominùs ipse, quem & sequitur Lugo suprà, estque etiam valdè probabile, putat in eo capite non agi de puncto confessionis, sed de pœnitentiis publicis; pro quibus erant constituti Sacerdotes; vt si aliquis à Sacerdote, cui confessus erat, grauiorem longè pœnitentiam publicam acciperet, eò quòd Confessarius ille ex ignorantia putaret totam illam deberi, posset tunc recurrere ad alterum Sacerdotem. Quam explicationem benè ibi vrget Lugo coniecturis valdè probabilibus; vide illum, vti & Suarium ea de re: neque enim diutiùs in eo puncto censeo hærendum, quia hoc tempore ob multitudinem Sacerdotum, qui habent saltem ex priuilegio facultatem absoluendi, & quia scientia in Sacerdotibus est maior, vix vnquam occurret talis casus.

Ad quos alios defectus extendatur hæc doctrina.

SECTIO V.

De Ministro delegato.

36 *Quæ sint certa circa hanc iurisdictionem.*

CIRCA iurisdictionem delegatam certum est Primò Papam posse illam concedere cuilibet Sacerdoti in quoslibet fideles, quia est omnium Vniuersalis Pastor; Secundò, Episcopum in suos Diœcesanos; Tertiò, Parochum in suos subditos: hic autem vltimus debet supponere in Sacerdote approbationem ordinariam, quam requirit Concilium Tridentinum; de qua infrà. Hæc certa. Aliqua alia vertuntur in dubium, quæ digna sunt maiori consideratione.

SVBSECTIO PRIMA.

Duo priora dubia disquiuntur.

An delegata potestas absoluendi possit subdelegari.

PRimum est, Vtrùm qui habet potestatem delegatam possit eam subdelegare. Pater Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 31. affirmat delegatum ad vniuersitatem causarum posse subdelegare; pro quo citat multos Auctores. Hanc doctrinam reputat durissimam Cardinalis Lugo. Nam Religiosi habent potestatem delegatam ad absoluendum; & tamen non possunt eam potestatem delegare. Ego puto debere Sanchez intelligi de delegato in officio aliquo, cui annexa est ea iurisdictio, non autem de delegato in sola iurisdictione ad absoluendum; aliud enim est dicere, *Do tibi potestatem vt absoluas hunc, qui est onis Petri Parochi*; aliud autem est dicere, *De tibi auctoritatem Parochi in absentia proprij*. Primum illud solum est concedere potestatem; hoc autem secundum est concedere officium, ex quo ea iurisdictio seu potestas dimanat; quando ergo conceditur officium, etiamsi per solam delegationem, tunc censetur etiam dari illi potestas ad subdelegandum; non autem quando sola delegatur potestas ex officio manans. Denique in hoc puncto aduertendum est, illum, qui iurisdictionem delegat, posse, si velit, eam ita delegare, vt alter habeat facultatem subdelegandi, posse etiam eam concedere sine ea extensione; quomodo autem de facto & re ipsa concedatur, debet ex formula concessionis colligi magis quàm ex aliis rationibus. Secundò principaliter quæritur, An sit necessum, vt qui absoluit sciat se habere iurisdictionem. Pater Coninch disput. 18. dub. 5. num. 33. affirmat absolutè. Pater item Sanchez lib. 3. de Matrimonio disput. 36 agens de licentia data alicui Sacerdoti ad assistendum matrimonio, præmittit hoc principium vniuersale, quòd iurisdictio non prosit ignoranti. Cardinalis verò Lugo ea disput. 19. sect. 2. ex vna parte videtur vniuersaliter contrarium docere, idque ex instantia donantis rem, quam ex vno titulo falso putat esse suam; est tamen verè illius ob alium titulum, quem ipse ignorat: quam donationem ait esse validam: hinc probat vniuersaliter contrarium; postea tamen respondendo obiectioni, quam statim tangemus, ait requiri saltem notitiam illius iurisdictionis in communitate aut Religione, ad quam spectat ille qui ea iurisdictione vtitur: v.g. quòd Societas Iesv in communi sciat se habere hoc priuilegium, vel saltem virtualiter illud acceptauerit.

An qui absoluit, debeat scire suam iurisdictionem.

37

Ego tamen puto hanc quæstionem non benè distingui ab hoc Auctore; pro quo aduerte duplicem posse esse iurisdictionem alicui concessam; vnam, quæ indigeat per se acceptatione eius cui datur; sicut cùm mihi datur pallium, ius in illud non acquiritur, nisi ego acceptem donationem: eodem modo antequam quis accepte: Episcopatum, Papatum, beneficium, non iudicatur, & verò nec re ipsa est Episcopus, Papa, &c. Pro huiusmodi iurisdictione concedo libenter omnino requiri aliquam notitiam, & hoc solùm probant textus, quos Sanchez eo loco pro sua sententia adducit. Altera est iurisdictio, priuilegium & gratia, &c. quæ potest fieri etiam inuito: & in hac ego non video, quare debeat esse necessaria ad valorem actus notitia eius, cui fit; & verò positiuè videtur contrarium euidentissimè ostendi: etenim gentilis qui nihil scit sibi à Deo datam potestatem validè baptizandi, si tamen re ipsa baptizet, volens facere quantum potest, & quantum in se est, in omnium planè sententia validè baptizat. Idem esset si Sacerdotium conferretur infanti, & ea ætate ita esset ei concessum, vt tamen ipse nihil omnino sciret; profectò si postea vellet, quantum in se est, consecrare, & proferret verba supra debitam materiam, nemo negabit eum validè consecraturum. Idem est in voti relaxatione, aut dispensatione; nam esto ego non velim acceptare, si tamen Pontifex relaxet illud votũ, eo ipso ego non obligabor, potero quidem nouum votum emittere, vnde noua in me oriatur obligatio: at vi antiqui nulla modo

Distinguitur quæstio.

Quid in primo sensu; Qui in secundo.

38 *Instantia vltima id confirmatur.*

modo obligabor. Similia multa exempla possum ad licere pro ea veritate. Quo posito dico iurisdictionem ad absoluendum a peccatis talem esse vt planè necessaria non sit vlla acceptatio ex parte Sacerdo is, sed conferri etiam possit inuito, vnde dico consequenter, Non esse necessariam illius notitiam: etenim si Pontifex dicat, *Ego omnem peccatorum reseruationem aufero*: profecto velim nolim habeo ego potestatem ab soluendi à reseruatis omnibus, a quibus antea non poteram eódem modo dicat, *Do omnibus Sacerdotibus potestatem absoluendi*: sicut de facto eam dedit Ecclesia pro venialibus, haud dubiè omnes eam habebunt velint nolint, vti eam habent omnes Sacerdotes circa venialia licet non dubitem multos ex illis eam ignorare. Non est ergo cur ea notitia sit ad valorem actus necessaria. Dico ad valorem; nam vt licitè operetur, haud dubiè debet illâ scire. Deinde si mihi Papa eam fecisset gratiam in particulari, & ego planè deinde illius essem oblitus, absolueremque à reseruatis, non advertens ea esse reseruata, vellem tamen facere quantum possem, non potest probabiliter dici eam absolutionem fore invalidam: iam autem inde argumentor; Nam si oblitio illa non obest, profectò nec habitualis ignorantia oberit, quia pro præsenti actione si nullo modo illa iurisdictio mihi occurrit, non video ad quid deseruiat, quod eâ aliquando nouerim.

39 Dices: Valet vt eam tunc acceptauerim quando mihi est facta. Sed contra, quia iam ostendi non esse necessariam acceptationem pro ea iurisdictione requirenda; ergo nulla hinc dispartitas desumi potest.

Limitatio quadam. Fateor tamen quod dixi suprà, posse delegantem ita concedere facultatem vt nolit eam valere nisi postquam Confessarius eam scierit, id verò de facto ita fieri non video vnde possit probari; non est ergo necessaria ea limitatio Cardinalis, quòd scilicet notitia illa sit necessaria, quando concessa est ipsi soli Confessario, seu eius quando tori Ordini; quia reuerà si res benè ponderetur, non magis in vno casu quàm in altero requiritur, nisi vt dixi, ratione acceptationis, quam clarè ostendi non esse necessariam.

Si acceptatio requiratur, qualis debeat esse. Nunc addo admissa necessitate acceptationis non videri pro particulari Sacerdote quidquam efficere illam totius Ordinis acceptationem, nisi etiam acceptet in particulari hic Sacerdos: quia in præsenti casu non facilè ostendi potest, cur non sit verum illud, Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita particulare ad particulare seu, sicut se habet notitia in genere ad acceptationem in genere, ita notitia huius ad acceptationem huius. Quidquid verò de hoc sit, satis constat cur nullo modo ea sit necessaria.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quomodo ex voluntate præsumpta obtineatur. iurisdictio.

40 *Communis sententia.* QVæritur, Vtrùm ea licentia audiendi confessiones sufficienter habeatur per voluntatem præsumptam. Communis sententia docet eam voluntatem non sufficere: ita Suar. disp. 16. sect. 1. num. 13. & disp. 27. sect. 4. bis hanc difficultatem tractans multos adfert pro ea sententia Auctores illam etiam tenet Vasq. q. 93. art. 2. dub 2. & Lugo supra num. 22. & videtur omnino vera. Pro quo aduerte, ad conficiendum hoc Sacramentum semper & in omni casu esse necessariam iurisdictionem Sacerdoti concessam siue immediatè a Christo, siue à Papa, siue ab Episcopo, siue ab ipso Parocho: quæ concessio debet etiam si ei per voluntatem aliquam alicuius ex his: debet autem ea voluntas esse antequam administretur Sacramentum. Nam, vt valide exerceatur actus iudicij, debet esse iurisdictio quando exercetur vt ex terminis constat, nec sufficit illam dari post iudicium iam absolutum.

Præsumpta voluntas Superioris de futuro dãdi facultatem absoluendi non sufficit ad absolutionem de præsenti. Hoc posito, Dico Primò: Si præsumpta voluntas concedentis non est de præsenti; sed solùm quòd posteà erit contentus Superior, nullo modo potest sufficere ad valorem huius Sacramenti, quia futura volitio non est volitio de præsenti: ergo non dat, sed tantummodo dabit iurisdictionem.

41 Dices; Potest per aliquam generalem concessionem concedi ea iurisdictio, eo casu quo præsumatur fore contentus immediatus delegans; tunc autem licet ipsius delegantis volitio non adsit de præsenti, adest tamen illa alia generalis antecedens. Respondeo, si talis præcessisset volũtas, omnino foret valida ea absolutio: de facto tamen nulla talis est: nam in primis Christi Domini non est: is enim solum immediatè concessit eam iurisdictionem Pontifici, &, si vis, Episcopis & Parochis in ordine ad suas oues: de delegata autem nihil statuit. De Pontifice Summo nihil constat, quia nullum penitus caput in Iure Canonico potest ostendi, ex quo colligatur facta ea generalis licentia. De ipsis Episcopis etiam nihil potest dici: tum quia licet quilibet possit pro suo Episcopatu eam concedere, id tamen pro aliis non sufficit, De generali autem concessione omnium Episcoporum, quæ posteà per consuetudinem transiuerit in legem, nihil etiam pen tus est, quod adferri possit: & eodem modo discurrendum est à fortiori de Parochis, nisi forte aliquis in particulari declararet pro se quòd dare vellet iurisdictionem quandocumque essent tales circumstantiæ, ex quibus præsumi posset eum fore contentum: tunc enim durante illo Parocho poset valere ea præsumpta voluntas pro ouibus eiusdem Parochi.

42 *Nec præsumpta de præsenti, nisi de ea certò constet.* Secundò dico; Nec valet voluntas præsumpta de præsenti, nisi plane positiue constet illum habere reipsi talem voluntatem. Hæc conclusio, quæ vix differt a præcedenti, debet eodem modo quo illa probari: nam vel illa præsumptio de præsenti est talis quæ ostendat delegantem habere reipsa actu voluntatem: vel solùm ostendit quod eam haberet, si de ea re cogitaret: hæc secunda præsumptio ferè coincidit cum illa prima, & reducitur ad præsumptionem de futuro conditionato: si verò est præsumptio talis quæ probet actu habere talem voluntatem, iam includitur in exceptione nostra: circa quam potest magis verosimiliter dubitari, vtrùm si illa indicia sint tantùm probabilia, sufficiant ad hoc vt possit audire confessiones. Patet Suarez ea disput. 27. sect. 17. negat, nisi quando non potest opportunè haberi certa iurisdictio, & adest occasio administrandi Sacramentum: pro quo citat Sotum, remittitque se ibi ad fusiorem infrà probationem: inferiùs tamen, hoc est eadem disp. sect. 6. contrarium docet: proposita enim tota difficultate ait ob eam fortasse aliquem dicturum non licere vti ea iurisdictione dubia nisi cum limitatione immediatè ponta: addit tamen

Quid si probabiliter tantum præsumatur voluntas de præsenti.

Suarez nõ est firmus in hoc puncto.

Obseruatio quadam.

Iustitia

statim id esse valdè arduum, & præter consuetudinem etiam timoratorum virorum; vnde difficultati duobus modis respondet ostendendo abesse periculum faciendi confessionem nullam: hoc autem periculo cessante eodem modo licet vti opinione probabili in Sacramentorum administratione quo in aliis rebus. Vnus ergo modus est, quòd ferè semper homo confiteatur aliquod veniale peccatum; cúmque quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem in venialia, saltem indirectè absoluet tunc ab omnibus. Alter modus est, nam licet in rebus quæ pendent à Christi voluntate, vti sunt materia Sacramentorum, non sufficiat probabilitas opinionis ad hoc, vt reverà sit materia Sacramenti; id quod in se à Christo non est instituum pro materia; in his tamen quæ pendent à voluntate Ecclesiæ conferentis iurisdictionem tacita confessione eiusdem Ecclesiæ confertur, quando est communis probabilis opinio de ea confessione: sic qui Parochus verè non est, quia Simoniacè creatus est; si tamen communiter iudicatur Parochus, validam conferet absolutionem; cùm ergo vniuersalis Ecclesiæ consuetudo sit vti secutè ea iurisdictione probabiliter præsumpta, censetur Ecclesia eam tacitè approbare: & quoad hoc est magna diuersitas inter hanc probabilitatem & aliam particularem seu priuatam, quam vnus vel alter habere potest. Nam in priuata cùm de illa communiter & publicè nihil sciatur, non censetur Ecclesia nec quidem tacitè defectum vllũ supplere, sicut in ea communi & vniuersali de qua agimus. Hæc doctrina Patris Suarez mihi etiam ob dicta placet, eamque defendunt Sanc. & alij quos affert Diana Tomo 1. Tractatu de Opinione probabili, resolut. 2. Bonacina, Granadus, Castro Pallao, Ludouicus Torres, Ioannes Sancius, Malderus & Lessius, quos refert & sequitur Lugo ea disput. 19. sect. 2. Obiici tamen in contrarium potest ex Parte Ioannę de Salas 1. 2. quæst. 21. Tractatu 8. disput. vnica, sect. 19. num. 10 & sect. 27. num. 286. vtrumque hoc fundamentum non esse certum; ergo exponitur pœnitens periculo æternæ damnationis.

Duobus modis explicat suam sententiam.

34

Sententia Auctoris.

Obiicitur.

44 Respondeo Primò, Si confessio fiat extra periculum mortis, clarum est non exponi magis quàm si tunc (vt poterat) non confiteretur, ponamus illam confessionem ex sola deuotione fieri; præterea quando est periculum mortis etiam non exponitur, quia tunc habet locum illa alia opinio, quòd in hora mortis quilibet Sacerdos etiam præsente proprio Parocho habet potestatem absoluendi. Non est autem morale omnes has tres opiniones simul sumptas falsas esse, vt deberent esse falsæ ad hoc, vt absolutio tunc data esset inualida. Secundò respondeo, Patrem Suarez dicere esse falsum & improbabile, quòd confessio de venialibus facta simplici Sacerdoti non sit valida, si pœnitens habeat aliquod mortale, cuius non recordabatur tunc, habeat tamen dolorem sufficientem; si ergo tunc est improbabile dicere, quòd non remittatur mortale indirectè, erit profectò etiam improbabile dicere eum, qui mortalium recordatur, eáque confiteretur Sacerdoti habenti probabilem iurisdictionem, & simul illi confiteretur venialia, in quæ certam iurisdictionem habet, eum inquam non absolui a mortalibus: nam oblivio non potest in eo priori casu aliter conducere ad hoc, vt remittatur indirectè illud mortale, nisi quatenus facit, vt homo bona fide accedat, & det materiam alioquin sufficientem, in quam Confessarius habeat directam iurisdictionem; hoc autem totum est in casu nostro; nam si recordatur mortalium, iam confitetur illa; deinde procedit tam bona fide quàm ille alius, habétque dolorem vniuersalem, quid ergo quæso illi deest præ alio ad hoc vt absoluatur directè a venialibus & indirectè à mortalibus? ergo si prior illa opinio de casu oblivionis est certa, ita vt contraria sit improbabilis, eodem modo erit hæc de qua nos agimus.

Respondeo primo.

Secunda.

Vnde (vt obiter id notem) miror Patrem Suarium de illa priori ita certò loquentem, vix tamen non dubitare de nostra hac secunda, quæ ex illa essentialiter sequitur; vlteriùs autem eam confirmo ex communi omnium praxi: nam si quis oblitus alicuius casus reservati, quem habet confiteatur etiam multis annis alia mortalia Confessario non habenti iurisdictionem nisi ad mortalia communia, absoluitur etiam directè ab illis mortalibus, ideóque nullus planè eum tunc obligat ad confessionem de illis repetendam; à reseruato verò illo absoluitur indirectè, ideóque hoc solùm tenetur posteà confiteri ei qui habet iurisdictionem supra reservata. Vnde infero, Certum esse remitti indirectè illud, suprà quod Confessarius non habet iurisdictionem; quando tamen pœnitens habet alia requisita, & proceditur bona fide ex parte vtriusque, ac tandem dantur pro materia alia peccata, in quæ Confessarius habet reipsa iurisdictionem; quòd autem hæc comparatio fiat inter mortalia non reseruata cum mortalibus reservatis, vel inter venialia & mortalia, est omnino impertinens quoad punctum hoc; ergo non est cur ex hoc capite dubitemus de veritate illius principij, ex quo satis respondimus obiectioni Patris Salas.

45 *Æqualiter sentiendum de vtroque principio.*

Vltima obiectio.

Melùs obiiceret quis, id quod tetigimus suprà, Posse scilicet contingere vt ille homo non confiteatur tunc vllum veniale. Verùm hoc est moraliter impossibile: & pro eo casu habent locum duæ aliæ solutiones. Et satis de hac digressione.

SVBSECTIO TERTIA.

Aliqua ex dictis deducuntur.

46 EX priori parte nostræ doctrinæ, quòd non sufficiat præsumptio nisi sint fundamenta saltem probabilia, quæ ostendant actu esse eam voluntatem in delegante, deducuntur aliqua, quæ in dubium possent vertí. Primum est, An si Parochus ex Parochia discedat ad aliquod tempus, vel moriatur, debeat tunc præsumi ipsius voluntas, aut saltem Episcopi, de potestate eligendi alterum Confessarium: Secundum, Vtrùm sufficiat pœnitentem illam petere, etiamsi Parochus eam neget. Tertium, An si pœnitens habeat iustam causam ei Parocho non confitendi, quámque ipse Parochus scit; vt si fœmina cũ illo peccauit, debeat tunc præsumi concedere licentiam etiam antequam hæc ab eo petatur. Respondeo cum Patre Suario ex dictis; in nullo ex his casibus, si aliud signum concessionis non adsit, præsumi datam eam licentiam; quia licet in eis sit motiuum sufficiens vt possit dari, & verò in primo & tertio vt teneatur dare, ideóque eam nõ dans fortassis graviter peccet Parochus: non tamen propterea sequitur, quòd re ipsa illam det; ideò tunc vel ad Episcopum, vel eius

Prima quæstio.

Secunda.

Tertia.

Responsio.

Negante Parocho etiam peccamineè facultatem

alteri confitendi, nulla esset absolutio.

Vicarium, vel ad alios habentes iurisdictionem delegatam recurrendum est. Eodem modo discurro, si Parochus nec audire velit confessionem, nec dare licentiam; eo enim casu multò clariùs constat eum nō habere voluntatem dandi; debet ergò tunc reputari casus perinde ac si non esset copia Confessarij; & perinde ac si pro puero baptizando non esset copia aquæ. Vnde tacitè respondetur argumento quorumdam in contrarium inde desumpto, quòd non sit credibile Christum reliquisse tunc illum hominem sine remedio; respondetur inquam Christum non prouidisse pro omnibus omnino casibus de talibus remediis, alioquin (vt in eadem materia persistamus) quid si quando Parochus non vult ipse audire, non adsit vllus alius qui possit, aut sit vnus tantùm, qui etiam nolit audire: dicemúsne ideò posse confici hoc Sacramentum sine Ministro? debemus ergo omnes fateri, læpè posse contingere vt non sit vlla copia confessionis, ideoque debeat pœnitens ad remedium contritionis recurrere: habet autem hæc ratio maiorem locum, quia hic agimus extra casum necessitatis: nam in necessitate siue det siue non det Parochus licentiam, possumus alteri confiteri iuxta dicta suprà. Admitto nunc sufficientem videri occasionem ad hoc vt Ecclesia daret licentiam eligendi Confessarium, quòd Parochus nollet audire aut dare licentiam audiendi; quando tamen eam Ecclesia re ipsa non dat (nullus enim textus, pro ea re & pro eo casu potest adduci, neque consuetudo vlla, vt diximus) non est ea licentia admittenda vllo modo.

47 *Obiectioni tacitè respondetur.*

38

Quarta quæstio.

Quarto loco quæri solet, An quando Parochus est ignorans, liceat alium eligere. Verùm de hoc actum est suprà.

Quinto, Quando pœnitens habet magnam difficultatem ob pudorem confitendi Parocho; hinc etiam respondetur, id non sufficere vt possit iudicari concessa licentia; nam (vt paulò antè dixi) esto ea sit sufficiens causa, vt parochus teneatur dare; at si tamen hoc non obstante dare eam non vult absolutè, non est re ipsa collata ea iurisdictio.

48 *Sexta.*

Sexto, Circa eamdem iurisdictionem quæri potest, An si quis incipit audire confessionem, & ante eam finitam cessauit delegatio, possit ad finem confessionem audire? Respondetur affirmatiuè, cum omnibus ferè Doctoribus, quos videre poteris apud Dianam Tomo 1. Tractatur de Bulla Cruciatæ, resolut. 94. Ratio est, quia per illam inchoationem acquisiuit ius ad finiendam causam: nec debet pœnitens obligari, vt iterùm ea peccata alteri Sacerdoti confiteatur.

Non tenentur fideles semel in anno suis Parochis confiteri si adsint Mendicantes, &c.

Septimo dubitatur, An de facto sicut tenentur fideles omnes semel in anno communicare apud suos Parochos, teneatur etiam illis confiteri. Respondeo breuiter, Martinum V. & Sixtum IV. ita dedisse Fratribus mendicantibus potestatem absoluendi, aut potestatem ab aliis Pontificibus concessam ita declarasse, vt tamen semel in anno tenerentur fideles suis Parochis confiteri, vt ex Extrauaganti Sixti IV. *Vices*, de tregua & pace, & clarè constat; iam verò à recentioribus Pontificibus extensam ita esse eam licentiam, vt etiam pro die Paschatis seu pro toto anno sine obligatione eos remittendi ad Parochos possint audire confessiones: id quod Clemens VIII. speciali Breui declarauit 22. Decembris anno 1592.

Octauò dubitatur, Verùm iurisdictio delegata expiret morte concedentis. Pro decisione supponendum posse Pontificem concedere priuilegia, quæ durent etiam post ipsius mortem nisi à successore reuocentur. Hæc veritas est tam certa, vt de ea dubitari non possit. Constat enim id in omnibus omnino Decretis factis à Pontificibus, quæ etiam Sede vacante durant, & electo nouo Pontifice, etiamsi hic de confirmatione eorum nihil cogitet; & in particulari, si de puncto præsenti agamus, id ipsum constat; nam facultates ad absoluendum concessæ à Summis Pontificibus durant etiam Sede vacante.

Delegata iurisdictio ab expiratione delegantis cessaria.

De potestate ergo delegandi, ita vt per mortem non cesset iurisdictio, non est ambigendum. Quod dico de Pontifice, dico etiam suo modo de Episcopo, de Parocho, & de aliis habentibus iurisdictionem ordinariam: & patet id manifestè in Superioribus Religionum; nam priuilegia concessa ab vno durant etiam postquā ille officio aut vita functus est, nisi à successore reuocentur.

49 *Potest concedi ea potestas, vt non expiret morte concedentis.*

Obiectio prima.

Dices; Vicarius Episcopi non durat mortuo Episcopo. Respondeo Primò, Me non dixisse, quòd omnia concessa durent post mortem, sed quòd possint durare; in officio autem Vicarij iam vsus ipse obtinuit, & declarauit mentem Episcopi quòd non velit illum durare post suam mortem, imò per potestatem altiorem, id est Summi Pontificis, id iam est declaratum. Secundò post responderi reddendo rationem à priori, Vicarium non esse delegatum, sed moraliter esse ipsum Episcopum, ideoque non esse mirum, si hoc mortuo etiam expiret illius officium: at delegatus est aliquid dictum moraliter à delegante, ideoque potest in eo manere gratia etiam illo mortuo.

Secunda.

Obiicies Secundò; Ergo poterit Superior concedere sibi gratiam aliquam, v.g. potestatem absoluendi à reseruatis, quæ duret in eo postquam functus suo officio fuerit; hoc autem videtur absurdum; ergo. De hac obiectione benè agit Cardinalis Lugo suprà à num. 41. respondetque negando consequentiam, qui Superior dum est Superior non potest habere iurisdictionem delegatam; inter delegantem enim & delegatum necessariò debet esse distinctio; ergo eo modo nihil sibi potest concedere; indirectè tamen siue mediatè benè posset id facere, si v.g. daret alicui Monasterio & omnibus qui in illo sunt potestatem absoluendi à reseruatis, tunc si ipse functus officio ad illud Monasterium transiret, frueretur eâ gratiâ à se priùs concessa; & idem est, si iurisdictionem daret alicui cum potestate eam subdelegandi, sine dubio posset ipsi etiam deinde illa subdelegari ab eo cui eam delegauit.

Tertia.

Dices adhuc, Sequi ex hac doctrina, posse aliquando delegatum habere maiorem auctoritatem quàm ipsum delegantem: si enim postquam hic delegauit totam suam iurisdictionem, Pontifex ei coarctet potestatem, iam in ipso ea erit minor quàm in delegato, hoc autem videtur absurdum; ergo. Respondeo negando absurditatem: Etenim in causis physicis ipsis similequid videmus: nam si hodie calor vt octo producat in passo calorem vt octo, passum, quod est quasi delegatum, retinere poterit octo eos gradus caloris, esto agens amittat quatuor ex illis, maneatque debilius quàm sit ipsius effectus. Ratio à priori ea est, q. òd quantitatis effectus non debet considerari secundùm quantitatem

tem causæ pro tempore quo iam non causat, sed pro eo quo causauit: id quod in mobilibus maximè locum habet. Intelligendum tamen est id quando Pontifex præcise coarctat iurisdictionem in delegante pro tempore futuro; nam si etiam reuocaret gratias ob eo antè factas, sine dubio hæ non manerent in delegato. Quæ omnia valdè facilia videntur circa possibilitatem talis concessionis posteà durantis.

Iam nunc quid re ipsa fiat explicandum erit. Nonnulli docèt priuilegium absoluendi factum Cófessario in gratiam ipsius durare etiam post mortem concedétis, quia est gratia & fauor nulli nocuus; ideoque debet reputari ex se perpetuus, nisi aliunde ex tenore ipsorum verborum, quibus conceditur, contrarium constet: si autem sit factus fauor in gratiam pœnitentis, & non sit inchoata causa seu confessio, tunc dicunt perire morte concedentis, quia nondum est acceptatus fauor ille; si tamen è contrario ipsimet pœnitenti sit facta gratia, vt possit eligere Confessarium quem vellet, tunc non perituram eam gratiam, quia erat à pœnitente accepta. Ita Lugo suprà ex Thoma Sanchez lib. de Matrimonio. Ego tamen cum Patre Suario disput. 25. sect. 2. & Tomo de Legibus lib. 3. cap. 31. n. 16.

Quid de illis de iurisdictione delegata in fauorē absolutis, aut in fauorē pœnitentis.

52 iudico eam facultatem, siue facta sit in gratiam Confessarij, siue Pœnitentis, omnino durare etiam re integra. De quo puncto egi Tomo 4. disput. 34. sect. 3. agens de interitu priuilegij; vbi etiam explicui quo pacto, cùm videatur idem esse dicere, *Do tibi potestatem vt absolnas Petrum*, ac dicere, *Da Petro potestatem vt absoluatur à te*. Nihilominùs hoc secundum dicatur in fauorem Petri, illud verò in fauorem meum. Admissa ergo ea diuersitate quoad punctum fauoris, nostram conclusionem vniuersaliter esse intelligendam constat inde; nam iura, quæ dicunt gratiam factam Iudici in gratiam pœnitentis expirare morte concedentis, &c. loquuntur solùm in foro contentioso; vnde nihil inde concluditur ad casum nostrum, quia in similibus rebus non valet argumétum ab vno ad alterum, maximè quando est tanta disparitas quanta hic; nam (vt benè notauit Suarez eo loco de Legibus, licet non omnino audeat eam rationem defendere) gratiæ, quæ vel ad causas contentiosas vel ad beneficia & præbendas dantur, non necessariò sunt tam amplæ quàm quæ concernunt animam.

Obiectio. Dices cum Thoma Sanchez suprà; Quando est data mihi iurisdictio in gratiam tertij, non censetur facta illi gratia, sed faciendæ; ergo adhuc nō acquisiuit ille ius in eam; ac proinde expirabit, si res est integra. Respondeo primò, Iam esse tunc etiam illi tertio factam gratiam; nam eo ipso formalissimè, quòd Superior dicat Ioanni, *In gratiam tui do Petro potestatem vt possit te absoluere à reseruatis*, iam est etiam Ioanni facta gratia; nam per hoc ipsum est ablata iam in Ioanne ea reseruatio; hoc autem quis neget esse gratiam Ioanni factam? Pro quo aduerte non solam ipsam absolutionem à peccatis esse fauorem meum, sed ipsum posse me ab hoc Sacerdote absolui non recurrendo ad Superiorem esse maximum fauorem; vnde suprà agens de Iubileo dixi contra nōnullos reseruationem casuum non tolli ab ipso Confessario dum incipit audire confessiones, aut dum dat absolutionem (vt minùs benè aliqui dixerunt) sed tolli ab ipso Pontifice immediatè, & omnino antecedēter ad confessionem: tollitur enim vt hic Confessarius possit audire iam quod anteà non poterat; ea autem est antecedens actum auditionis; & in ea potentia facit mihi per Iubileum magnum fauorem, cui que ego possideo etiam antequam actu absoluat; ergo in præsenti gratia illa, seu fauor ille quòd mihi liceat confiteri huic Sacerdoti; iam est mihi factus, ac proinde iam ego illum possideo; non ergo debet per mortem concedentis expirare. Habet autem maximè locum hæc ratio, quando ea licentia data est alteri in gratiam mei, seu ad petitionem meam; nam tunc ea confessio est perinde ac si dixisset Pontifex mihi, *Facio tibi gratiam vt possis huic confiteri*; quo casu omnes ferè concedunt gratiam illam non expirare; quæro autem quæ sit diuersitas inter has duas confessiones, *In gratiam Petri aufero reseruationem peccatorum vt possis illum absoluere*, & inter hanc, *Petre tibi facio gratiam vt possis à tali absolui*. Certè sicut quando datur Confessario in gratiam ipsius potestas absoluendi, illa facultas actiua censetur eius fauor; ideóque censetur iam concessa ante ipsam auditionem confessionis; ita respectu pœnitentis illa potentia passiua vt absoluatur est fauor ipsius iam illi concessus etiam antequam obsoluatur, & quidem tantò maior fauor quàm respectu Confessarij sit potestas absoluendi, quantò magis prodest pœnitenti absolutio quàm Confessario. Quæ dixi de reseruatione intelligenda sunt de potestate absoluendi; non est ergo cur dicamus eam facultatem perire.

53 *Qui dat facultatē absoluēdi Petrum facit eo ipso gratiā Petro.*

Probatur argumētū Auctoris.

Responsio ad ma.

DISPVTATIO XL.

De reseruatione casuum, & de Ministro potente ab eis absoluere ex iurisdictione ordinaria.

1 *De Fide est dari in Ecclesia potestatē reseruandi.* DARI in Ecclesia potestatem ad reseruanda aliqua peccata est omnino de Fide certum & definitum in Tridentino Sessione 14. c. 7. Ratio est clarissima, supposito alio principio etiam de Fide certo, scilicet necessariam esse iurisdictionem ad absoluendum, eamque concedi debere à Summo Pontifice Episcopis, &c. Hinc enim vti clarè colligitur posse Pontificem eam iurisdictionem dare huic Sacerdoti nō illi, ita posse eum dare ad absoluendum ab his peccatis non ab illis; hoc autem ipsum formalissimè est reseruare illa peccata, pro quorum absolutione non dat facultatem. Qui discursus eodem modo probat de Episcopo & de Parocho dante alteri iurisdictionem. Possūt etiam ob eamdem rationem Prælati Religionum,

ligionum,quia etiam dant iurisdictionem ad absoluendum,reseruare.De facto tamen Clemens Octauus determinauit aliqua peccata, vltra quæ non permisit vt plura reseruentur in Religione: de quo infra.

SECTIO I.

Varia dubia circa hanc reseruationem expediuntur.

2 *Primum dubium circa Episcopum*

PRimò solet in dubium verti, quomodo Episcopus possit reseruare peccata, cùm officium Parochi sit à Summo Pontifice,& consequenter etiam iurisdictio ordinaria, quæ illis competit,sit à Pontifice.Hæc ratio meo iudicio, maiorem habet difficultatem in Papa respectu Episcoporum quàm in his respectu Parochorũ, quia gradus Episcoporum est ex institutione Christi: id quod non ita videtur esse respectu Parochorum; hi enim ab Ecclesia videtur constituti ad subleuandos Episcopos, quia non expediebat in omnibus pagis esse Episcopos distinctos; ideoque videntur Episcopi dedisse Parochis iurisdictionem ordinariam in suas oues. Quidquid de hoc sit,dicimus, Esto ipse Pontifex det immediatè iurisdictionem Parocho, adhuc facilè intelligi,quomodo possit eam limitare, & subiicere Parochos ex parte ipsis Episcopis:at in Episcopis,si eam immediatè accipiunt à Christo,non ita facilè apparet,quomodo eam possit coarctare. Absolutè tamen respondeo, Hanc obiectionem nõ solùm tangere hoc punctum de reseruatione,sed etiam alia multa:quia certum est non in hoc tantùm,sed & in aliis rebus posse Episcopum aut augere aut minuere Parochorum auctoritatem, & eodem modo Summum Pontificem respectu Episcoporum, Dicimus ergo vno verbo,Esto Episcoporum institutio sit à Christo(& suo modo de Parochis) non tamen ab ipso datam illis immediatè vllam iurisdictionem, sed totum id commisisse Christum suo in terris Vicario, vt hic augeret, minueret,&c.prout iudicaret expedire. Vnde potest Pontifex eximere aliquem ex integro à iurisdictione Episcopi facereque eum sibi immediatum vti fecit Religiosos;potest etiam Episcopus vnũ eximere à iurisdictione Parochi,&c. poterit ergo & reseruare peccata.

Vnde possit Pontifex coarctare iurisdictionẽ Episcoporum.

3 Secundò certum est eum qui reseruat posse reseruare peccata vel sibi vel alteri;hoc enim nihil aliud est quàm iurisdictionem absoluendi relinquere vel in se solo,vel in se & aliquo alio, ceteris exclusis:in quo nulla penitus est difficultas,etiamsi sine fundamento subdubitauerit Sotus in 4. distinct.18.quæst.7.art.5. vbi ait inualidè Episcopum reseruare vnum peccatum vni, & alterum alteri. Dixi id esse sine fundamento assertũ,quia hæc reseruatio nihil aliud est quàm præcisè dare iurisdictionem vni ad hæc peccata, alteri ad illa: in quo nulla est repugnantia. Aduertunt autem benè Auctores.Si hoc modo fieret reseruatio,debere intelligi quando ea peccata sunt in duabus personis;nam si in vna, id esset cogere illam vt dimidiaret confessionem; quod est absurdum;eo ergo casu debebit recurrere ad reseruantem,nisi dicamus eum,cui grauius peccatum est reseruatum, posse absoluere ab altero minori;hoc tamen totum pendet ex intentione quam reseruans haberet eo casu.

4 *Secũdũ dubium: Quorum peccata reseruari possint.*

Secundò dubitatur, quorum peccata possint reseruari. Respondetur, Eorum omnium, supra quos habet iurisdictionem ille qui reseruat. De pueris dubitari potest,An eorum peccata reseruentur, aut possint reseruari. Si quoad possibilitatem sermo sit, certum est eorum mortalia posse reseruari:verùm autem de facto reseruentur dubium est; aliqui quos refert & sequitur Diana Tomo 1. Tractatu 5. Miscell. resolut.1. negant,quia Ecclesia cum pueris mitiùs in pœnis agit;alij distinguunt,& in reseruatione,quæ est per modum medicinæ, dicunt illos comprehendi; de illa verò quæ est per modum pœnæ negant.Ita Lugo suprà citans pro se Homobonum, Lazarium & Floronum apud Dianam ibi. Per hanc enim distinctionem & saluant, quòd Ecclesia in pœnis mitiùs cum pueris agat; & quia vbi ratio pœnæ cessat, non est cur idem de illis non dicatur quod de ceteris.Quæ doctrina mihi etiam videtur vera;quando autem pueri incipiant incurrere pœnas Ecclesiasticas non est huius loci.

Tertium dubium,An sit necessaria notitia reseruationis vt incurratur.

Dubitatur Tertiò, vtrùm qui ignorat reseruationem peccati illam incurrat. Respondetur, Si reseruatio nõ est in pœnam, sed per modum remedij,nõ esse necessum vt ea sciatur;id quod constat ex praxi communi;nam in Religionibus etiam illi, qui de reseruatione nihil sciuerunt, eam incurrũt:si autem reseruatio sit in pœnam, tunc multorum sententia probabilis est non incurri,alij tamen etiam probabiliter dicunt non esse eam notitiam necessariam; verùm hoc pertinet ad Tractatum de Censuris Ecclesiasticis.

5 *Quæ peccata possint reseruari*

Quartò quæritur,Quæ peccata possint reseruari, & quidem Primò de venialibus dubitari potest;suppono autem quæ suprà diximus non ex Christi institutione, sed ex voluntate Ecclesiæ habere Sacerdotes omnes potestatem ab eis absoluendi:vnde si Ecclesia eadem seu Summus Pontifex velit, sine dubio poterit ea reseruare non quidem eo sensu vt sit necessarium illa cõfiteri, sed quòd si confitenda sint, non possint nisi tali aut tali; vnde etiam suprà diximus, in aliquibus Religionibus aliqua venialia esse reseruata. Secundò de mortalibus iam semel in confessione declaratis idem omnino dicendum est,posse eo sensu reseruari, non vt necessum sit ea confiteri secundò;id enim forte non posset Ecclesia obligare;de quo infrà; sed vt casu quo velit quis secundò confiteri,non possit nisi tali aut tali Sacerdoti.

Quid de peccatis purè internis possit reseruari.

In peccatis purè internis maior est difficultas; nonnulli enim,eò quòd Ecclesia non iudicet de occultis, putant eam non posse reseruari. Verùm contraria sententia est planè certa,quia Ecclesia tunc nõ exercet iurisdictionem circa peccata interiora, sed circa confessionem illorum; quæ est actio exterior; & sicut potest obligare ad confessionem de internis,poterit ea reseruare,&c.Denique sicut non dat cuilibet Sacerdoti facultatem absoluendi etiam à purè internis,sed his quos Papa aut Episcopus elegit;ita possent hi dicere, Peccatis peccatis non do vllis alteri potestatem, sed eam reseruo mihi, pro reliquis do;hoc autem est formalissimè reseruare peccata interna: vnde miror vehementer, quòd in hoc puncto aliqui subdubitauerint.Et hæc de possibilitate reseruationis.

6 *Obseruatio vt decidatur an de facto reseruentur.*

Priùs verò quam de facto ipso loquamur,notandum est,quando reseruatur peccatum externum

num eo ipso reseruari internum: externum enim sine interno non habet malitiam: & in toto rigore postquam quis est absolutus ab interno coram Deo, non habet quòd de externo absoluatur, etiamsi tamen, vt suo loco diximus, sit obligatio in confessione dicendi externum. Vnde infertur, Illum, qui ob causas suo loco explicatas dimidiare potest confessionem dicendo tantum, ea peccata quæ non sunt reseruata, non ideò tunc teneri dicere volitionem interiorem tacendo actionem exteriorem, sed ipsam interiorem volitionem & exteriorem actionem per modum vnius debere iudicari vnum peccatum reseruatum: quo posito, quoad factum ipsum non scitur re ipsa esse vllum purè internum actu reseruatum neque à Papa, neque ab Episcopis, solùm ergo de facto reseruantur aliqua peccata quæ prodeunt in actum externum. Quia verò peccatum interius vario modo potest prodire in actum exteriorem, ideò ad sciendum quando reseruetur, oportet ad prohibitionis tenorem in particulari attendere. V. g. reseruatur homicidium, potest voluntas occidendi prodire in actum exteriorem dum quæritur inimicum, dum accipit gladium, dum dat ictum, dum iaculatur in illum, etiamsi reipsa nec homicidium, imò nec vulnus vllum sequatur. In eo casu actiones illæ externæ non reseruantur, quia non sunt homicidium. Item reseruatur pollutio, potest voluntas illius prodire in actum exteriorem, qui sit ex animo mortale peccatum, esto re ipsa non sequatur pollutio; tunc illi actus non sunt reseruati: & eodem modo debebimus discurrere de aliis materiis, in quibus cognosci non potest ex regula generali reseruatio, sed ex tenore ipsius reseruationis.

Quando ex actione externa reseruatio peccati sit cognoscenda

2 Hoc addo, si aliquando reseruatur omne peccatum externum contra castitatem, non ideò v. g. tunc reseruari omnem actionem externam quæ à volitione interiori peccaminosa potest esse mala, etiam contra castitatem. V. g. si quis exeat domo eo animo vt fornicetur, non reseruabitur tùc illa egressio, quia non est in se exterius peccatum contra castitatem, sed medium quod hîc & nunc ad illud peccatum ordinatur: eodem modo requiritur, vt materia exterior sit in se peccatum graue: v. g. est reseruatum furtum, vult quis furari materiam grauem, prodit in actum furti leuis, illud peccatum non est reseruatum. Quam doctrinam esse communem benè ostendit Lugo suprà disput. 20. sect. 2. contra Luisium Turrianum, qui eam dicit esse improbabilem, & non tutam. Hic tamen Auctor passim sine caussa cẽsurat opiniones alioquin in se veras. Certè cùm omnes supponant peccatum interius non reseruari nisi adiungatur peccato exteriori; præterea etiam supponant peccatum veniale non reseruari, videntur eo ipso sanè omnes requirere, vt actio externa, ratione cuius redditur reseruata ipsa interior volitio, sit se materia grauis. Confirmo: nam actio illa exterior iniustitiæ aut furti in se leuis non est peccatum graue externum iniustiæ, vti exire ex domo ad quærendam meretricem, aut hostem, quem volo occidere, esto denominetur peccatum ab actu interiori: non est tamen in se peccatum contra castitatem, aut contra iustitiam: ergo non est reseruata, dum reseruatur iniustitia grauis aut luxuria.

Quomodo reseruato peccato externo reseruentur actiones externæ ad il. ludordinatæ.

Confirmatur.

3 Pro quo aduerte, aliud esse actionem externam dici malam mortaliter ab interna, aliud, quòd interior sit mala à malitia exterioris: vti enim Tomo 3. agentes de formali constitutiuo malitiæ diximus, Voluntas occidendi ideò est mala quia ipsa occisio exterior est mala, seu contra naturam rationalem: quando verò ex mea mala intentione occidendi denominatur mala mea ambulatio, tunc malitia hæc non tribuitur intentioni ab ipsa ambulatione, sed è contrario ambulatio denominatur mala ab illa intentione. Hoc supposito, quando dicitur reseruari peccatum graue exterius contra castitatem, non dicitur reseruata actio exterior, quæ denominetur mala ab interioti, sed illa quæ denominet malam ipsam interiorem, licet tunc etiam reseruetur ipsa interior; ergo quando exterior præcisè est mala venialiter in se, esto oriatur ab interiori grauiter mala, non erit reseruata; quia quatenus exterior non est grauiter mala, seu intra illã speciem reseruatam, non est exteriùs grauiter mala.

Obseruatio pro meliori intelligentia.

SECTIO. II.

Quid de reseruatione peccati dubij: & aliæ quæstiones de reseruatione.

QVÆRITVR, Vtrùm mortale dubium possit reseruari. Respondeo, Si quis diceret, nos non teneri confiteri peccata dubia (de quo prà) tunc deberet consequenter asserere, illa non posse propriè reseruari, nisi casu quo quis vellet ea confiteri eo modo, quo de venialibus paulò antè diximus; si verò doceamur esse obligationem illa confitendi, certum videtur illa posse reseruari; quia cùm ad absoluendum ab illis sit necessaria iurisdictio, potest hæc negari & limitari ad hunc vel illum Confessarium quod est ea reseruari. 9

An peccata dubia sint reseruata.

Quoad factum autem, id est, An re ipsa sint reseruata, granior est quæstio. Pro qua aduerte, quod sæpè notatum est, duplex esse dubium: vnum, quando homo in neutram partem potest formare iudicium: alterum, quando pro vtraque parte est probabilitas rationum. De hoc secundo diximus suprà agentes de iurisdictione probabili, posse absolui ab eo qui habet probabiliter iurisdictionem: id quod consequenter est hîc docendum: nam eo ipso quòd sit probabile non esse reseruatum, est probabilis iurisdictio pro illo. Deinde ex dicendis de primo casu constabit quid de hoc secundo: quia si in dubio non est reseruatio, multò minùs quando iudicatur probabiliter non esse reseruatum.

Communis sententia.

10 Circa primum ergo dubium communis sententia docet non esse reseruatum: eius Auctores vide apud Dianam Tomo 3. Tractatu 3. de Conscientia dubia, resolut. 4. & Lugo suprà n. 18. Ratio communis sententiæ est, quia reseruatio est odiosa, ac proinde debet restringi ad casus certos. Confirmari autem potest ea doctrina: nam in dubio melior est conditio possidentis (vt suo loco fusiùs deduximus:) atqui si homo dubitet, vtrùm reipsa commiserit illud peccatum, est in possessione pro sua innocentia: vnde ex hoc capite non obligatur quærere alium Iudicem: si autem certus sit se illud fecisse, dubitet verò an sit reseruatum, etiam stat ex parte ipsius possessio: nam incerta reseruatio non debet eum priuare sua libertate: quare autem hæc ratio non habeat locum ad liberandum hominem absolutè ab obligatione confitendi illud

Ratio varia.

peccatum

peccatum, diximus suprà id oriri ex Christi Domini voluntate: hæc autem in ordine ad reseruationem nulla est, quia Christus nulla peccata reseruauit: de voluntate autem Ecclesiæ nihil constat: ergo.

Dices: Si quis proferat hæresim internam, & dubitet, an tunc eam interiùs crediderit, aut, an protulerit ea verba animo hæresim asserendi: nihilominùs exteriùs punitur vt hæreticus: ergo erit etiam illud peccatum in foro pœnitentiæ reseruatum. Respondetur negando consequentiam: nam in foro externo contentioso magis creditur verbis externis quàm excusationibus occultis, quæ in contrarium adducuntur: at in foro pœnitentiæ, in quo debet credi ipsi confitenti, illa ipsa eius dubitatio præponderat, vt non testetur dubio illo.

11 *Quid si post dictum in confessione peccatum vt dubium recordetur se certò illud commisisse.*

Circa quod quæri potest, An si postquam quis absolutus est ab eo peccato dubio, recordetur se certò illud commisisse, & certò fuisse reseruatum, teneatur se sistere de nouo coram habente iurisdictionem ad reseruata. Respondeo, Non teneri, vt docuimus suprà non teneri secundò confiteri vt certum: quando confessus est vt dubium, & posteà deprehendit se certò illud commisisse; nam absolutio est data illi, vt si fuerit remittatur: ergo quando deprehendit se illud fecisse, iam deprehendit sibi illud directè remissum, & idem dico, etiamsi dubium sit, vtrùm illud peccatum habuerit censuram seu excommunicationem. Nam qui absoluit ab excommunicatione sub dubio, ideò absoluit, vt si illa est, re ipsa tollatur: ergo quando deinde deprehenditur illam fuisse, non est cur de nouo quæratur absolutio ab illa. Vnde dicendum est consequenter, tunc eam excommunicationem, quæ alioquin esset reseruata, fieri non reseruatam ob dubium illud. De qua re vide Lugo suprà.

Quæ de facto peccata reseruentur.

Quartò quæri solet, Vtrùm de facto solùm reseruentur ea peccata quæ habent annexam excommunicationem. Respondeo, Summum Pontificem semper ea duo coniungere, alios verò inferiores Prælatos, maximè in Religionibus, sæpè reseruare peccata sine vlla prorsus censura. Sixtus etiam Quintus apud Lugo suprà num. 25. dicitur reseruasse ibi sine censura peccatum eorum, qui iniquè se promoueri curant ad aliquam dignitatem.

12 *Quid quando reseruatur peccatum habens annexam censuram.*

Quæritur Quintò, An quando Pontifex censuram & peccatum sibi reseruat, intelligatur in rigore sola censura reseruata ita, vt præcisè quatenus non potest pœnitens absolui à censura, non possit à peccato. Affirmant nonnulli; Suarez verò & Vasquez, quos refert & sequitur Lugo num. 26. probabiliùs docent cadere suprà vtrumque eam reseruationem, quia verba ita sonant; neque est vlla ratio faciendi eam distinctionem.

Possitne ita reseruari peccatum, vt ne quidem indirectè possit absolui.

Sextò quæritur, Vtrùm Superior ita possit reseruare aliquod peccatum, vt nec indirectè possit pœnitens ab eo absolui. Respondeo, Dupliciter posse hanc quæstionem intelligi: Primò, ita, vt ille Superior non auferat potestatem absoluendi ab aliis peccatis; & in hoc sensu repugnat quæstio, quia cùm non possint venialia sine mortalibus remitti, nec vnum mortale sine altero, repugnant relinqui mihi potestatem remittendi aliquod, & non remittendi omnia quæ tùc simul existùt. Alio modo ergo modo potest intelligi proposita ea quæstio, vt Superior ille etiam auferat potestatem remittendi alia peccata quando hoc in particulari fuerit in pœnitente: hoc autem claris terminis idem est ac interrogare, Vtrùm Superior possit reseruare omnia omnino peccata tam mortalia quàm venialia, casu quo simul in eo homine reperiatur peccatum sodomiæ v. g. aut homicidij. Huic autem quæstioni claris terminis propositæ respondetur Primò, Prælatos inferiores ipso Summo Pontifice non posse; quia cùm Pontifex dederit potestatem absoluendi ab omnibus venialibus & à mortalibus iam semel in confessione remissis, non possunt inferiores Prælati hanc facultatem adimere; ipse verò Pontifex omnino potest, quia potest reuocare priorem facultatem: quoad mortalia verò nondum remissa ea quæstio coincidet cum sequenti.

13 *An possit Episcopus pro arbitratu reseruare peccata.*

An Episcopi possint pro arbitratu reseruare quæcumque mortalia. Dico Episcopi: nam Summus Pontifex potest id validè facere, licet illicitè: validè, quia si ipse nullam dat iurisdictionem, nullus eam habebit; illicitè verò, quia id esset in perniciem Ecclesiæ, si pro quolibet mortali deberet ad ipsum Summum Pontificem recurri. Hinc colligitur à fortiori peccaturos Episcopos, si tot peccata reseruarent, vt ea reseruatio esset causa, quòd homines diu in statu peccati manerent. Quærimus ergo, An tunc esset valida ea reseruatio; quod est idem ac quærere, An Summus Pontifex coarctauerit Episcopis potestatem, ne nimis multos casus faciant reseruatos: si enim non coarctauit, profectò sicut Pontifex in tota Ecclesia potest validè, licet illicitè, vt diximus omnia peccata reseruare; ita & quilibet Episcopus in suo Episcopatu; quia nisi limiteretur iurisdictio, quilibet potest in sua diœcesi quod Pontifex in tota Ecclesia. Vnde infero obiter, Minùs benè aliquos apud Patrem Suarez disp. 29. sect. 4. num. 5. (quorum doctrinam ipse ibi dicit esse probabilem) distinxisse inter Summum Pontificem & inter Episcopos, quasi hi, nisi positiuè eis Pontifex dederit potestatem reseruandi, illam non habeant: infero inquam, Hos minùs benè discurrere; debuissent enim contrario modo dicere, Episcopos habere potestatem valide reseruandi, nisi hanc illis limitauerit Pontifex. Ratio autem est manifesta, quia eo ipso quòd sit Episcopus nisi limitetur (vt dixi) eius potestas, habet eam iurisdictionem in suas oues quam Summus Pontifex in totam Ecclesiam: id quod verùm est, siue dicamus eam iurisdictionem ei dari immediatè à Christo siue à Pontifice. Confirmo & explico, Episcopus habet potestatem dandi iurisdictionem totalem in suas oues: ergo potest illam cum limitatione concedere, nisi positiuè sit prohibitus. Patet, quia eâ solùm ratione Pontifex potest validè reseruationem, quatenus ipse debet dare iurisdictionem: ac proinde si solùm det partialem, sola hæc conferetur, reliqua verò peccata reseruabuntur. Non potest ergo melius ea res decidi quàm si recurramus ad Pontificis limitationem. Quo posito,

Si non re coarctetur potestas à Papa, possunt Episcopi reseruare omnia.

14

Dico longè probabilius esse talem reseruationem fore validam non solùm respectu illorum quibus liberaliter dat Episcopus iurisdictionem sed etiam respectu Parochorum: in quibus propterea quòd sint Pastores animarum, videbatur esse maior ratio dubitandi. Dico *Maior*: nam cæteris vti poterat Episcopus nullam dare, potuit & dare limitatam, vt ex terminis constat. Probatur ergo vniuersaliter ac cepta no

stra resolutio, quia nullum omnino ostenditur ius vnde ea potestas coarctetur Episcopis à Papa; ergo. Confirmo, quia Tridentinum eà Sessione 14. cap. 7. cùm de potestate Summi Pontificis ad casuum reseruationem egisset, addidit: *Neque dubitandum est, quin hoc idem Episcopis in sua cuique diœcesi liceat*; quod autem additur ibi, *in ædificationem, non in destructionem*, ostendit id quod priùs dixeramus, eos non posse licitè omnia reseruare, aut tam multa, vt id sit in ruinam hominum: quo sensu etiam de ipso Summo Pontifice dicere possumus id ei licere in ædificationem, non in destructionem; eam autem clausulam specialiter pro Episcopis posuit, quia cùm longè sint plures, nec habeant eam assistentiam Spiritus sancti quam Pontifex, præsumuntur faciliùs posse errare in vsu eius reseruationis.

Confirmatur ex Tridentino.

115 *Examinatur limitatio Cardinalis Lugo.*

Cardinalis Lugo suprà num. 37. putat aliquam reseruationem sine caussa ab Episcopo factam non solùm fore illicitam, sed etiam inualidam; quia Episcopus non potest sine caussa pro libitu validè amouere Parochum à suo officio; ergo nec auferre illi iurisdictionem necessariam ad illud exercendum; si ergo reseruatio tanta esset, vt moraliter non posset cum ea Parochi officium exerceri, iam esset inualida; additque, non posse à nobis determinari numerum casuum, qui possunt validè reseruari; id tamen per accidens esse ad punctum præsens. Respondeo, Hoc argumentum etsi non careat difficultate, totum tamen esse etiam contra eius Auctorem, quia planè eodem modo videtur probare de Summo Pontifice: etenim Episcopum, cui legitimè sit collatus Episcopatus, & se gerit vt decet, non videtur posse Pontifex deponere sine caussa, magis quàm Episcopus non possit Parochum: Ordo item Episcopi est à Christo, qui sine dubio ei annexuit aliquam iurisdictionem; ex quo capite maiorem adhuc habet difficultatem in Papa respectu Episcopi, quia Parochi solùm videntur esse instituti (vt dixi suprà) à Papa; ac proinde fortasse potuit etiam licitè illos instituere sine vlla iurisdictione ad confessiones, sed præcisè ad Baptismum, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, ad assistendum Matrimonio, ad instruendum in Fide, &c. potestatem verò absoluendi dare aliis. At cùm Episcopi, eo ipso quod sint tales, sint de iure diuino, minùs videtur posse illis validè auferri potestas tota ad absoluendum; & tamen hic Auctor fatetur Pontificem posse validè omnia reseruare, licet illicitè; ergo & poterit Episcopus etiam in suo Episcopatu, esto illicitè, validè tamen omnia, nisi ostendatur eum esse ab ipso Pontifice impeditum: id quod hoc argumento non ostenditur. Absolutè respondeo, Posse Episcopum eam iurisdictionem à Parocho auferre validè, per hoc tamen non reddere exercitium officij Parochi impossibile, quia potest illi dare substitutum quoad hoc, & vt Parochus doceat populum, et celebret, administrétque alia Sacramenta. Fortassis etiam aliquis dicet, quòd ex integro possit illum, esto illicitè, priuare suo officio sine caussa, sicut Papa Episcopum: meliùs ergo idem in vtroque casu dicitur.

Quid sit absolutè dicendum.

SECTIO III.

De potestate Superioris Religiosi ad reseruanda peccata.

CLEMENS Octauus Bullâ editâ 26. Maij, anno Domini 1592. cum vndecim peccatorum species enumerasset, quas permittit in Religionibus reseruari, non tamen ad reseruandum obligat, addit; *Si quod aliud peccatum graue pro conseruatione Religionis aut pro conscientia puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione & consensu.* Secundò addit; Ne liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petiuerint. Tertiò addit, vt Superiores in singulis domibus deputent duos, tres vel quatuor Confessarios pro subditorum numero maiori vel minori, qui à reseruatis absoluant; & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casu occurrerit: in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Addit posteà (teste Vrbano Octauo in Bulla 16.) Quòd si Superior instante Confessario ordinario negauerit facultatem absoluendi à casu reseruato, si Confessarius iudicat eam debere concedi, possit pro eâ vice absoluere pœnitentem Regularem, etiamsi à Superiore licentiam non habeat.

16 *Quid p sint Prælati Relig. in reseruatione peccatorum.*

Ex hac Bulla constat Primò, minùs benè Patrem Fagundez lib. de Tertio Ecclesiæ præcepto cap. 9. dixisse à Clemente prohibitos absolutè Superiores audire confessiones subditorum: expressè enim posita est limitatio; *Nisi ipsi subditi velint*, &, *Nisi casum habeant reseruatum.* Imò (vt ex verbis Pontificis colligitur) per se loquendo, quando est casus reseruatus, debet pœnitens recurrere ad Superiorem, nisi ipse Confessarius ordinarius censuerit hîc & nunc posse & debere sibi concedi licentiam ad absoluendum ab illo. Et certè hic est finis reseruationis, non vt præcisè curtat ad petendam licentiam ordinarius Confessarius, & vt semper teneatur Superior eam concedere; id enim esset pura cæremonia quædam & defatigatio physica Confessarij ordinarij, quam parum vel nihil curarent pœnitentes. Est ergo finis reseruationis, vt aliquando teneatur pœnitens se sistere Superiori; si autem debet se sistere, nullus erit qui non malit se in confessione sistere quàm extra illam, cùm maior inde secreti obligatio oriatur in Superiore.

17 *Illatio prima contra Fagundez.*

Secundò colligitur, Prælatos Religionis extra Capitulum Generale aut Prouinciale non solùm non posse plura peccata reseruare (prout Bulla expressè dicit) sed nec posse reseruationem iam factam magis coarctare; quia hoc re ipsa est nouam reseruationem facere. Vnde si Capitulum reseruasset homicidium certum, non posset Prælatus aut Generalis id extendere ad homicidium dubium; vti neque Generalis tunc Prouinciali, neque hic Superioribus localibus potest adimere potestatem ab eis absoluendi; quia hæc potestas illis conuenit de iure; vnde eam tollere esset facere maiorem reseruationem

Illatio secunda.

quàm feciſſet ipſum Capitulum. Denique infertur, Poſſe Capitulum Prouinciale reſeruare aliquod peccatum pro vnaſola domo eius Prouinciæ; quia ſi dat illis Pontifex poteſtatem reſeruandi pro tota Prouincia, à fortiori pro vna ſola domo; quod minus eſt.

18 *Quid in cenſuris ferendis ſibi reſeruatis.*

Hac occaſione quæritur, An etiam ſit prohibitum Superioribus imponere cenſuras ſibi reſeruatas, ſeu mandare aliquid ſub pœna excommunicationis ſibi reſeruatæ? Reſpondeo cum Diana Tomo 1. Tractatu 2. de Dubiis regularibus, reſolut. 49. vbi multos alios adducit, Non poſſe eos id facere, quia ita expreſſè declarauit Sacra Congregatio Cardinalium 7. Iulij anno 1617. per hæc verba, quæ refert Cardinalis Lugo; *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto felicis recordationis Clementis Papæ VIII. anno 1592. 26. Maij, ſuper qualitate caſuum ab eorumdem Regularium Superioribus reſeruandorum edito cenſura etiam comprehenderentur, ita vt iiſdem Superioribus abſque Capituli Generalis aut Prouincialis conſenſu aliquibus peccatis in Decreto huiuſmodi non contentis excommunicationem annectere, eiuſdemque abſolutionem ſibi reſeruare liceat, Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præpoſitorum, Illuſtriſſimò Bandino referente, cenſuras in ſuprà dicto Decreto comprehendi cenſuit Romæ 7. Iulij.* Et verò ratio eſt planè eadem omnino, quæ prohibet nouas reſeruationes; ne ſcilicet nimis grauis reddatur confeſſio recurrendo ad Superiorem pro licentia; eodem autem modo deberet recurri ratione illius excommunicationis, quo ratione reſeruati peccati; ergo. Addo, ſi res benè ponderetur, longè maiorem eſſe in hoc puncto difficultatem, quia poſſet faciliùs Superior, dum Confeſſarius ordinarius peteret licentiam, ſtatim deprehendere, quiſnam eſſet ille qui deliquit, quàm in peccatis reſeruatis: nam eò quòd petat licentiam pro peccato reſeruato, non poteſt Superior ſcire quis illud admiſerit; at verò ſi ipſe alicui mandaſſet aliquid ſub excommunicatione, & peteret Confeſſarius licentiam abſoluendi ab excommunicatione, ſtatim deprehenderet, quis eſſet ille, quia ſolùm vnus in domo poterat eam excommunicationem reſeruatam ſine reſeruatione peccati incurrere.

19 *Reſponſio. Reiicitur.*

Reſpondebis: Poſſet tunc Confeſſarius petere à Superiore ipſius iuriſdictionem, non dicendo an pro peccato, an pro cenſura. Sed contra, quia ordinariè non ita petitur, ſed pro peccato ſeu caſu reſeruato: quòd ſi mutaretur modus petendi, vel ex hoc ipſo capite poſſet Superior agnoſcere eſſe ibi aliquod myſterium. Conſtet ergo eam poteſtatem eſſe ablatam per Bullam Clementis.

Dices: Superior poteſt præcipere aliquid ſub excommunicatione; excommunicatio autem ex iure eſt reſeruata ei qui illam imponit; ergo. Reſpondeo; Conceſſo antecedenti diſtinguo minorem: excommunicatio eſt reſeruata ei qui illam fert, niſi aliunde ea reſeruatio impediatur, concedo; ſi impediatur, vt impeditur in noſtro caſu ex mandato Pontificis, nego: tunc enim ab ea excommunicatione poſſunt abſoluere etiam inferiores.

An reſeruata vna ſpecie peccati reſeruentur etiam quæ ſunt in

Occaſione cuiuſdam doctrinæ Patris Thomæ Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 4. num. 72. mouet Lugo dubium ſuprà num. 46. An quando in Religione reſeruatur peccatum inobedientiæ, reſeruetur etiam ea inobedientia, quæ eſt mortale peccatum tantùm per accidens: v.g. mandat mihi Superior aliquid, non tamen in virtute obedientiæ; vnde me non obligat ſub mortali: ego non ſolùm non obedio, ſed etiam ita me gero vt contemnam Superiorem dicendo, Nolo obedire: & ponamus grauem eſſe illum contemptum, quæritur, an hoc peccatum ſit reſeruatum: negat ibi Sanchez, Lugo verò fortiter aſſerit: quia illa peruicacia hîc & nunc eſt etiam contra obedientiam: id quod confirmat ex Bernardo libro de Præcepto & diſpenſatione cap. 14. vbi apertè docet: eſto non obedire non ſit ſæpè niſi peccatum leue, ipſum tamen nolle obedire eſſe peccatum graue: id quod probat Bernardus ex Samuele ad Saulem 1. Regum 15. vbi ponderat non dixiſſe Prophetam, *Et quaſi ſcelus idololatriæ eſt non acquieſcere*, ſed *nolle acquieſcere, nolle obedire.* Ego quidem quoad Bernadum puto eum non eſſe pro hac ſententia, quia ille non agit (ſaltem eius verba hoc non indicant) de voluntate non obediendi declarata per verba externa, ſed de voluntate interiori non obediendi. Certum autem eſt quando non mandatur mihi aliquid ſub peccato, non ſolùm non eſſe peccatum ipſum non obedire, ſed nec voluntatem ipſam interiorem, qua ego dicerem, *Nolo obedire.* Exemplum item, quod ex Saule affert Sanctus Doctor, etiam non eſt ad rem noſtram: nam Saul non oſtendit exteriùs vllum contemptum neque illam voluntatem dicentum, *Nolo obedire*: quin Prophetæ inobedientiam ſibi exprobranti reſpondit, Se omnino obediuiſſe: diſtinctio autem illa, quòd non ſit dictum *non acquieſcere, ſed nolle acquieſcere*, eſt ingenioſa, non tamen pro textu: quia in moralibus in ordine ad peccatum, maximè ſi negetur pura omiſſio libera (vt eam negat Lugo) idem eſt dicere, aliquem non audiuiſſe peccaminosè Sacrum die Dominica, ac dicere, eum non voluiſſe audire. Vnde inducor fere vt credam Bernardum agere ibi de eo qui primùm ſine graui peccato cœpit non obedire, & deinde Superiore vlteriùs vrgente, & grauiùs ac ſeueriùs mandante, fortaſſe etiam ſub obedientia, noluit obedire: id enim ſatis indicant verba illa Bernardi; *Et conuertit in crimen grauis rebellionis nouum ſatis leuem ſimplicis tranſgreſſionis.* Deinde Secundò dico, quidquid de Bernado ſit, Hanc quæſtionem magna ex parte pendere ab altero puncto, Vtrùm ſcilicet contemptus, qui reperitur in alicuius præcepti tranſgreſſione, pertineat ad vitium oppoſitum præcepto quod homo tranſgreditur, an verò faciat aliud vitium diſtinctum, v.g. ſi non ſeruat quis ieiunium ex contemptu, an hæc noua malitia ſpectet etiam ad vitium intemperantiæ, an ad aliud. Item in Religione non vult quis ſeruare Regulam ſilentij ex contemptu, quæritur, An ille contemptus ſit peccatum mortale in genere loquacitatis: ſi enim dicatur ad aliud vitium ſpeciale pertinere, tunc ſententia Patris Sanchez habebit profectò magnum fundamentum; ſi verò è contrario dicatur ad eamdem ſpeciem pertinere, tunc è contrario ſententia Lugo erit probabilior. De contemptu egi fusè Tomo 4. de Legibus diſp. 16. ſect. 6. eſt enim grauis difficultas, quale ſit illud peccatum; quidam opinantur eſſe actum ſuperbiæ, alij probabilius (cum quibus ego ſentio) dicunt eſſe iniuſtitiam, ſi comparetur cum perſona quæ contemnitur: ita ex

ea peccata mortalia per accidens

20 *Explicatur D. Bernardus*

21 *Quid vtrobique dicendum.*

An contemptus in tranſgreſſione aliqua ſupertus opponatur eidem præcepto cui ipſa tranſgreſſio.

ex Altisiodorensi & Caietano docent Salas & Suarez à me ibi citati. Hinc colligitur, quòd subditus contemnat Superiorem suum, non propterea peccare contra obedientiam. Potest enim contingere vt etiam quando Superior nihil imperat contemnatur, & peccetur grauiter, non tamen peccato inobedientiæ; quòdverò ille contemptus coniungatur cum inobedientia eo casu, quo Superior mandat, videtur esse per accidens ad malitiam inobedientiæ, vt dixit Pater Sanchez: cuius sententia satis videtur ex hoc capite probabilis. 22 Nihilominùs probabilius videtur etiam eam inobedientiam ibi comprehendi ac reseruatam esse: quia ille contemptus, qui respectu personæ habet rationem iniustitiæ, est simul contra obedientiam; nam & hanc ipsam contemnit: vti qui contemneret suam sanitatem, peccaret contra charitatem in se: & qui contemneret Sacrum, peccaret contra Religionem; ergo qui contemnit obedientiam peccat contra illam: quando autem contemptus est grauis, peccabit grauiter contra obedientiam. Neque his obstant *Obiectio solu-ta.* quæ diximus eo Tomo 3. nam expresè ibi addidi num. 86. contemptum, si comparetur non cum persona, quam contemnit, sed cum obiecto honesto pertinere ad vitium ei ob ecto oppositum: & in hoc sensu intelligendi sunt Salas, Reginaldus, Emmanuel Rodriguez & alij, quos citat Lugo ibi, qui inobedientiam etiam, quando res non est imperata in virtute sanctæ obedientiæ, dicunt posse esse peccatum graue, si accedat contemptus.

Illatio ex dictis. Hinc colligitur, si quis Superiori non habenti potestatem mandandi in virtute sanctæ obedientiæ nolit obedire, & ita contenat eius præceptum, vt peccet mortaliter, talem inobedientiam verè comprehendendam sub casu reseruato inobedientiæ: quia ipsa obedientia exigit non solùm, vt obediatur Superiori habenti potestatem obligandi sub peccato, sed etiam illi qui potestatem quidem habet mandandi, non tamen sub peccato. Fateor difficiliùs circa talem Superiorem transire in mortale illum contemptum, quam si esset respectu altioris Superioris, quò persona est maior, eò faciliùs fit grauis contemptus illius. Denique adde, Si Capitulum generale declarauit talem contemptum includi nomine inobedientiæ reseruatæ, proculdubio fore reseruatum: quia Capitulum habens potestatem ponendi nouos casus reseruatos, habet à fortiori potestatem declarandi hunc vel illum in particulari includi in reseruatione antea vniuersaliter facta.

SECTIO IV.

De eo qui potest à reseruatis absoluere directe ex potestate ordinaria.

DIXIMVS de personis quæ possunt reseruare, & de peccatis quæ possunt reseruari; iam agendum de eo qui absoluere à reseruatis potest, vbi duplex est quæstio: vna de eo qui potestate ordinaria; altera de eo qui ex potestate delegata. De primo agetur hac & sequenti sectione, de secundo in sexta. Circa primum regula generalis est, eum qui reseruat peccatum habere potestatem ordinariam absoluendi ab illo, quia si habuit iurisdictionem quam potuit auferre aut dare, ergo & qua potuit vti absoluendo alioquin est Sacerdos. Dico eam esse regulam generalem; nam posset contingere quod altior potestas, Papa v.g. si tuisset, vt casu quo inferior Episcopus reseruaret aliquod peccatum, illud esset reseruatum altiori potestati, seu ipsi Papæ; tunc tamen ideo Superior ille immediatè reseruans non posset absoluere, quia iam tunc censeretur ea reseruatio firmata ab altiori potestate. Ex hac regula a fortiori constat Superiorem altiorem, & à quo ipse reseruans accepit iurisdictionem, aut cui subest, posse potestate ordinaria absoluere: vnde Prouincialis potest absoluere à casibus à Priore aut Rectore Conuentus reseruatis, & Generalis à casibus reseruatis à Prouinciali; vti Episcopus à reseruatis à Parocho, & Papa à reseruatis ab Episcopo.

Ordinarius potest reseruare peccata, potest ab ijsdem absoluere, si est Sacerdos.

Quæri nunc circa hæc potest, An Superior dari possit alteri facultatem vt absoluat ipsum-met Superiorem. Respondeo, si loquamur de Superiore reseruante, nullam esse difficultatem; quia tunc peccatum illius nulli est reseruatum; nemo enim potest reseruare suum peccatum; est ergo difficultas quando ab altiore Superiore, v.g. à Summo Pontifice, factus est casus reseruatus Episcopo, aut a Generali alicuius Religionis esset reseruatum peccatum Prouinciali, vt nullus nisi Prouincialis posset ab eo absoluere, vtrùm si in simile peccatum cadat Episcopus aut Prouincialis, possint designare aliquem qui ipsos absoluat, an teneantur recurrere ad Papam aut Generalem Religionis. Habet autem hæc quæstio locum passim in Rectoribus Prioribus & Ordinariis Monasteriorum & Collegiorum Superioribus an sicut pro subdito lapso in peccatum carnis v. g. possunt designare qui eum absoluat ab eo peccato, ita possint pro se, & ipsi labantur. Pater Suarez disput. 27. sect. 2. num. 1 omnino ait illos posse eligere sibi Confessarium pro eis casibus reseruatis; quia verò praxis aliquorum Religionum, & maxime Societatis nostræ, in contrarium stat, vt non possit Rector, si cadat in reseruatum casum absolui nisi de Prouincialis commissione, addit limitationē eius doctrinæ, scilicet nisi iuxta specialia priuilegia vel Constitutiones à Pontificibus approbatas debeat Prælatus inferior petere licentiam à Superiore: nam tunc inquit textus, ille generalis non derogat specialibus iuribus pertinentibus ad conuenientem Ordinem Religionis maximè quando ille constitutiones priuatæ cōfirmatæ sunt à Pontifice post illud generale ius. Confirmat autem id ex capite de pœnitentia & remissione in 6. vbi dicitur, Per generalem confessionem factam ab Episcopo vt possit aliquis sibi eligere idoneum Confessarium, non intelligi datam ei potestatem vt absoluatur à reseruatis. Addit tamen idem Suarez, in ea religione, in qua Prælatus non habet à Superiore Confessarium designatum, posse eum Prælatum vti priuilegio illius capitis vltimi de pœnitentiis & remissione, seruando tamen alia iura suæ Religionis.

24 *An Superior Religiosus possit dare alteri facultatem se absoluendi à reseruatis.*

Sententia P. Suarez.

25 *Confirmat*

Eandem quæstionem tractat Sanch. tum lib. 8. de Matrimonio disp. 3. n. 3. tum lib. 2 in Decalogum cap. 11. num 11. tenétque eandem sententiam cum Suario, sine eà tamen limitatione, & pro illa varios citat Auctores.

Quid de Suarez sententia dicat Lugo.

Cardinalis verò Lugo ea disp. 20. num. 26. primum ostendit per eam limitationem Patris Suarez non occurri sufficienter difficultatijnam

in Societate nostra licet Generalis soleat assignare Prouinciali aliquem qui eum absoluat à reseruatis, si fortè in ea ceciderit; Prouinciales tamen pro Rectore nullum solent assignare; & tamen Rectores non habent eam vim sibi eligendi Confessarium: ergo Hoc tamen argumentum quia non est desumptũ nisi ab vsu solo Societatis, fortasse non euertet limitationem Suarez; potest enim (de quo tamen ego nihil scio) in aliis Religionibus ea esse licentia; & verò in Societate vsus etiam obtinet, vt Rector non confiteatur nisi Confessario assignato à Prouinciali pro toto Collegio saltem in casibus non reseruatis; & tamen ipse Lugo fatetur num. 66. Rectores posse eligere etiam sæculatem Confessarium, qui absoluat ipsos etiam à mortalibus, non tamen reseruatis; ergo ex vsu Societatis, quæ per Dei gratiam in materia Confessarij eligendi valdè delicatè procedit, non potest quidquam inferri de potestate competente aliis Superioribus ratione eius vltimi capitis; eodem modo reiicitur argumentum, quo conatur Secundò ostendere, eam Suarij limitationem non subsistere, eo quòd neque in Constitutionibus Societatis, neque in vllo decreto Congregationis Generalis quidquam de hoc puncto fuerit statutum. Nam licet in vna instructione Generalis dicatur, quòd Superiores Locales debeant recurrere ad Prouincialem, & Prouincialis ad Generalem; cùm tamen post Clementem Octauum Generales non possint magis restringere reseruationem, nihil videtur valere ea restrictio, quæ non est à Congregatione Generali facta; addo ego quoad hoc punctum, etiamsi Generalis Congregatio eam fecisset, nihil valituram; nam (vt suprà diximus ex Diana agentes de potestate Superiorũ pro casibus non reseruatis) cùm illud priuilegium sit insertum in corpus Iuris, obtinet eo ipso vim legis, ac proinde ei non potest derogari etiam per Congregationem generalem, nisi ab ipso Pontifice approbetur. Dixi huic secundo argumento eadem modo respondendum quo primo, quia reuerà non est à primo distinctum; sed solùm ostendit (vt dixi) in Societate nostra esse eam consuetudinem non eligendi Confessarium, licet nulla sit Pontificia reuocatio eius capitis vltimi finalis; per hoc autem iam ostendi non probari quidquam de reliquis ordinibus. Circa quod tamen aduerte, per octauam generalem Congregationem nostram, cui interfui, ablatam esse magna ex parte hanc difficultatem, cùm pro Prouinciali designatus sit ipsius Socius, qui eum à reseruatis possit absoluere, pro Rectoribus verò ille qui Confessarius primarius est nostrorum in Collegio: quod eodem modo de Præpositis Domorum Professarum intelligendum est. Dixi per hoc magna ex parte ablatam difficultatem, quia adhuc est locus quærendi, vtrùm vi iuris communis, cui non potest derogare Congregatio generalis (vt dictum est ex Diana) adhuc retineant nostri Superiores hanc facultatem eligendi Confessarium, quam Lugo saltem pro non reseruatis illis tribuit, & Suarez non audet simpliciter negare, sed solùm se remittit ad cuiuslibet Religionis Constitutiones & priuilegia propria.

Quid in nostra Societate.

26

27

Quid respondeat quæstioni Lugo.

Aliter ergo Cardinalis respondet toti quæstioni (cum aliqua tamen formidine; quapropter ait saluo meliori iudicio) in eo capite finali non agi directè de casibus reseruatis, quia Episcopi de quibus ibi erat sermo, non habent casus reseruatos nisi soli Pontifici; ab his autem sine dubio non poterant absolui sine ipsius Pontificis licentia; licet enim nunc post Tridentinum aliqui concedant posse Episcopum absolui à delictis occultis reseruatis Papæ, anteà tamen non poterant, nec etiam nunc possunt à reseruatis non occultis. Confirmatque id ex cap. *Si Episcopus*, de pœnitentiis & remissionibus, in sexto; ex quo Suarez suprà docet, datâ licentiâ ab Episcopo alicui eligendi sibi idoneum Confessarium non intelligi datam ad casus reseruatos, vt caput illud expressè docet; ergo idem etiã vi illius capitis vltimi. Addmittit autem nunc; data Episcopis licentia absoluendi subditos à casibus occultis Pontifici reseruatis, etiam eis dari facultatem vt possint ipsi absolui ab iisdem iuxta declarationem Cardinalium, quam Suarez ea disp. 30. sect. 2. num. 15. adducit; quia cùm ipse Prælatus Episcopus sit pars eius communitatis, facultas, quæ est ei data pro communitate, ipsum etiam comprehendit. Vnde concludit, in Religionibus idem esse dicendum, quando Capitulum Generale reseruans aliquod peccatum committit eiusdem absolutionem Prælatis localibus, vel de eorum licentia non excludendo ipsos Prælatos ab eo beneficio. In nostro autem Ordine, in quo constat absolutionem Prælati localis reseruati Prælato Superiori, non potest id præsumi. Nam licet non habeatur ea exceptio in Constitutionibus vel decretis Congregationum, illam tamen fuisse mentẽ Congregationis quintæ generalis, in qua facta est reseruatio, colligitur apertè ex perpetuo vsu ab eo tempore ad hunc diem in Societate nostra, maximè cùm ipse Generalis, qui potestatem habet à Pontifice declarandi Constitutiones & decreta, id ita intellexerit.

Hæc doctrina non caret probabilitate, quia reuerà in eo capite finali nulla mentio fit de casibus reseruatis; quia tamen ferè omnes Auctores caput illud intellexerunt etiam de his casibus, & ratio, quam in eo adducit Pontifex, id videtur requirere, probabiliorem iudico sententiam Suarij & Sanchez; quam etiam tenent Sà, Henriquez & multi alij, quos apud citatos videre licebit. Porrò rationem Pontificis in eo capite adductam id exigere est clarum; ait enim, Ne ob dilationem pœnitentiæ periculum immineat animarum; atqui hæc ratio etiam probat de reseruatis à quibus etiam imminet idem periculum; ergo.

28 *Iudicium de eo sententia*

Replicabis, Hinc probari nimis multum, scilicet etiam posse à casibus ipsi Pontifici reseruatis absoluti; hoc autem planè est absurdum; ergo, Respondeo negando consequentiam, Quia intẽtum Pontificis eo capite solùm est, ne Episcopi & Prælati incurrant speciale periculum salutis præ toto populo, quia non debent esse peiotis conditionis in hoc quàm totus populus: in casibus autem ipsi Summo Pontifici reseruatis periculum illud commune est toti populo, quia & pro illo & pro ipsis Episcopis sunt reseruata ea peccata Summo Pontifici. Deinde casus reseruati Pontifici valdè rari sunt; atque ideò illud periculum non ita graue iudicatur, sicut in casibus reseruatis Episcopo. Quòd autem dicebat Lugo suprà, Olim Episcopos non habuisse peccata reseruata nisi soli Summo Pontifici, cui peccata reseruabantur ab ipsis Episcopis, ac proinde hi ipsi Episcopi poterant tollere reseruationem; hoc inquam indiget maiori explicatione,

Replica

Soluitur.

Quo sensu olim Episcopi non habuerint casus reseruatos nisi soli Papæ.

vtrùm

& in vno sensu, qui ad rem nostram vtilis est, supponit quod deberet probare, in altero nobis non obest: si enim velit dicere, quòd olim non fuerint auctoritate Papæ aliqui casus reseruati, ipsis tamen Episcopis, sicut in Religionibus auctoritate Congregationis generales sunt casus reseruati ipsis Prouincialibus & Rectoribus; si inquam hoc velit dicere, non probat hic Auctor suam suppositionem: imò verò contrarium est certum. Nam licet Pater Suarez disp. 29. sect. 3. num. 6. dicat, Iam de facto ex solo Iure communi, & secluſa consuetudine, nullum esse peccatum reseruatum Episcopis, admittit tamen in Extrauaganti *Super Cathedram*, de Sepulturis, aliquos fuisse casus reseruatos, esto addat eam Extrauagantem fuisse reuocatam per Clementinam *Dudum*, de Sepulturis. Verùm in hac citatione error irrepsit grauis Patri Suario; nam Extrauagans *Super Cathedram* nihil penitus tractat de casibus reseruatis; neque item ea est reuocata per Clementinam *Dudum*, sed potiùs est omnino innouata & confirmata à Clemente & à toto Concilio Viennensi. Loco ergo Extrauagantis *Super Cathedram* debuit poni Extrauagans *Inter cunctas*, in qua continentur illi casus reseruati Episcopo: hæc autem Clementina est, quæ reuocat illam *Super Cathedram*, siue, vt meliùs dicam, interpretatur illam cum aliquo moderamine circa concordiam Fratrum Dominicanorum & Franciscanorum cum Parochis ratione Concionum, Sepulturarum, &c. vbi Benedictus Vndecimus insinuat casus aliquos reseruatos Episcopo. Licet autem hæc Clementina *Inter cunctas* sit cassata à Clemente VII. & rursus, vt dixi paulò antè, prior illa Bonifacij VIII. *Super Cathedram* innouata; id tamen totum erat respectu priuilegiorum eorum ordinum; quoad casus verò alios, quos ibi tetigerat, non videtur vllo modo reuocata: denique siue reuocata sit, siue non, ipse Suarez fatetur, & benè, Pontificem ibi non condidisse nouum ius de reseruatione casuum, sed obiter retulisse eos qui tunc erant reseruati communi iure & consuetudine. Fatetur etiam idem Suarez eos casus tunc fortè fuisse ex iure & consuetudine receptos. Vnde colligo ad rem nostram etiam tunc fuisse à Pontifice, seu iure communi, seu consuetudine generali, quam ipsi Episcopi tollere non poterant, casus aliquos ab altiori potestate reseruatos, non tamen reseruatos ipsi Pontifici, sed Episcopis, sicut diximus; nunc in Religione sunt casus reseruati à generali Congregatione aut Generali ipso Superiori, non tamen reseruati sunt ipsi Generali, sed Superioribus immediatis: id quod de Episcopis minùs benè negauit Lugo, vt suam explicationem textus probaret; ideò dixi suprà, In sensu pro nobis vtili assumi sine probatione; id quod videtur esse falsum. Et certè omnes Auctores supponunt olim fuisse iure communi reseruatos multos casus Episcopis; vnde Syluester verbo *Casus* ait hac de re Auctores sine fine disputasse. Ideò in hoc ipso puncto Pater Tannerus meritò reiicit Suarium disput. 6. quæst. 9. num. 8. vbi ait Patrem Suarium putasse nullum esse iure communi casum reseruatum Episcopis, cùm tamen nouem sint, quos idem Tannerus ibidem explicat.

29 *Quid ex Extrauag. Inter cunctas inferatur ad rem nostram.*

Quòd si Lugo dicat, A casibus non reseruatis Pontifici, potuisse Episcopos absoluere suos subditos, est verissimum; at inde nequaquam sequitur independenter ab eo capite finali etiam Episcopos potuisse aliis dare iurisdictionem vt se absoluerent. Nam ab omnibus casibus reseruatis Religiosorum v. g. huius Collegij potest absoluere Superior localis; & tamen ipse dare non potest alteri licentiam vt se absoluat: abstraho nunc ab eo capite finali; benè ergo potuit illud caput eam concedere licentiam, vti communis sententia Auctorum illud explicat.

Quod dicebatur secundo loco ex capite *Si Episcopus*, de pœnitentiis, &c. non vrget, quia quando ego, peto ab Episcopo vt possim eligere mihi Confessarium nihil amplius dicendo, nihil etiam in ea petitione de reseruatione intelligitur: vti enim quando Episcopus assignat Confessarios Ordinarios, non ideò dat eis vllam ad casus reseruatos potestatem, alioquin iam eo ipso tolleret reseruationem; faceret enim æqualia omnia illa peccata; ita quando peto ab illo vt mihi eligere liceat Confessarium, si nihil insinuo de reseruatione, nihil etiam censetur concedere: & hoc est quod declarat illud caput. At in casu nostri textus etsi in eo nihil dicatur expresse de reseruatione, ideoque non sit adeò clara ea doctrina, quia tamen & communiter Auctores illud intelligunt de tali potestate, & ratio, quam ibi dat Pontifex, videtur id conuincere (vt diximus paulò antè) fit longè probabilius, ibi esse sermonem de ea potestate.

31 *Responsio obiectioni ex capite Si Episcopus.*

Obstat tamen nobis adhuc Societatis consuetudo, cui posset responderi triplici modo; Primo, Generalem Societatis, qui dispensationem in Bulla Clementis VIII. obtinuit quoad multa pro Societate, fortasse & pro hoc puncto obtinuisse. Secundo, cùm res illa non sit certa, sed solùm probabiliter inferatur ex eo textu, potuisse optimè Generalem sequendo probabiliorem sententiam obligare nos vt sibi in praxi conformemur, quia Superior cum probabili iure mandans potest obligare ad obediendum. Tertiò posset dici fortasse, Esto iuxta rigorem Iuris id liceat Superioribus, tamen in praxi eos numquam vsos ea facultate, sicuti neque vtuntur accipiendo Confessarios externos pro aliis peccatis non reseruatis; ad quod tamen eos habere potestatem vi eius capitis finalis fatetur ipse Cardinalis Lugo.

Quid de Societatis consuetudine.

SECTIO V.

Explicantur aliqui casus circa absolutionem à reseruatis.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de peregrinis habentibus reseruatum.

QVÆRIMVS, An peregrinus veniens ad alium Episcopatum bona fide, non animo solùm vt absoluatur, possit ibi absolui à casibus reseruatis. Pro solutione aduerte, posse ea peccata esse reseruata vel in vtroque Episcopatu, vel solùm in eo vnde venit, aut solùm in eo, in quo de facto confitetur. Potest etiam fieri vt Confessarius non habeat ibi iurisdictionem absoluendi à reseruatis. Hoc posito, si primo modo res contingat, & Confessarius non habeat potestatem absoluendi à reseruatis, dubium non est tale peregrinum non posse tunc absolui ab eis peccatis: siue enim velit regulari legibus sui Episcopatus, siue eius in quo est, vtrobique inuenit reseruationem; & aliunde Confessarius non

32 *An & quibus modo possint peregrini absolui à reseruatis.*

potest absoluere; ergo nullum habet titulum vt absoluatur: quòd si peccatum sit reseruatum in loco vnde venit, non tamen in loco vbi confitetur, dicunt multi apud Dianam Tomo 2. Tractatu 4. resolut. 103. non posse absolui, si Confessarius non habeat iurisdictionem: probant id ex cap. *Si Episcopus*, de pœnitentiis & remissione, in 6. vbi dicitur, Si Episcopus det alicui licentiam eligendi Confessarium, non propterea dare illi potestatem vt absoluatur à reseruatis; hæc tamen ratio non est vllius momenti, quia oppositi Auctores non in ea licentia fundantur, sed in eo, quòd ea peccata in illo Episcopatu non sunt reseruata: quòd autem sint in loco vnde venit, dicunt esse per accidens ad intentum præsens; sicut si quis exeat ex Religione, vbi sunt peccata reseruata, si tamen eadem pro sæcularibus reseruata non sint, potest sine dubio ab ordinario Confessario ab eis absolui. Secundò dicunt illum præsumi mala fide mutasse locum. Respondetur, In foro confessionis nihil valere præsumptiones has, sed credendũ esse pœnitenti.

Quorumdam sententia.

33 Probabilior ergo est contraria sententia, quam tenent Caietanus, Paludanus & Antonius apud Suarez disput. 30. sect. 1. num. 4. quibus ipse subscribit Henriquez, item, Reginaldus, Homobonus, Villalobos, quos citat & sequitur Diana eo loco. Ratio est quam Suarez & alij afferunt, quia peregrini ex consuetudine, quam approbauit Eugenius Quartus, reputantur quoad hoc Sacramentum ac si essent incolæ. Videtur autem reseruatio ponderanda ex loco & tempore quo fit confessio; vti diximus de casu reseruato eius qui dimittitur ex Religione: iam enim ea peccata non sunt reseruata, esto fuerint in loco vnde venit. Hinc è contrario dicimus, Esto in Episcopatu, à quo discessit, non sit reseruatum illud peccatum; si tamen in loco, ad quem venit, est reseruatum, non poterit absolui à Sacerdote non habente potestatem absoluendi à reseruatis.

Quid probabilius.

Replica soluta.

Replicabis Primò; Ergo etiamsi veniret cum eo peregrino proprius Parochus, non posset eũ absoluere ab eo peccato ibi reseruato, quod in loco vnde exierant non est reseruatum. Respondeo negando consequentiam, quia Parochus proprius habet potestatem absoluendi non ab Episcopo loci, vbi iam illi sunt, sed eius vnde exierunt; ibi autem illud peccatum non erat reseruatum, ac proinde Episcopus dederat ei Parocho facultatem etiam pro eo peccato. Parochus autem loci vbi est tunc peregrinus accepit facultatem limitatam, ideoque non potest ab eo peccato absoluere.

34

Dices, Hic homo dum peccauit nihil de reseruatione sciuit; ergo non potest nunc reddi reseruatum peccatum. Respondeo; Si, vt peccatum esset reseruatum, requireretur sciri reseruationem à peccante, obiectio haberet vim; ac cùm id non requiratur, non est cur peccatum, quod dum committebatur, non fuit reseruatum, reddatur posteà reseruatum; & eodem modo vt quod non fuit reseruatum in loco vnde exiuit, sit iam in hoc loco.

Replica.

Replicabis Secundò: Ergo si quis veniat ad Religionem cum peccatis carnis, v.g. quæ in ea sunt reseruata, non poterit absolui ab ordinario Confessario, sed debebit petere licentiam à Superiore. Respondeo negando sequelam: Etenim in Religione non sunt reseruata vlla peccata, nisi quatenus commissa intra ipsam Religionem: Cùm ergo in casu obiectionis supponantur ea admissa in sæculo, erunt eodem modo non reseruata, quo fuerant anteà. At quando in aliquo Episcopatu certa peccata reseruantur, non requirit Episcopus ad hoc, ea peccata committi intra diœcesim suam, sed vniuersaliter dicit: Nolo vt Parochus vllus meus in meo Episcopatu habeat potestatem absoluendi à sodomia v.g. vbicumque ea fuerit commissa: qua voluntate posita clarissimè intelligitur, quomodo ille peregrinus nequeat in eo Episcopatu absolui à Parocho eiusdem loci à sodomia, esto commissa vbi nulla erat reseruatio.

SVBSECTIO SECVNDA.

An propter reseruata possit dimidiari confessio: vbi, An possit à reseruatis in casu aliquo necessitatis indirectè absolui.

HÆc difficultas varios habet sensus: possumus enim loquì quando Confessarius non habet potestatem absoluendi à reseruatis: Secundò, quando habet: Tertiò præterea in casu necessitatis: Quartò, extra illam. De necessitate idem dubitare possumus, quæ & quanta illa debeat esse: quo posito breuiter respondemus toti quæstioni. 35

Ac Primò dicimus, Si nulla sit necessitas, non potest fieri ea dimidiatio, quia integritas confessionis est de iure diuino; ergo non potest omitti in confessione vllum peccatum nisi aliqua vrgente necessitate, ob quam probabiliter iudicemus Christum pro tali casu permisisse eum defectum integritatis.

Sine graui necessitate non est dimidianda confessio.

Hinc dicimus Secundò: Ea necessitas debet esse grauis, quia ad dispensandum in Iure diuino non sufficit quæcumque leuis excusatio: ac proinde non videtur sufficiens prætextus, quòd Superior v.g. Ordinarius prætendat occupationes, si hîc & nunc aliud grauius non occurrat, quod moraliter reddat impossibilem eam auditionem integram: imò ego planè putarem, eo casu potiùs debere Superiorem remittere subditum ad alium Confessarium, quàm mediam illius confessionem tantùm audire, nisi forte quando planè Superior non posset audire totam confessionem: & simul etiam ob alias circumstantias graues extrinsecas iudicaret necessarium esse se audire illud pœnitentis peccatum. Quem casum meritò Lugo dicit esse rarissimum. Obiicit Caietanus, qui contrarium tenet, consuetudinem Romanam, quam non licet improbare: audito enim casu reseruato remitti solet pœnitens cum aliis peccatis ad ordinarios Confessarios. Respondeo cum Syluestro, qui fuit & Pœnitentiarius in Basilica sancti Petri, & dein Magister sacri Palatij, oppositum potiùs fuisse in praxi. Quidquid verò olim fuerit, testatur Cardinalis Lugo, qui ferè 26. annis in ea Curia versatur, iam nec vestigium esse eius consuetudinis: addit que, ad Romanam Curiam non solitos deferri nisi illos casus, qui annexam habent maiorem excommunicationem reseruatam Papæ: quæ peccata solùm reseruantur ratione excommunicationis, ac proinde hac ablata cessat reseruatio: *Et fortasse* (inquit) *propterea Caietanus dixit diuisam esse absolutionem, & ablata excommunicatione remissos esse pœnitentes ad alios Sacerdotes qui absoluerent ab omnibus peccatis:* & eodem modo intelligit Lugo quod Nauarrus docet,

docet, ex illis duabus absolutionibus fuisse integratam vnam perfectam absolutionem. Hæc consideratio Cardinalis contraria videtur ipsius principiis; nam suprà cum Patre Suarez, & Tomo de Eucharistia disput.14. sect. 5. dicit reseruationem Pontificiam cadere non solùm supra excommunicationem, sed etiam supra peccata; alioquin, inquit, in casu, quo quis obligaretur ad communicandum, esto non posset absolui ab excommunicatione, deberet confiteri & absolui à peccatis, quæ reseruata eo casu non essent; id quod videtur absurdum; ergo iam hic Auctor admittit & peccata ipsa esse reseruata immediatè; ac proinde videtur non posse habere locum, quòd ablata excommunicatione cessaret reseruatio à peccatis, cùm duæ ibi sint reseruationes, & vna possit tolli sine altera. Nihilominus respondeo Benè hunc Auctorem discurrere, quia licet duæ sint ibi reseruationes, & ex se vna sine altera possit tolli, de facto tamen ex voluntate reseruantium ablata excommunicatione auferetur etiam altera reseruatio ipsius peccati.

36 *Obiectio contra eam confirmationem soluitur.*

Tertiò dicimus Confessarium, qui non habet iurisdictionem supra casus reseruatos, etiam non posse dimidiare auditiones confessionis, quia dum caret iurisdictione ad reseruata, caret etiam absolutè ad omnia ex quo capite est in eo quasi duplex impedimentum: si tamen sit obligatio communicandi, & non adsit qui habeat iurisdictionem ad reseruata, poterit illi pœnitens confiteri tunc alia mortalia; ipsa autem reseruata, cùm ab eis non possit ille Confessarius directè absoluere, non tenebitur pœnitens dicere: nam pro absolutione indirecta non est necessum dicere peccatum, sed solùm de illo dolere. Et quidem posse habentem reseruata confiteri in alioquo casu necessitatis ei qui non habet iurisdictionem in illa, dummodò confiteatur alia peccata, tenet & Lugo hic, & fusius Tannerus disp.6. quæst.2. dub.3. vbi pro illa citat Diuum Thomam, Paludanum, Gabrielem, Almainum Gandaui, Syluestrum, Caietanum, vtrumque Sorum, Medinam, Canum, Henriquez, Nauarrum, Valentiam & Suarium; limitat tamen eam sententiam, nisi ille casus reseruatus habeat annexam excommunicationem: de quo vltimo puncto nos non agimus. In hac nostra & communi doctrina habemus contrarios Vasquez, Richardum, Durandum & Adrianum, quos ibidem citat Tannerus; de quibus statim P. Coninch disp.7.n.86. citans pro se Diuum Thomam, Gabrielem, Paludanum, Angelum, Henriquez & Suarium, ait, Omnino debere tunc tali Confessario ordinario dici peccata etiam reseruata; nam licet ab eis non sit absolutus directè, est tamen indirectè; ergo expedit vt illa etiam audiat, vt sciat qualem peccatorem absoluat. Secundò, quia debet noscere, vtrùm pœnitens sit dignus, omnibus pensatis, absolutione; potest autem fieri vt ex reseruatis ipsis intelligat illum habere domi concubinam: ideoque esse indignum absolutione etiam indirecta: potest etiam fieri vt ratione ipsorum reseruatorum obligetur ad restitutionem, vel aliquid aliud, quod præstare nolit, ideoque non sit capax absolutionis vllius; neque, an subsint hæ rationes nécne, deber relinqui iudicio pœnitentis etiam docti. Neque reputandum est è contrario graue onus, quòd ea peccata bis confiteri cogatur, cùm ad id vrgeant tam graues causæ. Hæc etiam argumenta tetigerat Suarez, obiter tamen, disp.31. sect.3. num.8. Lugo verò hic disput.20. num.74. obiter tangens hanc quæstionem ait se eam fusiùs discussisse disp.14. de Eucharistia, sect.5. ibi tamen etsi nostram sententiam defendat, nullum argumentum pro illa, aut contra illam ponit, sed videtur vt certam nostram doctrinam supponere.

In necessitate communicandi potest pœnitens tacitis reseruatis alia peccata confiteri & absolui.

37

In contrariam stant Vasquez & alij.

Eorum argumenta.

Hæ tamen Suarez & Coninch obiectiones non carent maxima difficultate, & reuera valdè faciunt probabilem eam contrariam sententiam. Nihilominùs tamen non cogunt nos ad nostram deserendam, quia nimis multum probant, scilicet nunquam posse dimidiari confessionem, etiamsi periculum aliquod timeatur ex manifestatione peccati alicuius. Hoc autem est apertè falsum, & contra hos ipsos Auctores; sequelam autem clarè probo, quia sicut hi dicunt posse fieri vt ratione eorum peccatorum reseruatorum homo sit incapax absolutionis etiam ab aliis peccatis, vel quia debet occasionem relinquere, vel restitutionem facere, vel aliquid aliud præstare, ad quod non est paratus; ita eodem modo ego dicam posse timeri id ipsum ratione illius peccati, quod tacetur ob imminens pœnitenti aut tertiæ personæ damnum: & vti Coninch ait non relinquendum iudicio pœnitentis etiam docti discernere, vtrùm sit ea obligatio nécne, quando est casus reseruatus, ita ego dicam non relinquendum iudicium de ea obligatione, quando est peccatum, ob quod timetur damnum aliquod. Quòd si non obstante eo periculo potest tunc pœnitens reticere illud peccatum, cur attento etiam eo solo periculo non poterit reticere reseruata? Vides ea argumenta nimium probare? eis absolutè respondeo, Pœnitentem posse tunc discernere, vtrùm sit benè dispositus, & sufficientem habeat dolorem non solùm de his quæ confitetur, sed etiam de reseruatis quæ omittit; sicuti etiam ad pœnitentem spectat in casu illo communis sententiæ iudicare, vtrùm sit bene dispositus etiam ratione peccati aut peccatorum, quæ tacet propter periculum imminens ex eorum confessione: non est ergo cur eum obligemus tunc ad confessionem eorum reseruatorum. Et hæc quoad Patrem Coninch.

38 *Quid de illis sentiendum.*

Habemus etiam contrarium ex altera parte, vt dixi, Gasparem Hurtadum disput. 11. difficultate 14. vbi ait, Non posse vnquam eum qui habet reseruata absolui à non habente iurisdictionem supra reseruata, ideóque censet, non posse tunc confessionem diuidi: in quo puncto sequitur Patrem Vasquez, Richardum, Adrianum & Turrianum, quos ibidem refert. Fundamentum huius doctrinæ desumitur ex Tridentino, quod Sessione 14. cap.7. ait, Extra articulum seu periculum mortis (quod idem est) nihil posse Sacerdotes in casibus reseruatis, quia nõ sunt legitimi iudices: vnde illos monet Concilium, vt pœnitentes, qui casus reseruatos habent, remittant ad Superiores & legitimos suos iudices. Nec sufficit respondere, Sacerdotes inferiores non habere quidem iurisdictionem, vt directè absoluant à reseruatis; quia tamen possunt à non reseruatis, ideò etiam posse indirectè saltem à reseruatis absoluere: hoc inquam non sufficit, quia si saltem indirectè possunt ab eis absoluere; ergo aliquid possunt circa reseruata; cuius oppositum docet Tridentinum eo loco. Adde, si ea ratio esset bona, etiam consequenter dicendum, eum qui habet mortalia posse simplici

39 *Refellitur doctrina P. Gasparis Hurtadi.*

plici Sacerdoti confiteri venialia, & absolui indirectè à mortalibus: hoc autem videtur absurdum & contra consuetudinem Ecclesiæ; ergo. Vnde infert, Eum qui non posset ad Superiorem recurrere pro reseruatis, debere se gerere ac si planè careret Confessario, & per contritionem se disponere ad Eucharistiam, casu quo teneretur eam suscipere.

40 *Non videtur consequenter tradita ea doctrina Vasquez.*

In hac doctrinâ hic Auctor, vti & Patet Vasquez, quem sequitur, videtur minùs consequenter discurrere; nam §. *Obseruandum est*, addit, Si tamen pœnitens habeat peccata reseruata, quæ tamen possit reticere ob rationes aliquas iustas, absoluendum indirectè ab illis, esto annexam habeant excommunicationem reseruatam. In hac doctrina dico illos nullo modo loqui consequenter; vnde & Coninch, & Lugo, & alij eos fortiter & iure reiiciunt, quia ex eo quod pœnitens ille taceat ea peccata, nullo modo Sacerdoti confertur iurisdictio, vti è contrario non adimitur ex eo quòd illa peccata fateatur. Vnde si quæ ex Tridentino hi Auctores maximè asserunt, scilicet extra casum mortis Confessarios Ordinarios nihil penitus habere iurisdictionis in reseruata, vim aliquam habet; certè eodem modo eam habebit, esto reticeatur illud reseruatum: nam hoc ipsum, quod est ab illis absoluere quando reticentur, est aliquid habere supra illa, nec cogitauit ibi Tridentinum de distinctione inter casum quo non dicitur peccatum, & casum quo dicitur in confessione, sed absolutè dixit nullam habere potestatem extra mortis articulum supra reseruata. Ratio autem à priori est clarissima, pro quâ demus casum, in quo quis habet reseruatum, à quo, si illud manifestaret huic Confessario, alioquin non habenti iurisdictionem in illud, non posset absolui. Da Secundò ex confessione huius peccati pœnitentem timere prudenter grande sibi damnum; vnde non obligatur ad illud dicendum, quia tamen ipse iuri huic renuntiare potest, & velle se exponere ei damno, potest, si velit, etiam confiteri illud peccatum. Pone Tertiò, occurrere occasionem grauem communicandi, &c. & non posse accedi Superiorem, si hic homo confiteretur sola peccata non reseruata, & taceret reseruatum vtendo suo iure, posset absolui indirectè ab illo iuxta Patrem Hurtadum. Inde manifestè argumentor; Ergo etiamsi ille cedens suo iure confiteretur pro maiori humilitate illud peccatum, & faceret omnino integram confessionem, posset absolui indirectè ab illo. Probo hanc consequentiam, quia omnino est improbabile dicere, hanc humiliationem esse illi homini nociuam siue ex voluntate Christi, siue ex voluntate Ecclesiæ præsumptâ, cùm etiam in altero sit planè impertinens, quòd reticeat tale peccatum, cùm magis laudabilis esset, si illud fateretur.

Ratio à priori.

41 *Secunda impugnatio.*

Secundò principaliter displicet Hurtadus, quia supponit eo casu teneri hominem confiteri ei inferiori Sacerdoti peccata reseruata; iam enim dixi paulò antè contra Coninch non esse talem obligationem, sed posse solùm dicere non reseruata, ac proinde (etiam ipso Hurtado teste) absolui poterit saltem indirecte à reseruatis.

Iam ad argumentum Hurtadi ex Tridentino respondemus, Hoc loqui quando pœnitens potest adire suum Superiorem, & simul non cogitur ob alias rationes ad confessionem; ac propterea dicit, vt Confessarij ordinarij remittant pœnitentes ad suos Superiores, si autem remitti non possunt, & aliunde obligat confessio, non intendit Concilium impedire eam absolutionem indirectam.

Obiectio.

Replicabis, Me in hac solutione non benè supponere eo casu esse obligationem confitendi: de hoc enim est tota quæstio; nam Hurtadus & alij dicent, Tunc debere etim pœnitentem se gerere perinde ac si non haberet Confessarium vllum, & per actum contritionis debere supplere defectum confessionis. Respondeo, Me non supponere in ea solutione, quod hîc & nunc sit obligatio; certum enim est, si debeam communicare, & habeam conscientiam mortalis, teneri me confiteri; & quidem ex præcepto diuino (iuxta Tridentini declarationem) vbi assumo ponderationem, quam Lugo & alij benè notarunt. Obligatio præmittendi ante Communionem confessionem Sacramentalem est de iure diuino; actualis autem reseruatio huius peccati est solùm de iure positiuo Ecclesiæ: estne autem probabile Ecclesiam adeò tenacem esse suæ reseruationis hîc & nunc, vt malit non præmitti confessionem iuxta præceptum, Christi ante Communionem, quàm dare facultatem vt indirectè Confessarius ille absoluat ab eis reseruatis, siue iam illa dicantur in confessione, siue non? Habétque hæc ratio ex duobus capitibus maximam vim. Primum est, quia per eam absolutionem indirectam non læditur vel in minimo reseruatio peccati, & finis in eâ reseruatione intentus; nam illud peccatum perinde manet cum reseruatione totâ, quam anteà habuit, ac si nullam omnino ille homo feciſſet confessionem; & consequenter manet eodem modo obligatus ille homo quo anteà ad se sistendum Superiori, &c. ideóque nec in minimo impeditur finis & vtilitas reseruationis.

Responsio.

41 *Confirmatio eius nostræ doctrinæ.*

Secundum caput vnde ea ratio habet magnam vim est, quòd apud omnes Auctores sit certum, eum, qui oblitus casus reseruati inuincibiliter confitetur alia peccata etiam non habenti iurisdictionem in reseruatum illud, absolui indirectè ab illo. Quam doctrinam iuxta paulò antè dicta etiam Hurtadus & Vasquez admittunt: atqui in nostro casu accidit pœnitens bonâ fide, & dat alioquin pro dictâ absolutione materiam, alia scilicet peccata; cur ergo erit peioris conditionis quàm ille qui eius peccati non recordatur? ex quo capite etiam positiuè firmatur nostra sententia.

Respondetur contraria instantia.

Ad instantiam de eo, qui nullum haberet Sacerdotem approbatum, cui confiteretur mortalia, respondeo, Etiam posse talem simplici Sacerdoti confiteri venialia, vt saltem indirectè absoluatur à mortalibus: neque id est iudicandum absurdum, sed potiùs conforme valdè rationi, & conscientiis vtile, cùm ex vna parte tota obligatio confitendi ea peccata mortalia adhuc maneat integra, & ex alia satisfiat obligationi confitendi pro susceptione Venerabilis vrgente, vt supponimus, communicandi necessitate.

Si Superior auditis reseruatis remittat pœnitentem cum aliis peccatis ad ordinarium Confessarium non tenetur reseruata ab isto audire.

Circa quæ aduerte; si Superior vrgente necessitate aliqua dimidiat confessionem, & solùm audit reseruata, & ab eis absoluit remittendo pœnitentem pro reliquis ad Confessarium ordinarium, eo ipso tolli omnem obligationem dicendi ei Confessario peccata illa reseruata; quia Superior dum ab illis directè absoluit, nullam reliquit obligationem ea secundò confitendi; quòd autem non sit tunc directè absolutus ab aliis,

aliis, quæ omisit, probat quidem eum teneri illa confiteri, de reseruatis verò nihil probat; vti quando ex obliuione inuincibili non facit confessionem integram, non obligatur repetere ea quæ antèà dixerat, sed præcisè illa quorum est oblitus. Hac instantia reiicitur obiectio quædam Caietani dicentis cõfessionem fieri debere Confessario, non Confessariis; ergo debent deinde dici omnia peccata vni: hæc inquam ratio reiicitur, Primò quidem ad hominem contra ipsum Caietanum; nam (vt paulò antè vidimus) ille ipse fortiter tenet, Superiorem posse audire sola reseruata, & dare absolutionem ab illis, ac remittere pœnitentem cum aliis peccatis ad ordinarium confessarium: argumentor enim; Etiam eo casu Superior ille facit verum Sacramentum, & pœnitens facit confessionem veram & sufficientem, vt absoluatur directè à reseruatis illis peccatis; & tamen tunc illinõ dicuntur omnia peccata; ergo non est necesse vt vni omnia dicantur ad hoc, vt absoluatur valide; ergo postèà, etiamsi non fiat ordinario Confessario nisi peccata non reseruata, manebit tamen absolutus directè ab his, cumque fuisset tam antèà ab aliis erit directè ab omnibus, nec tenebitur amplius repetere. Secundò reiicitur ea ratio, nam si bona esset, probaret etiam in casum obliuionis debere omnia peccata repeti: id quod est contra certam omnium sententiam. Patris Suarez fundamentum paulò antè tactum, quodque est omnino efficax, visum est nullius momenti Patri Fagundez lib. 3. de Secundo Ecclesiæ præcepto cap. 3. num. 8. eò quòd in nostro casu ea absolutio Superioris nihil aliud efficere videatur quàm tollere reseruationem eius peccati, non illud remittere. Quam sententiam ait esse multorum. Meritò Cardinalis Lugo inuehitur in hanc impugnationem, tum quia Suarius solùm fuerat locutus, casu quo illa Superioris absolutio esset Sacramentalis; qua suppositione admissa etiam ipse Fagundez iudicat inferri optimè, Non esse obligationem repetendi peccata; Secundò, quia veritatem illius suppositionis admittit etiam ipse Fagundez; & reuerà negari illa non potest suppositis principiis certis, quòd liceat aliquando dimidiare confessionem, & absoluere directè ab aliquibus peccatis, & ab aliis indirectè: potest enim talis occasio contingere respectu Superioris; & tunc ille auditis solùm reseruatis dare poterit Sacramentalem absolutionem à reseruatis tantùm directè, indirectè verò à cæteris, quorum pœnitens se tunc non accusat. Ratio ergo illa Patris Suarez optima est; per quam tamen non negamus, imò suprà diximus melius fore, si Superior tunc alij concedat facultatem absoluendi, apud quem fiat integra confessio, quàm, si eam ipse inchoet, & non finiat. Vbi obiter nota, etiam quando Superior Sacramentaliter non absolueret, sed daret iurisdictionem, debere tamen eum seruare confessionis sigillum quia illa notitia ipsi facta ordinatur ad confessionem. Vti qui audiuit confessionem, esto deinde non det absolutionem ob aliquam caussam; ac proinde estò non efficiat Sacramentum, tenetur tamen ad secretum seruandum, vt fatentur omnes Auctores: de quo aduc infrà.

43 *Obiectio Caietani soluitur.*

Fit dubium Patris Suarez defenditur.

44

Tandem notandum, à nonnullis circa præcedentia verti in dubium, an Superior audiens omnia peccata tam reseruata quàm non reserta possit absolutionem dimidiare remittẽdo directè tantùm reseruata, & relinquendo obligationem alia confitendi. In hac quæstione Suarez negat id posse fieri, Medina affirmat apud eumdem; Lugo verò dicit id esse satis dubium, nec facilè posse ostendi fore inualidam eam absolutionem, esto sit illicita. Ego tamen omnino iudico cum Patre Suario nullarenus id posse valide fieri, quia in primis ille homo tunc, si absoluitur ab aliquibus mortalibus, necessariò saltem indirectè ab omnibus absoluitur; hoc est, quoad Deum iam est absolutus, & gratam accepit; ergo quoad hoc punctum diuidi non potest absolutio, neque item diuidi potest quoad absolutionem directam; quia ea absolutio directa coram Deo nihil aliud efficit, maximè in sententia Cardinalis Lugo, quàm tollere obligationem ea peccata confitẽdi ei qui habẽt directam iurisdictionem ad absoluendum ab illis. Vnde hic Auctor admittens Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe docet, eo ipso quòd quis confiteatur ea peccata, etiamsi ob defectum doloris de mortali non occurrente memoriæ non accipiat gratiam, nihilominùs non teneri ea peccata, etiamsi coram Deo non remissa, secundò confiteri, sed solùm illud cuius est oblitus; ergo multò minùs quando confessus est omnia cum sufficienti dolore & coram habente iurisdictionem, quando omnia sunt illi coram Deo condonata; multò inquam minùs poterit dici, quòd maneat obligatus aliqua secundò confiteri, cùm iam satisfecerit obligationi se sistendi coram habente legitimam iurisdictionem, & ille absoluens indirectè non potuerit priuare se ea iurisdictione, ac proinde non potuerit illum obligare ad hoc vt secundò confiteatur.

45 *Audita confessione pœnitentis non potest Superior absoluere à reseruatis v. g. & pro aliorum absolutione remittere ad ordinarium.*

DISPVTATIO XLI.

De ablatione indirecta reseruationis; & delegato pro reseruatis.

1 RESERVATIO potest tolli directè, quando Superior ad quem spectat directè absoluere dat licentiam cuicumque confitendi, tunc enim absolutè tollitur omnis omnino reseruatio: quòd si det pro certa persona tantùm, tunc respectu huius cessat eadem reseruatio in quo puncto nulla est vllius momẽti difficultas: quæstio ergo tota reducitur ad ablationem indirectam seu tacitam; pro qua duo casus communiter solent à Doctoribus poni, quos statim examinabimus.

SECTIO

SECTIO III

Quid de primo casu.

An si confitis habili iurisdictionē in reseruata obliuiscatur reseruatā cōfiteri, nihilominùs absoluatur ab eo, tollaturque reseruatio.

IS autem est, An si quis habens reseruata & eorum oblitus confiteatur alia non reseruata Superiori, aut ei qui à reseruatis potest absoluere, censeatur eo ipso ablata reseruatio, etiāsi absoluens non cogitet de ea reseruatione auferenda. Communis sententia affirmat, Gabriel, Adrianus, Syluester, Angelus, Rosella, Nauarrus, Couarruuias, Canus, Ledesma apud Suarez ea disput. 13. sect. 4. Gabriel tamen, Rosella, Sylueſter & Angelus apud Vasquez quæst. 29. art. 3. dub. 3. cùm requirant in absoluente voluntatem quamdam vniuersalem absoluendi ab omnibus peccatis & censuris in qua voluntate virtualiter saltem includitur absolutio à reseruatis, non possunt propriè pro hac sententia citari; nos enim agimus quando voluntas absoluentis more ordinario non se extendit nisi ad peccata, de quibus se accusat pœnitens: quidquid ergo de ea limitatione sit, eandem sententiam tenet Nunnius, Reginaldus & Henriquez, quos refert & sequitur Lugo ea disp. 20. sect. 7.

2 *Sententia Suarez.*

Suarez verò putat eam doctrinam solùm habere locum quando pœnitens petit absolui à reseruatis, si quæ habeat; tunc enim ait, Etiamsi alicuius reseruati obliuiscatur, illud tamen reddi non reseruatum; si enim, inquit, subditus recurrat ad Superiorem tamquam ad Confessarium ordinarium, non præsumitur Superior velle auferre reseruationem vllam; absurdum enim est per quamlibet confessionem quacumque occasione cum Superiore factam, accusando se tantùm de verbis otiosiis, ipso manere liberum à reseruatione, cùm id videatur contrarium ipsi fini reseruationis, vt scilicet adhibeatur sufficiens medicina: &c. Si tamen, inquit idem Suarez, facultas absoluendi data est in fauorem pœnitentis, vt tempore Iubilei, tunc, licet nullam mentionem faciat de reseruatis, adhuc intelligitur ablata reseruatio eorum quorum est oblitus.

Eamdē tenet Sanchez.

Hanc sententiam sequitur etiam Sanch. lib. 8. de Matrimonio disput. 15. num. 27. & Vasquez eo dubio 5. num. 18 & 21. docens solùm auferri reseruationem eorum quæ confitetur, non illius cuius obliuiscitur; ait tamen excommunicationem etiam reseruatam auferri ab eo qui potest illam auferre, esto de ea nihil sciat; auferri inquam per illa verba generalia, quibus absoluit antecedenter à censuris; in quo casu non putat habere locum illam communem regulam, quòd ablata censura, auferatur reseruatio peccati illius, ob quod ea est imposita. Addit deinde reseruationem tolli quando quis fatetur integrè reseruata, licet confessio & absolutio aliunde sint inualida. Denique numer. 38. addit, Si quis petat licentiam eligendi sibi Confessarium pro casibus reseruatis, quos habet, si tunc obliuiscatur alicuius peccati reseruati, illud non manere iam reseruatum: id quod omnino videtur verum, quia Superior tunc cùm nihil sciuerit de vllo ex his reseruatis in particulari, neque suam restrinxerit voluntatem, videtur necessariò per licentiam illam complexus omnia quæ pœnitens tunc habebat, ergo etiam illud, cuius idem pœnitens est inuincibiliter oblitus; quia & illud iam erat commissum tunc, & implicitè ibi pro eo petebatur facultas.

3 *Probatur à simili.*

Hæc secunda sententia probatur à simili; nam si quis obliuiscatur mortalis alicuius non reseruati, & indirectè ab eo absoluatur, non propterea eximitur ille ab obligatione illud confitendi habenti iurisdictionem supra mortalia; neque ideò illud fit quasi non reseruatum Confessario habenti in mortalia iurisdictionem; seu non propterea fit tale, vt qui solùm potest absoluere à venialibus, possit etiam ab hoc; ergo eadem ratione dicere debemus, Esto confitear habenti iurisdictionem in reseruata, & obliuiscar reseruatorum, non ideò hæc iam transferri ad iurisdictionem communem Confessarij Ordinarij. Consequentia meo iudicio est valdè bona, quia sicut se habet peccatum reseruatum respectu ordinarij Confessarij; ita se habet peccatum mortale Ordinarij respectu simplicis Sacerdotis non habentis iurisdictionem in mortalia, de quibus non est confessus adhuc pœnitens: ergo sicut quòd confiteatur habenti iurisdictionem in mortalia, non transfert illud cuius sum oblitus in inferiorem Sacerdotem; ita quòd confessus sim habenti iurisdictionem in reseruatum non transfert in ordinarij Confessarij potestatem illud reseruatum cuius fui oblitus: sicut enim se habet Sacerdos simplex ad mortalia ordinari, ita respectu reseruatorum se habet Confessarius ordinarius. In vtroque etiam casu fuit obliuio inculpabilis: in vtroque facta est confessio ei qui habeat iurisdictionem in ea peccata, quæ non occurrerunt memoriæ; cur ergo quæso vnum retrocedit, vt sic dicam, vno gradu ad Confessarium inferiorem, alterum verò non etiam retrocedit vno gradu ad Confessarium inferiorem?

4 *Quid de hoc argumento.*

Hoc argumentum sic deductum meo iudicio esset euidentissimum, si res hæc (vt statim dicam) non esset dependens à voluntate Superiorum, qui possunt pro libitu hoc vel illo modo dare licentiam pro eis absolutionibus, & in vna materia negare, in altera etsi omnino pari concedere. Vnde obiter noto, multò minùs esse è contrario efficacia aliqua argumenta, quæ Cardinalis Lugo oppositum sentiens congerit contra Vasquez, & Suarez tam ad hominem ex his quæ hi dicunt quàm absolutè; quibus singillatim satisfacere operosum non esset, nisi ob statim dicenda illud iudicarem etiam otiosum.

Decidituꝛ quæstio.

In hoc ergo puncto primùm censeo non esse cur diù hæreamus; nam si pro praxi sit consideranda hæc difficultas, cùm sententia prima sit adeò communis, est sine dubio tutissima in praxi, adeoque sine vllo scrupulo potest quis ei se accommodare. Loquendo autem speculatiuè plus fortè res hæc habet de diuinatione quàm de discursu; tota enim pendet à voluntate Superioris audientis confessionem: si enim ille velit auferre reseruationem eo casu, sine dubio eam auferet; si autem nolit, nisi expressè pœnitens confiteatur illud peccatum, etiam potest eam reseruationem retinere; de possibilitate ergo non potest vllum esse dubium. Quoad factum autem

vtrùm

vtrùm talem reipsa habeat voluntatem, est, vt dixi, quædam quasi diuinatio de animo Superioris illius; fortasse multi eum habent, fortasse alij non. Nec video vnde certò possimus dicere, aut omnes Superiores eam habere, aut nullum, cùm hoc etiam post disputationes longissimas nostras sit in potestate absoluentium, qui vti habent diuersa dictamina, possunt habere etiam circa ablationem aut retentionem eius reseruationis diuersas quasi virtuales volitiones: vnde si interrogarentur, An hoc an illud implicitè intenderint, nullo modo dubito, quin aliqui respondereni, Ego nullo modo nec implicitè de ablatione reseruationis cogitaui, alius diceret, Ego omnino ita volui; nihil ergo certi in hoc puncto dicere possumus.

5 *Quid possit de voluntate Superioris præsumi.*

Si tamen in re dubia diuinare licet, profecto dicerem maiorem partem Superiorum non habere eam voluntatem, quando planè pœnitens nihil de reseruatis dicit: & reuerà si antequam de hac quæstione tractassem contigisset me esse Superiorem, interrogatusque post auditam talem confessionem, vtrùm in tali casu saltem implicitè voluissem auferre reseruationē; ego sine vlla omnino dubitatione dixissem, Nullo modo me id voluisse, imò, nec ea de re cogitasse, rogo ergo, Vt cuius voluntatis tunc temporis debuisset censeri ablata ea reseruatio in eo qui mihi ita confessus fuisset? Non ex aliqua lege aut voluntate altiori, si talis esset lex, tunc cessaret tota quæstio; non item ex voluntate actuali, quia talem non habui; non ex præsumpta, quia potiùs contraria præsumebatur; ergo: & quoad hoc est satis magna differentia inter absolutionem ab excommunicatione & absolutionem à peccatis: nam ab excommunicatione absoluo, etsi nihil planè de illa mihi dicatur; & verba ipsa denotant me velle absoluere in quantum possum & pœnitens indiget: vnde quoad hanc absolutionem per accidens omnino est quòd sit occulta Sacerdoti. Aliter in peccatis contingit, quia ab illis non absoluo directè, imò nec possum, nisi quatenus sunt mihi dicta; ergo absolutio illa non est directa; per indirectam autem non tollitur reseruatio; vt patet quando non recordatus peccati reseruati confiteor alia ordinario Confessario: tunc enim etiam indirectè absoluor à reseruatis, & tamen non tollitur reseruatio: quod autem Superior habeat potestatem ad tollendam reseruationem, nihil probat, quia in verbis absolutionis neque in intento, quo illa proferuntur, quidquam includitur de ablatione reseruationis: eo enim casu diuersum quid est, *Absoluo te Sacramentaliter à tuis peccatis*, etiam si addat *in quantum possum*; & aliud longè, *Tollo tibi reseruationem eorum quæ es oblitus*: hæc enim ablatio propriè loquendo non est actus Sacramentalis: quomodo ergo quæso illa licentia confitendi ea cuilibet poterit inferri ex absolutione Sacramentali?

Ablatio reseruationis non est actus Sacramentalis propriè loquendo.

6 *Confirmatio*

Confirmo hoc meo iudicio efficaciter ad hominem contra Cardinalem Lugo, qui ea sect.7. num. 98. ait, Si Superior habens potestatem absoluendi à duabus excommunicationibus v.g. & vnam sciens, alteram ignorans, quia & pœnitens etiam inuincibiliter eam ignorat, dicat, *Absoluo te ab hac excommunicatione*; non manere tunc ablatam reseruationem alterius; quia verba solùm tunc terminantur ad vnam, neque vllo modo indicant absolutionem ab aliis, vel ab earum reseruatione; si autem generaliter dicat, *Ego te absoluo ab omni vinculo*, &c. tunc putat absolui ab omni. Ex hac doctrina argumentor repetendo quæ dixi immediatè antè, *Absoluo te à peccatis tuis*, vt Sacramentaliter dicitur à Confessario, nullo modo sonat absolutionem à reseruatione, sed à culpa ipsa & offensa Dei, & ab obligatione ea peccata tunc dicta iterùm subiiciendi clauibus Ecclesiæ; ablationem autem reseruationis circa peccata ibi non dicta nullo modo ea verba denotant, quia ea obligatio est actio non Sacramētalis; ergo nō debemus præsumere eam esse intentā à Superiore.

Obiicies: Dum absoluit à peccatis, absoluit in quantum ipse potest & pœnitens indiget, ergo vult tollere omnia vincula peccati quæ potest; sed vnum est reseruatio, ergo hanc vult tollere; eo autem ipso eam tollit. Respondeo, Ita debere nos intelligere extendi tunc absolutionem Sacramentalem, vt tamen maneat inter proprios terminos Sacramentalis absolutionis; illud autem aliud, quod per se est extra eos limites, non possumus præsumere, nisi fundamentum aliunde habeamus eius intentionis. Atqui ablatio reseruationis, loquendo propriè, non est actio absolutionis nec Sacramentalis, vt dixi, quia totum Sacramentum (concedentibus id Aduersariis) fieri potest perfectissimè sine ea ablatione; & è contrario tota ablatio reseruationis potest fieri sine vllo Sacramento, vt omnes fatentur; ergo non debet tunc vllo modo de ea voluntate præsumi vi absolutionis, nisi aliunde constet, vt dixi, de eadem voluntate. Aliunde autem nihil adfertur pro ea præsumptione: ergo & hanc doctrinam, vt consequentiùs loquar, extendo etiam cum Vasquez ad casum, quo vnum aut alterum reseruatum dicat pœnitens, obliuiscatur verò alterius: quia per hoc, nihil colligitur de voluntate Superioris audientis circa alia, nisi forte pœnitens illi dicat, *Venio ad Reuerentiam vestram vt me à reseruatis absoluat*: per hanc enim petitionem, & eo quòd Superior annuens illum audiat, possumus præsumere prudenter, quòd etiam illi auferat reseruationem circa alia; si quæ est oblitus inuincibiliter. Vti etiā suprà, ex eodem Vasquez notaui, quando pœnitens peteret indefinitè licentiam vt posset à reseruatis absolui: tunc enim Superior præsumitur quasi manifestè dare ad omnia quæ iam sunt commissa: inter quæ sine dubio est illud, cuius inuincibiliter pœnitens obliuiscitur. Neque indè potest consequentia trahi ad nostrum casum (quidquid Lugo dicat) quia in nostro nihil est vnde possimus de ea voluntate præsumere, vt ostendi, Quæ dixi de Superiore intelligenda sunt de habente iurisdictionem delegatam ad absoluendum: quia etiam in illis non est cur præsumamus eos velle reseruationem auferre, nisi fortè quis dicat eum in hoc puncto esse magis libèralem quàm sit ipse Superior: quia hic videtur magis velle scire peccatum reseruatum, vt adhibeat medicinam necessariam: de quo puncto delegatus non est ita solicitus. Hæc tamen ratio non multum vrget: nam eo casu cùm ille non possit delegare suam iurisdictionem, eo ipso non potest nisi directè absoluendo tollere reseruationem: ac proinde si cum prima sententia dicator etiam per hunc eam tolli, recurrendum necessariò est ad voluntatem delegantis, ac dicendum hunc tollere eo casu reseruationem posita (tanquam conditione) confessione cum habente iurisdictionem delegatam. Cùm ergo tota

Obiectio. Responsio.

7

Ampliatio conclusionis.

8

ea

ea oblatio tandem refundatur in voluntatem præsumptam ipsius Superioris, non videtur posse esse facilior ea ablatio in vno casu quàm in altero. Hac occasione tractat hic Lugo de tempore Iubilei, An si quis obliuiscatur alicuius reseruati, tollatur eius reseruatio. Hoc tamen à me est fusè suprà discussum, vbi omnia quæ ad Iubileum spectant tractaui. Hoc solum noto, quod & ibi dixi, in Iubileo non auferri reseruationem per ipsam confessionem, vt minùs benè aliqui putant, contra quos ibi egi, sed antecedenter tolli per ipsum Pontificem, qui tunc omnia peccata facit non reseruata; ac proinde non est mirum, si tunc, quando in confessione quis est oblitus reseruati, non maneat reseruatum; quandoquidem etiam ante confessionem iam erat illius reseruatio ablata: vnde dixi, Esto eo loco non fuisset confessus, quia putabat se non habere vllum mortale, ablatam tamen esse reseruationem; vnde ad præsentem quæstionem non potest adferri inde vlla instantia.

Quid à tempore Iubilei.

Obseruatio

Aduerte cum Lugo, si vera sit ea prima sententia quoad peccata reseruata, quæ non occurrerunt inuincibiliter, eodem modo eam debere habere locum in peccatis reseruatis, quæ quidem memoriæ occurrerunt, ob iustas tamen causas (ob quas suprà diximus posse aliquando in confessione reticeri aliquod peccatum) illa etiam fuere hìc & nunc omissa, quia respectu illorum cùm bona fide omittantur, est eadem ratio ac si inuincibiliter non occurrissent memoriæ.

SECTIO II.

Discutitur alter casus.

SECVNDVS casus in quo tolli potest reseruatio interpretatiuè iuxta multorum sententiam, est, quando pœnitens confitetur quidem suo legitimo Superiori casum reseruatum, absolutio tamen inualida est ex aliquo defectu substantialitis sentiunt Suarez, Valquez, Lugo & alij multi; Vasquez tamen & Suarez eam limitant, dummodò non fuerit defectus culpabilis in integritate ipsius confessionis. Lugo verò addit, Esto fuerit defectus culpabilis, dummodò non fuerit circa ipsa peccata reseruata, sed circa alia. Addit præterea, Casu quo aliquod non reseruatum reticuit fraudulenter, & oblitus est alicuius alterius etiam reseruati, neutrius reseruationem auferri; quia non iudicatur tunc Superior magis velle tollere reseruationis vinculum, quàm si scienter & culpabiliter subditus reseruata taceret, quandoquidem se non sincerè & cum simplicitate manifestat suo Superiori.

9 *An absolutio inualida habentis iurisdictionem in reseruata tollat nihilominùs reseruationem.*

Ego (vt verum fatear) valde dubito de tota hac doctrina; & rursus confirmo id quod suprà in sinuani, scilicet nos non nisi planè diuidendo in hac materia præsumere de Superiorum intentione: & quidem non videtur mihi consequentia seruari in ea vltima limitatione Lugo; nam si quando pœnitens ipsa peccata reseruata manifestat sincerè, esto circa non reseruata se gerat fraudulenter, obtinet tamen ablationem reseruationis; cur quæso eam non obtinet etiam respectu alterius reseruati, cuius est oblitus inuincibiliter, quandoquidem hoc non occultat in sincerè, imò paratissimus erat dicere si occurrisset; ergo iudicari debet ac si dixisset illud? Secundò, non facilè mihi possum, persuadere quòd Superior religiosus ac prudens & Deum timens velit illi subdito, qui nequiter accedit ad confessionem committendo sacrilegium graue, ac reticendo mortale non reseruatum, ac proinde nec confessionem sciam faciendo, huic inquam velit reseruationem tollere; quæ ablatio est in se sat magnum beneficium; cùm potiùs deberet ob illud factum cum grauissimè punire.

Quid de hac doctrina sentiendum.

10 *Obiectio.*

Dices: Iam ille satisfecit suæ obligationi sistendo se Superiori, seu illi manifestando sua peccata; ad hoc enim præcisè ordinabatur reseruatio; ergo non tenetur secundò ea illi dicere. Respondeo, Finem reseruationis non esse vt Superior sciat ea peccata; nam si Superior vidisset illum committentem huiusmodi peccatum, iam eo ipso illud sciret, non tamen propterea abstulisset ab illo reseruationem. Reseruatio ergo eò tendit, vt absolutio sit difficilis, & ex eo capite homo difficiliùs illud peccatum committat. Deinde vt Superior meliùs possit pœnitentiam cõgruentem imponere, ideò licet Superior sciat meum casum reseruatum: non tamen ideò mihi iam est liberum confiteri illud cuicumque ordinario Confessario; atque pœnitens eo casu nullam habet intentionem Sacramentum pœnitentiæ conficiendi, sed potiùs vt illusor & irrisor grauissimam in illud irreuerentiam committit: cur ergo magis illa notitia peccati reseruati debet prodesse ad hoc, vt Superior ei auferat reseruationem, quàm ea quam dixi habuisse eumdem Superiorem, dum vidit illum eumdem pœnitentem huiusmodi peccatum committere?

Resp̃onsio.

Dubium quæstio.

Confirmo & explico: Certissimum debet esse apud omnes, per talem confessionem non tolli formaliter reseruationem, nisi libera Superioris voluntas intelligatur accedere: potuit enim Superior validè & verò licitè, & valdè sanctè, ac meritoriè dicere, *Nolo tollere reseruationem, si iniquè confiteris*: quæ voluntas coram Deo fine dubio esset magis grata quàm ea altera, qua diceret, *Esto iniquè & grauiter peccans confitearis, tollo tibi reseruationem*: hoc posito efficaciter argumentor: Si ea confessio seipsa non tollit reseuationem, nisi, vt sic dicam, per modum congruitatis & petitionis, profectò ea longè magis meretur, vt dixi, pœnam quàm præmium. Deinde quando Superior contrarium aliunde non ostendit, non debeo de illo præsumere volitionem minùs perfectam, sed potiùs profectiorem & Deo magis gratam; maximè quando potest haberi tam facilè hæc secunda nobilior quàm illa minùs nobilis. Concludo ergo ex his, longè probabilius esse non tolli reseruationem, quando confessio est vitiosa & culpabilis respectu pœnitentis. Quod sic habeat alium defectum inuincibiliter ab eo ignoratum, ita vt ille in ea confessione sincerè se gerat, potest probabiliter dici, tolli reseruationem non quidem omnium, sed illorum quæ confessus est. Nam cùm tunc bona fide pœnitens processerit, & Superiori iam constet de illis peccatis, non est credendum velle obligare subditum ad secundò ea sibi dicenda: quæ ratio cùm non habeat locum respectu eorum quæ est oblitus pœnitens, non censetur tunc respectu illorum ablata reseruatio. Et id à fortiori constat ex eo quod suprà diximus, scilicet nec per confessionem validam tolli reseruationem eorum quæ quis obliuiscitur.

11 *Non debet de Superiora præsumi voluntas minùs perfecta circa absolutionem à reseruatis.*

Altera pars nostra facilis

Si per confessionem inuincibiliter inualidè tollatur reseruatio, tenetur pœnitens iterum facere pœnam impo-

Obserua cum Vasquez suprà num. 36. quando in confessione inuincibiliter inualida facta Superiori

Si per confessionem inualidam tollatur reseruatio tenetur pœnitens inuenctam parare impleta.

Superiori tollitur reseruatio modo immediatè dicto, adhuc esse obligationem explendi eam pœnitentiam, quam Superior pro eis peccatis reseruatis imposuit: videtur enim cum eo onere Superior abstulisse reseruationem, vt ea pœnitentia ageretur. Imò addit Vasquez non sufficere, quòd ipse pœnitens ante confessionem sequentem validam illam pœnitentiam perficiat, sed debere, si deinde notet defectum prioris confessionis, dicere Confessario, apud quem facit secundam confessionem, sibi talem impositam pœnitentiam in ea confessione; debet inquam id dicere eo fine, vt Confessarius secundus eamdem ei imponat alioquin si ipse sua voluntate eam impleat, non eleuabitur virtute clauium ad satisfactionem Sacramentalem: ergo debet imponi à Sacerdote validè absoluente. Ego tamen non iudico id esse necessarium, quia de ratione pœnitentiæ iniunctæ non est, vt debeat eleuari virtute clauium; nam licet homo eam expleat, deinde in mortali, quando sine dubio non potest esse ea eleuario, satisfacit nihilominus, vt dicemus infra, ergo. Secundò addo cum Suario num. 2. Esto Superior extra Sacramentum validum non potuerit eleuare eam satisfactionem ad effectum ex opere operato, potuisse tamen obligare ad illam pœnitentiam exequendam, sicut docet Vasquez, quòd obligauerit ad manifestandum eam pœnitentiam Confessario inferiori.

12 Quid de hac doctrina sentias Lugo.

Hæc doctrina videtur Cardinali Lugo difficilis num 107. cùm tota obligatio debeat procedere à Confessario tanquam vero Iudice in hoc Sacramento. Non explicat autem hic Auctor, vtrùm sola hæc Parris Suarez additio, an verò etiam doctrina Vasquez sibi videatur difficilis: ratio quidem totam comprehendit; nam etiam Vasquez admittit imponi obligationem à Superiore non vt à Iudice Sacramentali, saltem ad dicendam Confessario inferiori pœnitentiam illam; ergo ex hoc capite vel debet Vasquez reiici, vel Suarez argumentum bonum est; quia si Superior etiam non validè absoluēs potest obligare ad manifestandam pœnitentiam, non video, cur non possit etiam obligare ad eam exequendam. Absolutè autem vtrumque posse est mihi certum ex Bulla Clementis VIII. quam & Lugo ipse citauit; in ea enim expresè dicit Pontifex, posse Superiores dantes licentiam ad absoluendum determinare pœnitentias; quas postea Confessarij debeant imponere pro eis casibus reseruatis. Supponit Ergo Pontifex posse Superiorem, esto Sacramentaliter non absoluat, dum tamen dat facultatem absoluendi, obligare ipsos etiam Confessarios ad imponendam talem pœnitentiam; ergo à fortiori potuit obligare ipsos pœnitentes ad talem pœnitentiam faciendam. Ratio à priori est, quia cùm ea ablatio reseruationis, quæ est in bonum magnum pœnitentis detur liberaliter à Superiore, potuit sanè in ea donatione conditionem illam onerosam apponere. De potestate ergo obligandi non est dubium, vtrùm autem re ipsa obliget est, mihi valdè difficile, maximè in sententia Lugo & Suarij admittentium Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe: etenim illi dicunt eo casu pœnitentem non teneri confiteri secundò ea peccata mortalia, sed solùm illud quod est oblitus: nec vllam imponunt pœnitenti obligationem dicendi priorem pœnitentiam: atqui tantum ius habeat ille Confessarius eo casu ad obligandum ad pœnitentiam pro mortalibus à se impositam, quam habeat Superior ad pœnitentiam pro reseruatis, vt ex terminis constat, imò multò maius; nam illa reseruata in casu posito confitetur pœnitens postea in secunda confessione: ac proinde secundus Confessarius ex obligatione sui officij poterit imponere postea proportionatam illi pœnitentiam: at in casu instantiæ secundus Confessarius nihil sciet de illis peccatis in ea confessione valida & informi dictis, ac proinde illa manebunt sine proportionata pœnitentia. Quidquid de consequentia in ea doctrina sit, dico satis esse probabile, voluntatem Superioris esse in eo casu, obligare confitentem ad eam pœnitentiam siue per se immediatè exequendam siue manifestandam Confessario inferiori, vt eam hic confirmet: & fortasse idem erit in casu confessionis validæ & informis.

Probabilius est, obligari à Superiore Cōfessarium ad imponendam pœnitentiā.

SECTIO III.

De Ministro delegato pro reseruatis.

CIRCA hanc quæstionem multa diximus supra agentes de Iubileo; nam per illud Confessarij approbati sunt Ministri delegati ad reseruata; illis ergo omissis ea præcisè tractabimus quæ à Iubileo sunt independentia. 14

SVBSECTIO PRIMA.

An quando datur facultas absoluendi, comprehendatur ipse Sacerdos petens: & quàm extendatur licentia pro vna vice data.

An Confessarius ipse possit intelligi cùm petit facultatem absoluendi à reseruato.

CIRCA primum quærimus, An dum Confessarius petit à Superiore facultatem absoluendi vnum subditum, intelligi possit ipse Confessarius? Variè huic casui respondent Auctores. Videtur autem dicendum Primò, Si petatur licentia sub his terminis, *Vt absoluere possim à casu reseruato* nullo modo posse intelligi ipsum Confessarium, quia hic seipsum absoluere non potest; alteri autem dare eam potestatem etiam non potest: quia delegatus non habet potestatem subdelegandi. Secundò dicendum si ita peteret Confessarius, *Rogo vt des mihi pro vna vice tuam facultatem pro vna persona*: etiam non videri comprehendi posse Sacerdotem pœnitentem, quia ex communi acceptione ea verba significant, vt Superior ipsi petenti det facultatatem absoluendi, quo casu iam ostendimus eum non comprehendi. Tertiò dicendum, Si petatur licentia sub his terminis, *Vnus subditus indiget facultate vestra pro vna vice, vt faciat se absoluere, rogo illam detis*, siue dubiò comprehenderetur etiam ipse petens, quia ea petitione nihil penitus est dictum, per quod coarctari possit ad alium distinctum à petente. Quartò addit Lugo ex Villalobos & aliis si vniuersaliter conceditur facultas vt pœnitens eligat Confessarium quem velit, tunc etiam includi ipsum petentem, nisi expresè excludatur à Superiore.

An facultas absoluendi à reseruatis, quam dat Superior, extendat se etiam ad futura, imò post. 15

Circa quem casum vlteriùs quæritur, An quando petitur licentia pro vna vice, ea extendatur ad peccata commissa post licentiam petitam ante confessionem. Respondeo cum Lugo, Si Confessarius dicat, *Peto licentiam, vt ab vno aut duobus reseruatis absoluam*, tunc nullo mo-

Cistercienſibus id declarauit Alexander Sextus; pro Auguſtinianis Innocentius Octauus; & idem pro Fratribus Minoribus; pro Societate verò noſtra Gregor. Decimus tertius Bulla incipiente, *Decet Romanum Pontificem*; & rurſus Clemens Octauus litteris datis 14 Iunij anno 1595. Ideò Congregatio ſexta generalis noſtra prohibuit grauiſſimè, ne vllus eo priuilegio vteretur tam quoad eligendum Confeſſarium quàm quoad abſolutionem à reſeruatis. Vnde vt id obiter notem, vix poſſum mihi perſuadere Patres noſtros Salmanticenſes poſt eam prohibitionem auſos adeò publicè eam ſenten iam docere, quam illis tribuit Villalobos. Certè eo tempore quo Antonilez, Corneo & alij ibi citati Salmanticæ florebant, ego ibi diu fui, & audiui ſæpiſſimè à Profeſſoribus noſtris motam hanc quæſtionem, numquam tamen audiui eos docentes id eſſe licitum, ſed potiùs contrarium; intellexi inſuper ſenſum præcedentium Patrum fuiſſe eumdem. Quidquid verò de hoc ſit idem Clemens Octauus item declarauit vniuerſaliter pro omnibus Mendicantibus ita intelligendum, & eam declarationem tetulit Paulus Quintus in alio Breui dato 24. Decembris anno 1608. vbi idipſum rurſus ipſe confirmat. Deinde Gregorius Decimusquintus litteris 26. Februarij anno 1622. id pro Societate explicuit; ac tandem Vrbanus Octauus adeò claris verbis rem decidit, vt vix de ea dubitari poſſit: ait enim Decreto dato 19. Iunij ann 1630. Motu proprio & ex certa ſcientia déque Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in hæc verba; *Conceſſionem Sanctæ Cruciatæ quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium & abſoluendi à caſibus reſeruatis cum Regularibus quorumcumque Ordinum & Congregationum, Societatiſque & inſtituti Mendicantium & non Mendicantium vtriuſque ſexus, locum minimè habuiſſe neque habere, neque illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe*; & deinde aufert Nuntiis & Commiſſariis Cruciatæ poteſtatem aliter interpretandi.

Quis ſit Sotetatis ſenſus in hoc ſundo.

19

Efficax probatio.

Ex his verbis argumentor, interrogando quis poſſit ſcire meliùs mentem Pontificum & Bullæ quàm ipſemet Pontifex. Deinde eſto non ſolùm de ſe, ſed de ſuis Prædeceſſoribus loquatur, rogo. An dicere audeat Catholicus aliquis, Pontificem loquentem ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, poſſe errare in declaratione, quæ ad mores & gubernationem pertinent Eccleſiæ, & quidem errore valdè turbante Eccleſiam, nam declarat fuiſſe nullas eas abſolutiones, &c. Tertiò tandem rogo, An debeat magis

20

credi vni Theologo Salmanticenſi aut Iuriſtæ, quantumuis doctus ille ſit, dum dicit mentem Pontificis concedentis Bullam fuiſſe hanc vel illam? purè enim putè diuinat, ac proinde ex hoc capite parum ei pro leſſe ſcientia illa poteſt; An inquam huic Salmanticæ diuinanti de mente Pontificis ſit magis credendum quàm ipſi Pontifici, qui &, dum Prædeceſſores eam Bullam tradiderunt, erat Romæ, ſciebat ſtylum Curiæ, mentem Pontificum, & deinde iam factus Pontifex declarat numquam fuiſſe Pontificum mentem eam quam ille Salmanticenſis diuinat? eſt ergo planè improbabilis ea ſententia; quòd enim reſpondent vniuerſaliter eas omnes declarationes reuocari per Bullam ſequentem, eſt planè ridiculum, quia priuilegium generale non reuocat ſpeciale contrarium, maximè quando ipſi concedentes declararunt ſe neque habere neque habuiſſe, neque habituros animum talem reuocationem faciendi.

Secunda probatio.

Secundò principaliter probatur ea ſententia; quia cùm olim in Bulla Cruciatæ expreſſè daretur ea facultas eligendi Confeſſarium Mendicantibus, ablata eſt iuſſu Pij Quinti ea clauſula, eò quòd ipſe in Breui (quod refert Emmanuel Rodriguez) dato anno 1571. abſtulit eam facultatem Religioſis & Monialibus ſui Ordinis: ſemper autem ab eo tempore omittitur illa clauſula; ſignum ergo eſt Pontifices abſtuliſſe eam poteſtatem; ſi enim voluiſſent eam iterùm confirmare, cur quæſo eam non curarent reponi?

Tertia probatio.

Tertiò probatur ex ipſa declaratione Commiſſarij Bullæ Cruciatæ, qui cùm alias gratias (exceptis his quæ per Bullam conceduntur, ſuſpendiſſet pro loco, vbi ea Bulla conceditur; addit tamen in fine, *Exceptis quæ conceſſæ ſunt Superioribus Ordinum Mendicantium quoad eorum fratres.* Hinc enim clarè argumentor: Vel enim hoc, quod eſt non poſſe Religioſos Mendicantes vti Bulla Cruciatæ in ordine ad eos caſus, eſt priuilegium, vel non: ſi eſt, ergo teſte ipſo Commiſſario non reuocatur per Bullam, quia hæc non reuocat priuilegia conceſſa Mendicantibus; ſi verò ideò dicatur id non eſſe priuilegium & gratiam, tum infero, Ergo nec reuocatur per Bullam, quia hæc non reuocat ibi niſi gratias & priuilegia: ergo quæ non ſunt gratiæ non reuocantur.

21

Obiectio prima. Reſponſio.

Obiicies: Commiſſarius Cruciatæ expreſſe in Luſitania declarauit contrarium. Reſpondeo, Illam fuiſſe perſonam priuatam, quæ fortaſſe eo animo, vt plures Bullæ acciperentur, fecit eam declarationem. Ponderat autem bene Lugo, probabiliter ad eam declarationem competendam Vrbanum Octauum feciſſe illam, de qua ſuprà diximus, quâ etiam prohibet ipſis Commiſſariis tales declarationes in poſterum facere: & in eadem Bulla Vrbanus aſſerit eas declarationes præteritas malas fuiſſe.

Obiectio ſecunda.

Secundò obiicies: In Bulla Cruciatæ clauſula eſt tam generalis quàm in Iubileis ſolemnibus: atqui in his datur ea facultas eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis: ergo & in Bulla. Reſpondeo Primò, Pro Iubileo nullum planè Pontificem declaraſſe, nolle ſe includere Religioſos, imò potiùs contrarium: vnde ab omnibus in præſentia ipſorum Pontificum & vbique ita ſeruatur: at in Bulla oſtendimus iam contrarium Secundò, verba Iubilei ſunt longè clariora: quia expreſſe reuocant gratias omnes quibuſcumque factas circa non eligendum Confeſſarium, &c. Bulla autem Cruciatæ nihil dicit de eis reflexionibus, neque apponit ea verba, *Quòd reuocentur, quantumuis habeant clauſulam quòd reuocari non poſſint niſi de ijs fiat mentio*: non eſt ergo cur ex Iubileo ad Bullam fiat argumentum: maximè cùm Iubileum concedatur rariſſimè, & ob grauiſſimas cauſsas, Bulla autem ſingulis annis: & inſuper valeat pro toto anno, ideoque maximè deſtrueret diſciplinam Religioſam. Alia argumenta pro oppoſita ſententia minoris momenti vide apud Lugo optimè ſoluta.

Reſponſio prima.

Secunda.

22

Neque ordinary Confeſſarij poſſunt Religioſos à reformatis abſoluere vi eiuſdem Bullæ.

Secundò dico, Neque etiam licere Regularibus abſolui à reſeruatis per ſuos Confeſſarios ordinarios ſine Superioris licentia vi Bullæ. Ratio eſt, quia Pontifices in ſuis declarationibus non ſolum egerunt de electione Confeſſarij, ſed etiam de abſolutione à reſeruatis: vtrumque

enim complexi sunt. Et licet minùs periculosa sit ea facultas limitata ad Cófessarios assignatos à Superioribus, est tamen satis noxia, quia reuerà tolleret reseruationem casuum, & faceret in Religione peccata omnia æqualia quoad absolutionem.

Neque vi Bullæ possunt prohiberi reformatis eligere Cófessarium.

TERTIÒ DICENDVM, Neque esse licitum vi Bullæ eligere pro mortalibus aliis Cófessarium. Patet, quia Pontifices de ea electione etiam egerunt: vt Clemens VIII. in Bulla suprà citata, Gregor. XV. & Vrban. VIII.

Obiectio ex Bulla Vrbani.

Obijces quadam Bullam Vrbani Octaui, vbi dicitur, *Sed nostra intentionis fuisse & esse, quod iidem Fratres & Moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ seu confessionis administrationem, ordinaria dispositioni suorum Prælatorum & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata, subsecti sint.* Quibus verbis videtur Pontifex facere distinctionem inter electionem Confessarij & inter reseruationem casuum. Respondet optimè Lugo, Per ea verba nihil aliud Pontificem voluisse, quàm quòd casus Sedi Apostolicæ reseruati eidem Sedi maneant reseruati, & solus Pontifex ab eis possit absoluere; quia non voluit Pontifex Superiores Religionum habere ius in casus quos sibi reseruauit. additque Lug. se consuluisse M. A. Maraldum Datarium, qui Bullam illam cóscripsit, eumque respondisse, Non fuisse aliam mentem Pontificis quàm immediate à nobis traditam; insuperque vehementer illum admiratum, quòd aliquis aliam eius explicationem tradiderit.

Responsio.

SECTIO IV.

Varia dubia circa absolutionem à reseruatis tam peccatis, quàm excommunicationibus.

23 *Prima quæst.*

PRIMÒ quæri posset, Vtrum aliquãdo sine recursu ad Superiorẽ dari queat absolutio à reseruatis. Respondeo, Si de indirecta loquamur, iam esse explicatum in præcedentibus quomodo fieri ea possit: si verò de directa sit sermo, etiam diximus suprà, in mortis articulo omnem cessare reseruationem, ita vt neque sit obligatio se postea sistendi Superiori, esto quis conualescat. Circa quæ tamen saltem ratione excommunicationis reseruatæ aliqua occurrunt hîc annotanda.

Possítne Prælatus inferior Papa casum aliquã ita reseruare, vt subditus in mortis periculo ab eo absolutus, teneatur tamẽ Superiori se præsentare, si cõualescat.

Prima difficultas est, Vtrùm Prælatus aliquis inferior Papa reseruare possit aliquod peccatum ita, vt esto in hora mortis cessaret reseruatio, esset tamen obligatio illud dicendi postea, si pœnitens conualesceret. Hoc dubium moueo propter Suarium, qui disp. 30. sect. 5. subdubitat, an non id fieri possit. Respondeo tamen, Debere apud omnes esse certissimum, id fieri non posse. Et verò vehementer miror ea in re potuisse dubitare Patrem Suarium, quandoquidem ablatio omnis reseruationis pro eo articulo mortis est beneficium factum à Concilio & Pontifice (vt ipsemet Suarez fatetur, estque res ex citato loco extra controuersiam;) quomodo ergo fieri potest, vt licitè aut validè alius inferior Papa eam reseruationem inducat? facultatem enim altioris Iudicis non potest inferior coarctare. Poterit quidem Superior annectere excommunicationem reseruatam ei peccato; & tunc ratione illius excommunicationis erit obligatio se præsentandi, quia Papa voluit, vt quando est talis excommunicatio, debeat se ratione illius sistere deinde; hoc autem est iam extra casum, vt statim videbimus. Ea autem obligatio non est ratione peccati, de quo nunc agimus, sed ratione excommunicationis.

24 *Aliter sentiendũ de absoluto ab excõmunicatione reseruata in simili periculo.*

Circa quam sit secunda difficultas, quid sit eo casu faciendum: Suppono id quod obiter in superioribus dixi in cap. *Eos qui*, de sententia excommunicationis, obligari eos qui circa horam mortis absoluuntur ab ea excommunicatione per Confessarium non habentem ius alioquin in eam absolutionem, vt si conualuerint, teneantur se præsentare ei qui illos possit directè absoluere; quòd si id neglexerint culpabiliter, relabantur eo ipso secundò in eamdem excommunicationem; quæ verba satis sunt clara. Moueri tamen adhuc dubia quædam possunt pro maiori intelligentia huius obligationis. Et quidem primum est, quod Suarez tetigit, & fusiùs Lugo deducit, qui fieri possit illam eamdem excommunicationem redire, cùm importatur ob diuersas causas: prima enim fuerat propter hæresim, homicidium, aut quid simile; hæc autem secunda quæ redit non ob illa delicta, sed propter ea, quòd non accesserit suum legitimum iudicem, imponitur, iudicat Suarez esse aliam similem primæ; quod Sanchez apud Lugo sequitur; ipse verò Lugo putat physicè loquendo esse aliam, per fictionem tamen iuris esse eamdem numero, quatenus legislator vult vt perinde se habeat ille homo ac si excommunicatus esset propter solum delictum præcedens. Quæstio est meo iudicio parui momenti, & ferè de solo nomine. Nam excommunicationes quoad se omnes ferè sunt eædem etiam numero, quia cùm consistant in eo, quòd non possint alij cum eis agere, quòd sint incapaces Sacramentorum, &c. (loquor de maioribus inter se aut de minoribus inter se) & negationes hæ omnes inducantur à qualibet excommunicatione, videntur omnes esse idem; sicut in similibus diximus ex parte obiecti eamdem esse pœnam damni quæ inducitur per hoc peccatum cum ea, quæ per alterum, cùm quodlibet inducat carentiam omnis visionis beatæ; excommunicationes ergo in se erunt eædem, licet causæ, ob quas imponuntur, sint diuersæ; solumque possunt inter se differre quoad plures paucioresve negationes, vt differt excommunicatus toleratus à non tolerato; de quo statim; nunc enim non disputamus nisi ratione eius difficultatis, quòd non videatur esse posse eadem, cùm ob diuersa peccata incurratur: hoc autem dixi esse extrinsecum excommunicationi, & hanc in se esse formaliter eamdem.

Quomodo intelligendum, quod alio quin reincidere in eãdẽ excõmunicationem.

Quæstio est parui momenti.

Quidquid tamen de hoc sit, si velimus adhuc magis Scholasticè id declarare, & ipsas etiam causas dicere esse intrinsecas ei excommunicationi, posset adhuc sustineri, tunc redire eamdem numero excommunicationem, & ob eadẽ peccata, ob quæ fuit imposita; facilè enim dici potest eum hominem tunc non fuisse propriè absolutum, sed suspensum vsque dum adueniente occasione se sistendi, se sistendo eam excommunicationem omnino extingueret, vel non obediendo daret occasionem seu poneretet conditionem adhuc vt eadem numero præcedens etiam physicè rediret; (si tamen in re hac purè morali possimus eamdem physicè apprehendere excommunicationem;) rediret inquam non ob inobedientiam, sed ob præcedens peccatum

25 *Maior declaratio conclusionis.*

catum, positâ tamen eâ inobedientiâ vt conditione necessaria ad eum reditum requisita. Hæc mihi videtur esse clarissima explicatio in re ad modum ferè loquendi, vt dixi, pertinente.

Sitne vitandus talis relapsus, prout erat ante absolutionem à peccatis, &c. in periculo mortis accepram.

Illud tamen circa hoc punctum potest Secundò quæri. An redeat cum eo rigore, quo prius erat, hoc est si anteà erat excommunicatus vitandus, vtrùm etiam sit vitandus nunc, an verò solùm sit toleratus excommunicatus Quæ difficultas ad rem, non ad voces pertinet. Respondetur, Cùm post Concilium Constantiense solus ille sit excommunicatus vitandus, qui est publicè denunciatus vel publicus Clerici percussor, non videri posteà censendum excommunicatum vitandum, nisi quando illa contumacia etiam fuerit notoria, ita vt non possit vlla tergiuersatione negari; quod si occulta fuerit, tunc erit excommunicatus non vitandus, quoad pũctum ergo hoc pendet ea reuiuiscentia excommunicationis vt à conditione non solùm à contumacia, sed ab illius notorietate seu publicitate

26 Obseruatio de admonitione hora mortis faciẽda his qui habent reseruata.

Circa quod aduertendum est citato illo cap. *Eos qui*, præcipi, vt antequam in hora mortis absoluantur ab excommunicatione, si pœnitens possit loqui & audire admoneatur de ea obligatione comparendi, & petatur ab illo iuramentum quòd velit se sistere; aduertit tamen caput *Quamuis*, de sententia excommunicationis, hoc iuramentum non perendum à pueris aut ab his qui habent impedimentum perpetuum recurrendi ad Pontificem; vt sunt moniales, senes, qui iam iter facere non possunt &c vbi notant Doctores, etsi talibus miraculosè impedimentum cessaret posteà, non ideò eos fore obligatos ad Pontificem recurrere, etiamsi ab eis per errorem petitum fuisset iuramentum quando habebant impedimentum perpetuum. Ratio est, quia Pontifex propter impedimentum tunc iudicatum perpetuum absolutè liberauit sine vllo onere eas personas; ergo non debet hoc onus eis deinde imponi ob casualem & præter omnem spem mutationem deinde secutam.

Secunda obseruatio.

Vbi præterea aduertendum est, etiamsi hoc onus eis excommunicatis non imponatur, nec explicetur, & iuramentum non petatur, eo quòd qui eos absoluit non se reflexit; vel quia illi non erãt capaces admonitionis, non tamen propterea eos fore ab ea obligatione immunes.

Semper locutus sum de excommunicatione: nam licet aliquando textus dicat infirmũ posse absolui ab omnibus censuris, id tamen non est intelligendum de censuris, quæ nihil obsunt in ordine ad susceptionem Sacramentorum, sed præcisè ad alios effectus: vnde à suspensione ab Ordine vel officio aut beneficio non poterit absolui, quia hæc absolutio habet se per accidens pro salute æterna, cui tantum consulitur per absolutionem à Trid. & aliis iuribus concessam.

27 An & quando possit Episcopus absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ.

Tertia difficultas est, An extra mortis periculum possint etiam absolui ab Episcopo illi qui excommunicationem reseruatam Sedi Apostolicæ incurrerunt. Respondeo breuiter, Omnino posse, quando est aliquod impedimentum siue temporale, siue perpetuum, quò minùs eamdem Sedem Apostolicam accedant: ita in cap. *Mulieres*, cap. *Ea noscitur*, cap. *Quamuis* cap *De cæteris*, de sententia excommunicationis, & cap. *Eos*, eodem titulo, in 6. vbi eadem obligatio imponitur his qui habent temporale impedimentum se deinde sistendi, quam diximus imponi moribundus si conualuerint: quia verò ea absolutio committitur tunc Episcopo, oritur inde prima difficultas.

Si Nuntius Apostolicus adsit, vel Legatus, eidem, dus prò Episcopo.

An si adsit Nuntius Apostolicus, vel si Legatus vel alius habens delegatam potestatem, teneatur tunc excommunicatus petere ab eo absolutionem, an possit eam dare Episcopus. Respondeo, Tunc debere eos recurrere ad Legatum, quia expressè in eo cap *Ea noscitur* dicitur, *Si à Pontifice vel Legato non possit absolui*: ergo supponit quòd tantùm in defectum Legati possit Episcopus. Et idem dicendum de illo qui haberet delegatam iurisdictionem, quidquid in contrarium dicat Coninch. Ratio autem est manifesta quia Pontifex recurrit ad Episcopos in defectum eorum qui alioquin habent auctoritatem absoluendi: atqui præsente eo qui habet iurisdictionem, esto delegatam, iam non est ille defectus, neque illa necessitas recurrendi ad Episcopum; ergo: & ita docet Lugo suprà referens Nauarrum num. 221. vbi benè notat, in praxi non esse periculum quod aliquis vellet cum onere comparendi deinde alteri adire Episcopum, si possit per legatum, vel per habentem iurisdictionem delegatam, absolui sine eo onere, nam ibi manifestari deberet duobus, hûc tantùm vni.

28 An possit Episcopus tantũ in peccatum reseruatum Papæ sine cl. sura, quantũ potest in excommunicationẽ & peccatum, cui ea est annexa.

Circa quod secunda difficultas est. An Pontifex id etiam concedat Episcopis pro peccatis reseruatis Pontifici, quæ tamen non habeant annexam excommunicationem. Obserua, non sciri de tali reseruatione nisi ex Sixto V. qui reseruauit sibi sine excommunicatione eos, qui curant se inique promoueri ad dignitates Ecclesiasticas: aliàs omnia peccata reseruata Summo Pontifici habent annexam excommunicationem. P. Vasq. q 93 art. 1. dub. 4. negare videtur: Lugo secutus Suarium affirmat: Ego dico, Vi eorum capitum, quæ paulò antè citauimus, non intelligi nisi peccata quæ annexam habent excommunicationem, quia de his solùm loquuntur. Imò ea obligatio sistendi se deinde legitimo Iudici solùm est ratione ipsius excommunicationis. Inde autem transferri eam regulam ad peccata reseruata, est quidem probabile, non tamen valde certum. Quòd enim Lugo dicit esse eamdem rationem de vtroque casu, mihi nullo modo placet: nam damnum excommunicationis est longè maius quàm vnius peccati reseruatio: potest enim per contritionem tolli peccatum: excommunicatio autem priuat & politico commercio cum aliis, & participatione orationum, ingressu in templum, &c. quæ quia Pontifex non optat vt diu durent, dat eam facultatem: in peccatis autem sine censura ea omnia cessant Vnde omnibus pensatis probabilior mihi videtur sententia P. Vasq.

29 An quando non potest facilè adire Episcopus, possit alius Sacerdos absoluere à reseruato vel peccato ei reseruato.

Pro maiori huius secundæ difficultatis explicatione quæri potest, An ea facultas absoluendi à reseruatis Papæ, quando commodè hic non potest aditi, habeat etiam suo modo locum in peccatis & excommunicationibus reseruatis inferioribus Prælatis. Id est. An si non potest facilè aditi Episcopus propter impedimentum vel temporale vel perpetuum, censeatur facta à Pontifice licentia, vt possit per Parochos vel alios immediatos Confessarios absolui, cum onere tamen comparendi coram ipso Episcopo ablato temporali impedimento. Pater Suarez ea disput. 30. sect. 3 rem in vtramque partem disputat: non tamen audet absolutè eam facultatem extendere. Cardinalis Lugo dicit à Patre Ga-

Sententia Cardin. Lugo.

spare Hurtado disput. 11. difficultate 13. suppo-
ni eam extensionem admitti ab omnibus Do-
ctoribus. Ego nihil hac de re in eo Auctore in-
uenio; quando enim loquitur de absolutione
data ab inferioribus Sacerdotibus, semper lo-
quitur de articulo mortis. Quidquid verò de
Hurtadi mente sit, ipse Lugo ait non esse vllam
rationem, ob quam possit ea facultas extendi.
Fundamẽtum ipsius est, quia Papa solùm voluit
prouidere his qui non possunt ad se recurrere;
pro iis autem qui Episcopum non possunt acce-
dere nihil prouidit, alioquin dixisset: *Quòd si
ad Episcopum non possint, recurrant ad Pa-
rochos*, &c. nihil autem horum ibi legitur; er-
go. Congruentia etiam est facilis, tum quia ad
30 Episcopum accessus difficilis non est per se lo-
quendo; tum quia ad Papam solùm spectabat
prouidere de remedio pro accessu ad se. Ad ip-
Suarius declaratur. sos autem Episcopos pertinet vt prouideant,
quomodo ad se possint alij accedere. Vnde addit
Suarium num. 8. non benè citare regulam Iu-
ris, dum dicit, *Posse ab inferiori Sacerdote ab-
solui in casibus illis impotentiæ*; debuisset enim
dicere, *ab Episcopo, non ab inferiori Sacerdote.*
Ego tamen non puto Suarium ibi Episcopum
vocasse inferiorem Sacerdotem, quia loquebatur
Sententia Auctoris respectu Pontificis.

Quidquid tamen de hoc sit, ego in hac quæ-
stione, licet capita; in quibus ea licentia conce-
ditur, in decretalibus solùm agant de reseruatis
Papæ; caput tamen *Eos qui* de sententia excom-
municationis, in 6. satis probabiliter persuadere
videtur contrariam sententiam: in eo enim hæc
habentur; *Eos qui à sententia Canonis vel ho-
minis, cùm ad illum, à quo aliàs de iure fue-
rant absoluendi, nequeunt propter imminentis
mortis periculum aut aliud impedimentum le-
gitimum pro absolutionis vinculo habere recur-
sum, ab alio absoluuntur.* Circa quem textum
pondero Primò, non esse sermonem de solo Pa-
pa, alioquin non dixisset, *Cum ad illum, à quo
aliàs*; qui est terminus vniuersalis; sed dixisset,
Cùm ad Sedem Apostolicam, &c. deinde cùm
dicat, *A sententia Canonis vel hominis*, vide-
tur etiam loqui de sententia Prælatorum infe-
riorum: nam Pontificiæ dicuntur sententiæ Ca-
nonum

31 Duobus modis respondet Lugo huic testi-
Responsiones Lugo Prima, monio: Primò, illas duas particulas, *propter
imminentis mortis periculum, aut aliud impe-
dimentum legitimum*, non debere quasi collecti-
uè accipi, sed hoc modo, Eos qui in mortis ar-
ticulo absoluuntur à censuris Episcopo reser-
uatis: qui verò à Pontificiis absoluuntur vel pro-
pter idem mortis periculum, aut propter aliud
Secunda: impedimentum. Secundò respondet, Per cen-
suram latam ab homine ibi posse intelligi non so-
lùm sententiam Episcopi, sed etiam Pontificis,
non tamen latam per legem: vnde de vtraque
Iudicium de aliis. censura verificatur, quòd absoluatur ab alio in-
feriori. Ego tamen iudico non esse sufficientes
has solutiones, quia per illam particulam *illum*
debemus intelligere non solùm Papam, vt dixi,
sed etiam Episcopum, quia est particula gene-
ralis, & Pontifex non solet ea voce significari:
ergo eodem modo *Tà Propter imminentis mor-
tis periculum aut aliud impedimentum*, non
debet ita diuidi, vt ad Episcopum solùm ap-
plicetur mortis periculum, aliud autem impe-
dimentum ad Papam, quia illæ particulæ eodem
modo cadunt supra relatiuum *illum*: & non est
maior ratio cur sub vna potiùs intelligatur solus
Papa quam sub altera; & *tà aut* debet ibi sumi
perinde ac si dixisset, *Tam propter mortis ar-
ticulum quàm propter aliud periculum*; ac
proinde debet tota res illa sic constitui, *Qui siue
ad Papam, siue ad alios Prælatos, ad quos de iu-
re spectat absolutio, recurrere non potest tam
propter instantis mortis periculum quam pro-
pter aliud impedimentum*, &c. vt sic autem
haud dubiè complectitur vtrumque casum etiam
pro Episcopo. Et hinc relicitur secunda expli-
catio, quia licet ratione illius verbi *ab homine*
nobis non ita faueat, fauet tamen ex eo relatiuo
ad illum. Quod verò obiiciebatur, Papam non
declarasse ad quem debeamus recurrere, quando
non possumus accedere Episcopum, non vrget;
quia sicut se habet Episcopus quoad hoc respe-
ctu Papæ, ita videtur se habere Parochus respe-
ctu Episcopi, ideò non erat necessarium id am-
plius explicare. Neque est vniuersaliter verum,
non esse difficile Episcopos adire; quia frequen-
ter in Episcopatibus qui valdè extenduntur, vt
Pragensis per totam Bohemiam, & alij multi,
occurrunt sæpe satis magnæ difficultates.

32 *Responsio ad obiecta in contrarium.*

Dices: Hæ eædem difficultates sunt etiam quo-
ad casus Pontificis reseruatos; & tamen saltem
pro his debet adiri Episcopus. Respondeo, Plus
esse, si pro his & pro Episcopalibus. Deinde
dico, in Pontificios non ita incidi facilè. Deni-
que, quòd a quibusdam casibus reseruatis Pon-
tifici non committatur absolutio nisi Episcopis
constat ex ipsis textibus, de aliis verò potiùs
contrarium, vt deduximus; ergo.

Replica.

Solutio.

Aliter fortasse probabilius posset responderi
argumento ex eo textu, scilicet, in eo nullum
ius statui, neque vllam facultatem nouam con-
cedi quoad absolutionem, sed solùm declarari
quòd incurratur iterùm excommunicatio ab his
qui non se deinde sistunt suis legitimis Iudici-
bus; cùm ergo ad hoc statuendum non fuerit
necessum declarare, an hi essent solus Papa, an
Episcopi, de hoc nihil distinctè Canon ille dixit,
sed per modum suppositionis præmisit, *Quando
illi se non præsentant suo Iudici*, &c. Vnde nihil
potest inferri, qui sint illi, qui verò non; sed
pro hoc puncto remisit se ad alia capita: in aliis
autem iam diximus nihil esse de ea extensione.
Propter hæc omnibus pensatis iudico probabi-
liorem sententiam Suarij & Lugo, quia reuerà
non habemus sufficiens fundamentum ad eas
extensiones faciendas.

Alia probabilior explicatio textus

SECTIO V.

De obligatione Superioris dandi licentiam pro hac absolutione, & subditi ad se sistendum, quando ea negatur.

CIRCA primam tituli partem suppono,
quando pœnitens vult ipsi Superiori con-
fiteri, nullam esse specialem difficultatem; de-
bebit enim Superior tũc se gerere respectu eius
subditi, sicut alij Confessarij ordinarij respectu
suorum pœnitentum: etenim eo casu cùm re-
spectu eius Superioris illa peccata reseruata non
sint, non est cur aliter debeat cum suo pœnitente
Superior agere, quàm agunt ceteri cum suis
pœnitentibus. Hoc posito quærimus, An &
quõmodo teneatur Superior dare facultatem
absoluendi

33

absoluendi subditum, dum alius Confessarius eam petit. Vbi obiter nota, Superiorem Regularem posse hanc facultatem concedere cuilibet simplici Sacerdoti, etiam non approbato ab Ordinario: nam Tridentinum solùm requisiuit approbationem Ordinarij pro Confessariis sæcularium.

Superior Regularis potest committere Sacerdoti nõ approbato ab Episcopo absolutionẽ ad absoluendum subditum qui casũ reseruatum incurrit.

Obijcies tamen; Quomodo ergo nos suprà agentes de Iubileo diximus Regulares non posse tunc confiteri nisi approbatis ab Ordinario? Respondeo, Quia pro Iubileo ita expressè requisiuit Pontifex, qui gratiam fecit, ac proinde potuit apponere conditionem quam voluit; in casu autem nostro nullus est qui eam potestatem limitauerit in Superioribus Regularibus; nam vniuersale ius de approbatione requisita non extat nisi in Tridentino, vbi solùm agitur de confessionibus sæcularium.

Ad rem ego nostram supponimus (quod suprà dictum est generaliter etiam pro peccatis non reseruatis) quando subditus timet graue aliquod damnum sibi ex ea confessione secuturum, v. g. relegationem confessionis; aut quòd vtetur Superior ea notitia ad ipsum in foro externo puniendum, tunc pœnitentem habere ius petendi licentiam, vt ab alio absoluatur, & Prælatum ex iustitia teneri ad eam licentiam dandam. Sed quid, si eam neget re ipsa, eritne valida absolutio? Videtur ex vna parte fore, quia id quod mihi ex iustitia debetur, si modo debito repetam, & non detur, possum ego mihi vsurpare; ex alia verò parte, cùm tota iurisdictio sit in ipso Superiore, profectò si eam non det re ipsa, non est vnde transferatur. Neque semper est verum: posse me validè vsurpare id quod ex iustitia mihi debetur; nam inter certantem de dignitate aliqua iuxta multorum sententiam debetur ex iustitia ea dignitas illi, qui illa præ cæteris aliis dignior est omnibus perfectis; & tamen non potest eam sibi validè vsurpare contra voluntatem illorum qui eam tribuunt; ergo. Respondeo, Si Confessarius, per quem subditus licentiam petit, iudicat illam debere concedi, non est iam vlla difficultas, postquam Clemens Octauus in Bulla (de qua suprà) decreuit, vt eo casu, etiamsi Superior nolit dare licentiam, possit eo inuito Confessarius ordinarius absoluere subditum; eo enim casu cùm maiorem habeat Pontifex auctoritatem quàm Superior Regularis, potuit eam concedere etiã eo Superiore inuito: Quòd si ea Clementis limitatio non esset, sine dubio, licet iniquè ageret Prælatus negando licentiam, non posset tamen validè subditus absolui; quia non constat Christum Dominum voluisse, vt inuito eo qui habet iurisdictionem ea transferatur in alium, etiamsi qui eam negat iniquè agat.

34 *Si Prælatus iniustè neget facultatem absoluendi subditum à reseruato, poterit ne validè absolui nihilominus?*

An solus pudor grauis se manifestandi Superiori suf. ficiat, vt non censeatur dare facultatẽ absoluendi alteri

Præcipua nunc restat in hoc puncto difficultas, quando subditus solùm ex manifestatione sua timet pudorem apud Prælatum; atque ideò ex infirmitate sua vrget pro facultate confitendi alteri, quid tunc Superior debeat facere. Respondeo Primò cum Diuo Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula ad 6. & Opusculo 9. contra impugnantes Religionem, debere concedi aliquando eam facultatẽ, nec Prælatos sine peccato posse se valdè difficiles ostendere in hoc puncto, quia aliquando tantus solet esse ille pudor, vt homo malit mori sine confessione quàm se detegere. *Vnde* (inquit Diuus Thomas) *illi qui sunt nimis soliciti, vt conscientiam subditorum per confessiones sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Nihil grauius in hoc puncto dici potuit. Et propterea Clemens Octauus eã Bullã, de qua diximus, remisit totum hoc iudicium Prudentiæ Confessarij, ad quem recurrit subditus.

35 *An Superior negans facultatem bonæ irrationabili, ter petenti ex. tra iustitiam simul & charitatem.*

Vbi quæri potest, An Prælatus eo casu, quo Diuus Thomas eum dicit peccare, peccet solùm contra charitatem in proximum, an etiam cõtra iustitiam. Negat Suarez, melius Lugo affirmat, quia Superior tenetur ex iustitia ad impediendum damnum graue sui subditi. Si ageremus de illo qui non est Superior, haberet tamen potestatem dandi hanc licentiam, eamque negaret; tunc dici posset illum non peccaturum nisi contra charitatem in proximum; at in Superiore ea obligatio debet etiam ad iustitiam reduci. Confirmo hoc ipsum ex eodem Suario, qui saltem quando damnum, quod subdito timetur ex negatione licentiæ, desumitur ex aliis capitibus, fatetur superiorem ex iustitia obligari ad dandam licentiam. Hinc argumentor: Ergo etiamsi damnum timeatur ex imbecillitate ipsius subditi, debebit illud ex iustitia impedire, si potest licitè, vt supponimus esse. Patet consequentia, quia obligatio ex iustitia, quam ille habet ad damnum impediendum, non pendet à capitibus vnde damnum oritur, sed ab eo quòd sit damnum cuius sibi creditæ, ad cuius bonum obligatur ratione sui officij.

Superior potest negare aliquando facultatem, imò & subinde tenetur.

Secundò è contrario certum est posse Superiorem aliquando negare eam licentiam, & verò teneri ad eam negandam; alioquin reseruatio esset nugatoria, & (vt dixi suprà) non esset nisi ad defatigandum Confessarium ordinarium, dum ad Superiorem recurrere cogitur propetenda ea licentia: potest ergo negari, quando nimia est subditi facilitas in eo lapsu, & non videtur corrigi posse nisi negata ea licentia, vel quando toti communitati damnum graue timetur: quæ omnia prudens Superior cum Confessario petente licentiam debent considerare.

36

Obijcies; Si Superior dicat hoc modo, *Si est iam frequenter relapsus subditus, non do licentiam*, contingat autem eum esse relapsum, ac proinde debere se sistere immediatè Superiori, iam hic deueniet in cognitionem præcedentium peccatorum eius subditi; hoc autem videtur valdè durum, quia eo ipso redditur inutilis gratia antèa facta, vt absolueretur per alium; & eo casu maluisset subditus soli Superiori confiteri, quia tunc non nisi vnus sciuisset casus illos reseruatos: iam autem duo illos omnes sciunt. Propter hanc rationem iudico malè facturum Superiorem, qui eo modo licentiam coarctaret, quia reuerà id esset velle sibi reuelari cõfessiones præcedentes, casu quo pœnitens ad se recurreret. Non ergo ratione reincidentiæ deberet negari ea licentia, sed ratione periculi alicuius.

Imprudenter agit Superior dicendo, Do facultatem absoluendi, & nisi sis sæpius relapsus

Quomodò absolui subditus nolens confiteri, nisi detur facultas, &c.

Quæres tamen; Si subditus esset ita obstinatus, vt nollet confiteri, si ea licentia negaretur, quandoquidem supponitur illa eadem voluntas; *Nolo confiteri nisi detur licentia*, esse peccatum graue; ac proinde nisi eam retractet, non poterit validè confiteri; si autem eam retractet, iam poterit confiteri immediatè suo Superiori. Respondeo cum Lugo, Eam facultatem etiam tunc multum posse prodesse subdito, tum quia sæpè non est in ea voluntate obstinatus, sed aliquantulùm titubat, & per licentiam impeditur, ne in eam ex integro consentiat. Secundò, Quia

esto id iam decreuisset, attamen sedatâ passione & obtentâ licentiâ quam volebat, potest faciliùs ad se redire, & dolere de sua cõtumacia, iuxta illud Sapientis: *Responsio mollit frangit iram.* Deniq; faciliùs homo proponit in communi non peccare & detestatur peccatum in communi, quam dũ tentatio grauis in materia aliqua animum turbat.

Prou. 15.

Secunda difficultas circa hanc licentiam, Vtrũ dari possit aliquis casus, in quo Prælatus nec teneatur dare eam licentiam, nec teneatur negare, sed possit pro libitu se in quam velit partem determinare. Respondeo cum Lugo, Omnino id posse fieri, quia huiusmodi obligationes non consistunt in indiuisibili saltem quoad rationem peccati grauis; potest enim fieri vt damnum, quod timetur si concedatur licentia, sit æquale ei quod timetur è contrario, si illa negetur: vel certè licet maius sit ex vna parte quam ex altera, excessus tamen sit leuis nec sufficiat ad hoc, vt negatio reddatur graue peccatum, aut è contrario concessio: hoc tamen vniuersaliter iudico, faciliùs posse graue damnum in negatione reperiri ob periculum salutis æternæ quàm in confessione licentiæ: quia si Confessarius ordinarius sit homo pendens, sciet adhibere remedium ei peccato etiamsi reseruatum sit, sicut aliis mortalibus non reseruatis. Et de reseruatione hactenus.

37 *Secunda difficultas.*

DISPVTATIO XLII.

De approbatione requisita ex parte Confessarij ad audiendas confessiones.

1 *Quid in hoc puncto Trid. requirat.*

TRIDENTINVM Sess. 23. c. 15. de Reformatione, præter iurisdictionem, semper fuit ue. etiam ad confessiones audiendas (de qua egimus præcedentibus disputationibus) requirit approbationem ab Ordinario pro sæcularium tantùm confessionibus, vel certè Parochiale beneficium; quia supponit, dum hoc confertur alicui ab Episcopo, aut alio habente iurisdictionem, eo ipso approbari ad confessiones audiendas. Hæc autem approbatio tam necessaria est quàm iurisdictio, quia voluit Tridentinum neminem esse capacem iurisdictionis sine approbatione, vnde nec ratione testimonij Vniuersitatis de doctrina, nec ratione Episcopatus titularis, imò nec Cardinalatus, si non sint alioquin Episcopi, aut nondum habent titulum Parochi in Ecclesiam aliquam Romanam, possunt audire confessiones, quia Concilium ibi neminem excipit: eodem modo ipsi Episcopi licet habeant priuilegium eligendi pro se Confessarium debẽt tamen eligere approbatum ab Ordinario, an autem, & quomodo pro se approbare possint dicetur paulò pòst. Dixi approbationem esse distinctam à iurisdictione: vnde infertur posse Episcopum approbare non dando iurisdictionem; quo casu si occurreret Iubileum, aut vi Bullæ Cruciatæ posset ille in Confessarium eligi quia pro talibus casibus Pontifex ipse dat illis iurisdictionem supposità eâ approbatione: potest etiam in tali casu ipse Parochus dare illi iurisdictionem supra oues suæ Parochiæ.

Prima Sententia.

Secunda vocior.

Confirmatio.

3

SECTIO I.

Aliquot dubia circa eam approbationem.

2 *An Parochus dare possit iurisdictionem suis ouet Sacerdoti nõ approbato.*

PRIMVM, de quo disputatur fusè à nonnullis, est, An Parochi possint dare iurisdictionem Sacerdoti non approbato. Quam quæstionem Diana Tom. 2. Tract. 4. de Sacramentis, resol. 146. dicit esse difficillimam. Ratio autem dubitandi sumitur ex Tridentino, quod eo citato loco solùm videtur reuocare consuetudines & priuilegia in contrarium. Cum ergo Parochum potuisse olim simplici Sacerdoti dare iurisdictionem ad audiendas suas oues, non fuerit priuilegium aut consuetudo, sed ex officio & potestate sua id habuerit, videtur eo ipso ea facultas ipsi non reuocata. Et ita nonnulli docent, quos citat Suarez disp. 28 sect. 4 & Lugo disp. 11. plures autem Diana ibi. Contraria tamen negans Parochis eam potestatem est communis & vera, vt apud eosdem citatos videre licet; & probatur, quia Concilium sine vlla exceptione requirit eam approbationem; ergo ea deficiente non potest dari iurisdictio. Et verò probabiliter ea prohibitio maximè est posita propter excessus Parochorum, qui, vt se liberarent ab onere audiendarum confessionum committebant id sæpè obuiis Sacerdotibus idiotis. Deinde certum est, neque etiam ante Tridentinum potuisse Sacerdotem simplicem audire confessiones sæcularium nisi ex commissione Parochi vel Episcopi; ergo si nunc etiam possunt ex commissione Parochi, poterunt à fortiori ex commissione Episcopi & Papæ, qui sunt maiori titulo Pastores quàm Parochus, ergo nihil penitus innouasset Tridentinum in hoc puncto: id quòd planè est absurdum. Quòd autem dum nouum hoc ius instituit, solùm dixerit, *Non obstantibus priuilegiis & consuetudine*, nihil verò dixerit de iure in contrarium, nihil penitus nobis obest. Nam quòd non requireretur approbatio, non erat ius vllum olim positiuum; sed potiùs, vt sic dicam, prouenichat ex negatione iuris & ex consuetudine: vnde maximè debuit ea consuetudo reuocari. Priuilegia item propterea reuocauit, ne eo ipso, quòd Põtifex faceret alicui priuilegium audiendi confessiones, vti Mendicantibus dedit, crederent ipsi se non indigere approbatione: denique quod iuris proprij fuit olim in Parochis, nempe vt suam iurisdictionem possent delegare, eis relictum est à Concilio. At idẽ Concilium cæteros Sacerdotes constituit incapaces eius iurisdictionis quamdiu non sunt approbati: vti quando Ecclesia Sacerdotem aliquẽ excommunicat, non priuat reliquos Parochos vllo iure suo antiquo, iurisdictionem in suas oues alteri dandi; sed eum Sed eum Sacerdotem excõmunicatum facit incapacem talis iurisdictionis, ac proinde quasi per accidens impedit, quominùs illi Parochus possit dare suam iurisdictionem.

Secunda

Secunda quæstio.

Secunda difficultas est circa primum illum approbationis modum initio disputationis insinuatum de beneficio Parochiali, An sufficiat vt audiat in perpetuum, quòd aliquando habuerit tale beneficium. Respondetur, Non sufficere; quia Concilium expressè loquitur de præsenti, *nisi habeat*.

An Parochus possit committere suos ouers absoluendas approbato Sacerdoti ab alterno Episcopo.

Tertia difficultas, An ea approbatio sit vniuersalis, vt possit ei Beneficiato dari iurisdictio ab aliis Parochis etiam extra propriam Diœcesim. Ratio dubitandi est, quia ea approbatio solùm æquivalet alteri membro, *Seu approbationi Ordinarij*: at qui approbatus ab vno Ordinario nō est ab omnibus; ergo. Nihilominùs dicendum est cum Suario, Vasquez, Henriquez, & Fagundez (quos refert & sequitur Lugo num. 9. & Diana suprà) omnino sufficere. Ratio (qua simul obiectioni contrariæ respondetur) ea est: nam circa approbationem per Parochiam nihil immutauit Tridentinum de antiquo iure, ac proinde vti olim ea approbatio erat vniuersalis, ita & nunc: de approbatione verò ab Ordinario constituit nouum ius; quàm autem amplum illud sit, debet aliunde probari; de quo nos statim. Vnde merito ille n Suarez, Lugo & Diana dicunt, etiamsi Bulla Cruciatæ aut Iubileum, dum dant licentiam eligendi Confessarium, requirant illum esse approbatum ab Ordinario, posse tamen eligi vbique eum qui est alicubi Parochus; quia licet non omnis approbatus ab Ordinario æquivaleat, quoad dicta, parocho: hic tamen è contrario æquivalet approbato, quia reuerà dum data est illi Parochia est eo ipso approbatus ab Episcopo eam dante, vel ab eo, qui Episcopalem habuit auctoritatem, vt dixi paulò antè. Solùm obest in contrarium quædam Cardinalium declaratio in hæc verba; *An obtinens Parochiale beneficium vbique censendus sit idoneus absque alia Episcoporum approbatione, ita quòd audire possit confessiones eorum qui non habent huiusmodi priuilegium, sed Parochorum consensum. Congregatio respondit, Non posse.* De hac declaratione agit Suarez ea disput. 28. sect. 4 num. 19. vbi in primis ait se non scire quantæ illa sit auctoritatis, quia inter collectas cum diligentia summa ab Episcopo, Conimbricensi, & à Patribus nostræ Societatis eiusdem ciuitatis eam inuenire non potuit. Dubitat etiam Secundò quid sibi velint ea verba, *Qui non habent huiusmodi priuilegium*; enim certo est de priuilegio eligendi sibi Confessarium (quod sequentia verba videntur denotare) ait potiùs inde sequi, illos qui habent tale priuilegium (vt habetur per Bullam & Iubileum) eligere posse eum qui habeat Parochiale beneficium; & hoc ipsum est quod intendimus. Additque postea, fortasse ibi sermonem esse de aliqua Italiæ consuetudine, quæ vbique non obseruatur. Nam in Lusitania, ait, contraria consuetudo est certa, vt sese iuuent inuicem Parochi ex solo suo consensu, non solùm quando sunt intra eumdem Episcopatum, sed etiam in confinio distinctarum Diœcesium; ac proinde concludit, Si tamen mens Cardinalium fuit aliquid definire contra hanc sententiam, se subiicere suum iudicium illis; quando verò de oppositio nihil certi constat, se non posse discedere à sententia, quam veram existimat: quæ omnia mihi placent.

Tertiò quæritur, Vtrùm Superiores Regulares intelligātur nomine habentis Parochiale beneficium. Respondeo, Non intelligi: ita Suarez. Lugo & ferè omnes, vt videre est apud Dianam suprà. Ratio est, quia ea Prælatura in Iure non dicitur beneficium, intelliguntur tamen Archidiaconi, Archiepiscopi & Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in sæculares.

An approbatus pro pueris aut idiotis tantùm, possit nihilominus alios etiam absoluere.

Quarta difficultas est circa alterum modum approbationis. De quo quæritur Primò, An approbatus ad audiendas solùm confessiones puerorum v.g. aut rusticorum, possit audire validè omnes. Multi Auctores dicunt, Omnino posse, dummodò ea limitatio approbationis non sit ob defectum doctrinæ, sed quia est nimis iuuenis, aut aliam ob causam. Ita Henriquez, Fagundez, Petrus Fai, Nunnus, & Bonacina apud Lugo numero 18. & alij apud Thomam Sanchez lib. 8. de Matrimonio, disput. 34. num. 16. qui etiam id probabile iudicat. Alijè contrario dicunt, Tempore Iubilei, quando dicitur vt Confessarius qui eligitur sit approbatus ab Ordinario, non posse illum eligi etiam ab his, pro quibus approbatus est; quia ille simpliciter non est approbatus ab Ordinario, sed solùm secundùm quid, seu ad certas personas tantùm. Hæc tamen sententia meo iudicio est improbabilis; quia si ille non est proprie approbatus ab Ordinario, ergo nec illos pueros etiam extra casum Iubilei poterit audire; nam Tridentinum pro cuiuscumque sæcularis confessione & in quocumque casu excipienda requirit propriam approbationem: nec magis aut aliis terminis eam requirit Bulla, vel Iubileum, quàm eam requirat Tridentinum; ergo si pro Iubileo non sufficit, nec sufficiet pro Tridentino etiam respectu eorum, pro quibus dicitur approbatus, hoc autem iam est destruere ipsam suppositionem, scilicet illum esse approbatum sufficienter pro illis personis; ergo hæc sententia in se includit repugnantiam; ideoque dicendum eam approbationem omnino sufficere, vt illi, pro quibus est approbatus, ipsum eligant ratione Bullæ aut Iubilei; cùm Iubileum non restringat, sed potiùs ampliet fauorem.

Tertia ergo sententia communis dicit, Pro illis, pro quibus est approbatus, omnino sufficere quacumque ratione, pro aliis verò non: ita Suarez obiter rem tangens disp. 28. sect. 7. nu. 3. Hornobonus, Rodriguez, Ionnes de la Cruz & Villalobos, quos refert & sequitur Lugo suprà num. 16. Ratio à priori est, quia approbatio non potest magis extendi quàm velit ipse approbans; ergo si hic eam limitauit ad certas personas, procul dubiò non poterit extendi ad alias. Confirmatur, quia si iuxta Auctores eius sententiæ, quando limitatio approbationis oritur ex defectu scientiæ, non extenditur ad alios; ergo eodem modo non extenditur, si sit ob alium quemcumque defectum. Patet consequentia, quia approbatio non solùm consideratur secundùm scientiam, sed etiam secundùm mores, secundùm pericula ipsius Confessarij, & alias circumstantias diuersas. Vnde approbatio semel data potest reuocari ob mutationem earum circumstantiarum, esto scientia maneat eadem. Deinde sic argumentatur Cardinalis Lugo. Quia si ea approbatio esset valida, vt virtute Iubilei posset eligi ad cuiuscumque confessiones audiendas, ergo Parochus etiam extra Iubileum, qui habet potestatem dandi suam iurisdictionem approbato, poterit illum admittere ad audiendas confessiones omnium; hoc autem planè videtur absurdum; ergo. Ego tamen hoc argumentum non iudico

iudico efficax : & ei viderut taciтè respondisse Diana Tom. 2. Tractatu de Dubiis Regularium, resolut. 93. vbi licet solùm agat de Regulari exposito a suo Superiori solum ad confessiones virorum, non autem de approbato cum limitatione ab Episcopo, dat tamen rationem vniuersalem, ex qua potest huic argumento responderi : quam rationem ex Fagundez desumit, scilicet prohibitionem, vel limitationem Episcopi seu Generalis debere rationabiliter explicari, videlicet vt ea limitatio locum habeat quantum ad iurisdictionem ab Episcopo emanantem : cùm enim duo requirantur ad audiendas confessiones, iurisdictio & approbatio, hæc autem ordinariè præsupponatur ad iurisdictionem, haud dubiè, Episcopus non dans approbationem nisi ad audiendos pueros, non dat illi iurisdictionem nisi ad alios : vnde cùm Parochi iurisdictio veniat ab Episcopo, nec possit Parochus dare iurisdictionem contra voluntatem Episcopi, non poterit dare iurisdictionem ad audiendas confessiones virorum ei, cui Episcopus limitando approbationem ad solos pueros, consequenter à fortiori limitauit ad solos illos iurisdictionem. Hæc autem ratio non habet locum, quando supposità approbatione iurisdictio conceditur ab alterà potestate quàm sit Episcopi approbantis : vti conceditur ab ipso Papa per Bullam, aut per Iubileum : ergo ex eo quòd ille quasi inadæquatè approbatus possit tempore Iubilei aut ratione Bullæ accipi ad audiendas confessiones quorumcumque, non sequitur vllo modo posse illi à Parocho concedi iurisdictionem ad audiendas omnium eius Parochi subditorum confessiones. Argumentum ergo Cardinalis non premit oppositæ sententiæ Auctores, nec per illud potest satisfieri instantiis oppositis : Quidquid ergo de illo sit,

2

SECTIO II.

Respondetur aliquibus obiectionibus contra dicta : & tres aliæ quæstiones discussæ.

3 *Obiectio prima.* BONACINA & alij pro contrariâ sententiâ obiiciunt nobis Primò : quia si requireretur approbatio vniuersalis, ad nihil deseruiret Bullæ facultas ; quandoquidem qui est approbatus vniuersaliter, iam eo ipso habet iurisdictionem. *Responsio prima.* Respondeo Primò, prodesse ad hoc, vt possint absoluere à peccatis reseruatis tam Episcopo quàm ipsi Pontifici, pro quibus maximè conceditur illud priuilegium Bullæ & Iubilei. *Secunda.* Secundò, quia potest fieri, vt aliquis sit approbatus ab Episcopo, nullam tamen habeat iurisdictionem, vt suprà diximus.

Obiectio secunda. Obiiciunt Secundò ; Quia inde sequeretur non posse etiam tempore Iubilei eligi Parochũ alterius Parochiæ, quia etiam hic non est approbatus, nisi ad suam Parochiam. *Responsio.* Respondeo negando sequelam ; Quia Parochus approbatur non solùm pro Parochia, sed etiam pro toto Episcopatu, imò pro toto mundo, vt suprà diximus, quia circa illum nihil innouauit Tridentinum, solúmque ei deest iurisdictio, vt in alienâ Parochiâ audiat confessiones ; hanc autem iurisdictionem Bulla & Iubileum ei conferunt.

Obiectio tertia. Tertiò argumentantur ; Quia approbatio distinguitur à iurisdictione : ergo etiamsi Episcopus non dederit iurisdictionem, illi Confessario ad feminarum confessionem, sed virorum, eam poterit accipere à Iubileo, vel a Bulla. *Responsio.* Respondeo : Si Episcopus diceret, *Ego quidem quoad approbationem nullam pono limitationem, sed absolutè te approbo, iurisdictionem tamen non concedo nisi ad confessiones virorum* : omnino iudicarem eo casu posse eligi vi Bullæ : at nos loquimur, quando & iurisdictio, & ipsa approbatio est limitata. Vnde rectè colligimus a Papa non dari illi iurisdictionem nisi iuxta extensionem approbationis, id est viros possit absoluere etiam à reseruatis siue Episcopo, siue ipsi Pontifici, vt paulò antè docuimus reuicientes secundam sententiam, quæ dicebat nec pro his posse talem Confessarium vi Iubilei eligi ad audiendas confessiones.

9 *An Religiosus habens limitatam facultatem à suo Superiore ad confessiones audiendas v.g. virorum tantùm, possit vi Iubilei etiam feminas audire.*

Occasione huius dubij moueri potest alterum, quod tractatur à Diana eo loco citato, Vtrùm si Superior Religionis exponat aliquem Religiosum cum ea limitatione ad audiendas confessiones virorum, possit hi. validè & licitè excipere confessiones vi Iubilei. Dubium hoc distinguitur à præcedenti, quia in illo locuti sumus de approbato limitatè ab Episcopo : nunc verò agimus de approbato à suo Superiori regulari : vbi in primis discutiendum est ; an valide ; nam si inualidè, eo ipso haud dubiè illicitè. Diana vbi supponit omnino esse validam ; ego tamen iudico debere distingui : Vel enim, sicut sæpè solet fieri, Episcopus remisit totam approbationem Superiori Regulari, vel ipse per se eũ approbauit, & remisit pro iurisdictione iuxta Pontificum priuilegia ad Superiorem Regularem. Vtroque enim modo vidi Episcopos se gerentes. Si secundo modo se gerat, cùm iam dederit absolutè approbationem, non dubito validè Religiosum posse audire confessiones vi Bullæ & Iubilei ; quia eo tempore Pontifex de plenitudine potestatis, supposita approbatione Episcopi, dat iurisdictionem ac, proinde non potuit hæc à Superiori Regulari limitari.

Obiectio. Dices : Tunc Pontifex non intendit eximere Regulares ab obedientia suorum Superiorum. *Responsio prima,* Respondeo Primò concesso nunc antecedenti ; At dico Superiores tunc posse id prohibere, ne licitè fiat ; in quo propriè consistit obedientia non tamen propterea impedient valorem absolutionis. *Secunda.* Respondeo Secundò, Fortasse nec tunc posse Superiorem id prohibere ; poterit quidem dare licentiam limitatè, at id debet intelligi in ordine ad illas confessiones, pro quibus ipse Superior ratione priuilegiorum Pontificiorum applicat iurisdictionem ; cumque in casu tam Bullæ quàm Iubilei non concedatur iurisdictio vi priuilegiorum Ordinis, neque dependenter à Superioribus, sed immediatè ab ipso Papa, non poterunt illi supposità Episcopi integrâ approbatione iurisdictionem date limitatam ; ergo validè tunc absoluet omnes. Vnde vlteriùs dico 10 probabilius esse, quòd etiam licitè id faciat ; quia non potest Superior, vt diximus, prudenter contrarium tunc mandare ; id enim esset auferre seu limitare mihi auctoritatem à Pontifice concessam : vti non potest tunc mandare vni Religioso approbato, ne audiat alterius Religiosi confessionem, vi Iubilei volentis ipsi confiteri. Et ita hanc sententiam defendit Diana suprà alios pro se citans ; & idem docuerat Tomo 1. Tractatu de Bulla Cruciatæ, resolut. 9.

Obiectio. Dices : Esto ego tunc possim vti eo priuilegio audiendi

audiendi confessiones, possum tamen etiam pro meâ libertate nolle audire hic & nunc cõfessionem Petri volentis mihi confiteri: poterit ergo etiam Superior mihi mandare vt faciam id: quia quod ego licitè possum facere, potest mihi præcipi à meo Superiore. *Responsio.* Respondeo negando consequentiam, quia priuilegio possum ego licitè renuntiare, non tamen possum cogi à Superiore, qui sit inferior illo, à quo accepi priuilegium, vt illi renuntiem, aut eo non vtar. Neque est vllo modo vniuersaliter verum posse mihi præcipi omnia, quæ ego ex mea libertate possum licitè facere. Et hæc quoad secundum modum concedendi eam approbationem.

Quòd si Episcopus cõmittat approbationem ipsi Superiori Religionis, quia etiam examen doctrinæ ei remittit; tunc si Superior solùm approbet cum limitatione, debet etiam ea approbatio censeri facta cũ limitatione ab Episcopo: ac proinde quæ de approbatione limitata Episcopi paulò antè diximus debent in præsenti casu intelligi dicta. Intelligenda autem tota ea doctrina est non solùm de approbatione ad sexum virilem aut pueros. &c. sed eodem modo si sit limitata ad pagum vnum: tunc enim non extendetur ad alia loca ob easdem rationes, fortasse ad similes omnino pagos, aut certè vbi minora sunt inconuenientia, intelligi poterit tunc data, quia moraliter est eadem ratio: & differentia illa planè numerica non censetur considerata à delegante: & fortasse si omnia sint paria, non potuit prudenter considerari.

11 *An valeat exterior approbatio Episcopi sine interiore, quin iudicet in animo hominem illum non esse idoneum.*

Secunda difficultas circa approbationem est: Si quis exteriùs approbetur ab Episcopo, qui tamen eum interiùs iudicet non idoneum, vtrùm valeat ea approbatio. Nam Tridentinum dicit, quòd debeat iudicari idoneus, & obtinere approbationem, quæ gratis danda est. Respondeo, esse validam saltem eâ ratione, quâ Ecclesia censetur supplere defectum iurisdictionis propter communem errorem; cùm ergo exteriùs esset ille titè approbatus, & de occultis nõ iudicet eadem Ecclesia, non est dubitandum illum habere iurisdictionem. Secundò, non est credibile Tridentinum attendisse ad ea iudicia interioa, de quibus Ecclesia non curat. & per quæ poterat sæpè reddi validè dubius valor absolutionis; quis enim sciret quale interiùs iudicium formauerit Episcopus?

An approbatio simoniacè fit valida.

Tertia difficultas desumitur ex illâ particulâ, quam Tridentinum posuit, scilicet *eam approbationem gratis conferri debere*; hinc enim quærimus, An si accepto pretio concedatur approbatio, ea sit valida. Respondeo cum Suario & Lugo, id solùm excipi per modum præcepti; quia non est vnde constet requiri per modum conditionis essentialis; quando autem beneficij aut Parochiæ acceptio ob pretium sit irrita, non est huius loci; hoc tamen addo etiam in tali casu, quãdo error esset communis, licet ille Sacerdos non esset reuerà Parochus, Ecclesiam tamen suppleturam tunc defectum iurisdictionis, vt immediatè antè notaui. In his enim quæ ab ipsa Ecclesia pendent, qualis est iurisdictio hæc, potest ipsa supplere similes defectus: & re ipsa ob communem vtilitatem eos supplet.

SECTIO III.

A quo Ordinario debeat esse approbatio.

HÆc difficultas est valde celebris inter Auctores, & ad praxim æquè necessaria, ideóque paulò fusiùs de ipsa agendum. 12

SVBSECTIO PRIMA.

Propositis variis sententiis vera statuitur.

PRima sententia docet, cuiuscumque Ordinarij approbationem sufficere, vt accedente deinde iurisdictione possit quis audire confessiones vbique. *Prima sententia.* Pro hac sententia citat Lugo Dianam Tomo 1. Tractatu 11. de Bulla Cruciatæ, resolut. 7. *Quid de Diana.* ibi tamen in primis Diana non defendit absolutè eam sententiam, sed solùm dicit eam esse æquè probabilem ac contrariam. Eo verò secundo loco ex Tomo 4. planè videtur in fine contrariam sententiam tenere: sic enim concludit Diana: *Sed his non obstantibus omnia suprà dicta disputationis causa dicta esse volo: nam negatiuam sententiam in praxi obseruandam esse puto.* Ita ille. Per verbum autem *omnia* videtur non solùm in quæstiuncula quadam ibi adiuncta, sed in puncto approbationis tenere negatiuam, id est non sufficere vniuersaliter approbationem Ordinarij cuiuslibet prout prima sententia affirmans dicebat. Addo eam multò minùs loqui de Episcopo in ea summa vniuersalitate: nam requirit vt ille sit Ordinarius vel pœnitentis, vel Confessarij, vel loci vbi auditur confessio: non autem agit de Episcopo planè disparato. Ait etiam Cardinalis eam sententiam fusè impugnâti à Suario disput. 28. sect. 6. qui tamen solum dicit eam nimis amplam potestatem dare. Addit Tertiò, hanc sententiam, etiam, si fortè antea fuerit probabilis, iam tamen post Bullam Vrbani Octaui datam anno 1628. esse improbabilem, quia in ea Bulla reuocantur priuilegia omnia audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis Diœcesanis, & sine examine facto ab Ordinario. Ego tamen in ea Bulla nihil prorsus aliud lego quàm reiici aliquos, qui prætendebant se sine approbatione Ordinarij posse audire confessiones: quod erat se eximere à Tridentini decreto. At hæc prima sententia nullo modo negat necessariam esse eam approbationem Ordinarij: solumque asserit; eo ipso quòd sit licentia vnius, satisfieri Tridentino: quod etiam Pater Suarez admittit, dummodò ille sit Ordinarius Confessarij: alij verò sub aliis limitationibus idem docent. Sed neque hæc sententia dicit sufficere vnius Ordinarij approbationem in perpetuum: non est ergo ex eo capite adeò improbabilis. Quod item addit ibi Cardinalis, ab Vrbano reuocata esse priuilegia quorumdam, si quæ prætendebantur, quòd approbatus in vno loco deberet censeri vbique approbatus: vbi õbiter ait se apud nullum Ordinem talia inuenisse, esto sanctus Philippus Nerius apud Sixtum Quintum vterit pro eius confirmatione: hoc inquam mihi non placet, quia, vt paulò antè dixi, Vrbanus ibi non reuocat alia priuilegia quàm quæ contra Tridentini Canonem esse poterant, vt scilicet sine vlla approbatione Ordinarij possent iurisdictione accepta confessiones audire. Nam quòd approbatus ab 13

vno

vno Ordinario possit vbique audire confessiones, certè huius sententiæ Auctores nullo modo reuocant ad priuilegium vllum, sed quòd Concilium non ampliùs requisierit quàm quod Ordinarius approbet: id quod illi dicunt saluatur perfectè: siue hic siue ille sit. Quidquid tamen de improbabilitate eius sententiæ sit, reijcienda illa erit, si vsurpetur in ea generalitate, vt scilicet Episcopus Parisiensis v.g. possit me hîc Pragæ manentem approbare pro toto mundo; quia reuerà ea non est approbatio Ordinarij, sed Episcopi in genere. Tridentinum autem non casu vsum est verbo *Ordinarij*; quod dicit relationem ad omes, sed vt ostenderet debere esse Episcopum vel eiis qui confitetur, vel saltem audientis confessiones, vel certe eius loci, vbi fit confessio; non enim ea vox debet se habere disparatè ad confessionem; & fortasse neque illius Auctores eam tam laxè intellexerunt.

Non sufficit approbatio ex iurisdictione Episcopi ad audiendas vbis confessiones, & quorumuis.

14 *Secunda sententia.*

Secunda ergo sententia manens adhuc intra latitudinem disiunctionis potest esse ea, quam ex Diana retulimus, quòd scilicet sufficiat Ordinarius vno ex tribus illis modis: & hanc dicit idem Diana defendi à valdè multis, etiam ex his qui Concilio Tridentino interfuerunt, teste nostro Patre Henriquez, quem ibi citat. Et sanè si solùm iuxta Tridentini verba loquendum esset, facilè concederem id sufficere, quia reuerà in ordine ad eam confessionem dici potest Ordinarius ille, qui est Episcopus vel confitentis, ve Confessarij, vel etiam loci vbi exceretur illud iudicium. Quia tamen in oppositum sunt aliquæ declarationes Cardinalium (de quibus statim) non censeo absolutè tenendam eam sententiam, licet non careat probabilitate, saltem extrinseca ob auctoritatem tot grauissimorum Doctorum.

Tertia sentẽtia,

Sit ergo tertia sententia, quæ dicit esse necessariam determinatè approbationem loci illius vbi auditur confessio; quia ad Episcopum loci spectat prouidere de idoneis Sacerdotibus: pro hac citat Hurtadus disput. 20. de Pœnitentia, difficultate 18. Patrem Vasquez, Gutierrez & Ochagauiam. Hæc tamen meritò reijcitur, quia est contra communem praxim; nam Episcopus Pragensis potest, dum est extra suam Diœcesim, secum habere suum Confessarium Pragensem, cui sine licentia alterius Episcopi confiteatur; iam autem diximus Episcopũ quoad hoc etiam subiacere generalibus regulis. Efficacior adhuc huius sententiæ refutatio constabit ex dicendis pro quinta

15 *Quarta sententia: An nomine Ordinarij approbantis Cõfessarium intelligi possit Ordinarius ipsius pœnitentis,*

Quarta sententia dicit Ordinarium debere esse ipsius pœnitentis; nam ad Pastorem ouis spectat prouidere illi de bono immediato Pastore: pro hac ait Suarez stare multos Theologos & Iuristas, eamque esse maximè consentaneam rationi, & semper sibi absolutè placuisse; sed postea ob quamdam responsionem Cardinalium, quæ in declarationibus Concilij circumfertur, se mutasse sententiam. Hanc tenet Hurtadus suprà citans pro ea Emmanuelem Rodriguez; atque doceri communiter à Theologis & Canonistis; pro qua tamen nullam aliam addit rationem, quàm quæ insinuata iam est. Videamus nunc, quomodo illi aduersetur ea declaratio Cardinalium, de qua Suarez; ea autem est: *Sanctissimus Dominus noster declarauit tempore Iubilei posse Regulares omnes confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones: in Bulla enim non fit mẽtio nisi de Ordinario eorum qui qui audituri sunt confessiones, non de Ordinario pœnitentium* Vbi benè ponderat idem Suarez, Etiamsi non videatur in hac declaratione esse sermo nisi solùm de Bulla Iubilei nihilominùs extendi eam declarationem ad Tridentinum; quia cùm in Bulla non petatur, nisi quòd sit approbatus ab Ordinario, eo planè modo quo petitur in Concilio, profectò dum Pontifex declarat, quis sit ordinarius in Bulla significatus, declarat eadem via, quis sit in Concilio. Vnde ait Suarez Pontificem non posse nisi derogando Concilio concedere facultatem confitendi Sacerdoti solùm approbato ab Ordinario pœnitentis; posse tamen ex sua voluntate exigere vt sit approbatus ab vtróque; id tamen, ait, non erit ex vi Concilij, cùm in ea declaratione dicatur non fieri mentionem Ordinarij pœnitentis. Ex ponderatione facta circa hunc locum reijcitur solutio Patris Gasparis Hurtadi, qui ait ideò hunc locum non esse contra quartam sententiam, eò quòd in illo non sit sermo nisi de Religiosis tempore Iubilei. Hæc inquam solutio reijcitur, quia licet sermo solùm sit de Religiosis, quia tamen in ea declaratione alluditur ad Bullam; Bulla autem vtitur eodem termino *Ordinarii* quo Tridentinum manifestè declarat, quis sit Ordinarius iuxta Concilij sensum, vt dictum est. 16

Ad argumentum verò pro ea sententia factum, quòd scilicet approbatio Confessarij fiat in fauorem pœnitentium; eis prospiciendo de idoneo & conuenienti Ministro, ergo debet ea approbatio fieri ab Ordinario pœnitentis, dicimus hanc approbationem esse iudicium de doctrina Confessarij: post quod iudicium Secundo requiritur iurisdictio ab Episcopo concessa; iudicium autem de alicuius doctrina debet dari non ab eo, qui non nouit personam de qua testificatur, sed ab eo qui eam nouit: hoc enim testimonium est vt illud, quod de Scholastica doctrina dari solet in Academiis: quis autem non videat hoc testimonium longè prudentiùs dari ab his, sub quibus ea persona vixit, quàm ab aliis, ad quos primò ille accedit? Quòd si Episcopus alienus non fiat huic testimonio, cùm, vt diximus, ad hoc debeat interuenire iurisdictio, facillimum illi erit hanc non dare illi, esto sit alibi approbatus, nisi velit ipse se subiicere examini secundo: & hoc modo sufficientissimè prouidebit suis ouibus.

17 *Quinta sententia: Approbans debet esse Sacerdos Ordinarius*

Quinta ergo sententia, eaque maximè vera, iuxta hanc declarationem Pontificis requirit approbationem ordinarij Confessarij, id est Episcopi, cui etiam Regulares Confessarij quoad hoc sunt subiecti; ita Suarez, quem etiam sequitur Lugo ea disputatione 21. num. 34. cum limitatione paulò pòst addenda. Eamdem tenet Coninch disput. 8. dub. 7. num. 50. Addit numero 57. approbatum ab vno Episcopo absolutè ad confessiones audiendas posse eas audire in aliis Episcopatibus; habere tamen alios Episcopos ius vt eum examinent, & vt prohibeant, ne vllus in suos Episcopatu audiat confessiones nisi à se approbatus. Quæ additio est omnino vera. Eamdem sententiam tenet Reginaldus l. 1. c. 16. & Filliucius tit. 7. cap. 9. quæst. 10. probatur autem non solùm ea citata declaratione, sed & alia Cardinalium Congregationis; quæ ita habet: *Sanctissimus Dominus noster audita consultatione Congregationis declarauit, Episcopum vigore priuilegy, de quo in capite finali de Pœnitentiis*

Pœnitentiis & remissionibus, non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus. Hinc enim argumentari efficaciter possumus: Nec quidem ipse Episcopus per se potest eligere Confessarium, qui non sit approbatus à suo Ordinario; ergo necessaria omnino est approbatio Ordinarij ipsius Confessarij & non sufficiet approbatio Episcopi pœnitentis. Addunt tamen Auctores huius sententiæ, eam approbationem tamdiu præcisè durare, quamdiu Confessarius manet sub eo Episcopo non mutando domicilium; quod si mutet, iam debere de nouo approbari ab eo Episcopo, ad cuius Diœcesim se transfert; quòd si iterùm redeat ad priorem locum, ibi reuiuiscere eam licentiam priorem. Hæc sententia sufficientissimè videtur probari ex declarationibus Pontificum immediatè antè allatis; & solùm indiget explicatione cuiusdam obiectionis quæ contra illam fieri potest.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur obiectioni cuidam ex declaratione Cardinalium desumpta.

18 MAximè nobis obiicitur responsum quoddam Congregationis Concilij ad Archiepiscopum Valentinum in hæc verba: *Congregatio Concilij respondet, Approbatum ab alio quàm à Valentino Episcopo in Diœcesi Valentinâ non censeri approbatum ab Ordinario.* Quam declarationem ait Emmanuel Rodriguez in expositione Bullæ se vidisse apud Archiepiscopum Valentinum. Propter hoc responsum Lugo suprà ait *tù Ordinary* debere intelligi ita respectiuè, vt non censeatur ille Ordinarius Confessarij, in cuius Diœcesi Confessarius habet domicilium, sed in quâ audit confessiones quia in ordine ad illum actum subiacet Episcopo loci, vbi auditur confessio; vel quia peregrini & hospites absolutè subduntur Iudici Ordinario Territorij (vt docet Suarez cum communi Tomo 1.de Religione lib 2.c 14) vel quia licet absolutè non ligentur (vt è contrario tenet Pater Thomas Sanchez lib.1. in Decalogum cap. 12. n.18.) saltem ipso etiam Sanchez teste ligantur legibus illis, quarum transgressio cedit in peculiare damnum illius loci, in quo versatur, ergo cùm multum interfit ouis huius Episcopi habere Confessarios idoneos, pertinebit etiam ad Episcopum illius loci iudicare de sufficientia illius Confessarij, ac proinde requiretur illius approbatio. Esto ergo peregrinus Sacerdos approbatus sit ab Ordinario domicilij sui, non tamen est approbatus à suo Ordinario, si non approbetur ab Ordinario loci illius, quia ille est Ordinarius Confessarij formaliter & in ordine ad
19 hunc actum. Per hanc tamen explicationem relabitur ex integro Lugo in tertiam sententiam suprà positam, & impugnatam: à quâ solùm differt per quamdam ampliationem; quòd si pœnitens pertineat etiam ad eumdem Episcopatum ad quem Confessarius, tunc non sit necessaria approbatio Ordinarij loci illius, quia hic non est eius ouis: ac proinde non spectat ad ipsum prouidere de sufficiente Confessario. Per quam limitationem Cardinalis fusè deducit varios casus, quomodo Sacerdos Ostiensis domicilij, si Romæ inueniat ciuem Ostiensem, possit illum absoluere: non possit autem absoluere Romæ non solùm ciuem Romanum, sed nec Albanensem, quia respectu illius non habet approbatio Episcopi Ostiensis vllam relationem, cùm Albanensis non sit subditus Episcopi Ostiensis: quam etiam doctrinam transfert ad tempus Iubilei, & ex illa respondet declarationi illi datæ Episcopo Valentino: ait enim in illa meritò dictum fuisse, *In Episcopatu Valentino non posse audire confessiones nisi approbatum ab eo Episcopo*: quia alioquin non est approbatus ab illo qui respectu talis ministerij est Iudex ordinarius. Hanc eamdem doctrinam posuerat Suarez suprà Sect.7. num.7. quam tamen vt minùs probabilem meritò meo iudicio reiecit, ideoque aliter respondit ei declarationi.

Explicatur responsum Congregationis Concilij circa Ordinarium approbantem.

Primò ergo contra eam argumentatur Suarez, quia iuxta illam planè redduntur futiles responsiones Pontificis suprà allatæ, maximè illa, quòd in Bullâ non fiat mentio de Ordinario pœnitentis, sed Confessarij. Quæ declaratio est ipsius Pontificis, non verò præcisè Cardinalium: est item authentica: id quod non habet quæ contra nos obiicitur. Etenim Lugo semper requirit approbationem Ordinarij pœnitentis: cùm enim dicat peregrinum & hospitem in ordine ad confessiones fieri loci illius vbi est, & requirat tunc approbationem eius Episcopi, iam requirit approbationem Ordinarij pœnitentis quoad illum actum; vt loquitur hic Auctor:) & licet dicat ciuem Ostiensem posse absolui à Parocho Ostiensi Romæ: ideò tamen id docet, quia putat etiam tunc ciuem Ostiensem esse subditum Episcopi Ostiensis, à quo est approbatus Confessarius: ergo semper ille facit mentionem Confessarij pœnitentis contra declarationem Pontificis. Vnde meritò contra eam sententiam dixit Suarez ibi, sequi ex ea inutiliter distinxisse Pontificem inter Ordinarium pœnitentis, & Ordinarium Confessarij: nam semper idem esset sub diuersis respectibus. 20

Respondebis: Ideò non fieri mentionem Confessarij pœnitentis, quia hic sæpè non habet Ordinarium: quales sunt pœnitentes Regulares & exempti: aliquando etiam solùm habent æquiualenter vt peregrini: melius ergo fuit loqui de Ordinario Confessarij, qui semper habet proprium Ordinarium cui subditur in ordine ad confessiones audiendas. Sed contrà, quia pœnitentes Regulares non possunt comprehendi in ea declaratione, cùm pro eorum confessionibus audiendis nulla sit necessaria approbatio Ordinarij, vt suprà diximus: Tridentinum enim solùm agit de confessionibus sæcularium. Secundò (& hæc ratio etiam extenditur ad peregrinos) quia hi ipsi Regulares & peregrini possunt esse non minùs Confessarij quàm pœnitentes, ac proinde non minùs possunt Confessarij carere vero Ordinario quàm pœnitentes: ergo non est hæc ratio, ob quam præcisè fit mentio Ordinarij Confessarij cum reiectione Ordinarij pœnitentis. 21 *Obiicitur.* *Soluitur primò.* *Secundò.*

Quòd si dicat hic Auctor (vti reipsâ insinuat) Confessarium semper habere Ordinarium, quia ratione confessionis sit subditus Episcopo loci: eodem modo ego dicam, pœnitentem semper habere Ordinarium: nam per ipsam illam confessionem subiicitur Episcopo loci illius non minùs quàm ipse Confessarius. Id quod clarè ostendo: Da id (quod fieri posse etiam hic Auctor admittit cum omnibus) Episcopum eius loci solam approbationem concessisse illi Sacerdoti, *Argumentum contra Lugo primo.*

nam iurisdictionem, veniat ille peregrinus, qui dicitur ab hoc Auctore non habere Ordinarium; rogo, Quis dabit Sacerdoti iurisdictionem, vt eum peregrinum absoluat; Profectò solus Episcopus loci. Ergo peregrinus ille propriè subiicitur Episcopo sicut Confessarius; habet ergo Ordinarium non minùs quàm Confessarius. Altera ergo ratio quærenda est, ob quam asseramus Pontificem dixisse fieri mentionem Ordinarij Confessarij, non autem pœnitentis, ea autem est, quam nos cum Suario & aliis tradidimus, scilicet reuerà non petit approbationem Episcopi loci, sed pœnitentis.

22 *Secundum.* Secundò argumentor contra eam sententiam: Quia si illius argumenta diligenter ponderantur, non videntur duæ illæ doctrinæ ex integro sibi inuicem cohærere; etenim ideò ait me in alieno Episcopatu non posse absoluere, vel quia, vt ait Suarez, peregini tenentur ex integro legibus loci vbi sunt; vel quia saltem (vt P. Sanchez ait) tenentur esse subiecti in legibus illis, quarum transgressio potest esse in peculiare damnum illius loci, in quo versantur. Ex his ego argumentor: Si cum Suario sentiat hic Auctor peregrinos esse ex integro subiectos, tunc clarè constat, si ego habens domicilium Pragæ excurram in Moraviam, & simul mecum Ouis Pragensis, tunc ambos ex integro fore subiectos Episcopo Moraviæ; ac proinde in ordine ad confessionem solum Episcopum Olomucensem fore Ordinarium tam meum quàm illius pœnitentis formaliter (vt loquitur hic Auctor, id est in ordine ad illam actionem. Nec potest responderi, Tunc me & ciuem Pragensem habere duos Ordinarios, Pragensem & Olomucensem, ac proinde me posse tunc gerere ac si essem Pragæ: hoc inquam dici non potest, quia si semel admittimus peregrinum esse subiectum ex integro legibus loci, videtur repugnare, vt simul sit subiectus legibus sui domicilij, quia possunt esse inter se contrariæ leges: id quod maximè in ordine ad confessionis forum potest habere locum. Nam potest esse obligatio v.g in Olomucensi Episcopatu non confitendi sine expressa licentia Episcopi, quæ lex non sit in Pragensi Archiepiscopatu; iam ergo eo casu, si Sacerdos peregrinus est subiectus legibus loci ex integro, non poterit absoluere suum conciuem sine licentia Episcopi: hoc autem & est contra eam declarationẽ Pontificis, & contra huius Auctoris additionem, qua docuit ciuem Ostiẽsem posse Romæ absolui à Parocho Ostiensi. Quòd si propterea dicat cum Sanchez non absolutè, sed in ordine ad leges quarum violatio esse potest in damnum eius loci subiectum esse hospitem, seu peregrinum, adhuc infertur, Illum debere esse subiectum in ordine ad confessiones audiendas, ac proinde semper fore necessariam approbationem Episcopi loci; etenim in violatione legum circa confessiones audiendas maximum potest damnum oriri pro eo loco; nam sub eo prætextu, quòd sint conciues, potest audire alios, in quos non habet iurisdictionem, & pro quibus non est approbatus: & qui venerunt etiam ex alijs Episcopatibus: potest etiam malas doctrinas spargere, &c. ergo etiam in ordine ad confessiones sui conciuis est subiectus formaliter Episcopo loci: ergo iuxta discursum huius Auctoris debet etiam habere approbationem ab illo: id quod etiam est contra eam doctrinam. Dicendum ergo, siue ratione loci sit subiectus, siue non, nihilominùs semper Episcopum domicilij vocati eius Ordinarium, ac proinde iuxta declarationem Pontificis non esse necessariam nouam approbationem.

24 *Responsio Suarez ad alteram Cardinalium declarationem.* Quid ergo dicemus ad eam alteram declarationem Cardinalium: Respondet Suarez, Illam non esse tam authenticam & claram quàm sint aliæ contrariæ, maximè illa quæ expressè dicit, *Non fieri mentionem Ordinarij pœnitentis*, & altera dicens *Episcopum non posse eligere in Confessarium Sacerdotem sibi non subiectum*; ex qua infertur, Necessariam non esse licentiam Episcopi pœnitentis: nam eo ipso quòd Episcopus eligeret Sacerdotem quemcumque, iam hic haberet approbationem ab Episcopo pœnitentis, id est ab ipso Episcopo qui in ordine ad hoc est quasi Episcopus sui ipsius. Nec potest dici, ibi esse tantùm sermonem de Episcopo non habente iurisdictionem: etenim verba sunt vniuersalia, & non debent eo modo coarctari. Deinde quando dicit *non sibi subditum*, supponit posse eligere sibi subditum; ergo loquitur etiam de Episcopo qui habet aliquos subditos: Neque item potest secundo responderi, Ibi esse sermonem de Episcopo existente in Episcopatu alieno, vbi nullo titulo Sacerdotes ei sunt subiecti: etenim si hoc intendisset Pontifex, facile & clarè dixisset, *Non posse in alieno Episcopatu sibi eligere Sacerdotem non subditum*; ergo quando vniuersaliter & sine limitatione vlla dixit *non posse eligere sibi non subditum*, loquitur etiam intra proprium Episcopatum.

25 *Obiectio.* Dices, Hoc nimium probare, scilicet non posse Episcopum Pragensem approbare pro Praga Sacerdotem Olomucensem Pragæ hospitem, si hic non habeat approbationem ab Olomucensi: hoc autem videtur valdè durum. *Responsio.* Respondeo concessa consequentia, negando vllam esse in consequenti duritiem: quin potiùs illud est valdè conforme citatis declarationibus. Sicut Cardinalis addit ex se vnam limitationem ei testimonio, cui maximè fidit, scilicet debere intelligi, nisi pœnitens & Confessarius, qui sunt in Episcopatu Valentino tamquam hospites, sint eiusdem alterius Episcopatus; tunc enim admittit etiam in Episcopatu Valentino audire posse confessiones Sacerdotem ibi non approbatum: de qua exceptione nec per vmbram facit mentionem ille textus, sed vniuersaliter asserit nullum nisi approbatum à Valentino posse Valentiæ audire confessiones. Eodem ergo modo debet laborare hic Auctor, vt conciliet eum textum cum sua limitatione, sicuti nos cum nostra doctrina. Ei ergo, quidquid sit de auctoritate illius, respondeo probabiliter, Ibi esse sermonem de his qui alibi approbati sunt domicilium transtulerũt in eam Diœcesim, proquibus (vt & nos suprà notauimus) meritò dicitur non sufficere præteritam approbationem, quia per eam mutationem domicilij definit esse alter Episcopus Ordinarius huius Confessarij, & successit loco illius Episcopus Valentinus, ac proinde iam requiritur huius approbatio ad audiendas Valentiæ confessiones.

23 Obijcies præterea: Greg. XIII. cõcessit Soc. priuilegiũ, vt Confessarij nostri iter facientes possint audire confessiones in via; ergo sine hoc priuil. non poterant: atqui si approbatio Episc. proprij sufficeret (vt diximus) hoc priuilegium esset nullius momẽti, quia iam supponeremur habere potestatem. nam approbationem haberemus, iurisdictionẽ etiam vniuersalem vt nostrorum priuileg. ergo. Respondet Lugo consequenter ad suam

Obiectio alterius.

Responsio.

doctrinam immediatè discussam, ea ratione factum, quòd nostri, cum primum alienum ingrediuntur Episcopatum, eo ipso fiunt subditi Episcopi illius loci. Nos facilius respondemus consequenter ad nostram doctrinam, Illud priuilegium esse vniuersale, & complecti omnes itinerantes, qui ferè ordinariè faciunt iter mutando domicilium, ac proinde qui cessant tunc esse sub Episcopo priori: ideo iam ei illius approbatio non suffragatur (vt diximus supra) constet ergo; per se loquendo, non esse necessariam nisi approbationem ab Ordinario Confessarij, vt possit vbique accipere iurisdictionem.

SECTIO IV.

Quomodo teneatur Episcopus dare approbationem, an possit eam reuocare, limitare, &c.

16 HINC N fine præcedentis sectionis dixi, vt Episcopus det alicui iurisdictionem, non requiri, per se loquendo, nisi approbationem ab Ordinario Confessarij: non enim per hoc nego Episcopum dantem iurisdictionem) quam dixi approbatione distingui posse nolle eam iurisdictionem dare nisi à se approbato: cum enim det liberaliter, facere potest illam dependentem à tali conditione. Quia occasione varia etiã circa modum concedendi approbationem possunt in dubium verti. Primum est, an vt obiter diximus suprà posse aliquem approbari pro viris v.g. nõ pro fœminis, ita etiã mens Episcopus v.g. posset me approbare pro vno Episcopatu, & non pro altero. P. Suar. suprà putat fortasse aliquando ita fieri: quo casu, inquit, non valebit ea approbatio, vt possit extra eum Episcopatum accipere iurisdictionem pro confessionibus audiendis.

Possitne Ordinarius approbare Confessarium pro certis Episcopatibus, nõ pro aliis.

Ego in primis non dubito, si cum ea limitatione detur, optimè sequi, non valituram vbique. Addo tamen nunquam esse in praxi talem limitationem. Secundò addo, vt prudenter detur cum ea limitatione, debere supponi in eo Episcopatu pro quo approbatur, esse vel faciliores casus cõscientiæ, vel homines simpliciores, vel aliunde minora pericula: vt propterea approbatio à minori non sufficiat ac maiorem: si enim è contrario in Episcopatu, pro quo est approbatus, omnia sunt difficiliora, videtur planè contra rationem eum non approbare pro aliis: & verò dici fortasse posset inualida talis limitatio: quia cùm approbatio sit per modum cuiusdam sententiæ de scientiã, prudentia, virtute & aliis requisitis ad confessiones audiendas, non potest ferri sententia, quòd ea omnia habeat pro loco difficili, vbi plus requiritur: & tamen non habeat pro loco faciliori: quia hoc in terminis repugnat, & in hoc sensu magna est differentia inter approbationem & iurisdictionem, quia hæc est per modum cuiusdam donationis liberalis: ideoque potest dari cum limitatione, quam velit ipse donans: approbatio autem est per modum sententiæ iuxta dicta, quæ non capit eam limitationem.

27 *Obiectio. Responsio*

Dices hinc sequi, Non posse approbationem negari si homo sit ea dignus. Respondeo negando sequelam; nam potest Episcopus nolle venire ad ferendam sententiam, at si eam ferat, & dicat me esse aptum vt octo, seu pro loco, vbi requiritur aptitudo vt octo, non potest non eo ipso fateri me esse aptum vt octuor.

In quo fundari debeat limitatio approbationis Confessarij.

Hinc infero sententiam communem, quam tenet Suar. Vasq. Nauarrus & Fagundez quos refert & sequitur Diana Tom. 2. Tract 2. de Dubiis Regularium, & Lugo n. 58. quòd scilicet Episcopus possit daret approbationem limitatam; fundari in eo quòd possit alicui deesse, quod requiritur ad audiendas confessiones fœminarum, & tamen sit sufficiens pro viris: sitem possit rusticos, non tamen mercatores, qui habent difficiliores casus. Alioquin si non sit aliqua talis causa, illæ limitationes non possunt apponi (vt benè notauit Lugo n. 60.) explicauerat autem priùs benè, quo pacto possit aliquando dari ea approbatio ad certum tempus, esto qui hodie aptus est, videatur etiam futurus cras. Respondet enim & benè, Primò, Posse dari per modum probationis, vt constet quomodo se gerat; sicut cum minori examine potest aliquis accipi ad Nouitiatum seu probationem quam ad professionem. Secundò, quia fortasse timeretur aliqua mutatio in moribus, aut ex nimia negligentia, obliuio etiam in doctrinã. Hæc autem non habent locum in nostro casu, quia pro eodem tempore repugnat illum esse aptum ad difficiliora, non tamen ad faciliora intra idem genus.

Potest quis approbari ad certum tempus tantùm.

Vbi aduerte, Adhuc cum considerationibus allatis non defuisse qui disuisse qui dixerit, non posse Episcopum eas limitationes facere: cùm enim ex iure communi possit inueni viginti quinque annorum dari Parochia, in qua illa conceditur licentia sine vlla limitatione, non potest ea limitatio apponi Religioso vigintiseu aut triginta annorum. Ita Vega & Portel. id quod Villalobos probabile iudicat. Nihilominus contrarium est commune & certum; & id probat praxis communis. Ad allatam verò instantiam dicimus, ideò etiã requiri longè maius rigidius examen pro Parochia concedenda, quàm pro danda simplici approbatione ad audiendas confessiones, vti Ecclesia admittit ad Episcopatum anno trigesimo, ac illi dat potestatem ad absolutiones & dispensationes grauissimas, quas non daret multis Religiosis etiam quadragenariis, aut sexagenariis; quia circa Episcopi electionem præcedit longè maius examen de doctrina, &c. quam circa vnum Religiosum, vt ad confessiones admittatur.

28 *Si Episcopus neget approbationem Sacerdoti dignissimo, an possit nihilominus accipere valide cõfessiones.*

Secundò quærimus, si Episcopus nollet dare approbationem ei, qui alioquin dignissimus illa esset, an eo ipso tanquam iniustè negata deberet censeri concessa. Ratio dubitandi est, nam sententia iniustè lata non aufert ius in foro conscientiæ. Nauarrus in Summã cap 27. num. 264. & 265 id omnino admittit in Religiosis Mendicantibus propter Extrauagentem *Super Cathedram*, de sepulturis, vbi eis conceditur; quod si præsentati Episcopo nolit eos admittere, reputentur pro admissis: nihilominus contrarium est omnino certum, quia Tridentinum expressè inclusit Regulares; & maximè propter illos putarem fecisse eam legem, quia cùm illi habeat iurisdictionem immediatè à Pontifice, & independenter ab Episcopis, maior fuit in eis necessitas præuiæ approbationis Episcopi quam in Sacerdotibus sæcularibus, quibus alioquin Episcopus poterat non dare iurisdictionem, & eos hoc modo impedire, si essent inepti, ne ad hoc munus præficerentur. Ad textum ergo illum Suarez respondet, Per Tridentinum illum esse reuocatum dum dixit, *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs*

ailegijs, &c. Secundò respondetur, & meliùs, cum Vasquez & Lugo, In eo textu non esse sermonem de approbatione, quia ante Tridentinum non requirebatur vlla approbatio distincta à iurisdictione; illa ergo præsentatio erat necessaria ad hoc, vt Pontifex concederet illis iurisdictionem. At nunc præter iurisdictionem requiritur approbatio ad hoc, vt Pontifex det iurisdictionem, seu ad hoc, vt Sacerdos sit capax iurisdictionis; ergo quando hæc nó datur positiuè, non est vnde dicatur ille homo approbatus. Neque ratio allata de sententiâ iniustè latâ est ad rem; quia Sacerdos ante approbationem nullum habet ius, sed capacitatem vt approbetur; quam capacitatem sine dubio nó mittit per eam negationem: rei non propterea habet propriè approbationem; neque Episcopus dum negat, aufert illi quod habebat, sed non dat quod petebatur; negatio autem rei petitæ sine dubio non est illius concessio, nisi aliunde constaret ex voluntate altiori sufficere eam petitionem; quæ tamen concessio vniuersaliter fuisset ridicula & planè contraria fini approbationis: nam quilibet posset petere, & quilibet dicere, se esse ea dignum, ac proinde iniustè sibi eam negatam; ad quid ergo requireretur tunc iudicium & approbatio Episcopi? constat ergo, siue iustè) siue iniustè eam neget, semper debere in ordine ad valorem confessionis iudicari validè negatâ seu nullo modo concessam, siue Religiosus sit, siue sæcularis, qui illam petijt.

29 *Episcopus negans approbationem Religioso, qui ea dignus est, peccat contra iustitiam.*

Circa hoc ipsum Tertiò quæres; Quòd si adhuc absque causa sufficienti negetur, aut si nolit Episcopus ad examen admittere, peccabitne contra iustitiam? Respondeo cum Vasquez (quem refert & sequitur Lugo num. 54. contra Fagundez) Omnino peccare, quia Religiosi per sua priuilegia sunt quasi Parochi delegati à Papa ad audiendas confessiones ac proinde sicut si Parocho sine causa negaret eam licentiam, peccaret contra iustitiam; ita dum eam negat Religiosis. Vnde etiam Sacerdos sæcularis, cui sine causa ea approbatio negaretur, posset ad Metropolitanum appellare: quia teste Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 10. num. 20. & seqq. & disp. 18. num. 3. & 4. quando Episcopus negligit facere suum officium, iurisdictio deuoluitur ad Archiepiscopum:

Quibus in casibus possit approbatio semel data reuocari.

Quarta difficultas, An approbatio semel data possit reuocari. Respondeo, Si iusta causa intercedat non est dubium: qualis esset, si vel per oblivionem amisisset doctrinam necessariam ad audiendas cõfessiones, aut malâ suâ vitâ iam sit factus scandalo alijs, aut deprehensus sit instillare pœnitentibus periculosas opiniones, &c. Ratio est, quia huiusmodi approbationes semper conceduntur subintellectâ ea conditione, quòd scilicet maneat ea, sub quibus iudicatus est dignus: vbi potest homo deponi ex Parochia & dignitate Episcopali, ad quis sine dubio acquisiuit maius ius quam Sacerdos ad audiendas confessiones.

Obiectio. Dices: Approbatio fuit per modum sententiæ, quæ semel prolata transit in rem iudicatam.

Responsio. Respondeo, esse quidem sententiam, sed tamen iuxta subditi capacitatem: ac si dixisset, *Sub his conditionibus dignus es*: quòd si conditiones illæ mutentur, iam sententia non subsistit; dixit ergo Episcopus, *Quamdiu hæc habueris eris dignus*: ergo cùm primùm illa amisit, amisit etiam dignitatem, & sententia ei tam ampliùs non fauet. Quæ doctrina habet etiam locum respectu Religiosum, quia etiam illorum debet habere curam Episcopus in ordine ad confessiones. Eodem modo si Parochus redditus sit iam ineptus ad confessiones audiendas, poterit illi auferri approbatio. Hoc tamen de Parocho Lugo n. 63. negat, quia ea approbatio non est ab Episcopo, sed ab Ecclesia. Vnde ait, Nisi auferatur ei officium, vel ab officio suspendatur, non potest tolli approbatio. Fortasse hic erit quæstio de voce; nam quòd hic Auctor vocat suspensionem ab officio, ego voco ablationem approbationis: & licet iurisdictio detur illi ab Ecclesia non datur tamen siue subordinatione ad Episcopum; vt si hic iudicet Parochum posse quidem alia ministeria benè obire, pro confessionibus tamen idoneum non esse, cur illi aliquem alium addere non poterit, qui loco illius confessiones audiat, Parochus verò perficiat cetera? Et hæc obiter de Parocho.

30 *Obiectio.* Contra substantiam verò doctrinæ traditæ obiicitur, Pium Quintum in motu proprio pro Mendicantibus decreuisse in hæc verba: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in ciuitate & Diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterùm non examinari*; ergo approbatio semel data non potest reuocari. *Responsio prima,* Respondeo Primò, Eam decisionem solùm habere locum quando est præmissum examen: vnde si sine examine data est approbatio, poterit Episcopus curare eum examinari; & si inuentus fuerit minùs habens, etiam licitè poterit ei negare approbationem. *Secunda,* Secundò respondeo, id intelligi si nihil occurrat, ratione cuius possit cogitari illum iam non esse dignũ: si enim manifestè & publicè constet vel ratione motum, vel ex alijs capitibus, eum esse redditum indignum, profectò poterit, & verò etiam debebit ei approbatio auferri, vel iterùm examinari. *Tertia.* Respondeo Tertiò, Hoc priuilegium solùm esse pro Mendicantibus; vnde saltem sæcularibus posset ea approbatio auferri.

Dicendum Secundò, Si approbatio data fuit solùm ad beneplacitum Episcopi, posse validè etiam sine iusta causa auferri; quia tunc ipsa voluntas auferendi, seu ipsum beneplacitum Episcopi est conditio posita in donatione; ac proinde non potest ea diutiùs dare: vbi tamen aduertendum est, sicut suprà diximus, non posse licitè eam negari, si homo sit capax; ita nec licitè posse apponi eam conditionem, *de solo beneplacito*, suppositâ absoluta capacitate subiecti. *Approbatio semel data sine causa non potest reuocari.* Tertiò dicendum, Sine iusta causa non posse licitè reuocari, quia est per modum sententiæ latæ, quæ manentibus iisdem terminis, sub quibus est lata, semper habet suum effectum; vnde addunt meritò Suarez & Lugo, à fortiori autem Pater Vasquez, non posse validè eam tunc reuocari.

DISPVTATIO XLIII.

Quæ alia in Confessario requirantur.

SECTIO I.

Quæ scientia sit in eo necessaria.

1 HAc de re fusè disputant Auctores, Casuistæ & Scholastici in præsenti. In quo puncto duo vel tria dici possunt, quæ sunt apud omnes certa. Primum est, esse necessariam aliquam scientiam, alioquin exponet se periculo committendi graues errores pessimè pœnitentis conscientiam dirigendo. Vnde qui sine ea scientia confessiones audiret, sine dubio grauiter peccaret, siue sæcularis, siue Religiosus ille esset; quia religio non dabit illi directionem in confessione, si scientia desit, excipitur articulus mortis in quo quilibet Sacerdos, quantumvis idiota, potest audire confessiones, & absolutionem dare propter extremam tunc pœnitentis necessitatem.

Quanta scientia requiratur in Confessario.

Secundò dicendum, Non requiri tantam scientiam, quæ sufficiat ad distinguenda omnia mortalia à venialibus, quia neque id sciunt semper ipsi etiam doctissimi Theologi: sæpe enim sunt graues opiniones contrariæ, vna dicens esse veniale, altera mortale. Deinde esto speculatiuè id sciretur, cùm tamen in praxi hoc pendeat ex libertate, cognitione aliisque circumstantiis ipsius operantis, quæ non possunt esse benè notæ Confessario, sæpè fit, vt non possit iudicari etiam à sapientissimo Confessario, Vtrum pœnitens hîc & nunc venialiter an mortaliter peccauerit sufficit ergo si pleraque & communia sciat distinguere, & si possit notare, quando in pœnitente est obligatio restituendi, quando non: nec propterea dico, quod debeat omnes casus, qui in materia iustitiæ contingunt, posse distinguere, quia hoc paucorum etiam Doctorum est, sufficit tamen si in talibus difficultatibus sciat prudenter agnoscere difficultatem, & vel petat à pœnitente licentiam eum casum diligentius in Auctoribus videndi, aut ipsi pœnitenti imponat obligationem, vt per se consulat viros doctos, quæratque ab eis an teneatur ad restitutionem, an contractus, quos init, sint liciti necne; quam obligationem si acceptet pœnitens, poterit illum statim absoluere.

2 *Non est opus vt Confessarius sit tam doctus pro hominibus eruditis atque pro idiotis.*

Vbi contra Nauarrum aduerte, longè minorem scientiam requiri ad audiendas confessiones hominum doctorum quàm idiotarum, quia Doctor potest ipse distinguere suas actiones, & scire quæ sint peccata, quæ non eumque in hoc foro non præsumatur pœnitens velle decipere aut vnum pro altero confiteri, securiùs potest Confessarius in eius confessione pergere, quam in confessione idiotæ, imò verò potest ab ipso pœnitente quemadmodũ à quolibet alio viro doctoin structionẽ petere, si habue it aliquod dubiũ

Obligatur præterea Confessarius vt sciat casus reseruatos tam Pontifici quàm Episcopis, In quo puncto Religiosi, qui habent vi suorum priuilegiorum facultatem absoluendi à reseruatis, excepta hæresi & casibus ea n concernentibus, minorem habent obligationem scientiæ, cùm pro ipsis cætera peccata non sint reseruata: & idem est de locis, in quibus vi Bullæ Cruciatæ potest dari absolutio. Ex his constat Prælatos, dum constituunt Confessarios, debere considerare diligenter, an illi habeant hanc doctrinam, nam si exponant idiotas, grauiter peccabũt. Notant tamen aliqui benè, Episcopum sæpè excusari dum pro aliquibus pagis constituit Parochos minus doctos, & forte in rigore non omnino sufficientes: etenim cùm in talibus locis ordinariè sint exigui valdè prouentus, non possunt inueniri homines docti, qui velint ibi esse Parochi, ideo ex necessitate, ne omnino ones illæ deserãtur, cogũtur Episcopi ponere minùs idoneos;

SECTIO II.

Quomodo Confessarius obligetur ad audiendas confessiones.

QVÆRIMVS, An teneatur audire semper confessiones volentium confiteri. Et Primò dubitatur de Parocho, quem dicunt Ioannes Medina, Richardus, Syluester, Armilla & Reginaldus, apud Dianam Tomo 1. Tractatu. 2. Miscell. resol. 2. non teneri nisi semel in anno, quando præceptum Ecclesiæ obligat, vel in periculo vitæ. Id quod Diana dicit etiam esse probabile; relata enim hac & alias duabus sententiis nullam alteri præferendo, solùm ait eas tres esse probabiles. Reginaldus limitat eam sententiam, vt quando confessio est necessarium medium pœnitenti ad vitandum mortale teneatur etiam Parochus eum volentem confiteri, audire. Ratio huius doctrinæ adeò laxæ est, quia ex charitate ad id non obligatur Parochus; alioquin esset etiam obligatus ad confessiones non subditorum; neque ratione officij, quia huic satisfacit, si expleat, quæ in iure vel à Prælatis ipsi sunt imposita sicut parens non tenetur superflua filiis procurare. 3

Parochus tenetur sæpius in anno suos audire confitentes, si ipsi id exigant.

Contra sententia communis & vera docet, sæpius Parochum teneri audire confessiones subditi; ita Adrianus, Soto, Nauarrus, quos Suarez refert & sequitur disput. 32. sect. 1. num. 3. vbi primam sententiam dicit esse parum piam: pro ea citat alios Lugo num. 2. quos & sequitur. Probaturque retorquendo instantiam parentis respectu filiorum: hic enim non solum tenetur filiis prouidere de necessariis, ne fame moriantur, alioquin & Princeps satisfaceret obligationi suæ in filios, si eos laceros & seminudos permitteret, & pane & aqua sustentaret: quandoquidem ad sustentationem vitæ simpliciter ea sufficiunt: debet ergo illis prouidere de his, quæ iuxta ipsorum statum sunt necessaria ad decentem sustentationem; cùm ergo ad hoc, vt homines Christiani iuxta suam obligationem decenter viuant, valdè necessarium sit eos frequentiùs confitari, quia difficillimum est hominem semel

confitentem per annum profectum facere in Christiana vita; procul dubio si subditus ille velit eo remedio frequentioris confessionis vti, tenebitur Parochus ei annuere. Deinde ipsa perseuerantia per annum in peccato graui cum periculo æternæ damnationis est malum grauissimum; à quo si per frequentiores confessiones velit subditus liberari, debet annuere Parochus.

4 *Obiectio.* Obijcies: Si ea perseuerantia est grauissimum malum subdito: ergo tenebitur hic illam vitare sub mortali; hoc autem est falsum: quòd si è contrario nec ipse subditus tenetur illam vitare; ergo neque Parochus tenebitur illi prouidere de remedio contra illud malum. *Responsio.* Respondeo, Non valere consequentiam in his rebus ab obligatione personæ, quæ patitur damnum, ad aliam, quæ deberet eam iuuare: illa enim potest cedere suo iure sæpè sine peccato; si autem nolit cedere, sed imploret auxilium proximi, tenetur hic illi succurrere. v. g. qui est dominus rei potest permittere illam perire, non tamen ideò peccat; at si res illa sit in graui periculo, à quo ego possum facilè eam liberare, & proximus imploret meum auxilium; profectò ego tenebor sub graui obligatione illum iuuare. Suprà agentes de dilatione pœnitentiæ diximus, cur non teneatur quis sub mortali confiteri statim post peccatum, esto videatur damnum sat graue illa longa perseuerantia in peccato per annum; nunc addimus, non propterea sequi, quòd sit ille seriò velit damnum hoc à se repellere, non teneatur Parochus illum ex officio iuuare.

Illud solùm in hac doctrina difficultatem videtur habere, quòd vel ex ea sequatur, si singulis diebus vellent subditi confiteri, teneri Parochum eos audire: id quod esset onus planè intolerabile, & verò nec physicè possibile sustinere; quia nec esset sæpè pro omnibus tempus; vel si non tenetur, quoties illi volunt confiteri, eos audire, fore valdè incertum, an saltem singulis hebdomadis, an singulis mensibus; deberemus enim in hac obligatione taxanda iterùm diuinare. *Quoties teneatur sacerdos audire in anno.* Patet Suarez ea disput. 31. sect. 1. num. 5. ait teneri Parochum, quando subditus opportuno tempore accedit, & iusta, de caussa, & nulla est ratio è contrario id denegandi, quomodo autem hæc sint intelligenda, non explicat; solumque addit, non fore mortale semel aut bis extra casum necessitatis id negare, dummodò subditus nõ negligat magnum aliquod bonum, vt si ideò priuaretur Iubileo, aut dum aggreditur iter longum, in quo ordinariè solent esse pericula. Bonacina autem iudicat hanc rationem Suarez non esse bonam; nam vel omittere semel confessionem est materia grauis, vt accedente præcepto sit mortalis eius transgressio, vel non: si non est grauis; ergo qui transgreditur præceptum annuæ confessionis semel, non peccabit mortaliter; quod est falsissimum; si autem est materia grauis, ergo cùm aliunde supponamus Parochum obligatum ad audiendam eam confessionem, peccabit mortaliter etiam vnica tantùm vice id negando suo subdito. Non caret difficultate hoc argumentum; adhuc tamen potest ei responderi ex Thoma Sanchez apud Lugo num. 4. eamdem materiam posse esse grauem in ordine ad vnum præceptum, & leuem in ordine ad aliud, quod maximè habet locum iuxta nostra principia Tomo 4. de Legibus tradita, quòd scilicet possit eadem materia in se grauis mandari vel leuiter vel grauiter iuxta intentionem Legislatoris: licet ergo vna confessio in se sit materia capax grauis obligationis, & de facto talis obligatio cadat supra illam, quando præcipitur annua confessio; quia in ordine ad finem Ecclesiæ, ne differatur Pœnitentia sine fine, res est magni momenti, quòd teneatur semel in anno confiteri; in ordine tamen ad hoc, quòd Parochus semel nolit pœnitentem audire, non est res grauis; quia nec inde sequitur in pœnitente magnum damnum; & facilè potest diebus sequentibus illud emendare; & aliunde non est ratio, quæ ostendat ibi esse grauem obligationem; ergo. Et hæc circa eam exceptionem Suarij.

Resolutio dubij. Absolutè autem distinguendum est in hac materia, in qua non potest dari regula generalis nec pro omnibus Parochis, nec pro vicibus quibus teneantur. Nam si stipendium sit exiguum, & populus multus, cogere Parochum vt octies vel decies in anno audiat mille personas in confessione, est graue onus: si verò pauci sint qui velint cum ea frequentia confiteri, sine dubio tenebitur etiam sæpius, dummodò illi non veniant, quando Parochus est alioquin grauibus negotiis impeditus; non tenetur autem audire eos, qui vel nimiis scrupulis vexati importunissimi solent esse, quibus nec illa ipsa frequentia prodest; at si moderatè, singulis mensibus, etiam frequentius, dum, dixi, multi non simul concurrant, tenebitur eos audire. Neque ab hac obligatione excusabitur, eò quòd alqui illorum solùm de venialibus confiteantur; nam licet, eò quòd tales supponantur esse in gratia, non sit illis tam necessarium hoc Sacramentum, fructus tamen augmenti gratiæ, & auxilia, quæ per eam confessionem obtinentur, sunt maximi momenti; & ex hoc capite priuaretur subditus bono maximo. Hæc autem omnia à fortiori vrgent in Regulari Prælato, qui suis subditis, vt pote majorem perfectionem sectantibus, tenetur magis prouidere; ideò (vt benè ait Lugo) si contemptus non timeatur, debet illis prouidere de Confessario etiam singulis diebus, maximè pro Sacerdotibus quotidie celebrantibus, si quotidie illi confiteri velint.

6 *Si Parochus prouiderit suis de alio Confessario, an adhuc teneatur eos audire, si ipsi malint confiteri.* Illud posset in dubium verti, An si Parochus det subditis alium Confessarium idoneum, illi verò velint confiteri ipsimet Parocho, teneatur illos audire. Ioannes Baptista Posseninus de Officio Curati c. 9. quæst. 7. apud Dianam suprà distinguit: Si enim hoc velint in hora mortis, & pro annua confessione; tenetur ipsos audire; si verò confiteantur ex deuotione, putat eum posse illes remittere ad alterum Confessarium: id quod probabile iudicat ipse Diana; hæc enim est vna ex tribus sententiis, quas ab eo dici probabiles insinuani suprà. Lugo verò n. 3. ait se non videre probabile fundamentum disparitatis inter hos duos casus. Nam si extra casum necessitatis prouidet sufficienter ouibus suis per aliũ Confessarium, etiam in casu necessitatis prouidebit sufficienter per eumdem. Id quod mihi etiam placet, nisi fortè circa coram mortis infirmus haberet singularem consolationem confitendi Parocho, non enim in ea hora posset id ei negare, cùm maximè pro illa deberet dirigere suos subditos: & fortasse ex ila speciali deuotione valor totius confessionis pendere posset: extra eum verò casum, dummodò det subdito sufficientem Ministrum, non debet obligari Parochus ad omnes maioris deuotionis occasiones procurandas ouibus. Deinde circa hoc punctum

5

ctum aduerte; quod & suprà docuimus agentes de iurisdictione; etiamsi Parochus nolens audire confessiones malè faciat, non ideò liberum esse subdito eligere quem velit, nisi aliunde habeat priuilegium, & nisi in articulo mortis, vbi quilibet potest absoluere. Denique dicimus hanc obligationem Parochi in mortis periculo esse tantum, vt etiam cum periculo propriæ vitæ illum obliget ad audiendas confessiones.

In articulo mortis tenetur Parochus suos audire cum vitæ periculo, si non est alius eis promptus.

Obiectio prima. Responsio.

Obicies: Potest tunc infirmus per actum contritionis iustificari; ergo non tenebitur Parochus audire eius confessionem. Respondeo, Remedium illud contritionis esse valdè difficile, maximè in simplicioribus hominibus, & qui minùs de rebus spiritualibus audiuerunt; non debet ergo Parochus exponere tam graui periculo spirituali suam ouem propter temporalem vitam.

7

Obiectio secunda.

Obiicies Secundò; Quid si ex morte Parochi immineat maius damnum? v.g. est aliquis peste graui infectus, petit confessionem; si Parochus veniat, est grane periculum, quòd sit & ipse corripiendus, & deinde non poterit tam facilè prouideri de alio Parocho; ac tandem ceteri subditi periclitabuntur graniter.

Responsio.

Respondeo, In hac obiectione tangi aliam difficultatem disparatam, quando scilicet damnum spirituale vnius subditi imminens de præsenti debeat iudicari maius aut minus quàm damnum etiam spirituale plurium aliorum subditorum nondum proximè imminens; de hoc puncto nos hic nihil dicimus, sed respondemus sub disiunctione; si illud remotius, etiam concernens plures personas reputatur minus, omnibus pensatis, quàm hoc proximum vnius subditi, tunc habebit locum nostra conclusio, quòd etiam cùm proprio vitæ periculo teneatur hìc & nunc occurrere non attento eo damno remotiori aliorum. Quòd si è contrario illud remotum plurium est maius, tunc non obligabitur hìc & nunc non tam ob periculum propriæ vitæ, quàm ob aliud damnum spirituale subditorum imminens; quòd si daremus ea duo damna spiritualia esse inter se æqualia omnibus consideratis, tunc poterit liberari ab obligatione accurrendi hìc & nunc; nam stante æquali periculo spirituali ex vtraque parte locum habebit periculum propriæ vitæ, vt præponderet ex ea parte, vt inde ab obligatione hìc & nunc accurrendi liberetur. Et hæc de Parochis.

8

Sacerdos non Parochus tenetur ex charitate in extrema necessitate cum vitæ periculo confessionem excipere.

Circa alios verò Confessarios, qui ex officio non tenentur, sola restat charitatis obligatio. In quo puncto communis sententia docet eos teneri in extrema necessitate spirituali etiam cum periculo vitæ accurrere, vt ad puerum morientem baptizandum. De quo fusiùs egimus in materia de Charitate, vnde si circa confessionem occurreret similis necessitas, etiam teneretur. Est quidem difficilius huiusmodi necessitatem hìc inuenire propter contritionem, quâ potest defectus confessionis suppleri; quia tamen aliquando potest ille qui periclitatur esse adeò ignarus contritionis, vt ferè moraliter certum sit eum de illa non cogitaturum; potest etiam occurrere occasio, in qua debeat quis etiam non Parochus cum proprio vitæ periculo ad confessionem moribundi accurrere.

Quid dicendum de graui necessitate.

Difficultas est, An quando necessitas est gratuis, qualis ordinariè contingit ob difficultatem habendæ contritionis, teneatur quis accurrere cum vitæ periculo ad audiendam confessionem. Affirmant Valentia Tomo 3. disput. 3. quæst. 4. puncto 3. Suarez de Charitate disput. 9. sect. 2. & in præsenti rem obiter tangens disp 32 sect. 1. Lorca 22. sect. 3. disp. 28 n. 32. Nauarrus tame 1, Coninch, Bonacina, Malderus, Soto & Sà, quos refert & sequitur Lugo, negant tunc teneri, quia dum proximus potest absolute se periculo liberare; non ita indiget meo auxilio, vt ego cum tam graui meo damno tenear illi accurrere. Quæ sententia etiam mihi placet: ab hac tamen regula excipiunt Auctores periculum graue totius communitatis, quod debet præferri priuato damno. Accedit, quòd dum multi sunt in graui periculo, vix est morale quin inter eos multi sint etiam extremè indigentes confessione: vnde si tempore pestis nullus esset Parochus, teneretur Sacerdos priuatus, etiamsi alioquin non haberet priuilegium audiendi confessiones, se exponere, quia in eo periculo quilibet habet iurisdictionem, vt suprà diximus.

SECTIO III.

Quomodo debeat Confessarius se gerere in ipsa confessione.

9

Præstène interrumpere & interrogare pœnitentem statim, quando non satis sua explicat, an verò differri ad finem confessionis.

VTRVM ante confessionem debere interrogare pœnitentem, an se benè examinauerit, an impleuerit pœnitentiam, an habeat dolorem, &c. docent multi Casuistæ: non tamen hoc est vllo modo necessarium, quia ex ipsa confessione id colligetur. Monent etiam alij, ne Confessarius interrumpat pœnitentem interrogationibus, sed differat omnia in finem, ne turbetur pœnitens. Meritò hoc displicuit Cardinali Lugo, quia reuera non solùm in longis confessionibus, sed etiam in breuioribus, est moraliter impossibile Sacerdotem recordari in quo peccato pœnitens non dixerit numerum, in quo omiserit circumstantiam aggrauantem, & similia quæ passim occurrunt. Ego sanè contraria praxi semper sum vsus, & benè mihi successit. Addo aliam rationem, quia fortasse molestius erit pœnitenti, & maiorem ei adferet pudorem in fine, postquam dixerat peccata turpia, rursùm ea illi reuocare in memoriam, & primò tunc de numero aut circumstantiis neglectis interrogari, quàm si, dum ea actu dicit, suauiter de illis interrogetur, *Quoties? cum libera, an cum vxorata?* &c. Habet etiam ea doctrinam non differendi monitionem locum in obligatione restituendi, si occurrat: nam Confessarius, maximè dum accursus est multus, non potest ita sibi esse præsens & memor omnium præcedentium, vt recordetur se in illo notasse eam obligationem: faciliùs ergo potest monere statim, dum illud peccatum audit. In quo tamen nolumus nimis vniuersalem & quasi infallibilem in vllam partem regulam assignare, quia prudentia sæpè dictare potest, non esse periculum obliuionis, & opportuniorem fore in fine occasionem. Debet ergo tunc prudentiæ Confessarij res tota committi.

10

Tenetúrne Confessarius examinare pœnitentem postquam sua peccata dixit.

Iam illud potest in dubium verti, Vtrùm postquam pœnitens sua peccata dixit, teneatur Sacerdos eum ampliùs examinare. Respondeo, Etiam non posse in hoc puncto regulam vniuersalem tradi: nam si confessio est hebdomadaria aut breuis temporis, non videtur id necessarium: supponitur enim tunc pœnitens curam maiorem habere suæ conscientiæ, & facilè recordari quæ intra illud breue tempus admisit; si verò sit tem-

poris longioris, tunc attendenda est qualitas personæ; docti enim & prudentes supponuntur se melius examinasse, ideóque non erit necessarium eos vlteriùs interrogare: si verò sunt rudiores, quia hi & minùs solent esse attenti, & examen non ita sciunt facere, possunt vno verbo circa finem interrogari, an fortasse putent aliquid se oblitos, an velint vt breuissimè examinentur in his materiis, in quibus nihil dixerunt; tunc autem prudenter valdè sunt interrogandi, & non nisi de his peccatis quæ possunt in tales personas cadere, ac denique ita, vt eis non causetur pudor & horror circa confessionem, nec excitetur species de peccatis, de quibus nihil fortè cogitauerant.

In rusticis denique & planè rudibus, esto se non examinauerint priùs, non debent propterea remitti ad examen; quia illi adhuc, quando homo ipsis in memoriam reuocat ipsam materiam, & quærit, an hoc illóve modo peccauerint, vix se possunt reflectere; quid ergo per se illi facient? Certè inter innumeros, quos audiui, rarissimos potui inuenire, qui etiam postquam dixerunt se iam examinasse & præparasse, potuerint vnum vel alterum peccatum dicere, & non fuerit mihi semper necessarium breuiter discurrendo per præcepta eos examinare; & verò etiam sæpè egi Deo gratia, dum post repetitas interrogationes tales vnam aliquam materiam absolutioni deprehendi: vnde consilium hoc, quod in Vasquez & Lugo iam inuenio, à multis annis ipsa praxi ego tradidi.

11 *Quid faciendum Confessario quando nouit pœnitentis peccatum, de quo tamen ille se non accusat.*

Sed quid si Confessarius sciat peccatum pœnitentis, quod ille non est confessus, quomodo se tunc debet gerere. De hac re fusè Auctores. Dupliciter potest id contingere; Primò, vt inuincibiliter planè credatur pœnitens oblitus; & tunc Medina (cuius sententiam Vasquez q. 91. art. 3. dub. 7. num. 2. dicit non facilè posse falsitatis conuinci (asserit nihil esse pœnitenti dicendum, quia ea confessio est formaliter integra, & nullum est periculum, cùm alioquin & illud peccatum etiam tunc remittatur: contrarium tamen videtur longè probabilius: scilicet debere interrogari de illo. Ita Magister, D. Thomas, Syluester, Antonius, Angelus, Nauarrus, & Cano, quos refert & sequitur Suarez suprà sectione 3. Lugo num. 17. Et quidem si loquamur in sententia Suarez & Lugo de Sacramento Pœnitentiæ valido & informi, id satis efficaciter meo iudicio probatur; eò quòd ex illa obliuione potest contingere, quòd ille homo non habeat dolorem sufficientem ad gratiam ideoque sit periculum, ne maneat inuincibiliter in eo peccato, & in omnibus aliis, quæ tunc confessus est, Posset fortè huic periculo occurri si Confessarius eum adhoraretur tunc ad vniuersalem dolorem ob pœnas inferni, aut spem gloriæ, aut ob Deum summè dilectum, etiam de peccatis, si quæ est oblitus; faciliùs tamen potest Sacerdos mederi interrogando, an in tali materia aliquid admiserit: tunc enim necessariò reuocabitur illi in memoriam. Habet etiam hæc ratio locum, quando quis solùm confitetur venialia, & illud peccatum, cuius non recordatur, est mortale; eo enim casu in omnium sententia potest contingere, quòd habeat dolorem ex se alioquin sufficientem pro venialibus, nullo tamen modo se extendentem ad mortale illud, ac proinde faceret confessionem inualidam, & cum graui periculo æternæ salutis maneret inuincibiliter in mortali: quæ ratio, vt dixi, habet locum in omnium sententia; debet ergo tunc modo dicto moneri.

Secundò vniuersaliter potest eo obligatio admonendi cessaderi, quia ille homo, si iam non confiteatur illud peccatum, & postea (quod est probabile) recordetur illius, tenebitur illud confiteri; gratius ergo ei erit, si iam ab eo onere per illam interrogationem liberetur, & faciat confessionem formaliter & materialiter integram, maximè ei qui alioquin iam scit illud peccatum. 12

Tertia ratio est, quia Confessarius se ibi gerit vt iudex, qui debet, quantum commodè fieri potest, causam diligenter ex integro examinare; ergo cùm possit facilè excitando species reo de delicto obtinere eam perfectam notitiam, non est cur id negligat; & ex hoc capite, quando aduertit fuisse aliquem defectum in examine, tenetur interrogando illum suppplere.

Quid facit Confessarius, si pœnitens negat peccatum, quod certò scit ab ipso commissum neque de eo esse adhuc confessum.

Sed quid si pœnitens interrogatus neget, constet autem Confessario euidenter illum id commisisse, & necdum illud confessum esse: communiter dicitur non debere tunc pœnitentem absolui, quia iam clarè constat illum malè confiteri. Non desunt tamen alij, vt Megala, qui dicunt debere eum absolui, quia potest habere causas rationabiles, ob quas non dicat illud peccatum: & licet re ipsa non sint rationabiles poterunt ei apparere tales. Respondeo, Si Confessarius potest dubitare, vtrum pœnitens talem iustam habeat excusationem, tenebitur ei dare absolutionem. Addo tamen ego circa hoc ipsum, vix posse intercedere causam iustam: etenim causæ iustæ reticendi aliquod peccatum in confessione nullæ aliæ penitus interuenire possunt, quàm quòd timeatur aliquod graue malum, si Confessarius illud peccatum resciat. At totum hoc periculum iam ibi non habet locum, cùm supponatur iam Confessarius aliunde illud peccatum scire, & quidem notitia, qua potest vti sine figilli confessionis violatione: si ergo Confessarius illi tunc dicat, Se iam certò scire illud peccatum, est planè inexplicabile, quales possint esse tunc iustæ causæ, ob quas non teneatur pœnitens dicere in confessione peccatum illud. Vnde vix vmquam habet locum ea Megalæ sententia; multò autem minùs est admittenda, si constet sine vlla iusta causa illud reticeri, & pœnitentem formaliter mentiri, non poterit enim eum absoluere: si v.g. ego eum vidi dum occideret alterum, & immediatè mihi confitetur, egoque, ei dico me ipsum vidisse, profectò si tunc neget non scio quo pacto possim ego illi dare absolutionem.

Sed quid si peccatum illud ex aliorum tantùm confessione sciat Confessarius euidenter: Lugo respondet repugnare. quòd ex testimonio alterius id euidenter sciatur, quia eo ipso scitur solùm ex fide: in eo autem casu magis debet credi pœnitenti. Iudico tamen adhuc hoc modo esse locum quæstioni, quia fortasse potest id ex tam multis, & tam fide dignis pœnitentibus aut testibus sciri, vt longè præualeant vnius negationi; & tunc potest moraliter dici id sciri euidenter. Et sanè cùm longè sit facilius aliquem in confessione siue ob iustas causas siue ob pudorem negare peccatum quod fecit, quàm se accusare de eo quod non fecit, aut quem quòd dicat se huc vel illum complicem habuisse, maximè si persona id asserens sit alioquin bonæ vitæ, magis credendum 13

dendum videtur huius dicto quàm negationi alterius. Potest ergo adhuc habere locum propositum dubium, cui respondeo, quid sit de ea maiori ratione credendi, Sacerdotem tunc non posse negare absolutionem, si ex confessione id sciat, ne vllo modo faciat contra secreti sigillum, posset enim eo ipso pœnitens suspicari eam interrogationem venire ex confessione. Quòd si tamen Sacerdos nulli se exponeret periculo faciendi contra sigillum confessionis, vel quia illi, qui in confessione detulerunt tale peccatum, dederunt simul ipsi licentiam illud huic pœnitenti obiiciendi; vel quia esto licentia non fuerit data, ignorat tamen pœnitens, qui ipsum viderint, vt deferri potuerit, nec vllo prorsus modo suspiciatur id ex confessione venire, tenebitur eam interrogare prudenter in ea materia: quòd si tamen adhuc illud neget, poterit fortè suspicari eum fuisse iam illud confessum, ideoque negare se illud admisisse: debebit ergo tunc stare dictis illius, & absolutionem ei dare.

SECTIO IV.

Quomodo Confessarius teneatur ignorantiam pœnitentis tollere.

14 HÆc est grauis difficultas, de qua fusè disputant Casuistæ & Scholastici in hoc loco: Pater Sanchez autem Tomo 2. de Matrimonio disp. 38. occasione coniugatorum, qui cum impedimento essentiali, bona tamen fide, contraxerunt, optimè discutit hanc materiam, & varias Auctorum sententias & distinctiones refert, & examinat. Breuiter nos dicimus Primò: quando ignorantia est vincibilis, quæcumque illa sit, siue iuris humani, siue diuini, siue facti, siue sit in damnum alterius, siue non, tenetur omnino Confessarius eam tollere. Ratio est clara, quia eo casu pœnitens est in malo statu ob culpam in ignorantia ipsa commissam: ergo non est capax absolutionis: debet ergo & moneri de errore, & ob culpam reprehendi.

Confessarius debet ignorantiam vincibilem à pœnitente tollere.

Quæres, Quo pacto Confessarius poterit scire pœnitentem culpabiliter ignorare aliquod esse peccatum: Respondeo Primò, Nos iam non discutere hîc, vnde id possit scire, sed, quòd si sciat, tenearur Confessarius monere. Secundò respondeo: Potest ipse pœnitens accusare se, quòd fuerit negligens in inquirendo an talis res sit peccatum, aut fortè quòd id affectatè ignorauerit, & etiam nunc ignoret. Respondeo Tertiò, Si Confessarius dubitet, an ignorantia pœnitentis sit culpabilis nécne, potest interrogare eum, an habuerit aliquem remorsum conscientiæ in aliqua actione, quasi in ea peccauerit; si neget, ignorantia est inuincibilis: de qua paulò pòst: si affirmet, iam erit obligatio eum monendi cùm primùm fuerit rescita materia eius ignorantiæ. Obseruat autem benè Sanchez, contingere posse, vt olim fuerit pœnitens in mala fide, at iam in bona: vel quia consuluit aliquos, quos ipse vt doctos reputabat, & ei dixerunt non esse peccatum: vel quia licet olim mala fide processerit, vt si contraxit cum consanguinea putans esse illicitum, non tamen inualidum: ideoque de præsenti est in bona fide: de hoc igitur idem erit dicendum, quod paulò post dicemus de ignorantia inuincibili.

Vnde cognoscendum, quòd ignorantia sit vincibilis.

Secundò est certum, si pœnitens ex conscientia erronea peccat, dum putat esse peccatum id quod reuerà non est, teneri Confessarium eum admonere, quia id est in bonum maximum ipsius pœnitentis: auferetur enim illi occasio peccati, cùm possit eam actionem sine culpa facere, ad quam alioquin videtur esse propensus. Neque quidquam potest timeri mali ex ea monitione. 15 *Debet item conscientiam erroneam ex qua pœnitens peccat, tollere.*

Tertiò dicendum, cuiuscumque iuris sit ignorantia inuincibilis, si est spes probabilis fore vt monitio prosit sine graui scandalo & detrimento, teneri Confessarium admonere, vt si intelligat matrimonium esse nullum, & potest pœnitens facilè dispensationem obtinere, nec est periculum quòd interim illi sint accessuri ad se, cùm iam sciant non esse verum matrimonium. Putat autem Sanchez rarò posse contingere, vt sit ea obligatio admonendi, quando dispensatio procul est petenda, eò quod pœnitens absit à Curia Romana procul; semper enim tunc est periculum incontinentiæ. Ego tamen non puto id esse rarum; Primò, quia potest contingere, vt ignoranti ei homini auferet is absenti ab vxore, aut in aliis circumstantiis in quibus possit dispensatio obtineri, antequam sit vllum periculum copulæ Secundò, quia potest pœnitens adeo esse continens, vt nihil horum timeatur. Et sanè sæpè contingit vt publicum fiat impedimentum, & sine difficultate abstineant, dum expectatur dispensatio; id autem, quod manifestato publicè impedimento, potest contingere; etiamsi soli ipsi coniuges de illo resciant. Aduertunt tamen in præsenti Auctores, quando est obligatio admonendi, debere id fieri post datam absolutionem, ne impediatur effectus Sacramenti, & remissio peccatorum eorum quæ dixit pœnitens, si fortè præter spem monitus ea de re, nollet ab ea actione cessare: & eo ipso inciperet voluntas illa esse peccaminosa, ac proinde impediret effectum confessionis: satius ergo est id dicere post datam absolutionem, quando, esto sit posteà futurum nouum peccatum, illud tamen non impeditur per eam postpositionem monitionis, & saltem antiqua manebunt remissa. *Si sit spes profectus, est etiam tollenda ignorantia inuincibilis.*

Quartò dicendum, Quando ignorantia inuincibilis est iuris humani, aut facti, absque tertij præiudicio, & nulla speratur ex admonitione vtilitas, non teneri admonere. Ratio est, quia ea ignorantia durante solùm sequitur, quòd homo faciat vanam rem quæ materialiter est mala: hoc autem non est tanti momenti, quanti foret, si ille eamdem actionem etiam, dum sciret esse peccatum, admitteret; & huc faciunt verba Augustini de Pœnitentia dist. 7. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem*: neque lex vlla obligat ad actus inutiles & magis nociuos. In quo puncto, vt videre est apud Sanchez suprà num. 6. conueniunt omnes Auctores. vnde quando coniuges bona fide in matrimonio sunt, esto illud non sit validum; si tamen ex admonitione non speratur fructus, relinquendi sunt in bona fide. Hoc tamen exemplum, quod à Sanchez affertur pro ignorantia iuris humani meo iudicio non est nisi iuris diuini. Nam licet quòd matrimonium non fuerit validum, oriatur ex iure humano: suppositio tamen quòd illi nō sint veri coniuges, vt reuerà non sunt, iam illi faciunt contra ius diuinum naturale non accedendi ad non suam. Melius exemplum est in ipsâ actione contrahendi matrimonium cum eo impedimento 16 *Quando pœnitens relinqui possit & debeat ignorantia inuincibili.*

to, quia ille contractus solùm est contra ius humanum. Vbi benè dicit idem Sanchez cum Nauarro debere Confessarium permittere contrahi illud matrimonium, si ex declaratione impedimẽti non speretur vtilitas. Quæ conclusio ita est intelligenda, vt non solùm possit Sacerdos tacere, sed reuera ad id teneatur, quia tenetur non dare causam illius grauioris mali sine vlla spe vtilitatis.

17 *Quid faciendũ Cõfessario cum persona inuincibiliter putante se coniugem, negãte tamẽ debitũ si Cõfessarius sciat nullum esse eius matrimonium.*

Quæres; Quid si vxor nollit reddere debitum: quando matrimonium est nullum; ipsa tamen putat illud esse validum; etenim si tunc Confessarius suadeat, vt reddat debitum, suadet illi fornicationem; Sotus ait debere tantùm in genere ei dicere, *Coniuges tenetur reddere debitum* Bene reijcit hoc Sanchez, quia ea verba tunc idem sonant ac si diceret, *Redde debitum*. Lugo suprà num. 25. ait illum posse dicere, *Tu teneris reddere debitum*. Circa quod noto, si putat hic Auctor licere dicere, *Redde debitum*, &, *Tu teneris reddere debitum*, ei omnino acquiesco; si autem iudicat ita licere dicere, *Teneris*, vt tamen non liceat dicere. *Redde debitum*, nullo modo mihi ea distinctio placet; qua dicere *Tu teneris*, formalissimè est dicere *Fac hoc*: non enim solùm suadeo, dum dico *Fac hoc*, sed multò magis dum dico; *Tu es obligatus ad faciendum hoc*: omnia ergo tria possum illi dicere. Ad obiectionem autem respõdeo cum Sanchez, Me tunc suadere quidem id, quod est re ipsa & materialiter fornicatio, at quatenus ea formaliter est in se honesta hîc & nũc ob conscientiam inuincibilem pœnitentis & qua supposita ea fornicatio est melior quàm carentia illius. Confirmo; Nam, dum est dubium de valore matrimonij, suademus reddendum debitum ei qui bona fide petit: quo casu forsasse suademus actionem, quæ in se materialiter est fornicatio, quia tamen ratione illius dubij formaliter est honesta, & magis quàm eius omissio, ideò licita est ea suasio: non est ergo speciale aliquod mysterium in ea suasio ob quod debeamus recurrere ad diuersas phrases, quæ reuerà, vt dixi, omnes sunt æquiualentes & omnes sunt persuasoriæ.

18 *Quid si ignorãtia inuincibilis sit cõtra ius diuinum.*

Dicendum Quintò; Esto sit circa ius diuinum illa ignorantia, si tamẽ non speratur vtilitas, sed maius timetur damnum, eodem modo non fore obligationem eam tollendi. Hæc probatur eisdem rationibus quibus præcedens, quia per accidens est, quòd si diuinum aut humanum ius quod ignoratur pro præsenti puncto. Et verò quando est error circa matrimonium, iam dixi paulò ante, actionem illam reddendi aut petendi debitum esse contra ius diuinum naturale; in ea autem instantia habet maximè locum mea conclusio: & ita illam tenent Medina, Sotus, Canus, Ledesma, Aragon, & alij, quos refert & sequitur Sanchez num. 8. Eamdem doctrinam iure merito extendit idem Sanchez contra aliquos Auctores ad casum, quo error seu ignorantia sit in præiudicium tertij. Si quis v.g. bona fide primogenituram possidet, quæ tamen reipsa ad alium spectat, vel ex alio capite est obligatus reipsa ad restituendum, idque ignorat inuincibiliter, nec est spes quòd monitus sit restituturus; eodem modo non poterit licitè Confessarius (multò autem minùs tenebitur) eum monere, quia per eam monitionem non iuuabitur proximus; contrariò verò pœnitentem inducet ad peccatum; esset ergo illa monitio & otiosa & noxia. Extendi etiam potest ea doctrina ad casum, quo speratur quidem pœnitens libenter acceptaturus monitionem, est tamen difficillimum ipsum remedium. Quo sensu locutus videtur Innocentius Tertius cap. *Quia circa*, de consanguinitate; quem citat Sanchez num. 12. dum de quibusdam, qui per subreptitiam dispensationem contraxerant ita rescribit: *Dissimulare poterus, vt remaneant incopula sic contracta, cùm ex separatione grane videas scandalum imminere.* Vbi licet aliqui Auctores putent Pontificem eo ipso dispensasse ac reddidisse illud matrimonium licitum, meritò tamen eam explicationem Sanchez reijcit; quia Pontifex solùm dicit *posse Episcopum dissimulare*: hoc autem non est *dispensare*. Addo ego rationem euidentem contra eam expositionem; nam licet daremus omnino Pontificem ibi dispensasse, quia tamen matrimonium erat inualidum, non poterat ea dispensatio non declarata ipsis coniugibus, vt de nouo contraherent, quidquam efficere ad reddendam iustam formaliter & materialiter copulam: est ergo sensus, quòd propter graue periculum imminẽs relinquantur illi in bona ea fide, in qua sunt de matrimonio validè contracto, ac proinde vt petant, & reddant debitum bona conscientia. Denique idem est, quando occurreret occasio declarandi pœnitenti obligationem faciendi aliquid quod ignorat: si enim res si ei futura difficillima, satius est tacere.

Quid si speretur fructus aliquis sistamen remedium difficile valide, & periculosum.

SECTIO V.

Examinantur aliquæ limitationes huius doctrinæ.

PRIMA sit Cani, qui ait; Si Confessarius credit aliunde eam ignorantiã esse tollendam v.g. à Confessario, cui secunda vice pœnitens confitebitur, teneri præuenire, & prius eam ignorãtiam tollere. Displicet Patri Sanchez hæc limitatio, tum quia moraliter casus euenire non potest; tum quia esto possit casus euenire, Confessarius tamen debet munus suum hîc & nunc benè obire; culpæ autem alterius tribuetur, quòd monuerit. Lugo num. 28. adhuc putat veram eam Cani limitationem, quia cùm tota hæc admonitio vel eius omissio ordinari debeat ad bonum pœnitentis, fit, vt si attentis omnibus circumstantis iudicatur vtilior admonitio quàm silentium, illa debeat adhiberi; inter circumstantias autem debet maxime attendi ad periculum illud maioris mali ex sequenti admonitione impendentis. Ego, vt verum fatear, non video quomodo hæc doctrinam Lugo possit applicari ad casum nostrum prout formaliter discutitur; agimus enim præcisè, quando ex mea admonitione nulla speratur emendatio, sed potiùs timetur, quòd ea actio fiat cum formali peccato, quæ iam sit sine illo. In hoc autem casu dicit Sanch. & meo iudicio optimè, non esse attendendum quid posteà Confessarius alter facturus sit, & an sit imprudenter eum errorem detecturus. Rogo enim, An post meam admonitionem præsentem (quidquid iam sit de altera futura) pœnitens sit se emendaturus, an verò non: si non, quomodo quæso mea monitio præsens fiet vtilis, aut quomodo desinet esse noxia, eò quòd posteà sit subsecutura secunda monitio alterius? quandoquidem hic homo redditur hoc tempore intermedio

20 *Quid si probabiliter putet Cõfessarius eam ignorantiã inuincibilem ob alia Cõfessaria posteà tollendam, debetne præmonere sine spe emendationis?*

Quid si in præiudicium tertij

16

dio peior quàm fuerit antè, & quàm adhuc esset, si ego tacerem; si verò post meam monitionem præsentem ille speratur emendandus, tunc iam non sumus in casu nostræ conclusionis; præterquam quòd ea emēdatio non potest tunc tribui monitioni illi post annum v. g. faciendæ, quia illa nihil potest de præsenti operari. Optimè ergo dicit Sanchez, Ob admonitionem futuram imprudentem (quæ etiam non iuuabit ad correctionem) non reddi licitam meam hodiernam, quam supponimus etiam non fore vtilem.

21 *Quid si pœnitens consulat Confessarium in ea materia.*

Aliam limitationem ponit Sanchez cum alia quibus Auctoribus, quam & Lugo sequitur, & meritò; quando pœnitēs ea de re Confessarium consuleret, an esset peccatum nèene, tenebitur enim id declarare, quia si taceret, id esset approbare positiuè errorem. Addo ego aliam rationem; nam eò ipso quòd pœnitens interrogat, & dubitat de honestate eius actionis, probabiliter ostendit se velle adhibere remedium; ac proinde admonitio tunc speratur profutura, non nociturа. Habet autem hæc doctrina locum, etiamsi pœnitens id proponat tamquam scrupulum; nam eo ipso interrogat Confessarium de veritate illius doctrinæ; vnde non potest hic dicere veram eam, quæ est falsa; Sanchez addit posse tunc Confessarium respondere, vt pergat sine scrupulo: hoc Lugo putat durum, quia moraliter est perinde ac dicere, *Hoc esse licitum*; vnde addit, vel debere dicere veritatem, vel se gerere ac si non audiuisset: quod secundum etiam Sanchez docet.

Contra hanc limitationem occurrit mihi hæc difficultas satis grauis; quia paulò antè diximus posse Confessarium dicere, *Licitum esse reddere*: ergo si femina illa interrogasset, *Esne mihi licitum reddere?* potuisset Confessarius respondere, *Omnino est licitum*. Patet consequentia, quia veritas illius responsi non potest desumi ex eo, quòd præcesserit interrogatio, vel non, sed aliunde, ex ipsa conformitate propositionis cum obiecto.

Vrgeo; nam vel, quando ille interrogat, est spes, quòd sit libenter accepturus monitionem vel non: si non est spes, ergo etiam tunc erit nociua responsio; si est spes, iam sumus planè extra nostrum casum, qui solùm est quando declaratio veritatis non putatur futura proficua, sed potiùs noxia. Respondeo, Dupliciter posse intelligi, illum hominem interrogare Primò in genere, an benè operetur; & tunc si nulla est spes, quòd detecto errore sit emendandus, dico posse ei responderi, Benè, sicut suprà diximus, posse eidem dici, *Tu teneris reddere debitum*; quia

22 verissimè dicitur benè operari ille, qui ex ignorantia inuincibili facit id quod iudicat honestum. Aliter ergo potest pœnitens interrogare magis in particulari; v.g. quæro, *Quid iuris sit in hoc puncto*; tunc autem interrogat (vt paulò antè insinuaui) non tam de honestate actionis suæ, quam de quæstione speculatiua abstrahendo à se & aliis; vel certè interrogat Confessarium, an sciat aliquid in contrarium quoad factum ipsum v.g. an in interueniat impedimentū aliquod in se, in ordine ad matrimonium quod vult contrahere, &c. si hoc secundo modo interrogetur Confessarius, quia iam consulitur vt doctor & cius ius commune, & abstrahens à materia hac, necessariò debet dicere, *Est tale vel tale ius in contrarium*; & ibi non habet locum cere, *Tu teneris pergere*, quia pœnitens non interrogat tunc quid teneatur facere supposita sua propria scientia; iam enim ille scit se iuxta illam benè operatum esse: aliquid ergo aliud quærit, *Quid* scilicet *re ipsa in hoc puncto sit*; debet ergo declarari veritas. Et idem est, si inquirat quæstione facti, nam tunc oportet illi declarare quid sit in re.

Obiectio.

Quod autem obiiciebatur, Si non speratur vtilitas, responsum illud futurum noxium potiùs quàm proficuum, non veget. Respondeo enim, Id eo casu esse per accidens, quia ego teneor dicere veritatem, quando de ea consulor tamquam pastor & doctor, ad quem spectat instruere oues estò aliquis inde per accidens sumat occasionem alicuius mali: si v.g aliquis petat instrui in Fide, & specialiter me interroget, an debeat credere tres personas in vna essentia, an in tribus essentijs, ego esto timeam illum ob difficultatem illam mysterij Trinitatis defecturum à Fide, teneor tamen dicere, *Debes credere tres personas in vna essentia*, & non possum illum permittere in errore contrario, esto, si de eo puncto nihil ille quæreret, possem ego tunc etiamnihil dicere in vnam potiùs partem, quàm in aliam.

Responsio.

Vnde ad rem nostram addi potest alia limitatio eius communis sententiæ, vt scilicet tunc Confessarius debeat monere pœnitentem, quando error illius inuincibilis vergit in graue damnum communitatis. Vt si Parochus inuincibiliter instruat suas oues in erroribus contra Fidē; aut si aliquis putans se esse Sacerdotem, cùm nō sit, & audiat confessiones, &c. quia tunc error illius vergit in in graue damnum illorum, qui ei tamquam Sacerdoti vero confitentur. Ita Sanchez, Lugo & alij suprà. Ego verò hanc limitationem non video posse hic habere locum; agimus enim quando non speratur emendatio, sed potiùs creditur ille perrecturus peccando in actione, quam anteà sine peccato fecit. In hoc casu quid quæso proderit monere Parochum illum, quòd re ipsa non sit Sacerdos, aut quòd errores inuincibiliter doceat, si adhuc pergat suos errores seminando, & formaliter peccaturus sit, cùm anteà solùm erasset materialiter? Deinde quid proderit monere eum Sacerdotem fictum, si adhuc putatur celebraturus Sacrum, & auditurus confessiones? si autem speratur cessaturus, iam tunc sumus in casu tertiæ conclusionis, non huius quartæ.

23 *Quid si ignorantia inuincibilis vergat in graue damnū & commune.*

Illud tamen addiderim, quia diximus superiùs non teneri Confessarium monere, etiamsi pœnitens putetur emendandus: si tamen secuturum sit inde graue scandalum, in hoc casu, non obstante scandalo quod timetur, si tamen speratur emendatio, habere posset locum ea limitatio præstat enim, esto cum scandalo, eum Parochum cessare à disseminandis suis hæresibus, & illum Sacerdotem non verum ampliùs non celebrare, nec audire confessiones cum generali deceptione; quàm sine eo scandalo illos pergere in damnum communitatis.

Limitatur deinde illa sententia, quando damnum, quod timetur in pœnitente, est breue; & ille putatur paulò pòst ad se rediturus, & emendandus. Ita Sanchez & Lugo. Ego tamen non facilè hoc admitterem, quia apud me maius malum est Petrum semel cum mala conscientia & peccando accedere ad Mariam, quàm millies ad eamdem accedere solùm materialiter, non formaliter peccando, quod principium non video

24 *Quid si spes sit pœnitēs non statim quidē sed post aliquod tēpus se emendaturum.*

posse

posse ab vllo negari;ergo si ex monitione mea sequetur Petrum peccaturum semel formâliter, & solùm impedietur,ne materialiter deinde centies peccet,maius damnum per meam monitionem causabo,quam vtilitatem per eamdem adferam ; ergo debebo potiùs tacere : quia quando omnibus pensatis damnum est maius quam vtilitas admonitionis,debet sine dubio hæc omitti. Alia etiam adhibetur limitatio, vt non intelligatur,quando Confessarius est Parochus,seu proprius Pastor quia tunc tenetur monere. Verùm meritò hoc reijcit Sanchez, quia Innocentius Tertius ad Episcopum seu Pastorem earum ouium scribebat ; & tamen propter damnum, quod timebatur,monuit illum,vt dissimularet,& permitteret coniunges in bona fide.

Quid si dubium sit par in vtramque partẽ de emendatione & nõ emendatione secutura.

Iam , restat difficultas , quid sit faciendum, quando nec scitur profutura admonitio, nec è contrario obfutura. Respondeo , Si damnum non timeatur, esto vtilitas non sit certò futura, debet admoneri, quia Sacerdos tunc sine periculo mali vllius exponit se lucro : si verò dubium sit tam de profectu quàm de damno , debebunt omnia ponderari, & videri,an omnibus pensatis maior sit vtilitas in admonitione,quàm in omissione illius,an è contrario,& id debet fieri quod melius iudicatur.

SECTIO VI.

Obiter aliquid de obligatione Confessarij in causis vitæ & necis : & de Confessarijs Principum seu Iudicum.

25 OBLIGATIONEM monendi maximè habẽt hi qui sunt Confessarij Principum ac Iudicum,circa quos multi possent moueri casus; maximè autem discuti solet,quid debeat facere si videat Principem non satisfacere debito suo condemnandi reum pœna capitis, ad debeat illum admonere & adhortari ad id faciendum,an verò ne irregularitatem incurrat debeat tacere. Aliqui dicunt incurri tunc irregularitatem,si in particulari dicat hunc debere suspendi;ideoque docent non debere dicere tunc aliud , quàm quòd leges in communi dictent pro eo casu:ita Molina,Ioannes de la Crux, Bonacina & Salas apud Lugo suprà n.32.quod ipse meritò reiicit; in talibus enim occasionibus referre quod dicunt Iura,idem est ac hortari illum ad damnandum hunc reum : meliùs ergo ipse secutus P. Vasquez & Turrianum ait per tale consilium non incurri irregularitatem ; vbi addit ex eisdem Auctoribus, irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri à personis priuatis, sed ab his solùm qui spectant ad iudicium & Ministris Iustitiæ.Quid ergo tunc faciendum,si Princeps seu Iudex bona fide pergat?Dico,*bona fide* nam si ignorantia sit culpabilis,cùm eo ipso iam ille peccet,& sit incapax absolutionis, debebit moneri (vt diximus suprà vniuersaliter : in casu ergo inuincibilis ignorantiæ respondendum est iuxta suprà dicta,Si ex admonitione non timeatur malum(vbi non intelligo mortem ipsius rei, quæ est illi mala:nam hæc ipsa est bonum Reipublicæ (sed aliud distinctum,& credatur Princeps satisfactus suo muneri , debebit monere Principem:id quod tunc maximè habet locum: quando certum est apud omnes,quod reus meretur mortem ; nam si res est dubia,non debet Confessarius ingerere se in officium accusationis, & vt benè notauit Lugo.

Potéstne, aut tenetúrne Confessarius monere Iudicem aut Principem de puniendis reis in vita.

Eodem modo dicendum est de Confessario, qui suadet reo,vt fateatur crimen,quod non potest licitè negare:nam esto ea de causa sit interficiendus,non ideò incurret irregularitatem, vt ex Cornejo obiter docet Lugo n. 31. & mihi videtur esse euidens : quia cum Sacerdotis seu Confessarij præcipua obligatio sit ita dirigere conscientiam pœnitentis,vt non pereat in æternum : profectò si sciat pœnitentem in peccato esse quandiu ita negat delictum,debet ei consulere vt fateatur veritatem; non est autem credibile Ecclesiam voluisse incurri irregularitatem à Confessario,eo quòd dicat suo pœnitenti, *Exi ab hoc peccato* seu *Non possum te absoluere nisi ab hoc peccato exueris,de eo dolueris*,&c.

26 *Potéstne rẽ monere vt iudici peccatũ fateatur, ex quo mors ei imminet?*

Dices:etiam Iudex peccaret,si non condemnaret reum:& tamen condemnando incurret irregularitatem:ergo hæc ratio nulla est.Respondeo ipsum officium Iudicis videri alienum ab officio Sacerdotis : videtur enim id esse contra Sacerdotis clementiam:ad suade e pœnitenti in eo casu vt fateatur delictum,ne æternum pereat, potiùs est munus Sacerdotis & Confessarij,qui nisi faciendo grauissimum sacrilegium non posset tunc illi ita malè dispositio dare absolutionem est etiam actus maximæ clementiæ in reum ipsum ob dicta:licet ergo Ecclesia iudicet alienum officium Iudicis a Sacerdotio,ideoque Iudex incurrat irregularitatem,non tamen videtur posse eadem Ecclesia in ipso Sacerdote eã quasi indecentiam seu irregularitatem ponere:in Petro v.g.eò quòd ipsum officium Sacerdotis,quà tale perfectè expleat, & liberet eum reum alioquin æternum periturum ab ea imminenti damnatione æterna,hoc enim esset planè retardare eum Sacerdotem ab vsu officij,seu quia non deliquit grauiter contra officium , & quia gessit benè suum officium illum punire:id quod planè videtur contra rationem naturalem.Quæ ratio etiã habet locum pro præced.dubio de Confessario nolente absoluere Iudicem , qui cùm teneatur reum damnare,non vult ex malitia sententiam ferre.Verùm de his irregularitatibus alibi. *Obiectio.* *Responsio.*

Iam ad nostram materiam : Si Confessarius reum bona fide pergere videat dum negat crimen,non est cur eum exturbet ab ea opinione, nisi fortasse scandalum graue sequeretur ex eo, quòd ille negans suum delictum non puniretur: prudenter autem agere tunc Confessarius,si non audiret eius confessionem,quousque negato crimine in bona fide,iam nõ esset ampliùs examinandus,ac proinde nõ indigeret vlla monitione.

27 *Quid si reus bona fide pergat negare.*

Circa specialem verò obligationem eorumdem Confessariorum Principum de his monendis ob iniustas collationes beneficiorum, electiones Ministrorum minùs aptorum, subditorum oppressionem,&c.in quibus rarò Principes inuincibiliter errant,sed affectibus sinistris tracti:ordinariè autem ea fiunt cum magno scandalo subdirorum,vel quia grauissimæ querelæ& maledictiones in Principẽ & Confessarium inde exoriuntur,vel quia subditi etiam discunt similia facere exemplo Principum, dicendum est maximè obligari Confessarium ad admonendum Principem,modestè quidem,sed tamen efficaciter;neque enim satisfacit suo muneri absoluendo eum à peccatis quæ ille dicit:quod si tantum non audet præsumere deberet se potiùs excusare

Confessarius monere debet Principem de iniustâ collatione beneficiorum , electione Ministrorum,&c.

excusare ab eo officio, quàm in conscientiam suam tanta mala suscipere; si autem circa ius ipsum habet aliquod dubium, debet vel libros vel prudentes homines consulendo (saluo tamen confessionis sigillo) inquirere, quid teneatur suadere Principi. Sed quid si Princeps respondeat se consuluisse viros doctos, respondisseque id esse licitum. Solutio huius argumenti pendet ab his quæ de opinione probabili pœnitentis dicemus sequenti disputatione.

DISPVTATIO XLIV.

Quid faciendum Confessario in casu opinionis probabilis, & ad defectus confessionis supplendos.

SECTIO I.

Quid de casu opinionis probabilis.

1 DIFFICVLTAS hæc est valdè celebris inter Doctores, quia frequenter potest contingere, & Confessarium reducere ad set graues angustias. Pro eius verò intelligentia aduerte, variis modis id posse euenire: Primò, vt tam ipse pœnitens quàm Confessarius sint in eadem opinione probabili: & tunc nulla potest esse difficultas in eo quòd inter se conueniant in confessione, cùm ante illam supponantur conuenire. Secundo modo, vt pœnitens teneat contrariam opinionem à Confessario, & ei se accommodauerit in praxi. Hoc autem ipsum potest dupliciter accidere: Primò, vt Confessarius esto non teneat eam opinionem, sentiat tamen illam esse probabilem: Secundò, vt nec iudicet pœnitentem probabiliter in ea discurrere: sæpè enim contingit etiam inter homines doctos, vt vnus absolutè teneat opinionem, quam alter nec probabilem iudicat. Hoc supposito dicendum est Primò. Si Confessarius iudicat probabilem Pœnitentis opinionem, esto eam non sequatur absolutè, posse se illi accommodare: nam quilibet potest amplecti opinionem probabilem etiam relictâ probabiliori, nisi in administratione Sacramentorum, quando opiniones sunt circa valorem illius: tunc enim debet (extra casum tamen necessitatis) sequi probabiliorem seu securiorem.

2 *An Confessarius teneatur sequi opinionem probabilem pœnitentis, si contrariam ipse sentiat probabiliorem.*

Dicendum Secundò, Videri certum, Confessarium, eo ipso quòd possit licitè eam opinionem sequi, teneri etiã ei se accommodare, quando pœnitens non vult ab ea discedere, tum quia pœnitens eo ipso operatur prudenter moraliter, & non potest ab vllo obligari ad contrarium, ergo neque à Confessario: tum quia eo casu iuste petit absolutionem, ergo non potest eam ei Confessarius negare. Et quoad hoc nulla est planè differentia (vt aliqui minùs benè volunt) inter Parochum & Confessarium delegatum: nam etiam hic, quando pœnitens est benè dispositus, non potest ei negare absolutionem, postquam semel audire cœpit confessionem. Auctores innumeros pro hac sententia, quæ iam ferè est omnium, vide apud Dianam Tomo 1. Tractatu de Opinione probabili, resolutione 11.

Dices: Iudex non potest ferre sententiam iuxta opinionem probabilem, sed tenetur sequi probabiliorem: ergo & Confessarius, qui in ea actione est Iudex. De antecedenti egi Tomo 3. disp. 24. à num. 15. vbi ostendi, non semper Iudicem teneri sequi suam sententiam (quamque eo ipso iudicat probabiliorem) sed posse iuxta alienam ius dicere, maximè quando hæc est communior. Quòd enim obiicit hîc Lugo, Iudicem esse positum à Republica ad diligenter inuestigandam veritatem in litibus occurrentibus; cui debito non satisfacit, si relictâ securiori via inueniendi veritatem eligat minùs tutam: hoc inquam apud me non est magni momenti; nam Respublica (vt dixi eo loco) contentissima censetur, si Iudex decidat causas prudenter; prudenter autem operatur, qui decidit iuxta sententiam probabilem. Secundò, quia à fortiori est contenta Respublica, si Iudex decidat causas iuxta communiorem Doctorum sententiam, esto specialem suam (quam eo ipso, vt dixi, iudicat probabiliorem) non sequatur. Et verò tantum abest à certitudine, quòd id petat Respublica à Iudice non supremo, vt Pater Vasquez (quem eo loco citaui) dicat Iudicem non supremum teneri ferre sententiam non iuxta suam, esto eam censeat probabiliorem, sed iuxta communiorem sententiam, esto eam censeat minùs probabilem. Constet ergo antecedens de Iudice non esse verum, quidquid tamen de illo sit, negatur consequentia ad Confessarium, quia hic tenetur absoluere eum qui est benè dispositus; neque vllam aliam habet Sacerdos ille à Republica aut à Deo obligationem; iam autem ostendi illum pœnitentem esse dispositum qui operatur iuxta probabilem opinionem.

3

Quid si contrariam pœnitet certam, & pœnitentis improbabilem & falsam.

Iam ad secundum casum, quando opinio pœnitentis iudicatur à Confessario improbabilis. Videtur enim ex immediatè dictis sequi, teneri etiam tunc Confessarium ei se accommodare, cùm (vt suprà insinuaui) contingat etiam inter doctos non solùm vt vnus nõ teneat opinionem alterius, sed vt eam reputet improbabilem, vti diximus agentes, *An Religiosi vi Bullæ Cruciatæ possint eligere Confessarium qui eos absoluat à reseruatis*: sunt enim valdè multi qui id affirmant; alij è contrario dicunt id esse omnino improbabile: Diana verò ait saltem esse probabile, quòd vi eius Bullæ absolui possint à Confessariis designatis, esto specialem licentiam pro reseruatis non habeant. Si ergo in tali casu veniret aliquis ad me, eam opinionem, vti in praxi probabilem tenens, quam tamen ego nec probabilem iudico, deberémne illum absoluere, quia tunc pœnitens procedit benè moraliter, cùm se accommodet opinioni, quam probabilem iudicat? admittere autem talem obligationẽ in Confessario videtur valdè durum, & contra Auctores communiter, qui dicunt Confessarium tunc præcisè obligari ad sequendam opinionem pœnitentis, quando illa est probabilis: ita Suarez ea disp. 32. sect. 5. Diana suprà, Pater Thomas Sanchez

chez.lib 1.in Decalogum cap.9.n.28.& seq.

Respondeo Primò cùm Lugo, Si disceptatio sit
4 de opinione concernente Sacramentum ipsum Pœnitentiæ, tunc quantumcunque pœnitens dicat Confessario se posse absolui propter opinionem probabilẽ, non poterit tamen Confessarius id efficere, nisi eam opinionem iudicet probabilem. Ratio est, quia tunc non agitur de excusanda actione ipsius pœnitentis à culpa propter opinionem probabilem; ad quam excusationem iuuat opinio, vt probabilis iudicata ab ipso pœnitente, quidquid in contrarium dicat Confessarius. Agitur ergo tunc de actione ab ipso Confessario exercenda, quæ non potest iustificari, nisi ipse etiam reputet probabilem opinionem illam agitur enim de danda absolutione: id quod à Confessario solo prouenit: si ergo Confessarius non potest iudicare esse probabile, se habere iurisdictionem, aut subditum esse sufficienter dispositum vt eum absoluat, sine dubio (quidquid dicat pœnitens) nõ poterit Confessarius se illius opinioni accommodare. Quòd si agatur de opinione in ordine ad actiones ipsiusmet pœnitentis, vt si v.g. dixisset qui aliàs est Confessarius, *Ego vi Bullæ sequendo opinionem Diana vel aliorum absolui Religiosum aliquem*: si Confessarius vellet extorquere ab hoc Sacerdote propositum id non faciendi ampliùs, posset ille se defendere per talem opinionem. In hoc casu habet locum obiectio, quòd scilicet teneatur Confessarius permittere pœnitenti eam opinionem, nam eo sensu diximus suprà, quando pœnitens errat inuincibiliter, si non sit spes correctionis, potest relinqui in sua opinione: maiorem autem habet locum ea doctrina in hoc casu, quia etiam postquam pœnitens à Confessario mònetur, adhuc manet ille inuincibiliter reputans probabilem opinionem illam.

5 *Quid requiratur vt opinio aliqua dicatur probabilis.*

Pro quo aduerte, vt opinio aliqua verè dicatur probabilis, non esse necessarium quod eam Cõfessarius reputet probabilem: potest enim aliquando vel ob ignorantiam reputare improbabile id quod apud doctos est probabile, fortè probabilius, fortè certum. Vnde sæpè de opinione receptissima in Scholis vnus aut alter Dodicit eam esse improbabilem, vt sæpè vidimus in P. Ludouic. Turriano, qui multas opiniones longè probabiliores quàm oppositæ sint dicit erroneas, improbabiles, &c. Potest etiam è contrario aliquis doctus ex meliori consideratione fundamentorum iudicare aliquam opinionem per principia intrinseca probabilem, quæ tamen reuerà est improbabilis, quia probabilitas quasi absoluta opinionis alicuius non pendet à contraria censura vnius vel alterius. Ea igitur opinio dicitur probabilis, quæ etiam his temporibus defenditur ab aliquibus Auctoribus doctis tribus aut quatuor; maximè si cæteri eam opinionem licet non teneant, non tamen reiiciunt tanquam improbabilem: quod addo, quia reuerà ali quando contingit, vt duo vel tres etiam docti consentiant in vnam opinionem ob fundamentum aliquod valdè leue, quam tamen relinqui vt
6 improbabilem reiiciunt; quæ etiam eo casu non debet dici absolutè probabilis vt suprà diximus de ea quæ docet *posse religiosos absolui à reseruatis vi Bullæ*. Si ergo tali se accommodet pœnitens, debebit eum Confessarius de improbabilitate eius opinionis docere; quòd si adhuc nolit recedere, non debet Confessarius conniuere, sed fortiter vrgere, vt cõsulat alios homines doctos & peritos, ac proponat ipsius Confessarij motiua: quod si hoc admiserit, potest eum absoluere. Habet autem hoc locum maximè, quando agitur de obligatione in futurum v.g. restituendi, non faciendi contractus illos vsurarios, nam in ordine ad præcedentia si pœnitens tũc iudicauit inuincibiliter se non peccasse, reipsa non peccauit, esto improbabilissima in se fuerit ea opinio. Quòd si in prædicto casu pœnitens nolit acceptare eam conditionem consulendi viros doctos, sed obstinatè maneat in sua opinione, non poterit absolui, quia iam non erit illa ignorantia inuincibilis, sed crassa.

Circa quæ Secundò aduerte, in hoc puncto de opinione probabili, esto, quando iam est confessio inchoata, teneatur Confessarius etiam delegatus se accommodare probabili pœnitentis opinioni, & debeat illi dare absolutionem, vt suprà diximus, æquiparantes quoad hoc Parochum delegato & è contrario, hanc tamen differentiam esse inter eos duos; nam Parochus tenetur pœnitentem audire, quoties velit modo suprà tradito: at delegatus potest dicere pœnitenti, *Si in posterum nolis mutare opinionem, ad me non venias*: cùm enim non teneatur eum audire, potest ei apponere conditionem prædictam.

Audita confessione debet semel iuxtà absoluere pœnitentẽ.

Aduerte Tertiò pro ea prima aut secunda vice, quando iam audire cepit eius confessionem, teneri sub mortali dare pœnitenti absolutionem quidquid dicat in contrarium Montesinos, quem citat Lugo suprà n.48. nam pœnitens acquisiuit ius quando est bene dispositus, vt absoluatur; ideoque facere contra illud est illum lædere in re graui, imponendo ei obligationem iterum confitendi ea peccata, quòd est valdè durum, & negando illi de præsenti remissionem, peccatorum, augmentum gratiæ, &c. vt cum Suar. Sanch. & aliis docet Diana suprà ea resolut.11.& post ipsum Lugo.

SECTIO II.

Quomodo debeat Confessarius supplere defectum essentialẽ in Confessione admissum.

7 MAlii errores committi à Confessarijs possunt, aliqui quidem maioris momenti, quando impediunt valorem Sacramenti, alij circa directionem conscientiæ ipsius pœnitentis, vt quando debeat restituere, quando repetere confessionem, &c. de quibus agendum erit breuiter & primò de eo qui concernit valorem. Dupliciter potest hic error committi, vel quia Confessarius caruit iurisdictione, vel quia non habuit animum absoluendi; in vtroque quærimus quid faciendum. Nõ defuêre olim qui dixerunt, Confessarium, qui sine iurisdictione absoluit, debere postea obtenta iurisdictione absoluere pœnitentem etiam absentem, si non possit illum habere præsentem; & idem est, si ex malitia non habuit animum absoluendi, teneri statim mutare animum, & dare absolutionem. Hanc doctrinam quoad absolutionem ab excommunicatione putant esse veram Suarez disput. 32. sect. 6. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 6. & alij Recentiores: quoad peccata verò post Clementis VIII. declarationem (de qua egimus suprà) est improbabilis: si autem pœnitens sit præsens, adhuc Suarez & Vasquez dicunt non posse ei dari absolutionem

Quomodo se regere debeat Confessarius circa errorẽ ex quo Sacramentum nullum fuit.

solutionem, nisi ipse pœnitens habeat intentionem eam recipiendi, de quo deberet tunc moneri. Hoc argumentum (vt benè notat Lugo) non est bonum, quia tunc supponitur ex parte pœnitentis durare habitualiter ea intentio; vt si non est absolutus, nunc absoluatur: alia autem actualis intentio non est necessaria.

Replica. Replicat Vasquez contra hanc solutionem: Nam ille homo, cùm putet iam se esse absolutum, non manet in voluntate secundæ absolutionis, quam iudicat esse otiosam. Respondet Lugo per optimam instantiam, Quando Sacerdos flectente adhuc pœnitente profert semel verba absolutionis inualidè, & se reflectens statim in continenti eadem repetit validè, vbi nemo vnquam dixit deesse intentionem ex parte pœnitentis, quantumuis hic anditâ primâ prolatione iam putauerit se absolutum; ergo ille error non obest valori illius absolutionis secundæ. Rationem reddit Lugo: quia est error priuatus. Hoc mihi minùs placet; nam sæpè per errorem priuatum impediri potest valor Sacramenti alicuius. Meliùs ergo dicitur; Eo ipso quòd ille pœnitens in tantum præcisè cessauerit ab ea actuali volitione absolutionis, in quantum putat priorem fuisse validam, eum eo ipso adhuc habitualiter manere in volitione accipiendi secundam, si prima nõ fuit valida. Ratio meo iudicio est euidens: nam perseuerantia habitualis alicuius volitionis non tollitur præcisè per puram omissionem eius volitionis, sed per contrariam: in hoc autem casu nullo modo datur contraria voluntas; prima enim dicebat, *Volo validè absolui semel ab his peccatis*: huic volitioni non est contraria altera quæ dicat, *Cùm iam sim absolutus, non desidero aliam*; quia hæc volitio est quasi conditionalis, *Si iam sum absolutus, non quæro aliam*: cùm ergo ea conditio non subsistat, volitio hæc secunda non excludit primam, quia velle semel absolui & nolle, si iam semel est absolutus validè, absolui secundò, non repugnant inter se: ergo non est retractata sufficienter ea perseuerantia habitualis. Adde, rarò, aut numquam pœnitentes, dum absoluuntur, habere talem positiuam volitionem *Nolo iam absolui*, sed cessare vel per puram omissionem, vel per distractionem ad alia, à positiua priori volitione absolutionem petendi: sicut dum aliquis rogatur, vt acceptet rem, quæ ipsi donatur, si annuat, habet volitionem acceptandi, qua cognita donator dicit; *Do ergo illam tibi*. Eo autem casu donatarius non dicit, *Iam nolo amplius habere volitionem acceptandi rem hanc*: sed ea acceptata sine voluntate contraria omittitur illa prior acceptatio: vnde si donans non habuit prima vice serium animum eam donandi, poterit, dum secundò protulit verba donationis, confirmare deinde apud se, aut etiam nouis verbis eam donationem. Nec propterea iudicandus est tunc donatarius non habere sufficientem voluntatem acceptandi, ideoque eam confirmationem donationis nullam esse. Qua instantiâ & respondetur obiectioni Vasquez, & clarè confirmatur nostra sententia; Quia non requiritur maior voluntas ad acceptandam eam absolutionem, quàm ad acceptandum in casu posito dominium eius rei donatæ. Eo ergo argumento *ex defectu voluntatis* omisso, meliùs cum Lugo probatur non posse etiam tunc dari absolutionem inscio pœnitente: quia potest Confessarius prudenter subuenire, ne pœnitens intra id tempus admiserit nouum aliquod mortale, ob quod sit redditus incapax absolutionis. Vtrùm autem repetenda sit tunc confessio, an sufficiat, si pœnitens dicat, *Accuso me de illis peccatis de quibus antea*, discussum est à nobis fusè suprà.

Responsio. Ideò alij sentiunt Confessarium in tali casu nihil debere agere, sed dolere de sua culpa, pœnitentem verò relinquendum in sua bona fide: nam per sequentem confessionem remittentur ei omnia illa peccata: ideò autem excusant Confessarium, quia sine graui sui honoris & famæ detrimento non potest ostendere se adeò iniquè gessisse, ita Antoninus, Syluester & Nauarrus apud Suarez n. 5. quibus Lugo addit Ioannem Valerum. Hanc sententiam reiicit Medina, quia priuatio gratiæ alioquin tunc conferendæ est graue damnum; ergo debet pœnitens moneri, ne illud patiatur, sed eam gratiam recipiat per secundam validam absolutionem. Hoc argumentum aliquibus (inter quos est Lugo) non placet: quia illa iactura gratiæ non est tam grauis, cùm possit multis aliis modis compensari: vnde si confessio esset de venialibus ab homine, qui frequenter solet confiteri, putat Lugo facilè posse excusari Confessarium à supplendo defectu, si causa aliqua interuenit: putant etiam pœnitentem communiter non fore grauiter inuitum, esto maneat sine absolutione, ne Confessarius rubore suffundatur fatendo se iniquè absoluisse. Aliter ergo cum eodem Medina reiicit eandem sententiam Lugo, quia ille, qui est alteri causa violandi graue aliquod præceptum, tenetur illi auferre ignorantiam, vt possit seruare legem Dei: v. g. dixit alteri, *Non teneris audire Sacrum die festo*, debet eum postea de obligatione audiendi monere: ergo in simili debet illum monere, vt postea seruet præceptum ea peccata confitendi, quia adhuc illa non sunt validè subiecta clauibus Ecclesiæ. Hoc argumentum secundum mihi placet; primum etiam censeo esse efficax, quia reuerà augmentum illud gratiæ non est parui momenti: & verò ex hoc eodem capite diximus etiam teneri Parochum ad audiendam confessionem subditi, quando debito tempore vult confiteri. Quod verò dicebatur de eo qui singulis diebus confitetur, quique facilè negliget, si vna die nõ absoluatur validè, fortè est minùs verum: esto tamen admittatur, consequentia inde illata est nulla, quia faciliùs ille, qui habet lucra frequentia tolerat, si semel vnum negligatur, quàm qui rarò habet, & illud impeditur. Addo autem in confirmationẽ illius prioris argumenti: Nam saltem ratione periculi æternæ damnationis videtur res illa esse grauissima: putabit enim pœnitens se esse securum, & negliget se meliùs disponere, eoque tempore mors interueniens illum occupabit in statu peccati: habet autem hoc argumentum maiorem vim in sententia Lugo & Suarij de Sacramento pœnitentiæ valido & informi: contingere enim potest vt ille accedat ad secundam confessionem cum dolore limitato ad ea peccata quæ tunc confitetur: ac proinde etiam per eam secundam confessionem non remittantur nec noua nec antiqua peccata, idque totum prouenient ex malitia eius Confessarij: posset etiam idipsum in aliquot sequentibus confessionibus contingere; quis autem neget graue damnum fieri illi homini eum exponendo eis periculis ex sola nequitia Confessarij? debebit ergo hic illum monere, vel acceptâ iurisdictione absoluere, vel ad alium remittere.

10 *Non sufficit si de sua culpa doleat & pœnitentem relinquat in bona fide, quasi esset absolutus.*

11

Medina ergo, & Corduba, quos refert Vasquez suprà num. 8. docent Confessarium tenet admonere pœnitentem; Corduba tamen id intelligit, quando sine scandalo ea monitio fieri potest: quam limitationem sequuntur Suarez & Vasquez. Ego (vt verum fatear) hic non video vllum periculum scandali, cùm enim res sit secreta, non aliud esse potest scandalum, quàm quòd pœnitens agnoscat Confessarium iniquè se gessisse; hoc autem periculum sibi debet Confessarius imputare, qui eam caussam dedit: de scandalo igitur nihil ibi timendum. Dico ergo cum Suario ea sect. 6. numero 6. omnino teneri Confessarium monere pœnitentem; & quidem si illum habeat in secunda confessione, facilè potest, etiam nihil ei dicendo de priori defectu, illum supplere hortando ipsum in communi, vt se accuset, & doleat de omnibus peccatis præteritis, & tunc poterit cadere absolutio supra illa omnia: quòd si hoc modo nequeat, debebit illum monere etiam extra confessionem.

Tenetur monere pœnitentem de errore, nisi forte ruat sua ei confiteatur, &c.

12 Dices: Hoc esset reuelare confessionem. Respondeo, Cum ibi tantùm dicat Confessarius suam propriam culpam: se scilicet non habuisse iurisdictionem aut intentionem absoluendi, nihil ibi esse de reuelatione peccati. Vrgebis: Quid si defectus iurisdictionis solùm fuit, eò quòd pœnitens habuerit causum reseruatum? profectò dicere tunc, *Ego non habui iurisdictionem ad te absoluendum*, idem est ac dicere, *Tu habuisti casum reseruatum*: quo enim alio sensu Confessarius ordinarius, qui habet iurisdictionem ad mortalia non reseruata, potest dicere, *Dum te absolui non habui iurisdictionem*, nisi quia insinuat illam habuisse reseruata? Imò in omni casu id est dicere, pœnitentem habuisse mortalia; nam ad venialia quilibet Sacerdos habet iurisdictionem. Atqui dicere pœnitenti, *Tu habuisti mortalia*, est contra sigillum confessionis; ergo. De hoc dubio non agunt Auctores, puto tamen posse ei facilè responderi, si Confessarius in genere dicat, *Ego te non absolui*, non declarando vtrùm defectu iurisdictionis, an intentionis; hoc enim modo nihil fiet contra sigillum confessionis; haberque locum hæc admonitio, etiamsi defectus fuerit ex parte pœnitentis, quia etiam ratione illius dicere verè poterit Confessarius, *Ego te non absolui*.

Quid si ex monitione graue periculum ipsi imminet

Illud quæri potest, Vtrùm ea obligatio habeat locum etiam cum periculo graui ipsius Confessarij. Pater Suarez eo num. 6. æqualiter discurrens de eo qui culpabiliter, & de eo qui inculpabiliter alterũ decepit, ait omnino vtrumque teneri, nisi graue nocumentum ipsorum timeatur non declarat autem quale sit illud nocumentum, exipit tamen casum mortis, nam si infirmus ob eam rationem periclitaretur de æterna salute, postponenda sunt omnia ea incommoda; quod vltimum omnino iudico verum, circa primum verò Lugo distinguit, aitque eum, qui culpabiliter dedit causam errori, obligari etiam cum damno maiori quà obligetur ille, qui sine culpa illud cauſauit; vnde putat non esse necessarium expectare mortis periculum ad hoc, vt qui ex malitia fuit causa deceptionis alterius, obligetur ad eum monendum etiam cum graui suo damno; vti in materia iustitiæ magis obligatur in omnium sententia ille, qui alterum læsit in bonis aut fama culpabiliter, quàm qui sine vlla 13 culpa: hic enim præcisè obligatur ad id, in quo factus est ditior, ille vero ex integro. Idem ergo dicendum in casu nostro, obligandum scilicet Confessarium peccaminosè alterum decipientem, etiam cum graui damno suo, ad tollendum eum errorem. Hæc ille. Vbi obiter noto, non videri hanc doctrinam consequenter traditam ad ea quæ hic Auctor docet infra; scilicet esto Confessarius culpabiliter non examinauerit pœnitentem de circumstantijs mutantibus speciem, non teneri postea monere cum graui suo damno. Videtur autem is casus idem esse cum nostro, maximè in ipsius sententia, cum potuerit ille pœnitens tunc, eò quòd non confiteatur eam specialem malitiam habere dolorem se ad illam non extendentem, ac proinde non remittantur illi tunc ea mortalia ex huius examinis defectu; quo casu esset eadem omnino difficultas cum nostro. Secundò idem Auctor docet vniuersaliter, obligationem omnem de monenda tertia persona circa obseruationem alicuius præcepti semper esse longè minorem, quàm sit obligatio in ipso monente de obseruatione eiusdem præcepti, hoc est, me longè magis die Festo obligari vtaudiam Sacrum, quàm vt moneam de ea auditione meum proximum; ergo cùm nemo teneatur ad seruandam per se integritatem confessionis, si aliquod graue damnum sibi timeat, multò minùs obligabitur ad monendum alterum de commisso eo defectu in præcedenti confessione, ac de illo reparando, etiamsi fuerit culpabiliter causa illius erroris: & licet ratione damni illati te ipsa pœnitenti ex defectu absolutionis sit maior obligatio in Confessario, qui illud dedit: hic tamen Auctor non solùm applicat hanc doctrinam ad errorem substantialem irritantem Sacramentum, sed etiam quando stante valore illius non est facta integra confessio. Tunc autem nullum aliud damnum est factum pœnitenti, nisi quòd materialiter non seruauerit præceptũ confitendi omnia peccata. Non ergo videntur duæ illæ doctrinæ huius Auctoris inter se cohærere, quidquid tamen de hoc puncto consequentiæ sit, circa dubium nostrum.

14 *An magis obligetur ad errorẽ tollendum qui culpabiliter eum admisit, quàm qui sine culpa*

Mihi distinctione opus esse videtur: tria enim possumus in eo damno considerare: vnum est ipsum damnum illatum proximo ablationis gratiæ: & quòd adhuc maneat in peccato mortali. Si hoc consideremus, omnino iudicarem cum Lugo magis teneri ad illud resarciendum Confessarium, qui culpabiliter nocuit, quàm alterum: & pro hoc puncto ea instantia ex materia iustitiæ habet locum. Ex hoc tamen capite non potest ponere differentiam vllam hic Auctor, quia nehat vt suprà vidimus, ex eo damno sumi malitiam grauem eius actionis. At nos, qui, concessimus illam inde oriri, rectè possumus absolutè eam maiorem obligationem admittere. Secundum, quod possumus in ea confessione inualidè peracta considerare, est defectus integritatis Sacramenti: hic tamen fortè iam non est reparabilis, quia iam pœnitens commisit aliquod nouum peccatum: & consequenter non potest iam præcedens confessio valere, sed debet de nouo ex integro confici aliud Sacramentum. Tertium quod inuenio in eo casu, est obligatio, quam habet pœnitens manifestandi deinde in alia confessione ea peccata: & in ordine ad hanc obligationem vix putarem quidquam efficere culpam Confessarij, aut eius carentiam. Si enim duo, vnus ex malitia, alter inuincibiliter dixisset Petro, *Hodie non est Festum, non teneris audire Sacrum*, cùm tamen re ipsa esset Festum, non crederem

ad

ad tollendum errorem magis obligari vnum quàm alterum; quia Petro in toto rigore neuter intulit iniuriam aut damnum: illa enim omissio materialis Sacri non est ei mala suppositâ ignorantia inuincibili; ac proinde ipse Petrus non magis optat ab vno quàm ab altero eam auferri, imò fortasse gaudet non auferri: si autem consideremus damnum quasi illatum ipsi præcepto diuino, quod tunc non seruatur, difficile est credito, quòd illud magis debeat tolli ratione culpæ præcedentis: ibi enim sunt duo præcepta; vnum non dandi absolutionem sine iurisdictione; huic iam non potest satisfieri; alterum confitendi integrè omnia peccata; hoc à neutro ex illis Confessariis est adhuc violatum, sed data causa vt materialiter tantùm violetur à pœnitente. Cur ergo, quæso, hoc præceptum magis obligabit vnum Confessarium quàm alterum, ex eo quòd vnus peccauerit contra aliud præceptum, alter contra nullum? est ergo adhuc probabilis ea sententia Suarij nullam faciens distinctionem ex hoc capite inter eos duos Confessarios.

SECTIO III.

Quid faciendum, quando error non est contra valorem Sacramenti.

15 INQVIRIMVS, quid faciendum, si Confessarius commisit errorem non circa substantiam Sacramenti, sed circa accidentia illius: v. g. non suasit pœnitenti vt restitueret, prout tenebatur, vel è contrario obligabit eum ad restituendum, ad quod non tenebatur. In quo puncto communiter docetur, Confessarium teneri corrigere errorem, vel, si hoc non potest facere, teneri damnum tertiæ personæ illatum resarcire. Ita Syluester, Gabriel, Nauarrus, Angelus, Rosella apud Suarez n. 80. Nunnus, Syluius, Zanardus, & alij apud Dianam Tomo 1. Tractatu 1. Miscell. resolut. 1. Suarez verò duas distinctiones posuit breuissimè suprà num. 9. quas Lugo à num. 61. fusiùs deduxit. Prima est, An culpabiliter grauiter omiserit eam monitionem, an inculpabiliter: Si inculpabiliter, tenetur quidem mouere pœnitentem, si commodè potest, si tamen non potest, ad nihil amplius obligabitur, quia nec ratione damni, cùm non mala fide causam dederit; nec ratione rei acceptæ, cùm nullam habeat, potest obligari ad restitutionem: si negligat autem monere, cùm possit, iam ab eo puncto est iniustus damnificator, ac proinde obligabitur ad restitutionem totius damni, casu quo pœnitens, si monitus fuisset, restituisset: nam si nec monitus id esset facturus, iam non proueniet illud damnum à Confessario, sed à malitiâ pœnitentis: quòd si culpabiliter dedit causam, tenebitur monere; & si id non potest facere, tenebitur ad restitutionem, sicut fur obligatur, etiamsi inde non sit factus ditior: tenebitur inquam eodem modo, quo immediate diximus, si pœnitens monitus esset restituturus. Tota hæc doctrina videtur satis clara; neque habet vllam difficultatem contra se vllius momenti.

Ad quid teneatur Confessarius, qui neglexit monere pœnitentem de restitutione, vel si monuit cùm non debuit, & ille suum alteri dedit.

16 Altera distinctio est, An Confessarius fuerit causa eius damni positiuè dicendo pœnitenti, *Non teneris restituere*; an verò omittendo tantùm monitionem, aut è contrario, si pœnitenti dixit, *Teneris ad restitutionem*, quando non tenebatur. Si hoc vltimo modo positiuè & peccando processit, habet locum ea obligatio restituendi ex iustitia, quia iniquè dedit positiuam causam ex quâ illatum est damnum tertio: quicumque autem siue in confessione, siue extra illam sine consilio effecit ne alter in his soluat quod debet, aut è contrario soluat quod non debet, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere vel mihi vel alteri: si autem dedit positiuè causam, sine culpa tamen graui, tenetur ex iustitia eam causam auferre, si potest: vti qui inaduertenter & sine culpa accendit domum alterius, tenetur ex iustitia, cùm primùm potest, extinguere ignem: si id non faciat, ab eo puncto incipit obligari ad restitutionem: si autem non potest causam auferre, ad nihil tenetur amplius, quia neque est factus ditior, neque iniustè damnificauit: ergo quòd si omissiuè se habuit, siue id fecerit peccando, siue non, non obligatur ex iustitia proximo; quia vi obligationis Confessarij non obligatur Petro, cui pœnitens debet, sed ipsi pœnitenti: ergo omissio illa, esto sit contra bonum pœnitentis, non est tamen contra obligationem iustitiæ in Petrum. Et quoad hoc punctum vltimum conueniunt cum Suario communiter Auctores recentiores, vt Lugo suprà, Coninch hîc disp 28. dub. 17. n. 144. Rebellus, Malderus, Filliucius, Bonacina, & alij, quos refert & sequitur Diana Tomo 1. Tractatu 2. Miscell. resolut. 1. esto Antiquiores aliqui sine maiori distinctione dixerint, absolutè Confessarium, qui culpabiliter est causa, ne fiat restitutio, obligari ad monendum: & si id non possit, teneri ex iustitia ad restituendum: solùm ergo in eo casu obligabitur monere pœnitentem ex charitate in Petrum, cui sua omissione damnum intulit, & ex charitate in pœnitentem, ne omittat id ad quod tenetur: vt si quis non audiendo Sacrum die Festo sit causa, quòd alius putet non esse obligationem illud audiendi, tenetur illum monere.

Quid si iste sine culpa fecit? Quid si parùm omisit monere?

17 Contra hanc doctrinam quatenus negat obligationem ex iustitia, obiiciuntur aliqua ab his qui in contraria sunt sententia, quæ facilè possunt expediri: & quidem quædam ex illis fundantur in eo, quòd per illam omissionem Confessarius verè sit causa non restitutionis, ac proinde si peccaminosè omisit, teneatur restituere. Huic tamen respondeo, Ad quæstionem de nomine pertinere, vtrùm qui omisit extinguere ignem v. g. dicendus sit causa incendij necne; siue autem ille dicatur, siue non (ne in vocibus hæreamus) dicimus, Etiamsi ego scirem, si suaseris latroni huic, vt restituat rem ablatam, ille faciet, & ego omitterem id suadere, non propterea me ex iustitia tenendum ad damnum: quia non teneor ex iustitia procurare positiuè bonum proximo, seu ad impediendas causas omnes ex quibus illud potest sequi: sed præcise teneor non causare illud positiuè, vel physicè, vel moraliter: aliud autem est me non dicere furi, *Restituas*, aliud dicere illi, *Non obligaris*, *Non restituas*. In prima illa omissione non pecco contra iustitiam, secùs in secunda. Confessarius ergo in nostro casu omisit tantùm monere furem: quia verò tenebatur in bonum furis eum monere, peccauit non quidem contra iustitiam: quia (vt diximus paulò antè) officium Confessarij solùm obligat ad procurandum bonum pœnitentis, non aliorum: ergo contra alios, non ex iustitiâ, sed eo solum modo, quo diximus peccaturum eum, qui sciens se posse furem inducere suo verbo ad restituen-

stituendum,id tamen non faceret;esset enim hoc contra charitatem, non contra iustitiam.Fateor quidem aliquando per solam omissionem posse peccari contra iustitiam ; vti caput Reipublicæ peccat non impediendo damna quæ subditis fiunt,quia ex officio tenetur ea impedire.In præsenti tamen Confessarius non obligatur ex iustitia ratione sui officij nisi circa pœnitentem;hunc autem non læsit tunc contra iustitiam; ergo.

18 *Quid si defectus à Confessario omissus sit tantùm accidentalis, tenetur ne eum vigore*

Secunda difficultas est de defectu accidentali, qui non cedat in damnum tertij,vt si oblitus est, aut ex culpa neglexit interrogare circumstantias mutantes speciem, &c Aliqui affirmant debere Confessarium admonere pœnitentem de illo defectu,si absque scandalo & grani detrimento fieri possit; quia Confessarius est causa,quòd pœnitens violet postea præceptum diuinum non confitendi eas circumstantias;ergo debet illum certiorem facere,ne ampliùs illud transgrediatur. Pro hac refert Lugo Medinam.At Paret Suarez ea sectione 6 num.8. dicit non teneri ad aliud , quàm vt de suo delicto pœnitentiam agat , nisi fortè deceperit pœnitentem in aliqua re ad salutem illius pertinente.Quam sententiam cum alijs tenet Diana Tomo 1.Tractatu 5. Miscell. resolut.7 Lugo verò huc etiam applicat illam priorem distinctionem de eo, qui positiuè fuit causa eius erroris, vel solùm permissiuè : si positiuè, tunc iudicat teneri postea pœnitentem admonere, quia ille, qui est alteri causa violandi præcepti , debet,si possit , illum admonere de errore; quia verò præceptum de integritate confessionis non obligat,nisi quando sine graui detrimento potest seruari,inde;fit,vt etiam Confessarius excusetur,ne admoneat pœnitentem,quando graue timet damnum; quia non potest magis obligari Confessarius ad monendum , quàm ipse pœnitens obligetur ad seruandum,cùm potiùs è contrario semper obligatio implendi præceptum, v.g. audiendi Sacrum,maior sit quàm obligatio monendi alterum,quem deceperas,vt audiat Sacrum:vnde infert, Eum , qui bona fide decepit pœnitentem circa integritatem confessionis,rarò obligari ad monendum illum , cùm regulariter absque incommodo & detrimento suo id non possit facere.

19 Quod si purè omissiuè se gessit nihil dicendo pœnitenti,tunc sine culpabiliter siue inculpabiliter id omiserit,ait non teneri postea extra confessionem admonere;quia præceptum integritatis non obligat directe Confessarium,sed pœnitentem. Confessarius autem tenetur interrogare & examinare,quia est Iudex,& non potest licitè proferre sententiam,nisi prius informetur de toto statu causæ personæ ; quando autem functus est officio suo , non obligatur ampliùs illo præcepto interrogandi:aliunde verò ipse non est causa,quòd pœnitens postea non confiteatur ea peccata; sed id prouenit ex obliuione pœnitentis; & licet debuerit ex officio eum docere,non tamen postea, etiamsi sit Parochus ; quia extra confessionem non debet pascere neque gubernare subditum ex notitia confessionis.

Obiectio. Quòd si obijcias ; Quilibet debet docere proximum quem videt errantem;ergo Cõfessarius sciens eum pœnitentem non manifestatum talia peccata,debebit illũ monere, vt seruetur integritas confessionis. *Responsio.* Respondet , Illam obligationem monendi esse tenuissimam circa nonnulla præcepta,quando sine peccato violantur ; vnde ait illud tædium & incommodum , quod secum affert loqui cum pœnitente post confessionem de rebus confessionis,& admonere de defectu commisso, sufficere in hoc casu , vt ab ea obligatione liberetur,cùm aliunde illa peccata iam sint indirectè remissa per indirectam absolutionem ab alijs;si tamen pœnitens rediret ad confessionem,admonere teneretur eum intra illam. Hæc ibi Lugo.

Circa quæ Primò mihi occurrit,quòd ex vna parte videatur hic Auctor docere,Confessarium 20
etiam extra confessionem obligari ad pœnitentem monendum , saltem quando positiuè culpabiliter illi dedit causam non confitendi eas circumstantias; hoc enim denotant ea verba, *Quòd quando purè omissiuè fuit causa , non teneatur extra confessionem monere.*Sentit ergo , quòd si positiuam causam dedit,tunc teneatur ;hoc autem & pugnat clarè cum ijs quæ statim addit eodem num. id est 75.& nos retulimus,scilicet nec Parochum debere extra confessionem pascere aut gubernare subditum ex notitia confessionis; videturque id omnino certum , quia esset contra sigillum eiusdem confessionis. Ideò fortasse aliquis diceret,non violando sigillum posse me pœnitentí dicere , *Ego te non examinani de circumstantiis mutantibus speciem , nec verum esses oblitus alia peccata.*Hæc tamen solutio in primis non potest ab hoc Auctore tradi,quia destrueret quod dixerat in fine numeri 75. vt notaui, scilicet eam monitionem non debere fieri extra confessionem.Nam si hic modus assignatus non est contra sigillum, iam cessat ratio,ob quam etiam Parochum eximebat ab ea obligatione.Secundò,mihi videtur esse contra sigillum confessionis dicere *Non te examinani de circumstantijs aggrauantibus*, quia hæc monitio inuenialibus non habet locùm,cùm ad ea confitenda non teneamur;ergo idem est ac dicere *illi,Tu mihi es confessus mortalia*; hoc autem est contra sigillum:dicere autem illi, *Te non interrogani, vtrùm esses oblitus alicuius peccati* , est monitio ridicula;quia per hoc non recordabitur ille peccatorum, quæ oblitus est. Vnde concludo , vix posse in tali casu habere locum eam admonitionem extra ipsam confessionem.Ideò suprà,agens de defectu in valore ratione iurisdictionis dixi non posse Confessarium extra confessionem pœnitentem hoc modo monere, *Non habui iurisdictionem* :quia id esset illi dicere , *Tu habuisti mortalia*,aut etiam *reseruata*; addidi tamen cum posse dicere , *Ego te non absolui*, quia potuit deesse intentio;id quod non tangit personã pœnitentis vllo modo,in præsenti autem non habet locum , quia non potest reduci ille defectus in Confessarium,nisi aliquid reueletur de peccatis. Ideò non scio ad quid fuerit necessarium huic Auctori recurrere ad tædium illud,quod secum affert loqui cum pœnitente extra confessionem de rebus confessionis,cùm tale colloquium alioquin non sit licitum. 21

Secundò , in ea doctrina non videtur seruatá consequentia; ipse enim putè putè ob seruandum præceptum integritatis confessionis obligauit Confessarium, qui inualidè absoluit etiam sine culpa, ad monendum pœnitentem; in præsenti autem adeò extenuat eam obligationem,vt dicat,Etiamsi ex omissioné meæ interrogationis ille non sit posteà integrè materialiter sua peccatá confessurus , non tamen ideò me teneri illum monere:quomodo enim cùm vtrobique sit idem præceptum, vtrobique ego sim causa per omissionem,

sionem, in vno tamen casu teneor, non in altero? quod enim dicebatur, Me hîc non esse caussam, sed id oriri ex obliuione alterius, fortè non est vniuersaliter verum, quia pœnitens optimè earum circumstantiarum recordabatur; si enim accusabat sede fornicatione, recodabatur sanè illam fuisse cum Monial, aut cum sorore: hanc enim circumstantiam vix est morale quod fuerit oblitus; eam tamen non dicebat, quia putabat se non ampliùs obligari quàm ad narrandam peccati substantiam: quando autem videt Confessarium nihil amplius monere, putat nonesse necessarium eas dicere in confessione; ergo Confessarius est caussa, quòd posteà illas non dicat, imò non solùm has individuo, sed fortè nec alias in alij peccatis, quæ posteà committet, & de quibus confitebitur. Cùm ergo hic Auctor dixerit num. 25. quemlibet esse obligatum, non solùm ne alij ex suis actionibus moueãtur ad peccatum, sed ne etiam ad actionem materialiter tantùm malam, ne v.g. moueantur ex mea omissione Sacri ad putandum nõ esse hodie diem Festum; ideoque si aliquis non audiendo Sacrum etiam sine culpa fuit caussa, quòd alij iudicauerint hodie non esse Festum putat eum teneri illos monere; profectò etiã in casu nostro tenebitur, cùm ea omissio verè videatur esse caussa, quòd pœnitens credat se non obligari ad dicendas circumstantias mutantes speciem. Et verò fortasse potest ad quæstionem de voce reduci, Vtrùm ea omissio dicenda sit caussa necne, cùm ille, qui neglexit monere pœnitentem de obligatione restituendi, esto se purè habuerit omissiuè, teneatur tamen ex charitate monere eumdem, cur quæso in simili idem non dicemus in ordine ad errorem illum, esto, quia hic non est cum damno tertij, nõ sit tanta ea obligatio, quanta ibidem?

Denique cùm hic Auctor doceat non grauiùs teneri hominem ad monendum alterum, vt seruet mandatum: quàm ipsemet obligetur ad illud seruandum; & præterea sentiat cum graui damno non obligari pœnitẽtem ad integritatem materialem confessionis, vnde infert, Nec Confessarium, qui omisit interrogare de circumstantijs, obligari cum detrimento aut damno graui; cùm hæc inquam doceat in præsenti, non video quomodo suprà num. 59 dixerit, Confessarium, qui dedit caussam positiuè, vt pœnitens non repeteret ea peccata; de quibus ob defectum iurisdictionis non fuit absolutus, & obligari etiam cùm graui suo damno ad monendum pœnitentem: etenim iam in eo casu obligat grauiùs ad monendum de integritate, quàm ipsum pœnitentem ad seruandam eamdem integritatem; & quoad per accidens est, quòd caussam dederit peccaminosè, vel positiuè, vel omittiue, quia non inde, sed ex obligatione seruandi integritatem debet desumi ea obligatio monendi.

23 Ex his omnibus concludo, Longè probabilius esse quod Suar. docet, per se loquendo nullam esse tunc obligationem in Confessario, quia illa malitia, quæ in ea circumstãtia omissa repetitur, remissa est indirectè per absolutionem directam; nisi planè positiuè Confessarius dixisset, *Non esse obligationem explicandi eas circumstantias*; tunc enim tenetur reuocare eum errorem, vti etiam teneretur quilibet alius, qui extra confessionem alium ea de re instruxisset. *Resolutio quæstionis.*

Circa modum autem monendi in hoc vltimo casu, ne faciat contra sigillum, dico eum posse etiam extra confessionem dicere; *Ego tibi dixi vniuersaliter non esse necessarium circumstantias aggrauantes dicere, hoc autem falsum est*: per hoc verò non dicit quidquam, quòd pœnitens sit confessus peccata, circa quæ debuisset interrogari de circumstantijs; id enim esset dicere, illum confessum mortalia; sed retractat doctrinam illam vniuersalem abstrahentem à materia. Quam doctrinam potuit Confessarius dicere in confessione, etiamsi pœnitens nullius mortali mentionem fecisset.

DISPVTATIO XLV.

De sigillo confessionis.

1 SACERDOTEM debere secretò seruare quæ in confessione audiuit est apud omnes, etiam hæreticos certum. Difficultas autem est tum in radice eius obligationis explicanda, tum in particularibus casibus assignandis, in quibus loqui de his rebus est contra secretum.

SECTIO I.

Vnde oriatur obligatio huius secreti.

2 NONNVLLI id reducunt ad præceptum nõ mentiendi, quia si Sacerdos peccata reuelaret, diceret falsum: nam ipse non vt homo, sed vt gerens vices Dei ea peccata scit. Hæc tamen ratio est ridicula; Primò, quia aliud est dicere, *Hoc est ita*; aliud est dicere, Vnde id ego scio; quando ergo ego dicerem, *Petrus dixit in confessione tale peccatum*, ego nihil dicerem, vnde aut quomodo id scirem; sed dicerem id quod reuerà factum est. Secundò, quia possum dicere, *Scio vt minister Dei*. Tertiò, quia si pœnitens det licentiam, possum id dicere; per hoc autem non tollitur, quòd id sciuerim vt Minister Dei. Quartò, quia si sola ratio mẽdacij esset caussa, ob quam hoc non liceret dicere, non esset malitia grauis. Quintò, quia etiam vt Minister Christi & Dei absoluo, & tamen possum dicere me absoluisse; possum etiam dicere in genere, illum mihi confessum sua peccata. Alia possunt argumenta congeri, sed hæc sufficiant.

3 Secundò, alij dicunt per absolutionem tegi peccata; ergo qui ea manifestat, facit contra significationem Sacramenti. Meo iudicio hæc ratio est nullius momenti; nam peccata ideò dicuntur tegi, quia Deus iam ampliùs non offendetur homini propter illa; per quod tamen nihil dicitur quòd tegantur etiam pro tempore præterito. Secundò, quia eo sensu neque cum licentia pœnitentis posset Confessarius ea detegere. Tertiò, quia etiam peccaret ipse homo dicens se illa commisisse; nam & ille faceret contra institutionem

nē huius Sacramenti. Quartò, quia potest cōfessio esse publica. Quintò, quia nec liceret dicere, in genere illum confessum peccata; nā ea ita teguntur, vt nec secundùm rationem generica maneant.

Tertiò, alij id reducunt ad obligationem naturalem seruandi secretum in rebus sub secreto commissis. Verùm hæc ratio licet probabilior, ea tamen ex parte non subsistit, quòd obligatio secreti longè sit maior in hoc Sacramento quàm in aliis rebus, vt videmus.

Communiter ergo ratio desumitur ex reuerentia debita Sacramento, & ex necessitate illius secreti. Si enim posset Confessarius aliquid reuelare, retraherentur homines valdè ab hoc Sacramento; possent enim Confessarij valdè abuti ea licentia, impediretur que vsus huius Sacramenti summè necessarij ad salutem.

23 Vbi vlteriùs potest quæri, An hæc conuenientia & hoc periculum ita probent obligationem secreti, vt sine vllo positiuo superaddito Christi præcepto ea promanet, an verò re ipsa sit aliquod præceptum Christi. Patet Vasquez ea disp. 93. art. 4 dub. 1. putat necessarium fuisse Christi præceptum ad tam grauem obligationem inducendam: idem docet Coninch disp. 9. dub. 1. nu. 34. Cardinalis Lugo disp. 23. num. 7. citat Patrem Suarium pro contraria sententia, quia tamen reuerà eam non tenet, sed primam Patris Vasquez & Coninch; etenim disp. 33. sect. 1. num. 10. ait *hoc esse præceptum supernaturale & diuinum, non tamen esse mere positiuum superadditum hic Sacramento.* Vides Suarium dicere *esse diuinum, tamen merè positiuum*, qui dicit *non esse merè*, supponit haud dubiè *esse positiuum*: vnde cùm eodem numero obiecisset sibi Christum potuisse instituere hoc Sacramentum cum minori obligatione secreti, respondet Primò, id non potuisse, si debuisset relinqui adeò necessarium. Quam solutionem dat per terminum *fortasse*, alterum addit *absolutè*: quod esto de potentia absoluta potuerit, non tamen secundùm conuenientem modum prouidentiæ, ideoque de facto ita fecisse hanc institutionem, vt haberet eam obligationem: id quod consensus & traditio Ecclesiæ satis docent. Hæc Suarez; quibus clarissimè supponit fuisse voluntatem positiuam Christi. Eodem etiam loco idem Lugo ait immeritò Patrem Henriquez citari à Coninch pro sua sententia, cùm contrariam tradat, dum ait hoc *præceptum esse sicut præceptum non mentiendi & fornicandi.* Ego tamen vehementer miror hanc citationem; etenim Henriquez expressis verbis tradit sententiam Coninch: numero enim secundo ait Sacerdotem teneri inchoatiuè seruare hoc secretum ex iure naturæ: nota *ti inchoatiuè*: numerum verò tertium incipit his verbis: *Maximè obligat sigillum ex diuino & positiuo præcepto Christi*: quæ verba si lecta sunt à Lugo, non capio quomodo dixerit hunc Auctorem non agnouisse, obligationem hanc maximè oriri à positiuo præcepto. In discursu item eius numeri ait Henriquez *Christum vetare, ne vnquam soluere aut infringere liceat hoc secretum.* Ecce iterùm Christi prohibitionem: & licet explicando rationem, cur Christus ita id vetuerit, dicat Henriquez id factum, *quia hoc sigillum non magis est medium*: fortasse hic supresit error: debuisset enim dicere, *Non minùs est medium per se ordinatum ad cauenda damna violatio sigilli*: iterùm ibi puto esse errorem impressionis: deberet enim dicere *sigilli obseruatio*; nam violatio non est medium ad vitanda damna; *quàm mendacium aut fornicatio.* Tertiò videtur hìc error obrepsisse; deberet enim dicere, *quàm non mentiri*, &c. *quæ nullo modo licent.* Quamuis inquam hæc ibi Henriquez dicat, ex quibus obscuris verbis illum Lugo pro se citat relictis clarioribus & expressis, non tamen negat obligationem maximè oriri ex Christi positiuo præcepto; sed quod dixerat eo num. 2. declarat magis, scilicet *inchoatiuè oriri illam obligationem ex iure naturæ, quia secretum hoc est medium ad damna vitanda, sicut fuga mendacij & pollutionis*; cum quo tamen optimè cohæret, quòd in damnis ex fractione sigilli secutis posset esse saltem diuinitus dispensatio, vt supponit Suarez suprà in secunda solutione, non autem in damnis quæ sequuntur ex pollutione & mendacio; ac proinde pro hoc secreto fuerit necessarium Christi positiuum præceptum (vt expressè docet Henriquez) per quod maximè inducatur ea obligatio; in mendacio autem & pollutione non. Pro hac tamen sententia etiam stat Gaspar Hurtadus disp. 12. difficultate 21.

An ex præcepto positiuo Christi oriatur sigillum confessionis.

5 Ego tamen iudicio dicendum, ex natura rei ob præceptum secreti naturalis, adiuncta etiam necessitate maxima huius Sacramenti, quod cùm ex se sit homini difficile, redderetur longè difficilius, si liceret vnquam Confessario reuelare peccata, oriri grandem quidem obligationem secreti, non tamen tantam, vt, si non accessisset Christi præceptum omnino prohibens in omni casu ea manifestare, non liceret aliquando reuelare peccatum. Hanc sententiam videntur defendere Vasquez, Coninch, Suarez & Henriquez; & reuerà est longè probabilior, quàm purè putè totum id reducere cum Hurtado & Lugo ad ipsam naturam rei; quia vix est possibile ostendere ex natura rei summam eam repugnantiam: Lugo quidem semper inculcat oportuisse ita esse, & semper applicat eas instantia de mendacio & pollutione; at reuerà semper supponit id de quo dubitamus. Cur enim si, casu quo pœnitens nollet se emendare, & abuteretur Sacramento quærendo veniam sine dolore & proposito se emendandi, & ruinam Reipublicæ moliretur, esset contra lumen naturale detegere illud peccatum vni personæ, quæ posset illud damnum impedire, etiam sine maiori illius publicatione? Deinde cur ea tamen grauia damna sequerentur, si liceret cum pœnitente ipso loqui extra Confessionem? Pro quo aduerte, verissimum quidem esse, minùs deterrendos pœnitentes ab hoc Sacramento, quò maius esset hoc sigillum; & in hoc sensu res non pendet vllo modo à voluntate Christi; difficultatem tamen totam præsentis dubij in eo consistere. Verùm ex eo, quòd hoc Sacramentum sit institutum vt medium necessarium ad salutem, debeatur hoc secretum ita essentialiter, vt nec Christus potuerit aliter efficere, sed debuerit remouere omnia, quæ potuerunt ab hoc Sacramento retardare. Hoc ego nego, & negant Auctores suprà citati; & videtur mihi res euidentissima, Primò, quia si eo modo argumentari liceret, ego inde inferrem euidenter vnam hæresim, scilicet iniquam esse reseruationem casuum, quia lumine naturæ euidens est, eam ipsam reseruationem retrahere aliquantulùm homines ab hoc Sacramento: ergo si omnia, quæ possunt retrahere, debuerunt auferri, debuit & hæc reseruatio. Quòd si rationes in hac reseruatione cohonestantes hi

Resoluitur quæstio.

Potuerat Christus minùs vigorosè facere secretū confessionis.

quærierint,

quæsierint, ego etiam illas quæram in aliis casibus: & quidquid sit de illis, si semel desistimus ab hoc principio vniuersali, quòd debeant tolli omnia terriculamenta (vt sic dicam) pro confessione, quomodo posteà taxabimus, quæ terriculamenta possint admitti quæ non? Ergo licet Christus de facto totum eum fauorem summi secreti huic Sacramento concesserit, non sequitur illum totum esse essentialiter annexum illius institutioni.

Confirmo & explico euidenter, Illa ipsa confessio etiam cum toto illo secreto, est in se difficilis valdè; & tamen eam requisiuit Christus pro condonando peccato: neque in hoc vlli fecit iniuriam, quia cùm peccator meruerit ex se relinqui sine remedio in æternum, & ad grauissimas pœnas dãnari, ac summa felicitate æternæ vitæ perpetuo carere, cur quæso Deus, qui hanc gratiam quasi infinitam ei homini facit dando illi locum pœnitentiæ non potuisse: hoc Sacramẽtum instituere etiam cum illo onere, quod Sacerdos posset in aliquo casu illud peccatum reuelare? Profectò in ordine ad infinitam pœnam damni & sensus, à qua liberatur homo per hoc Sacramentum iudicari debere valdè leuis ea obligatio. Si enim aliquis esset damnatus ob peccatum purè occultum, de quo solus Deus etiã post damnationem sciret, & verò etiam per totam æternitatem solus ipse sciturus esset, & tali damnato offerretur nunc hæc conditio, vt possit liberari ab eis pœnis propè, vt dixi, infinitis, & loco illarum gloriam quasi infinitam è contrario acquirere si velit peccatum illud toti mundo manifestari, sine dubio conditionem cum gaudio propè infinito acceptaret: taceo iam si solùm ei diceretur vt peccatum illud confiteretur vni Sacerdoti, qui in aliquo tantùm casu vrgenti manifestare illud posset: ergo sine vlla plane iniustitia Christus potuit non obligare ad summum hoc secretum. 7

Confirmo ad hominem ex huius Auctoris doctrina, qui agens de æternitate & grauitate pœnarum, quæ vni mortali debentur, docet Tomo de Incarnatione rationem huius esse, quia tanti momenti est, ne infinita Dei bonitas offendatur, vt non videatur sufficienter cautum ad deterrendos homines, quominùs illam admittant, nisi pœna sit adeò grauis & æterna. Ex hoc principio, quod ego Tom. 5. discussi, nunc argumentor, & eadem ratione dico potiùs expediuisse ad deterrendos homines à peccato, vt illud non posset condonari nisi sub graui onere, quod deberet dici etiã publice, & in templo, quia alioquin dicam ego, nisi ob timorem eius infamiæ non est prouisum de retractiuo sufficienti à peccato. Quod si ea tanta publicitas potuit requiri, sine dubio suauiùs potuit cum solo secreto naturali obligare hoc præceptum.

Secundò argumentor: quia præcipua ratio naturalis desumpta ab hoc Auctore ad eam obligationem summam prouenit ex eo, quòd hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem: *Quia medium*, inquit, *necessarium non debet reddi difficile & inaccessibile, vt sic dicam.* vnde ego argumentor: Ergo si confessio fuisset instituta non per modum medij necessarij, sed putè putè liberè, & ad maius augmentum gratiæ non fuisset necessarium obligare ad secretum cum tanto rigore. quia potuisset tũc dici, si quis timet ne fortè aliquando ex aliqua graui occasione ipsius peccata detegantur, hic non accedat ad cõfessionem; qui autem hoc non curat, sed habere vult maius meritum exponendo se ei humiliationi, accedere potest, vti in Religione ob illud maius meritum solent multi dicere publicè suos defectus, & olim in Ecclesia aliqui solebant confiteri publicè sua peccata. Certe eo casu nemo posset dicere probabiliter fore ex natura rei eã obligationem summam secreti. Vnde vlterius argumentor: Ergo cùm de facto confessio venialium nullo modo sit sub obligatione & necessitate, sed libera, non est circa illam necessarium illud rigorosissimum secretum ex natura rei ortum eo modo, quo dixère hi Auctores; & tamẽ de facto reipsa est circa illa eadem obligatio secreti; ergo hæc non est ex sola rei natura, sed maxime ex voluntate Christi. Et verò si res benè ponderetur, hoc argumentum habet etiam vim in secunda confessione peccatorum mortalium; nam cum hæc non sit necessaria ad salutem nec necessitate medij, nec necessitate præcepti, profectò qui voluntariè ad eam accedit, non habet illud ius summi secreti; quia si timet ne detegatur, potest non accedere. Quod si voluntariè se vult exponere ei periculo, liberum illi omnino erit, neq; haber, quod alteri imputet, si deinde detegatur. 8

Atqui certum est eodem modo Confessarium obligari ad secretum, esto sciat pœnitentem secundò confiteri ea peccata, ac si ea confessus esse: primò. Corruit ergo tota illa ratio in necessitate huius Sacramenti fundata; & ad Christi voluntatem maximè debemus recurrere, vti dixit Suar. & Henriq. Quòd autem Christus habuerit eam voluntatem, constat, vt dixit idem Suar. ex perpetua Ecclesiæ traditione & sensu fidelium. 9

Dicendum Secundò obligationem huius secreti esse grauissimam, quia est in re valde graui & eius transgressio est periculosissima: tùm autem ex paruitate materiæ possit esse aliquando eius violatio solùm venialis, dicetur infrà: hoc enim punctum est independens à radice vnde desumitur malitia: quia etiam in ipsis præceptis, maxime naturalibus, potest esse paruitas materiæ. Sunt autem in ea transgressione ordinariè duæ malitiæ: vna sacrilegij contra reuerentiã debitam Sacramento: altera iniustitiæ contra ius pœnitentis, ne diffametur; hæc autẽ secunda aliquando fortasse non erit grauis, quando scilicet res quæ reuelatur, est parui momenti, vnde vix aliquid de honore amittit pœnitens: vt si reueletur, quòd dixerit vnum verbum otiosum. Ego addo ex hoc capite etiam aliquando nullam cõmitti iniuriam: nam si de aliquo malefactore, de quo constat clare in republica, quod occiderit iniustè, & fassus sit id in carcere etiam sine tortura, diceret Confessarius quod etiam sibi id ipsum sit confessus, haud dubiè faciet contra sigillum, vt dicam infrà: & tamen nullum illi reo in honore fieret damnum, imò fortassis inde aliquis honor ei accederet, eo quod agnosceretur agere pœnitentiam de eo delicto. Idem est, si de publico hæretico conuerso dicerem illũ fassum mihi suam hæresim. Grauitas ergo vniuersalis in omni ea fractione sigilli debet desumi ex priori capite, nempe ex irreuerentia contra Sacramentum: id quod in sequentibus magis declarabitur. *In violatione sigilli confessionis sunt or-dinariò duæ malitiæ.* 10

Obiectiones aliquæ contra obligationem secreti.

Obiiciuntur aliqua contra hanc obligationem secreti ex Canonibus antiquis, in quibus videtur supponi quòd Episcopus posset aliquando propalare, quod in confessione audierit. Ita ex Concilio Carthaginensi VII. cap. 5. insinuatur in cap. *placuit*

Placuit.9.quæst. 2. Respondetur,ibi solùm esse sermonem de cõfessione iudiciali externa facta ad Episcopi interrogationem.Ex Concilio item Moguntino cap.10.& 21.vbi dicitur olim fuisse in vsu,vt quædam peccata in confessione audita tacerentur,alia verò publicè proferrentur. Respondetur,Id olim fuisse in consuetudine,quando pœnitens volebat agere pœnitentiam publicam. Alias obiectiones Suarez ponit ea sect.1.à n.16. quæ potiùs sunt casus particulares infrà discutiẽdi,vtrùm scilicet obliget in illis hoc secretum.

SECTIO II.

Quas personas obliget hoc secretum.

11 PŒNITENTEM non obligari certum,quia hoc secretum totum est in illius fauorem; cui gratiæ,si velit, potest ipse renunciare:si quæ tamẽ ipsi tradidit è contrario in secreto naturali Confessarius,tenebitur ea seruare,sicut obligatur in materijs alijs ad secretum.Excluso ergo pœnitente varij sunt, de quibus dubitare possumus, Confessarius,interpres,consiliarius,illi qui casu audiunt peccata, &c. de quibus breuiter agendum erit.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de consiliario & interprete.

CIrca Confessarium,dum validè administrat Sacramentum,certum est eum obligari.Dico *dum valide*, quia quid sit dicendum,quando Sacramentum est nullum, inferiùs declarabitur. Ratio est,quia si aliquem debet ea obligatio cõcernere,maximè Confessarium,dum validũ conficitur Sacramentum.

Circa interpretem verò,quando per illum fit confessio, quæritur, An obligetur eo secreto.Communis sententia affirmat obligari : pro qua Suar. sect.9.multos refert; eam tenet Vasquez quæst.93. art.4. dub.2. idem sensit Diuus Thomas in 4.distinct.21. quæst.3.art.1.quæst.1. Sotus tamen & Caietanus apud Suarez dicunt non obligari quidem hoc sigillo, sed tamen secreto tali,quod in nulla occasione liceat violare. Verùm hæc est iam quæstio de nomine;nam nos nullum aliud maius secretum quærimus, quàm quod non liceat in vlla occasione violare.Ratio huius communis conclusionis est,quia ea manifestatio facta interpreti pertinet ad confessionem,& eædem omnino rationes,quæ potuerunt esse ad obligandum Confessarium,vrgent etiam pro obligatione interpretis ; vnde iure merito supponitur Christum eum etiam obligasse.Nam licet Christus non obligauerit ad confitendum per interpretem(de quo alibi)fecit tamen facultatem, ideoque debuit ibi prouidere vt vitarentur incommoda, quæ esse possent, si secretum non seruaretur.Et verò etiam dici potest,Christum ad eam cõfessionem obligasse;nam si quis obligatur,quando per se non potest, per interpretem confiteri, profectò ea obligatio non ex natura rei,sed ex Christi præcepto prouenit;debuit ergo etiam Christus prospicere pro eo casu de securitate confitentis.

12 *Interpres tenetur ad sigillũ cõfessionis ex Christi voluntate,etiam si esset infidelis.*

Vbi illud obiter quæritur,An si interpres esset infidelis(vt contingere potest) teneretúrne etiã ad hoc sigillum;Respondeo, Eum obligandum nam Christus habuit etiam iurisdictionem supra infideles,potuitque illos in hoc casu obligare, vti obligauit eosdem ad recipiendum Baptismum:quòd si in hoc puncto delinqueret,fieret subditus Ecclesiæ ratione criminis contra ipsam Ecclesiam commissi : in quo puncto est magna diuersitas respectu peccati nõ acceptandi fidem; per quod tamen gentilis non fit Ecclesiæ subditus;nã hæc non acceptatio solùm est nõciua ipsi gentili,nõ Ecclesiæ.At illa reuelatio sigilli esset Ecclesiæ nociua, ac proinde propriè peccaret tunc contra Ecclesiam;posset ergo propter hoc peccatum ab illa puniri,licet non propter Baptismum non acceptatum.

13 Secundò quæritur, An consiliarius,qui consulitur à Confessario,vt sciat quid debeat facere cum pœnitẽte,obligetur eodem secreto.Ioannes Medina absolutè negat;Vasquez dub.2. num.1. negat,si pœnitens dedit licentiam ad consulendum, quia per hoc videtur cessisse suo iure.In quam sententiam ait Lugo valdè inclinare Patrem Coninch disp.9.num.50. Coninch tamen eo dubio 3.nec defendit hanc sententiam absolutè,neque ineam inclinat,nisi sub distinctione: ait enim,Quando Cõfessarius de licentia pœnitentis consulit alium circa rem,quæ est quodammodò ex natura sua independens à Sacramento confessionis,vt,An pœnitens teneatur restituere, an possit in hoc aut illo statu sine peccato perseuerare,&c.quæ omnia etiamsi non esset confessionis Sacramentum, debent interrogari ab aliquo docto viro;quando ergo talis est consultatio,ait,stando quidem ratione,videri probabilius non obligari ad secretum confessionis eum hominem doctum interrogatum tunc;absolutè tamen propter auctoritatem maiorem & reuerentiam Sacramẽti dicit etiam illum omnino obligari. Quòd si interrogatio sit pertinens intrinsecè ad confessionẽ,vt si interrogaret,An posset illũ absoluere à casibus reseruatis,tunc sine dubitatione docet Coninch obligari ad sigillum 14
eum,qui de licentia pœnitẽtis interrogatur.Hæc est ibi sententia huius Auctoris,qui ibidem addit, Esto in priori casu non obligaret sigillum confessionis,nulla tamẽ ratione fore licitum vti ea cognitione in ordine ad accusationem & punitionem pœnitentis,quia hoc fieret cum irreuerentia Sacramẽti;id quod iudicat dicendum de illo, qui inueniret chartam,in qua pœnitens memoriæ causa sua peccata scripsisset ; concluditque,*Vide Henriquez lib.6.de Sacramentis cap.* 10.*num.*1. neque per hoc reducit rem ad quæst. de nomine(vt ait Lugo,)nam solùm in ordine ad accusationem & punitionem pœnitentis dicit,*Nulla ratione licere vti ea scientia*,per quod non negat posse ad alios fines, v.g.tutandi vitam,aut qui simile,eum sic interrogatum vti ea notitia. Deinde esto ponat obligationem illam non vtendi,non tamen ideò docet illum, si reuelet tale peccatum,incursurum pœnas impositas in transgressores sigilli confessionis ; non ergo per hoc reducit Coninch quæstionem ad voces.

Hæc tamen distinctio Patris Coninch,etsi ingeniosa,non tamen videtur admittenda;quia siue ea consultatio fiat in ordine ad absoluendũ,siue in ordine ad imponendam illi pœnitentiam,siue in ordine ad dirigendum illum, semper trahit originem ex cõfessione & ordinatur ad confessionem iuxta præceptũ Christi perficiendã;ergo quoad hoc æqualis ratio secreti debet esse in

vna ac in altera interrogatione. Nec videtur in hoc puncto tenuisse hic auctor consequentiam, vt paulò pòst ostendam ipsius argumentum dissoluens.

15 Absolutè ergo dicendum est cum Patre Suario suprà num.6. & alijs,quos ipse affert,plures etiam refert Diana Tomo 1.Tractatu 1. Miscell. resolut. 14. etiam illum sic interrogatum obligari eo secreto non minùs quàm ipsum Confessarium. Hanc doctrinam Nauarrus probat,quia res ad quemcumque transit, cum suo onere transit;ergo.Hæc ratio nullius est momenti,quia illud principium præcisè intelligitur de re stabili, quæ habet aliquod debitum annexum. At obligatio personalis non transit ad alios,alioquin si quis violans naturale secretum mihi aliquid diceret, ego etiam tenerer; quod est falsum.

Consultus à Confessario super alterius confessione tenetur etiam ad sigillum.

Suarez probat id Secundò, quia confiliarius efficit vnum quid cum Confessario, supplens in eo scientiæ defectum;ergo obligatur eodem modo quo ille.Hanc reijcit Lugo,quia confiliarius potest esse laicus qui eo ipso nullo modo est Confessarius,sed Magister Confessarij;eo autem quòd si Magister Confessarij, non obligatur sine dubio. Verùm Pater Suarius non iudicauit eo sensu confiliarium complere vnum quid cum Confessario, quasi ille verè absolueret partialiter, sed quia in ordine ad hoc Sacramentum hîc & nunc perfectè administrandum concurrit dirigendo aliquo modo,non solùm dando generalia principia, vt concurrit Magister, aut concurrunt libri;sed in particulari cum notitia facti,& fortasse personæ;ac proinde videtur obligatus ad silentium,ad quod non potest obligari Professor aut Magister, qui tradit regulas generales in Scholis; qui vt sic non habet notitiam particularium culparum aut factorum,supra quæ præcisè cadit ea obligatio secreti.Vnde ego non video quomodo contra Suarium allata sit ea instantia Professoris,qui vt talis non obligatur ad secretum.Certè in omnibus Tribunalibus quando aliquis adhibetur tamquam confiliarius cum communicatione causæ,obligatur eodem modo
16 ad silentium, quo ipsi Iudices.Ratio autem est, quia siue illa res promulgetur per iudicem siue per confiliarium,eodem modo sequuntur absurda;vnde in præsenti dicendum, Etiamsi pœnitens dederit licentiam, vt res conferatur cum confiliario, non tamen ideò cessisse suo iure, vt vlteriùs possit confiliarius,cui velit,eam reuelare. Vrgeo id ab absurdo; quia sequeretur quòd confiliarius dicere posset Confessario illud peccatum,& tunc hic ex scientia illa iam non obligaretur ad secretum; id quod euidenter est falsum.

Obiectio prima.

Obijcies:Si pœnitens immediatè consuleret virum doctum,non obligaretur hic ad secretum; ergo neque obligatur,quando id facit per Confessarium tamquam per internuntium,quia non videtur posse maiorem per hoc in eo inducere obligationem secreti, quàm si immediatè consuleret: ita obijcit Pater Coninch; in quo tamen cum noto defectum consequentiæ; nam infrà agens, An Prælatus,à quo petitur licentia ad absolutionem à casibus reseruatis, obligetur eo secreto, ait, Si ea petatur per Confessarium, obligari tunc Prælatum; si autem pœnitens per seipsum accedat, ait non teneri. Ecce iam hic Auctor ponit obligationem maiorem, quando per Confessarium reuelatur peccatum, quàm si per pœnitentem;non ergo est idem pro re præsenti id dicere per Confessarium, ac dicere per se ipsum immediatè. Absolutè ergo respondeo negando consequentiam,quia in eo casu illa notitia confiliarij non desumitur vllo modo ex confessione,sicut desumitur in secundo casu; ac proinde non potest habere onus quod habet in secundo: vti ipsi Aduersarij fatentur. Si Confessarius iniquè reuelauit peccatum,teneri eum qui audiuit ad idem secretum; si autem ab ipso pœnitente ego audirem extra confessionem,non tenerer ad secretum:ergo.

Responsio.

Secundò obijciunt; Christus imponens obligationem secreti solùm voluit prospicere ei peccatorum narrationi, quæ est necessaria ad obtinendam Sacramentalem absolutionem;ea autem consulatio cum confiliario non est necessaria. Respondeo, Si hæc obiectio quidquam valet sequi, multos non teneri ad sigillum confessionis quos tamen teneri fatentur ipsi Aduersarij; nam neque ille, qui casu esset in eodem loco confessionis, & ea peccata audiret,nec qui confessionem scriptam inueniret,nec qui à Confessario iniquè ea narrante audiret, teneretur,quia hæ omnes narrationes non sunt institutæ à Christo ad obtinendam Sacramentalem absolutionem. Respondeo Secundò, Posse negari illam consultationem non esse institutam; nam Christus instituit Sacerdotes vt prudentes Ministros, ac proinde voluit, vt quando ex se non sufficiunt, consulant viros prudentes. Tota ergo ea consultatio dici potest ex Christi institutione venire; ideoque debuit omnis notitia,quæ nulla ex confessione haberetur, manere sub sigillo ad pœnitentis securitatem.

17 *Obiectio secunda.*

Responsio prima.

Secunda

SVBSECTIO SECVNDA.

Qui alij obligentur eo secreto.

Tertiò dubitatur de Prælato, à quo petitur licentia pro casu reseruato. Pater Coninch, vt paulò antè insinuaui,ait, Si ea licentia petatur per Confessarium ex consensu pœnitentis esse obligationem secreti,secùs si immediatè ipse pœnitens eã petat,quia tunc non est notitia ex confessione. In hac doctrina minùs consequenter hunc Auctorem discurrisse dixi paulò antè agens de confiliario,cui Confessarius reuelat peccata; nunc absolutè ac breuiter respondeo, Eam licentiam, etsi non sit intra confessionem, ordinari tamen intrinsecè ad illam,ideoque debere habere eamdem obligationem secreti. Et sanè hic mihi videtur esse secundus defectus consequentiæ in Coninch;nam etiam ipsa petitio per Confessarium non est actualis confessio; nec magis ordinatur ad confessionem,quàm dum immediatè eam pœnitens petit;in vtroque enim casu est ante confessionem,in vtroque ad illam ordinatur, in vtroque ipse Prælatus non est auditurus confessionem:quæ ergo quæso est differentia,probans magis in vno quàm in altero debere esse sub sigillo?

18

Prælatus requisitus pro re ulterius absoluendi à reseruatis tenetur ad sigillum.

Obiectio.

Dices,A te solùm admitti eam obligationem secreti,quando Confessarius peccatum illud ex Confessione intellexit. Sed contrà,quia respectu Prælati hoc ipsum est per accidens, nisi recurramus ad hoc,quòd ea notitia intrinsecè ordinetur ad confessionem. Nam etiam dum ante confessionem dicit quis Confessario suum peccatum, illud dicit quasi inchoando confessionem:vnde (vt ex Suario sect.1. num.4.notat benè Lugo)

Soluitur.

saltem

saltem ipse Confessarius tunc pro licentia recurrens, esto ante inchoatam confessionem, obligatur sigillo; & tamen id non resciuit ex actuali cõfessione, sed præcisè in ordine ad illam; ergo.

19 *Qui ex Cõfessario peccatũ alterius intellexit tenetur ad sigillũ & qui ea quæ ex cõfessione talem notitiam habet.*

Quarto dubitatur de eo, cui Confessarius ex malitia manifestauit peccatum, aut certè bona fide ex errore aliquo inuincibili. In hoc pũcto omnes ferè conueniunt eum teneri, quia tota illa notitia est ex confessione, quidquid in contrarium dicat Medina. Idem dicendum est de eo, qui casu vel ex industria audiuit pœnitentem dum confiteretur; quia etiam tota illa notitia est ex confessione (vt Suarez & Vasquez, quos citat & sequitur Lugo, & alij tradunt communiter) ac proinde obligat eodem modo ad secretum. Si tamẽ aliquis ob maiorem sui humiliationem vellet aliquos esse præsentes, qui audirent ipsius peccata, tunc hi non obligarentur, quia respectu illorum iam non esset confessio Sacramentalis; quo casu ait Lugo etiam Confessarium posse loquì de illis peccatis non ex notitia, quam ipse habet ex confessione, prout est sibi facta, sed prout est facta alijs, quam etiam ipse audiuit: si tamen intentio pœnitẽtis non dirigatur ad alios præsentes, tunc omnes tenentur.

Obiectio. Dices forte; Illa confessio facta alijs non est diuersa ab ipsa facta Confessario; ergo tunc Confessarius non potest ex illa loqui, nisi post quã alij audientes naufragauerint ipsi Confessario ea peccata. *Responsio.* Respondeo, Eam confessionem, quæ realiter est vna quoad pronuntiationem verborum, esse virtualiter multiplicem, quia ordinatur directè ad plures ex intentione loquẽtis; ac proinde poterit, quatenus ordinatur ad alios, desernire pro manifestatione peccatorum. Imò fortasse posset tunc quis iudicare, illam ipsam confessionem, etiam prout factam Sacerdoti, sub his circumstantijs non esse secretam, quia eo ipso quòd pœnitens voluit alios esse præsentes pro humiliatione, cessit suo iure non aliter, quàm si post confessionem publicè dixisset Confessario, *Do tibi licentiam vt pro tuo libitu reueles totam meam confessionem*; quo casu Sacerdos loqui posset de ea confessione ex scientia, quam in illa habuit, quia iam est ablatum impedimentum. Vnde in præsenti melius etiam dicemus Sacerdotem loqui ex scientia sibi facta, cùm iam sit ablata obligatio secreti per aduocationem aliorum.

20 *Qui se Cõfessarium finxit, cùm non esset tenetur ad sigillum.*

Quintò dubitatur, An qui se Sacerdotem finxit, obligetur sigillo. Sotus negat eum teneri; communis tamen sententia affirmat, vt videre est apud Vasquez & Suarez suprà. Ratio est, quia saltem ex intentione pœnitentis ea fuit vera confessio, ad quam bona fide ille accessit; ergo. Cõfirmo Primò, quia si talis non esset obligatus, posset semper timere pœnitens, nè fortè hic aut ille non sit verus Confessarius, & postea peccata reueles; debuit ergo eodem modo obligari ac si esset verus. Secundò id confirmo, quia si tenentur alij qui casu audiunt confessionem, esto non sint Sacerdotes, nec ad ipsos accedat pœnitens; à fortiori tenebitur hic, qui se finxit Sacerdotem, & quasi in foro externo confessionem audiuit, & ratione ipsius dejecti dici potest maiorem obligationem contraxisse.

Obiectio. Obijcies: Si quis putans in hora mortis posse se confiteri validè laico in defectu Sacerdotis (vt videntur olim aliqui insinuasse) confiteretur reipsa illi, nõ teneretur laicus ad sigillum; ergo nec tenebitur idem laicus, quando pœnitens inuincibiliter eum iudicat Sacerdotem; quandoquidem in vtroque casu ex errore confiteretur laico. *Respondeo.* Respondebis, In casu obiectionis esse ignorantiam iuris, in primo verò facti: ignorantia autem iuris non videtur ei pœnitenti fauere, sicuti fauet ignoranti facti. Verùm hæc solutio adhuc non satisfacit, nisi magis declaretur, vt eam declarat Lugo, qui bene ait, quando pœnitens iudicat aliquem esse Sacerdotem, & ei vult confiteri quà tali, iam eo ipso apprehendere Sacramentum Pœnitentiæ verum, quale Christus instituit, etiamsi erret putando hanc personam esse Sacerdotem; cùm ergo Christus Dominus sigillum hoc instituerit in fauorem Sacramenti à se instituti, vt ex illius institutione nem incurreret periculum infamiæ, iure merito qui tale Sacramentum intendit, fruitur eo priuilegio; secùs ille qui finxit sibi aliud Sacramentum, quod reuerà non est à Christo institutum; quale est confessio facta laico qua tali: vt si quis putaret esse validam confessionem vocalem coram Crucifixo, & eam aliquis audiret, non teneretur hic ad secretum. Quæ doctrina optima est: in ea tamen Cardinalis iam asserit, quod suprà fortiter negauerat, scilicet ex præcepto impositò à Christo Domino oriri hanc obligationem secreti.

21 *Quid ſi pœnitens confiteatur absque animo conſequendi abſolutio. nem, aut Sacerdoti malitiose eum eludere, aut abſolutum.*

Hinc infertur, Eum pœnitentem, qui sine animo vllo absolutionis obtinendæ confiteretur, non fruiturum hoc priuilegio, quia non intenderet propriè Sacramentum conficere; sed quid si è contrario Sacerdos non habeat animum absoluendi? Respondeo ex dictis de laico se fingente Sacerdotem, à fortiori dari talem obligationem in casu nostro. Sed quid rursus, si Sacerdos ab initio protestetur se nolle audire confessionem, nec velle dare absolutionem, pœnitens verò pergat confiteri? Suarez ea sect. 2. num. 5. negat; Lugo verò affirmat, & putat Suarium in hoc non discurrisse consequenter, eò quòd dixisset paulò antè non esse necessariam intentionem absoluendi in Sacerdote, sed posse esse validam confessionem, esto tunc non habuerit intentionem audiendi & absoluendi; ac proinde posse deinde mutata intentione vi eius confessionis absoluere. Confirmat; nam si Confessario nihil cogitante aliquis moribundus occurrat, eique inclamet *Pater ego me accuso de tali peccato, absolue me*, illa erit confessio Sacramentalis, & potetit moribundus absolui; ergo non est necessaria intentio Sacerdotis ad audiendam confessionem. Ego tamen adhuc iudico omnino veram esse doctrinam Suarij; neque in ea vllum video consequentiæ defectum. Fateor quidem non requiri positiuam volitionem absoluendi; fateor etiam Secundò, si Sacerdos nihil dicat pœnitenti, sed audiat eius confessionem, esto sine animo absoluendi, eum obligari ad secretum; & hoc est quod docet Suarez; nego tamen inde vllo modo inferri, eum, qui ab initio clamat se nolle confessionem audire & absoluere, & vult inde se subtrahere, etiam obligari eo sigillo. Disparitas est meo iudicio euidens, & quidem desumpta ex ratione, quam idem Lugo probauerat, & benè, illum, qui ficto Confessario serìò confiteatur, frui eo priuilegio, qui scilicet bona fide inchoauit, & fortè etiam perfecit totam suam confessionem, non ergo debuit defraudari ea gratia deinde quia voluit perfici illud Sacramentum prout à Christo re ipsa fuit institutum. Atqui quando Sacerdos ante inchoatam confessionem protestatur se nolle audire confessionem, & hoc inculcat pœnitenti, 22

profectò

profectò iam pœnitens non inchoat bona fide, sed mala, quia vult confiteri non accipiendo absolutionem, aut ab inuito eam extorquendo, cùm audiat Sacerdotem dicentem se nolle eum audire, iam ergo intendit Sacramentum, quale Christus non instituit, nempe sine intentione absolutionis, aut cum ea violenter data, ergo non habet ius ad illud secretum non minùs quàm si ipse ab initio fuisset confessus nullam habens animum accipiendi absolutionem. Et (vt verum fatear) ego nec quidem probabilem differentiam video inter hos duos casus, siue enim illius absolutionis defectus refundatur in animum pœnitentis, siue è contrario in animum Confessarij, dummodò, vt dixi, hoc totum sit iam ab initio notum ipsi pœnitenti, & in vtroque agnoscatur futura inualiditas Sacramenti, in vtroque sit præuisa, &c. non video cur magis fruatur iure secreti in vno quàm in altero casu

Obiicio. Respondebis: Potest mutare Confessarius animum, & tunc dare absolutionem valdam. Sed

Soluitur Primò. contrà, quia etiam ipse pœnitens potest post dicta omnia peccata animum mutare, & concepto dolore absolui validè, maximè si fortè inculpabiliter putat se non teneri dicere illum malum animum quo accessit: tunc enim nihil penitùs foris ostendendo potest efficere validam confessionem. Et habet hoc maximè locum in sententia Lugo, qui benè docet contra Coninch sufficere, si dolor de peccatis & propositū emendationis sint post dicta omnia peccata, prùs tamen quàm detur absolutio: ergo si ea possibilitas mutationis animi sufficit pro Confessario, sufficiet & pro pœnitente: ac proinde non erit

23 consequentia in duplici ea doctrina. Absolutè

Secundò. autem respondeo, Confessionem illam posse esse Sacramentalem, eo ipso quòd deinde Sacerdos velit dare absolutionem mutato animo; quia confessio exterior solùm requiritur, vt Sacerdos sciat ea peccata: scire autem ea potest per confessionē etiam quæ non fuit Sacramentalis, dum fuit facta: nam si nihil mihi dicendo de confessione narraret mihi quasi amico aliquis omnia sua peccata, non esset confessio Sacramentalis: & tamen si ille adiceret, *Ab omnibus his peccatis peto absolutionem*, ego nullā nouā petitā confessione posset illum absoluere in omnium sententia. Ecce confessio illa quæ non fuit Sacramentalis, neque induerat obligationem secreti, facta est Sacramentalis, dum ille mihi dixit, *De his me accuso, ab his peto absolutionem*, & ego illam do: idem est in præsenti casu. Ad illam confirmationem de moribundo dico eum bona fide processisse, quia nihil fecerat Sacerdos in contrarium protestatus: in nostro autem casu iam ostendimus magnam disparitatem.

Obiicio. Rogabis: Quid si pœnitens veniat agnoscens

Soluitur. se non esse sufficienter dispositum, inducétne ea confessio obligationem secreti? Respondeo, Vel pœnitens non venit cum animo faciendi veram confessionem, & tunc nulla erit obligatio secreti: vel è contrario habet animum serium confessionis, & sciendi quid sibi desit ad validè absolutionem obtinendam, esto agnoscat se adhuc non habere necessaria omnia. Et in hoc casu omnino iudico esse obligationem, esto Confessarius deprehendat illum de facto esse incapacem, quia reuerà ille bono animo inchoauit Sacramentū hoc: id quod habet locum etiamsi non habuerit animum accipiendi tunc absolutionem, sed postea: vi tamen eius confessionis: vti quando aliquis hodie facit mediam confessionem & alteram mediam cras. Vbi iure reprehendit Lugo aliquos, quos dicit accedere ad Sacerdotem, & quasi in confessione narrare aliquid quod sub sigillo dicere volebant: eo autem narrato dicunt, *Nunc absolutionem non curo, volo illam ad aliud tempus differre*: hi enim videntur ab initio venire non animo confessionis: ac proinde si Confessario ea de re clarè constaret, non obligaretur ad secretum confessionis, sed ad naturale; esset tamen meo iudicio etiam tunc valdè periculosum aliquid reuelare, quia posset alter tunc dicere, se id solùm in confessione manifestasse. 24

Quæritur præterea de charta, in qua scribitur confessio, an qui illam inuenit, obligetur ad sigillum. Multi, quos Diana refert & sequitur Tom. 2. Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 112. affirmant: alij negant apud eumdem, vt Suarez, Coninch, & Layman, quibus adhæret Lugo: quia illa scheda non est confessio, sed præparatio, vt deinde possit confiteri: vt si quis ad memoriter retinenda peccata ea in cubiculo paulò altiùs repeteret, cúmque alius audiret, non teneretur hic ad sigillum. Addit tamen Lugo, eos, qui olim dicebant fieri posse confessionem per litteras, debuisse consequenter docere, litteras illas ad Confessarium missas, si ab aliquo interciperentur, & legerentur, inducturas obligationem secreti. Vbi ego aduerto eam obligationem secreti non inchoandam dum ille scriberet, sed dum iam clausas litteras mitteret Confessario. Et quoad hoc fortasse etiam de facto posset aliquid simile concipi, si, qui loqui non posset, posset scribere, & ita scriberet sua peccata, vt in sua præsentia eam chartam daret Confessario, & hic eam legeret: si enim tunc alius in quodam loco absconditus posset etiam eam legere, teneretur eodem modo ad secretum. Et idem dico, quando de facto quis confitetur ex scheda, si, dum durat confessio, eam alius legeret, esto verba non audiret, videretur omnino obligandus. *An reperta scripta confessionis teneatur ad sigillum.*

Difficultas est, si ea inueniatur post confessionem; Lugo putat, si immediatè post, fore obligationem secreti: id quod metaphysicè loquendo ait in ipsis verbis posse cōtingere, si confiteretur quis vbi esset echo, quæ reflecteret verba post prolatam absolutionem. Ego tamen, postquam iam est finita confessio, siue parum siue multum temporis intercedat, puto non obligari eum qui illam deprehendit, & ad hoc non valere eam instantiam ex echone desumptam: nam ibi illa repercussio est moraliter ipsamet locutio pœnitentis, ideóque sortitur eamdem obligationem secreti. At scriptura manens non est effectus confessionis, sed primæ scriptionis, & quidem per se iam quasi externus: eodem enim modo durat, siue iam dubium scripserit siue immediatè antè; ac proinde pœnitentis vitio debet tribui, quòd eam schedam reliquerit, non minùs quàm si surgens eam amisisset in templo. Addit Lugo idem esse dicendum, si quis per litteras peteret licentiam à suo Prælato, vt posset absolui à casibus reseruatis: qui enim eas litteras legeret teneretur secreto, sicut qui casu audiret pœnitentem petentem licentiam vt posset absolui, quia etiam illa petitio est (vt diximus suprà) in ordine ad confessionem seu inchoatio confessionis. Ego tamē sub eadem distinctione intelligo hanc doctrinam quā præcedentem, vt scilicet ille, qui litteras illas clausas aperiret, vel dum Prælatus eas legit, ipse etiam eas legeret, obligetur ad secre- 25

tum; non autem, casu quo postea illas inueniret in cubiculo Prælati, aut alibi, easque legeret, quia ea scriptura iam non esset petitio licentiæ: vti confessio scripta inuenta, ex qua aliquis confessus est, non est iam confessio. Aduerte tamen, licet legens eas scripturas non obligetur sigillo stricto confessionis, teneri tamen ad strictissimum silentium.

SECTIO III.

De materia huius sigilli.

26 QVÆRIMVS, quid sit, quòd non possit à Confessario manifestari. Et quidem de peccatis mortalibus non est difficultas vlla, quin sit materia secreti; quia si quid aliud potest esse, hoc maximè. Prima ergo difficultas est de venialibus: in qua Ledesma apud Lugo suprà n. 51 & apud Suarez sect. 3. putauit reuelare peccatum vnum veniale, dummodò non dicatur esse auditum in confessione, non esse mortale. Contraria tamen sententia inter omnes alios communis docet, etiam veniale non posse vllo modo reuelari, nisi peccando mortaliter. Rario est, quia illa eadem reuelatio est in maximam irreuerentiam Sacramenti, & vehementer retrahens hominem à confessione venialium, quæ etiam est magni momenti, esto non sit ad salutem necessaria: est etiam sæpè magis molesta reuelatio alicuius venialis quàm vnius mortalis. Potest tamen Confessarius dicere in communi, illum hominem sibi confessum veniale, quia si potest dicere confessum esse, potest dicere confessum veniale, quia hoc vt minimum est necessarium ad confessionis valorem: non potest autem eo modo nec in genere dicere, confessus est mortale, quia hoc non includitur in confessione, & est iam reuelare plus quàm confessio per se reuelat.

Reuelare peccatum veniale ex confessione est mortale.

Quæret tamen aliquis, quandoquidem dicere illum fuisse confessum veniale non est contra sigillum, an etiam non sit dicere, *Confessus est infimum veniale, quod potest esse*, & explicare possit tunc, quod sit hoc veniale. Ratio dubitandi est, quia Confessarius tunc nihil plus, imò quodammodò minus dicit, quàm si præcisè diceret *Confessus est veniale*: possem enim tunc cogitare confessum aliquod ex maioribus inter venialia: at quando dico *minimum*, iam dico infimum quod potuit ille dicere. Respondeo, Etsi rem metaphysicè considerando fortasse dicere possemus, ex eo capite non esse contra sigillum confessionis: nihilominùs vel quia numquam scitur quod sit minimum veniale, vel ne apertiatur porta, vt Confessarius putet pro suo libitu hoc esse minimum, interim sit ex maioribus: & ne, si in vno casu admittatur exceptio, trahatur ad alios paulò grauiores consequentia (vt sæpè fieri solet in rebus moralibus) oportuit vt neque in hoc id esset licitum.

27 Quæ de peccatis dicta sunt, debent etiam intelligi de circumstantiis peccatorum, quia & hæ augent malitiam, & sunt pars peccati. Est etiam hoc intelligendum non solùm de ipsa transgressione circumstantiæ, sed de ipsa circumstantia quasi obiectiuè: v. g. dixit aliquis se peccasse contra castitatem, & quidem contra votum castitatis, non possum ego dicere, *Talis habet votum castitatis*, nisi id aliunde anteà sciuissem.

Non licet etiam peccatorum circumstantias reuelare.

Obiectio prima.

Dices Primò; Habere votum castitatis non est malum & peccatum, sed potius virtus: deinde ex eo quòd dicatur habere votum, nihil significatur de confessione alicuius peccati contra illud: ergo Respondeo tamen, Posse ex ea reuelatione etiam confessionem manifestari; nam si vlteriùs interrogetur Confessarius vnde id sciat, nequeatque respondere, facilè ingenerabitur opinio, quòd id intellexerit ex peccato aliquo contra illud votum facto, in confessione sibi dicto: deinde si ipse pœnitens nulli illud votum dixit, posteáque audiat suum Confessarium dixisse de illo voto, sine dubio intelliget illum reuelasse aliquid de confessione.

Responsio.

Dices Secundò: Etiamsi dicatur eum Sacerdotem ex confessione sola habere notitiam, quòd Petrus habeat votum castitatis, non propterea colligi, quòd confessus sit aliquod peccatum contra castitatem: votum enim illud dicere Confessario potuit, tum vt sciret obligationem quam ex illo habet, tum vt quæreret, an liberari ab illo possit, & ageret de petenda dispensatione. Respondeo hinc probari non esse omnino certam illam illationem, ac proinde excusari aliquo modo Confessarium posse: nihilominùs quia similia dubia frequentiùs solent tractari extra confessionem, & saltem sub probabili consequentia, potest illud peccatum inferri, nullatenus debet admitti, licitum esse Confessario tale votum reuelare.

Obiectio secunda.

Responsio.

28 Secunda difficultas est: Si quis dicat se habere animum peccandi, vtrùm hæc voluntas cadat sub secretum, cùm non sit peccatum de præsenti, sed de futuro. Communis sententia docet omnino obligare: & ratio est manifesta: nam illa voluntas etiam de præsenti est peccatum, esto respiciat actionem futuram: & licet fortè ratione illius mali animi tunc durantis, quando confitetur, non possit ille homo absolui, nihilominùs non potest illud peccatum reuelari: alioquin quandocumque negatur alicui absolutio, possent eius peccata reuelari: id quod apertè falsum est. Aduerte tamen, si pœnitens non veniret animo absolutionem obtinendi, iam tunc redire regulam suprà traditam, quòd scilicet non esset vlla obligatio secreti.

Tertia difficultas est, Vtrùm defectus naturales, qui manifestantur occasione peccati, sint etiam materia sigilli. Pater Vasquez num. 2. distinguit: vel enim peccatum, ratione cuius est defectus ille defectus naturalis, est occultum: vt si dixerit se, esto haberet defectum natalium, habuisse animum accipiendi officium, quod tamen suscipi cum eo defectu non potest: & tunc ait non esse contra sigillum reuelare illud delictum, quia inde non potest vllo modo veniri in cognitionem peccati: si verò iam illud officium suscepit, tunc fatetur Confessarium illum defectum natalium reuelantem peccare contra sigillum, quia eo ipso reuelat peccatum eius pœnitentis: qui enim sciunt illum esse Sacerdotem, & audiunt habere talem defectum, eo ipso inferunt, Ergo peccauit suscipiendo eos Ordines, seu illud officium. Nihilominùs vniuersaliter est dicendum, Non licere id vnquam manifestare: & constat à fortiori ex his, quæ paulò antè docuimus, quòd non liceat dicere votum castitatis, quod se habere dixit pœnitens, cùm tamen illud votum non sit materia pudoris, sed potiùs laudis; multò ergo magis hi defectus, quorum reuelatio est sæpe occasio maioris doloris, quàm si reuelaretur vnum peccatum mortale.

Licetne defectus naturales cognitos in confessione reuelare.

Dices;

Dices; Ergo si quis ad explicandam malitiam adulterij dicat se esse coniugatum, vel se esse Sacerdotem, non poterit postea Confessarius dicere se audiuisse Sacerdotem vel vxoratum: hoc autem planè est contra communem sensum. *Responsio.* Respondetur, In his rebus aliqua esse quæ moraliter sunt nota: vt quòd sit Sacerdos, quòd habeat vxorem, &c. quæ per se loquendo non dicuntur à pœnitente sub secreto: ideóque in talibus non est obligatio vlla secreti: alia verò quæ & secreta sunt, & pœnitens non manifestat nisi coactus, vt declaret suum peccatum, seu circumstantiam illius mutantem speciem, hæc autem intelligitur dixisse sub secreto. Ego ex proposito dixi, *Per se loquendo non esse eam obligationem in his quæ spectant ad Sacerdotium, matrimonium*, &c. quia aliquando admitterem etiam in his esse obligationem secreti: vt si pœnitens esset quidem Sacerdos, occultare se tamen vellet, vel quia incedit in vestitu sæculari, vel ob alias rationes: & tunc sine dubio non liceret id revelare. Est ergo maximè in hoc puncto attendendum ad notorietatem rei dictæ, & ad hoc, quòd non sit materia pudoris, & quòd ex illa nihil possit inferri de peccato ipso: his enim tribus positis videtur planè certum pœnitentem non dixisse eam circumstantiam sub secreto, sed sine mysterio quoad hoc punctum, ad declarandam tamen malitiam peccati: vt si etiam hoc modo alienum peccatum narraret, *Accuso me quòd heri interfuerim duello illi publico*: eo enim casu non vult occultare, quòd fuerit duellum, imò hoc supponit publicum.

30 Circa virtutes verò, reuelationes & gratias à Deo acceptas, quas pœnitens manifestat Confessario, Sà, Henriquez, Nauarrus & Bonacina apud Lugo n. 58. dicunt non esse materiam sigilli confessionis: ipse verò Lugo distinguit; vel enim dicuntur propter directionem conscientiæ pœnitentis, & tunc admittit non esse materiam sigilli: vel dicuntur vt circumstantiæ peccati, v.g. ad declarandam suam ingratitudinem in Deum, quòd post tot beneficia accepta adhuc Deum offenderit: & tunc putat cadere sub sigillum, cùm iam sint saltem in obliquo materia confessionis; & apparet aliunde, quòd pœnitens velit ea esse sub secreto. Ego tamen non puto ex hoc capite posse vllam sumi disparitatem, quia siue hoc fine siue illo dicantur, numquam sunt peccata nec materia confessionis, nec quidem in obliquo, sed tantùm purus putus terminus extrinsecus eius peccati ingratitudinis; nec vllo modo ostendunt peccatum dictum in confessione nec apparet ex hoc capite, cur malit pœnitens occultari, quando eas dicit hoc modo, quàm si eas dixisset, vt consuleret Confessarium circa suæ conscientiæ directionem. Adde, non videri liberum pœnitenti obligare Confessarium ad sigillum in his quæ non sunt ex se materia illius: vt si ille eloquentissimè in confessione locutus fuisset, esto vellet eam eloquentiam manere sub secreto, non est tamen id in voluntate ipsius: debet enim esse aliquid, quod ex se sit peccatum aut circumstantia illius, vel in pudorem & minorem illius æstimationem, vel certè ex quo possit quodammodò veniri in peccati cognitionem.

31 Hinc potest etiam decidi, quid sit dicendum de aliis defectibus, quos pœnitens in actu exercitio ostendit, dum confitetur v. g. quòd sit scrupulosus, quòd in nugis trahat moras, &c. Communis sensus videtur docere, eos non esse sub sigillo: nam passim sine vllo planè scrupulo solemus dicere, hunc aut illum esse ob suos scrupulos intolerabilem in confessione. Ratio est, quia hi non sunt defectus, de quibus pœnitens se accusat, sed in actu exercito committuntur à pœnitente, & videntur a Sacerdote, seu percipiuntur sensibus, vt si dum confitetur, perpetuò manus habet inquietas, vertat caput huc aut illuc, procul dubio dicere hoc de illo non est cõtra sigillum; imò si graue aliquod peccatum ibi committeret, & à Sacerdote videretur, si tamen de illo se non accusaret, non esset haud dubiè materia sigilli.

Quæritur præterea de peccatis publicis; v. g. occidit aliquis alterum, publicè conuincitur de illo, condemnatur, confitetur, possúmne ego dicere, *Ille est mihi suum homicidium confessus*? videtur enim tunc non diffamari, sed potius laudari, quòd de illo egerit pœnitentiam. Idem est de hæretico publico, qui conuertitur, possúmne dicere, *Ille accusauit se de sua hæresi*? Ioannes Medina quæstione de his quæ a Confessario celanda sunt ait hoc non esse sub sigillo; idémque alij nonnulli videntur sentire: & reuerà tam speculatiuè considerando non potest negari id esse satis probabile. Nihilominùs non est recedendum à communi sententia, quæ asserit & hoc cadere sub sigillum; quia per accidens est, quòd id cedat hic & nunc in laudem illius. Addo ego, fortasse neque hoc esse verum, quia potest contingere, vt reus ille actionem quidem eam exteriorem homicidij v.g. admiserit, habuerit tamen interiùs ignorantiam aliquam inuincibilem illum excusantem, aut libertate caruerit, aut excusationem aliam inuincibiliter reputatam sufficientem: quando autem iam dico eum confessum esse, ostendo illum non materialiter tantùm, sed formaliter peccasse: possum tamen ego tunc illud peccatum dicere non vt ex confessione, sed vt aliunde notum. Nam licet non defuerint, qui dixerint Confessarium, eo ipso quòd sciat aliquid per confessionem, non posse de eo loqui, etiamsi per alteram scientiam ipsi sit notum, id tamen meritò communiter reiicitur. Ratio est, quia scientia, quam ego aliunde habeo, non impeditur per alteram ex confessione; ergo possum ex illa loqui, quidquid sit de hac secunda notitia. Confirmo; Quia si scientia alia impediretur per confessionem posset tunc nequam aliquis Sacerdos, cuius delicta essent etiam publica, confiteri suo Iudici Ecclesiastico, vt hic nihil deinde posset facere ex ea scientia communi: hoc autem planè esset absurdum: ergo.

An liceat peccatum aliunde publicum, etiã ex confessione intellecta, reuelare.

Quæritur Sextò, An possit quis narrare peccatum in confessione auditum non nominando personam. Respondetur communiter posse, dummodò non sit periculum vllum deueniendi in notitiam personæ. Vnde si inter paucos, quorum confessiones excipit, dicat se tale peccatum audiuisse, censeri deberet grauiter peccare; vti si nominaret Religionem, ex quâ dixisset se audiuisse tale aut tale peccatum: eo enim casu omnes illius Ordinis Religiosi partialiter infamarentur. 32 *Possitne peccatum reuelari tacendo personam.*

Obiectio. Dices; Ergo à fortiori si quis dicat se in tali ciuitate audiuisse vsuras, sodomias, peccabit contra sigillum; quia pauciores fortè homines sunt in illa tota ciuitate, quàm in aliqua integra Religione v.g. Sancti Francisci: si ergo qui reuelaret graue peccatum Religiosi alicuius dicendo ex quo ordine esset, esto personam reticuisset, face-

tet contra sigillum,etiam faceret dicendo se in tali ciuitate audiuisse vnum sodomitam;hoc autem videtur esse valdè durum. Respondeo, Me
Responsio. non dixisse ideò factum contra sigillum, quia esset periculum,ne deprehenderetur quis ille Religiosus esset;quoad hoc enim fateor minus periculum fore in vna numerosa Religione quàm in ciuitate etiam magna,dummodò ex maximis non sit, sed quia infamia illa vnius Religiosi redúdat in Ordinem;ac proinde iam ex confessione illa infamatur vnus Ordo:in quo puncto est maxima diuersitas inter concives & inter correligiosos; nam hi ob maiorem inter se vnionem & vnius instituti professionem incredibiliter sunt magis connexi, quàm homines qui intra eosdem muros habitant,qui parum curant,si aliquis ex ipsis sit fur,& suspendatur publicè;hoc autè grauissimè toleratur in religioso Ordine.

Aduerte tamẽ,in hoc casu non incurri pœnas impositas à iure contra reuelantes confessionem quia hi non pœnitẽtis, sed ciuitatis vel Ordinis peccata manifestant,vt Dian.docet cum communi Tom.1.Tract.1.Miscll.resolut.13.

SECTIO IV.

Aliqua notatu digna circa præsentem materiam.

33 CIRCA hanc autem reuelationem in genere aduerte,debere maximam adhiberi attentionem,quia sæpissimè inter auditores aliquis inuenitur qui combinando varia venit in cognitionem personæ. Circumfertur quædam historiola,quæ siue vera sit,siue falsa,& ad Confessarios monẽdos ficta, tem tamen benè declarat de Confessario,qui remoto satis loco ab eo, vbi confessiones audiuerat,dixit,*Prima persona quam audiui confitentem,fuit adultera.* Post aliquot annos dum in illam personam marito præsente indiciisset,oblitus iam priori sui dicti,cum iubilo dixit eã salutans:*Vestra dominatio fuit prima, cuius confessionem in mea vita audiui.* Maritus qui & priorem & hanc secundam propositionem Confessarij audiuerat ,consequentiam facile intulit,& suam vxorem vt de adulterio à se clarè coniunctam interfecit.Potest eitã solùm dicendos *Hodie mihi talis confessus est*, esto nullum penitus peccatum reuelet,dare fundamentum,vt alij iudicent eum habuisse casum reseruatum, in Religione v.g.vbi debent omnes certis & designatis personis confiteri ; qui autem id dixit non erat ex illis;ac certum simul fuit ordinarios Confessarios domi eo die fuisse ; facilè quis inferre posset;Ergo ille quærens Confessarium extraordinarium habuit casum aliquem reseruatum : vnde nec Prælatus dicere poterit, Petrum petijt à me facultatem totam pro suo Confessario;quia id iam esset idem ac dicere,illum habuisse casum reseruatum. Verùm de hoc suprà diximus, neque Prælatum , neque ipsum qui petit licentiam,posse id reuelare,Sed quid si postquam Prælatus dedit licentiam, deprehendisset casu subditum cõfitentem ei Confessario extraordinario, poteritne illi obijcere, *Tu confessus es hodie Confessario extraordinario ?* & idem est de alio quocumque Religioso , qui illum inuenisset confitentem eidem extraordinario. Respondet Cardinalis Lugo , Id non esse cõtra secretum,quia qui illum vident,non accipiunt notitiam ex confessione ipsius, seu ex notitia quam ille dat suo Cõfessario,sed ex notitia quã ipsa actio physica dat de se; vti si ille idem Religiosus iret ad Pœnitẽtiariam Papæ ad Sanctum Petrum ibique confiteretur,daret quidem occasionem suspicandi illum quæsiuisse casus alicuius reseruati absolutionem,non tamen tenerentur omnes, qui illum viderunt confitentem, ad non dicendum , illum ibi fuisse confessum. Hæc instantia mihi non videtur efficax;nam qui it ad eum locum publicum,iam eo ipso se exponit omnibus,vt videatur dum confitetur;ac proinde non potest velle esse sub secreto, quòd sit confessus;sicut qui aduocatis testibus diceret sua peccata,non tenerentur illi ad sigillum iuxta ea quæ paulò superiùs diximus.At qui secretò confitetur, intẽdit indirectè hoc ipsum occultare;ac proinde debet hoc esse sub secreto. Confirmo hoc meo iudicio euidenter retorquendo argumentum Cardinalis ; etenim hic fatetur tunc ipsum Confessarium nõ posse dicere talem Religiosum sibi confessum;(suppono esse illud periculum,quòd sit iudicandus habuisse casum reseruatum:)atqui etiam ipse Confessarius præter notitiam quam habet peccatorum ex confessione,habet oculos sicut ille,qui intrat in cubiculum ad hoc,vt acquirat similem notitiam,quam actio ipsa genuflectendi eo modo ante Confessarium tribuit intranti:habet ergo duas notitias tunc Confessarius ; vnam extra confessionem, quam habet ille qui intrat;alteram ex ipsa auditione peccati;ergo non minùs Confessarius poterit dicere Titium sibi esse confessum,quàm id dicere potest qui intrauit.Patet cõsequentia,quia (vt suprà ostendimus) si Confessarius habeat notitiam vnam ex confessione,& aliam extra,similem ei quam habent alij qui non sunt Confessarij , non obligatur sigillo ; & potest loqui eodem modo quo alij:ergo si alij possunt tunc dicere, *Tu es hodie confessus Roderico*;potero & ego hoc ipsum dicere.Omnibus ergo ponderatis iudicarem illum , qui vidit ipsum confitentem, teneri eo sigillo ad secretum:& reuerà esto sigillo confessioni non teneatur,tenebitur grauissimè sigillo naturali ; loquor , casu quo inde possit deueniri in suspicionem grauis peccati. 34

35 Quæritur præterea,An si pœnitens sine causa manifestauit complicem in confessione,obligetur Confessarius ad secretum. Communis sententia(vt videre est apud Dianam Tomo 2.Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 112.) affirmat contra Ioannem de la Cruzibidem citatum;nam omnia ea,quæ in confessione dicuntur vt necessaria aut vtilia,seu aliquo modo conducentia ad declarandum peccatum,manent sub sigillo.Addo ego , in hoc esse etiam eam specialem rationem,quòd si manifestetur complex,facilè poterit hic colligere id venire ex confessione sui complicis; ac proinde Cõfessarius iam mediatè manifestabit delictum, vel certè dabit magnam & periculosam occasionem manifestationis. Et sanè in narratione peccati,quando Confessarius non potest aliunde id ostendere, occasione vehementem dat,vt suspicentur auditores eum loqui ex scientia confessionis.

Detur in paruitas materiæ inviolatione. sigilli confessionis.

Pro complemento huius puncti quæres, An possit in hoc peccato esse paruitas materiæ,Loquẽdo de paruitate ex indelibertatione,extra dubium est eam posse dari;quia vti ex defectu totali

tali libertatis quæcumque actio,quantumvis in se alioquin mala ipsum etiam odium Dei, non est vllo modo peccatum, ita quando adest sola semiplena libertas ad mortale insufficiens, quæcumque actio sit,non potest habere aliam malitiam quàm venialem:quæstio ergo est circa paruitatem materiæ suppositis aliis quæ ad mortale requiruntur. Aliqui putant id habere locum quando veniale aliquod narratur, non tamen vt auditum in confessione, tunc enim nec confessioni fit irreuerentia,quia non dicitur,quòd illud ex ipsa sciatur;neque ipsi personæ fit iniuria grauis; ergo. Verùm hæc doctina communiter reijcitur, & meritò quia Christus Dominus voluit vt in nullo casu id liceret,sed sub graui præcepto è contrario obligaret,esto aliquando cessare videretur ratio legis. Deinde argumentor retorquendo rationem aduersam : Nam eodem modo dicerem ego nec reuelare etiam mortale esse peccatum graue:nam si ego non dico me illud scire ex confessione,non faciam iniuriam Sacramento : sicut iam non facio,quando veniale reuelo,non dicendo me illud scire ex confessione:aliunde autem potest esse tale mortale,vt eius promulgationem nihil curet pœnitens,sæculares enim sæpè nullo modo curant aliqua sua peccata diuulgari:vnde dum agitur de peccato infamationis,tradi solet à Doctoribus,in multis casibus ob hanc rationem non esse graue peccatum, manifestare aliquod peccatum occultum alicuius sæcularis:ergo ea ratione aduersa nimis multum probat. Tertiò argumentor:Qui : vt suprà agens de sigillo circa venialia diximus) aliquando homo grauiùs sentit reuelari vnum suũ veniale quàm mortale. Posset ergo contingere quòd Confessarius putaret de hoc veniali non fore solicitum pœnitentem,interim tamen grauissimè illam ea res pungeret:debuit ergo grauiter omnis ea manifestatio prohiberi. Quartò: Quia aduersarij fatentur,si dicat Confessarius se id scire ex confessione fore peccatum graue atqui eo ipso quod illud peccatum reuelet : esto de confessione taceat,possent audientes iudicare illum loqui ex confessione, cùm scirent non esse peccatum graue eo modo loqui:ergo.

Melius ergo potest paruitas materiæ in hac locutione explicari,non in ipso peccato,sed in loquela,quando subest periculum,quòd audientes venient in cognitionem ; potest enim hoc ipsum periculum adeò esse leue,vt solùm venialem culpam inducat eius transgressio , vt bene notauit Lugo suprà n.71.qui num.72.ex Nauarro bene etiam notat esse contra hoc sigillum, quando Parochus vel alius audit simul plures confitentes pueros doli capaces , aut de quibus dubitatur an sint capaces:nam exponit omnium peccata omnium reuelationi , & deinde vtitur Sacramento in iocum. Denique in iure in cap. *Omnis vtriusque sexus.* de Pœnitentia & remissione mandatur,vt vnius vni confiteatur. Ergo his temporibus non vidi hunc abusum , de quo Nauarrus.

DISPVTATIO XLVI.

Quomodo possit Confessarius loqui ad vitandam reuelationem confessionis.

DIXIMVS cum nec dicere nec indirectè posse reuelare peccatum pœnitentis. Hinc autem oritur duplex difficultas. Prima est, quia si Confessarius interrogetur de peccato pœnitentis , non videtur posse illud negare:si autem taceat,iam illud fatetur. Secunda est,quando negat absolutionem,si dicat se hanc non dedisse, iam manifestat illum caruisse dolore,aut habuisse aliquem defectum essentialem: hoc autem ipsum est manifestare illius peccatum.Est etiam difficultas quomodo,quando non est periculum reuelationis peccati, possit Confessarius vti eâ scientiâ, quæ omnia hac disputatione declaranda sunt.

SECTIO I.

Quid de primo puncto.

CIRCA primum Gabriel , quem reiicit P. Vasquez art.4.dub.11.docuit,Sacerdotem interrogatum sub iuramento, & coactum ad respondendum,debere reuelare confessionem , ne sit periurus.Hæc doctrina est planè contra sensum omnium Fidelium, qui in nullo planè casu censent esse licitum reuelare confessionem.Debet ergo tunc non quidem tacere,quia hoc esset quodammodò fateri,sed dicere , se nescire illud peccatum, neque illud audiuisse : quæ duo in præsenti idem sunt,quantumvis Sotus adductus à Vasq.voluerit ea distinguere.Dicit autem Sacerdos tunc verissimè *se nescire*,quia vti interrogatur,an sciat ad dicendum;ita respondet meritò, se nescire,& intelligitur *ad dicendum.* Difficultas autem vlteriùs est , an si interrogans dicat, non solùm quæro,*an scias ad dicendum*, sed absolutè & simpliciter, *Vtrùm id scias sine vlla reflexione aut limitatione in contrarium* : quid sit tunc agendum : Paludanus distinct.2. quæst.3. art.3.num.37.& Soto dist.18. quæst.4. art.5. dixit,tunc negare, quia iam non restat verus sensus in quo neget : debere tamen tacere. Communiter tamen reliqui docent , posse eum tunc negare cum quacumque reflexione. Et quidem paulò ante diximus, quod tacere in simili occasione esset idem ac fateri. Quod verò negare etiam tunc possit,docet Vasquez dub.12. n.7. & Suarez disp. 33. sect.6 num.7. Lugo suprà num. 74. & Tannerus disp. 6. de Pœnitentia quæst.9.dub.6.aliqui id probant,quia ille excusatur à mendacio , qui profert verba in sensu quem faceret,si exteriùs apponeretur limitatio, esto re ipsa non ponatur : ergo cùm illa verba, *Non scio hoc* si adderetur ea particula , *vt illud tibi dicam*,essent etiam tunc vera : erunt etiam vera, esto omittatur ea particula *vt tibi dicam*, Cardinali Lugo non placet hæc ratio,quia veritas propositionis debet desumi ex his quæ exte-

Quid faciendum Confessario si interrogetur de auditu in confessione.

sius habet, non ex his quæ possunt illi adiungi; sicut imago Petri non est similis Petro ex his quæ potest habere, si tales & tales colores adhibeantur, sed ex his quæ de facto habet: nihilominùs ad rem præsentem ait illas voces *Non scio, non audivi*, absolutè prolatas posse habere sensum illum: *Non scio per scientiam, quâ possim tibi hoc manifestare*: sunt ergo æquiuocæ, sicut vox *canis* ad terrestrem & cœlestem. Et eo sensu Christus Dominus dixit se de die iudicij nihil scire; id est scientia, qua posset vti ad respondendum. Quia, inquit, voces primariò sunt impositæ
3 ad significandum conceptum internum loquentis, deinde verò ad res ipsas; atque ideò qui loquitur directè, dicit, *Ego sentio v.g. Petrum esse in foro*: si ergo voces illæ *Non scio* sunt impositæ ad significandam scientiam talem, quæ apta sit sit ad respondendum, non potest qui interrogat auferre ab illis eam significationem ac per consequens, quantumvis dum interrogat, dicat, *Interrogo an scias sive ad dicendum sive alio modo*, potest respondere, *Non scio*: sicut quandocumque ego dico, *Non vidi canem*, possum intelligere semper vel *terrestrem* vel *marinum* vel *cælestem*; quia ea vox est de se ad hæc tria indifferens: ita, quia voces de quibus agimus sunt æquiuocæ, inde fit vt vtens Sacerdos alia significatione possit dicere *Non scio*. Id enim est proprium omnium vocum æquiuocarum, vt possint in affirmatiuam & negatiuam propositionem accipi cum veritate, si in vna vsurpatur à loquente pro vno obiecto ex illis æquiuocè significatis, in altera verò pro alio.

Hæc doctrina absolutè est vera, & alioquin communis; illud solùm in illa mihi displicet, quòd dicat vniuersaliter propositiones vocales significare directè & immediatè conceptum & posteà res. Dico *vniuersaliter id non esse verum*: nam quid dicit *Petrum currit*, non vult dicere, *Ego sentio Petrum currere*: alioquin nulla penitus propositio esset falsa, nisi quando quis ex proposito mentiretur; nam etiam quando Petrus non currit, ego tamen affirmans eum currere sentio illum currere; ergo verè tunc dicerem, *Petrus currit*, quia verum est *Ego sentio Petrum currere*. Certum autem est non esse hunc sensum earum propositionum, sed immediatè & directè significare Petri cursum, mortem Regis, &c. aliud autem est, quod propositio vocalis substituatur loco mei conceptus; aliud quòd
4 significet meum conceptum; imò inde infero ego contrarium: nam vti meus conceptus significat seu repræsentat immediatè rem ipsam, non seipsum, ita vox, quæ eius loco ponitur, immediatè significat rem, non ipsum conceptū. Vnde fit vt si quidam ego etiam à psittaco, *Rex venit*, non intelligá immediatè conceptum psittaci de aduentu Regis, de quo psittacus nihil cogitat, sed ipsum aduentum Regis: & idem est dum lego in pariete aut fronte domus, *Hic venditur vinum*, nō cogito immediatè de conceptu illius qui hoc scripsit, sed quòd ibi vendatur vinum. Ea ergo doctrina vniuersalis non est vera, nec pro præsenti quæstione necessaria, quia in præsenti agimus de vocibus reflexis, ac proinde quæ ex hoc capite procul dubio immediatè & directè significant conceptum mentis; id eoque nō est cur ibi recurramus vniuersaliter ad alias voces.

Video eumdem Auctorem fusè ibi in his ijsdem facere nouas reflexiones, vt dum dico, *Scio Petrum dixisse mihi tale peccatum*, sensus sit quasi bis reflexus, *Scio me scire Petrum mihi hoc dixisse*: hoc tamen ipsum est planè incredibile & contra communem sensum, quia ibi numquam nisi simplex scientia significatur. Adducit autem has reflexiones propter replicam hanc, ad quam videtur reduci tota difficultas huius quæstionis; ea autem est: Si quis me interrogat, *Vidisti ne canem terrestrem*? non possum ego respondere *Non vidi*, intelligendo apud me *canem marinum* ergo quando alter me interrogat, *Vtrùm ego hoc sciam scientia confessionis*, cùm iam ille abstulerit æquiuocationem, non potero ego verè respondere *Non scio*. Verùm huic replicæ iam responderat idem Auctor numero immedia è antecedenti negando antecedens de cane: vnde miror quod n. 78. videatur illud admittere ac si esset verum: dixerat enim, si vox *canis* habeat eam æquiuocam significationem, etiamsi alter interroget me, *Vidisti canem terrestrem*, posse me respondere *Non vidi canem*, quia non potest interrogans auferre eam æquiuocam vim significandi ei voci: ergo non est necessarium recurrere ad eas reflexas scientiæ supra scientiam considerationes: semper ergo poterit Confessarius dicere *Non scio*. 5

Illud summum posset vrgeri, quod licet possim dicere *Non vidi canem*, etiam quando alter interrogat de marino: non tamen possim ego addendo particulam ipsam *terrestrem* intelligere *marinum*: ergo me vrgeret interrogans, vt non solùm dicerem *Non scio*, sed *Non scio scientiâ confessionis*, seu *scientiâ inutili ad loquendum*, iam ego ipse per additionem illam tollerem ex integro æquiuocationem: ac proinde non possem dicere: *Non scio etiam ea scientia*. Respondeo tamen, Si semel est verum, *Scio posse* significare æquiuocè *scientiam vtilem ad dicendum*, eo ipso quod alter me vult cogere per illas additiones ad respondendum ei ita, vt tandem veniat in cognitionem præcipui significati per illas reflexiones, iam ille in ipsa interrogatione inuolueret quasi contradictoria: supponeret enim quòd mea scientia sit inutilis ad dicendum, & tamen vellet eam esse vtilem ad dicendum. Vnde vti ille stultè interrogat admittens me habere scientiam, ex qua non possum loqui, & simul volens me cogere ad loquendum: ita è contrario ego illi respondeo prudenter admisso priori sensu, *Me non scire etiam scientia inutili ad loquendum*: in quo haud hubiè verum dico. Nam si ea scientia est inutilis ad loqundum: ergo quòd per eam scio, non scio ad loquendum, sed potiùs ad tacendum.

Vrgebis adhuc: Quid si interrogans dicat, 6
Nolo vt mihi respondeas per verbum nescio, sed per affirmatiuum scio, & dicas mihi, *Sciſne tibi non confessum Petrum hoc peccatum*: in his enim affirmatiuis non videtur habere locum ea restrictio: nam licet quando vidi Petrum possim respondere *Nescio*, id est scientiâ vtili ad dicendum: si tamen interroger, *Scis illum non fuisse*, hîc dicere non possum *Scio*, quia non habeo scientiam de eius absentia neque vtilem neque inutilem: quomodo ergo possum affirmare, me habere id quod reuerà non habeo: Confirmatur: nā si de eo quem non absolui interrogarer, *Absoluisti ne Petrum*, non possum dicere *Absolui*: ergo neque hîc possum respondere, *Scio me non audiuisse tale peccatum*. Respondeo tamen, Si res benè ponderetur, non maiorem esse in hac quàm in præcedenti interrogatione difficultatem;

cultatem; quia si interroganti *Audiuisti* possum respondere *Non audiui*; ergo possum dicere, *Scio me non audiuisse*: eodem enim modo quo possum asserere directam eam propositionem possum etiam reflexam supra illam; & idem est de illa, *Scio non mihi fuisse confessum tale peccatum*; quia vti ille non est mihi illud confessus, vt ego illud dicerem, eodem sensu scio non esse confessum. Est autem differentia magna inter has quæ habent pro obiecto negationem; quia semper sunt capaces earum affirmationum, & inter purè affirmatiuas; qualis est illa, de qua in obiectione, *Absolui illum*, quæ non potest dici verè, nisi reipsa sit absolutus. Nam affirmatiua supponit existentiam obiecti, vt sit vera in quocumque sensu; at negatiua, quæ habet pro obiecto negationem, non supponit pro sua veritate omnimodam carentiam obiecti, sed iuxta illam additionem, quam subintelligo: quod enim re ipsa in se existit, potest in ordine ad aliques effectus reputari ac si non esset; ideoque potest dici, *Non est eo sensu*: at quod nullo modo existit, non potest absolutè dici existere. Denique vno verbo dico, Istas voces *Scio*, *Non scio* habere ex se æquiuocum sensum, siue directè siue reflexè sumantur: vnde sæpe est in manu respondentis illas vsurpare cum ea restrictione, *Non scio vt dicam: Scio id non factum*; id est, *Scio non factū ita vt possit tibi dici*. Et satis de his propositionibus

Quæ hucusque diximus non solùm habent locum, quando Sacerdos interrogatur, vti putat Durandus dist.21. quæst.3. (quem ex parte sequitur Suarez sect.6. num.8. dum ait, Quando non interrogatur Sacerdos non posse dicere, se id nescire ex confessione) sed dicendum vniuersaliter, etiam non interrogatum posse dicere, *Non scio neque ex confessione, neque alio modo*; quia earum propositionum negatiuarum veritas, de quibus hucusque, non desumitur ex eo, quòd interrogetur, vel non interrogetur, sed ex eo, quòd reuerà id non sciat ad dicendum; ergo si interrogatus possum id negare, possum & non interrogatus.

SECTIO II.

Quid de secundo puncto.

7 *Possitne Confessarius dicere se non absoluisse personā quā audiuit confitentem?*

DIxi paulò antè, Si non absolui Petrum v.g. non posse me positiuè dicere *Absolui*. Hinc autem oritur secunda difficultas initio disputationis insinuata circa hoc secretum, quid faciendum, si interrogetur, *Absoluistine illum?* cùm reuerà non absoluerim, quia non habebat sufficientem dispositionem: si enim dico *Non absolui*, iam videor reuelare eius peccatum, seu defectum dispositionis; id quod diximus suprà esse contra sigillum. Respondeo primò, Si dicam *Non absolui, quia non habebat materiam absolutionis*, non facturum me contra sigillum, quia potiùs ibi in illo nego omnia peccata; possum autem id verè asserere, quia vt sit materia absolutionis, debet esse peccatum, cui sit adiunctus dolor. Hæc tamen responsio non posset locum habere in multis casibus, quia in talem hominem cadere posset interrogatio, vt nullo modo crederetur responsum eo sensu, quem primo aspectu videntur habere verba, & in quo volo ego deludere interrogantes. Ideò possum etiam Secundò aliquando dicere, *Non absolui quia ipse adhuc suam confessionem non absoluit*; vel, *Quia interruptus fuit, & illum deinde dum redij non inueni*. Sed neque videntur hæ responsiones posse semper habere locum. Fortasse tamen quia vel hæc vel illa excusatio occurrere potest ipsis interrogantibus, ideò multi Auctores dicunt non esse contra sigillum, absolute fateri non esse datam absolutionem, etiam non apposito vllo prætextu cohonestante eam negationem, cùm ille subintelligatur ab audientibus. Nihilominùs contrarium videtur esse certum, quia nisi aliqua causa honesta adferatur, negatio absolutionis denotat aliquem grauem defectum ex parte pœnitentis. Modus ergo optimus respondendi, etiam quando audiuit publicum peccatorem, quem tamen non absoluit, est dicere, *Ego functus sum meo officio*; *feci quod debui*; si verò illum absoluit potest dicere, *Absolui*, non tamen potest dicere etiam ipsa peccata publica

Obijci tamen hinc satis grauiter potest: Si quando reipsa absolui, dico *Absolui*, & quando non absolui nihil aliud dico, quam *Functus sum meo officio*, iam eo ipso iudicare audientes poterunt eum non esse absolutum: *Alioquin* (dicent illi) *fassus fuisset sincerè se eum absoluisse*, Respondeo: Etiamsi qui malitiosè vellet inferre, posset eo modo discurrere: id tamen non esse imputandum verbis Confessarij, quæ id non denotant: sicut quantumcumque Confessarius dicat se non scire id, de quo interrogatur, possunt illi suspicari eum scire, negare tamen, quia obligatur ad hoc per sigillum. Non ergo requiritur vt ego positiuè ab illis auferam omnem suspicionem, sed ne dem illis meis verbis & factis vllam occasionem, vnde ipsi deprehendant quidquam de peccato ex confessione noto: quòd si aliunde ipsi argumentati fuerint, ipsi viderint. Fortasse ad magis vitandum periculum hoc posset Confessarius etiam de his, quos absoluit, dicere, *Officio meo sum functus*: vt sic in neutram partem illi haberent argumentum aliquod certum.

8 *Obiectio*

Responsio.

Sed quid si pœnitens, cui absolutionem negaui, petat schedam confessionis? si enim negem, iam dico illum non absolutum: concedere autem non possum, quia falsum dicerem. Patet Coninch disp.9. dub.1. num.14. quem sequitur Lugo suprà num.87. docet posse negari, & posse concedi: concedi, quia in scheda solùm dicitur, quòd fuerit confessus: quod verum est, habetque id maximè locum, quando non est negata absolutio simpliciter, sed ad breue tempus dilata, donec meliùs se præparet: solùm habere potest hoc difficultatem in publico aliquo peccatore, qui non deserit sua peccata: ei enim dare testimonium confessionis, quia eo ipso videor etiam dare absolutionem, posset esse scãdalosum: ideò in talibus potest habere locum altera pars, negare scilicet illis schedam, quia id non est detegere peccatum illorum, sed purè potè non cooperari positiuè ad illud cooperiendum: Sacerdos autem etsi teneatur non procedere, non tamen tenetur positiuè occultare.

Potestne Confessarius dare schedam confessionis ei quem non absoluit, si eam petat?

Obiectio.

Dices: In his circumstantijs non occultare est idem quod prodere: nam si interrogetur Confessarius, cur non dederit schedam: non potest aliud dicere quàm, quia non fuit dispositus. Respondeo, Totum hoc esse intra terminos non occultandi positiuè: ad quod, vt dixi, non tenetur Confessarius: quòd verò aliqui pro eodem reputent hic & nunc non dare schedam, ac dicere

Responsio.

eum non fuisse dispositum, est per accidens, nec vllo modo colligitur ex ipsa negatione schedæ; & (vt paulò antè dicebamus) quod aliqui colligant pœnitentem non esse absolutum, eò quòd ego dixerim, *Functus sum meo officio*, non autem dixerim, *Absolui illum*, est per accidens, ad mea verba, ita in præsenti est per accidens, quòd aliqui inde colligant eum non esse absolutum. Quod dicebatur, Sacerdotem, si tunc interrogetur vlteriùs, cur non dederit schedam, debere respondere, *Quia non fui dispositus*, negatur à nobis, poterit enim dicere, *Quia nolui*, vel quia ipse non petijt.

Hic eadem occasione quæritur, quid sit faciendum cum eodem peccatore publico, cui absolutionem negaui, si posterius erat publicè à me Communionem, maximè si dicat, *Confessus tibi sum, & tu me absoluisti.* Respondeo negandam ei Communionem, & respondendum, *Ego de confessione nihil penitus scio, iam, quia te in publico inuenio publicum peccatorem, ideò tibi Communionem nego.* Vel etiam posset responderi; *Minùs requiritur ad absolutionem concedendam quàm ad Communionem, illa conceditur in occulto, hæc in publico; ideoque oportet vt prius malum hoc publicum nomen peccatoris deleas, vt admittam te ad Communionem.* Quid agendum sit cum occultis peccatoribus circa Communionem dixi Tomo præcedenti.

10 *Potestne dicere Confessarius pœnitentiam quam pœnitenti imposuit*

Quæres Primò, An sit contra sigillum dicere pœnitentiam quam imposuit. Respondetur esse, si pœnitentia sit maior quàm quæ solet ordinariè pro leuibus venialibus imponi, v.g. vnum *Pater & Aue* Hæc limitatio facilè probatur ex dictis suprà, quia sicut non est contra sigillum dicere, eum fuisse confessum venialia, ita nec dicere, datam ei esse pœnitentiam, quæ pro venialibus & leuibus imponitur. Vnde si pœnitentia sit maior, eo ipso plus reuelabit. Addit benè Lugo limitationem, nisi pœnitentia illa declararet peccatum aliquod in particulari, vt impositum ei esset orare *Pater & Aue.* pro socio, quem verbis pupugit; quo casu dicitur & eum pupugisse socium verbis, & ea de re confessum.

Secundò quæres, An de aliquo, qui frequenter confitetur, sit contra sigillum dicere, confessum esse noua peccata venialia. Respondet Lugo, Si breue sit tempus ab vltima confessionis, esse contra sigillum, quia intra illud potuit nulla omnino committere; si autem tempus sit longius, non esse contra sigilum, cùm à venialibus nouis committendis intra diem fortè aut duos dies nemo etiam iustus facilè contineatur, iuxta illud, Prou.24. *Septies in die cadit iustus.* Ego tamen licet probabilem iudicem hanc resolutionem, probabilius iudico contrarium; quia aliquando sunt tales homines, qui etiam intra quatuor dies saltem aduertenter vix vllum committunt veniale. Quidquid verò de hoc sit, vlterius argumentor: Quia aliud est me aliunde scire hominem quantumuis iustum labi frequenter in venialia, aliud verò id me dicere ex scientia confessionis: vti ergo etiamsi totus mundus sciat Petrum occidisse pro communis scientiæ dicere: non tamen possum dicere, *Ille mihi confessus est suum Regicidium*: ita etiam iudico, licet aliunde sciatur, quòd homo frequenter cadat in noua venialia, non ideò fore mihi licitum dicere, *Ille mihi noua venialia confessus est.* 11

Replicabis, Fortè: Ergo nec licebit dicere, *Confessus est venialia sine noua, sine antiqua.* Nego consequentiam, quia eo ipso quòd ille accedit ad confessionem, & non curat sciri se esse confessum, iam prodit se habere aliqua venialia; quia alioquin confessionem non posset facere. Ideóque qui dicit illum habuisse veniale, nihil penitus plus reuelat, quàm ipse pœnitens reuelet, dum vult confiteri; ait qui dicit illum habere noua peccata, iam reuelat plus, quam ipse actus confessionis dicat; nam ad repetendam confessionem sufficiunt antiqua peccata; ergo Confessarius reuelans plura quàm ipse actus confessionis dicat, eo ipso facit contra sigillum; nam quòd sciat aliunde hominem labi in venialia, iam ostendi non sufficere ad excusandum à fractione sigilli: Si putè putè dixisset, *Ille habet nouo venialia*, posset excusari, quia tunc censeretur vti illa scientia, *Septies in die cadit iustus*; at dicere *Mihi est noua confessus*, iam est reuelare id quod confessio ipsa ex se non declarat; hoc autem est formalissimè contra sigillum. Vnde concludo, fortasse vix posse consequenter defendi, quòd dicere de publico hæretico conuerso, *Confessus est mihi suam hæresim*, sit contra sigillum; & tamen dicere, *Confessus est noua venialia*, non sit contra sigillum; quandoquidem vix est æquè notum aliunde hunc commisisse, noua, quàm sit notum illum alterum fuisse hæreticum.

Vltimò quæritur, An sit contra sigillum de puero, de quo dubitatur, an habeat vlum rationis, dicere, quòd confessus sit venialia. Affirmat aliqui, quia de illo non est centum apud alios, quòd habeat venialia. Iudico tamen cum Lugo id non esse contra sigillum, quia dicere de aliquo puero, quòd habeat vsum rationis, non est materia sigilli, imò laudis; vti dicere de aliquo, non esse amentem & stultum; supposito autem quòd hoc non sit contra sigillum, cùm eo ipso, quòd rationis sit capax, voluerit, & verò ipsa fecerit confessionem validam & hoc nec ipse puer velit vllo modo occultari, non video, cur sit magis contra sigillum de illo, quàm de adulto dicere, quòd habuerit venialia. Aduertit autem benè Lugo, si aliquis ob mortificationem vel ob aliam causam se fingeret stultum, & hoc ipsum in confessione dicere, vt Confessarius daret ei absolutionem, cùm eo casu pœnitens ipse velit occultare suum vsum rationis. Confessarius non posse illum detegere, maximè si id finxisset ob faciliùs committendum aliquod homicidium, &c: tunc enim esset reuelatio peccati, ac proinde clarè contra sigillum; quando autem propter sanctitatem se talem fingeret, fortasse ea reuelatio esset perniciosa & contra secretum naturale; at cùm sit potiùs reuelatio virtutis, non videtur Sacerdos incursurus pœnas impositas contra frangentes sigillum confessionis, esto id propalaret. 12

SECTIO III.

Quomodo possit Confessarius vti scientia confessionis.

PATER Thomas Sanchez lib.3.de Matrimonio disput.16.occasione Parochi ex cõfessione scientis impedimentum occultum eorum qui volunt contrahere, tractat hanc quæstionem valde exactè, maximè circa Prælatos & Superiores in ordine ad suos subditos. 13

SVBSE

SVBSECTIO PRIMA.

Proponuntur duæ sententiæ circa obligationem secreti in Prælato.

CItato loco refert Sanchez sententiam Diui Thomæ quodlib. 5. art. 15. & in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. docentis posse Superiorem ex scientia per confessionem habita deponere ex officio subditum, aut negare illi quod petit, quando alioquin erat in potestate Superioris ad nutum eum amouere, & negare quod petebatur: pro qua innumeros fere refert Auctores; inter quos etiam Suarium Tomo 3. disput. 67. sect. 3. qui in hoc 4. Tomo eamdem sententiam speculatiuè ait se non posse improbare, in praxi tamen non esse tenendam. Eodem modo Sanchez propter tantam auctoritatem dicit eam esse probabilissimam; Vasquez eam sequitur quæst. 93. art. 4. dub. 8. num. 1. cum limitatione, *Dummodo aliis non detur occasio suspicandi, quòd ea depositio ex officio aut negatio beneficij prouenias ex notitia confessionis.* Quòd autem id suspicetur ipse pœnitens, non reputat Pater Vasquez pro inconuenienti, dummodò ei mihi ideò obiciat idem Superior, quasi ea de causa negaret ei eam gratiam.

Præcipuum fundamentum huius sententiæ est, quia ius, quod habebat Prælatus deponendi pro libitu illum subditum, non aufertur per eam confessionem; ergo poterit nunc pro libitu illum remouere sicut antea. Hoc, argumentum
14 leuissimum est, quia contraria sententia non dicit Prælato auferri antiquum ius, sed solùm negat eum posse sola confessione accipere occasionem ad deponendum subditum; ad hoc autem non habuit antea vllum ius. Fatebitur fortasse ea sententia, si Prælatus iam decreuerat eam mutationem facere ante auditam confessionem, omnino posse pergere in ea voluntate; quia confessio non debet illi ligare manus, esto, vt sic dicam, eas non soluat.

Secundum fundamentum est; nam Confessarius solum obligatur ad non reuelandum peccatum nec directè nec indirectè: at ea actio, quæ fieri poterat non audita confessione, vti tunc nihil penitus denotasset de reuelatione, ita etiam nihil iam denotabit, cùm possit nunc habere eadem motiua quæ tunc. Respondetur, Confessarium obligari non solùm ad non reuelandum peccatum, sed ad nihil efficiendum ex scientia confessionis, quòd hanc possit reddere odiosam: maximè autem redderetur odiosa, si vi illius Superior deponeret subditos ex officio, aut eis negaret honorem quem prætendunt; hoc enim fortasse magis deterreret quàm nuda reuelatio alicuius peccati.

Vbi valdè benè ponderat Sanchez illud præceptum Tridentini Sessione 14. cap. 7. *Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores pro beneficio absolutionis accedant:* hoc inquam præceptum ponderans Sanchez prudentissimè, ait nihil illo grauius vel intolerabilius attenta humana fragilitate imponi posse, si Superioribus fas esset scientia confessionis vti ad priuandos subditos honoribus & officiis & ascensu ad ea officia, cùm non tanto impetu lapis feratur ad centrum, quanto humana fragilitas hæc appetit. Neque eneruatur vis huius difficultatis ex eo, quòd hic & nunc non constet subdito se ea de causa deponi; sufficit enim quòd subditi sciant id posse facere Superiores; eo enim ipso esset illis grauissimum ad eos accedere; & verò passim etiam in minimis rebus putarent se ea de causa ab hoc ad illum locum transferri, ex hoc officio deponi, &c.

Argumentantur Tertiò ex cap. final. 6. quæst. 2. 15
vbi reprehenditur Episcopus, quòd publicè vitauerit eum, qui sibi soli crimen falsus est: vnde inferunt; Ergo si ille Episcopus solùm priuatim vitasset eum hominem, non fuisset reprehensus. Respondetur, Ibi non esse sermonem de confessione Sacramentali, cùm in ipso textu Episcopus dicat sibi reum falsum esse crimen; hoc autem non potuisset vllo modo Episcopus dicere; esset enim reuelare peccatum solùm cognitum ex cõfessione Sacramentali: debuit ergo illud aliunde ex alia confessione scire; Vnde miror vehementer hunc textum seriò ab aliquibus Auctoribus pro ea sententia adferri.

Quartum argumentum, quia si pœnitens mihi dicat in confessione, insidias mihi parari vt me occidant, aut ipse dicat se velle me occidere & ad hoc petat vt restituam illi gladium, quem mutuò dederat: possum ego licite me abscondere, & negare illi gladium, esto pœnitens inde colligat me dirigi ad id faciendum scientia confessionis: & ponamus etiam exemplum in Prælato Religionis, cui similes insidias parari diceret pœnitens: numquid non posset ille de nocte claudere se, aut sibi attendere. Respondetur tamen, Si casus ponatur ita, vt alij etiam, qui parauerant insidias, possint aduertere Confessarium vti scientia confessionis, iam fore reuelationem indirectam peccati: ac proinde multò minùs hoc licere quàm id, quod absolutè traditur in ea sententia, quam examinamus. Vnde & Suarez, qui eam sententiam stando ratione probabiliorem dixit, in casu tamen huius quarti argumẽti hoc modo explicati omnino negat esse licitum etiam ad tutandam propriam vitam; quòd si tamen casus ita ponatur, vt planè nulla sit reuelatio criminis, sed quòd solus pœnitens sit suspicaturus id fieri ex notitia confessionis, tunc antecedens est ad rem præsentem; de eius tamen veritate statim dicemus, dum de sententia nostra.

Igitur sententia negans eum vsum esse licitum, quando aliquo modo potest esse odiosus pœnitenti, est longè probabilior: hanc tenet Tomas Sanchez suprà, vbi multos alios pro ea refert. Lugo ea disp. 23. sect. 5. art. 5. num. 93. & Suarez in praxi docet esse seruandam eamdem etiam ob ter insinuaui Tomo 7 de Sacramentis disp. 21. sect. 2. Et quidem de facto quoad praxim pro Superioribus Religionis est res nimis certa ex Mandato Clementis VIII. anno 1594. die 26. Maij in hæc verba: *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant in confessione, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*, &c. *Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, obseruari mandamus* Quæ verba generalia sunt, & vt talia sunt accipienda. Simile decretum fecerat quatuor annis antè pro tota Societate admodũ Reuerendus Pater Claudius Aquauiua, quintus Gene ralis noster, prohibens ne vllus vnquam contrarium sententiam publicè aut priuatim doceret, eáve vteretur. Vbi aduerte, Decretum Clementis non tangere nisi

16 *Non potest Confessarius vti scientia confessionis ordine ad gubernationem pœnitentis, si vsus sit odiosus pœnitenti*

Superiores

Superiores, ideóque minùs benè ratione eius Decreti Clementis mirari Lugo, quomodo possit contraria sententia defendi. Possunt enim Aduersarij respondere, se non loqui vniuersaliter in omnibus casibus, sed in aliquibus, & respectu illorum de quibus nihil determinat Clemens; ex huius ergo Decreto non redditur ea sententia mirabilis. Nos etiam vt nostram probemus, debemus aliam magis vniuersalem rationem quærere, quâ id suadeatur, & discutiendũ, vtrùm hæc obligatio inferatur ex ipsa obligatione sigilli.

17 Patet Suar. ait, Etiamsi id malum non sit, posse tamen ob periculum mali prohiberi; & ita ait prohibitum à Clemente. Hæc doctrina videtur Cardinali Lugo non tradita consequenter. Nam si ex natura rei vsus huius scientiæ licitus esset non apparet, quomodo potuerit adeò vniuersaliter à Romano Pontifice Regularibus prohiberi; nam in aliquibus casibus, si licitùs ille vsus esset, esset etiam necessarius omnino ex præcepto naturali, v.g. ne eligatur scienter indignus ad Prælaturam, cum talis electio sit intrinsecè mala. Item si ex confessionis notitia sciat Prælatus aliquem non esse Sacerdotem, deberet non designare illum in Confessarium suorum subditorum: ne hi irritas facerent omnes confessiones cum periculo etiam graui suæ æternæ salutis: & tamen etiam in hoc casu prohibet Pontifex talem vsum: supponit ergo illum antecedenter fuisse illicitum: alioquin contra præceptũ naturale charitatis & Religionis non potuisset obligare præceptum merè Ecclesiasticum: confirmat quia simili modo solet probari, confessionem & absolutionem per litteras & in absentia esse irritam & inualidam: quia alioquin non potuisset idem Pontifex prohibere, ne vllo vnquam casu contraria doctrina ad praxim reduceretur: nam si valida esset, lex naturalis obligaret ad absoluendum moribundum absentem in casu extremæ necessitatis.

18 *Aliquod præceptum potest obligare sub periculo vitæ etiam in omni casu, nisi dispensetur in illo.*

Mihi tamen adhuc Suarij doctrina videtur optima: neque vllam in ea noto inconsequentiam; & in primis suppono posse aliquando præceptum etiam positiuum obligare ita vniuersaliter, vt etiam quando contrarium videretur summè necessarium adhuc tamen non liceat propter tale præceptum. V.g. præceptum non contrahendi matrimonium in gradibus consanguinitatis & affinitatis 2. 3. & 4. est merè positiuum, & tamen ita obligat in omnibus casibus non obtenta dispensatione, vt nemo etiamsi deberet mori possit, si ea consanguinitas sit ipsi nota, contrahere in eo gradu; & matrimonium sic cõtractum, quod ex natura rei non est illicitum, nec inualidum manet illicitum: quomodo ergo præceptum positiuum obligat me cum periculo vitæ? & quomodo ibi non habet locum ea ratio Cardinalis: *Quod non posset Pontifex contra legem charitatis eo casu id prohibere?* Idem est in præcepto etiam positiuo non contrahendi sine vestibus & Parocho. Idẽ est in præcepto non celebrandi sine vestibus sacris, sine ara, &c. quæ omnia ex natura rei non sunt intrinsecè mala. Idem respectu Sacerdotis Latini in Ecclesia Latina non celebrandi in fermamento: & tamen possunt occurrere casus in quibus ad salutẽ etiã æternam infirmi esset necessarium eo modo celebrare. Datâ enim sententiâ, quæ pro præsenti quæstione admitti debet, quod Eucharistia aliquando causet primam gratiam, si infirmus esset extra sensus, & non dedisset signa confessionis, haberet tamen attritionem, posset per Eucharistiam iustificari neque alius modus superesset, si extrema-Vnctio non posset ei applicari, eo quòd non haberentur sacri liquores. Ecce totam difficultatem eius Auctoris in hoc casu; vbi tamen certo certius est non ex natura rei, sed ex positiua prohibitione obiectum illud esse malum; ergo ea ratio nimis probat. Ei absolutè respondemus, Posse aliquando Legislatorem etiam humanum tam magnam per se vtilitatem in aliquo medio reperire, vt licet natura ad illud non obliget, velit tamen ipse semper & vbique obligare sine vlla exceptione, etiam quando in eius omissione per accidens & rarissimè videretur maior esse vtilitas, quia per accidens est ille casus extraordinarius, & maioris momenti est per regulam generalem tollere omnem occasionem, quàm quòd in casu aliquo particulari sequatur detrimentum aliquod. In quo puncto (vt verum fatear) ego non maius mysterium inuenio in Legislatore humano, quàm in ipsa naturali prohibitione. Dicam enim ego eodem modo non potuisse naturam prohibere mendacium cum summa vniuersalitate, seu non potuisse illud esse essentialiter malum: quia cùm mendacium sit malum eâ præcisè ratione, quòd videatur esse contrarium politico & rationali modo hominum agendi inter se, aliunde autem videatur maioris momenti esse, etiam pro ipsa Republica rationali & politica, quòd vnus nequam in aliquo casu decipiatur, quàm quòd vna integra ciuitas aut Regnum pereat, inferam ego inde, Naturam non potuisse illud mendacium ita vniuersaliter prohibere. Quòd si respondeatur, Illud bonum maius eius casus extraordinarij non sufficere vt aperiatur porta aliis occasionibus ad admittendum mendacium, & hoc (sic ijceat dicere) consideratum fuisse à natura pro ea vniuersali prohibitione, respondebitur optimè: at cur non ego idem omnino dicam de Legislatore humano, quod possit aliquando ita prohibere vniuersaliter aliquid ne aperiatur porta grauioribus malis, vt etiamsi in aliquo casu aliquod damnum sequatur, nolit tamen in eo dispensare? Vnde dico. Malè ab hoc Auctore supponit ex natura rei & intrinsecè esse iniquam collationem beneficij iniquo: quia si esset intrinsecè mala, certè non iustificaretur ratione sigilli: sicut idem Auctor fatetur non posse iustificari mendacium propter id m sigillum confessionis. Ea ergo actio hoc solo sensu debet dici intrinsecè, mala si aliunde non proponderet maius præceptum. Et idem dico de altera instantia non deponendi Confessarium, quem nouit ex confessione non esse Sacerdotem.

19

20

Secundò argumentor contra eam doctrinam, & potiùs ex ipsa Bulla Clementis colligo, id nõ esse ex natura rei illicitum: nam si id sensisset Pontifex, & hoc habuisset motiuum, profectò id vniuersaliter prohibuisset pro omnibus omnino Prælatis, etiam sæcularibus; quia eadem esset ratio de illis, vt ex terminis patet: ergo dum solùm loquitur de regularibus, supponit alios non obligari, alioquin minùs prudenter egisset, dum obligationem naturalem communem omnibus intimauit aliquibus tantùm, reliquis verò dando eo ipso ansam, vt saltem materialiter errarent: id quod de Pontifice, qui debet Ecclesiam docere circa ea in quibus grauis error esse potest, etiãsi solùm sit materialis non possumus vllo modo dicere. Confirmatur: Quia si Pontifex sensisset

eam esse obligationem annexam necessariò cõfessioni, profectò id ad maiorem sui præcepti valorem declarasset, & non quasi à se impositam eam dixisset.

21 Principaliter argumentor ex his quæ suprà diximus, ostendendo potuisse Christum instituere hoc Sacramentum etiam permittendo, quòd in aliquibus casibus grauibus, in quibus licet violare naturale secretum, liceret & hoc; quia cùm peccator sit promeritus in æternum carere omni remedio, & infinita propè beatitudine priuari, ac è contrario infinitis propè tormentis cruciari, potuit Christus ei succurrens proponere media etiam longè difficiliora, quàm esset confessio cum eo periculo reuelationis in aliquibus casibus; ergo à fortiori (& quidem sine vlla controuersia) potuit permittere hanc licentiam, in qua, vt diximus, non est vlla reuelatio secreti; & solùm adferre potest pœnitenti in aliquo casu negationem beneficij temporalis gratuiti. Quòd si hoc potuit Christus instituere, profectò euidenter sequitur, illud non esse ex natura sua intrinsecè & essentialiter malum, vt hic Auctor contendit.

Denique totam eam doctrinam reijcio retorquendo in ipsam eam instantiam, quam adfert de confessione per litterales; nam in illa nemo potest probabiliter docere, non potuisse Christum Dominum facere eam potestatem Ecclesiæ, vt absolutio daretur absenti: quæ enim quæso vel apparenter hinc sequuntur duo contradictoria; totum ergo hoc reiiciendum in voluntatem Christi. Ergo non ex natura rei, sed ex iure positiuo est illicitus ille vsus scientiæ in confessione acquisitæ. Summùm posset inde inferri, Esse illicitum ex iure positiuo diuino seu Christi, in quo non potest Pontifex dispensare. Verùm licet hoc admitteremus respectu confessionis in absentia, non possumus tamen id dicere saltem vt omnino certum respectu vsus, de quo agimus; quia quæ dixi immediatè antè, quòd Pontifex solis Regularibus Prælatis id prohibuerit, videntur ostendere, non esse vniuersaliter certum, à Christo id fuisse prohibitum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid sit in hoc puncto dicendum.

IVdico ergo in hoc puncto Primò, ex natura rei
22 & secluſa Christi Domini* prohibitione non esse illicitum hunc vsum. Et hoc do sententiæ communi & Patri Suario; videturque ex dictis satis efficaciter probatum; & fortasse neque à Cardinali Lugo negabitur in terminis*, licet verba ipsius id sonent.

Probabilius est prohibitum esse à Christo vsum scientiæ confessionis in ordine ad gubernationem Pœnitentis.

Secundò dico, Mihi esse longè probabilius id à Christo prohibitum sub sigilli confessionis præcepto; iam dixi id non esse certum, ac proinde de Pontificem, vt abstraheret à puncto controuerso valdè inter Doctores, non definuisse quidquam de ea re, sed mandasse id limitatè ad Superiores Religionum; vbi quia plures sunt casus reseruati, & maior gubernatio Prælatorum, habere poterat hic vsus maius incommodum. Quòd ergo sit probabilius, ex institutione Christi id prouenire probatur; nam sigillum confessionis non solùm nos obligat ad non loquendum cum aliis de peccatis pœnitentis, sed nec quidem cum ipso pœnitente, neque ad tacitè aut expressè ei peccatum exprobrandum, vt videntur omnes supponere, etiamsi loqui cum ipso non sit reuelatio, cùm nihil incognitum ipsi dicatur: quia tamen per hoc valdè redderetur odiosa confessio, censetur id eo præcepto prohibitum etiam iuxta Auctores ipsos, quos hîc contrarios gibemus. Maior autem incomparabiliter ratio est impediendi hunc vsum quàm collocutionem illam; mallet enim millies quilibet subditus vt possit illi Prælatus dicere, *Recordaris talis peccati, quod mihi dixisti in confessione*, quam quòd mihi dicendo illi cum vi eius confessionis deponeret ab officio, in quo libentissimè est; aut quòd ei neget id quod vehementer appetit; aut cum mittat ad locum sibi ingratissimum. Neque est credendum Christum prohibuisse in bonum huius Sacramenti*, & ad allicendum ad ipsum homines, id quod minùs poterat retrahere, & 23
non id quod magis: ergo. Confirmatur benè ad hominem à Lugo contra Patrem Vasquez contrarium sentientem: nam dubio illo 8. num. 4. fatetur Vasquez, si alij sciant delictum pœnitentis, & ex eo, quòd videant illum depositum ex officio, possint suspicari eum remoueri ob illud delictum, non posse id facere Prælatum: quia sicut no potest Confessarius loqui de auditis in confessione, etiamsi alioquin sint publica, nisi ipse habeat aliunde notitiam; sic Prælatus non potest manifestare etiam indirectè notitiam peccati quam habet, prout manifestaret tunc his qui scirent illud peccatum, & viderent remotionem alterius ex officio. Hinc ergo argumentamur contra eumdem Vasquez; Quia eodem modo non potest Confessarius loqui, seu indirectè manifestare si pœnitenti scientiam quam habet, sicut non potest cum aliis; ergo si in vno casu, quando alij id deprehendet, non potest, neque etiam poterit quando ipse pœnitens id deprehendet.

Fortasse responderet quis, Disparitatem esse *Obiectio.*
magnam; nam quando solus pœnitens id suspicatur, nihil illi reuelo nec directè nec indirectè, loquor tamen indirectè cum illo; id quod non videtur esse illicitum: at quando alij veniunt in suspicionem, iam illis reuelo meam scientiam de illo peccato, id quod ipsi antea non sciebant: sunt ergo tunc ibi duo, & collocutio indirecta, & simul indirecta reuelatio: ratione: collocutionis dicent non esse illicitum id facere coram aliis, esse tamen ratione reuelationis; cùm autem hæc non sint, quando solus ipse pœnitens id scit, non est cur tunc illa collocutio dicatur illicita. Sed contra Primò, Quia etiamsi iam alij *Soluitur Primò*
scirent Petrum mihi esse confessum, adhuc esset ille vsus illicitus in sententia Vasquez: ergo ratione collocutionis est etiam illicitus; ergo etiam respectu pœnitentis. Secundò, quia falsum 24
est collocutionem etiam indirectam cum pœni- *Secundo.*
tente non esse illicitam: etenim si Superior durè tractaret subditum, si eum deponeret ex officio, quod alioquin esset perpetuum, etiamsi nemo prorsus sciret illum esse confessum Superiori, ac proinde etiamsi nemini planè reuelaretur peccatum indirectè, nihilominùs omnes ferè fatentur tunc eum Superiorem facturum contra sigillum (etiam independenter à prohibitione Clementis Octaui;) nam ferè omnes excipiunt actum deponendi ex officio perpetuo, ac subditum durè tractandi; ergo omnis collocutio etiam indirecta & cum ipso pœnitente est contra sigillum, si odiosa sit, vt paulò pòst ostendam.

Dices

Aliquis vsus talis scientiæ fauorabilis pœnitenti non est illicitus.

Dices tamen: Confessarius ipse ex aliorum confessione potest cautior fieri ad vitanda pericula, in quibus ruinam spiritualem passus est pœnitens. Similiter si Prælatus ex confessione intelligat subditos sibi irasci, eò quòd parcus & durus sit, potest ea scientia vti ad hoc vt deinde suauiùs & liberaliùs agat cum illis; etiamsi aliqui, qui hoc ipsum in confessione illi dixerunt, intelligant ex notia confessionis eam emendationem prouenire. Respõdeo cum Lugo & aliis, Eum solùm vsum scientiæ esse illicitum, qui est per se odiosus pœnitenti; qualis esset depositio illius ex officio, vel negatio gratiæ petitæ. Alij autem vsus, qui non sunt manifestatio criminis, sed solùm locutio indirecta cum pœnitente, & in fauorem illius, non sunt illiciti. Sic possum ego ei, qui confidenter omnia sua peccata in confessione mihi concredidit, speciali inde signa amoris ostẽdere; etiamsi ipse intelligat me id facere occasione confessionis auditæ. Similiter quòd Prælatus se emender in modo agendi cum subditis, non est odiosum ex se pœnitenti, sed potiùs fauorabile, & ab ipso optabile. Idem est si Confessarius reddatur cautior, &c. Ratio à priori huius diuersitatis est, nam sigillum confessionis torum quantum est in bonum, in fauorem, in gratiam pœnitentis. Vbi ergo non est reuelatio vlla peccati, sed solùm quòd pœnitens possit suspicari, me dirigi ea scientia, certè si videat me dirigi in fauorem, libenter id habet, & quidem per se; si verò videat me vti ea confessione contra se, iam redditur ille accessus ad confessionem difficilior.

SVBSECTIO TERTIA.

Inferuntur hinc aliqui casus morales.

25 HInc constat decisio aliquorum casuum, qui solent tractari à Doctoribus. Primus est ille quem insinuauimus suprà de Confessario, qui intellexit sibi parari insidias, v. g. positum venenum ad vinum, in quo est celebraturus. Pater Coninch disput. 9. dub. 4. numero 53. & sequentibus ait, Adò eam fugam non esse contra sigillum, vt probabile sit teneri Sacerdotem fugere, & suam vitam saluare, quando nullus alius quàm socij criminum suspicantur illum ea de causa fugere; quòd si ex fuga Sacerdotis immineat pœnitenti mors, eò quòd complices suspicentur eum reuelasse insidias, ideóque timendum sit, ne eum occidant, ait, Adhuc posse Sacerdotem fugere, laudabilius tamen futurum, si malit mori, quàm pœnitentem periculo illi vitæ exponere: potrò posse tunc id fieri probat, quia non est contra sigillum aliquid facere, vnde conscij criminis colligant pœnitentem illud confessum esse; nam de latrone ob publica peccata suspenso dicere possum, Confessum mihi omnia sua peccata cum dolore magno; imò quando eum absoluo aliis præsentibus, & Eucharistiam ei porrigo, significo eum sua scelera publica mihi confessum. Rationem à priori reddit; nam quando Sacerdos dicit peccatum pœnitentis, etiam publicum, v.g. *Iste occidit Petrum*, esto faciat contra sigillum, non tamen ea ratione, quod dicat illum ea confessum; hoc enim est laudis; sed quia dicit illum ea admisisse; ergo quando ex mea actione socij criminum nihil aliud colligunt suo discursu, quam eum illa peccata esse confessum, non autem inferunt eum illa admisisse, nihil ego facio contra sigillum. Confirmat; nã si hæreticus aliquis minetur mihi mortem, nisi ipsi dicam, an famulus ipsius sit mihi confessus, possum saluo sigillo dicere, si aliter euadere non possum, eum esse confessum, etiam si ille famulus esset propterea occidendus à domino hæretico; ergo sigillum tantùm obligat ad celanda peccata, non verò confessionem, quantumuis inde socij colligant illum aut tale peccatum fuisse confessum.

Positus Confessarius fugere, si intelligat ex confessione parari sibi aliquod malum.

Nihilominùs hæc doctrina nullo modo est tenenda, quia duo confundit in vnum valdè inter se diuersa. Sine dubio enim dicere in genere aliquem esse confessum non est contra sigillum nisi iuxta ea quæ suprà tradidimus, quando ex eo dicto colligeretur illum habuisse casus reseruatos, aut alia grauia peccata, quæ v.g. confessus est extraordinario Confessario, &c. nam tunc non solùm manifestat confessionem, sed etiam ipsum peccatum. Nos autem loquimur nunc, casu quo alij, aut ipse etiam pœnitens, ex mea actione non solùm colligant confessionem vt sic, sed talis etiam peccati; ac proinde etiam inde colligunt pœnitentem admisisse tale peccatum. Et hinc respondetur instantiæ allatæ de famulo hæretico, in ea enim nullum penitus ego peccatum reuelo, neque dominus directè aut indirectè potest cõll gere vllum peccatum, quod mihi ille famulus fuerit confessus; quid ergo mirum, si tunc non obliget me secretum confessionis? Nam dicere, *Est mihi confessus*, non pertinet ad hoc secretum, quando, vt dixi, nullum inde penitus peccatum potest inferri. In nostro autem casu non solùm manifestatur quòd sit confessus, sed quale peccatum; scilicet quod insidiæ sint paratæ contra Sacerdotem; ergo illa fuga Sacerdotis in his circumstantiis manifestè prodit confessionem peccati. Atqui (vt hic Auctor fatetur) dicere, *Tu is est mihi hoc peccatum confessus*, est contra sigillum; ergo & ea actio erit contra illud. Ea etiam prima instantia de publico latrone, qui mihi est confessus, non est ad rem; quia quando ego dico, *Confessus est cum magno dolore*, nihil dico de vllo peccato; neque audientes inde colligunt illum fecisse tale peccatum, aut esse illud confessum: Primò, quia (vt suprà dixi) potest fieri quòd ille inuincibilem in eo habuerit ignorantiam, ideóque non peccauerit formaliter: Secundò, quod alteri Sacerdoti antè fuerit confessus; non ergo dico ego vllo modo peccatum illud (quidquid alij discurrant circa illud.) At iam ostendi, fugam illam non solùm denotare quòd exceperim confessionem illius, sed quòd ex ea nouerim mihi imminere aliquod graue malum: hoc autem est dicere, mihi esse confessum peccatum aliquod contra me: quis ergo negare poterit ibi esse reuelationem peccati? Confirmo, Si alij quàm socij ipsi criminis intelligerent me fugere, quia aliquod malum est mihi paratum, quod ex confessione intellexi: fatetur ipse Coninch eam fugam fore contra sigillum, quia reuelarem illis peccatum; at etiam est contra sigillum, illis ipsis qui sciunt peccatum dicere, Mihi illud in confessione dictum esse; nam etiam de publico peccatore, imò de peccato ipso, quod est commissum in præsentia Antonij, est contra sigillum dicere eidem Antonio, *Petrus mihi confessus est peccatum quod tu vidisti*; hoc nemo negat: ergo h actio, quam facio, dicit etiam sociis criminum,

26

27

minum, *Confessus est mihi Ioannes vester socius hoc peccatum, quod vos scitis*; facio eo ipso contra sigillum non minùs, quàm si non sociis dedissem eam occasionem illud ipsum suspicandi.

Obiectio

Vrgebis: Ergo si pœnitens dicat, *Ego te volo occidere*, & petat à me gladium mutuò, tenebor omnino illum ei concedere: si enim illum nego, iam ostendo exteriùs me audiuisse illud peccatum: & verò quasi exprobro illud ipsi. Respondeo Primò, Debere Confessarium tunc considerare, an pœnitens venerit animo non faciendi seriam pœnitentiam, sed potiùs ligandi Sacerdotem, ne fugeret ob timorem manifestandi quæ in confessione audiuit: quòd si hoc deprehendat, non tenebitur vllo sigillo, vt communiter docent Auctores; & verò pœnitens qui ea occasione non vult dare Confessario licentiam ad fugiendum, satis clarè se prodit, quòd non venerit ad illum animo emendationis. Secundò respondeo, Si illud periculum, quod imminet Sacerdoti, solùm est ab ipso pœnitente, poterit saltem iuxta sententiam probabilem contrariam se abscondere, aut negare illi gladium. Tertiò respondeo, Quòd se abscondat Sacerdos non esse actionem quæ vergat in odium Petri, & in eius vilipendium, vel in diminutionem honoris, &c. sed esse potiùs quasi occultam liberationem ipsius à graui periculo homicidij: ergo esset ea actio ex numero illarum, de quibus paulò antè diximus esse licitas, etiamsi sint indirecta locutio cum pœnitente solo. Habebit autem id maiorem locum, si insidiæ non parentur mihi ab ipso pœnitente; tunc enim si nullus alius potest venire in cognitionem eius confessionis, pœnitens non erit malè contentus, eò quòd fugiam, etiamsi intelligat id otiri ex scientia quam acquisiui in confessione; præterquam quòd ad omnes tollendos scrupulos potest ab eo peti licentia ad fugam, etiamsi sit aliqua indirecta collocutio cum ipso de his quæ dixit in confessione, & vix est morale eum illam negaturum, si aliud periculum non subsit, & ipse seriò contendat. Ex his ergo, vt ad caput redeamus, concludo, actiones illas, quæ possunt reddere confessionem magis arduam, odiosam & difficilem, non posse ex notitia in confessione habita exerceri, esto tantùm sint indirecta collocutio de confessione; quæ verò non sunt in odium confessionis, sed planè disparatæ, aut potiùs in fauorem, vti illæ de quibus paulò antè, posse Confessarium non violando sigillum eas exercere. Hoc tamen aduerte, quando dicimus non esse licitam eam locutionem in rebus odiosis, id intelligendum contra aliquos Auctores, etiamsi propterea vel vita pœnitentis vel Respublica periclitetur: imò etiamsi Confessarius timeat se in peccatum grauè lapsurum; debebit enim tunc se Deo commendare, & eò confidentiùs auxilium ad resistendum ab eo petere, cùm propter seruandam iustitiam se coniiciat in illud periculum.

Resp. prima.

18 Secunda.

Tertia.

19 Quid faciendum Confessario si ex scientia confessionis intelligat sibi periculum spirituale imminere audiendo

Secundò quæres circa hoc, Quid si pœnitens sit mihi scandalo, poteróne, dum me vocat ad confessionem, ire ad illum? Respondeo: Vel scandalum illud oritur à me, qui tentor dum eam personam video, & tunc sine vllius sigilli violatione, quia nihil ex confessione alterius manifesto, potero me excusare: vel scandalum oritur à pœnitente, qui me prouocat ad malum, & tunc etiam sine violatione sigilli potero me excusare, quia illa prouocatio non est sub sigillo, cùm non sit peccatum, de quo ille conitea-

rursus eandem personam volentem sibi confiteri.

tur: eodem modo si me nimis vrgeat vt eum absoluam, possum fugere, quia illæ minæ non sunt peccatum, de quo ille se accuset, sed actio exterior, quam ego video dum ille confitetur. Non possum quidem dicere, quòd illi negauerim absolutionem, sed tamen possum vitare periculum, quod ille mihi tunc intentat, & quod ego video, perinde ac si aduerterem illum esse de peste infectum, possem fugere, cum hac tamen differentia, quòd in peste possum dicere causam, quia inde nec mediatè nec immediatè reuelatur vllum peccatum; quòd autem negauerim absolutionem non possum dicere, quia id esset dicere, eum habuisse peccata grauia, & non habuisse dolorem sufficientem, &c. at simpliciter fugere sine dubio possum. Si tamen animæ periculum inde mihi immineat, quòd pœnitens habeat tot peccata & talia, quæ me vehementer tentent tunc, si aliter me non possum excusare, quin ille intelligat cur ego id faciam, tenebor ire, & (vt dixi paulò antè) petere à Deo confidentiùs auxilium ad superandum illud periculum. Quòd si taliter res contingat, vt planè ipsi non incidat hoc in mentem, sicut reuerà vix potest incidere, quia vix vnquam vllus pœnitens suspicatur se suis peccatis caussare Confessario tentationem, debebo me omnino excusare.

Obiici tamen contra hoc vltimum potest: Suprà enim diximus non solùm esse illicitum vti scientia confessionis ad negandum subdito officium, quando ille suspicatur id fieri ex ea scientia, sed etiamsi nullo modo suspicari id possit: rationémque reddidimus, quia si homines scirent Confessarios hanc habere facultatem, timerent sæpè, ne ipsis etiam insciis ea vterentur ad multa eis auferenda, ideóque valdè possent retardari à confessione. Hæc ratio videtur in præsenti eodem modo habere locum: iure enim timere possunt dicere mihi sua grauia peccata, si sciant me propterea imposterum vitaturum audire eorum confessiones etiam sub hoc prætextu, quòd inde ego ad peccatum tenter, & etiam casu quo illi non possint aduertere vnde veniat, quòd ego me subtraxerim.

18 Obiicit.

Dubitari autem ratione huius obiectionis potest, An sit contra sigillum me abscondere ne audiam Petrum v. g. eò quòd nimis multa peccata audiui ab illo, & timeo eum cum similibus redituru: suppono me aliunde non fuisse determinatum ad non audiendas illius confessiones: tunc enim nulla est difficultas quin possim eo motiuo etiam approbare resolutionem meam: suppono item è contrario id non licere, si alij aut ipse pœnitens suspicari possint me eam ob caussam nolle descendere ad confessionale: nam per hoc reuelarem saltem in genere Petrum habuisse grauia peccata. Hunc casum non video tractatum, est tamen valdè frequens, & omnino videtur ex ratione dubitandi colligi, id non licere. Aliunde autem praxis multorum solet esse in contrarium: sine vllo enim scrupulo se solent abscondere: ita tamen, vt nemo aduertat id fieri, quando vident venientes ad confessionem aliquos ex his, quos sciunt solere habere graviora peccata, & non adeò bene esse dispositos; & quidem id faciunt sine vlla vel dubitandi ratione in contrarium. Responderet aliquis, A nobis etiam suprà traditum, tunc solùm esse contra sigillum vti scientia confessionis etiam inscio pœnitente

Dubium.

Soluitur.

& aliis omnibus, quando ille vsus vergit in eius nocumentum; vt esset auferre illi officium ipsi gratum, mittere eum ad alium locum, vbi non libenter manet, &c. Hinc fortasse ad rem nostram dici posset, Non esse rem grauem pœnitenti, quòd aliquando vnus vel alter Confessarius se secretò subtrahat à confessione audienda, maximè in locis vbi alij multi sunt Confessarij

31 Imò frequentissimè tales maximè peccatores quærere solent iam hunc iam illum Confessarium; pudet enim illos ad eumdem redire cum iisdem peccatis sine emendatione; cum ergo supponamus in casu posito ipsum pœnitentem nullo modo suspicari ob eam causam id fieri hîc & nunc, ac proinde non sit vlla actualis reuelatio confessionis, non videtur vllo modo fugilla tantùm apprehensa vt possibilis vi confessionis adeò æstimari ab hominibus, vt ob eam causam deterreantur à confessione. Dixi paulò antè, maximè vbi sunt alij Confessarij, nam si esset tantùm vnus, in primis esset valdè difficile ita se subtrahere, vt non aduerteret pœnitens vnde id proueniret. Secundò, esset in graue damnum eius pœnitentis; non enim haberet cui posset confiteri: vnde multò minùs id liceret vnico illius loci Confessario, si simul esset Parochus pœnitentis; diximus enim suprà hunc obligari ad audiendas semper confessiones subditorum, quando non nimis frequenter veniunt. Valde probabilis est hæc solutio, & quidem quando Confessarius se abscondit non ob molestiam, sed quia timet lapsum, non dubitarem vllo modo habere locum, quia dum damnum pœnitentis modo explicato leue sit, & ex altera parte periculum animæ in Confessario sit graue, non video cur non debeat hac præualere. Si enim multi Auctores dicunt licere Confessario se subtrahere, etiamsi id aduertant socij criminum, & esto ipse pœnitens intelligat ideò se abscondisse Confessarium, quia insidias sibi parari intellexit in confessione, cur non dicemus id licere quando hîc & nunc nullo modo pœnitens potest iudicare id fieri ipsius causa, & confessarius quodammodò grauiùs periclitatur? Accedit, quòd non videtur vllus pœnitens inuitus futurus, eò quòd suspicetur posse aliquando se subtrahere Confessarium, nullo tamen signo exteriùs dato, quòd id faciat ratione auditæ confessionis; subtrahere inquam se, eò quòd timeat ne labatur in peccatum audiendo ipsum pœnitentem: supponitur enim hic ita seriò accedere ad confessionem, vt non solùm ipse non habeat animum peccandi, sed nec cupiat esse causa vt alij grauiter peccent. Maior est difficultas in casu quæstionis motæ occasione eius obiectionis, illa enim molestia ex sola auditione eorum peccatorum grauium videtur esse res leuis, vt propterea Conf. sarius vi scientiæ cõfessionis se subtrahat. Quod item dicebatur id non fore molestum pœnitenti quando adsunt alij Confessarij, non est semper verum: multi enim pœnitentes adeò libenter habent certas quasdam personas, vt si eis non possint confiteri, nolint aliis. Respondeo tamen, Hoc esse rarissimum in grauioribus peccatoribus, ob quorum confessiones non audiendas diximus se abscondere eum Confessarium. Est ergo semper verum, auersionem, quæ inde oriri posset à confessione, nullam esse nisi in aliquo casu ferè metaphysico, qui pro generali regula non debet attendi, cùm, vt iam ostendimus, nulla penitus manifestatio vel locutio actualis vi confessionis tunc intercedat, nec quidem cum ipso pœnitente; quandoquidem tunc nullo prorsus modo scit abscondisse se Confessarium, multò minùs quòd id ex auditione confessionis oriatur.

Tertiò quæritur, An si semel & iterùm pœnitentem non absolui, possim, si rursum vocet, me excusare sine violatione sigilli? Respondeo, Si pœnitens venit animo serio confitendi, esto non omnino dispositus, & ego non possum me excusare, nisi intelligat ille vnde excusatio oriatur, debebo ire; si verò ille iniquo animo non confitendi, sed simulandi confessiones veniat, potero tunc me excusare; quia cùm ille nolit se in confessionem facere, sed fingere, non tenebor vllo secreto iuxta dicta suprà.

Nõ potest Cõfessarius negare votum ei qui ex sola cõfessione nouit indignũ beneficio.

Ex his quæ hucusque diximus infero, Me non posse negare suffragium etiam secretum ei, quem ex sola confessione scio esse indignum, quia hæc actio est odiosa, & consequenter reddens confessionem difficiliorem, Et ferè est idem casus cum eo, quem superiùs tractauimus, an Superior possit deponere ex officio, aut negare gratiam ex scientia habita præcisè per confessionem: vnde talis nullo modo incurret pœnas impositas à iure in eligentes indignum, quia hæ pœnæ imponuntur contra peccantes in ea electione, non contra eos qui ad huiusmodi suffragium dandum hîc & nũc obligantur.

33 *Quid faciendũ Confessario, si ex sola confessione scit suũ Confessariũ nõ esse Sacerdotẽ, vel non habere iurisdictionẽ &c.*

Infero Secundò, Si aliquis, cui ego confiteri soleo, mihi confiteatur, dicátque se non esse Sacerdotem; & non possem illum vitare, nisi inde aliquod dedecus in eum redundaret, non posse me illum relinquere; deberem ergo eo casu alteri confiteri secretè, & illi propter formam; vel cum sola intentione conditionata obtinendi absolutionem, *si est Sacerdos*. Quòd si tamen ipse solus posset aduertere me ea de causa ad illum non accedere, iudico cum Patre Thoma Sanc. n. 5. sine sigilli violatione posse me eum deserere, quia actio hæc nõ videtur esse odiosa pœnitenti, ideóque nec vsus scientiæ confessionis per illam reddit difficiliorem confessionem, imò fortasse ille gaudebit, quòd subtrahàm ipsi occasionem noui peccati, sacrilegij grauissimi committendi, dum me audit.

Infero Tertiò, Debere Confessarium etiam occasiones quidquam suspicandi de pœnitente vitare, si tamen probabiles sint, & ex se causatiuæ talis suspicionis; nam planè leues & remotas, & quæ fortè magis ex suspicioſa natura audientis quàm ex re ipsa desumuntur, non tenetur vitare: esset enim id valdè durum Confessarijs. Obseruat autem Lugo benè, in aliquibus circumstantijs occasiones, quæ alioquin essent in se leues, debere iudicari graues propter periculum; nam marito zelotypo periculosius est vllam etiam remotam dare occasionem aliquid suspicandi contra vxorem in materia carnis quàm in alijs materijs homini etiam ex se non suspicioso.

SVBSECTIO QVARTA.

Alia dubia circa hoc ipsum expedita.

34 CIrca administrandum verò Sacramentum ei, de quo mihi ex confessione constat quòd sit in peccato, dixi Tomo præcedenti non esse licitum ea scientia vti ad illud negandum. Idem dicendum est nunc de vitando excommunicato; si enim pœnitens noscere posset me hac de

de causa ipsum vitare, non licebit, vt ex dictis constat: imò (quod & benè notat Lugo) esto pœnitens non suspicetur me ea scientia vti, non possum tamen illum vitare, quia negare pœnitenti communicationem ciuilem est onerosum ipsi, ergo non licebit ea notitia ad id vti; quia si antecedentèr homines scirent se ex confessionis scientia vitandos, etiam quando non suspicantur id inde prouenire, eo ipso illis confessio fieret difficilior. Qua ratione paulò superiùs dixi, etiam secretum suffragium non licere ex ea scientia negare, esto pœnitens non sciat id à me ea de causa factum.

An teneatur Confessarius vitare intra confessionem quæ ex ea intelligit esse excommunicatum.

Illud difficilius, An intra ipsam confessionem teneatur vitare excommunicatum, & quidem cùm intra eamdem confessionem licitum sit mihi cum pœnitente loqui de eius peccatis, à fortiori erit mihi licitum eum intra confessionem vitare, hoc est ei dicere, *Non possum tecum agere ob tuam excommunicationem.* Cardinalis Lugo putat neque intra confessionem posse vitari propter eam scientiam; quia non licet intra confessionem pœnitentem punire nisi vel imponendo ei pœnitentiam, vel rependendo illum, provt ad eius bonũ requiritur: alias autem pœnas extrinsecas non licet imponere. Vnde si famulus Parochi eidem confiteatur se esse ipsi furatum, & furati etiamnum pecuniam, non posset in ipsa confessione præcipere vt exeat ex domo, nec auferre ei clauem commissam, quia hæc licèt materialiter fierent in confessione re tamen vera essent detrimenta extrinseca confessionis, quæque eam redderent difficiliorem. Vnde addit, Etiamsi pœnitens dixerit se publicè denuntiaturum, vel notorium Clerici percussorem, non teneri Confessarium finitâ confessione inquirere, vtrùm re ipsa ita sit, qui unuis id facere posset citra vllum reuelationis periculum.

35

Iudico tamen hanc sententiam esse nimis scrupulosam: & quidem instantia allata de ejiciendo ex domo famulo, vel auferendis ei clauibus non videtur mihi ad rem nostram; quia illæ actiones licet inchoatiue essent intra confessionem, tamen directè & per se earum effectus esset duraturus extra confessionem: & vel ipsi pœnitenti vel etiam alijs daretur inde occasio, vt intelligerent id ex confessione venire: quid ergo mirum si hoc non liceat? At quòd intra ipsam confessionem præcisè dicat pœnitẽti Confessarius, *Ecce tu mihi iam dicis te esse excommunicatum, ac proinde ego non possum iam tecum loqui nisi purè putè qua pro confessione necessaria sunt: extra confessionem verò nullum omnino huius rei dabo signum*: profectò ego non video, quo pacto debeat hoc dici contra sigillum confessionis vllo prorsus modo: si autem non est contra sigillum, quo quæso præcepto id prohibebitur? Quòd dicitur, per id fieri odiosam confessionem, non vrget: fortè enim id non est verum, quia illam superfluam collocutionem, quæ tunc ei negatur, nihili facit pœnitens: adde, quòd ego, dum mihi licet agere cum illo de peccatis, ei ostendam me nolle violare præceptum non agendi cum excommunicatis, non debet esse contra sigillum confessionis, licet id ipse sibi reputet durum: non enim teneor go extra hoc sigillum reddere ei dulcissimam confessionem.

36

Secundò dico, Vix eam quæstionem posse habere locum: nam si Confessarius non habet potestatem absoluendi illum, debebit hoc statim ei significare, nec alios cum ipso miscere discursus, nisi fortè dirigendo illum de modo, quo debeat quærere absolutionem ab ea excommunicatione: hoc autem nõ est prohibitum per ipsam excommunicationem: si verò habet potestatem absoluendi, non video cur debeat facere sibi scrupulum agendi cum illo in ordine ad absolutionem: suppono enim eum non miscere ibi disparata colloquia: vnum autem vel alterum verbum non omnino necessarium, quasi connexum tamen cum necessariis, pro nihilo debet ibi reputari. Denique quod addit, Confessarium post confessionem non obligandum ad inquirendum, An ille re ipsâ fuerit, aut sit excommunicatus, mihi videtur omnino certum, iam enim diximus nihil extra confessionem faciendum, quod sit indirecta locutio in odium pœnitentis, vti omnino esset ea inquisitio: nec video finem propter quem esset facienda, cùm vitare illum non possit vi eius scientiæ: hæc tamen veritas est disparata ab altera, de qua nunc agimus, quòd intra confessiones non possim eum vitare.

Quid si resciat ex confessione Ecclesiam, in qua solet celebrare esse violatam, poterítne postea celebrare in illa?

Infero etiam hinc, Quid dicendum sit, si ex confessione sciat Ecclesiam esse violatam, an possit aut debeat ipse desistere à celebratione, aut monere vt Ecclesia reconcilietur. Duobus enim verbis respondetur ex dictis: Vel ex eo quòd omittat Sacrum, alij aut ipse pœnitens intelligere possunt id venire ex confessione, & tunc nullo modo id licebit, sed debebit pergere celebrando perinde ac si nihil intellexisset: vel potest Sacrum omittere ita, vt nullus quidquam notet: & tunc omnino tenebitur, si credat verè esse pollutam, quia tunc nihil facit contra sigillum: nam omissio Sacri non est ex se grauis pœnitenti, qui nec Sacrum audire tunc vult, neque de eo cogitat: & in hoc differt ea omissio à negatione beneficij & depositione ab officio, quòd hæc, esto pœnitens non sciat vnde veniant, sunt tamen in se grauia pœnitenti, & ipsum scire, quòd ea possint sequi ex confessione, reddit illi odiosam confessionem: at quòd sciat ex mea confessione, *ille negliget Sacrum, quando ego aberò, nemine sciente vnde id oriatur*, non potest esse graue pœnitenti, neque illi reddere confessionem molestam. Idem eodem modo dico circa monendos alios, vt curent reconciliari Ecclesiam: hoc enim si nullo prorsus modo ostendat esse propter Petrum, quid quæso illi adferre potest molestiæ? ergo si id possit eo modo fieri, tenebitur Sacerdos ad procurandum: si autem deberet aliquo modo reuelare peccatum, non posset id facere, præterquam quòd si ipse solus hoc scit, alij non tenebuntur credere ipsi, nisi fortè in aliquo casu, saltem ad inquirendum: vt si diceret aliquem publicè excommunicatum esse sepultum in ea Ecclesia: posset enim id facilè deprehendi: hoc tamen ipsum dicere esset periculosum, quia possent inde venire in auctorem sepulturæ. Et de his casibus satis.

37

Obiectio.

Nunc è contrario obiicies ad probandum non licere, etiam quando actio non est odiosa pœnitenti, imò esto etiam in fauorem pœnitentis, vti ea scientia: quia iam contra Bullam Clementis admittimus aliquem vsum ex notitia confessionis, cùm tamen in ea omnis vsus absolutè prohibeatur. Habet autem in Societate nostra maiorem vim hæc obiectio propter prohibitionem Patris Claudij, de qua suprà. Respondeo, Clementem prohibere ne ea scientia vtantur Superiores ad exteriorem gubernationem in odium scilicet pœnitentem: illud enim decretum est in

Responsio.

eorum fauorem,ac proinde solùm vetat quæ sunt odiosa pœnitenti, non quæ fauorabilia, & quæ (vt dixi)nullo modo sunt reuelatio confessionis. & eodem modo intelligendum est mandatum Patris Claudij pro Societate.

SECTIO IV.

Quomodo è contrario liceat vti scientia confessionis.

SVBSECTIO PRIMA.

Examinantur aliqui casus magis dubij,

38 SVPPONENDVM est,si pœnitēs ad me secundò redeat,licere mihi in ea secunda confessione agere de his quæ in prima intellexi,quidquid videatur subdubitare in contrarium Gerson Alphabeto 34 littera R:terenim ea est praxis omnium Confessariorum, imò inde multi Auctores iudicant teneri Confessarium ad negandam absolutionem pœnitenti, quando agnoscit ex præcedentibus confessionibus illum frequenter relabi in idem peccatum. Deinde est consilium omnium qui de gubernanda conscientia agunt,vt pœnitentes, quoad fieri possit,semper habeant eumdem Patrem spiritualem, vt meliùs possint dirigi in spiritu.At si Confessarius nihil posset dicere vi præcedentis confessionis, nihil penitus iuuaret ea consuetudo eidem confitendi; idémque omnino esset confiteri hodie vni, & cras alteri ac semper vni. Ratio à priori huius doctrinæ est, quia sigillum confessionis solùm respicit forum, vt sic dicam,externum; nam vti intra confessionem dicit quilibet sua peccata,ita intra illam debet permittere Confessarium suum agere de illis,& vt ipsum dirigat ex notitia illius. Dubitari tamen circa hoc potest, An si ego fui interpres Pauli confitentis sua peccata Ioanni,& postea ad me veniat idem Paulus ad confessionem,possim ego loqui in confessione de eis peccatis,quæ per me tamquam per interpretem confessus est. Quæ difficultas potest etiam extendi ad illum qui casu audiuit eum confitentem;item ad Consiliarium, quem prior Sacerdos consuluerat non habita licentia personam nominādi; deinde Consiliarius ex confessione deprehendit fuisse hunc qui commiserat ea peccata.Cardinalis Lugo absolutè sine distinctione ait se non audere hanc facultatem concedere,quia licet vtrumque sit forum confessionis, non tamen cofessionis eidem Confessario factæ,sed diuersis. In prima enim,quando interpretē egi,non fui vllo modo Cōfessarius;ergo non habeo ius colloquendi cum pœnitente de his quæ tunc resciui:& vti duo Confessarij qui audiunt successiuè eumdem pœnitentem,non possunt inter se conferre quæ audiuerunt; ita ille Confessarius, qui est quodammodò duplex persona,non poterit ex notitia habita priuato modo loqui cum pœnitente in secunda confessione.

Possim interpres factus postà Cōfessarius,agere cū pœnitente in cōfessione de peccatis illius quæ fuerat interpretatus

39 In hac doctrina illud mihi minùs placet, quòd non distinxerit inter interpretem ex vna parte & Consiliarium,aut qui casu audiuit confessionem,ex altera:his enim duobus à pœnitente non sunt dicta peccata;ac proinde si hi etiam in confessione ea dicerent pœnitenti,ei aliquid nouum & valdè ingratum dicerent, scilicet se audiuisse ea peccata;id quod pœnitens ignorabat. Secundò, Consiliarius ostenderet sibi ea dicta à Confessario; & licet posset se excusare, quòd non fuissent dicta nominando personam, tamen id difficulter crederet pœnitens, induceretúrque primus Confessarius in grauem culpæ suspicionem, & ipsi pœnitenti esset hoc ingratissimum, quòd ita de suis peccatis locutus fuerit,vt facilè posteà deprehendi potuerit se esse eorum auctorem.Respectu horum ergo mihi non videtur vllum dubium, quin ea locutio sit contra sigillum; ideóque non cum formidine per *vi non auderem*,sed omnino certò id assererem. In altero verò, quem ipse pœnitens elegit interpretem, & cui ipse concredidit sua peccata, planè putarem licere de illis loqui in confessione, quam ipse interpres iam Sacerdos deinde audiret:etenim neque quidquam noui ipsi pœnitenti eueniret, neque alioquin magis odiosum, quàm quando idem Confessarius ex prima confessione monet in secunda. Quod autem dicebatur de duobus Confessariis, qui non possunt inter se loqui,est planè extra rem nostram; quia ibi Petrus v.g.extra confessionem reuelaret Francisco: & è contrario Franciscus Petro peccata Antonij quæ quilibet audiuisset in confessione; hoc autem est directissima & formalissima violatio sigilli & extra Sacramentum,quia illi inter se non loquerentur in Sacramento; neque si dum sibi inuicem confiterentur,id dicerent, loquerentur in Sacramento cum eo, cuius peccata sibi narrant; quomodo ergo quæso hinc quidquam infertur ad casum nostrum,vbi collocutio est cum ipso pœnitente de ipsius peccatis intra confessionem,etiamsi Confessarius loquatur ex duplici notitia? In quo vltimo puncto, etiam quando ipse fuit in priori confessione Confessarius, loquitur in secunda confessione ex duplici notitia, id est habita in hac & in priori confessione; & quoad hoc etiam dici posset duplex persona; hoc ergo nihil obest in præsenti. 40

Quādo incipiat obligatio sigilli.

Quo supposito, quæritur Primò, An liceat Confessario (qui oblitus est aliquid circa pœnitentis directionem ei dicere) immediate post datam absolutionem eum monere,an verò ab eo puncto incipiat sigilli obligatio. Et videtur quidem ita sentiendum; nam confessio, data absolutione,tam est perfecta quàm post centum annos:& ita sentit Fagundez lib.6. de 2.præcepto Ecclesiæ cap.4.num.13. vbi reprehendit Patrem Henriquez quòd contrarium dicat: Diana etiam Fagundio adhæret eisdem docet; imò addit ita ab omnibus Doctoribus sentiri,& scandalum fore pœnitenti, si contrarium fiat; monetque vt Confessarij hæc omnia valdè notent,quia est casus frequens in praxi: Ego tamen cum eodem Henriquez l.2.cap.23.num.2.& Lugo suprà num.129. iudico id nullo modo esse contra sigillum, & valdè excessisse Dianam asserendo oppositum esse è mente omnium Doctorum, cùm potiùs nostra sententia videatur tradi ab omnibus (licet non reflexè, quia de ea non ita communiter disputatur,saltem in praxi)id quod statim ostendo. Probatur ergo ratione à priori. quia in his rebus moralibus, quæ immediatè fiunt post aliquam actionem,si sint eiusdem rationis cum illa,reputantur per modum vnius: id quod ego variis instantijs declaro.Primò,quia si quis die ieiunij absoluit prandium etiam animo non amplius comedendi, si tamen immediatè adferantur aliqui cibi,potest comedere non fracto ieiunio, efficiendo moraliter vnum prandium 41

Quid de consulente dicendū cui deinde ad mittens cōfitetur ignarum eū esse cōsultū à priore Confessario.

dium cum priori, vt omnes omnino fatentur. Secundò id ostendo in hoc ipso puncto confessionis: quando enim Pontifex fecit casum reseruatum Sanctæ Inquisitioni solicitare feminas in confessione, fecit etiam reseruatam solicitationem immediatè post factam confessionem; quia quodammodò illa solicitatio etiam censetur facta in confessione. Tertiò, si Sacerdos aduertat defectum in aliqua specie consecrationis, si id notet immediatè post sumptionem, & antequam ab altari discedat, potest & debet secundam hostiam aut calicem consecrare; quia tunc efficitur vnum Sacrificium cum præcedenti sumptione: at si iam sit in Sacristia, non potest. Quartò adhuc magis ad rem in materia Sacramentorum: non enim est necessum, vt dum dico, *Ego te baptizo*, coëxistat omnino physicè ablutio, sed potest vel præcedere, vel subsequi, quia moraliter iudicantur sibi coëxistere, dummodò distantia sit exigua valdè; ergo etiam quæ dicuntur immediatè post absolutionem, debent censeri pertinere ad actum illum iudicij præcedentem. Hoc ipsum benè probat Lugo suprà, quia multi Confessarij docti sine vllo scrupulo imponunt pœnitentiam post datam absolutionem; ideò dixi suprà nostram sententiam in praxi esse communem; hæc autem impositio sine dubio est loquela de peccatis, cùm debeat esse illis proportionata: vnde suprà diximus non esse licitum eam aliis dicere, nisi quãdo est talis, quæ pro exiguis venialibus solet imponi; nam tunc sicut scitur, quòd sit confessus venialia, ita communiter supponitur talem vt minimùm habuisse pœnitentiam.

42 *Obiectio.*

Fortasse respondebitur, Non esse finitum iudicium, quousque imponatur pœnitentia; Auctores autem oppositos loqui, quando iam omnino est finitum iudicium. Sed contrà Primò, quia in rigore Sacramentum iam est perfectum quoad remissionem culpæ & quoad infusionem gratiæ. Vnde si oblitus est Sacerdos pœnitentiam imponere, ac primò recordetur postquam à se dimisit pœnitentem, non potest illi eam imponere: ergo quòd possit immediatè post datam absolutionem, causa est, quòd immediatè post adhuc censetur moraliter esse in eius Sacramenti administratione; quando autem aliquod spatium intercessit, iam non censetur ampliùs durare. *Solvitur Primò.*

Secunda. Contrà Secundò, quia (vt benè ibi notat Lugo) si, etiam postquam Sacerdos imposuit pœnitentiam, dicat immediatè, Est nimis grauis, media ex parte illam tollo: nemo dicet talem violare secretum; & tamen tunc iam est ex integro finitum iudicium physicè, quia etiam fuerat imposita pœnitentia: ergo ea solutio non satisfacit.

Obiectio. Dices; Ergo etiam valebit absolutio immediatè præcedens pro peccato cuius pœnitens recordatur, & confitetur immediatè post; hoc autem est falsum; ergo. *Responsio.* Respondeo negando consequentiam, quia absolutio debet dari post notitiam peccati: ab ignotis enim nemo absoluit directè: debet etiam præcedere accusatio; quæ duo eo casu desunt: at licentia ad loquendum nihil horum requirit, sed quòd moraliter adhuc homo censeatur durare in eo iudicio.

Solvitur quæstio. Illud nunc circa hoc punctum est difficile, quantum scilicet temporis debeat intercedere, vt censeatur omnino finitum Sacramentum. Respondeo, In his rebus taxandis, quæ ad moralem considerationem spectant, esse semper maximam difficultatem. Ego in hoc puncto discurrerem à simili ex instantia, qua vsus sum pro hac sententia de Sacrificio Missæ: sicut enim si aduertatur error, quando iam Sacerdos recessit ab altari, non licet ampliùs consecrare nouam speciem: ita putarem cùm primùm pœnitens surrexit, & recessit à confessionali, iam non licere ampliùs loqui, maximè si alij sunt præsentes, qui multa solent tunc suspicari: & sanè post discessum non potest non esse grauis pœnitenti renocatio. Quòd aliqui dicunt, in bonum pœnitentis 43
posse etiam loqui Confessarium cum illo, iam est à nobis suprà reiectum, quando in nullo omnino casu eam collocutionem extra Sacramentum diximus esse licitam. Alij dicunt, si Confessarius sua peccata integrè confiteri non potest, nisi detegendo peccatum Petri, quod intellexit ex confessione, posse illud detegere, ne confessionem faciat dimidiatam: ita Sotus apud Suarez disp. 33. sect. 1. n. 17. Contrarium tamen omnes alij tenent, & Suarez dicit esse improbabilẽ hanc Soti sententiam: vide illum n. 18. Ratio desumi potest ex his quæ nos fusè suprà diximus, ostendentes obligationem integritatis materialis confessionis nõ esse tantam, vt nequeat ob multas causas ea omitti: at sigillum confessionis obligat, etiamsi sit periculum ruinæ Reipublicæ, ergo multò magis obligabit, quando non est aliud periculum quàm non faciendi integram confessionem. Idem dicendum est, Si ego audiens Petri confessionem intelligam, ex ea Ioannem non rectè illum absoluisse, & posteà idem Ioannes confiteatur mihi, non possum ego eum monere de defectu ipsius quem intellexi ex confessione Petri, quia id esset reuelare eam Petri confessionem: debeo ergo illum eo casu absoluere. Obserua tamen circa priorem casum, Sacerdotem illum teneri quærere Confessarium, cui integrè sine manifestatione confessionis possit dicere suum peccatum: si autem illum commodè nequeat habere, tunc habebit locum conclusio posita, quòd debeat tacere eam circumstantiam: quam tamen, si postà habeat alium Confessarium, cui sine fractione sigilli eam dicere possit, tenebitur dicere, vti vniuersaliter docuimus supà, quando non fit confessio materialiter integra.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quomodo sit loquendum ex licentia pœnitentis.

EX his constat solùm esse licitum loqui ex 44
notitia confessionis, quando pœnitens dat expressè facultatem, non interpretatiuè tantùm alioquin possent sibi Confessarij imaginari causas interpretandi mentem pœnitentis; quæ illi essent valdè odiosæ & contrariæ. Debet etiam ea licentia liberè dari, non extorqueri vi, aut metu: eo enim ipso ad nihil valeret.

Circa hanc autem licentiam duo vel tria occurrunt discutienda. Primum est, Vtrùm possit eam licentiam dare ex sola notitia confessionis, an verò debeat ea peccata secundò dicere Confessario extra confessionem: hoc enim vltimum multi docent, quos refert Suarez disp. 33. sect. 5. num. 5, quia præceptum sigilli confessionis est diuinum; non potest ergo pœnitens in eo dispensare. Hoc tamen argumentum nullam prorsus habet difficultatem: nam præceptum diuinum solùm dicit non esse loquendum sine licentia pœnientis; quando ergo loquor cum ea licen-

tia, non facio contra præceptum; sicut si esset diuinum præceptum pro Religiosis non exeundi domo sine pallio, non faceret ille, qui in pallio exiret, contra ius diuinum.

Secundò argumentantur: Cófessarius ea peccata scit vt Deus: ergo neque ex facultate pœnitentis potest loqui de illis vt homo. Dixi suprà hanc propositionem *Scit vt Deus* esse pura verba quæ in re mihi significant, nisi vel quòd Cófessarius ea peccata sciat in ordine ad ea condonanda; id quod ad solum Deum de iure spectat; vel quòd ea peccata sciat cum rigorosa obligatione secreti, quam iam explicuimus, vel denique quòd ea sciat in Sacramento à Deo instituto hoc autem non sufficit ad rem præsentem: denique esto ea tantùm sciret vt Deus, eo ipso quod pœnitens dat illi licentiam, iam dat illi humanam scientiam.

45 Tertiò argumentantur; Nam pœnitens etiamsi possit cedere suo iure, non tamen iure Sacramẽti, sicut Clericus non potest cedere priuilegio fori. Verùm neque hoc valet quidquam, quia iam dixi ius non esse nisi vt Confessarius non loquatur sine pœnitentis licentia; vnde quando hic dat eam licentiam, ponit conditionem à Deo petitã ad hoc, vt non obliget sigillum. In priuilegio autẽ fori est absolutè decretum vt Ecclesiasticus nõ iudicetur à sæculari, siue ipse Ecclesiasticus velit, siue non. Vnde fatemur etiam Christum potuisse instituere hoc secretum cum ea vniuersalitate; quo casu non potuisset pœnitens valide eam dare licentiam: at de facto nec leue fundamentum est, vt asseramus esse ita institutum.

Quartò, Quia si pœnitens posset dare eam licentiam posset Superior ei præcipere vt eam daret: hoc autem est absurdum: ergo. Benè ostendit Lugo hoc argumentum esse etiam contra hos Auctores, qui saltem debent ostendere, cur non possit superior præcipere, vt extra confessionem ea peccata dicant subditi: quod est longè faciliùs: dicimus ergo Superiorem id non posse præcipere, nisi tyrannicè agat, ideoque non esset ei obediendum: quia de occultis non iudicat Ecclesia: ea autem peccata, vt dicta in Sacramento, voluit Christus esse omnino occulta dependenter à libera voluntate pœnitentis. Quando autem Superior ex aliis capitibus habeat ius interrogandi de delictis, non est huius loci.

46 Quintò denique argumentantur: Nam sequeretur, data ea licentia posse omnes illos, qui à Sacerdote audiuissent ea peccata, illa dicere liberè quibuscumque vellent: quod est absurdum. Respondetur negando consequentiam: Quia cùm illud secretum pendeat à pœnitentis voluntate, si hic illud laxet ad duas personas tantùm, non amplius extendetur, ac proinde illæ etiam manebũt cum obligatione non amplius id promulgandi.

Pœnitens dãs facultatem Confessario loquendi de suis peccatis, non est opus de ei ea repetat extra cõfessionem.

Est ergo contraria sententia communis inter Doctores vt videre est apud Suar. suprà, D. Thomæ, Bonauenturæ, Antonini, Richardi, Paludani, & aliorum multorum: & facilè ex dictis suadetur. Nam hoc secretum totum quantum est in fauorem confessionis ne ea reddatur odiosa pœnitentibus, ideóque est dependens à voluntate pœnitentis: ex eo autem quòd ipse dare possit licentiam vt Confessarius loquatur cum hoc aut cum illo non redditur odiosa confessio, imò magis appetibilis, cùm ita pœnitens sit Dominus eius secreti, vt possit pro libitu vel dare vel negare licentiam, vel eam ad duos, tres, quatuórve vel etiam ad plures extendere: quo casu (vt immediatè diximus) omnes, ad quos ex ea licentia notitia illa peccati deuenit, tenentur sigillo ad non propalandum illud peccatum vltra quàm licentia pœnitentis extendatur.

Secunda difficultas est, An si pœnitens ira velit dare licentiam Sacerdoti, vt planè possit narrare ea peccata, perinde ac si extra confessionem ea ipsi dixisset, sufficiat vno verbo dicere illi *Do tibi licentiam vt ea narres eodem modo ac si extra confessionem illa audiuisses*: an verò sit necessum ex integro ea omnia in particulari determinate. Hoc vltimum docuit Durandus apud Suarez suprà num. 4. quem secutus est Pater Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 5. num. 5. Ego tamen (vt verum fatear) non capio quod possit esse vel probabile quidem huius doctrinæ fundamentum. 47

Obiectio Responsio prima.

Dices: Notitia antiqua est Sacramentalis ergo nisi noua detur, semper manebit sub sigillo. Respondeo primò ex paulò ante dictis, Totum hoc sigillum esse iuxta voluntatem pœnitentis: si ergo ipse dicat, *Ego do tibi licentiam vt narres hoc quibus velis, & illi quibus velint sine vlla prorsus vlteriori obligatione*: sine dubio iam manebunt omnes liberi ab obligatione: sicuti enim, iuxta paulo ante dicta, potuit non narrando de nouo historiam pœnitens licentiam dare vt diceret Sacerdos duobus, potuit & quatuor: quo casu exceptis illis quatuor, non posset res vlteriùs narrari, potuit ergo & sex, potuit & omnibus, quia eadem est ratio: eo autem ipso quòd omnibus, iam ex integro abstulit non narrando de nouo peccata, obligationem sigilli, & reduxit totaliter rem ad notitiam habitam extra confessionem. Respondeo Secundò: etiamsi concederemus esse necessariam nouam notitiam, adhuc tamen moraliter loquendo reuocationem illam specierum historiæ narratæ iudicari notitiam nouam: hæc autem iam datur extra Sacramentum: id quod ex sententia ab omnibus recepta ostenditur clarissimè. Nam etiam è contrario ad absoluendum Sacramentaliter: necessum est audire peccata Sacramentaliter & tamẽ si ego iam antea scio peccatum Petri volentis mihi confiteri, sufficit si ille dicat, *De illo peccato, quod tu scis optimè ego me accuso*: per hoc enim iam moraliter æquiualenter dat mihi secundam notitiam, quæ censetur data intra Sacramentum (vt bene ponderat suprà Lugo:) ergo si è contrario notitiam habeam in Sacramento ille mihi extra reuocat in memoriam dicens, *Ea quæ tibi dixi nunc extra Sacramentum in memoriam reuoco, dóque potestatem narrandi cuilibet* iam eo ipso dat notitiam extra Sacramentum quæ res mihi est clarissima. 48

Secunda.

Hinc constat etiam minùs bene docere, ibi Vasquez ad dicendum peccatum complicis esse maximè necessarium repetere de nouo historiã illam, in qua illud dixerat in confessione: etenim non est maius mysterium quærendum vt det pœnitens facultatẽ loquendi de peccato alieno extra Sacramentum vi confessionis quàm de proprio, imò multò minùs, quia aliena peccata non cadunt sub sigillum meæ confessionis nisi planè indirectè, quatenus ex manifestatione alieni meum manifestaretur. Dixi *ad loquendum extra Sacramentum vi confessionis*, quia aliunde ego obligationem maiorem habeo circa famam alienam quàm circa meam, quatenus possum iure meo cedere, non autem alieno; vnde

etiam

etiam in eo casu teneretur non diffamare complicem. Verùm hæc obligatio non ex sigillo confessionis, de quo iam agimus, sed ex præcepto naturali proueniret.

49 *An pœnitente negante facultatem Confessario loquendi secùm de auditis in confessione, possit nihilominùs aliquid loqui*

Tertia difficultas est, Vtrùm si Confessarius petat licentiam à pœnitente ad loquendum cum illo de re aliqua necessaria ad confessionem, hic autem nolit eam dare, possit tamen Sacerdos cum illo de ea confessione loqui. Pater Suarez sect. 5. num. 3. rem obitet tangens affirmat non quidem vniuersaliter (vt illi tribuit Cardinalis Lugo suprà num. 339.) sed casu quo Confessarius omisisset aliquid, quod deberet pœnitenti dicere. Vnde mirot quòd Diana Tomo 1. Tractatu 1. Miscell. eum citet pro contraria sententia: sed in hoc puncto, vt in citatione, non est Diana sibi constans, cum secundò eum citet ex eodem loco pro contraria Tomo 2. Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 7. sed neque in ipsa substantia sententiæ seruat consequentiam: nam primo loco videtur eam sententiam Suarij vt probabilem admittere, etiamsi aliam Puteani vniuersaliorem dicat non se tenendam: in secundo autem loco eamdem sententiam ita reijcit, vt miretur eum ab vllo doceri. Quidquid tamen de Dianæ consequentia sit, omnino censeo, non debere admitti eam doctrinam Suarij, quia si verum est, quòd possit loqui Confessarius cum pœnitente, siue hic det licentiam, siue non, profectò ea licentiæ petitio iudicari posset meritò pura cæremonia: ad quid enim deseruiret? Vrget hoc ipsum Lugo: nam sub eo prætextu supplendi quod deerat, posset Confessarius tota vita loqui cum pœnitente ipso inuito de confessione: quia ad Confessarium pro suo munere spectat non solùm monere, sed corrigere etiam pœnitentem: hoc autem est valdè absurdum: ergo. Huic tamen rationi facilè responderet Suarez, se non nisi pro defectu præcedentis confessionis supplendo eam concedere licentiam, qualis v.g. esset Pœnitentiã imponere, monere de obligatione restituendi, &c. at posteà ob noua peccata eum corrigere ac monere non spectat ad confessionem præcedentem: ideoque ea occasione non posset loqui amplius de confessione præcedenti nec inde sequi, fore vt id per totam vitam liceat. Siue ergo sequatur illa perpetua facultas, siue non, sat graue incommodum est, quòd contra voluntatem pœnitentis possit vel semel cum illo loqui: inde enim redditur valdè odiosa confessio.

50 Vbi aduerto, Diamam eo Tractatu 4. de Sacramentis, resol. 87. hinc inferre, Si Sacerdos absoluit non suum subditum vel excommunicatum à casu reseruato, & petita licentia à pœnitente eam hic neget, culpam iam transire in ipsum pœnitentem: Confessarium autem iam manere liberum ab omni obligatione. Hoc mihi absolutè non placet, quia, vt suprà notauimus, sæpè nihil dicendo penitus de peccato alieno, sed solùm de suo, potest monere pœnitentem etiam nõ petita licentia, si dicat illi; *Ego te non absolui nuper sacerdos*: id quod verum est, siue defectus prouenerit ex carentia iurisdictionis, siue ex animo non absoluendi: fateor eum no posse dicere, *Non te absolui, quia non es meus subditus*, vel *quia non habui iurisdictionem*: nam (vt ibi notaui) hoc esset dicere, illum habuisse mortalia aut etiam reseruata: nam à venialibus etiam non subditum potest absoluere, nec pro eo indget speciali iurisdictione: debet ergo id ad defectum ex parte voluntatis reducere: quia reuerà si sciebat se carere iurisdictione, vix potuit habere serium animum eum absoluendi: vel saltem potuit dicere abstrahendo, *Ego te nonabsolui*: si pœnitens quærat vlteriùs, non est necessum magis id explicare.

SECTIO V.

De pœnis contra violatores sigilli.

PRIMO quæri circa hoc potest, An si essent alicubi reseruata omnia mortalia externa, 51
Sacerdos peccando mortaliter in confessione violaret sigillum alterius confessionis quam audiuerat, esset eo ipso reseruatum illud peccatum: quod est quærere clarioribus terminis, Vtrùm illud peccatum sit iudicandum externum. Respondeo, Omnino esse externum, nam quidquid fit per actionem externam etiam alijs occultam, est propriè externum; vti patet, quando lapsus carnis externus reseruatur, sine dubio reseruatur pollutio quantumuis occulta. Adde eo casu satem vnum testem esse eius violationis, nempe pœnitentem; sub cuius confessione ille violat sigillum.

Secundò quæritur, Quæ sint pœnæ impositæ in violatores huius sigilli. De hoc puncto aliqui Auctores fusè tractant. Nos breuissimè dicimus, nullam in iure esse pœnam ipso facto incurrendam; sed in cap. *Sacerdos*, de Pœnitentia, dist. 6. imponitur in Confessarium reuelantem pœna depositionis à Iudice ferenda, & vt cogatur perpetuò ignominiosè peregrinari. In cap. autem *Omnis vtriusque sexus* prima pœna confirmatur, imponitur verò loco secundæ, vt intrudatur perpetuò in monasterium. Vnde benè Pater Suarez reiicit ibi Maiolum, qui lib. 5. de Irregularitate cap. 19. num. 6. secutus Speculatorem, ait. Sacerdotem reuelantem fieri irregularem: etenim irregularitas non infligitur à Iudice, sed est pœna Iuris; in Iure autem pœna in reuelante tota est infligenda à Iudice. Multò autem magis reijciendus est idem Maiolus asserens laicum, qui audiuit confessionem secretam, & eam reuelauit, fieri irregularem: etenim in laicos ibi nulla pœna statuitur: sed posteà iuxta delicti grauitatem sunt puniendi. Nomine autem laici nunc intelligo etiam Sacerdotem, qui reuelat quidem peccata ex confessione, non tamen ex ea quàm ipse audiuit vt Confessarius, sed velut interpres, vel casu aliquo accidentali. Huius peccati Iudices teste Diana Tomo 3. Tractatu 8. resol. 95. qui in Sanctæ Inquisitionis Tribunali diu versatus est, non sunt Inquisitores, sed Episcopi, nisi Sacerdos simul habeat admixtum errorem in fide, quasi non sit peccaminosa ea violatio sigilli.

Quanam sint pœna violati sigilli confessionis. 52

Illud maximè quæri nunc potest, Quomodo possit probari hoc crimen. Cùm enim solus Sacerdos & pœnitens sciant de confessione, esto pœnitens dicat suum peccatum esse reuelatum à Confessario, si è contrario Confessarius neget; cui credendum erit? Adde, esto constet Sacerdotem illud peccatum scisse ex confessione, si tamen dicat datam sibi esse licentiam à pœnitente, & hic rursus hoc ipsum neget, cui credendum est? Respondeo Primò, quoad priorem partem non esse tantam difficultatem; quia si constet Sacerdotem dixisse illud peccatum, facilè potest vrgeri, vt dicat vnde illud scuerit, quòd si non

Quomodo probari possit violatum esse sigillum confessionis.

ostenderit aliam viam iam eo ipso videtur sufficienter convictus, quòd ex scientia in confessione acquisita id dixerit: si verò è contrario ostendat vnde illud sciuerit, iam erit omnino liber. Secundò addo, Si pœnitens dicat à Sacerdote esse illud crimen reuelatum, tunc ipse pœnitens debebit id probare, cùm sit accusator & proferre personas, quibus aut coram quibus id dixerit Confessarius. Hæc duo facilia sunt.

53 Illud difficile; quid si constet Sacerdotem id reuelasse, dicatque sibi datam licentiam, id quod è contrario negat pœnitens. In hoc puncto quidam in fauorem pœnitentis docent, Sacerdoti incumbere probare sibi datam licentiam, cùm ipse asserat, & asserentis sit probare. Quam sententiam Nauarrus dicit esse communem ad caput supra citatum *Sacerdos.* num. 164. Suarez citat pro eadem Diuum Thomam distinct. 21. quæst 3. art. 2 ad 3. & alios. Alij verò iudicant hoc esse difficile & graue onus pro Confessario, & quod moraliter vix expleri potest. Vnde fieret, vt sæpè Confessarij vtendo iure suo graui periculo exponerentur: ita Suarez ib., Lugo verò addit Patrem Thomam Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 37. num. 5. agentem de Sacerdote, qui ex licentia Parochi interfuit matrimonio, esse in forioribus terminis contra eam sententiam; ibi tamen Thomas Sanchez valdè leuiter rem tractat & vtitur distinctione, quæ potiùs est pro hac sententia Nauarri quàm contra illam; ait enim, Si Sacerdos, qui interfuit matrimonio, accusetur à Parocho contrahentium, ad quem spectat dare alteri Sacerdoti licentiam assistendi, tunc debere Sacerdoti alteri, qui adstitit, incumbere onus probandi; si verò accusetur ab aliquo alio, tunc accusatori incumbere. Cùm ergo nos simus in casu, quo Sacerdos accusatur ab eo qui debebat dare licentiam, profectò, iuxta doctrinam Sanchez, ipsi Sacerdoti debet incumbere probare se habuisse eam licentiam; Sanchez ergo non est ibi pro Suario, sed contra illum.

54 Ego in hoc puncto (vt verum fateat) non video quare dixerit Suarius hoc onus esse importabile Sacerdoti, quandoquidem totam hanc difficultatem potest Sacerdos suauissimè vitare: vel enim cum solo ipso pœnitente de licentia illius loquitur, vel cum aliis; si cum ipso solo, nulla est difficultas, quia tunc si pœnitens negauerit falsò se dedisse licentiam, licitum erit & Sacerdoti negare, se cum illo locutum fuisse, id quod poterit etiam iuramento asserere. Nam cum pœnitens dicat eum locutum sine licentia, de qua tamen certus est ipse Confessarius, profectò iurare optimè poterit se nihil cum ipso egisse: & tunc onus probandi, vt diximus paulò antè, incumbet pœnitenti præterquamquòd etsi loqui cum ipso pœnitente sine ipsius licentia sit peccatum, non est tamen in iure statutum quidquam contra illud; ac proinde illa accusatio non erit magni momenti contra Confessarium. Si verò Sacerdos coram aliis ea de re locutus est, tunc sibi imputet, quòd se coniecerit sine causa in tales angustias, qua vitare facillimè poterat, si quando licentiam obtinuit, cùm aduerteret se debere aliis probare eam licentiam, neglexit eam scripto petere, vt negari non posset. Ex hoc ergo capite nullum est onus Sacerdoti intolerabile.

Dicendum ergo est, Si pœnitens neget licentiam esse à se datam, tunc onus probandi debere incumbere Sacerdoti, quia reuerà ille asserit, alter negat; per se autem loquendo asserentis est probare. Potest tamen in hoc casu aliqua esse exceptio, nisi Sacerdos adeò sit probatæ vitæ, & è contrario pœnitens adeò malæ, vt videatur hic & nunc magis esse credendum Sacerdoti. Quòd si aliquis alius, ad quem non spectat scire, vtrùm mihi pœnitens dederit eam licentiam necne, me accusauerit quòd reuelauerim confessionem, debebit ipse probare: quòd enim dicat, *Ego non audiui quando tibi eam dedit*, est ridicula probatio; debet ergo positiuè probare eam carentiam licentiæ & insuper quòd ego id sciuerim ex confessione; totum ergo onus probationis in illũ relabetur. Et in hoc sensu locutus est Thomas Sanch. suprà secutus Mascardum: & Lugo etiam in eamdem consentit sententiam. Et de sigillo hactenus.

DISPVTATIO XLVII.

De satisfactione Sacramentali, quid causset, qualis debeat esse, & an necessariò imponenda.

1 VLTIMA pars, quæ ad constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ pertinet, est satisfactio, de qua agendum erit hac & sequenti disputatione: pro quibus supponenda sunt ea omnia, quæ de satisfactione in communi pro pœna suprà diximus; ex quibus non erit difficile percurrere quæ propria sunt huius loci. Nomine ergo satisfactionis in præsenti intelligimus opus aliquod pœnale, quod à Confessario sit impositum ad hoc, vt pœnitens satisfaciat pro pœna luenda alioquin in Purgatorio si quæ adhuc restat illi homini post remissa peccata quoad culpam. Hanc autem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ definitum est in Florentino in Decreto vnionis, & in Tridentino Sessione 14. cap. 3. non esse autem partem essentialem, sed tantùm integralem, inde constat, quia antequam homo satisfactionem expleat, iam est in gratia, iam sunt remissa peccata per Sacramentum: ergo iam est essentia Sacramenti absolutè perfecta, cùm Sacramentum non causet gratiam antequam essentialiter perficiatur: sola ergo integritas illius deest: ideò autem ad integritatem pertinet, quia licet non conducat ad remissionem culpæ quà talis, conducit tamen ad remissionem pœnæ, ac proinde ad extinguendum peccatum quoad effectus illius, ideoque dicitur complete integraliter hoc Sacramentum. Hoc posito,

SECTIO.

SECTIO I.

Vtrùm hæc satisfactio causet aliquam gratiam ex opere operato.

21 PRIMA difficultas circas hanc satisfactionem est, Vtrùm ea causet aliquem gradum gratiæ ex opere operato. Non desunt enim qui id affirment, Caietanus & Sotus, quos refert & sequitur Suar. disp. 38. sect. 2 num. 3. qui pro se citant D. Thom. quæst. 90. art. 2. ad 2. vbi clarè eam defendit. Nihilominùs contraria negans est communissima, & videtur verissima eamque insinuauit idem D. Thom. in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 2. videtur tamen retractasse hanc sententiam eo citato loco ex 3. Part. quia reuerà non patitur explicationem: hanc tamen tenent Vasquez, Coninch, Palatius, Ioannes Præpositus, quos refert & sequitur Lugo disp. 15. sect. 1. Vnde P. Ludouic. Turrianus valdè excessit (vti solet in censurandis sententiis) dum ait hanc esse temerariam, in Selectis Part 2. disput. 31. dub. 22. mirandumque est discipulum P. Vasquez, quem ferè in omnibus sequitur, in sententiam sui Magistri tam acriter inuectum: hæc autem probatur à nonnullis, quia in aliis Sacramentis numquam datur noua gratia ob solam positionem materiæ, si non ponatur noua forma, ratione cuius fiat nouum Sacramentum partialiter; vt in Extrema-Vnctione & in ordinatione Presbyteri. Hoc argumentum non est visum efficax Cardinali Lugo, eo quod si quis dicendo initio semel, *Per istam Sanctam Vnctionem*, &c. deinde succesiuè vngeret infirmum, daretur per quamlibet vnctionem ei distincta gratia: & tamen tunc non esset ibi distincta forma: ergo ad causandā distinctum gratiam non est necessaria noua partialis forma: hoc idem ostendit, casu quo sub vna forma Episcopus diceret, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, & remittendi ac retinendi peccata.* Ego tamen ob has instantias non putarem esse reiiciendum illum argumentum: etenim in his esto quasi physicè sit vna tantum forma, est tamen moraliter duplex: vti si auditis confessionibus duorum vel trium vna propositione diceremus, *Ego vos absoluo*; aut si baptizare vellem octo vel nouem dicerem, *Ego vos baptizo*, &c. & immediatè eos abluerem etiam successiuè, sine dubio conficerem moraliter tot Sacramenta distincta, quot sunt personæ baptizatæ: quia moraliter illa forma est multiplex; & quod dicitur vna vice supra omnes materias, potuit repeti successiuè supra quamlibet: hoc autem non habet locum in satisfactione, quia nec formaliter nec virtualiter videtur habere propriam formam, esset enim falsum, si Sacerdos diceret, quando pœnitens implet satisfactionem, *Ego te absoluo à pœna*: iam enim Sacerdos non absoluit: vnde esto ipse Sacerdos iam tunc mutauerit voluntatem, esto sit mortuus quando satisfactio expletur, habebit ex suum effectum eodem prorsus modo, quo si actu maneret in voluntate absoluendi. Maxima est ergo in hoc puncto inter satisfactiones & illas instantias à Cardinali Lugo allatas differentia. Faciliùs fortasse dici potest, illud argumentum propterea bonum non esse, quia cùm res hæc tota pendeat ex voluntate Christi, potuit eo ipso, quòd diuersam materiam in hoc Sacramento constituit, dare illi vim diuersam causandi nouam gratiam, licet in aliis Sacramentis id non efficeret; potuit enim Christus pro libitu in vno hoc instituere, in alio aliud

Satisfactio Sacramentalis non causat gratiam ex opere operato.

3

Quidquid ergo de vi eius argumenti sit, meliùs idem Lugo eam probat, quia non habemus fundamentum sufficiens ad tribuendam eam vim causatiuam gratiæ ex opere operato illi satisfactioni: quandocunque enim Concilia &. Patres de ea loquuntur, solùm in ordine ad remissionem pœnæ temporalis declarant illius vim; Sacramentum autem Pœnitentiæ causat gratiam quatenus est directè institutum ad remissionem mortalium, quæ non fit nisi per gratiam de lege ordinaria; quia verò etiam secundariò extenditur ad venialia, etiam tunc causat gratiam: nam etiam tunc debet habere essentiam Sacramenti nouæ legis, cuius est causare gratiam: satisfactio verò solùm est pars, quatenus remittit pœnam ad quod vel non requiritur gratia, vt constat in Indulgentiis & Sacrificio altaris; vel sufficiet ea, quæ ex opere operantis datur, dum illa satisfactio debito modo expletur.

4

Primò obiicies, Satisfactio est pars Sacramenti; non autem quia sit signum sensibile gratiæ, cùm possit esse actus purè internus, cui ratio signi sensibilis conuenire nequit; ergo quia causat gratiam. Respondeo ex dictis à me paulò ante, Ideò eam esse partem Sacramenti, quia ordinatur ad remissionem pœnæ, per quam remissionem extinguitur quoad omnia peccatum, ideóque facit vnum integrum Sacramentum Pœnitentiæ, quod ordinatur ad remissionem peccati tam in se quàm quoad effectus. Et hic videtur esse sensus Tridentini eo citato loco; dum enim tres partes Sacramenti huius numerauit contritionem, confessionem & satisfactionem, dixit eas, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenámque & perfectā peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, *hac ratione pœnitentiæ partes dici.* Secundò potest responderi, Satisfactionem ex se esse gratiæ causatiuam, si ponatur antequam hæc causetur, si scilicet expleretur antequam absolutio daretur, Vti in simili communis sententia docet, per sumptionem calicis post sumptam speciem panis non causari de facto nouam gratiam: & tamen ibi non solùm est pars materialis Sacramenti, sed etiam tota essentia, quæque, si sumpta fuisset ante hostiam, causasset eam gratiam.

Soluuntur obiectiones.

5

Dices, Si satisfactio fuisset habita ante absolutionem, Sacramentum ratione illius causasset maiorem gratiam, quàm si ea satisfactio non extitisset: ergo etiam causabit gratiam, si postea expleatur, quia ea differentia tota videtur omnino impertinens ad hoc punctum. Respondeo, ideo eo casu maiorem gratiā causandam, quia maior & melior fuisset dispositio ex parte ipsius suscipientis Sacramentum; quando autem satisfactio venit post illud, iam venit tardè ad hunc effectum vt si ante absolutionem homo haberet dolorem de peccatis maximum, maiorem acciperet gratiam etiam ex opere operato ratione Sacramenti iuxta communem sententiam: si tamen ille idem dolor veniret post datam absolutionem non causaret per se, neque ad causandam maiorem gratiam ex opere operato vllo modo conduceret, quia tardè veniret. Dico *Ex opere operato*, quia iam non est nobis sermo de gratia ex opere operantis, quæ potest à satisfactione

Obiectio.

Responsio.

causari

causari esto expleatur post Sacramentum.

6 Tertiò argumentantur, quia satisfactio non solùm est in vindictam peccatorum, seu ad extinguendam pœnam debitam, sed præcipuè ad curationem & medicinam in futurum: ad hunc autem finem maximè est necessaria gratia habitualis; ergo illam debet caussare. Respondeo Primò ex his quæ fusiùs tradidi agens de Sacramentis in genere: ad caussationem gratiarum per modum auxilij ad vitanda peccata, vel ad debitè exercenda munia, ad quæ destinatur per aliquod Sacramentum, non esse necessariam infusionem gratiæ habitualis; ideoque dixi, probabiliter etiam Sacramenta, quæ debitè non recipiuntur, esto recedente postea fictione non caussarent gratiam habitualem: caussatura tamen auxilia specialia respondentia eis Sacramentis: vt ergo respondeant Sacramẽtali satisfactioni auxilia ad curationem in sequens tempus, non est necessarium vllo modo per illam caussari nouam gratiam habitualem. Adde, finem proprium satisfactionis, vt est pars Sacramenti, solum esse, delere peccatum præcedens quoad pœnam, præseruationem autem in futurum esto ex accidenti possit caussare, non tamen ex fine præcipuo. Denique respondeo. Eas gratias actuales non causari per satisfactionem, sed per Sacramentum præcedens confessionis, quod, vti reliqua Sacramenta, habet vim & caussandi, dum suscipitur gratiam habitualem, & deinde gratias auxiliãtes eo modo, quo in materia de Sacramentis traditur. Satisfactio ergo non aliter dicitur ordinari ad medicinã, nisi quatenus debet esse talis, quæ aliquo modo possit frenare peccatorem timore sui ad recidiuam fugiendam: pro quo effectu non requiritur infusio gratiæ, vt ex se constat: vti, vt fugiat occasiones peccati, non requiritur eadem infusio gratiæ. Addi fortasse posset alius finis eius satisfactionis, quem ad aliud propositum insinuat Vasq. q. 94. art. 1. dub. 6. n. 6. scilicet vt sit proportionata scandalo, quod in Ecclesia caussauit peccator, & in exemplum & terrorem aliorum: hunc tamen finem nullo modo approbo, maximè his temporibus, quando pœnitentiæ ex se secretæ, & saltem (vt diximus suprà) non possunt à Sacerdotibus publicari: & licet illum admittamus, non tamen ex eo quidquam infertur de necessitate infusionis gratiæ habitualis.

Præcipuus finis satisfactionis est delere pœnã peccato debitam.

7 Quartò argumentantur aliqui, Nam in absolutione reperitur aliqua remissio pœnæ cum culpæ remissione, ergo in satisfactione reperitur aliqua infusio gratiæ cum remissione pœnæ. Respondetur negata consequentia, Quia absolutio est essentialiter Sacramentum; at satisfactio est pars materialis integrans, non tamen talis, quæ contineat essentiã Sacramenti: vnde in ea non debet tanta virtus quanta in absolutione reperiri alioquin etiam probaretur per illam remitti aliquas culpas; quod est absurdum. Absolutio ergo ideò remittit aliquid de pœna in primis: quia si remittat mortale, necessariò debet extinguere pœnam æternam, quæ est incompossibilis cum gratia habituali, per quam absolutio remittit mortale. Quòd si confessio solùm sit de venialibus, esto ex remissione horum non colligatur formaliter remissio alicuius pœnæ: quia tamen non remittũtur nisi per infusionem gratiæ, quæ semper remittit aliquid de pœna iuxta nonnullorum sententiam, vel saltem ratione dispositionis ipsius pœnitentis, vel denique quia Sacramento remissiuo culpæ annexuit Christus remissionem aliquam pœnæ, admittimus aliquid semper remitti. Quæ ratio etiam habet locum, si confessio sit de peccatis iam antè vel per contritionem vel per præuiam confessionem dimissis quoad culpam; nam esto de culpa nihil tunc remittatur, semper tamen aliquid remittitur de de pœna, cùm etiam tunc infundatur gratia per absolutionem illam. Hæc autem ratio in satisfactione, quæ solùm est pars materialis integrans, non essentialis Sacramenti, nihil penitus probat de causatione gratiæ.

Obiicitur etiam Quintò instantia ex sumptione calicis per quam causatur noua gratia. Verùm & antecedens est falsum, de quo suo loco, & consequentia nulla, nam calix habet totam essentiam Sacramenti, id quod non habet satisfactio.

Sextò denique obiiciunt, quòd Sacerdos dicat, *Quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum & augmentum gratiæ*: ergo ea satisfactio caussat augmentum gratiæ. Respondetur consequentiam esse prorsus nullam, Primò, quia ibi etiam Sacerdos precatur vt merita Beatissimæ Virginis & omnium Sanctorum sint illi in augmentum gratiæ; certum autem est inde non conferri pœnitenti vllam gratiam ex opere operato. Secundò id etiam dicit Sacerdos de omnibus operibus bonis, quæ fecerit pœnitens, & de malis quæ sustinuerit. Hæc autem omnia nõ imponunt illi in satisfactionem, ideóque non possunt etiam admissa contraria sententia causare gratiam ex opere operato. Respondeo ergo absolutè, Solum ibi Sacerdotem precari, vt ea omnia conducant eo modo, quo solent bona opera conducere, aliqua per modum meriti, vt sunt bona facta in gratia, alia per modum impetrationis, vt merita Beatissimæ Virginis & Sanctorum & etiam ipsius peccatoris, si fiant in peccato: nam & tunc habere possunt valorem impetratorium, de quo Sacerdos ibi maximè loquitur: nam cùm hæc impetratio non sit infallibilis sicut causatio gratiæ, magis indiget fausta apprecatione, vt sic loquar, Confessarij, quàm vt bona opera illius facta in gratia sint meritoria de condigno. Ideò meliùs dici potest, quòd de omnibus omnino operibus non precetur aliud, quàm vt Deus dignetur eis inducere ad concedenda maiora auxilia efficacia, quibus ille homo benè operetur, & augeat gratiam habitualem, & ratione illius præmium vitæ æternæ: non est ergo cur de causalitate gratiæ quidquam inde asseramus.

8 *Quæ sensum habeant verba illa Sacerdotis absolutis, Quidquid boni feceris & mali, &c.*

SECTIO II.

Quomodo causet remissionem pœnæ.

SECVNDA difficultas eaque præcipua, est, Vtrùm hæc satisfactio habeat remissionẽ pœnæ solùm ex opere operantis, an etiam ex opere operato, & quanta ea sit. Circa primum punctum dicendum omnino est per illã extingui aliquid de pœna ex opere operato ita communiter omnes DD. Et ratio est, quia alioquin si non haberet eam vim extinguendi, nisi ex opere operantis, nihil amplius haberet ratione Sacramenti, quã quæcumque bona opera deinde fierent in gratia: nam hæc ex opere operantis tollunt etiam aliquid de pœna: hoc autem est manifestè falsum: habet enim ea satisfactio ex

9 *Satisfactio Sacramentalis tollit aliquid de pœna ex opere operato.*

eo

eo, quòd sit imposita à Sacerdote vim specialem in ordine ad eam remissionem; & ratione illius est pars Sacramenti, vt præcedenti sectione ex Tridentino notauimus. De quantitate verò illius maior est difficultas; certum quidem est apud omnes quando Sacerdos imponit minorem quàm qualitas peccatorum requirat, per illam non extingui totam pœnam debitam eis peccatis. Quam tamen doctrinam communem ita intelligendam iudico, vt vi satisfactionis Sacramentalis quà talis non extinguatur tota ea pœna, quia potest aliquando fieri vt pœna, quam ille homo debet sit tam exigua (eò quòd per contritionem & alios priores actus valdè multùm de illa deleuit) vt quælibet minima satisfactio sufficiat ad illam extinguendam; hoc autem per accidens est ad nostrum casum, nam eo sensu etiam potuit nihil manere, pro quo satisfieret, etiam potuit esse adeò parum, vt per quodlibet opus, esto non impositum in satisfactionem, deleretur. Denique quia ipsa satisfactio habet ex opere operantis vim ad satisfaciendum, potest per hanc compleri, quod illi deerat ex opere operato. Quæstio ergo est, quando pœna debita erat tanta, vt superaret valorem illius satisfactionis adeò multum, vt esto fuisset imposita maior longè pœnitentia, adhuc ex se eam non extinxisset. Pro quo, ne videamur dicere idem per idem, & vt dubium sequens facilius intelligas, aduerte; vti Christus Dominus instituendo Sacramenta, eisque conferendo vim caussatiuam gratiæ, voluit vt Sacramentum Eucharistiæ, v.g. sumptum cum deuotione vt quatuor, caussaret gratiam vt octo, non maiorem, non minorem; & hoc in quolibet subiecto. si verò dispositio esset vt octo, caussaret gratiam vt sedecim v.g. (& idem suo modo de omnibus aliis Sacramentis) applicando sua merita ad eos certos gradus gratiæ, cùm potuisset ad plures, potuisset è contrario ad pauciores; ita in satisfactione Sacramentali (cui applicuit vim satisfaciendi ex opere operato ex sua satisfactione seu satispassione) voluit vt pœnalitas vt quatuor extinguere pœnam Purgatorij vt quatuor ex opere operato, pœnalitas vt octo extinguere pœnam vt octo; neque enim habemus vllum fundamentum ad aliter discurrendum hìc in ordine ad remissionem pœnæ, quàm discurrimus in Sacramentis in ordine ad caussationem gratiæ. Dixi *pœnalitatem vt quatuor extinguere ex Christi institutione pœnam Purgatorii vt quatuor tantùm, v.g.* quia reuerà nos non scimus nec quidem apparenter aut coniecturaliter, quantum addiderit Christus de sua satisfactione eis pœnalitatibus nostris impositis pro pœnitentia Sacramentali. Ad declarationem ergo quæstionis eam posui proportionem & gradus certos pro incertis. Hinc ad quæstionem nostram dico, Si pœnitentia, quam Sacerdos imposuit, sit minor quàm peccata requirebant, tunc per eam non necessariò extingui totam pœnam Purgatorio debitam ei peccatis, sed iuxta proportionem positam, si pœnæ vt vnum respondet extinctio vt vnum, eo modo re ipsa extinguet; pœna verò, quæ vltrà debebatur, adhuc manebit integra. Habetque hæc doctrina locum, etiamsi pœnitentia impositа sit valdè exigua, quia & tunc aliquid extinguet, licet proportionaliter minùs, vti in Sacramentis esto dispositio sit valdè exigua, caussatur tamen aliquid de gratia habituali ex opere operato, licet etiam cum proportione ad dispositionem ea sit exigua. Vnde non video quo fundamento aliqui, quos tacito nomine refert Suarez, dixerint, quòdo pœnitētia est valdè exigua nihil extinguere de debito pœnæ.

10

11

Non semper extinguit omnem pœnam peccato in Purgatorio debitam.

Illud difficilius, An si Sacerdos imponat pœnitentiam, quam putat esse proportionatam eis peccatis, esto re ipsa non sit, extinguatur tamen tunc totum omnino debitum pœnæ illis respondens. De hac quæstione fusè Auctores in præsenti; qui omnes videntur supponere, si pœnitentia sit re ipsa illis peccatis proportionata, eo ipso extinguere totam pœnam; solumque vertunt in dubium, Vtrùm quando non est proportionata Sacerdos tamen prudenter proceden. iudicauit eam esse proportionatam, sufficiat ad extinguendam totam pœnam. Ego autem, vt clariùs in hac quæstione procedam, aduerto duos posse esse eius sensus, iuxta paulò antè dicta circa illam vocem *proportionata*: Primus, vt sit proportionata iuxta determinationem Christi Domini, qui v.g voluit vt per dolorem vt quatuor extingueretur pœna vt quatuor. In hoc sensu res est extra controuersiam, si enim pœnitens debet pœnam vt quatuor, non erit re ipsa satisfactio proportionata, nisi quæ fuerit vt quatuor; & tunc sine dubio extinguet totum debitum. Aliter ego intelligo *rò proportionata pœnitentia* seu *satisfactio*, id est, quæ sit sufficiens, etiam in se, ad fines, quos maximè intendimus per pœnitentiæ impositionem, scilicet vt homo ille deterreatur per illam à committendo eo peccato secunda vice, vel vitet occasiones illius; vel denique iuxta aliquorum sententiam, vt scandalo Ecclesiæ terrori & exemplo aliorum sit ea pœnitentia æqualis considerata culpæ grauitate. Si in hoc sensu ea satisfactio vocetur in se ipsa proportionata, vt à Confessario pro his peccatis imponatur, graue adhuc erit dubium, Vtrùm talis re ipsa extinguat totam pœnam, seu (vt clariùs & breuiùs dicam) dubium erit magnum, Vtrùm ei pœnitentiæ, quam Christus voluit imponi pro peccatis à Sacerdote, esto de eius quantitate nobis ex reuelatione constaret, voluerit esse annexam remissionem pœnæ totius restantis. Non est ergo certum, vtrùm ea pœnitentia, quæ non solùm iudicio prudentis est æqualis, sed quæ re ipsa est eo modo æqualis, sit etiam æqualis debito pœnæ, nisi aliquis dicat Christum voluisse eam à Sacerdote imponi, quæ planè æquaret pœnam debitam. Hoc autem dicitur improbabiliter, cùm esset præceptum de re nobis omnino incognita; quia nec scimus quantum cuilibet peccato respondeat pœnæ, nec scimus quantum ipse Christus applicuerit de sua satisfactione pœnitentiæ impositæ; nec scimus quos actus bonos habuerit peccator, & quantum priùs absstulerit ipse de ea pœna debita. Vides ergo rem totam esse incertissimam.

12

13

Hinc ad præcipuam quæstionem dico, Talem satisfactionem, eò quòd à Sacerdote iudicetur æqualis culpæ, nullo prorsus modo extinguere totum debitum pœnæ. Hæc est contra Gasparem Hurtadum disp. 14. de Pœnitentia, difficult. 15. vbi pro se citat Gabrielem, Maiorem, Sotum & Medinam Nostra autem conclusio est communis, Suarij sect. 5. Vasquez quæst. 94. art 2. dub 6 Reginaldi, Tutriani, Ochaganiæ apud eumdem Hurtadum: eamdem tenet Coninch disput. 10. dub. 10. Lugo suprà num. 19. & Tannerus dis. 6. quæst. 8. dub. 1. Ratio autem est, quia Christus (vt supà diximus) non pro arbitrio Sacerdotis, aut pro illius iudicio, sed determinatè tantæ sa-

14

Quid si Confessarius iudicet pœnitentiam esse æqualem pœnæ debitæ, extinguérne tunc totam pœnam, licet reuerà non sit æqualis?

tis

tisfactioni tantam annexuit remissionem, vt de gratia sanctificante diximus; ergo quòd Sacerdos iudicet hanc esse æqualem, non faciet vllo modo illam re ipsa æqualem. Confirmatur ex paulò antè dictis, quia etiam est omnino incertum, vtrùm ea pœnitentia, quæ re ipsa sit æqualis iuxta exigentiam confessionis, quamque ipse Christus si simulato habitu alicuius Confessarij confessiones audiens imponeret, esset æqualis pœnæ, quia diuersæ considerationes sunt necessariæ in hac pœnitentia quàm æqualitatis cum pœna debita. Etenim certum est (id quod maximè vrgebat olim, quando pro publicis peccatis imponbantur pœnitentiæ publicæ) sæpè pro peccatis longè grauioribus, & quæ eo ipso maiorem pœnam Purgatorij fuere promerita, fuisse minores pœnas taxatas, quàm pro alijs peccatis in se coram Deo leuioribus. Nam peccata carnis etiamsi ex se non sint grauiora, quia tamen apud homines habent nescio quam maiorem indecentiam, eo ipso grauioribus pœnitentijs puniebantur quàm alia vel ferè occulta, vel in alia specie non adeò fœda, sed tamen grauiori; coram Deo autem non ideò hæc minor pœnitentia pro grauiori peccato tam multum extinxit de debito pœnæ in Purgatorio quàm illa alia maior, vt ex terminis patet; ergo non extinxit totum; & tamen erat iudicio prudentum determinata; ergo.

15 Quòd verò non extinxerit tam multum est certissimum, quia & minor fuit, & hominem inuenit cum maiori debito, nec fuit rationabile vt tam multum condonaretur ob paruam quàm ob magnam, imò plus debuisset condonari eo casu ob illam paruam quàm ob maiorem, si ob quamlibet fuisset condonatum totum; cùm supponamus plus debuisse qui habuit paruam quàm qui magnam. Præterea sæpè attenditur in pœnitentia ad qualitatem ipsam personæ cui imponitur, vt minor imponatur Episcopo quàm alteri ordinario homini; & quidem id fit iuxta regulas prudentiæ: hoc autem Deus non considerat in ordine ad remissionem, sed iuxta grauitatem delicti pœnas determinat, ac pro difficultate satisfactionis in se & pro illius magnitudine de eis è contrario remittit æqualiter in Papa ac in laico, ceteris paribus. Tertiò, in eadem exteriori pœnitentia imposita pro ijsdem peccatis potest esse summa diuersitas, dum deinde expletur; nam vnus eam cum maximo dolore perficit, alter vix cum vllo, estne autem credibile, Christum tam multum tunc remittere vni quàm alteri. Potuit quidem pro sua libertate id velle; at quòd de facto ita fecerit non est credibile, nec conforme communi doctrinæ, quòd maior gratia detur per Sacramentum iuxta nobiliorem suscipientis dispositionem, quod idem ad remissionem pœnæ debet transferri. Denique Sacerdos ignorat sæpè quantitatem contritionis pœnitentis, gemituum, &c. per quos aliquando reipsa extinxit totam pœnam; & tamen pœnitentia ei debet à Confessario imponi: aliquis erit qui extinxerit decem gradus v.g. alius sex, & tamen si delictum sit idem, imponitur eadem pœnitentia; numquid eo casu per æquales pœnitentias vnus satisfacit pro decem, alter tantùm pro sex?

16 *Obiectio prima.* Dices Primò; Vt quid ergo Tridentinum ita reuocat in memoriam Confessarijs obligationem considerandi grauitatem criminum vt proportionatas pœnitentias imponant? Respondeo, Concilium non monere eo animo, vt nihil pœnitenti remaneat luendum in Purgatorio: quia iam ostendi ex variis capitibus esse incertissimum, quanta deberet esse in ordine ad hoc requisit ergo pœnitentiam in ordine ad extinguendam pœnam cum hac proportione vt pro grauiori peccato grauior sit: siue quælibet extinguat totum debitum Purgatorij siue non: vel Secundò eam proportionem petit in ordine ad frenandum ipsum hominem ne relabatur: seu vt per illas re ipsa adhibeatur præseruatiuum in futurum. Patet Vasquez, vt dixi suprà, ponit etiam æqualitatem cum scandalo & pro exemplo aliorum: sed iam ostendi id de facto non habere locum, quia imponuntur pœnitentiæ secretæ, quas quilibet potest quantumuis graues occultare, & consequenter cessant duo hi fines: denique eam æqualitatem pœnitentiæ huius vitæ cum pœna restante Purgatorij fortasse nec ab ipso Christo, confessiones immediatè audiente, fore imponendam, vt notauimus suprà.

17 *Obiectio. secunda Indulgentia plenaria remittit omnem pœnam tam magnam quàm paruam, si iuxta illas impleatur: & quare non habeat idem satisfactio. Responsio.*

Dices Secundò: Pontifex concedens Indulgentias plenarias remittit totam pœnam, siue ea sit magna, siue paruа: siue conditio requisita ab ipso Pontifice impleatur cum magna deuotione, siue cum exigua: per quod videntur debilitari omnia argumenta nostra quæ ex his inæqualitatibus maximè desumebantur. Respondeo (quod & immediatè antè insinuaui.) Etiam potuisse Christum eo modo rem instituisse in hoc Sacramento: negamus tamen ita factum: sed vti ad gratiam infundendam per Sacramenta considerauit qualitatum dispositiones, ita eamdem considerare in satisfactione ad remissionem pœnæ Purgatorij. Alia longè ratio est in Pontifice qui expressè & directè, vt constat ex verbis illius, vult absoluere à tota pœna, quæcumque illa sit, siue magna siue parua: quo casu ea remissio non respondet directè operi illi, quod solet ordinariè exigere, sed motiuo illi extrinseco concedendi Indulgentiam, v.g. maximæ vtilitati Ecclesiæ, quæ inde speratur per preces fidelium, &c. iuxta ea quæ diximus fusè suprà: supposita autem potestate Indulgentiarum hoc non habet difficultatem vllam: aliunde verò, cùm hæc concessio non sit ita ordinaria & fixa, non habet illud inconueniens, quod fortasse posset reperiri in eo, quod quælibet pœnitentia imposita, etiam iuxta prudens iudicium Sacerdotis, extingueret totum debitum pœnæ.

18 *Obiectio tertia. Pontifex prudenter olim & nunc dispensans, licet causa non subsistat, valet dispensatio modò fraus non interueniat. Responsio.*

Tertiò obijcies: Si Pontifex dispensans in aliquo voto aut lege putat prudenter causam esse iustam & sufficientem, esto in se re ipsa non sit talis, nihilominùs dispensatio est omnino valida, non solùm in apprehensione hominum, sed ita vt etiam apud Deum iudicetur valida; ergo eadem ratione quando Confessarius prudenter iudicat pœnitentiam esse æqualem peccatis, re ipsa illa fiet æqualis, etiamsi in se nó sit adæquata. Respondeo negando consequentiam, Disparitas est manifesta, quia dispensatio pendet à voluntate ipsius Pontificis dispensantis; ei autem commisit Deus eam dispensationem, quando prudenter iudicauerit necessarium esse; nec pro valore ipsius petijt vt causæ illæ in se essent certæ, seu vt ita existerent. Cùm enim homines non possint dirigi nisi iuxta ea quæ cognoscunt; non potuit Deus à Pontifice vt prudente administratore & dispensatore aliud exigere, quàm vt dispensationes has non faceret, nisi prudenter iudicaret dari causas sufficientes pro illis, esto deciperetur inuincibiliter re ipsa: & ita eas dispensationes sub iudicio eo prudenti datas ipse habet

omnino

omnino ratas, vt licet postea constet Pontificem inuincibiliter deceptum fuisse (suppono etiam ex parte eorum qui eam petierunt nullam fraudem
19 interuenisse,) nihilominùs tamen dispensationis valor non ideo cesset: id quod pro pace conscientiæ videbatur maximè necessarium, alioquin semper fuissent graues scrupuli, an reipsa fuerit causa sufficiens. At in remissione pœnæ aliter contingit: nam Sacerdos non tollit pœnæ debitum, sed assignat vnum opus, cui non ipse determinat quantitatem satisfactionis, sed Christus: hinc potest contingere vt aliquando assignet opus, cui Christus concesserit totam remissionem pœnæ aliquando aliud, cui totum mediam partem, aliquando, quod plus quam homo ille mereatur. Neque expediebat aliter fieri, quia alioquin non essent soliciti homines de extinguenda ea pœna cum per actus doloris & contritionis præuios ante absolutionem, tum per alios distinctos post satisfactionem Sacramentalem: cogitaret enim quilibet, siue parum siue multum debeam, totum eluetur per prudentem pœnitentiam, non ergo necessum amplius laborare.

Satisfactio est maioris virtutis si melior fit præmissis dispositio.

Insinuaui super pœnitentiam hanc esse maioris virtutis quàm cum meliori dispositione impletur; quod videtur valdè probabiliter deduci à simili de maiori gratia per Sacramenta vxta meliorem dispositionem, circa quod vlteriùs quæri potest, An ea melior dispositio sit tenenda præcisè pro tempore quo data est absolutio, an verò etiam pro illo quo ipsa explerur. Respondeo pro vtroque: pro primo quidem, quia tunc completum est substantialiter Sacramentum maximè autem iuuat bona dispositio pro eo tempore: quòd verò etiam iuuet ea quæ reperitur quando impletur satisfactio videtur valde certum; quia cum opus illud per se ad hoc conducat primariò, tunc autem propriè significatur quando existit; ergo tunc crescit in eo opere vis satisfactoria. Aduerte tamen, me nomine *melioris dispositionis* non intelligere maiorem gratiam habitualem subiecti, quia de hac iam diximus alibi non conducere ad maius meritum aut satisfactionem, solùm ergo intelligo ipsius operis dignitatem maiorem.

SECTIO III.

De conditionibus requisitis ex parte huius satisfactionis.

20 MAria dubia circa hoc punctum occurrunt, quæ sunt distincte discutienda.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de satisfactione ante absolutionem expleta, aut postea in statu peccati.

Satisfactio facta ante vt habeat suum effectum.

CIrca primam partem quærimus. An si dilata ob aliquas causas absolutione imposita-que pœnitentia, hinc quis perficeret statim antequam absolueretur, haberet illa suum effectum ex opere operato. Respondeo non habituram, & quidem si adhuc non sunt remissa ea peccata quoad culpam res est clara, quia non remittitur pœna nisi post remissam culpam: habet autem adhuc maiorem locum, si peccata sint mortalia, quia homini existenti in mortali nulla remittitur pœna. Vniuersaliter autem etiamsi peccata sint iam priùs in confessione altera dimissa, aut per contritionem prætiam deleta, idem etiam est dicendum: quia Sacramenta non causant suos effectus antequam essentialiter perficiantur: ante datam autem absolutionem non perficitur hoc Sacramentum; ergo.

Secundò quæritur, Vtrum possit ea pœnitentia licitè impleri in peccato, & per eam satisfieri obligationi à Confessario impositæ. Non quæro, Vtrùm, si ipsa impletio pœnitentiæ sit peccaminosa, sufficiat ad præceptum implendum; de hoc enim paulò post sed Vtrùm, si homo sit in statu peccati, possit tùc & licitè & valide quoad præceptum implendum eam explere. Ratio autem dubitandi est, quia finis quasi intrinsecus & essentialis, ob quem pœnitentia imponitur, est vt homo satisfaciat pro pœna debita: ad hoc autem est inutilis, si fiat homine in mortali existente; ergo. Quòd si præterea dicatur satisfactio habere vim augendi gratiam habitualem, cùm hoc ipsum impediatur per peccatum, eritque nouum peccatum eam ita explere, vt ille effectus gratiæ non causetur; ex quo etiam capite traditur communiter esse peccatum graue Sacramenta in peccato suscipere, quia impeditur eorum effectus, id est gratia habitualis: ob has rationes videtur tenuisse eam Archidiaconus, Alensis, & Barbosa relati à Lugo num.22. communite tamen Doctores contrarium sentiunt vt videre est apud Suarez disp.18. sect.8. licet enim ibi num.7. dicat, Si satisfactio habeat vim causandi gratiam valde probabile videri esse mortale eam in peccato implere, quia impeditur effectus gratiæ: tamen quia & ea sententia est valdè dubia, absolutè concludit, neque ex hoc capite practicè loquendo esse mortale; numero autem primo dixerat absolutè, Ratione præcepti Sacramenti omnino sufficere in peccato eam explere, additque id esse commune & certum. Multos alios citat pro eadem Lugo supra, quam etiam defendit Tannerus eâ quæst.8.n.17. qui hoc ipsum supponit vt certum, citatque Caietanum, Toletum & Henriquez. Communis omnium ratio est, quia vti in aliis ferè omnibus præceptis de actione aliqua exteriori, v.g. de audiendo Sacro de ieiunando, orando, danda eleemosyna, &c. non requiritur status gratiæ ad satisfaciendum præcepto, ita neque in præsenti.

Pœnitentia licitè expletur in peccato mortali.

Dices: Satisfactio debet esse pars Sacramenti, sed non potest esse pars nisi sit satisfactoria, ad hoc autem requiritur status gratiæ: ergo. Respondetur, Vt aliquid sit pars Sacramenti, non esse necessum vt fiat in gratia, si de valore Sacramenti loquamur: vt patet in omnibus aliis Sacramentis quæ validè possunt in peccato recipi: quoad effectum autem gratiæ iam diximus illum non causari per satisfactionem ex opere operato: vt ergo satisfactio sit pars Sacramenti, sufficit quòd sit ex se satisfactoria, esto per accidens impediatur: alioquin autem cùm illa non sit propriè & essentialiter Sacramentum, sed materia tantùm integralis illius, non requirit eam sanctitatem ad sui productionem, quam per se requirunt Sacramenta. Ad secundam rationem, ob quam dubitauit aliquantulum Suarius, dicimus Primò, Eam sanctificationem non esse causatiuam gratiæ: Secundò, Ex eo capite non videri esse obligationem existendi in gratia, dum ea expletur: alioquin qui orat, ieiunat, dat eleemosynas, & facit alia bona opera in peccato,

22 *Obiectio.*

Responsio.

Fortasse respondebis Tridentinum, dum ita
27 satisfactionem commendat, agere de satisfactione
Obiectio. prout abstrahit à Sacramentali, seu vt est actu satisfactio: quo sensu proculdubio debet esse opus bonum, imò & in gratia factum. Ast vti hinc non infertur, Concilium præcipere vt
Responsio. opus illud sit factum in statu gratiæ, ita nec præcipere vt in se sit opus bonum. Respondeo: Etiamsi Concilium priùs egerit de satisfactione abstrahente à Sacramento, nihilominus statim transferre totum id ad ipsam Sacramentalem, dum præcipit Sacerdotibus, vt talem, qualem describserat, imponerent pœnitentibus. Quòd autem dicebatur, sicut ex Concilio non sequitur requiri statum gratiæ, ita nec sequi, requiri quòd sit opus bonum, non vrget qui reuerà satisfactiò, quæ in se est opus bonum, laudabile, &c. esto hat in peccato, retinet eam laudabilitatem, bonitatem, &c. & in toto rigore est verum dicere, esse opus illud adeò laudatum & commendatum in Scripturis, in quibus etiam valdè commendantur huiusmodi opera bona facta à peccatoribus, & per quæ sæpè vt dixi, à Deo adiuti sunt vt è peccatis exirent. Quod autem illis operibus adiungatur status peccati, est omnino ei per accidens: nihil autem horum cedit in peccatum ipsum; ergo non est bona consequentia vllo modo ab opere bono facto in statu peccati ad ipsum opus peccaminosum.

28 Replicabis tamen, Ergo non solùm debebit
Replica. esse opus non peccaminosum, sed etiá ex supernaturali voluntate procedens, vt eo impletur pœnitentia ac proinde si fuit in pœnitentiam impositum ieiunium, non satisfaciet ille qui naturali voluntate ieiunauerit; hoc autem plane est improbabile, quia videtur esse contra sensum omnium, qui numquam in hac materia ad eam supernaturalitatem attendunt; sequela autem probatur facilè ex dictis, quia opus satisfactorium debet esse tale, vt esto non sit actu satisfactorium ob peccati impedimentum, ex se tamen habeat eam vim: atqui opus naturale non habet ex se vim vllam satisfaciendi, sicut non habet nec quidem de congruo rationem meriti, (vt diximus suo loco:) ergo discursus à nobis factus nimis multum probat. Respondeo, Quidquid sit de merito (quod tamen à multis negatur) in satisfactione esse aliam rationem: quia extinctio pœnæ est in sua substantia aliquid naturale: de quo fusius suprà, vbi discussimus ex proposito, an opus naturale possit esse satisfactorium diximus probabiliter posse admitti per eos
Solvitur. Primò. actus satisfieri pro pœna: quia tamen contrarium vt probabilius tradidi. Secundò respondeo,
Secundò. Quandocumque fidelis efficit actum naturalem bonum circa obiectum honestum, semper elicere supernaturalem siue simul cum naturali, siue solùm supernaturalem, ac proinde ex hoc capite non esse cur simus soliciti in ea satisfactione de supernaturalitate actus Respondeo,
Tertiò. Tertiò, Cùm homo non distinguat, quando habet actum naturalem, quando verò supernaturalem, non obligari vi præcepti de pœnitentia,
Quartò. nisi vt habeat actum vndequaque honestum. Quartò denique, Cùm contraria sententia sit valdè probabilis, facilè quidem se illi accommodando posse omnes scrupulum deponere circa supernaturalitatem eius satisfactionis sibi impositæ. Supernaturalitatem hic semper accipio ex parte actus voluntatis significantis actionem externam; nam pœnalitates ipsæ externæ tam in ordine ad meritum quàm in ordine ad satisfactionem semper sunt naturalissimæ.

Secundò dices: Ad implenda alia præcepta
29 v. g. ieiunij, non requiritur actus bonus, ergo ne-
Obiectio Solmitur. que ad explendam satisfactionem. Nego consequentiam, quia in re unio sola præcipitur ea exterior omissio ciborũ, vti in audit one Sacri solùm præcipitur ea præsentia exterior & attentio ad Sacrum: at in satisfactione Sacerdos præcipit opus bonum, quia quod præcipit, præcipit vt satisfactorium, seu præcipit veram satisfactionem; in quo est maxima diuersitas inter Sacerdotes & inter Ecclesiam præcipientem aliquid: nam iuxta communem sententiam Ecclesia non potest præcipere actus internos directè, nisi qui necessarij sunt ad exequendam actionem externam imperatam: vnde non potest mihi præcipere, vt per actum vndequaque bonum ego audiam Sacrum. At Sacerdos in foro pœnitentiæ
Sacerdos in foro pœnitentiæ potest imponere actus internos. habet potestatem imponendi in pœnitentiam directè actus ipso internos etiam bonos, actus attritionis, contritionis, humilitati, &c à fortiori ergo habet potestatem imponendi pœnitentiam, quæ non sit peccaminosa. Et sanè eo modo videntur omnes imponere quia imponunt orationes, ieiunia, & ad obtinenda auxilia pro vitandis peccatis in futurum, hæc autem si peccaminosè fiant, sunt ad id plane inutilia.

Replicabis tamen: Etsam Sacerdos imponit
Replica. eas pœnitentias animo, vt pœnitẽs actu & reipsa satisfaciat & tamen non obligant vt eas exequatur in statu gratiæ qui requiritur ad actualem satisfactionem: ergo. Respondeo, A Confessario præcipi opus quod sit ex se satisfactorium;
Solvitur. hoc autem habet opus in se bonum, etiamsi actu non extinguat eas pœnas propter accidentale impedimentum: quòd verò actu satisfaciat non præcipitur, quia potest fieri vt nihil habeat pro quo reipsa satisfaciat. Deinde iam ostendi habere non ex concilio fundamentum ad requirendum opus bonum, non tamen statum gratiæ.

Circa hoc ipsum quæritur, An si satisfactio 30
fiat in statu peccati, habeat aliquem effectum ex opere operato. Aliqui dicunt, Nullum omnino habere, sed esse sicut opera mortua seu facta in peccato quæ nullum habent effectum. Pro hac sententia refert Lugo Dominicum Sotum, Adrianum, Ledesmam, & Turrianum. Secunda sententia dicit habere statim suum effectum, quia remissio pœnæ non requirit infusionem gratiæ, ergo potest Sacramentum operari etiam
Satisfactio facta in statu peccati nihil operatur ex opere operato, donec status ille auferatur. in peccatore omissionem pœnæ pro hac stant Marsilius, Medina & alij, quos affert & sequitur Vasquez suprà dub 5. num. 16. quæ sententia videtur magnam habere probabilitatem iuxta nostra principia, quòd scilicet etiam in inferno sit satispassio pro pœna debita peccatis iam remissis: hinc enim à fortiori videtur colligi, etiam posse in hac vita in homine peccatore Nihilominùs communis sententia docet, eam satisfactionem pro tunc nihil operari: sed posteà si recedat fictio, & homo sit in gratia, reuiuiscere. Pro quo stant Caietanus, Petrus Soto, Victoria, Nauarrus, Suarez, Palatius, Fagundez, & Petrus Faij, quos affert & sequitur Diana Tomo 2. Tractatu 4. de Sacramentis, resol. 84. Coninch disp 10. dub. 11. Lugo suprà num. 40. Tannerus supra num. 17. & Gaspar Hurtadus 31
disput 14. difficult. 14. Quòd ergo tunc nullum habeant effectum patet, quia homini in peccato

existenti & inimico Dei non fit vlla gratia in ordine ad remissionem pœnæ. In quo puncto non videtur vllo modo consequenter discurrisse Vasquez, qui Tomo 3. in 3. Part. disput. 231. cap. 7. num. 43. ait, nullum existentem in peccato posse luere pœnam temporalem debitam peccatis in hac vita per vllam satisfactionem aut satispassionem; vnde agens de sacrificio Missæ ait: *Hinc enim rectè sequitur Christum non instituisse hoc Sacramentum pro remittenda pœna temporali eorum, qui in statu peccati mortalis sunt; quamuis nihil obstare potuerit, quò minùs, si voluisset, ita illud instituisset.* Dixerat autem sex circiter lineis antè, Se non legisse vllum ex Schola sancti Thomæ, aut Scoti, qui dicat fructum remissionis pœnæ, qui est effectus Sacrificij altaris, existenti in mortali communicari posse: vnde valdè miror eum hìc contrarium docuisse. Neque huic nostræ sententiæ obstat id quod paulò antè insinuauimus ex nostra doctrina tradita Tomo 3. de Satispassione in inferno. Etenim quando Iudex determinat pœnam æqualem, illámque imponit reo, hic verò illam eamdem patitur, iam eo ipso satispatitur, siue sit amicus siue inimicus, vt suo loco probauimus fusè: at in præsenti pœnitentia imposita in confessione non est satispassio, sed fauor quidam singularis Christi Domini permutantis illi homini pœnas grauissimas Purgatorij in leuem actiunculam, cui ipse adiunxit suam passionem. Hoc autem fauore indignissimus est peccator, ac proinde non fit illi de facto talis gratia, etiamsi, vt benè obseruauit Vasquez citatis verbis de Sacrificio, potuisset id Christus fecisse etiam in hoc Sacramento.

32 Secunda pars nostræ sententiæ, scilicet quòd ea satisfactio reuiuiscat tanquam Sacramenti effectus, facilis est in nostra sententia; docuimus enim Tomo præcedenti omnia Sacramenta habere eam vim causandi deinde gratiam recedente fictione. Cardinalis verò Lugo, qui Eucharistiæ eam vim negauit, valdè laborat in præsenti, vt disparitatem assignet: eam autem desumit num. 42. ex eo, quòd aliqua Sacramenta habeant ex sua institutione, quòd possint frequentari, vt Eucharistia, quæ est per modum cibi quotidiani: ac proinde illis non fuit necessarium dare eam vim, quòd possint reuiuiscere; quia per repetitionem illorum potest emendari defectus qui contigit in prima susceptione: alia verò sunt, in quibus si semel non detur effectus illorum, omnino videretur defraudari intentio Christi, casu quo non possint reuiuiscere; vt in Baptismo, Confirmatione & Ordine; quæ absolutè repeti non possunt; & suo modo in Matrimonio; quod cum eadem persona non potest iterari: in Extrema Vnctione, quæ in eodem morbo etiam non repetitur. Hæc autem suo modo applicat Sacramento Pœnitentiæ, quia licet iterari possit suprà eadem peccata ad maiorem securitatem & magis perfectam remissionem, per se tamen & ex sua institutione non adfert hanc obligationem: non enim obligauit Christus, nisi vt semel adferantur peccata ad Ecclesiæ iudicium, & semel suprà illa feratur valida sententia: quare si hæc non haberet suum effectum posteà recedente fictione, sequeretur, quòd illa peccata per se non remitterentur per claues Ecclesiæ, sed vel per contritionem, vel per aliud Sacramentum per accidens: quod videtur absurdum.

Ego tamen (vt verum fatear) hanc disparitatem 33
iudico valdè insufficientem: quia, sicut dicit hic Auctor, quòd Christus ex institutione huius Sacramenti non obligauerit ad illud suprà eadem peccata iterandum, sed id reliquerit homini liberum; ita eodem modo dicam ego de Eucharistia: eam enim vocare panem quotidianum, ad rem præsentem sunt pura verba, quæ non multum vrgent: quia non est quotidianus panis ex mandato & obligatione Christi, qui ad eam frequentiam nullo modo obligauit: est ergo ex deuotione, quatenus potest, qui vult eam frequentare: atqui in hoc sensu eodem omnino modo ea confessio etiam de peccatis iam semel in confessione dimissis, dicetur à me, quòd sit medicina quotidiana non quidem ex obligatione, sicuti neque Eucharistia est panis quotidianus ex obligatione, sed ex deuotione. Vides eamdem esse vtrobique rationem, & quòd per illa verba *panis quotidianus* ab hoc Auctore dicitur, à me per hanc aliam phrasim dicitur *medicina quotidiana*, & vtraque ex deuotione: adde, longè maiori titulo hanc dici quotidianam medicinam, quàm ille dicatur panis quotidianus; qua longè faciliùs potest quis accedere singulis diebus ad confessionem quàm ad Eucharistiam etiam repetendo eadem peccata: ergo ex hoc capite non est cur specialiter debeat Sacramentum Pœnitentiæ reuiuiscere præ Eucharistia: meliùs ergo consequenter nos discurrimus dicendo & hanc & illam reuiuiscere.

Hinc autem nouum oritur dubium, An etiam 34
ipsa satisfactio peccaminosa reuiuiscat. Vti enim Baptismus, esto sit susceptus per actum peccaminosum, reuiuiscit, eò quòd non habeat vim causandi gratiam ex meritis suscipientis, sed Christi: ita posset dici, satisfactionem quoad extinctionem pœnæ ex opere operato reuiuiscere: quia esto fuerit actus peccaminosus, habuit tamen annexam Christi satisfactionem: quæ in ordine ad suum valorem non impeditur per nostra peccata, etiamsi quamdiu subiectum est incapax, nihil in eo operetur: at posteà, quando subiectum sit capax, quia iustificatur, poterit habere iam suum effectum. Lugo tangit valdè obiter hanc quæstionem num. 46. & quidem solùm quoad satisfactionem venialiter malam; in qua dicit probabile esse quòd reuiuiscat: de mala mortaliter nihil dicit: videtur autem hoc ipso id negare. Tannerus autem suprà vniuersaliter docet non reuiuiscere, quia dixerat nec per eam satisfieri præcepto: vnde etiam nos, qui eum secuti sumus in hoc puncto, sequimur in altero. Addo tamen, si concedatur satisfactionem peccaminosam sufficere pro obligatione explenda, videri valdè probabile eam posteà ablato obice habituram suum effectum ex opere operato: id quod probat instantia allata de Baptismo. Addo præterea, id intelligendum siue mala fuerit venialiter, siue etiam mortaliter: quia in ordine ad præsentem quæstionem per accidens est ea differentia, cùm etiam peccatum veniale in se sit omnino incapax satisfactionis: ac denique instantia allata de Baptismo locum habet, etiamsi per actum mortaliter peccaminosum ille suscipiatur: nam etiam tunc reuiuiscit, cùm primùm homo venit ad statum gratiæ.

Satisfactio peccaminosa non reuiuiscit.

SVB

SVBSECTIO TERTIA.

De intentione requiſita ad ſatisfactionem.

35 QVærimus, Vtrùm requiratur actualis intentio explendi pœnitentiam; an verò ſicut ille ſatisfacit præcepto Eccleſiæ qui ieiunat, etiamſi ſatisfaciendi ei præcepto non habeat animum, ita in præſenti. Affirmat Thomas Sanchez lib.1. in Decalogum cap. 13. n.12. & alij, quibus etiam conſentit Lugo n.34. id quod ego etiam iudico probabilius, quia eo ipſo quòd pœnitens acceptauit pœnitentiam, cenſetur ſaltem habitualem intentionem habere eam explendi, dum fecerit opus illud, quod à Confeſſario eſt ſibi iniunctum. Neque habemus fundamentum, vt dicamus Confeſſarium præcepiſſe etiam eam reflexam intentionem.

Non eſt neceſſaria actualis intentio ſatisfaciendi ad pœnitentiam implendam.

Dices: Ad Sacramentum validè conficiendum requiritur intentio ſaltem virtualis, neque ſufficit præ habitualis: ergo ad ſatisfactionem, quæ eſt pars integrans Sacramenti requiritur intentio ſaltem virtualis. Ob hanc rationem ſubdubitauit Lugo circa hanc opinionem: ei tamen benè reſpondet, Non ſemper requiri intentionem præſentem, nec quidem virtualiter ad ſuſcipiendum validè Sacramentum. Id oſtendo ego in Sacramento Matrimonij contracto per Legatum; poteſt enim fieri, vt dum illud conficitur, & conferatur gratia, ipſi contrahentes dormiant, ac proinde omni omnino voluntati excepta habituali, careant. Idem oſtendi poteſt in ceteris ferè Sacramentis: nam & qui oluit baptizari; confiteri, &c. poteſt, etiamſi ſenſum amiſerit, baptizari, abſolui, Extremam Vnctionem recipere, &c. maximè enim ea virtualis intentio requiritur in ipſo Miniſtro Sacramenti. Vnde in matrimonio, etiam quando per Legatos contrahitur, quia tunc hi quaſi phyſicè miniſtrant Sacramentum, debent habere actualem volitionem vel ſaltem virtualem. Hæc ratio ceſſat in præſenti: nam qui pœnitentiam Sacramentalem explet, non eſt miniſter Sacramenti: ergo non eſt, cur ſit neceſſaria in eo virtualis volitio.

36 Illud tamen poſſet in dubium vocari, An ſi ipſe pœnitens per voluntatem quaſi reflexam dicat, *Nolo per hoc ieiunium ſatisfacere*, re ipſa tamen per illud ſatisfaciat, ita vt non ſit ampliùs obligatus ad nouum ieiunium. Mouit hanc quæſtionem Lugo ſuprà, eam tamen non decidit, ſed ſolùm præcedentem, quando non eſt retractata prior voluntas; concluditque his verbis: *Etiamſi daretur quòd non ſatisfaceret, quando eſt reuocata prior voluntas*: quid autem ſit abſolutè ſentiendum non declarat. Pater Thomas Sanchez lib 4. de Voto cap.33. n.2. in fine cenſet ſufficere huiuſmodi opus factum, etiam cum voluntate non ſatisfaciendi; ait enim, Si Confeſſarius impoſuit pro pœnitentia ieiunium vel eleëmoſynam diſiunctim, & ieiunauit cum intentione tamen non ſatisfaciendi, ſed poſteà dandi eleëmoſynam, poſſe tamen deinde mutata priori voluntate non dare eleëmoſynam, ſed velle ſatisfacere per ieiunium illud præcedens. Contrarium ſentit Vaſquez, quem citat Lugo n.33. Hæc ſententia, attendendo ad doctrinam generalem quam in aliis materiis tradidimus, quòd ſcilicet etiamſi homo orando Officium diuinum, ad quod tenetur ex voto aut præcepto, dicat ſe nolle per illud ſatisfacere, nihilominùs tamen ſatisfaciat, videtur etiam omnino vera; & ſolùm obeſt ratio, quam ſuprà inſinuauimus, quòd ſatisfactio ſit actio Sacramentalis, ac proinde fieri debeat cum intentione aliqua ſaltem habituali. Nihilominùs puto neque hanc rationem vllo modo eſſe in præſenti efficacem quia illa voluntas ſolùm requiritur ad valorem Sacramenti eſſentialis: in hac autem parte, quæ ſolùm imponitur per modum pœnæ, aliud non videtur neceſſarium, quam vt ſatisfiat voluntati Iudicis, quæ eſt, vt ea pœna toleretur, ſiue animo ſatisfaciendi, ſiue etiam è contrario: vt ſi abſoluitur reus cum obligatione dandi centum, ſi illa det, eſto dicat, *Non do animo ſatisfaciendi*, iam tamen eſt Iudicis voluntati ſatisfactum ex integro: nec reus tenetur vi ſententiæ addere alia centum.

Pœnitens ſatisfacit explendo impoſitum opus, licet reflexè hic & nunc nolet ſatisfacere.

SECTIO IV.

De obligatione imponendi pœnitentiam.

DIFFICVLTAS eſt, An ſemper obligetur Sacerdos ad pœnitentiam imponendam. 37 Aliqui caſus excipiuntur, in quibus ea obligatio ceſſat. Primus, quando pœnitens eſt infirmus valdè, ac morti vicinus, maximè autem ſi ſenſibus deſtitutus ſit, & nihil poſſit percipere: ſi enim percipiat, debet ei ſignificari pœnitentia; vt ſi conualuerit, eam perficiat iuxta caput *Ab infirmis* 26. quæſt. 7. vbi id clarè traditur, quòd ſi infirmus poſſit per eleëmoſynas ſatisfacere, ei ſunt iniungendæ.

An & quomodo pœnitentia grauiter infirmis imponenda.

Secundus caſus, quando Confeſſarius ex circumſtantiis, intelligit pœnitentem integrè ſatisfeciſſe pro pœna debita: quia verò id rarò colligi poteſt, addit Petrus Soto Lect. vltima de ſatisfactione, ſufficere probabilitatem ea de re. Ego autem dico, Nec probabilitatem eſſe poſſe: quia nullus Confeſſarius vel quidem apparenter poteſt ſcire, quantam ille homo pœnam meruerit; quia non poteſt ſcire, quanta fuerit actus intenſio, quanta libertas, &c. ex quibus capitibus malitia & meritum pœnæ creſcit, non poteſt etiam ſcire, quanta pœna cuilibet actui & intenſioni illius reſpondeat. Non poteſt Tertiò è contrario ſcire quàm fuerint meritorij actus, quibus ſe diſpoſuit ad pœnitentiam. Quartò, non ſcit quanta remiſſio pœnæ Purgatorij reſpondeat cuilibet actui bono noſtro. Quintò, quia adhuc eſt ſub lite, vtrùm ex maiori gratia habituali ſubiecti creſcat etiam ſatisfactio. Sextò, quia non ſcitur quanta pœna remittatur ex opere operato per ipſum Pœnitentiæ Sacramentum. De his ſex punctis nihil penitus nec probabiliter quidem ſcimus: quomodo ergo probabiliter poterit ſcire Confeſſarius ſuum pœnitentem iam ſatisfeciſſe pro culpa? Certè ſi vel vnum ex his capitibus non ſciatur, corruit probabilitas tota; multò autem magis corruet, ſi circa omnia ſex capita, vt dixi, ſit omnimoda ignorantia. Non eſt ergo ille caſus ex eo capite admittendus.

Secundus ergo caſus verè admittendus eſt, 38 quando inſtat Iubileum vel Indulgentia plenaria, quæ moraliter habeat iuſtam cauſſam: nam & tunc à Bonifacio Octauo reprehenſos fuiſſe Confeſſarios, quòd tempore Iubilei impoſuerint pœnitentias, refert Gloſſa in Extrauaganti *Antiquorum*, de pœnitentiis & remiſſionibus. Ex quo capite ſuperiùs agentes de Iubileo diximus aliquam eſſe rationem dubitandi, quomodo

Poſſitne tempore Iubilei iniungi pœnitentia.

de facto Pontifices petant eo tempore vt iniungantur pœnitentiæ. Neque obest quòd non semper sit certum, quemlibet infallibiliter obtinere Indulgentias; sufficit enim quod probabiliter putetur eas obtinuisse. Et hic habet locum quod Petrus Soto dixerat, sufficere probabilitatem.

An euntí ad martyrium debeat imponi pœnitentia.

Ad hunc casum reducitur alius de eo, qui confitetur vt martyrium subeat: nam cum per hoc extinguatur omne debitum pœnæ temporalis (iuxta alibi dicta) non est cur ei tunc iniungatur vlla pœnitentia.

Extra hos casus est obligatio ex se grauis imponendi pœnitentiam: an autem etiam, quando leuis est pœnitentia ob venialia leuia, sit etiam obligatio sub mortali eam imponendi, dubium est. Affirmat Reginaldus in Praxi Tomo 1 lib. 7. num. 12. Suarez verò disp. 38. sect. 3. supponit esse obligationem grauem in Confessario; quia tamen nó determinat, an propter leuitatem materiæ possit esse venialis illius transgressio, & eadem disput. sect. 7. num. 5. supponit ex generali regula peccatorum, quòd ob leuitatem materiæ possint esse venialia; ac tãdem inde deducit pœnitentem solùm peccaturum venialiter, si exiguam aliquam pœnitentiam omittat. vt quando confessio est de solis venialibus, vel de mortalibus, quæ tamen iam fuerat confessus, non videtur admittere in Sacerdote graue peccatum, eò quòd exiguam aliquam pœnitentiam omittat eo casu: non enim potest in hoc puncto maior esse Sacerdotis obligatio ad eam imponendam quã pœnitentis ad exequendam. Quidquid ergo de Suario sit, Tannerus videtur eam sententiam

39

apertè tenere, quia ea quæst. 8. dub. 14. etiam pœnitentem dicit peccare mortaliter omittendo pœnitentiam quantumvis leuem, quia semper est graue peccatum parte aliqua materiali priuare atque mutilare Sacramentum; & ita ait se, ante 24. annos in scholis docuisse.

Non est peccatũ graue non imponere pœnitentiam pro leuibus peccatis.

Contraria tamen sententia, scilicet tunc non esse peccatum graue, mihi videtur longè probabilior; & verò (re speculatiuè consideratâ) omnino certa ex eo principio generali de trãsgressione leui ob paruitatem materiæ. Quis enim prudens dicat, Si vnicum leuissimum veniale, v. g. verbum otiosum, confitenti imponatur, vt dicat pro pœnitentia *Iesus* & *Maria*, peccaturum eum mortaliter omittendo ea duo verba? Vt verò rem meliùs intelligas, & debilitatem aduersi argumẽti percipias, obserua, quando dicunt, Per omissionem illius pœnitentiæ Sacramẽtum manere mancum & mutilum, nihil aliud planè re bene perpensa, ab ipso Sacramento auferri quàm ipsam puram puram satisfactionem: ac proinde dicere, illud esse mutilum, nihil aliud est quam clatis verbis dicere, illud carere satisfactione. Iam ergo, quomodo quæso, nisi faciendo circulum, probant grauitatem ex mutilatione, cùm hæc non sit nisi ipsa carentia illius rei leuissimæ, de qua disputamus? Fateor in partibus essentialibus Sacramẽti omissionem vnius verbi posse esse rem grauissimam; v. g. in Baptismo si non dicatur *Patris* aut *Filij*, &c. at ratio ibi est clarissima, quia ibi destruitur tota essentia

40

Sacramenti auferrur vis ab ea actione causandi gratiam remittendi Originale, producendi characterem: vti si in verbis consecrationis non diceres *meum*, non poneretur ibi Christus, &c. neque esset verum Sacramẽtum; quæ sunt damna grauissima: ideóque ille defectus semper est grauis non ratione sui, sed ratione alterius annexi defectus. Deinde eo casu illæ actiones, quæ debebant esse Christi moraliter (iuxta ea quæ tradidimus in materia de Sacramentis) desinunt esse illius ex defectu eius verbuli. & eo ipso fit iniuria Christo, quia incipit Minister operari eius nomine: & deinde omittendo aliquid efficit, vt præcedens actio desinat esse Christi: quæ omnia sine dubio sunt grauissima. Nihil autem horum in præsenti repetitur: nam tota vis Sacramenti Pœnitentiæ manet, etiamsi non sequatur ea satisfactio absolutio enim data fuit, & manet nomine Christi, habuit & retinet adhuc suum effectum remissionis peccati, infusionis gratiæ. Defectus ergo pœnitentiæ nullum aliud omnino malum causat quàm carentiam sui: atqui hæc est in se valdè leuis, vt dixi; ergo malum carentiæ erit leue; ergo & mutilatio, quæ aliud non est ea quàm carentia eius satisfactionis, erit res leuis.

41

Quòd si consideremus eam satisfactionem in ordine ad remissionem pœnæ Purgatorij, vnde aliquis fortè posset inferre eam grauitatem; etiam est res parua: tum quia exigua aut ferè nulla remittitur per illa verba *Iesu Maria*: tum quia iuxta multorum sententiam non est nec quidem veniale eam pœnitentiam facere in statu peccati, quando etiam impeditur ille effectus remissionis pœnæ: tum quia illud damnum facillimè compensatur per alia opera: quæ potest facere pœnitens: tum denique quia fortasse iam non indiget eâ satisfactione. Vides ergo quàm exiguum sit fundamentum ad eam pœnitentiam, in se leuem faciendam materiam grauis peccati ratione Sacramenti tam in ordine ad pœnitentem, vt debeat eam exequi, quàm in ordine ad Sacerdotem, vt eam teneatur imponere? Et hæc est adæquata à priori probatio huius nostræ sententiæ, quam secundò possumus probare ex his quæ Lugo adfert suprà: quia si ea ratio esset vllius momenti, profectò probaret nunquam licere conficere hoc Sacramentum sine impositione pœnitentiæ: quia Sacramentum relinqui mutilum & imperfectum numquam licet, etiam in casu Iubilei aut morbi, &c. cùm tamen contrarium sit omnino certum in casibus positis de Iubileo, de Martyre, de scrupuloso etiam, qui frequenter redit cum iisdem peccatis, multi dicunt non esse necessarium imponere pœnitentiam.

SECTIO V.

An possit pœnitentia relinqui ad arbitrium pœnitentis.

DIXIMVS imponi debere pœnitentiam; iam explicandum, An possit ita imponi, vt tamen relinquatur ea in potestate ipsius pœnitentis: an verò debeat hic omnino ad eam obligari iuxta materiæ grauitatem aut leuitatem. Pater Suarez ea disput. 38. sect. 1. num. 1. & sectione 2. num. 2. affirmat eam posse imponi per modum consilij: idem sentit Tannerus suprà num. 7. pro hac sententia citat præterea Diana Tomo 1. Tractatu 4. resol. 81. multos alios, quibus ipse subscribit, Filliucium, Fagundez, Paludanum, Petrum Sotum, Ledesmam, Victoriam, Henriquez & Villalobo: qui vltimus ait ita apud Confessarios esse in praxi. Fauet autem

42

valdè

valdè clarè huic sententiæ Diuus Thom. quodlib. 3. art.28. vbi licet suadeat iniungendam aliquam partem pœnitentiæ de obligatione, docet tamen alias partes posse de consilio iniungi, & eas valere ad maiorem expiationem pœnæ ex opere operato Hæc sententia est probabilis saltem propter auctoritatem tantam.

Nihilominùs meo iudicio eius Auctores non videntur consequenter locuti, saltem Suarez & Tannerus. Cùm enim dixerint graue peccatum esse, Sacramentum Pœnitentiæ relinqui mutilum & imperfectum,& hinc intulerint esse obligationem grauem imponendi pœnitentiam, saltem quando pœnitentia est in se grauis,non capio facilè, quomodo liceat eam imponere solùm sub consilio; quandoquidem tunc in potestate relinquitur pœnitentis facere etiam sine peccato Sacramentum hoc mutilum : quomodo ergo in eo casu cessat tota ea obligatio?& quomodo Sacerdos potest dispensare in ea obligatione?

43 *Confessarius debet imponere pœnitentiã sub obligatione.*

Dicendum igitur cum Vasquez & Turriano apud eumdem Dianam, cum Coninch disp. 10. dub.8.num.64.& Lugo suprà num. 54. omnino debere imponi sub obligatione,quia ea potestas oritur (vt definit Concilium Tridentinum) ex potestate ligandi:non ligatur autem ille, cui relinquitur liberum aliquid facere.Nec sufficit respondere cum Suario & Diana, etiam tunc ligari pœnitentem à Sacerdote, quatenus si vult ex opere operato obtinere remissionem,debet id facere : non inquam hoc sufficit, quia id non est propriè ligare; nemo enim dicit illum esse ligatum ad carcere,cui Iudex dicat ; *Si eis manere, ego te optime tractabo, alioquin potes pro libitu exire.*

Obiectio prima,

Obiiciunt Primò ; Illa verba, *Quidquid boni feceris*, &c. ideò dicuntur, vt eleuentur opera omnia ad causandam remissionem ex opere operato,vt docet D. Thomas eo quodlibeto citato;& tamen per illa ad nihil obligatur pœnitens;ergo. Respondeo, Si argumentum hoc valeret, sequeretur etiam Beatissimæ Virginis merita & aliorum Sanctorum ex opere operato caussare nobis remissionem, quia hæc etiam ibi inuocantur, vt notaui suprà. Respondendum ergo absolutè (quod & suprà tradidi.)Ea verba dici tantùm deprecatoriè sicut & præcedentia, *Misereatur tui*, Vbi obiter noto, non excusati Sacerdotes qui pro grauissimis peccatis leues valdè pœnitentias imponunt putantes reliqua suppleri per hæc verba, *Quidquid boni feceris.* Nec D. Thomas suprà cuatus id absolutè docuit, sed tantùm eo loco videtur in eos agere, qui grauioribus pœnitentiis planè opprimunt confitentes.Quidquid verò olim circa hoc punctum senserint Doctores, iam post Concilium Tridentinum non potest sustineri ea praxis cum tam grauiter, & tam seriò moneat Sacerdotes, ne,dum pro grauissimis peccatis leues pœnitentias imponunt, coniiciant in se aliena peccata. Etenim si per verba, de quibus in obiectione, 44 *Quidquid boni feceris & mali sustinueris*, omnia quæ talis pœnitens est facturus, & omnia mala quæ toleraturus, fiunt Pœnitentia Sacramentalis,vix vllæ pœnitentiæ possent esse leues; quia quilibet fidelis passim habet occasiones grauia patiendi ; & multa bona opera frequenter facit, per quæ possit iudicari agere proportionatam pœnitentiam. Denique hîc habet locum quod ponderaui paulò antè contra Suarium & Tannerum;nam si pœnitenti est liberum omnino eis casibus non explere pœnitentiam, fultrà à Concilio grauarentur Confessariorum conscientiæ,vt proportionatam imponerent,cùm deinde ex libertate pœnitentis esset idem ac si impositæ non fuissent.

Respon. prima.

Secunda.

Obiectio secunda.

Secundò obiiciunt; Per Iubileum seu Indulgentias plenarias Pontifex opera,quæ præscribit, eleuat ad satisfactionem, sine vlla tamen obligatione eadem opera faciendi ; ergo poterit Sacerdos eleuare ad satisfactionem ex opere operato aliqua opera ab ipso præscripta, nullo tamen modo obligando ad ea facienda. Respondetur, Pontificem in Indulgentiis vti clauium potestate præcisè ad aperiendum, qui habet sibi traditum thesaurum Ecclesiæ, vt illum dispenset prudenter: vnde potest facere hoc beneficium, non obligando ad illud acceptandum. At Sacerdotes non habent potestatem remittendi pœnam,nisi cum onere imponendi pœnitentias, & ex vi iudicij Sacramentalis. Non est autem actus iudicialis actusconsilij,seu quando liberum relinquitur reo,an velit facere necne illam pœnitentiam.

45 *Obiectio tertia.*

Respon. prima.

Tertiò obiiciunt;Quia aliquando Prælatus seu Regulæ obligant,non tamen sub peccato etiam veniali.Respondeo Primò, Hanc obiectionem non esse ad rem; quia iam in ea admittitur aliqua obligatio vti in Regulis Religionum, quæ non possunt dici purè putè consilium ; vnde etiam earum transgressio aliquam arguit positiuam imperfectionem, quæ non reperitur in transgressione rerum purè ex consilio. Respondeo Secundò, Si hæc obligatio imponeretur à Sacerdote ad libitum, & ex voluntate aut auctoritate propria, posse habere locum id quod obiectio intendit;at cùm ea imponatur ex vi institutionis Sacramenti, & ex voluntate Christi obligantis,debet necessariò imponi sub peccato iuxta materiæ grauitatem. Aduerte, per hanc conclusionem non intendere nos dicere, Sacerdotem non posse disiunctiuè hoc aut illiud imponere in pœnitentiam, v. g. *Ieiunia, aut dare eleëmosynam*; hoc enim propriè est præcipere & obligare, licet non determinatè ad hanc potiùs materiam quàm illam ; vti præceptum offerendi Deo par turturum,aut duos pullos columbarum, erat vetissimum præceptum, esto non determinatè,sed disiunctiuè obligaret. Et verò, saltem quoad tempus,omnia affirmatiua præcepta habent aliquam indeterminationem,ratione cuius habet pœnitens aliquam libertatem eligendi;neque ideò extrahuntur à ratione rigorosi præcepti

Secunda.

Potest imponi satisfactio sub disiunctione

SECTIO VI.

De proportione satisfactionis cum peccatis.

PŒNITENTIAM debere esse peccatis proportionatam communis est omnium Theologorum sententia;quæ clarissimè probatur ex citato sæpè Tridētini testimonio:in quo autem ea proportio consistat, & vnde debeat desumi, est omnino incertum. Cardinalis Lugo & alij, vt Gaspar Hurtadus,de quo suprà, ita videntur eam explicare,vt si Sacerdos sciret, quanta pœna in Purgatorio luenda restaret pœnitenti, & qualis pœnitentia huius vitæ esset illi æqualis, teneretur per se loquendo eam imponere. Ego 46

Vnde æstimanda proportio satisfactionis cum peccatis pœnitentis.

suprà aliquid dixi de hoc puncto; vbi dubitaui (prout & nunc vehementer dubito) an ea æqualitas pœnitentiæ sit hoc modo explicanda cum quantitate pœnæ Purgatorij: non scio enim vbi definita sit hæc æqualitas. Et verò cùm ea res sit ex innumeris capitibus nobis ita ignota, vt nec apparentem quidem probabilitatem de illa possimus habere; pendet enim Primò à quantitate pœnæ debitæ cuilibet peccato, Secundò ab intensione & libertate, qua de facto homo ille peccauit; Tertiò à dolore & actibus, quibus è contrario se disposuit ad pœnitentiam; Quartò à quantitate operis nostri respectu pœnæ Purgatorij; Quintò à quantitate affectus & doloris, quo eam pœnitentiam est expleturus; Sextò à quantitate satisfactionum Christi Domini, quas eius operibus applicuit ex opere operato: Septimò à complexione ipsius pœnitentis: nam pro vno erit idem ieiunium difficile vt octo, pro alio vt quatuor; pro homine auaro dare eleëmosynam erit difficillimum, pro liberali facile: pendet Octauò (iuxta aliorum sententiam) à mensura gratiæ habitualis, subiecti satisfacientis, ex qua illi putant augeri etiam satisfactionem. Ab his octo capitibus etiam seorsim acceptis ita pendet ea æqualitas, vt vel vnico ex illis ignorato illa ignoretur ex integro; multò autem magis si ignorentur ita omnia simul, vt nec de vno quidem ex illis possimus habere probabilitatem maiorem quam habeamus, an stellæ sint pares, an impares; quomodo ergo quæso dicere possumus, æqualitatem, quam Concilia nobis præcipiunt hoc sensu accipiendam? Præciperent enim id, quòd non solùm non possemus ita metaphysicè adæquare, sed nec vllo prorsus modo moraliter, vt dici solet, arbitrio boni viri, quia in re pendente ab octo his punctis, quæ omnia omnibus viris quantumuis bonis & doctis incognita sunt, non potest vllum arbitrium seruare æqualitatem; & tamen certum debet esse, Tridentinum, & à fortiori Christum, dum præcepit seruare æqualitatem, non mandasse nobis rem ex integro impossibilem: alia ergo æqualitas & proportio est ab ipsis imperata. Hinc intuli probabiliter suprà, Etiamsi ipse Christus audiret confessiones habitu Sacerdotis, & sciens omnes illas octo proportiones vellet imponere pœnitentiam proportionatam, intelligendo planè eam quam ipse præcepit, fortasse non impositurum nec media ex parte æqualem toti pœnæ, quæ restat luenda in Purgatorio, sed æqualem, id est quæ iuxta magnitudinem peccati, scandali, necessitatis pœnitentis ad vitandum in posterum peccatum, habeat proportionem arbitrio prudentis viri; siue interim cum Purgatorij pœnis eam habeat, siue non.

47

Decidituꝛ quæstio.

Vt verò ad rem nostram veniamus, dicimus non posse etiam hanc secundam æqualitatem per generalem vllam regulam à nobis explicari, sed prudentis Confessarij arbitrio id remittendum; debet enim ponderare periculum deterrendi pœnitentem à confessione, si nimis grauem imponat; id quod notauit D. Thomas suprà; Secundò vires physicas illius ad ieiunia, ad afflictiones corporales, ad eleëmosynas, ad opera pietatis, ne imponat impossibilia moraliter; Tertiò ad necessitatem remedij præseruatiui in futurum, ex quo capite sæpè vtiliùs in pœnitentiam imponitur frequentatio huius Sacramenti, aut etiam Eucharistiæ, quàm aliæ mortificationes & asperitates: debet etiam considerare dolorem quo accedit: quò enim magis pœnitens à seipso satisfacit, eò minori indiget pœnitentia. Vniuersaliter autem facilius possunt imponi orationes, maximè pro defunctis, vt suadet Catechismus Romanus; quia hæc habent eleëmosynam spiritualem Deo valdè acceptam: & possunt à paupere, à diuite, à nobili, valetudinario, ab omnibus ferè expleri.

48

Consultum est imponere pœnitenti orationes pro animabus Purgatorij.

Dices contra hoc vltimum: Ea pœnitentia imponitur, vt homo ipse satisfaciat pro pœna à se debita in Purgatorio: ergo non est apta ad hunc finem oratio applicata animabus Purgatorij. Ob hoc fundamentum iudicant Vega & Ioannes Sancius apud Lugo num. 62. tales orationes non esse aptas pro Sacramentali Pœnitentia. Et quidem si ea æqualitas pœnitentiarum cum pœna Purgatorij, quam pœnitens debet, esset consideranda (vt, dicebat Lugo;) profectò optimè hi duo discurrerent, quia tunc ex ea parte, qua iuuarentur aliæ animæ, impediretur finis intrinsecus & essentialis æqualitatis satisfactionum. Quidquid ergo de hoc sit, Catechismi doctrina est valdè probabilis, & videtur esse maximè iuxta sensum communem: imponantur enim passim tales orationes. Respondetur ergo Primò Tunc posse satisfactionem manere ipsi pœnitenti, impetrationem verò applicari animabus: Secundò Posse satisfactionem ex opere operantis applicari animabus: quæ verò est ex opere operato, ipsi pœnitenti Lugo addit, etiam eo casu debere manere pro pœnitenti satisfactionem: quæ in reflexa voluntate applicandi reperitur: quia hæc non applicat seipsam, id quod mihi etiam placet.

Obiectio.

Responsio prima,

Secunda.

SECTIO VII.

Quæ possint imponi in pœnitentiam.

PRIMO quæri potest cum Cardinali Lugo num. 65. Vtrùm possit Confessarius imponere pœnitentiam, vt abstineat à Communione. Quam quæstionem dicit fuisse motam ante aliquot annos quibusdam negantibus, quibusdam asserentibus: pro negantibus adducit Ioannem Sancium: Pacem verò Ferdinandum Salazar è contrario pro asserentibus. Et res mihi videtur ex hac parte omnino certa: quia Ecclesia passim id imponit in pœnitentiam aliquorum peccatorum, & verò aliquando etiam in totam vitam. Cur ergo Confessarius, qui quodammodo maius habet ius mandandi in eo actu, si nosset id expedire conscientiæ pœnitentis, non poterit id præcipere: Reiicit ibi Cardinalis num. 66. eumdem Sancium, qui docuit, Euchatistiæ sumptionem, etsi præcipi possit quia est opus virtutis, non tamen posse obligari pœnitentem ad eam acceptandam; quia requiritur status gratiæ, & obligari non potest, pœnitens ad perficiendam pœnitentiam in statu gratiæ: hanc inquam sententiam reijcit, & meritò; quia reuerà est improbabilis Primò; nam Ecclesia potest præcipere Communionem, multò ergo magis Confessarius: qui imperandi actus internos facultatem habet: imò dixi suprà, posse eum obligare vt expleatur pœnitentia in statu gratiæ; potest enim confessionis frequentiam præcipere; confessio autem hominem ad statum gratiæ perducit.

49

Potest Confessarius pro pœnitentia prohibere Communionē.

Potest item præcipere.

Secundò quæri potest, An possit pœnitentia publica aliquando imponi pro peccatis. Respondeo,

deo, Si hæc sint occulta, non posse, nisi ex consensu omnino libero pœnitentis, quia alioquin ille diffamaretur, & reuelaretur confessio. Nomine autem pœnitentiæ publicæ intelligo non eam præcise quæ fiat coram alijs, sed ita, vt illi sciant esse in pœnitentiam, & arguit peccatum mortale: nam si sola venialia requirat, iam diximus supra quomodo id non sit contra sigillum. Quòd si peccata sint manifestè publica & scandalosa expedit eam pœnitentiam publicam imponere; quidquid Nauarrus apud Suarez sect. 6. n. 3. neget: alij enim communiter contrarium sentiunt, vti D. Thomas, Alensis, Paludanus, Argentinas, Durandus, Soto, Antoninus Medina, quos ibi refert & sequitur Suarez. Ratio autem est, quia scandalum publicum datum ab eo homine, exigit eam satisfactionem publicam. Solùm obesse videtur ratio sigilli, quia suprà diximus, Etiamsi peccatum sit publicum, non posse Confessarium quidquam efficere, vnde colligatur eum audiuisse illud peccatum in confessione. Vbi obiter reijcitur solutio Durandi ex eo desumpta quòd illud peccatum sit publicum. Aliter ergo respondendum, scilicet illam pœnitentiam tunc debere imponi consentiente ipso pœnitente.

50 *Pro peccatis occultis non potest imponi publica pœnitentia.*

Sic verò pro publicis.

51 *Obiectio. Responsio.*

Dices. Consensus hic erit coactus. Respondeo, Si pœnitens habeat iustam excusationem non annuendi, procul dubio non obligandum; si tamen non habeat posse ad id cogi, negando illi aliter absolutionem, quia tenetur tum acceptare. Vti enim illum, qui non vult deferre ad tribunal Sanctæ Inquisitionis eum, quem tenetur, vel qui non vult restituere quæ furto accepit, aut famam, quam læsit, possum imo teneor sine absolutione dimittere; ita in præsenti eum, qui scandalo publico Ecclesiæ non vult satisfacere acceptando pœnitentiam publicam, possum dimittere sine absolutione; quod si eam acceptet, iam ibi nihil efficitur contra sigillum.

Possitne etiam imponi actus purè interni.

Tertiò quæri potest, An actus purè interni imponi valeant in pœnitentiam. Dixi suprà, omnino posse: & ita Suarez, Coninch & alij Recentiores quos suppresso nomine citat & sequitur Lugo num. 67 quia in hoc foro agitur magis immediatè ad bonum animæ, & de peccatis etiam occultis, quæ forum externum non pertinent: ac proinde hæc extenditur etiam ad præcipienda ea quæ forum externum non potest præcipere.

Quartò quæritur de actibus sub præcepto, v.g. de ieiunio in Quadragesima, aut Vigilijs de Missæ auditione diebus festiuis. An possint etiam imponi pro pœnitentia. Respondeo cum communi (vt videre est apud Dianam Tom. 3. Tract. 4. reso. 84 & Tom. 5 Tract. 4 Miscellan. res. 241. contra Nunnium) Omnino posse. Ratio autem est clara quia vti materia, quæ alioquin iam est sub præcepto est capax voti, per quod noua inducitur obligatio: ita materia præcepta est capax obligationis nouæ ex pœnitentia, per quam eluatur opus illud ad satisfaciendum ex opere operato, id quo tantea non habebat satisfactionem enim ex opere operantis poterat pœnam exigere. Notant autem Auctores quando Confessarius imponit ieiunium aliquod nihil determinando, debere id intelligi de ieiunio, quod non sit alias sub præcepto, nisi expressè contrarium dicat Confessarius.

52 *Opera iam alias præcepta.*

Hinc autem oritur dubium. An ille qui ieiunium sub obligatione præcepti & simul à Confessario impositum violaret, committeret duo peccata. Affirmat Coninch, quem refert & sequitur Lugo: quia præceptum posuit illud ieiunium in virtute temperantiæ, Sacerdotis verò imperium illud posuit in virtute pœnitentiæ. Quidquid tamen sit, An Legislator imponat rem præceptam tanquam necessariam in virtute illa, ad quam per se actus spectat, iudico omnino esse hic duas malitias, primam contra præceptum Ecclesiæ, secundam non tam contra præceptum quàm contra Religionem, id est contra reuerentiam debitam Sacramento: quæ non minùs differunt, quàm si circa eamdem rem præceptam violasset votum,

Et tum esset duplex malitia in omissione talis operis.

DISPVTATIO XLVIII.

De obligatione pœnitentis circa satisfactionem; & an, à quóve ea possit mutari.

SECTIO I.

An teneatur pœnitens acceptare satisfactionem sibi impositam.

1 HÆc difficultas ferè ex integro resoluitur ex his quæ præcedenti disputatione diximus, ostendentes Sacerdotem posse obligare ad pœnitentiam; imò non posse illam imponere (etiamsi velit) per modum consilij; hinc enim euidenter sequitur, pœnitentem teneri eam acceptare: quomodo enim ego habere possum vim obligandi, si alter non habeat obligationem acceptandi quod impero? Vnde reiiciendi sunt Scotus, Gabriel, Ioannes, Medina, Nauarrus & Syluester apud Vasquez suprà quæst. 94. art. 1. dub. 1. qui dicunt pœnitentem non teneri acceptare: si tamen acceptet, teneri ad eam implendam: Reiiciendi inquam, quia hæc obligatio magis esset per modum promissionis factæ ab ipso pœnitente quam ratione præcepti Confessarij, seu ratione integritatis sacramenti. & sanè si in acceptatione non est obligatio, acceptatio illa vix potest inducere obligationem grauè sub peccato, cùm non sit per modum voti, sed simplicis promissionis. Reiiciendus item à fortiori est Caietanus, qui Tomo 1. Opusculorum Tractatu 6. quæst. 2. ad 3. censuit, neque ad acceptandam neque ad implendam iam acceptatam obligari. Denique post illud grauissimum Tridentini præceptum, de quo suprà, iam adeo certa est obligatio, vt multi Auctores dicit contrariam sententiam esse contra fidem: & qui modestiùs de illa loquuntur, dicant esse improbabilem. Dum enim Concilium ait Sacerdotes grauissimè peccare, & alienorum peccatorum participes

Pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam.

participes fieri, si leues pœnitentias imponant, supponit eos teneri sub graui peccato ad eas imponendas, & quidem non qualescumque; si ergo illi tenentur illas imponere, ergo pœnitentes tenētur acceptare, quia, vt dixi, esset ridicula ea obligatio in sacerdote, si ei posset pœnitens prohibita resistere; possent enim se Confessarij excusare, eò, quòd pœnitentes non vellent graviores pœnitentias admittere. Quod ipsum colligitur Secundò ex ratione Concilij, quòd scilicet ea potestas oriatur ex potestate ligandi, quam Christus dedit Sacerdotibus. Nec potest responderi prout respondent aliqui, pœnitentem ligari eo modo, quo absoluitur à culpa, atqui ab hac non absoluitur nisi volēs, ergo neque ligabitur nisi volens: hoc inquam responderi non potest, quia licet homo absolui non potuerit nisi volens, tamen eo ipso quòd voluit absolui, & accipere illud grande beneficium, debuit etiam annexum onus subire: vti nemo accipit Ordines Sacros nisi volens si tamen eos semel accepit, non est liber ad acceptandam obligationem recitandi Horas canonicas, aut seruandi castitatem; sed has duas obligationes volens nolens tenetur subire.

1 *Obiectio prima.* Dices; Homo licitè potest non satisfacere in hac vita pro pœna temporali; imò (vt diximus suprà) potest pœnitentiam explere in peccato, quando non est satisfactoria; ergo poterit non acceptare eam pœnitentiam, quia tam parum ei prodest acceptatio, si in peccato illam perficiat, quàm si non acceptasset. *Responsio.* Respondeo; Quidquid sit de antecedenti, consequentia esse malam, quia (vt in materia de Legibus docetur communiter) etiamsi finis, ob quem est præcepta aliqua actio, cesset aliquando, nihilominùs tamen præceptum non ideò cessat, licet ergo finis intentus à Christo Domino impositione huius pœnitentiæ sit satisfactio, & hic videatur cessare, quando ea perficitur in peccato, & ipse homo huic fini possit renuntiare, nihilominùs adhuc obligat Christi præceptum. Adde, eam pœnitentiam imponi per modum cuiusdam onerosæ conditionis post beneficium grande acceptum, deinde in ordine ad cautelam in futurum, & vt ea pœnitentia quodammodò deterreatur à peccato. His autem omnibus non potest ille, etsi velit, renuntiare, quia non sunt fauores ipsius, sed onera. Denique iam diximus, eam pœnitentiam etiam in peccato factam resurgere posteà, quando homo constituitur in gratia, & tunc habere omnes hos effectus, ad quos ordinatur.

Obiectio secunda Dices vlteriùs; Ergo tenebitur homo acceptare pœnitentiam æqualem pro extinguenda tota pœna, si imponeretur; hoc autem videtur valdè absurdum. *Responsio.* Respondeo, Me iam discussisse suprà, vtrùm ea æqualitas sit respectu pœnæ in Purgatorio debitæ, dixisséque, probabilius videri non esse eo modo considerandam: eam autem aliam æqualitatem sine dubio deberet acceptare in rigore; ob fragilitatem tamē & alias causas instas posset fortè aliquando excusari, sicut sæpissimè excusantur ab eis æqualibus pœnitentijs.

3 Dubitari vlteriùs solet, an possit esse peccatum leue in ea non implenda? Hanc decidi supra probans omninò posse. Illud tamen nunc vlteriùs quæritur, An si pœnitentia sit res grauis, v.g ieiunium, impositum tamen pro peccatis venialibus aut pro mortalibus iam priùs dimissis, sit peccatum tantùm veniale eam non explere. Pater Suarez eà sect. 7 num. 5. affirmat solùm esse veniale, licet enim non proponat expresse quæstionem, quia eam non ita tractat, *An pœnitentia grauis imposita pro venialibus*; quia tamen assignat diuersos casus in quibus potest solùm venialiter peccari ex paruitate materiæ, & vnus est, quando pars pœnitentiæ omissæ est leuis, alter quando pœnitentia imponitur pro venialibus, sine dubio in hoc secundo casu supponit, se loqui, etiamsi pœnitentia pro illis imposita sit grauis (alioquin hic secundus casus non differret à primo) omnino videtur tenere hanc sententiam in omni rigore; pro qua etiam citat aliquos. Contrarium tamen iudico probabilius cum Henriquez, Fagundez & Nunno, quos refert & sequitur Lugo suprà n. 74. & à fortiori Tannerus, qui vniuersaliter docet esse mortale, eam, esto leuem, non implere: & quidem non videtur mihi Suar. valdè consequenter in hoc puncto discurrere; nam cùm ipse iudicet esse rem grauem, relinquere Sacramentum mutilum & imperfectū, profectò quandoquidem Sacramentum de solis venialibus aut de mortalibus iam anteà dimissis est tam propriè Sacramentum, & tam dignum reuerentia, & tam graue quàm illud, in quo quis Primò cōfitetur ea mortalia, ego non video, cur non sit æquè peccatum graue illud relinquere notabiliter mutilum sit tamen in confessione prima. Confirmo rursus ad hominem, quia ipse eo loci (& quidem in hoc valdè benè) ait. Esto confessio fuerit de mortalibus antea non dimissis, si tamen pœnitentia imposita fuit leuissima, aut esto fuerit grauis, id tamen, quòd ex ea omittitur, est leue, non esse peccatum graue; inde autem argumentor, & meo iudicio clarissimè; ergo ratio grauis indecentiæ non desumitur ex eo quòd fuerint peccata grauia, & tūc primò remissa, sed eò quòd mutilatio, vt sic dicam, Sacramenti est exigua, quando pœnitentia, quæ omittitur, est leuis; ergo è contrario si pœnitentia omissa sit grauis, iam erit mutilatio grauis, esto propter venialia imponatur.

Pœnitentiam grauem pro solis venialibus impositam omittere ipse grave peccatum.

4 *Obiectio. Soluitur.* Fortasse dices, Eam pœnitentiam per accidens esse grauem, nec debere illis peccatis totam eam grauitatem. Sed contrà, quia iam supponimus iustè impositam; si enim esset maior quàm peccata requirebant, non potuisset eam iustè imponere, nec ad eam obligare: ergo si semel concedimus illam fuisse iuste impositam & imperatam, cùm alioquin sit grauis in se profectò præceptum illius erit de re graui, ideoque & grauiter obligabit. Confirmatur hoc benè à Lugo, quia si quis ad finem satisfaciendi pro venialibus voueret ieiunium, obligaret sine dubio grauiter illud votum; ergo eodem modo obligabit, si præcipiatur sub hac ratione satisfaciendi pro ijsdē venialibus: neque obest, quòd homo non teneatur ea confiteri; quia licet possit non confiteri, non potest tamen satisfactionem grauem impositam omittere. Id quod ad hominem ostendo ex ipso Suarso; nam venialia non tenetur quis confiteri, nec quidem sub veniali; & tamen si confitetur, tenetur saltem sub veniali implere pœnitentiam ergo ex eo quòd antecedēter non teneatur accedere, non sequitur vllo modo, quòd posteà non obligetur graviter: & idem constat ex his quæ paulò antè dixi de eo, qui voluntariè sit Sacerdos; & tamen non potest fugere obligationem grauem, quæ sequitur Ordines, de orando Officio Diuino, de castitate, &c.

SECTIO II.

An pœnitens possit perfecta confessione Sacramentali pœnitentiam detrectare ante absolutionem.

5 CIRCA hanc ipsam obligationem quæritur, An si pœnitens videns sibi magnam pœnitentiam imponi velit desistere ab eo Confessario ante datam absolutionem, possit id licitè facere. Cardinalis Lugo num. 77. affirmat, atque ita indicari à Suario ea disp. 38 Sect. 7. num. 4. ibi tamen Suarius etsi absolute dixerit facile id posse excusari à culpa graui, addit tamen statim hæc verba: *Nihilominùs si reuerà Confessor nullam moralem vim inferat, sed conuenientem satisfactionem imponat, non est absolutè liberum, nec licitum pœnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis iustum iudicium, cui iam semel se subdidit*: quibus verbis contrarium docet Suarez, quando pœnitentia est iusta & conueniens. Vnde ego ita in hoc puncto discurrerem; Si pœnitens habeat probabiles causas ad non acceptandam eam pœnitentiam, & Confessarius nolit eam permutare, posse illum etiam absque peccato veniali recedere ante absolutionem: & hoc concedo Lugo & Conich, qui disp. 10. dub 9. num. 80. id etiam defendit. Ratio autem sumitur ex his, quæ communiter traduntur circa conscientiam probabilem pœnitenti, scilicet teneri Confessarium se illi accommodare, quando pœnitens vertitur sententia probabili; ergo si hic habeat probabiles causas reiiciendi pœnitentiam, tenebitur Confessarius eas acceptare: quòd si eas causas non habet, sed ex mera malitia nolit talem pœnitentiam, quæ alioquin in se non est grauis nec exorbitans acceptare, ego non excusarem illum à peccato graui. Id quod probo efficaciter Primò ab absurdo, quia eo modo posset deludere pœnitens omnes Confessarios, quando illi suo officio optimè fungerentur; hoc autem est valdè absurdum. Secundò, quia vti in humanis quando sunt diuersi Iudices, si quis semel se vni subdidit debet stare iustæ illius sententiæ, & non licet ipsi subterfugere sententiam, esto appellare possit; ita quando se pœnitens semel subiecit vni Confessario, & hic prudenter ac moderatè in imponenda sententia se gerit, non licebit vllo modo pœnitenti eum subterfugere.

Pœnitens absoluta confessione non potest aliquid pœnam detrectare ante absolutionem sine causa.

6 Et hinc respondetur argumento Coninch, quòd sicut pœnitens potuit ab initio non confiteri huic, etiam poterit resilire ante acceptam absolutionem; negamus enim paritatem, vti in allato exemplo constat: & ratio est clara, quia Sacerdos per subiectionem alterius acquisiuit ius, ne ipsius potestas contemnatur: fit enim ipsi grauis quodammodò iniuria, dum respuitur sine causa, quando suo officio fungitur optimo modo quo potest; & sine dubio debet censeri graue, ei talem facere pudorem, vt deseratur fortassis cum rubore, & aliorum nota. Et sanè negari non potest, quin aperire viam hanc pœnitentibus graue adferat incommodum, & vehementer contrarietur Concilij Tridentini desiderio: quomodo enim Sacerdotes erunt constantes ad imponendas eas pœnitentias, quas tam grauiter ibi præcipit proportionatas prudenter ipsis peccatis, si sciant licere sine graui peccato pœnitentibus eas non acceptare, & effugere sententiam facto ipsis Confessarijs ingenti pudore? Certe ego nullo modo dubito quin hoc inconueniens sit adeò graue, t ffi mat ad obligandum sub mortali. Co firmatur; nam, sicut diximus supra ex Lugo & alijs, non posse à contrario ipsum Confessarium vti contra pœnitentem notitia in confessione habita, etiam secretò, & inscio ipso pœnitente; v g quando per secreta suffragia eum reijceret, non posse inquam vti, quia licet pœnitens nihil ea de re tunc intelligeret ipse tamen scire antecedenter, quod hoc liceat Confessario, potest deterrere à confessione, id oque grauiter id prohibetur; eodem omnino modo ego dico, Ipsum scire antecedenter, quòd pœnitenti liceat effugere eas pœnitentias iustas cum rubore Confessarij, vehementer terrahet ipsos Confessarios ab imponendis talibus pœnitentijs ergo ea licentia grauiter aduersatur intento Tridentini.

Secundò probatur, quia quando actio Sacramentalis, quæ in se est tam grauis, iam est seriò inchoata, profectò eam non perficere sine causa iusta, non videtur posse excusari à graui culpa. Hinc Sacerdos qui Sacrum inchoasset, si ante consecrationem pro libitu recederet ab altari, esto solus in secreto celebraret, & quidem sine ministro, vtens opinione probabili quòd liceat sine illo celebrare) nemo eam leuitatem in re tam seria excusaret à peccato mortali. Præterea si quis infantem animo baptizandi abluisset, & antequam proferret totam formam liceret, *Relinquamus Baptismum hunc in crastinum, quandoquidem nihil urget nos*; ego non dubitarem eum grauiter peccaturum etiam omni scandalo seclusо, quia reuera est contra reuerentiam debitam Sacramento, illud sine vlla probabili causa imperfectum relinquere, & cùm inceperit nomine Christi eam actionem, illam postea ex leuitate vertere in actionem aliam quasi ridiculam.

7 *Incipere Sacramentum, imò & Sacrum & sine causa graui non perficere, est peccatum graue.*

Obiectio

Dices; Hæc ratio nimium probat, scilicet neque his qui volunt contrahere matrimonium licere sine peccato graui resilire quando iam alter dedit suum consensum, quia etiam tunc est inchoatum Sacramentum, hoc autem videtur valde durum. Hæc instantia confirmat Lugo suam sententiam suprà: ei autem respondeo negando consequentiam Primò, quia in matrimonio est illud grauissimum onus totius vitæ, quòd potest semper hominem prudenter retrahere ab eo contrahendo. Secundò, quia melius est per se non nubere quàm nubere. Tertiò, quia ad matrimonium, vt est Sacramentum, præcedit priùs natura per modum materiæ, supra quam cadit Sacramenti essentia; ratio contractus humani, supra quem cadit ratio Sacramenti. Ad contractum autem humanum perficiendum, si antè de eo perficiendo se obligauerit voto aut promissione, non tenetur vllus sub mortali, imò per se nec sub veniali; in præsenti autem casu omnes hæ rationes deficiunt; Primò, quia non imponitur onus intolerabile aut perpetuum, sed pœnitentia prudens, quam ex se alioquin tenetur acceptare: vnde si casu omnes Confessarij, ad quos ille recurrerit, imposuerint illam eamdem, tandem debebit cedere; ergo nulla illi infertur vis. Secundò, absolutè tenetur siue huic siue illi ea peccata confiteri; postquam autem est subiectus huic iudici, non est cur licitum illi sit ad alium fugere. Tertiò, nullus ibi nec realiter, neque ratione præcedit contractus humanus ante inchoationem actionis Sacramentalis vti talis, ratione cuius possit recedere multa fa-

Responsio prima.

Secunda. Tertia.

8

cta Christo aut eius Sacramento iniuria. Denique omissio Sacramenti non est ibi melior quàm ipsum Sacramentum, vt inde eius omissio etiam post illius initum iustificetur. Non ergo valet argumentum ab vno ad alterum.

Hæc nostra sententia probari solet argumento quod Lugo adfert ibi, scilicet Confessarium posse obligare etiam ante datam absolutionem, ita vt teneatur pœnitens pœnitentiam implere ante absolutionem: ergo etiam ante absolutionem potest illum obligare ita, vt iam non valeat respuere eam pœnitentiam. Hoc tamen argumentum non iudico valdè efficax, quia tunc ea obligatio prouenit ex pœnitentis voluntate de absolutione posteà accipienda; sufficiant ergo quæ diximus pro eo puncto.

SECTIO III.

An teneatur pœnitens implere pœnitentiam.

9 QVÆRITVR, Vtrùm possit pœnitens implere pœnitentiam per alium. Dupliciter potest hæc difficultas proponi; Primò, vt Sacerdos imposuerit mihi ieiunium vel Communionem, ego autem posteà petam ab alio vt ieiunet pro me, aut vt pro me communicet. In hoc sensu Cardinalis Lugo n. 9. ait immeritò a Patre Suario disp. 38. Sect. 6. dictum, Certum esse apud omnes Theologos id non posse fieri, multi enim contrarium tenent, vt Paludanus, Antoninus, Syluester & Altissiodorensis. Iudico tamen Suarez ibi optimè locutum, neque enim dicit id esse apud omnes Theologos certum, sed ferè omnes in eo puncto consentire: id quod meritò dici potuit, esto quatuor sint in contrarium. Adde Syluestrum esse in contraria sententia; nam eo loco vnde citatur, id est, verbo *satisfactio*, quæst. respondet cum Diuo Bonauentura, *Id non posse fieri quatenus satisfactio est medicinalis*: vbi clarè insinuat absolutè loquendo id non esse licitum: vt enim actio aliqua sit illicita, non est necessum eam ex multis capitibus reddi illicitam; sufficit enim si vel ex vnico capite ea repugnet. Secundò addit, licere per alium perficere pœnitentiam, quando homo se occupat in nobilioribus actionibus; pro quo etiam citat Paludanum: ambò tamen id dicūt fieri ex præsumpta voluntate Confessarij. Ecce hi duo manifestè sunt pro Suario docente, quando Sacerdos determinatè præcipit vt ea pœnitētia per ipsum pœnitentem impleatur non licere id facere per alium: cuius ratio est clara, quia illa impositio pœnitentiæ est per modum præcepti: ideoque obligat determinatè illum cui imponitur. Quidquid ergo sit, an ea sententia sit omnium nécne, omnino dicendum est id non licere: quia si Sacerdos obligare potest, vt supponimus tanquam certum, & de facto ita vult, vt per ipsum pœnitentem ea satisfactio impleatur, non potest esse dubium quin hic obligetur. Si tamen imponatur eleëmosyna, tunc est grauior difficultas: nam si ego peto ab altero eam fieri meo nomine, videor moraliter perinde me gerere ac si ego ab illo petiissem dono pecuniam, & eam dat in deinde in eleëmosynam: tunc enim ego maneo obligatus illi qui dedit: ac proinde in hoc casu puto fore validam, nisi Confessarius expressè contrarium præcepisset: & ita etiam sentit Cardinalis Lugo.

Pœnitens debet per se pœnitentiam absoluere.

10 Probatur præterea ea sententia, quia illud præceptum pœnitentiæ est personale, vti præceptum audiendi Sacrum, recitandi Horas Canonicas, quæ non possunt per tertiam personam impleri. Ratio à priori est quia partes Sacramenti, qualis est satisfactio, debent poni ab eo qui Sacramentum conficit; & in præsenti solus Sacerdos & pœnitens conficiunt Sacramentum: ad Sacerdotem autem sine dubio non spectat explere pœnitentiam, neque ad alium, qui se habeat planè per accidens ad illud Sacramentum; ergo debet ad pœnitentem pertinere. Difficilius est, Vtrùm possit Confessarius ita imponere pœnitentiam, vt det optionem eam implendi vel per se immediatè vel per alium, aut esto priùs imposuisset determinatè per ipsum pœnitentem explendam, possit posteà dare licentiam, vt per tertiam personam expleatur? Lugo secutus Patrem Vasquez suprà dub. 1. n. 1. & Coninch disp. 10. n. 66. & 82. negat, id posse fieri: eò quòd Tridentinum exigat pro satisfactione actum pœnitentis: ergo alienus non sufficit. Quòd si respondeas, illum actum Petri esse meum quatenus fit ad meam petitionem: contrà argumentatur: Nam etiamsi tunc petitio, quâ ego induco Petrum vt pro me ieiunet, sit mea, & ego per illam possim satisfacere, non tamen per mortificationem, quam secum adfert illud ieiunium vt ab altero procedēs: sunt enim in eo ieiunio duæ moralitates: vna, quatenus à me procedit: altera quatenus procedit à Petro: illa prima potest mihi tribui: vti si mihi præciperetur, vt meus canis ieiunaret, quomodo olim Rex Niniue ad placandum Deum præcepit vt pecora nihil gustarent. At verò ea moralitas secunda, quam habet idem ieiunium vt procedit à Petro, non est mea, ideóque per illam non possum ego satisfacere ex opere operato. Confirmatur: nam ieiunium illud provt fit à Petro, non fit ex mandato Confessarij, quia ille non obligatur ad id: ergo non est pœnitentia Sacramentalis: hæc enim quâ talis debet oriri à potestate ligandi, vt suprà diximus. Addit tamen Lugo, posse Confessarium mihi imponere, vt procurem ieiunium Petri: quòd si ille nollit, vt rursus id petam à Ioanne, quo tamen casu non satisfaciam ego per ieiunium formaliter, sed per procurationem illius quæ sola fuit actio mea. Nihilominùs Pater Suarez suprà ait communem esse sententiam Theologorum, qui docent ex voluntate Confessarij posse pœnitentiam expleri etiam per alium: pro qua Diana Tomo 3. Tractatu 4. resolut. 241. præter Suarium citat Tannerum, Reginaldum & Mercerum, quibus ipse subscribit: stant etiam pro illa Syluester, Paludanus suprà, & à fortiori Altissiodorensis & Antoninus citati à Lugo: stat etiam pro ea Diuus Thomas dist. 20. quæst. 1. art. 2. Alensis in 4. quæst. 85. membro 4. Bonauentura, Durandus, Soto, Gabriel apud Suarium. 11

Nisi Confessarius permittat per alium fieri.

In hac quæstione vnum videtur mihi certum, & in quo etiam Vasquez & Lugo debent cum ceteris conuenire, nempe quoad præceptum Confessarij, quatenus præceptum est, satisfieri ex integro per talem pœnitentiam; siue tunc dicendum sit, solam esse impositam pœnitentiam meam petitionem, qua id ab altero obtineo, siue etiam illud ipsum opus quod ab altero peto. Ratio est manifesta, quia tunc Confessarius nihil amplius præcipit, quàm vt ego vel alius id faciat: vti si Superior mihi dicat, Feras mihi vel per alium mittas talia scripta, ex integro satisfacio, si rogando alium obtineo vt ille ea ferat; hic autem

modus

modus mandandi est valde frequens: ergo ex hoc capite si Confessarium præcisè considerem vt eo modo mandantem, abundanter ei obedio.

Obiectio. Fortè dices: ea satisfactio tunc esset improportionata, quia valdè leuis. *Responsio. Prima.* Respondetur Primò Id à Sacerdote debere considerari; pœnitentis enim solùm est implere quæ ipsi præcipiuntur. *Secunda.* Secundò respondeo, Tam leuia esse posse peccata, vt illa sola petitio sit pœnitentia sufficientissima. *Tertia.* Tertiò respondeo, Sæpe pro aliquibus fore æquè difficile inducere alium, vt pro se aliquod opus pictatis efficiat, quàm per se immediatè illud efficere. In hac ergo conclusione non potest esse difficultas.

Aliud ergo punctum est difficilius. Vtrùm eo casu opus illud factum à tertia persona, sit futurum satisfactorium ex opere operato respectu mei, qui illud procurauí. Dico *ex opere operato*, quia de satisfactione ex operę operantis non est difficultas, (cùm vt supra diximus agentes de satisfactione in communi) quilibet iustus possit suas satisfactiones ex opere operantis in alterum iustum transferre. In hoc sensu valde probabilis est sententia Vasquez & Lugo nouens (vt ex argumentis suprà positis constat: nihilominus tamen probabilior est sententia contraria affirmans quàm D. Thom. Bonauentura & alij omnes suprà citati manifestè supponunt quia maximè loquuntur de hoc genere satisfactionis: de alio enim ex opere operantis non poterat esse dubium vllum (vt immediate notaui:) & in hoc sensu expresse loquuntur Suar. Diana, Tannerus & alij. Ratio autem meo iudicio est clara pro hac sententia ex his iisdem principiis, quæ Auctores e iam contrarij supponunt, nempe Christum Dominum hoc iudicium Sacramentale instituisse per modum iudicij ordinarij, in quo absoluitur reus imposita ei aliqua pœnitentia ab ipso implenda; quam pœnitentiam eleuauit Christus in hoc Sacramento ad satisfactionem ex opere operato. Hinc argumentor: Iudices in casis ordinariis etiam si habeant ius obligandi reum, vt per seipsum subeat impositam pœnam quo casu ille satisfacere non poterit per alium: nihilominùs simul habent potestatem, vt permittant reũ substituere alium loco sui, qui sedeat v.g. in carcere, qui eat ad triremes, &c. quo casu illa ipsa pœna per terti am personã tolerata censetur esse proportionata intento Reipublicæ: si enim finis seu intentum eius pœnæ sit alios deterrere, sufficiens est cùm sit valdè difficile inuenire qui talia pro altero velit sustinere, ideóque æqual ter arceantur à nouis cõmittendis peccatis eo supplicio, ac si ipsemet reus illud toleraret, & verò aliquando magis. Si verò finis satisfactionis sit, ne ea peccata maneant inulta, etiam eo modo obtinetur: vti quando alter abdicando à se suas satisfactiones eas mihi offert non manent inulta peccata. Cùm ergo non constet nobis Christum negasse Sacerdotibus hanc potestatem imponendi pœnitentias eo modo quo possunt alij iudices debemus etiam id admittere in præsenti, eo autem ipso quòd data sit eis hæc potestas, intelligitur Christus Dominus voluisse pœnitentiam tali modo impositã eleuare ad effectum satisfaciendi ex opere operato: nam si hoc priuilegium ei non concessit, iam eo ipso negasset Sacerdoti potestatem eas imponendi sacramentaliter: imponere enim sacramentaliter est imponere in ordine ad satisfactionem ex opere operato.

Pœnitẽs laper aliũ satisfacere non posse ex opere operato.

Hinc facilè respondetur argumentis in contrarium. Ad Tridentinum dicimus illud loqui de hac satisfactione vt de actione ipsius pœnitentis; quia directè & primariò potestas data Sacerdoti & iudici est in ordine ad puniendum pœnitentem in propria persona vti in aliis iudicibus primariò & per se potestas iudicatiua est ad imponendam pœnam ipsi reo per hoc tamẽ vti Iudicis habent potestatem aliquando acceptandi vt per alium illa impleatur. ita dicimus id posse permittere Confessarios. Adde, Eam actionem, quæ fit per alterum, posse reputari meam, vti in ordine ad conficiendum Sacramentum Matrimonij consensus, quem Legatus præstat nomine alterius, est vltimum complementum materiæ.

Ad secundum, quòd potestas imponendi pœnitentiam sit potestas ligandi, dicimus id quidem esse verissimum, eo tamen modo quo in Iudice quocumque potestas imponendi reo, dum absoluitur, satisfactionem aliquam, est potestas ligandi, nihilominùs tamen vti hìc potest ligare cum ea indifferentia, vt reus substituat loco sui alterum patientem, ita posse eodem modo Sacerdotem ligare, quo casu actio ab altero exhibita erit ex potestate ligandi non quidem illum alterum, sed ipsum pœnitentem, qui vel per se vel per substitutum de se soluere ab ea obligatione. Quòd Tertiò dicebatur, Actum alterius personæ non esse ex præcepto, eodem modo debet explicari non esse ex præcepto respectu alterius, nisi moraliter, quatenus voluit repræsentare personam pœnitẽtis; esse tamen ex præcepto respectu huius, cui in ipso præcepto data est potestas substituendi alterum. Vti quando lex præcipit vt quilibet Nobilis eat ad bellum, dat tamen libertatem vt substituat loco sui alium, certè ille substitutus non obligatur propriè eo præcepto, tamen iure optimo dici potest quòd actus illius sit ex præcepto, quatenus præceptum fuit causa vt Nobilis ab illo id peteret & ipse propterea voluit ire, vt nobilis satisfaceret hoc modo ei præcepto in se disiunctiuo; non est ergo cur inde negetur eam satisfactionem habere valorem ex opere operato.

Ad Pœnitẽs teneatur per alium quãdo per se non possit satisfactionem implere.

Quæres tamen an hoc supposito, si quis sit impotens per seipsum ad eam satisfactionem implendam, teneatur procurare, vt alius pro se eam exequatur, quando Sacerdos determinatè eam imposuit vt per ipsum pœnitentem explendam. Respondeo. Non teneri ad substituendum vllum alium, quia tunc non valeret ea satisfactio, iuxta dicta in prima parte difficultatis; si verò imposuit disiunctiuè, tunc, eo ipso quòd per se non possit pœnitens, tenetur alium quærere: si tamen non inueniat, liber erit ab obligatione, vt ex terminis patet.

SECTIO IV.

Aliqua alia quæstiuncula circa eam satisfactionem.

PRIMA: Quid si impositum est ieiunium pro primo die Veneris v.g. & eo die inuincibiliter obliuiscatur, aut alia de causa legitimè impeditus excusetur, tenebitúrne ieiunare sequentis hebdomadæ die Veneris? & idem erit si infuncta est ei Communio prima Dominica post confessionem, & ea die non possit, aut fuerit obli

casu; in tantum enim non peccat ille homo grauiter differendo in sequentem mensem, in quantum illam confessionem iudicat pro hoc mense: alioquin extra controuersiam peccaret mortaliter; ergo per illam non satisfacit vtrique mensi: & hoc ipsum ostendo meo iudicio euidenter exemplo allato ab eodem Auctore ibidem; ait enim, Si Petro promisi reddere mutuum intra duas hebdomadas, & differam id post duas horas vltra illud tempus, me non ideò illaturum illi graue damnum, nec violaturum promissionem in re graui. Ponamus ergo pro casu nostro quòd promiserim per partes ei dare mutuum intra singulas hebdomadas centum: profectò etiam eo casu habet locum doctrina huius Auctoris, scilicet si prima hebdomada differam primam solutionem post vnam horam ab elapsa hebdomada, non facturum me illi damnum graue, nec violaturum grauiter promissionem: ad hanc enim considerationem est per accidens, quòd promiserim vnam aut multas solutiones: neque tamen ideò vllus probabiliter notet inferre, quòd ea solutio hoc modo dilata vna hora post inchoatam secundâ septimanam valeat tam pro prima quàm pro secunda; hoc enim esset planè absurdum; ergo eodem modo dicendum in præsenti. Ratio à priori est, quia quando Confessarius præcepit per tres menses v.g. confessionem singulis mensibus, intellexit tres confessiones, quamlibet in suo mense: vnde si differat vna die, esto ex eo capite peccet venialiter, non liberatur ab obligatione trium confessionum; ideóque debebit

18

sequenti mense binas facere. Denique, Si Sacerdos non præscripsit tempus, tunc communis sententia est, dilationem, nisi sit nimia, non esse mortalem; nimiam autem dicit Diana non esse, nisi sit vltra annum. Mihi valdè longum tempus videtur, maximè si pœnitentia sit posita in præseruatione ruinæ; tunc enim propter periculum reincidentiæ, cui Confessarius voluit occurrere, non putarem posse sine graui peccato differri vltra mensem; si verò non sit præseruatiua intra medium annum. Vbi iterùm noto, quod sæpè dixi, quando semel recedimus à puncto fixo, & venimus ad materiam habentem magis & minus, difficillimum esse determinare, an hæc, an illa sit sufficiens ad peccatum graue: quia quæ vni videtur exigua, ab alio iudicatur grauis.

Quantum temporis requiratur vt dilatio satisfactionis sine pœnitentia sit graue peccatum.

Tertiò quæritur, An si imposita sit in pœnitentiam oratio flexis genibus, vel coram crucifixo, teneatur quis sub mortali ad eas circumstantias. Diana Tomo 2. Tractatu 4. resolut. 55. mouet hanc quæstionem, & primo loco ponit sententiam Vegæ, qui dicit non esse contra rationem satisfactionis, & verò ex modo respondendi supponit nec esse veniale: ipse autem Diana nec approbando nec reprobando eam sententiam addit aliquem dicturum, quòd orare Psalmos Pœnitentiales flexis genibus non sit circumstantia leuis, sed fortè grauior quàm si deberet bis eosdem Psalmos dicere. Lugo verò num. 93. cum Patre Sanchez dicit, Si circumstantia est leuis, tunc non obligare sub mortali; vt quod sit coram hac aut illa imagine B. Virginis: si tamen circumstantia sit grauis, vt quando venit coram tali imagine ob specialem deuotionem & populi concursum, tunc ait non orare coram illa esse omissionem rei grauis. Id quod

An omittere aliquam circumstantiam satisfactionis sit graue peccatum.

19

satis est probabile, etiamsi simul contrarium non careat probabilitate: quia ex eo capite non adeò videtur crescere meritum & satisfactio illius actionis. In casu autem Dianæ de illa circumstantia satis probabiliter ille discurrit: & sane si Confessarius directè voluit obligare ad eam circumstantiam, non dubitarem esse materiam grauem: aliud est, si oratio esset breuis, vt vnum Pater & Aue: tunc enim licet cum Tannero diceremus eum obligari sub mortali ad illam orationem, non tamen putarem etiam sub mortali obligandum ad eam circumstantiam orandi flexis genibus, quia ea tunc est valdè exigua: in longa autem oratione septem Psalmorum potest probabiliter dici grauis: non tamen omnino iudicarem eum peccaturum mortaliter eam omittendo, quia potest etiam satis probabiliter dici res non magni momenti.

Obiectio.

Sed obiicies hinc: Ergo si sine oratione vlla data esset ea pœnitentia, vt flecteret coram imagine per tempus eorum Psalmorum, posset omittere totam hanc pœnitentiam non peccando grauiter: si enim leuis est ea circumstantia, quando debet orare septem Psalmos; ergo esto præcipiatur per modum substantiæ, erit leuis, ideóque eius omissio non erit mortalis: hoc autem videtur valdè durum: ergo concedendum est, eam genuflexionem esse in se materiam sufficientem ad mortale: hoc autem admisso cùm etiam præcipiatur, quando est circumstantia, erit lethale tunc eam omittere. Respondeo, Quando in his materiis venitur ad decidendum quæ sit materia grauis quæ non, esse incredibilem varietatem sententiarum: vt patet in materia furti. Idem in præsenti contingit: aliquibus videbitur ea genuflexio materia grauis præcepti, aliquibus non: & verò res in se satis est dubia: ideò probabiliter vtramque partem defendi. Respondeo Secundò magis ad rem: Licet in se ea circumstantia sit capax obligationis grauis, & quando sola præcipitur, intelligatur præcipi secundùm totam suam capacitatem: ac proinde tunc eius omissio sit mortalis: quando tamen præcipitur vt circumstantia, non videtur cum tanto rigore præcipi: si tamen Sacerdos vellet iuxta totam capacitatem eam præcipere, esto dicatur circumstantia, erit mortale eam omittere, si admittamus esse in se materiam grauem.

Responsio prima.

Secunda.

SECTIO V.

Vtrùm ipse pœnitens possit in melius suam pœnitentiam permutare.

20

ETsi dixerimus, pœnitentem esse obligatum ad exequendam satisfactionem: nihilominùs adhuc est huic quæstioni locus. Vti enim in materia voti, non obstante obligatione illius, potest vouens in rem manifestè meliorem illud permutare; ita in præsenti quærimus, Vtrùm pœnitens non se à satisfactione eximendo, sed eam in melius permutando, possit suâ auctoritate aliam materiam eligere. Ob hanc voti instantiam affirmat id posse fieri Laurentius Portel apud Dianam Tomo 1. Tractatu 1. Miscellan. resolut. 53. id quod Diana licet absolutè non teneat, dicit tamen esse probabile; & rursus idem confirmat Tomo 2. Tractatu 40 de Sacramentis, resolut. 53. vbi pro ea citat Villalobos; cuius argumentum est, quòd Confessarius, qui in bonum spirituale pœnitentis eam imposuit satisfactionem, censeatur esse ea permutatione con-

tentus: si enim ei diceret pœnitens, Ergo faciam hoc aliud opus maioris mortificationis & maioris meriti, sine dubio statim acceptaret libentissimè: ergo virtualiter semper consentit in eam permutationem.

Pœnitens non potest mutare pœnitentiam in melius pro suo arbitrio.

Contraria tamen sententia, quæ communis est, omnino videtur vera: eam tenent Sanchez lib.4.in Decalogum cap.11.n.36. Reginaldus in Praxi Tomo 1 lib.7. cap.8. n.85. Coninch disput.10.num 13. Henriquez lib.5. cap.10. Lugo eâ disput. 25. num.96. eamdem adeò fortiter Ludouicus Turrianus defendit in Selectis Par.2. disput.31. dub.62. vt oppositam iudicet temerariam. Fundamentum efficax pro hac doctrina desumitur ex his, quæ de anticipatione eiusdem satisfactionis diximus paulò ante, & ex cæteris præceptis tam humanis quàm diuinis. Numquam enim licet etiam in melius permutare ma-
21 teriam quæ est præcepta. Ratio autem à priori est, quia in puncto obedientiæ non tam consideratur rei præceptæ bonitas (licet etiam hæc debeat supponi) quàm quòd subditus permittat se regi voluntate Superioris, & suam voluntatem subiiciat alienæ: in quo puncto solet esse maxima difficultas; & consequenter etiam magnum meritum attenditur etiam ad hoc, vt vitetur periculum erroris quod solet esse quando homo proposito Superioris mandato sequitur suum iudicium. Ideò Samuël ad Saulem, qui putabat se longè melius facere mutando præceptum Dei,
1.Reg 15. obiecit iure merito illud: *Melior est obedientia quam victimæ.* Cum ergo hæc obligatio pœnitentiæ oriatur ex præcepto Confessarij, cui in eo puncto est subiectus ille qui confitetur, necessum est vt non sit in huius potestate eam materiam impositam pro satisfactione in aliam commutare. Et hinc respondetur ad instantiam de voto: dicimus enim in voto non tam considerari quid persona, cui vouí, velit ex sua actuali libertate: de hac enim cùm nihil mihi sit intimatum, non possum ego vllo modo iudicare: solum ergo attenditur, quid possit illi esse gratum, quamdiu autem de contraria ipsius voluntate non cõstat, semper ego debeo præsumere illi gratius esse quod est melius in se: vnde semper est licitum mutare in melius rem quam vouí. In obedientia autem cùm iam sit declarata voluntas
22 illius, non debeo ego attendere quid sit melius: hoc enim ipso qui præcipiendo eligit debet considerare, sed quid ille absolutè voluerit. Pone me obtulisse amico duas res inæquales, vt ipse eligat pro suo gustu vnam ex illis, quam ego ei volo dono dare, eligat, ille minùs bonam & dicat. Hanc malo quàm illam, iam profectò non faciam rem illi gratam, si ego ei non offeram illam, sed aliam, quæ est nobilior: imò si ille acceptauit eam inferiorem, faciam contra iustitiam auferendo illam, & dando ei alteram, esto longè meliorem. Si tamen non interrogata eius amici voluntate apud me decreuissem donare illi hanc ipsam minùs nobilem, semper esset positum in mea libertate iudicare gratiorem illi fore eam, quæ in se melior est: ac proinde semper esset mihi liberum mutare voluntatem, & donare meliorem loco minùs bonæ. Et hæc mihi videtur manifestissima huius rei declaratio, vt non valeat argumentum à voto ad præceptum. Adde aliam notabilem differentiam inter votum & præceptum: quod votum maximè attenditur secundùm honestatem materiæ secundùm se consideratæ: cùm autem ex principiis generalibus possit ferè semper nosci quæ sit materia magis honesta, quæ minus, facilè posse sine tanto periculo erroris fieri eam permutationem minùs bonæ in meliorem. Non ita contingit in præcepto de satisfactione, quæ non sumitur ex sola honestate rei secundùm se consideratæ, sed ex circumstantiis ratione indigentiæ huius personæ, ratione peccatorum, quæ tali vel tali medicina indigeat in quo puncto non debet res relinqui ipsius pœnitentis arbitrio, & iudicio, quia non est in causa propria bonus Iudex; sed debet à Confessario decidi: ideóque non est permittendus pœnitens eam permutationem facere.

Secundum argumentum, quo vtitur Villalobos ex voluntate Confessarij præsumpta, est magis quidem ad rem, quatenus iam recurrit ad Sacerdotis voluntatẽ: nihilominùs nihil probat, ob immediatè dicta: nam licet ea præsumptio quòd malit id quod est melius, quam quod ignobilius, habeat locum, vt diximus; quando ille adhuc non declarauit suam voluntatem in hanc potiùs quàm illam partem, ea tamen semel declarata pro hac parte potiùs quàm pro altera, non capio quomodo debeam tunc præsumere malle id quod non voluit, quàm id quod voluit.

23 *Obiectio.* Fortasse dices, Ideò eum tunc mihi non imposuisse hanc grauiorem materiam, non quia illam non vellet: nam forsan nihil magis desiderabat, quàm vt posset eam nihil imponere in satisfactionem: sed quia videbatur illi nimis magna, timebatque ne ego eam detrectarem: eo autem ipso quòd videt me esse ea contentum, gratissimum ipsi id accidere: aliud autem esset si esto ego illi ab initio dixissem, me ad illam esse paratum, ille nihilominùs alteram imperasset: tunc enim haberet locum quod dixi, me non posse deinde præsumere de eius vnluntate circa eam nobiliorem materiam. *Respondeo prima.* Respondeo, Fortè posse aliquando ita contingere, nihilominùs tamen debere etiam tunc me stare voluntate declarata, quia (quidquid sit de eis diuinationibus, in quibus sæpe potest esse error, & non licet ex casu vno particulari regulam generalem infringere) certissimum est, magis debere præualere expressam voluntatem quàm tacitam: in hac enim potest esse error, vt præsumam id quod tamen à parte rei non est: ibi autem numquam potest *Secunda.* errari, vt ex terminis constat. Secundò respondeo; Esto ea præsumptio esset certa, non tamen ideo quidquam in præsenti valere quia cum satisfactio sit pars Sacramenti & à Ministro imposita, debet offeri ex voluntate actuali, nec sufficit præsumpta; licet hæc in ipso suscipiente locum possit frequenter habere. Neque potest ostendi vllum Sacramentum quod possit confici per solam voluntatem præsumptam Ministri, nisi actualis ea fuerit; & duret saltem habitualiter: quod vltimum addo propter contrahentes in absentia matrimonium; nam & illi esto dum contrahitur non habeant actualem, habuerunt tamen illam; & durat etiam suo modo virtualiter ratione Legatorum. Cum ergo in præsenti nulla sit actualis volitio Sacerdotis, quâ possit confirmari ea satisfactio ad hoc vt valeat constituere Sacramentum, dicimus non posse vllo prorsus modo, ea præsumpta voluntas, esto reuerà semper sine errore præsumeretur.

Denique ea ratio ideò est minùs bona, quia locum habet eodem modo in præceptis aliis Superiorum

periorum : semper enim possem præsumere, Superiorem malle vt ego ieiunem, quam vt orem Officium Diuinum; ac proinde liceret mihi eam permutationem facere; quod tamen neque ipsi Aduersarij vllo modo admittunt. Hinc contra Dianam dico cum Cardinali Lugo, qui singulis diebus orabat Officium paruum B. Virginis ex deuotione, si imponat ei Confessarius rosarium etiam singulis diebus, non posse facere permutationem rosarij in Officium; tum quia non constat quòd sit B. Virgini gratius; tum quia esto constaret gratius esse Officium, non debet id propriâ auctoritate fieri : & hinc possunt decidi multi alij casus particulares, cùm regula à nobis data sit vniuersalis.

SECTIO VI.

An saltem à Confessario possit ea permutatio fieri.

24 NOn agimus de ablatione pœnitentiæ per concessas Indulgentias, quia hoc aliò spectat, sed purè putè ratione æqualis iurisdictionis quam habent omnes Sacerdotes in hoc foro. Hæc secunda quæstio varios potest habere sensus. primus est, An extra confessionem; secundus, An intra: tertius, An ad hoc debeat audire priùs antiqua peccata, an his non auditis id possit, quartus, An Sacerdos inferior possit mutare pœnitentiam Superioris : id quod solum locum habet quando interuenêre peccata reseruata, à quibus inferior non poterat absoluere : nam si peccata reseruata non fuêre, tunc omnes Sacerdotes censentur esse æquales in ea absolutione. Quintò & vltimò quæri potest, An saltem ipsemet Confessarius possit facere eam permutationem, siue recordetur præcedentium peccatorum, siue sit iam eorum oblitus. Quæ omnia duabus subsectionibus expediemus.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid possit efficere Confessarius qui eam satisfactionem non imposuit.

SVppono, quando pœnitens se accusat de non expleta pœnitentia, teneri Confessarium eum monere de obligatione illam implendi, nisi planè oblitus sit qualis fuerit : (quo casu dicemus infrà non esse obligatum aliam faciendi aut petendi.) vel nisi petat eam sibi permutari : id quod pertinet ad quæstionẽ in titulo propositam.

Sacerdos non potest mutare pœnitentiam ab alio impositam extra confessionem.

Circa quam sit PRIMA CONCLVSIO: Confessarius, qui eam satisfactionem non imposuit, non potest vllo modo extra confessionem eam aut tollere aut permutare. In hac videntur ferè omnes conuenire; Lugo tamen suppresso nomine ait aliquos contrarium sentire. Distinctiùs Diana Tomo 2. Tractatu 15. resolut. 53. quæstionem tractans ait Nauarrum non rectè citari à Megala & Suario pro contraria sententia. Nam Nauarrus (inquit Diana) non quidem requirit vt repetatur confessio eorum peccatorum; ait tamen eam permutationem non posse fieri extra
25 Sacramentum. Citat etiam Diana pro ea Victorellum in Notis ad Emanuelem Sà, verbo *Satisfactio*, & Valentiam, qui clarè id docuit Tomo 4. quæst. 14. puncto 4. quibus duobus exceptis ait nostram sententiam ab omnibus defendi : omisit tamen Patrem Tannerum, qui etiam tenet contrarium quæst. 8. dub. 1. Ratio nostræ doctrinæ est clara, quia alius Sacerdos extra Sacramentum, & respecta confessionis, quam non audiuit, tam parum habet iurisdictionis quàm merus laicus : ac proinde nihil penitus præ illo potest efficere circa eam permutationem.

Dices: Vota possunt commutari à Confessario etiam extra Sacramentum : ergo. Respondeo negando consequentiam, quia commutatio votorum non est actio Sacramentalis, sed iurisdictionis puræ. Vnde potest Pontifex concedere etiam non Sacerdoti eam potestatem permutandi vota, & à fortiori Sacerdoti etiam extra Sacramentum : at impositio pœnitentiæ est actio Sacramentalis, ideóque ex votis nihil prorsus infertur ad casum nostrum de actione Sacramentali. *Obiectio. Responsio.*

SECVNDA CONCLVSIO: Quilibet Confessarius intra confessionem potest permutare pœnitentiam à præcedenti impositam. Hæc est contra Dominicum Sotum, Victoriam & alios, quos refert & sequitur Vasquez quæst. 94. art 2. d. b. 3. n. 5. & 8. pro eadem citat Diana Tomo 2. Tractatu 15. resol. 63 Nunnium & Ledesmam : nostram tamen defendunt Syluester, Rosella, Nauarrus, Portel, Toletus, & alij multi, quos idem Diana ibidem citat : quibus etiam adhæret Lugo suprà num. 101. Ratio autem est, quia secundus Confessarius succedit primo in eodem iudicio cum æquali potestate : ergo sicut primus poterat suam sententiam mutare, vt dicemus, ita poterit & secundus cognita causa (iuxta statim dicenda :) eodem planè modo quo Episcopus potest moderari leges præcedentis, & vnus Papa leges alterius Papæ. Neque huc applicatur benè quod apud Dianam obiiciunt Aduersarij, scilicet, *Par in parem non habere imperium* Etenim hic Confessarius secundus non exercet imperium in priorem Confessarium, sed in pœnitentem : quia verò habet par imperium cum præcedente, ideò potest leges illius corrigere. Neque hîc interuenit vlla appellatio (quæ non est nisi respectu Superioris) sed fit potiùs per modum reuisionis intra idem Tribunal : vti quando loco præcedentium Iudicum in eodem Tribunali externo sunt alij substituti, possunt hi in reuisione sententiam priorum corrigere, sicut potuissent suam, si ipsi etiam tunc fuissent in prima sententia. *Sic verò in confessione.*

26

Dices : Ergo antiquum Sacramentum mutata pœnitentia manet mutilum. Respondeo negando consequentiam Primò, Quia si imponatur alia pœnitentia pro eo Sacramento, & noua pro nouo, dabitur ea permutatio, quam dicimus possibilem : & tamen vtrumque Sacramentum manebit cum sua integritate. Secundò, quia esto in hoc secundo Sacramento solùm confiteatur pœnitens antiqua peccata, & vnica iam pœnitentia imponatur, quæ valeat pro hac præsenti & pro præterita absolutione, non sequitur vllum ex illis Sacramentis manere mancum, sed compleri per vnicam satisfactionem : id quod nullatenus repugnat; multi enim censent, de quo nos supra, etiam ad duas diuersas absolutiones sufficere eumdem dolorem; ergo & hîc sufficiet eadem satisfactio, quia non est necessarium vt semper partes omnes noui Sacramẽti sint distinctæ : vti in sententia, quæ docet etiam ipsa peccata esse partem intrinsecam huius Sacramenti, cum iisdem peccatis, potest nouum fieri Sacramentum. Habet autem hæc doctrina maximè locum in satisfactione, quæ potest sine vlla Sacramenti iniuria *Obiectio. Responsio.*

iniuria omitti vel ratione Indulgentiarum, vel ratione morbi, &c. ergo cùm in præsenti supponamus eadem esse peccata quæ fuerant antèà, & illa ex se non indigeat duplici satisfactione, faciliùs potest intelligi, quomodo vna sufficiat ad complendum vtrumque Sacramentum.

27 Denique cùm ea permutatio fiat in iudicio pari cum præcedenti, & in eo mitigetur, nihil ad integritatem iudicij deest. Hac vltima solutione ne vtitur Lugo, quæ non caret difficultate, nisi ad priores recurramus; nam licet in aliis iudiciis etiam ex integro possit tolli pœna imposita reo, nec tamen ideò dicatur iudicium imperfectum; in nostro tamen casu non potest id admitti, quia esto id fieret in iudicio, non potest tamen Confessarius ille secundus, nec potuit primus relinquere Sacramentum sine omni omnino satisfactione; debet ergo recurri ad hoc, quòd ea secunda satisfactio imposita sufficiat, iuxta dicta, pro duobus illis Sacramentis; vel quod possint tunc imponi duæ, prout in prima solutione est traditum.

Dolet tamen prior confessio repeti, vt possit mutari pœnitentia abeo qui eã nõ imposuit.

TERTIA CONCLVSIO, seu declaratio secundæ; Vt secundus Confessarius possit facere eam permutationem, debet audire peccata, pro quibus imposita illa fuit. Hæc est contra Tannetum supra, qui saltem in casu aliquo graui ait non esse necessarium audire ea peccata; eam tamen tenét Suarez, Lugo suprà ac multi alij, quos refert Diana ea resolutione 5. t. & videtur à fortiori sequi ex his quæ infrà dicemus. Nam si ipsemet Confessarius prior non potest eam pœnitentiam permutare, nisi recordetur peccatorum; ergo alius, qui ea non scit, quia non audiuit eam confessionem, non poterit permutare. Ratio à priori est, quia alioquin exponit se periculo grauissimè errandi: quid enim si peccata fuêre enormia, & ille imponat leuem pœnitentiam? aut quid si pœnitens indiget extremè remedio præseruatiuo, & ille nullum applicet? quid si peccata fuêre scandalosa, & indigent pœnitentia publicà, iuxta dicta suprà, ipse autem imponat & paruam & secretam? Secundò probatur, quia (vt benè ait Lugo) ea impositio nouæ pœnitentiæ non potest pertinere ad præsentem confessionem, cùm in ea nihil dicatur de eis antiquis peccatis, non potest item pertinere ad præcedentem confessionem, quia hic Confessarius de præcedenti nihil sciuit, nihil in ea operatus est, non potest autem vnus Confessarius audire confessionem, & alter ignorãs peccata pœnitentiam imponere; sicut in iudicio humano esset ridiculũ, quòd vnus audiret statum causæ, & ad alterum, qui de ea nihil sciret, remitteretur, vt ferret sententiam: id quod locum habet, licet hic secundus sit maior eo priori; semper enim est illicitum inaudito crimine pœnam taxare.

28 Denique, si de antiquis peccatis nihil huic Confessario dicitur, non video quid ad rem faciat, quòd iam sit intra confessionem, magis quàm si esset extra illam; quandoquidem notitia præsentium peccatorum se habet omnino per accidens ad antiqua. Vti quòd Iudex sedeat in Tribunali iudicans vnum crimen Petri, non video quid iuuet ad hoc, vt permutet pœnam quam Petrus debet pro alio crimine, de quo ille Iudex nihil tunc scit; quid inquam ea sessio iuuet, vt idipsum non potuerit efficere extra Tribunal: ea enim sessio seu iudicium illud inchoatum sine dubio se habet per accidens ad antiquum crimen, de quo ibi non fit mentio.

Contra hanc sententiam stat Diana suprà multos alio pro se referens; aitque nostram sententiam magis tradi in Cathedris quàm in Confessionali; Quia esset, inquit, onus intolerabile Confessariis toties audire antiquas confessiones quoties petitur pœnitentiarum permutatio. Respondeo tamen huic Auctori, Eò quòd nostra sententia tradatur in Cathedris vel cubiculo, vbi quis meliùs considerat rationes doctrinæ, non amittere quidquam de sua certitudine, imò acquirere, quia in Confessionali sæpè vel ob defatigationem, vel ob multitudinem pœnitentium, vel ob alias causas fiunt in praxi grauissimi errores; & sæpè nec examinatur pœnitens de numero peccatorum, &, quod grauius est nec de circumstantiis mutantibus speciem; cùm tamen de fide sit ex Tridentino, hæc deberedici; sæpè etiam, quando pœnitens maximè indiget instructione, aut monitione, expeditur vno verbo, imposita simpliciter pœnitentia; quod tamen inique factum esse nemo negabit; non ergo ex eo capite quidquam decedit nostræ sententiæ. Respondeo Secundò, Fortasse hoc esse optimum medium ad relinquendos pœnitentes in sua antiqua pœnitentia dicere illis, id non posse fieri nisi de nouo dicant ea peccata: ne enim ea dicant iam alteri Confessario, manebunt in sua pœnitentia. Tertiò, Non adeò frequentes sunt hi casus vt debeat hoc censeri magnum onus. Multas valdè audiui confessiones, non puto mihi vel semel id contigisse. Addo tamen, licet hæc sententia Dianæ stando ratione, careat, meo iudicio, probabilitate; propter auctoritatem tamen extrinsecam posse sustineri probabiliter in praxi, maximè si Confessarius, esto non audiat de nouo antiqua peccata, possit tamen aliquale formare iudicium de statu pœnitentis, quem in ea priori confessione habuit.

Iudicium de contraria sententia.

29 QVARTA CONCLVSIO: Potest secundus Confessarius permutare pœnitentiam, etiam quãdo hæc est præseruatiua, eodem modo quo de non præseruatiua diximus; & quidem si ipse aliam imponat etiam præseruatiuam, non potest esse ex hoc capite vlla difficultas noua. Quòd si illa pœnitentia prima ita erat præseruatiua, vt ad illam quasi necessariò obligaretur etiam independenter à Confessarij mandato, eò quòd aliàs ferè certò esset casurus pœnitẽs, nunc sine dubio non potuit eam tollere secundus Confessarius, sicut nec primus, quia, vt supponimus, ex natura rei independenter à confessione obligabatur ad illam: potuit quidem validè secundus Confessarius auferre in ea obligationem prouenientem à Confessario, non tamen eam, quæ ex natura rei ibi erat: quòd si illa ita erat vtilis, vt tamen non esset moraliter necessaria, tunc potest sine dubio eam auferre secundus Confessarius imponendo aliam, esto eam vtilitatem non habeat quia non est de essentia pœnitentiæ, quòd si præseruatiua, maximè quando illius non est tanta necessitas. Circa quæ aduertere, licet quando Sacerdos vt iudex potens imponere & obligare ad pœnitentiam debeat procurare vt illa sit etiam in futurum præseruatiua, quà tamen est præseruatiua, non posse ad illam cogere; quia Confessarius vt Medicus non habet ius obligandi, habet autem vt iudex; vnde si daremus constare clarè & certò Sacerdoti, quòd iam sint etiam quoad pœnam illa peccata remissa, non posset tunc per modum solius medicinæ imponere illi vllam pœnitentiam.

Potest etiam pœnitentia præseruatiua mutari.

QVINTA

30 *Inferior nihil potest circa pœnitentiam datam à Superiore Confessario pro casu reseruatis*

QVINTA CONCLVSIO: Quæ de permutatione ab alio Confessario facta diximus, debent intelligi, quando peccata non fuere reseruata; eo enim casu non potest inferior Sacerdos tollere pœnitentiam impositam ab eo qui habuit iurisdictionem in ea peccata: ita communiter Doctores, vt videre est apud Dianam Tomo 2. Tractatu 15. resolut. 53. quibus etiam ipse consentit Lugo, eò quòd sententiam Superioris non potest etiam mutare inferior. Confirmo id ex ipso fundamento reseruationis; ideò enim ea inducta videtur, quia in grauioribus criminibus requiritur maior Confessarij prudentia, maximè ad taxandas satisfactiones, alioquin cur potiùs hoc quàm illud peccatum reseruaretur; ergo pœnitentia pro talibus peccatis taxata à Superiori Confessario non debet submitti iam correctioni inferioris, & qui supponitur non habere ad eam taxationem sufficientem doctrinam aut auctoritatem.

Oppositum sentit Vasquez, Fernandez & Valerus apud Dianam, qui id etiam dicit probabile & tutum in praxi; fundantur in eo, quòd peccata illa iam non sunt reseruata; ergo. Respondeo tamen, Ibi esse æquiuocationem: non sunt reseruata pro secunda confessione, concedo; pro prima, nego: seu, ea pœnitentia, quæ est imposita à Superiori Confessario, non est reseruata, nego. Vrgebis: Si votum aliquod reseruatum est commutatum à Superiore in materiam non reseruatam, tunc inferior poterit hanc secundam materiam commutare in aliam, ergo idem in præsenti. Respondet Suarez, Superiorem dum dispensat, non imponere præceptum, sed consentire vt antiquum votum non sit tam rigidum, seu vt subditus offerat vnum pro alio, perinde ac si rem viliorem vouisset: ac proinde ea secunda obligatio manet iam non aliter quàm si ab initio fuisset talis, ideoque omnino dispensabilis ab inferiori potestate: at in pœnitentia interuenit præceptum obligans ad eam pœnitentiam: præceptum autem Superioris non potest inferior tollere. Ego responderem aliter, Superiorem abstulisse reseruationem peccatorum in ordine ad secundam confessionem illorum, non autem quoad primam, seu (vt immediatè antè dixi) non in ordine ad ipsam pœnitentiam impositam, ac proinde nihil ibi posse facere inferiorem Confessarium.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid de eo qui pœnitentiam imposuit; & an per secundam confessionem inscio Confessario possit fieri ea permutatio,

CIrca primam partem tituli conclusio sit: Idem ipse Confessarius, si recordatur peccatorum, 31 potest eam pœnitentiam permutare etiam extra Sacramentum. In hac sic prolata conueniunt omnes, quia tunc Confessarius complet suum iudicium. Licet autem, vt dixi, in hoc omnes conueniant, sunt tamen deinde variæ limitationes: quidam enim non cõcedunt id posse fieri nisi intra tempus valdè breue, vt moraliter censeatur adhuc durare iudicium præcedens: ita Suarez disp. 38. Sect. 10. num. 3. alij intra spatium mediæ horæ, alij vnius vel alterius dici, vt Sotus in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 3. & Coninch disp. 12. num 102. alij intra hebdomadam vnam, quo sensu in primo Tomo loquitur Diana aliquos pro se citans: qui tandem Tom 6. referens verba Cardin. Lugo videtur eius sententiam approbare, quod scilicet possit id fieri etiam post longissimum tempus; quod ait idem Lugo traditum à Patre Salas in manuscriptis; & Vasquez solùm videtur exigere memoriam in Confessario præcedentium peccatorum. Hoc etiam mihi placet cum hac limitatione, vt sit memoria saltem confusa, sufficiens tamen ad imponendam pœnitentiam: hanc porrò requiri videtur certum, quia non potest ille exercere actum iudicij, & suam sententiam mutare sine notitia causæ; alioquin poterit grauissimè errare, non minùs quàm si ipse non audiuisset eam confessionem, vt paulò ante deduximus.

Confessarius habens memoriam status sui pœnitenti, potest etiam post longum tempus pœnitentiam in aliâ mutare extra confessionem.

Quòd verò supposita hac notitia non sit necessaria confessio patet, quia ea actio tunc refertur ad confessionem præcedentem: in hoc enim Sacramento possunt partes valdè esse distantes inter se; nam dolor hesternus & signa seu confessio hesterna sufficiunt ad hoc, vt hodie detur absolutio, vt pater in eo qui petiit confessionem, & posteà amisit sensus, ergo hodierna permutatio potest esse complementum absolutionis etiam ante medium aut integrum annum datæ; vti ipsa adimpletio pœnitentiæ factæ ab eo homine etiã post annum complet Sacramentum præcedens; 32 non est ergo ibi recurrendum ad angustias temporis, mediæ horæ, vnius diei vel hebdomadæ: neque hinc sequitur, posse Confessarium eo tempore augere pœnitentiam, vt videntur obiicere Aduersarij; etenim Iudex, postquam sententiam tulit in reum, & hic eam acceptauit, non potest illam augere contra illius voluntatem, minuere tamen, quia fauorabile est pœnitenti, potest etiam ipso renuẽte; vti in contractibus, si conuenit cum Petro de dando illi equo pro centum v.g. ducatis, non possum ab eo plus exigere, minùs tamen sine dubio possum.

Circa secundam partem tituli quærimus, Vtrum pœnitens nihil dicendo de antiqua pœnitentia, sed confitendo de nouo illa peccata, siue id fiat coram antiquo Confessario, siue coram alio nouo, possit acceptata noua pœnitentia antiquam omittere, cùm vtraque sit pro ijsdem peccatis. Aliqui putant, posse fieri, probabilius tamen videtur contrarium, quia ea præcedens obligatio, si non reuocetur, erit in suo vigore: & ita sentit Lugo suprà num. 103. Adde, eo ipso quòd hic secundus non imponat nouam pœnitentiam pro antiqua confessione, vrgere obiectionem suprà factam, quòd scilicet prima absolutio manet imperfecta; quia hæc satisfactio cùm non applicetur à Confessario pro priori Sacramento, non poterit esse complementum illius. Dixi hoc esse probabilius, quia absolutè non caret probabilitate aduersa sententia; ad has enim rationes potest respondeti, posse aliquando indirectè cessare obligationem pœnitentiæ implendæ, etiamsi in nullo iudicio æquali priori reuocetur; vt cùm conceduntur Indulgentiæ; eodem modo dici posset, eo ipso quòd hic secundus Confessarius imponat pœnitentiam æqualem his peccatis, iam non esse necessarium implere priorem pro iisdem impositam; quia pro iisdem peccatis non est necessaria duplex proportionata pœnitentia. Neque 33 huic resolutioni obest quod suprà diximus, non posse pœnitentem respuere pœnitentiã sibi impositam; id quod videtur re ipsa in hoc casu fieri, esto per secundam confessionem: Hoc inquam non obest; ibi enim loquebamur, casu quo ille, homo non velit secundam confessionem facere sed pro eorum peccatorum absolutione esse con-

Probabilius est non posse pœnitentem dissimulata priore confessione eadem peccata repetere, vt aliam pœnitentiam accipiat.

tentum vnica confessione: tunc enim ea peccata sine obligatione vlla satisfactionis explendæ remitterentur. Præterquam quòd dum homo hic eadem peccata dicit alteri Confessario, iam per se loquendo se exponit, vt æqualis ei imponatur pœnitentia; ideóque rationes à nobis suprà allatæ omnino cessant; cùm semper sit verum, debere tandem pœnitentē acquiescere Confessario imponenti pœnitentiam siue huic siue illi, non è contrario Confessarius pœnitenti.

Quòd verò in eo casu sufficiat vna pœnitentia pro vtraque confessione est valdè probabile, maximè iuxta Hurtadi & aliorum sententiam, quòd quando Confessarius prudenter imponit æqualem pœnitentiam, tunc extinguatur per illam ex opere operato tota pœna illis peccatis debita; eo enim casu clarissimum est, si secundus Confessarius etiam ignorans quid sit anteà factum, imponat pœnitentiam prudenter æqualem illis, cessaturam obligationem explendi pœnitentiam priorem pro iisdem impositam. Solùm est in hoc puncto difficultas, quòd videatur hinc sequi, si quis etiam expleta priori pœnitentia pro his peccatis velit ea secundò confiteri, posse ei dari secundam absolutionem nulla noua imposita satisfactione, cùm iam supponatur per priorem vel extinxisse ex integro debitam pœnam, vel saltem exoluisse æqualē, eo sensu quo suprà diximus requiri æqualitatem. Respondeo tamen, Hoc non sequi, quia eo ipso quòd pœnitens perfecto iam ex integro illo priori Sacramento vult secūdò se vt reum sistere: iam eo ipso debet subire secundam pœnitentiam; nam prima, quæ iam est expleta ante inchoatum hoc iudicium, non potest pro illo deseruire, vti poterat, quando non supponebatur expleta prout in casu quæstionis Fortassis tamen non deerit qui etiā concedat in tali confessione secunda non esse obligationem imponendæ nouæ pœnitentiæ; & saltem eam obligationem non esse sub mortali Suarez & alij sentiunt.

Quid faciendū si pœnitens oblitus sit pœnitentiæ

Quæres; Si pœnitens est oblitus pœnitentiæ, quid debebit facere, cogetùrne ad confitenda iterùm ea peccata? hoc enim esset grauissimum onus. Respondeo, Eum tunc ad nihil obligandum, sed posse iudicari perinde ac si esset factus impotens ad eam perficiendam; quia non est ita necessaria ea pœnitentia, vt non possit in multis casibus excusari quis ab ea perficienda. Et satis de hac vltima & minùs principali parte Sacramēti.

DISPVTATIO XLIX.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

1 EXplicatis partibus materialibus pœnitentiæ, iam ad formam veniēdum est; circa quam occurrunt aliqua specialiter disentienda, vltra ea quæ Sacramentis in communi diximus agentes de verbis, quibus Sacramenta componuntur tamquam forma.

SECTIO I.

Pro forma huius Sacramenti sunt omnino necessaria verba.

PALVDANVS, Medina, Petrus Soto & Nauarrus apud Suar. disp. 19. sect. 1. dixerunt non esse pro hoc Sacramento essentialia verba, sed sufficere vel scripturam vel signum aliquod, quo Sacerdos protestetur se absoluere reum. Huius opinionis fundamentum desumitur ex eo quòd hoc Sacramentum est instar iudicij alicuius; iudex autem potest proferre sententiam vel per scripturam, vel per nutus; ergo. Confirmatur à simili matrimonij, in quo etiam sufficiunt aliquando nutus. Confirmatur secundò ex hoc ipso Sacramento, in quo confessio potest fieri per nutus. Denique Christus nulla verba requisiuit, sed præcisè dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nihilominùs sine vlla dubitatione asserendum est omnino esse necessaria verba pro absolutione; probaturque id manifestè, & simul respondetur argumentis aduersis, quia quidquid sit, vtrùm per signa vel scripturam possit manifestari voluntas Iudicis, idque in alijs Iudicijs de facto admittatur, nihilominùs negari etiā è contrario non potest, quin fuerit in libera Christi Domini instituentis hoc Sacramentum voluntate exigere essentialiter verba vti in Baptismo, Extrema Vnctione, Confirmatione, &c. requisiuit (etiam iuxta hos qui contrarij hîc sunt:) atqui supposita hac potestate, quòd re ipsa de facto ita voluerit, nónne clarissimè & certissimè cōstat ex Concilio Florentino, in quo definiuit Eugenius Quartus, omnia Sactamenta constare verbis vt forma? cùm solùm matrimonium exceperit, de quo dixit, regulariter tantùm constare verbis; procul dubio clarissimè significauit, reliqua non solùm regulariter, sed 2 etiam per se & essentialiter illis constare. Nihil ergo contra nos colligitur ex matrimonio, quia in his rebus non nisi voluntas instituentis est considerāda.; nihil etiam ex instantijs Iudicij humani potest contra nos inferri. Et sanè prudenter valdè Suarez dixit ea sect. 1. num. 5. omnes coniecturas, quæ opponuntur in contrarium, eo ipso quòd coniecturæ sint in re pendente ab institutione Christi per traditionem cognita, datum valere. Vnde vlteriùs ego infero. Nec debere nos defatigari vt alias congruentias eis opponamus; quia ea facilitate, quâ nos respondemus ipsis, respondebunt & illi nobis.

Lugo assignat duas vel tres. Prima est pro differentia inter hoc Sacramentum & matrimonium; ab hoc enim non debebant muti omnes excludi: pro absolutione verò sufficit vnus qui loqui possit, vt multos absoluat; ideóque non fuit vllum inconueniens in eo, quòd qui mutus est non possit fieri Sacerdos, aut absoluere. Hæc instantia non satisfacit, quia dicerent Aduersarij potuisse poni pro forma Sacramenti Matrimonij verba Sacerdotis, v.g. *Ego vos coniungo, copulo*, &c. pro materia verò sufficisse tunc consensum ipsum manifestatum aliquibus signis. Vt in omnibus alijs Sacramentis administrans est distinctus à suscipiente; ergo hîc ex natura rei non est quærenda disparitas, sed in solam voluntatem Christi reducenda ea diuersitas. Altera differentia

Ioan 20 *Absolutio Sacramentalis debet verbis exprimi.*

ferentia est, quòd Christus Dominus non instituit matrimonium, sed inuenit iam institutum? eleuauit tamen illud ad rationem Sacramenti: cumque antèà matrimonium potuerit contrahi per nutus, etiam & nunc. Neque hæc etiam satisfacit, quia dicent Aduersarij, licet ei cõtractui matrimoniali, quem Christus inuenit, vt illum compleret in ratione Sacramenti addidisset verba illa Sacerdotis per modum formæ, nihil factum fuisse, quod matrimonio derogaret. Vti de facto Tridentinum requirens præsentiam Parochi & testium, quæ olim non requirebatur, nihil fecit, matrimonio contrarium, potuisset ergo ipse Christus ad valorem eius contractus requirere verba Parochi illum confirmantis. Adde, si velimus vlteriùs recurrere ad ea quæ Christus inuenit, posse nos suo modo dicere Christum inuenisse iudicium humanum, in quo rei absoluuntur à delictis impositâ pœnitentia, & illud transtulisse additis nonnullis circumstantiis ad absolutionem à culpa coram Deo ideoque sicut in humano iudicio non requiruntur verba pro absolutione, sed per signa aliquando concluditur, ita etiam non requisiuisse pro hoc Sacramento necessariò & essentialiter verba. Vides quàm facilè possimus eas congruentias trahere ad omnem partem?

3 Tertia differentia, quam hic Auctor assignat, est quod in matrimonio verba solùm requirantur ad hoc vt vtrique parti constet de consensu: constare autem potest de eo consensu per nutus per scripturam per alia signa: ergo ibi non fuêre essentialiter necessaria verba: & idem dicitur de confessione, hæc enim necessaria solùm est, vt constet Sacerdoti quæ sint peccata eius hominis: vnde si hic reipsa ea non intelligat, non conficietur validum Sacramentum. At verba absolutionis non sunt necessaria pro vllo audiẽte, vti etiam in reliquis Sacramentis, sed pro solo Deo (liceat ita dicere) Verum neque hæc congruentia probat vllam differentiam quasi ex essentiis seu naturis eorum Sacramentorum: quia potuisset Christus supra hunc ipsum consensum matrimonij sic declaratum adhuc requisiuisse verba aliqua pro forma, vt Matrimonium esset cæteris Sacramentis omnino simile; quæ verba non essent etiam necessaria contrahentibus, vt ipsi ea intelligerent, sed pro Deo, vti de absolutione dicitur: quòd ergo hîc non requisierit verba pro forma, non debet nisi in purum putam voluntatem Christi Domini reduci de qua voluntate nobis constat ex Ecclesiæ definitione, iuxta superiùs dicta. Hoc enim modo tolluntur omnes replicæ, paritates, seu similitudines.

SECTIO II.

Quid de his verbis, Ego te absoluo à peccatis tuis.

4 SVPPOSITA necessitate verborum explicandum quæ illa debeant esse, quia verò circa hoc ipsum variæ sunt difficultates, id in varias sectiones erit diuidendum: in hac de iis *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Priùs tamen ex Tridentino Sessione 14. cap. 3. supponendum, illa verba, *Misereatur tui*, & *Indulgentiam*, *absolutionem*, & *Passio Domini nostri Iesu Christi*, necessaria non esse, vtiliter tamen adhiberi per modum deprecationis; quòd autem non addant quidquã de satisfactione ex opere operato pro omnibus operibus deinde faciẽdis, dicemus agentes de satisfactione: hinc etiam fit ea posse absque vllo peccato omitti; & consuetudo ipsa ita docet; quia sæpè, maximè in confessionibus ordinariis, & in magno concursu pœnitentium solent omitti. Secundò est certum, illud Pronomen *Ego* non esse necessarium, quia in verbo illo *Absoluo* includitur, vti in aliis formis, *Ego te baptizo*, *Ego te confirmo*, generaliter dictum est suo loco: vbi obseruo Patrem Gasparem Hurtadum disp. 5. difficultate 4 contra Caietanum docere, non sufficere ea verba, *Absoluo te*, sed necessaria hæc esse, *Ego te absoluo à peccatis tuis*: addere tamen non esse necessarium exprimere *tè Ego*, & *tè à peccatis tuis*; quibus verbis planè videtur contradicto ia docere. Nam Caietanus sine dubio intellexit ex parte rei significatæ debere intelligi *Ego*, cum requirit verbum illud *Absoluo* in prima persona; quæ semper denotat idem quod *Ego*: nec debuit Hurtadus dicere forsan ita fuisse à Caietano intellectum, quia nec potuit aliter intelligi ob rationem datam. Duæ ergo illæ propositiones huius Auctoris, *Non sufficiunt Absoluo, sed necessariò requirmntur Ego Absoluo te à peccatis tuis*, & illa secunda eiusdem, *Non est necessum dicere, Ego te absoluo à peccatis tuis, sed sufficiunt Absoluo te*, planè videntur contradictoria. Quidquid tamen de modo loquendi sit, constat eum in bono sensu tandem se declarasse. Hoc posito,

Pronomē Ego non est de essentia formæ absolutionis.

Difficultas præsens deuoluitur ad illa, *Absoluo te à peccatis tuis*: circa quæ nonnulli non probant hanc formam, quia putant potiùs esse proferendã per modum deprecationis, *Absoluat te Deus*: ita nonnemo docuit tempore D. Thomæ, contra quem ipse egit Opusculo 22. Vbi eam sententiam dicit esse præsumptuosam imò omnino videtur erronea, quia Christus Dominus non dixit, Pro quibus deprecabimini, &c. sed *Quorum remiseritis*. Neque inde sequitur quod id faciat Sacerdos tamquam causa principalis: etenim etiam ea, quæ quis nomine alterius facit, potest per verbum de præsenti & absolutum in prima persona facere vt Iudex, qui nomine Regis profert sententiam, etiam dicit *Absoluo* & qui vt procurator contrahit nomine alterius matrimonium etiam dicit *Accipio te in meam*, &c. & cùm Sacerdos ordinariè præmittat, *Et Ego auctoritate ipsius*, non est cur id possit vllam causare suspicionem quasi loqueretur tamquam causa principalis. Denique in consecratione corporis Christi multò magis videtur Sacerdos loqui auctoritatiuè dum dicit, *Hoc est corpus meum*: quæ verba quia nomine Christi intelliguntur vera sunt, licet videantur significare corpus ipsius Sacerdotis; multò ergo meliùs erant vera & conuenientia, *Ego te absoluo*: vbi nihil ponitur quòd sensum reddere possit falsum. Neque obest, quòd in Extrema Vnctione vtamur verbis deprecatoriis: respondetur enim Christum eam diuersitatem instituisse, quia confessionem instituit per modum iudicij: at Sacramentum Extremæ Vnctionis per modum medicinæ. Medicus autem non procedit auctoritatiuè.

Obiicitur Leo Papa Epist. 88 aliàs 91. vbi ait *peccata remitti supplicationibus Sacerdotum*; Diuus Thomas respondet, Eum loqui tantùm de verbis illis deprecatoriis, *Misereatur tui*, &c. quia

Explicatur S. Leo de forma absolutionis.

quia verò Leo dicit, *Sine supplicationibus Sacerdotum non remittî peccata*, videtur ea expressio insufficiens: ea enim verba, *Misereatur tui*, &c. non sunt necessaria ad remissionem. Puto sanctum Leonem ipsa verba absolutionis vocare deprecatoria, quatenus obtinent apud Deum remissionem. Neque contra hanc doctrinam obest quod Tostatus in sui ipsius defensorio cap. 6. ait 6 verbum *Absolvo* non esse proprium pro hoc Sacramento, eò quòd peccatum non liget, neque Matth. 16. Christus dixerit, *Quorum absolveritis*, sed *Quorum remiseritis peccata*: Hoc inquam non obest; Primò, quia etiam Christus Petro dixerat, *Quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis*; & in Scriptura passim liberatio à peccatis dicitur solutio seu absolutio. Isaiæ 52. *Solue vincula colli tui captiua filia Sion*: & ipsa Ecclesia in Oratione de sancto Petro petit nostrorum peccatorum vincula solui; vnde miror vllum ibi mysterium à Tostato inuentum. Vtitur etiam Ecclesia hoc verbo potiùs *Absolue* quàm *Remitto*, quia remittere potest etiam ille qui non est Iudex, sed persona offensa, vt ergo denotetur actus iudicialis, quem Sacerdos exercet, aptior est ea vox, *Absolue*: suppositâ ergo conuenientia illius verbi,

Illud obiter quæri posset, An licet hæc verba *Absolue te* sint apta, possit nihilominùs dari absolutio etiam per verba deprecatoria: vel certè hoc modo, *Absoluat te Deus*, seu *Absoluatur seruus Christi*, sicuti Græci pro forma Baptismi dicunt, *Baptizatur seruus Christi*. Ita videntur aliqui olim docuisse apud Diuum Thomam Opusculo 22. & apud Suarium disp. 19. num. 24. Omnes tamen iam consentiunt omnino requiri formam, quæ significet auctoritatem Sacerdotis ad remittendum: quia cùm Sacerdos sit verus iudex, debet auctoritatiuè sententiam proferre: ideoque Christus voluit eum vti verbis eam potestatem denotantibus: porrò hanc fuisse voluntatem Christi ex communi sensu Ecclesiæ nobis sufficienter constat. Iam autem illud est dubium, Vtrùm ea verba, *Absoluat te Deus*, seu *Absoluatur seruus Christi*, habeant solum sensum deprecatorium, an verò possint etiam facere quasi auctoritatiuum. Et in primis circa instantiam illam è Baptismo Græcorum Nauarrus apud Lugo ea d. sp. 13. num. 106. differentiam assignat inter Baptismum & Pœnitentiam quoad illas formas: Lugo verò ait nullum esse fundamentum sufficiens talis diuersitatis: ego tamen puto satis magnum desumi inde posse: nam in Baptismo verba significant immediatè ablutionem ipsam physicam: cùm autem idem sit qui profert verba illa, *Baptizatur*, &c. & qui baptizat re ipsa clarissimè, esto solùm dicatur *Baptizatur* sine illis verbis *à me*, eo ipso constat debere illa ita intelligi. At in absolutione cùm nulla penitus actio ponatur exterior, ratione cuius, quando dico *Absoluitur* vel *Absoluatur seruus Christi*, possit constare, quòd ea absolutio veniat à me magis quàm ab aliquo alio: negari non potest longè clariùs in casu baptizandi intelligi illud ablatiuum *à me* quàm in casu absolutionis, si expressè non addatur. Habet autem locum hæc ratio, maximè quando per verbum de præsenti daretur ea forma *Absoluitur seruus Christi*: nam eo casu nihil penitus est quod denotet prouenire eam actionem à me: & quoad hoc vltimum consentire videtur Lugo suprà, qui solùm fatetur fore validam, si dicatur imperatiuè, *Absoluatur seruus Christi.*

Forma absolutionis esse debet deprecatoria

7

Vbi obiter noto, Cùm hic Auctor eo nu. 106. dicat Græcos non loqui in imperatiuo, vti solet communiter dici, sed *Baptizatur* de præsenti modi indicatiui, & per illam formam non addito *τὸ à me* ille validè baptizent; per hæc autem, *Absoluitur seruus Christi*, insinuet hic Auctor non conferri validum Sacramentum: manifestissimè profectò inferri, esse differentiam magnam ad rem præsentem inter Baptismum & Pœnitentiã quoad verba illa in tertia persona, quando nõ additur *à me*: est ergo fundamentum, vt possit assignari disparitas aliqua, prout docuit Nauarrus.

Secundò tamen dico, Videri probabilius, si dicamus imperatiuè, esto non addatur à me valere illam formam, & ita censent Suarez & Lugo in præsenti valere illam, *Absoluatur seruus Christi*. Vbi obiter noto, Me non videre vllam differentiam inter has duas, *Absoluatur seruus Christi*, & *Absoluatur seruus Christi à Deo*, vt iudicari debeat certum illam primam sufficere, non verò hanc secundam, vti docet Lugo de prima nullo modo dubitans, sic verò de secunda. Ratio autem quare moueor ad iudicandum eamdem omnino rationem esse de vtraque est meo iudicio euidens: quia quòd in illo imperatiuo dicatur *à Deo*, nihil omnino minuit de veritate ipsa, imò illam maximè declarare videtur: etenim remissio peccati non potest propriè fieri immediatè ab ipso homine: est enim ea remissio cessatio odij Dei contra illum peccatorem: hæc autem cessatio debet ab ipso Deo proximè oriri: idem est de voluntate producendi in eo homine gratiam: hæc enim etiam debet ab ipso Deo haberi immediatè. Sacerdos ergo non aliter, potest eo casu concurrere ad absolutionem quàm obligando Deum vi suæ prioris promissionis, vt præuisa absolutione illa immediatè & proximè remittat illi homini peccata per eam volitionem, quam fusè suprà explicuimus, dum obiectum condonationis diuinæ declarauimus: ergo rectissimè Confessarius tunc dicit, *Absoluatur à Deo*: & verò esto id non addatur, debet tamen omnino intelligi ob rationem immediatè factam: ergo si illa forma est valida, *Absoluaris Petre*, à fortiori erit valida addito *Absoluaris à Deo*: non est ergo cur de vna potiùs quam de altera dubitetur.

8 *Sitne valida forma, Absoluatur seruus Christi?*

Dices: Hæc forma, *Absoluatur à Deo*, denotat debere secundam prolationem sententiæ interuenire hoc autem est falsum, quia sententia tota iam est ab ipso homine prola, Sed contra, quia hoc idem eodem modo significat illa altera, *Absoluatur Petrus*: nam cùm sit per vocem imperatiui, & nemo sic imperet, non potest facere sensum, *Absoluatur à me*, sed, *Absoluatur ab aliquo alio à me distincto*: si autem ab alio, profectò maximè id ad Deum spectare debet: ac proinde melius dicetur, *Absoluatur à Deo*, quàm *Absoluatur* sine vllo alio superaddito. Secundò absolutè respondeo, Ibi non imperari vllam prolationem sententiæ, sed ipsam actualem remissionem: qualis fieret si ipse Deus diuinitus, vt potest, condonaret peccatum sine vlla præuia ex parte hominis dispositione: aut sicut de facto (nec enim est nobis necessum ad casus de potentia absoluta recurrere) quando intuitu contritionis remittit peccatum, nullam profert sententiam, sed in actu exercito motus contritione existente remittit culpam: hanc ergo remissionem sine vlla nouæ sententiæ prolatione impera

9 *Obiectio.* *Soluitur Primò,* *Secundò.*

imperat ibi Sacerdos; ac proinde non minus bonam formam applicat, quàm si diceret præcisè *Absoluatur*.

Replica. Quo sensu Sacerdos exerceat verum iudicium absolvendo. Solvitur.

Replicabis tamen; Quo ergo sensu sæpè dicimus à Sacerdote verum rigorosumque iudicium ibi exerceri, si nihil aliud tunc facit quàm imperare absolutionem? Respondeo, Fieri verum iudicium, quatenus ad imperandam eam absolutionem audit eius peccata, & cognita dispositione illius iudicat eum esse dispositum pro remissione, prout Christus requirit, & concessa sibi auctoritate Christi vult illum esse liberum: quæ volitio est omnino efficax, dum ea præuisa Deus cogitur remittere peccatum; ergo ex hoc capite eadem est ratio de vtraque illa forma.

10 Obiectio. Secunda.

Secundò obijcies: Aliud est dicere, *Ego te absolvo*: aliud verò imperare vt alius absoluat: hoc enim secundum potiùs est imperare absolutionem reflexè quàm eam facere. Vti si Papa accedentem ad se pro absolutione à censura aliqua remitteret ad Pœnitentiarium hoc modo, *Absoluat te Pœnitentiarius Germaniæ* v.g. non posset dici quòd Papa talem absoluisset; ergo si Sacerdos dicat, *Absoluat te Deus*, seu *Absolueris à Deo*, non potetit dici quòd ille homo absoluerit. Ratio autem à priori ea est, quòd aliud sit mandare vt absoluatur, aliud verò absoluere; vti aliud etiam est mandare, vt talis consecretur Episcopus aut Sacerdos, aliud verò illum consecrare, ergo debet pro valore eius formæ accipi ea vox, quæ verè ostendat ipsummet Sacerdotem immediatè absoluere; explicari autem potest quo pacto immediatè id præstetur, si dicamus Deum antecedenter voluisse, vt quàm primùm Sacerdos dixerit *Absolvo te*, sint eo ipso ea peccata remissa, vnde posita absolutione Sacerdotis sine nouo actu Dei, intelligi ea peccata ablata: in rebus enim moralibus sæpè contigit, vt voluntas conditionata transeat in absolutam posita conditione, sine vlla mutatione intrinseca sui: si enim ego dicam Petro, Ego facio tuum hoc pallium, eo ipso quòd cras venerit Ioannes; certè eo ipso quòd Ioannes venerit, sine noua voluntate mea incipiet pallium esse Petri: ergo si Deus dicat, Ego ex nunc volo vt posita absolutione Sacerdotis eo ipso remittantur peccata Petri, erunt sanè sine noua volitione Dei remissa, cùm primùm data fuerit ea absolutio. Respondeo, Aliud quidem esse, imperare reflexè remissionem, aliud verò remittere; sicut aliud est reflexè imperare occisionem aliud verò occidere; nihilominùs tamen in his effectibus moralibus eum, qui præcipit, qui iubet, qui consulit, ordinariè dici causam illorum: sic enim ille qui dedit sumptus vt ædificaretur templum, dicitur illud ædificasse, dicimus enim: Sanctus Gregorius v.g ædificauit has Basilicas, nec tunc de ipso mutatio, qui physicè & propriè ædificauit, sumus soliciti; imò etiam in ipsis physicis effectibus habet locum communis hic modus loquendi: nam qui applicat stupæ ignem dicitur eam comburere; quo modo loquendi nihil frequentius; ergo si Sacerdoti damus talem vim, vt posita ipsius voluntate absoluendi, Deus ex vi sui prioris decreti necessariò remittat peccatum, inre merito dicitur Sacerdos remittere & absoluere, esto ipse non sit physica causa eius remissionis. Et verò hæc doctrina non solùm in hoc Sacramento, sed in omnibus omnino admittenda est, si negetur Sacramenta eleuari per potentiam obedientialem ad producendam physicè gratiam; eo enim ipso Minister Sacramentorum non aliud facit quàm ponere vnam actionem, quâ præuiâ Deus in secundo signo rationis producit physicè effectum, quem Sacerdos dicitur per Sacramentum causare. Et verò licet aliis Sacramentis ea causalitas physica tribuatur, in præsenti quoad remissionem peccati nullo modo potest habere locum, sed nec illa unquam est ad nostram doctrinam recurrenda; remissio peccati non est effectus physicus; qui possit produci à Sacerdote, sed ipse actus diuinus, qui non potest causari à creatura physicè, sed solùm potest ad illum habendum moraliter mouere Deum; semper ergo absolutio debet immediatè à solo Deo fieri; ergo rectissimè Sacerdos dicit, *Absoluatur hic homo à Deo*; propriè quod tamen non tollitur, quò minus ipse Sacerdos etiam absoluat: id quod ostendo clarè allato exemplo de ædificio; etenim iure merito dicet Princeps aliquis muratio, Ædifica mihi tale Sacellum; & tamen de ipso Principe tunc sine dubitatione dicitur, Hic Princeps ædificat tale Sacellum. Vides quàm benè omnia conueniant?

11

Iam ad instantiam primam de Papa positam dico; Si ille obliget Pœnitentiarium vt absoluat à censura, rectissimè etiam ipsum Papam dici tunc absolui se cum homine. Ad secundam de consecratione respondeo, Illam vocem *consecratio* non accipi ordinariè nisi pro eo qui physicè consecrat; ideoque non tribui ei qui consecrare mandauit; nec propterea valet argumentum ad alias voces etiam synonymas: nam consecrare in Episcopum & facere Episcopum idem omnino sunt: & tamen de illo, qui alterum ad Episcopatum promouit, dicimus, *Ille fecit hunc Episcopum*, & tamen non dicimus, *Consecrauit hunc in Episcopum*. Idem est instantia de ædificio, quam immediatè antè attuli: licet enim ædificare idem sit quod lapidem super lapidem collocare, calce eos inter se connectendo, poliendo, &c. possumus tamen de Principe, qui ædificare iussit dicere; Iste ædificauit hoc Sacellum: vt tamen dicatur, *Iste Princeps ipsos lapides hoc in loco collocauit, ipse eos connexuit calce*, &c. numquam planè est auditum. Non ergo his in rebus est bonum argumentum ab vno modo loquendi ad alterum.

Remissio peccatorum potest fieri per solum Sacerdotis volumentum.

Nunc ad eam explicationem remissionis immediatè factæ à Sacerdote, circa quam dicimus, cùm remissio peccati necessariò debeat formaliter consistere in volitione diuina & quidem absoluta, intelligi nequaquam posse, eam fieri sola posita Sacerdotis absolutione, nisi tunc sequatur actus diuinus dicens, *Nolo te amplius odio habere*, aut, *Cedo iure meo*, &c. maximè autem id declaratur ratione odij: vt enim Deus ab eo cesset, non sufficit quòd dixerit, *Cessabo, si tu dederis absolutionem*: sed oportet vt iam videat re ipsa datam illam absolutionem, & tunc inde actu moueatur ad cessandum: sicut si alicui homini dicerem, *Si feceris hoc, ego te amabo*, repugnat actu me illum incipere amare, nisi constet mihi eum iam fecisse eam rem, & ego vi factæ promissionis moueat ad habendum illum amorem: & idem est, si promissionem ei fecissem, quòd vellem cessare ab odio: ea enim actualis cessatio necessariò debuit præuidere iã actualiter existẽtem rem illam, à cuius existentia fecit ego dependentem odij cessationẽ. Et satis de hac digressione ratione eius imperat ut *Absoluatur à Deo*.

Soluitur.

11 Procurans aut præcipiens aliquid fieri sæpè dicitur causa effectus in physicis etiã.

Nunc de hac eadem forma in sensu deprecatiuo dicimus nullo modo eam sufficere, Quia eo

ipso non exprimit actum Sacerdotalem absoluendi; & idem est de altera de præsenti, *Absolvuntur Petrus*: de quibus fusè agit Lugo suprà, vbi varias obiectiones minoris momenti dissoluit; & reuera (vt sæpè notaui) in hac materia, quæ ex voluntate Christi vnicè dependet, non est bonum argumentum ab vno Sacramento ad aliud: & gratis rationes quæruntur, vbi sola operatur voluntas. Obiicies tamen cum Petro Soto lib. 4. de Confessione & Henriquez lib. 4. cap. 15. num. 4. quando Christus Matthæi 9. & Lucæ 5. dixit, *Remittuntur tibi peccata tua*, accepta sunt ab audientibus ea verba perinde ac si dixisset; *Ego remitto tibi peccata tua*; ideóque cum admiratione dixère, *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus*? Christus verò approbauit eorum illationem, seu quòd benè intellexissent ea verba. Secundò, quando creditor dicit debitori, Remittitur tibi debitum tuum, videtur omnino condonare, ac si dixisset Remitto. Tertiò si Pontifex dicat, *Dispensatur tecum in irregularitate*, eo ipso censetur dixisse, *Ego dispenso*. Ob has instantias valdè propendet Lugo in valorem huius formæ; iudico tamen non sufficere, tum propter rationes à me datas, tum quia argumentum huius Auctoris in ipsius principiis est planè nullum; nam eodem modo quando debitor petit à creditore, vt sibi debitum remittat, si dicat ille *Remitto*, esto non addat *tibi*, nec dicat *Remitto debitum*: tamen idem omnino sine vlla ratione dubitandi intelligunt omnes, quod intellexissent, si dixisset, *Remitto tibi tuum debitum*: & tamen *tò Absolvo* non sufficit nisi addatur *te*, iuxta hunc Auctorem: ergo ea instantia nimiùm probat. Quòd si ideò requiritur *tò te*, quia Christus voluit, vt explicitè persona quæ absoluitur, nominaretur: hoc ipsum ego dicam de persona absoluente: ergo vtrobique debet eodem modo discurri.

Obiectio. *Solvitur.*

14 *Obiectio.*

Verùm hinc obiicies; Ergo nos, qui asserimus hanc sufficere, *Absolvo*, tenetur dicere etiam has fore sufficientes, *Absolvitur*, seu *Remittuntur tibi peccata tua*. Respondeo Primò negando consequentiam: Disparitas est meo iudicio clara; nam persona Petri, quæ absoluitur, clarè significatur ex eo, quòd ipse sit, qui sua delicta confitetur: ac proinde *tò te* implicitè tunc includitur in *Absolvo*. At quòd Sacerdos sit qui absoluit, non denotatur per *tò Absolvitur*; nam illud idem verissimè in his ipsis circumstantiis diceretur, etiamsi Sacerdos non absolueret à peccatis, sed declararet tantùm hominem ab eis esse absolutum, vti docuit Magister. Quòd autem in casibus suprà allatis homines ex dictis Christi intellexerint eum ipsum fuisse, qui absoluebat, prouenit non tam ex verbis Christi præsentibus quàm ex aliis miraculis, quæ de ipso narrabantur, & audiebantur: in quibus tanquam potestatem habens se semper gerebat. Id autem non sufficit pro forma Sacramenti, in qua eius significatio debet saltem colligi ex his quæ fiunt circa ipsum Sacramentum. Secundò respondeo, Etsi paulò post dicturi simus satis probabile esse, sufficere sine *te tò Absolvo*, nihilominùs vt longè probabilius defensuros simpliciter non sufficere.

Responsio prima.

Secunda.

Ad instantiam de Papa dispensante, & de creditore remittente dicimus, ob eamdem rationem non habere vim contra nos, quia ibi cùm homines aliunde sciant Papam & Iudicem habere vim vt auctoritatiuè vel dispenset vel absoluat, &c. intelligunt, dum illa verba audiunt, eos loqui nomine suo At Sacerdos, si solùm declararet absolutionem datam à Deo, posset vti eis verbis; ergo ea verba non habent vnde ostendant Sacerdotem auctoritatiuè absoluere.

Replicat

Replicabis adhuc, Etiam Sacerdos esto præcisè dicat, *Hoc est corpus meum*, conficerat validè: & tamen tunc nihil dicit, per quod ostendat se intelligere corpus Christi, dum dicit *meum*, & non potiùs corpus suum: ergo. Quòd si dicas, Iam supponi quòd loquatur vt minister Christi, & propterea *tò meum* determinari ad Christum, idem etiam responderi in præsenti poterit, supponi scilicet, Sacerdotem dare absolutionem nomine Christi: ac proinde dum dicit, *Remittuntur tibi peccata tua* posse intelligi, quòd remittantur ab ipso Sacerdote. Respondeo tamen, Esse in hoc magnam disparitatem; nam licet Sacerdos loquatur nomine Christi dum dicit *Remittuntur tibi peccata*, non ostendit, quòd ipse Sacerdos sit iudex, prout reuera est, sed quod declaret remissionem factam à solo Christo: hoc autem non sufficit pro valore eius formæ: non enim Sacerdos se habet vt declans nomine Christi absolutum pœnitentem, sed debet etiam ostendere quòd ipse sit iudex: pro consecratione autem nihil est aliud necessarium, quàm quòd loquatur nomine Christi: eo enim ipso *tò meum* significat idem quod Christi.

Solvitur.

Sacerdos absoluens debet vti verbis quæ indicent eum esse iudicem.

SECTIO III.

Quid de illis, In nomine Patris; *&c.* & Ab omnibus peccatis tuis.

CIRCA primum partem nonnulli putarunt ad valorem absolutionis requiri ea verba, *In nomine Patris*, vti requiruntur pro valore Baptismi: ita Durandus, Petrus Soto & Maior apud Suarez num. 19. Nihilominùs tamen contraria sententia est omnino certa: nam in Baptismo ideò requiruntur, quia ipse Christus expressè eam formam præscripsit dum dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. quibus verbis si non omnino clarè, ita tamen id expressit, vt potuerit Ecclesia colligere eam inuocationem esse necessariam: at in præsenti puncto nihil dixit aliud quàm quòd debeant remitti peccata. In Baptismo etiam, quia ianua est fidei, debuit ea professio Trinitatis fieri, quæ non est necessaria in pœnitentia. Vnde D. Thomas quæst. 84. art. 3. ait, ad arbitrium Sacerdotis relinqui ea verba.

15

Verba In nomine Patris, &c. non sunt de essentia formæ absolutionis. Matth. 28.

Circa secunda illa verba, *Ab omnibus peccatis tuis*, multi etiam dixerunt necessaria esse, quia verbum *Absolvo* est indifferens ad significandam remissionem diuersorum vinculorum, à quibus homo liberari potest. Hæc tamen ratio in primis nihil probat de particula *omnibus*: quia si dicatur *à peccatis tuis*, iam determinatur verbum ad peccata: *tò omnibus* autem non est necessum dicere, imò nec debet, quia Sacerdos non absoluit ab omnibus peccatis, sed solùm ab his, de quibus pœnitens se accusauit. Vnde in Rituali nouo Romano expuncta est illa particula *Ab omnibus*. Deinde ea ratio non probat requiri *tò tuis*: quia si dico, *Absolvo te à peccatis*, eo ipso dico *tuis*: nam ab alienis peccatis non potest vllus absolui, cùm per aliena vt talia non fuerit ligatus. Denique neque esse necessarium dicere *à peccatis* docet communis sententia cum D. Thoma

A peccatis tuis nè sunt de essentia formæ absolutionis.

ma suprà, Caietanus, Antoninus, Sylvester, Nauarrus, quos refert Suarez suprà num.20. Lugo num.17.& in Catechismo Pij Quinti solùm dicitur esse de essentia formæ *Absolue te*:& probatur ex aliis etiam iudiciis, vbi relata causa, seu delicto, eo ipso quòd dicat Iudex *Absolue te*, censetur absoluere à culpa illa ibi relata,& qua instituitum est iudicium illud.

16 *Obiectio.* Obijcies in contrarium; Si aliquis dicat *Dono tibi*, & non addat quid illud sit quod donatu, non facit sensum, perfectum donec determinet quid illud sit; ergo eodem modo *τὸ Absolue* non facit sensum perfectum, donec dicatur, quod sit illud vinculum, à quo absoluitur. In huius obiectionis solutione fusissimus est Lugo à num. 9. ad 24. inclusiuè: pro quo ait aliqua esse verba magis syncategorematicè significantia, vt *Volo adiungo, vnio*, quæ nisi determinentur per alia, non faciunt sensum perfectum: & tale dicit esse *Dono*, alia verò esse magis categorematica, vt *Curro, existo, ægroto*, vt *Remitto, à soluo*: quod vltimum significat, Dono tibi debitum quod debes mihi; quòd si dicas, Adhuc est dubium quale sit illud debitum, respondet n.20 Aliud esse manere sensum perfectum, non tamen manere clarum omnia enim æquiuoca, aut, faciunt sensum perfectum, etsi non clarum: aliud verò, sensum ipsum etiam manere suspensum vt quando dico *me vidisse omnem*, sensus est non solùm obscurus, sed etiam suspensus, quia illa vox *omnis* non significat omnes homines, sed potest consignificare cum voce *homo, canis, leo*, &c. neque est sicut vox *canis*, quæ se sola significat canem etiam terrestrem, esto non solum. Vox ergo *Dono* facit sensum non solùm obscurum, sed suspensum Vox verò *Absolue* facit sensum perfectum, sed obscurum, sicut si haberem duos seruos qui vocarentur Petrus, & dicerem, *Dono tibi seruum meum Petrum*, faceremus sensum perfectum, non tamen clarum, quia non sciretur quis ex illis duobus donaretur; sic ea propositio, *Ego te absolno*, & *Ego tibi remitto*, facit sensum perfectum, sed obscurum, nisi ex circumstantiis & antecedentibus fiat clarus, prout reuerà fit: nam iuxta subiectam materiam intelliguntur de condonatione peccatorum. Quam doctrinam ait esse adeò lumini naturali conformem, vt sapientissimi Iurisconsulti ex hoc principio diuersa responsa ediderint: aliquando enim dicunt actum non valere quando vox est indifferens ad plura significata: vt si testator dixit, *Tutor detur Titio*, cùm duo sunt Titij: vel sic dixerit, *Seruus libertate donetur*, cùm plures sint serui, & non explicatur aliquis determinatè, vt constat ex Lege *Si ita fuit* 11.§. *De rebus dubijs*; docent autem in his casibus actum non esse inualidum, sed carere effectu non quia desit ius, sed probatio illius, vt dixit Iureconsultus in Lege, *Duo sunt Titij*, &c. de testamentaria tutela; vnde aliquando sustinetur valor, & ponitur effectus, vt cum quis habens duos seruos Stichos, legat Titio Stichum seruum debet enim dari vnus, quem hæres elegerit, vt habetur in Lege *Si quis à Titio* 32. §. 1. Tractatu de Legatis. Et cùm testator habens duos fundos legat vnum per vocem communem, dari debet qui minoris pretij est: ratio huius est, quia legatum est validum, & solum impediri poterat effectus propter incertitudinem ex defectu probationis: ergo cùm sufficienter probetur voluntas testatoris, saltem quoad aliquid, seu quoad id quod minus est id debet dari: non deberet autem dari, nisi vox æquiuoca sufficeret ad actum externum validum.

Responsio.

17 Confirmat id rursus exemplo Theologico: nam si quis dicat animo hæretico, *Maria non fuit Virgo*, intelligens interiùs Sanctissimam Dei Genitricem, postea verò vt effugiat pœnam in hæreticos statutam dicat se locutum de Maria Magdalena, in foro quidem exteriori puniri non posset: verè tamen esset hæreticus, & incurreret eas pœnas &c. ergo licet verbum *Absolue* ex se sit indifferens ad significandum hoc vel illud vinculum, poterit tamen ex loquentis intentione determinari ad significandam absolutionem à peccatis.

Obiectio. Si iterum obiecetis etiam verbum *Dono*, significat donari aliquid: nam qui donat, dat vtique aliquid quod erat suum: & tamen sensus manet imperfectus: ergo.

Responsio. Respondet verbum illud *Dono* significare quidem dari aliquid quod erat donantis, non tamen supponere pro illo dono; nam, vt aduertunt Summulistæ, latius patet in vocibus significatio quam suppositio; nam pater significat filium, & non supponitur pro illo: sic etiam vox *Dico* vel *Promitto* facit hominem venire in alicuius rei dicendæ cognitionem, non tamen supponitur pro ea: & huiusmodi est hoc verbum *Dono*, quod non supponitur pro re donata vti in hoc complexo, *Liber, qui est meus*, illæ voces, *qui est meus*, indicant præcedere aut subsequi voces, per quas significatur aliquid de quo dicitur esse meum: ipsi tamen non supponuntur pro illo sed id habet sola illa vox *Liber* ita dum dico *Librum dono tibi*, illi voci *dono* solùm respondet hic sensus, *Esse facio in dominio tuo qui erat meus*: librum tamen ipsum non significat At verò *Condono, remitto, absolno*, etiã supponuntur pro illa re quæ remittitur, id quod constat ex hominum communi modo loquendi, qui vtuntur his vocibus frequenter sine addito, vt in voce *parco* frequentissimum est; vt cùm dico, *Parce mihi* &c. Hæc fusè eo loco Cardinalis.

18 *Absolno determinatur à circumstantijs & confessione ad significandam remissionem peccatorum.* Mihi tamen hæc Doctrina videtur nec vera, nec necessaria ad rem præsentem. imò non valde sibi constans: non quidem necessaria pro re præsenti, quia sufficit dicere, quòd *τὸ Absolue* in his circumstantiis, & supposita confessione peccatorum, determinetur ad significandam absolutionem à peccatis: id quod optime dixerat duobus verbis Suarez: nec fuit necessaria illa propositio, *Ego tibi dono*, quæ sic absolutè prolata non determinat, quid sit illud quod donat.

Addo Primò, Si quis mihi diceret, *Dona mihi hunc librum*, & ego dicerem, *Ego dono tibi*, non minùs factum sensum perfectum & perfectissimum de donatione libri, quàm dum quis dicit, *Rogo te absolnas me à peccatis*, & ego respoderem, *Absolue te*, nec puto, nisi quærendo nodum in scirpo, posse inter has duas propositiones quoad punctum præsens vllam inueniri disparitatem; ac proinde cum distinctione hac data concedi debebat, idem esse de *Dono* ac de *Absolno*.

Quænam sit differentia inter dono & Absolno. Addo Secundò, abstrahendo ab his circumstantiis, Eam puram putámque esse inter eas duas voces *Dono* & *Absolno* differentiam; non quòd vna facit sensum suspensum, altera non suspensum, licet obscurum: vtraque enim facit suspensum vtraque obscurum: (si tamé sensus obscurus à suspenso hic & cunc diuersus sit;) sed quòd vna magis quàm alia, quia plures res sunt quæ

possunt donari, quàm à quibus potest homo absolui: si enim tot essent possibilia debita diuersa, à quibus homo posset absolui, quot sunt res quæ possunt donari; eadem planè sine vlla excogitabili differentia esset vel suspensio sensus, vel obscuritas; quòd autem res quæ possunt donari sint plures, est omnino per accidens ad hoc, quòd vna vox non faciat sensum perfectum, & altera faciat, vel ad hoc, quòd vna non supponatur pro re donata, esto eam significet, altera verò supponatur; vt si dicerem; Vnus ex his duobus occidit Petrum; vel dicerem, Vnus ex his centum, vtrobique esset idem sensus quoad punctum obscuritatis aut indeterminationis, nisi quòd intra idem genus esset maior indeterminatio in vna quàm in altera propositione. Hæc sunt omnia mysteria clarè posita earum propositionum.

19 Addo Tertiò, Me non capere quare adducantur illa varia placita Iurisconsultorum, & variæ illæ leges: & cur dicatur illud punctum de sensu imperfecto esse adeò iuxta lumen rationis naturalis, vt inde ortæ fuerint illæ diuersæ leges: etenim cùm illæ leges diuersæ sint circa eadem verba *Dono* & *Constituo*, non capio quomodo ostendant differentiam illius *Dono* à verbo *Absoluo*, si vna lex quæ agit de propositione non habente sensum: ageret de verbo *Dono*, & altera habens sensum perfectum ageret de verbo *Absoluo*, esset id ad rem nostram: at cùm vtraque ex parte accusatiui habeat eumdem terminum æquiuocum Titium & Stychum, nisi quòd in vna Titius designetur pro tutore, in altera Stychus donetur, & hæc de verbo *Dono* sit clarior quàm altera, non potest inde vllo modo probari imperfectus sensus verbi *Dono*, imò potiùs contrarium. Absolutè autem quoad sensus differentia nulla est inter illas, sed ideò prior non habet effectum, quia inter duos Titios distinctiuè constitutos, non est maior ratio cur vnus præferatur alteri, ideoque non potest habere effectum, ne vni fiat iniuria præferendo illi alterum: in donatione verò serui Stychi aut agri cùm hæres non teneatur dare Legatario plusquam verba ipsa testatoris requirant, hæc autem non nisi vnum agrum & vnum seruum petant, potest hæres eligere seruum, qui minùs sit sibi vtilis, & agrum peiorem, & illum donare Legatario. Hæc est tota ratio diuersitatis independens ab integro, à suspenso & obscuro sensu.

Cur sortiatur effectũ voluntas testatoris legãtis indeterminatè vnum ex seruis, fundis &c. non item constituentis vt ex duobus Titijs alter sit inter.

Addo Quartò, Quòd vltimo loco docetur, scilicet verbum *Dono* significare quidem aliquid dari, non tamen supponi pro illo quod datur; quia iuxta Summulistarum regulas voces non supponuntur pro omnibus rebus quas significant: hoc inquam destruere totam doctrinam huius Auctoris, & eodem omnino modo sine vlla prorsus differentia habere locum in verbo *Absoluo* & *Remitto*: & quidem per hoc destrui totam doctrinam præcedentem patet, quia illa in eo fundabatur vnicè, quòd verbum *Dono*, nisi ponatur illi accusatiuus, facit sensum imperfectum: quia adhuc non possum scire quid sit illud, quod est donatum: & ad hoc adducitur illa instantia eius propositionis *Dico tibi*, quæ est imperfecta, donec explicem quid sit illud quod dicere volo. Hæc autem doctrina vltima iam ponit exemplum in propositione illa *Dono tibi librum*, quæ sine dubio habet sensum perfectum & perfectissimum: ac proinde ex hac parte per illam optimè posset perfici Sacramentum: & fortasse si dicat Sacerdos, Dono tibi remissionem peccatorum erit idem ac Absoluo te à peccatis, imò omnino erit valida forma: quomodo ergo iam hoc concordat cum illa alia propositione de sensu suspenso, quem facit verbum *Dono*? nam quoad hoc parum est quòd dicat *Dono tibi aliquid* vel quòd dicat *Dono tibi librum*: in vtraque enim τὸ *aliquid* & τὸ *librum* significatur à verbo: non tamen verbum supponitur pro illis. Quòd verò hoc idem sit dicendum de verbo *Absoluo* est meo iudicio lumine naturæ euidentissimum: nam sicut hic Auctor dicit in hac propositione *Dono tibi librum*, verbum *Dono* solùm supponi pro hoc, *Dono tibi qui est mens*, pro τὸ autem *libro* non supponi: ita sine vlla excogitabili differentia, quando dico, *Absoluo te à peccatis*, τὸ *Absoluo* solùm supponitur hoc modo, *Remitto tibi quæ commisisti*, pro τὸ autem *peccatis* verbum illud non supponitur: estque ratio generalis ad omnia verba quantumcumque determinata, vt *Amo, odio habeo*, &c. nam illa non supponuntur nisi pro actu ipso amoris: pro accusatiuo verò additur, aut pro ablatiuo *Aufero à te peccata tua*, non supponitur verbum. Neque hîc est vlla differentia alia, nisi quam in initio notaui, quòd quando dicitur verbum *Dono* solitariè possit extendi ad mille res v. g. verbum autem *Absoluo* non nisi ad tres vel quatuor; quæ differentia est solùm penes magis & minùs: est etiam ea diuersitas, quòd in circumstantijs confessionis ab omnibus vsurpatur solùm pro absolutione à peccatis, sicut aliquando solet vox analoga solùm accipi pro analogato præcipuo. Iam autem ostendi, eo sensu in simili circumstantia si Petrus petijsset, *Dona mihi remissionem peccati*, si respondetem *Dono tibi*, facerem eumdem sensum. Hæc latius prosecutus sum, quia non vellem in rebus claris quærere difficultates sine fundamento, & facere maiora in eas mysteria quàm reuerà sint, maximè per quæstiones de vocibus, sed rem distinctè reuolutis terminis obscuris declarare.

SECTIO IV.

Soluitur obiectio quædam, & an solum verbum Absoluo *sufficiat sine* te.

21 IAm autem insurgit contra nos difficultas satis grauis; videtur enim sequi, etiam sufficere dicere *Absoluo*: quia vti ex circumstantijs determinatur ea vox ad peccati remissionem, ita ex ijsdem circumstantijs hominis sua peccata confitentis dicere *Absoluo* determinatur ad hunc numero hominem: & ita sentit Sotus in 4. disp. 22. quæst. 1. art. 1. §. *Postremum tandem dubium*; vbi ait, In articulo mortis si periculum esset posse Sacerdotem cum intentione absoluendi simul à cunsuris & peccatis proferre verbum *Absoluo* Circa quod obiter noto, me non videre, cur eo casu Sacerdos ille non posset addere *te* in omnem saltem euentum vt propterea dixerit Sotus, eo casu mortis posse proferri solum *Absoluo*; nam per prolationem τὸ *te* post *Absoluo* nec moreretur citiùs infirmus, nec tardiùs proferretur τὸ *Absoluo*. Sed quidquid hac de re sit, Lugo respondet huic difficultati, τὸ *Absoluo* non habere ex se vim ad significandum eum qui absoluitur, quòd autem eam habeat ex circumstantijs non sufficere, quia tunc significatio non tribuitur solis verbis sed circumstantijs vel interrogationibus, quæ partialiter tunc concurrent ad eam

20

eam significandam : voluit autem Christus formam huius Sacramenti esse talem, vt secundùm se verba huius Sacramenti sufficienter significent. In matrimonio autem, quod nutibus absque verbis potest confici, non est mirum, si postquam quis interrogatus est, *Visne hanc habere in vxorem* respondendo *Volo*, esto nullum accusatiuum adijciat, faciat Sacramentum : quia ibi potest significatio venire ex circumstantijs. In pœnitentia autē id non sufficit; ac proinde sicut si Sacerdos interrogatus, *Visne me absoluere*, dicat *Volo*, non absoluit, quia *tò Volo* hoc ex se non significat, licet ex circumstantijs id denotet: ita eodem modo dicendum de verbo *Absoluo* posito solitariè si e *te*. Nihilominùs addit Si ponatur *Absoluo à peccatis tuis*, fore sufficientem formam, quia per *tò tuis* iam verba ipsa explicant personam pœnitentis, esto desit accusatiuus iuxta regulas Grammaticæ Hoc vltimum mihi omnino probatur, quia res ita idem planè est dicere *Absoluo te à peccatis* seu *Absoluo à tuis peccatis* : nam à peccatis solus ille absoluitur cuius ea peccata sunt: vnde dicendo *tuis* iam determinatur clarissime persona.

22 Hinc tamen, antequam ad priorem difficultatem veniamus, mouco nouum dubium : videtur enim sequi, non esse necessarium dicere *à peccatis*, sed sufficere *Absoluo à tuis*, esto sit barbarismus Latinè loquendo : ratio ex dictis videtur manifestissimè colligi : nam *tò absoluo* iam significat peccata, & solùm ei deest determinatio personæ: at hæc omnino determinatur per *tò à tuis* iuxta immediatè dicta: ergo non erit necessarium addere *tò peccatis* hoc autem videtur durissimum: ergo Ex prioris dubij solutione huius secundi etiam intelligetur.

Eam autem inuenio difficultatem circa solutionem eius Auctoris, quòd reuerà (vt fusius ostendi paulò antè) *tò Absoluo te* significet à peccatis, non ab irregularitate, excommunicatione, à carcere, à debito pecuniario, &c. omnino pendet à circumstantiis (vt dixit Suarez & nos ex ipso) vti enim *tò Dono* denotat aliquod proprium dari, licet, quia multa sunt quæ possunt donari, non explicet quod illud sit : ac proinde, si vnicam tantum rem haberem donandam, dicere *Dono tibi*, esset sensus clarus. Sicut ait hic Auctor, Si vnicum haberem ius aduersus alterum, tunc dicere *Condono tibi*, esset res clara, & faceret sensum perfectum. Ita eodem modo *Absoluo* est indifferens ad hoc aut illud significandum, licet, quia pauciora sunt, à quibus homo absolui potest, quàm quæ donari ei possunt, ideò aliquantulùm sit minor indifferentia: hoc tamen omnino est per accidens, quia si indifferentia inter duo potest determinari per circumstantias, & hoc non obest significationi verbi pro forma Sacramenti, profectò quòd ea indifferentia sit inter plura significata, si tamen determinatur ad vnum per circumstantias, non erit contra rationem significationis verbi pro forma Sacramenti. Ad quod punctum est per accidens, quod verbum supponatur vel non supponatur pro illo significato : nam & in hoc ea duo verba esse paria obiendi clarè : & in illa propositione, *Dono tibi librum*, ait hic Auctor *tò Dono* non supponi pro libro: & tamen ex se ea est sufficiens ex hoc capite pro forma Sacramenti.

23 *Probabile est sufficere ad formam absolutionis* Absoluo. Hinc dico valdè esse probabile consequenter ad eam doctrinā, quòd si sufficiat *tò Absoluo te* sine *à peccatis*, etiam sufficere *Absoluo* iuxta sententiam Soti : à fortiori autem si addatur *à tuis*, vt in secundo dubio diximus. Neque hinc sequitur, quod obiiciebatur, si pœnitens post confessionem ante datam absolutionem dicat, *Vis me absoluere*, fore vt sufficiat respondere *Volo* : etenim etiam tunc *tò Volo* non significat actualem absolutionem, sed voluntatem reflexam illam dandi vti *Volo currere* non significat *Curro*, *Volo amare* non significat *Amo*, & *Volo baptizare* non significat *Baptizo*; debet ergo esse verbum quod significet actualem absolutionem, quale est *Absoluo*, *remitto*, &c. quod & actuale exercitium & voluntatem significat.

Difficilius posset obiici, quia si interrogaretur Sacerdos, *Remittisne mihi peccata*, & hic responderet *Ita*, iam ex signis esset idem ac dicere, *Absoluo te*. Idem vrgetur, si pœnitens diceret, *Donásne mihi remissionem*, & ille responderet *Dono*; eo enim casu *tò Dono* idem esset ac *Absoluo*; & tamen nec hoc *Dono* nec *tò ita* sufficeret etiam in his circumstantijs: ergo nec *tò Absoluo*. Idem vlteriùs vrgetur in ipsa forma Baptismi: nam etiamsi quando ego actu abluo Petrum v.g. dicerem *Baptizo*, non addito *tò te*, idē sit ac dicere *Baptizo te*: nullus tamen dixit illam formam esse sufficientem: ergo neque sufficiet *tò absoluo* sine *te*. Respondeo ergo absolutè, Christum Dominum in horum Sacramentorum institutione voluisse vt omnino determinatè significetur persona ipsa cui Sacramentum confertur : idque nobis constare ex sensu Ecclesiæ: neque fuisse contentum vt id colligeretur ex circumstantiis aut signis aliis : vnde nullo modo sufficere *tò absoluo* : quoad alias verò significationes, scilicet, vtrùm ea determinata persona absoluatur à peccatis an ab excommunicatione, an à debitis pecuniarijs, fuisse contentum vt verbum ex se indifferens ad quodcunque significandum determinaretur ad hoc potiùs quam illud ex eis circumstantiis.

Christus voluit vt determinatè significetur persona cui Sacramentum conferatur.

Fortasse id possumus ex principijs Logicis vlteriùs declarare. Nam vox *animal* reuerà dicitur significare omnia animalia, esto non vnum potiùs quàm aliud : ergo *Absoluo* significat etiam omnem liberationem ab omni debito, non tamen magis vnam quàm alteram : at *tò absoluo* non videtur significare hunc & illum, non solùm vnum magis quàm alterum, sed nec omnes confusè : ergo esto non dicatur *Absoluo à peccatis*, adhuc tamen ponitur verbum id expressè significans, licet non specialiter: at *Absoluo* nec specialiter nec expressè significat personam patientem. Hæc ratio habet probabilitatem, potest tamen vtgrì contra illam : quia etiam qui dicit *Absoluo*, dicit aliquem : sub nomine autem *alicuius* iam comprehenduntur omnes, licet non distinctè. Respondeo, *Absoluo* non significare expressè aliquem, sed id colligi ab intellectu, & quasi inferri per consequentiam ex regula generali Grammaticæ, quòd quodlibet verbum actiuum debet habere accusatiuum aliquem : hinc fit vt quando explicatur *tò Absoluo* in Calepino, non dicitur, Absoluo significat hunc vel illum, vel illum dicitur tamen Significat liberare & à culpa & à pœna & à debito pecuniario, &c. hoc autem sufficit, vt verè dicatur significare hic & nunc remissionem culpæ; quo sensu non facerem differentiam ego inter hoc verbum *Absoluo* & inter *Dono*, nisi fortè quatenus *Dono* videtur solùm esse determinatum ad donandas res alias ab offensis distinctas; est tamen satis probabile.

24

si post confessionem pœnitens diceret, *Dona mihi remissionem culpæ*, & Sacerdos diceret, *Dono tibi*, fore validam absolutionem, vti esset, si expressè adderetur *Dono tibi remissionem*. Et satis de his molestis replicis, à quibus faciliùs liberaremur, si diceremus necessarium esse ad valorem formæ, *Absolvo te à peccatis*.

SECTIO V.

An saltem ea verba concurrant ad effectum absolutionis.

25 Illud discutiendum, An, esto necessaria non sint ea verba, de facto tamen concurrant ad infusionem gratiæ & remissionem peccatorum. Patet Vasquez, suprà n. 4. omnino putat, quando proferuntur, concurrere, & non poni effectum, donec illa proferantur: id quod docuerat priùs Henriquez lib. 4. de Pœnitentia cap. 11. & alij; nam quando verba, quæ adduntur, continebantur implicitè in aliis verbis, tunc illud idem verbum additum expressè debet operari non minùs quàm implicitè, ergo cùm *tò à peccatis tuis* contineatur in *tò Absolvo*, debet, quando expressè ponitur, concurrere. Meritò hanc sententiam reiicit Lugo suprà num. 29. quia si verbum illud *Absolvo* ex se includit implicitè *à peccatis*: ergo antequam ponantur hæc verba, iam est posita causa sufficiens gratiæ: ergo non potest differri effectus ad finem illorum.

Obiectio: Soluitur. Dices, Differri ex intentione proferentis. Sed contrà, quia proferens non habet in suâ potestate vim differendi effectum post positam eius causam sufficientem: nam effectus sequitur necessariò: ipse autem nequit efficere, vt sint aut non sint sufficiens causa ea verba, quæ ex se sunt sufficientia. Id quod ego confirmo in hac ipsâ materia: Nam *tò Ego* continetur implicitè in *tò Absolvo*: ergo si Sacerdos haberet intentionem hoc modo proferendi verba, *Absolvo te à peccatis tuis ego*, non deberet dari effectus ille ante prolatum *ego*: quod est planè improbabile: similiter cùm *tò te*, quando loquor cum Petro, implicitè significet Petrum. Si ego vellem hoc modo dicere, *Ego absolvo à peccatis tuis te Petrum*, etiam non conferretur gratia ante prolatum *tò Petrum*. Tertiò, cum *tò à peccatis tuis* includat implicitè ea peccata, quæ ille est confessus, & à quibus re ipsâ absolvitur, si Sacerdos haberet intentionem ea exprimendi hoc modo, *Absolvo te à peccatis tuis, duabus fornicationibus, tribus iuramentis falsis*, &c. non conferretur effectus gratiæ vsque dum expressè nominaret ea peccata: hoc autem quis non dicat esse improbabile? In consecratione idem dici potest; nam *tò meum* implicitè includit Christi: si ergo Sacerdos vellet hoc modo addere, *Hoc est corpus meum*, id est Christi, non fieret consecratio ante addita ea verba vltima. Quæ omnia planè sunt contra sensum omnium, & per hæc retorquetur simul ratio Patris Vasquez.

26 Secundò principaliter possumus contra illum argumentari: Quia minùs benè videtur docere, verba quæ non continentur in prioribus, si addantur, nihil operari, quæ tamen continentur operari: etenim si quis cum intentione ab initio dicendi aëreum consecraret hoc modo, *Hoc est corpus meum aëreum*, nihil faceret: ergo verba etiam non contenta in prioribus nocent, si addantur, esto id proueniat ex defectu debitæ intentionis circa loquelam: ergo quando è contrario quis habet rectam intentionem, & profert verba necessaria, & ex se sufficientia, cùm non possit illis auferre debitam significationem, debebit causare effectum antequàm addat illa superflua; quandoquidem continentia horum in prioribus potiùs iuuet, vt causetur effectus statim, quàm vt suspendatur: quia si sunt contenta, iam sunt implicitè dicta: ergo non est necessum ea exspectare.

Obiectio. Dices adhuc fortasse pro Vasquez: Post debitam formam debet expectari morula, vt sciatur, an aliquid addatur destruens verum sensum: quòd si additur, forma reddetur nulla, si verò additur aliquid pertinens, hoc ipsum erit pars formæ. Hoc tamen argumentum patitur eas instantias, quas immediatè antè adduxi, quando post finem ponitur *tò Ego* vel *Petrum*, &c. Deinde fusè ostendi in materiâ de Sacramentis Tomo præcedenti eam morulam in solo matrimonio addendam.

Quando concurrant ad effectum absolutionis illa verba à peccatis tuis, &c. Dico ergo ad præsentem quæstionem, Si Sacerdos incipiat per illa verba *à peccatis tuis*, illa concurrere, quia sunt pars formæ, & veniunt tempestiuè pro effectu: sicut concurrit *tò ego* quando incipio dicendo, *Ego te absolvo*: si verò post prolata illa verba *Absolvo te* proferantur, tunc non concurrere ad effectum: hic enim (vt probatum est) iam est tunc positus.

Obiectio. Dices: Ergo esto addatur *Absolvo te à peccatis alienis*, adhuc erit valida absolutio: quia quando additur *tò ab alienis*, iam erat positus effectus. *Responsio.* Respondeo, Si ab initio intentio fuit recta, & mutata primò est post dictum *Absolvo te*, omnino fore validam, vti vniuersaliter de omni additione, quæ videtur facere sensum contrarium, diximus Tomo præcedenti, dum de Sacramentis egimus: vbi etiam discussi doctrinam Cardinalis Lugo distinguentis inter has duas additiones, *aereum* & *quod est aereum*. Dixique moraliter & Grammaticaliter in ordine ad sensum esse idem: quare si, qui voluit consecrare, habuit ab initio animum dicendi, *Hoc est corpus meum quod pro vobis non tradetur*, seu *quod est aëreum*, perinde non consecraturum validè, ac si habuisset animum dicendi, *Hoc est corpus meum aëreum*, seu *numquam mortuum*: si autem ab initio non fuit mens hæc verba ponendi, sed primò est concepta, postquam dixerat, *Hoc est corpus meum*, non oberit consecrationi, siue dicatur *aëreum*, siue *quod est aëreum*. 27

Diximus ea verba, *à peccatis tuis*, ideò non concurrere, quia implicitè continentur in prioribus. hinc autem posset aliquis inferre: Ergo saltem illa *In nomine Patris*, &c. concurrent: quandoquidem non includuntur implicitè in illis *Absolvo te*, & aliunde faciunt vnam propositionem cum illis. Respondet Lugo, Ea verba non facere vnam propositionem, sed distinctam, quia in eis continetur inuocatio sanctissimæ Trinitatis: inuocatio autem est oratio distincta ab illa *Absolvo te*. Ego quidem valdè dubito de hac doctrina, quia *tò In nomine* est idem ac si dixisset *auctoritate sanctissimæ Trinitatis*: hæc autem non facit propositionem distinctam, sicut quando in absolutione dicimus, *Et ego auctoritate ipsius te absolvo*, hæc verba *auctoritate ipsius* non faciunt magis propositionem distinctam quàm illa *à peccatis tuis* post *tò Absolvo te*: quòd *An aliquid operentur in absolutionis forma* In nomine Patris, &c.

quod autem Patres & Concilia dicant in Baptismo inuocari sanctissimam Trinitatem, solùm denotat ibi nominari tres personas, & illarum auctoritate conferri Baptismum; per hoc autem nihil Patres insinuant de oratione distincta, sicut si in forma absolutionis deberet ex necessitate dici, *Ego te auctoritate sanctissimæ Trinitatis absoluo*, iure merito diceremus inuocari in ea forma sanctissimam Trinitatem; per hoc autem ablatiuus ille non faceret orationem distinctam.

Secundò dico, Solutionem obiectionis non pendere vllo prorsus modo ab hoc puncto, sed à veritate illa vniuersali, quam nos statuimus suprà, scilicet cùm primùm ponuntur verba necessaria & sufficientia pro effectu Sacramenti eò ipso illum causari siue interim addantur alia verba implicitè contenta in prioribus siue non contenta, & siue illa sint per modum orationis distinctæ siue per modum eiusdem: si enim additio verborum, quæ implicitè continentur in prioribus & quæ non sunt necessaria, non suspendit effectum Sacramenti, etiamsi illa addita sint per modū vnius orationis cum priori, multò minùs additio eorum, quæ non continentur implicitè suspendet effectu Sacramenti, quando ea additio non est necessaria, etsi sit per modum vnius orationis, quia non continentur in prioribus, multò magis adhuc facit illa verba esse extra Sacramentum quàm si continerentur: quando quidem neque implicitè neque explicitè ad illud pertinent. Non ergo petenda solutio ex eo quòd τὸ *In nomine Patris, & Filij*, &c. sit noua oratio, sed ex eo quòd sint verba non necessaria; pro effectu autem Sacramenti non expectatur finis totius orationis, sed vt sit sensus perfectus quatenus ad Sacramentum pertiner, siue adhuc sequantur aliæ particulæ per modum eiusdem orationis, non tamen turbantes priorem significationem, siue non.

SECTIO VI.

Quem sensum habeant ea verba.

28 SVPPONO ex dictis suprà Sacerdotes habere potestatem absoluendi a culpa & pœna; quando ergo homo non est absolutus facilis est verborum sensus, scilicet *Te absoluo à culpa & pœna*. Est ergo difficultas, casu quo iam anteà esse remissa culpa & pœna: tunc enim nihil videtur remanere à quo absoluatur: ac proinde videtur illa verba falsò tunc proferri. Quæ difficultas etiam militat contra illos, qui dicunt Sacerdotem solùm posse absoluere, vel a pœna vel ab obligatione comparendi, non autem à culpa; nam iam ab ipso potest supponi absolutus per præcedentem confessionem, cùm non teneatur bis eadem peccata confiteri.

SVBSECTIO PRIMA.

Proponuntur varia sententia.

Varia sententia de sensu verborū absolutionis relata.

SCotus & Caietanus apud Patrem Suarez disp.19. sect 2. num. 10 opinantur τὸ *Te absoluo à peccatis tuis* intelligendum cum hac tacita conditione *quantum indiges*, hæc tamen sententia nudè sumpta falsa est, quia quando nullo modo indigeret, nulla esset absolutio, & absolutè loquendo nullus etiam esset effectus verborum; & verò sub ea tacita conditione etiam posset dici *Absoluo te* etsi ille nulla peccata haberet.

Diuus Thomas quæst. 84. art. 3. ad 5. ait τὸ *Te absoluo* idem esse ac si diceret, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*. Verùm neque hæc explicatio sufficit, quia sequitur, illa verba esse reflexa supra se, & solum significare seipsa; nã Sacerdos ex ipso Sacramento nihil dat nisi verba. Dico *ex Sacramento*: nam effectus remissionis peccati & productio gratiæ non sunt Sacramentum, vnde dicere, *Confero tibi Sacramentum*, nihil denotat immediatè de gratia aut remissione ipsa; esset ergo ea reflexio verborum adæquatè supra ipsa verba, hoc autem & fortè omino repugnat, & cùm nihil aliud significet non potest explicari, cur magis faciat Sacramẽtum Pœnitentiæ quàm aliud quodlibet: nam quòd verba de se dicant, *Ponimus nos* à parte rei non spectat ad confessionem potiùs quàm Extremam Vnctionem.

29 *Sententia P. Coninch de sensu verborum absolutionis.*

P. Coninch disp. 4. dub. 8. ait ex peccato etiam remisso manere semper quandam indignitatem, ratione cuius cæteris paribus, qui peccauit minùs dignus est beneficiis diuinis quàm qui non peccauit; sicut in humanis si duo Regis amici nobilitate, diuitiis, &c. omino æquales, vnus offendisset antea Regem, alius non, procul dubio licet offensa esset iam dimissa, minùs dignus esset nouo fauore regio, qui illum offenderat quàm alter; hanc indignitatem dicit semper in hac vita durare, imò nunquam in se minui, quia cæteris paribus, semper qui peccauit est indignior beneficio præ illo qui non peccauit. Addit tamen indirectè eam minui quatenus augetur gratia, quæ proponderat ex altera pene perinde ac si relicta in plumbo tota ipsius grauitate Deus semper adderet qualitatem aliam leuem quæ illud traheret sursum; semper quidem esset ibi impedimentum ne plumbum ascenderet in altum, & semper ex se illa grauitas traheret deorsum, semper tamen minueretur per contrariæ qualitatis additionem; esset ergo etiam tunc verum, cæteris paribus, ob eam grauitatem minùs trahi in altum plumbum illud. Hinc explicat, quomodo semper in omnibus confessionibus propriè sint vera illa verba, quatenus semper absoluitur homo ab ea indignitate, licet quoad pœnam & culpam omnino iam sint peccata remissa: & ad hoc inducit verba illa Dauid, *Amplius lauame ab iniquitate mea*: quam tamen iam sciebat sibi esse remissam. Hanc Patris Coninch doctrinam tetigimus Tomo 7. de Sacramentis, cuius examinationem fusiorem huc relicimus.

Psalm. 50.

30 *An per absolutionem remissum peccatum quoad culpã & pœnam maneat adhuc aliqua in homine indignitas, qua per sequentes absolutiones tollatur.*

Fateor quidem hæc acutè excogitata: mihi tamen nec vera nec solida videntur: nam cum dicat illam indignitatem semper durare in hac vita, non tamen in altera, videtur gratis omnino discurrere: & verò si ratio ipsius quidquam probat, illud sanè, non minus in altera durare, cùm etiam tunc sit verum dicere, Hic offendit olim Deum, alter verò non: ergo si in reliquis duo illi sint omnino pares, semper verum erit dicere, Ille qui peccauit est minùs dignus fauore Dei: quòd enim de facto Beati non impediantur peccatis præcedentibus à nouis beneficiis accipiendis, non probat eos non habere eam indignitatem, sed Deum illam non considerare sicut etiam in

hac vita sæpè non denegat Deus beneficia propter peccata dimissa, cum tamen in ententia ipsius P. Coninch semper etiam in iustis duret ea dignitas. Quòd si dicas eam in se destrui posse,& ita fieri in Beatis,cur quæso non etiam aliquando saltem destruitur in viatoribus? vel vnde id potest inferri? Porrò eam indignitatem posse destrui etiam in hac vita omnino est mihi certum:nam cùm ea consistat in indecentia peccati præteriti,mortaliter apud Deum permanentis, procul dubio potest Deus illam destruere condonando ex integro offensam, non secùs ac destruit offensam habitualem,& non solùm vt contendit P. Coninch per contrapositionem gratiæ illam minuere sed independenter ab vlla infusione gratiæ eam tollere. Tunc autem licet verum sit, cæteris paribus, minùs dignum esse eum qui peccauit,quàm qui non peccauit; inde tamen nihil concluditur de duratione eius indignitatis:quia tunc repugnat intelligi cætera esse paria;nam per condonationem ipsam formaliter efficitur,ne possint esse cætera paria. Condonatio enim non potest esse respectu illius,qui non peccauit: per eam autem iam redduntur illi pares,vt quidquid habebat malè per peccatum,sit ablatum per eam condonationem.Habet autem hoc adhuc maximè locum,quando ex parte ipsius hominis ponitur actio,qua compensatur illa offensa(vt pro venialibus saltem potest offerri,& tamen ipsa venialia sunt materia sufficiens pro confessione secunda;)etenim eo casu cùm vnus obtulerit Deo compensationem,alter non,clarissimè constat non posse esse cætera paria inter illos:quòd erga eo indignitas omnino possit tolli,non videtur mihi vllo modo dubium.

Iam verò si semel hoc supponamus, videtur etiam longè probabilius re ipsa & de facto tolli;vel quia Deus illam omnino condonat per Sacramentum intuitu maximè meritorum Christi,quæ in Sacramentis operantur: vel quia pro venialibus potest iustus tot actus bonos offerre, vt illi extinguant eam indignitatem.

31 *Obiectio.*

Dices,Hos actus,etsi æquales ei peccato,non tamen iuuare ad hanc extinctionem, quia toti occupantur in merito augmenti gratiæ & gloriæ vt diximus alibi. Sed contra:nam etsi in ordine ad satisfactionem pro culpa & pœna non habeant vim ob rationem datam:tamen vt eam indignitatem tollant, cùm ea non sit vlla culpa, nec propriè ratione illius habeat Deus vllum ius,cui cedat,non videtur negari, quin non obstante merito gratiæ possint etiam tollere eam indignitatem. *Soluitur*

Quidquid autem de hoc sit, Secundò sic argumentor;Nam licet admittamus eam indignitatem, non conducit tamen ad respondendum præsenti difficultati;nam iuxta eam doctrinam, absolui ab hac indecẽtia cum ipsa in se non minuatur,nihil aliud erit formalissimè quàm augeri gratiam habitualem,quæ ponderat contra eã indecentiam. *Ergo tò Absolvo te à peccatis tuis* nullum alium habet effectum & significationem hîc & nunc quàm confero tibi gratiam,& consequenter per actum eleemosynæ, qui etiam auget eamdem gratiam & per illam minuit eam indignitatem,deberet dici æquè propriè homo absolui à peccatis ac per absolutionem Sacramẽtalem:id quod absurdum est & contra hunc ipsum Auctorem; cuius doctrina ad hoc erat directa,vt alius effectus distinctus ab infusione gratiæ inueniretur, qui significaretur per ea verba, Pater Suarez ait ea verba significare *Confero tibi gratiam quantum est ex se remissiuam peccati.* Contra hanc explicationem argumentatur Lugo num.72. Quia ea verba ex hominum institutione non habent vllo modo significare gratiæ infusionem pro quo aduertendum est(quod fusiùs in materia de Sacramentis diximus) verba Sacramentorum duos habere significationes,vnam sibi connaturalem, id est, quam ante omnem institutionem Sacramenti habebant, alteram mysticam ex ea institutione Christo Vti *tò Baptizo* significat id ipsum quod anteà significabat, id est *Lauo te physicè*: & idem est in Matrimonio,*Accipio te in meam*,&c. quando ergo quærimus quæ sit significatio mystica seu Sacramentalis ei à Christo superaddita sed quæ sit naturalis, quam, antequam hoc Sacramentum institueretur,habebant, & quam etiam nunc debent retinere tamquam fundamentum, supra quod debet cadere Sacramentalis. Hoc ergo sensu dicit hic Auctor ea verba non posse significare Infundo tibi gratiam habitualem remissiuam peccati, quia hoc homines non intelligunt per *tò Absolvo te à peccatis tuis*: adhuc ergo non satisfit propositæ quæstioni.

Verba Sacramentorum habent duas significationes.

SVBSECTIO SECVNDA.

Discutitur sententia Cardinalis Lugo.

QVi docet sensum illorum verborum esse, *Ego te absolvo à vinculis*, vel *Tibi remitto offensam diuinam*,additque eum sensum verificari etiam quando datur Sacramento validum & informe eo modo quo sunt vera Episcopi verba dum in consecratione Sacerdotis dicit,*Accipe Spiritum sanctum*, &c. quem tamen,si nouus Sacerdos sit in peccato mortali, sine dubio non suspicit, esto suscipiat verum Sacramentum:rationem addit:nam verba hæc, *Ego te absolvo*, dicta à Sacerdote qui non est Dominus absolutus, sed minister cum potestate limitata, non habent sensum omnino absolutum, sed limitatum, scilicet si adsint requisita;sicut iudex ordinarius, quando declarat aliquem esse innocentem, vel delinquentem, verba illa non faciunt sensum omnino non absolutum, sed limitatum, scilicet *secundùm allegata & probata*. Vt autem ostendat quomodo verificentur,quando iam peccata sunt dimissa,vbi maior est difficultas,ait, vti non mentitur,qui post dimissum semel debitum iterùm rogatus dicit se dimittere,& qui semel se obligauit,& semel vouit aliquid,potest se iterum & iterum obligare & vouere, ita Sacerdotem nomine Dei remittentem peccata posse etiã supra remissa dicere Secundò, *Ego ea tibi remitto:* remittere enim est obligare se per cessionem iuris ad non vtendum iure acquisito ad talem effectũ,neque enim ad renuntiandum est necessum sum,quod actu si nostrum id cui renunciamus; sicut per professionem religiosam repetitam renuntiamus carni,&c.cui tamen iam renuntiauera-mus per primam professionem:ponimus ergo per nouam cessionem nouum titulum, seu nouam obligationem, ad non vtendum iure quod habuimus.Gratiam autem ait significari per hæc verba *Absolvo te* solùm arguitiuè, quatenus remissio peccati ex lege Dei non fit sine infusione eius gratiæ.Id quod habet locum etiam si confessio sit de solis venialibus, quia etiam tunc si quis oblitus est mortalis, & de illo habet dolo-

32 *Sententia Cardinalis Lugo de sensu verborum formæ absolutionis.*

rem

tem,remittitur etiam illud, ergo per gratiam;remitti verò constat,quia ex lege ordinaria non remittuntur venialia sine remissione mortalis.Potestque id etiam Secundò explicari, quia venialia non remittuntur de facto sine gratia.

33 *Obiectio prima.* Quòd si huic Auctori obijcias ,*tò Absolvo te* non significat actualem ablationem vinculi, ergo poterunt verè dici ea verba,esto homo nullum habuerit peccatum; nam peccatum iam dimissum non magis nunc ligat,quàm quod numquam fuit; negat consequentiam,quia si peccatum non extitisset , non fuisset verum peccatum, sed chimæricum:vt si quis me absolueret ab occisione Angeli,esset nulla absolutio,si nó haberem aliam materiam,esset ergo tanc propositio, vt dici solet , de subiecto non supponente.Præterea Deus nullum ius tunc acquisiuit,ergo non potest vlli renuntiare;at quando verè fuit anteà peccatum, adhuc secunda remissio est vera remissio,quia versatur circa verum obiectum,quod Deus iterùm vult vt non perseueret.

Responsio.

Obiectio secunda. Obijcit autem Ipse sibi contra hanc solutionem,quòd etiam in Sacramento Extremæ Vnctionis dicatur, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*,&c.& tamen esto non peccauerit homo ille,habet suum effectum; ergo idem erit in pœnitentia. Respondet Primò, Extremam Vnctionem magis dari ob confortandum infirmum, quàm ob remissionem peccati, ac proinde ,non ita pendere à præteritione peccati , sicut pendet pœnitentia. Secundò ait probabilius esse,neque Extremam Vnctionem esse validam,si non præcessit aliquod peccatum.

Responsio prima.

Secunda.

Obiectio, tertia. Tertiò principaliter sibi obijcit;Nam si quis solutus sit ius à vinculis corporeis,quibus anteà tenebatur,non potest verè aliquis illi dicere;*Ego te absolui à vinculis*;ergo ei, qui à vinculis animæ solutus est, non potest dici, *Solue te à vinculis*.Negat consequentiam , quia in casu obiectionis propositio habet solùm pro obiecto immediato ipsam solutionem vinculi corporei,quæ si re ipsa,non ponatur à me,erit falsa propositio at affirmatio solutionis vinculi spiritualis habet pro obiecto immediato non ablationem externam vinculi , sed actum voluntatis meæ,quo interiùs ego cedo iure aquisito ex offensa,& obligo me ad non vtendum eo iure in eos vsus, ad quos poteram; affirmatur ergo actus voluntatis, qui est cessio, remissio,condonatio,seu voluntas me obligandi;potest ergo repeti,quia licet homo solutus à vinculis corporis non possit secundò solui, offensa tamen potest secundò remitti,quia potest creditor iterùm se obligare ad non petendam rem illam.

Responsio.

34 *Replica: Solvitur* Replicat tamen adhuc contra Ergo poterit matrimonium secundò & tertiò cum eadem iniri, si illa prior donatio repetatur Respondet,Posse quidem coniuges se de nouo obligare , ac sibi promittere , has tamen secundas promissiones non fore matrimonium:hoc enim consistit in traditione actuali, qua se tradit, & quâ introducit coniugem in possessionem actualem;ea autem introductio non potest repeti:possunt tamen sponsalia repeti quia non afferunt vllam actualem traditionem aut introductionem,non tamen matrimonium.

Iudicium de sententia Cardinalis Lugo de forma absolutionis. Hæc sententia mihi semper est visa valdè difficilis,& viros valde doctos de ea loquentes audiui sæpè,qui planè dicebant se non posse vllo prorsus modo capere veram actualem absolutionem,quando præcedens ius ex integro est solutum. Benè enim capimus,eum,qui ligatus est, posse secundò & tertiò ligari,id quod probant instantiæ allatæ de voto repetito, le renouatio e professionis religiosæ,&c.at eum,qui caret omni vinculo , solui tamen à vinculo est penitus imperceptibile,siue id sit intelligendum de vinculo corporali,siue de spirituali;quia pro hoc puncto reuerà ea differentia est plane materialis,cum absolutio omnis in suo genere requirat vinculum: sicut enim se habet absolutio materialis ad vinculum materiale,ita spiritualis ad vinculum spirituale.Intelligitur præterea optimè, eum,qui est indutus posse adhuc nouas vestes accipere,& secundò tertioque indui,at eum,qui omni omnino veste caret,posse spoliari vestibus,& posse ei auferri vestes , est minus intelligibile;ergo ab illo, qui caret peccato , non minùs quàm si numquam peccasset,nemo potest auferre peccatum; ergo cùm ea verba , *Condono peccata . Absolue te à peccatis* , idem omnino sint ac *Auferò à te tua peccata* , *Destruo tua peccata* . *Libero, te à tuis peccatis* , *Deleo tuá peccata*, sit autem tunc falsissimum , *Auferò à te peccata* quia quod non est non potest auferri, sit etiam falsum *Destruo tua peccata*,quia quod non est non destruitur,sit falsum. *Libero te à tuis peccatis*;quia nemo potest extrahi è carcere vbi carcer est nullus , sit etiam falsum,*Deleo tua peccata*; quia ex pagina albissima, vbi nihil est scriptum, deleri nihil potest,etiamsi anteà fuisset tota nigra;ego sanè non capio,quomodo ea verba vera esse possint tunc vllo modo Quòd enim hic Auctor ait, Remittere esse se obligare ad non vtendum iure antiquo, & quòd homo possit se obligare se. undò & tertiò ad idem, hoc inquam habet varias & grauissimas difficultates contra se:prima est,nam, vt ipse aut exprese num. 73. remittere non est vtcumque se obligare ad non vtendum iure antiquo, sed id debere fieri per cessionem iuris. Hinc enim argumentor euidenter : Qui penitus nullum habet ius, non potest cedere iure, vt ex terminis patet : ergo licet possit dicere.Ego me obligo ad non vtendum iure antiquo,non potest dicere , *Ego me nunc ad id obligo cedendo simul iure* : ergo etiam ex verbis huius Auctoris non potest esse tunc remissio illa.

35 Confirmo & explico per manifestam instantiam:Nam si mihi Petrus debuisset mille,& consequenter ego habuissem ius contra illum:postquam tamen ille mihi dedit illud mille , nemo admittet, posse me verè dicere illi, *Ego tibi condono debitum , ego tibi remitto debitum* : licet enim possim dicere.*Ego voueo,ego me obligo ad non petendum à te quidquam ratione debiti antiqui* : si tamen ille iam restituit mihi meam pecuniam,nónne nugatoriè & ridiculè dicerem illi, *Ego tibi remitto debitum , ego te absolue ab obligatione restituendi* : possum quidem approbare , seu gaudere quòd remiserim;at nunc de præsenti remittere,nunc cedere iure,nunc delere syngraphamiam deletam & laceratam , est planè inexplicabile.

Quando Deus peccatum integrè condonauit , nihil amplius restat habere in homine vnde illius petatur.

Secunda difficultas contra eam obligationem, per quam explicatur ea remissio, est:Nam postquam iam est ex integro deletum peccatum,Deo est omnino impossibilis & consequenter chimærica repetitio iuris seu vsus antiqui iuris in ordine ad odium;quomodo ergo possumus concipere,Deum se nunc obligare ad non faciendum id quod est ipsi planè implicatorium; Potéstne Deus nunc dicere, Ego me obligo de nouo &

cedo meo iure ad non peccandum, obligo me quòd non velim desinere esse Deus, aut quòd non velim meipsum annihilare, aut producere chimæram? Poterit quidem dicere, *Placet mihi: quòd non possim peccare*, aut *quòd non possim corrumpi, desinere esse*, &c. at *Obligo me ad id* non potest admitti; & in hoc est magna differentia inter nos & Deum, quòd nos etiam, postquam per votum aut alio modo sumus obligati ad aliquid faciendum, possumus tamen physicè illud non facere; ac proinde habet locum noua obligatio, vt reddamur per illud semper difficiliores; quia difficilius peccamus, quando plures habemus rationes, quæ nos possunt terrere. At si res esset nobis physicè omnino impossibilis profectò dicere, *Ego me obligo ad hoc vt non sim Angelus per naturam*, est plane obligatio ridicula. Cùm ergo Deus, eo ipso quòd semel perfectè condonauit, non possit secundò vti iure, & quidem eadem impotentiâ, qua non potest peccare, & qua non potest non esse Deus, ridiculum est, quòd ille in ea absolutione secunda dicat, *Me obligo ad non vtendum secunda eo iure*, est etiam in hoc magna diuersitas in obligatione ad faciendum & obligatione ad non faciendum. Nam etiam Deus potest rem, quam semel promisit promittere secundò; quia ea est promissio de re possibili & circa possibilia cadunt multæ obligationes liberæ; at circa id quod est impossibile etiam metaphysicè ridicula est obligatio illud non faciendi, multò autem magis videtur tunc ridicula cessio iuris ad id faciendum: quale enim ius erit ad impossibile?

36

Tertiò. Principaliter contra eam sententiam argumentor, vrgendo obiectionem ab hoc Auctore positam, & meo iudicio non solutam: Nam iuxta hanc explicationem debet dici, posse dari remissionem & absolutionem verè & propriè, etiamsi re ipsa nullum omnino præcesserit peccatum, quòd enim respondet, Tunc absolutionem esse de subiecto non supponente, seu de peccato chimærico, perinde ac si me absolueret quis de occisione Angeli, hoc inquam nullo modo satisfacit; nam esto olim fuerit peccatum, si iam re ipsa non est, etiam ego dicam absolutionem esse de subiecto non supponente, & de peccato chimærico, quia absolutio est de præsenti, de præsenti autem nullum est peccatum, à quo absoluatur: quòd enim nunc non est, quantumuis olim fuerit, tam nihil est de præsenti, quàm si non fuisset vmquam. Et sicut quòd olim aliquis habuerit vestes, si iam eas non habet, est planè impertinens ad hoc, vt de præsenti ego dicam. *Exuo te vestibus*; ita qui de præsenti non habet vllum peccatum esto anteà habuerit, omnino est incapax vt ego verè de illo dicam, *Aufero à te tua peccata*: quoad punctum autem se obligandi ad non vtendum vllo iure contra illum etiam est locus: licet enim anteà non habuerim vllum ius, possum nunc dicere, Ego me obligo ad non vtendum illo iure, quod habuissem, si peccasses, quo casu ius illud nequaquam est chimæricum, sed illud idem quod esset eo casu; & in hoc est maxima differentia inter hoc ius & alterum ob occisionem Angelicam; nam hæc est omnino chimærica, illud verò esto non existat, nec extiterit, potuit tamen & potest illud idem apprehendi ex parte obiecti perinde ac si existeret actu, ergo de præsenti est eadem ratio in vtroque casu.

Quartò argumentor ex illa instantia de solutione physici vinculi, in qua non potest quis de præsenti dicere verè, *Ego te absoluo*, quando non est ligatus, ergo neque in nostro casu: illa enim responsio, quòd hæc propositio feratur ad vincula ipsa physica, quæ tunc non sunt, absolutio autem à peccatis feratur ad actum voluntatis interiorem, quo ego condono; hoc inquam est difficile; Primò, quia in illo ipso actu voluntatis, qui tunc habetur pro obiecto, formabo ego idem argumentum: ille enim actus vult tollere peccatum; est autem impossibile tollere id quod non est, & cedere iure quod non habeo; neque in eo actu potest recurri ad alium tertium voluntatis, qui sit obiectum. Secundò ea responsio est difficilis, quia condonatio (iuxta hunc Auctorem) non habet pro obiecto actum vllum voluntatis, sed chimæricam quandam impossibilitatem, seu vult quòd peccatum præcedens non causarit ius ad offensam; & dum condonatio vult directè hoc obiectum impossibile, in actu exercito tollit peccatum. Arqui quando nullum est peccatum, nullus actus diuinus potest in actu exercito tollere peccatum; ergo nullus potest esse condonatio nō solùm prima, sed neque secunda; quia quod non est non potest nec primò nec secundò tolli. Dein de peccatum iam pro eo tempore nullum fundat ius; ergo ibi iam non habet locum obiectum illud impossibile condonationis. Præterea quod respondet, quando datur Sacramentum pœnitentis informe, absolutionem esse validam; quia Sacerdos non absoluit tamquam potestatem habens, sed cum limitatione, *Si cetera adsint*, etiam non placet; quia planè per hoc videtur ostendere illam formam absolute non esse veram, quia cùm dicat *Absoluo te si cetera requisita adsint*, & ea conditio verè non subsistat, re ipsa & absolutè nullo modo absoluit; quomodo ergo est validum Sacramentum? Certè eo sensu esto quis non habuisset vllum prorsus peccatum, posset eodem modo conditionatè dici validè, *Absoluo te si cetera adsint*; cur enim tunc non posset id dicere eadem veritate, quâ quando deest dolor de peccato per obliuionem non dicto dicitur, *Ego te absoluo si cetera requisita adsint*, cur ergo magis in vno casu erit validum Sactamentum quàm in alio?

Nō magis potest solui à vinculo spirituali, qui non est ligatus spiritualiter, quàm à corporali qui nō est corporaliter ligatus.

37

Vltimò argumentor; Quia nemo potest rem, quam alteri vendidit, aut donauit, donare secundò: esset enim ridiculum dicere hodie de re, quam ante decem annos Petro donaui, *Ego tibi hanc donum hodie dono*; ergo nec potest condonare iniuriam condonatam antè, quia condonatio est quædam species donationis: & hinc obiter obserue, non sufficienter explicari ab hoc Auctore, cur non possit matrimonium cum eadem secundò & tertiò contrahi; quod enim dicat illud non constitui per promissionem quamcumque, sed per illam quæ est traditio & introductio coniugis in possessionem, non videtur omnino verum: etenim ad matrimonium non requiritur physica vlla introductio, aut traditio distincta ab ea, quæ consistit formaliter in donatione ipsa, seu in voluntate, qua inuicem se obligant (vt clarè patet in matrimonio contracto per Procuratores,) ergo si hæc obligatio, seu donatio potest secundò & tertiò fieri, poterit etiam secundò & tertiò contrahi matrimonium; debet ergo consequenter dici, vti nemo donare potest id quod nō est suum, ita post semel donatum ius in corpus non posse secundò donari, & inde oriri repugnantiam, ne secundò contrahatur matrimonium

ergo

ergo (vt ad materiam nostram redeamus) non poterit esse condonatio eius iuris, quod iam non est Dei; ac proinde nec poterit esse vera & propria condonatio peccati iam remissi.

SVBSECTIO TERTIA.

Quid sit tenendum in præsenti.

38 *Verus sen. sus verborum formæ absolutionis Sacramentalis*

DIcendum igitur censeo cum Patre Suario suprà, Sensum horum verborum *Ego te absolvo* esse, *Ego confero tibi gratiam ex se remissiuam eius peccati quod commisisti, si remissum autem non est, illud tibi remitto*: per hanc enim explicationem clarissimè saluatur veritas eorum verborum. Colligitur etiam non posse dici, nisi re ipsa præcesserit peccatum in eo homine, quia dico *gratiam remissiuam peccati quod commisisti, & illud tibi remitto, si non fuit remissum*: quæ duo dici non possunt quando nullum præcessit peccatum. Iam solùm videtur restare illa difficultas, quam ex Lugo tetigimus suprà, quòd hæc verba in sua naturali significatione non significent gratiam; ad Sacramenti autem significationem debeat præsupponi significatio naturalis. Ante responsionem tamen aduerto, hunc Auctorem etiam nolentem consensisse in hanc sententiam; nam hoc eodem Tomo disp.7.numero 160. & sequentibus tractans quomodo absolutio Sacerdotis præcedat naturâ remissionem peccati, quandoquidem ipsa absolutio est remissio, ait (& quidem optime) Quando Deus remittit peccata per infusionem gratiæ, & non per solam condonationem extrinsecam, vti de facto facit, illam remissionem Sacerdotis esse eamdem cum remissione Dei; vtramque verò non esse formalem remissionem, sed radicalem, hoc est, esse voluntatem dandi gratiam, per quam deinde peccata tollantur; vnde optimè posse eam absolutionem esse priorem natura, & infusione gratiæ, & remissione formali peccati. Vides eum iam explicare ea verba absolutionis directè ad gratiam, & hac mediante ad remissionem peccati. Hoc ipsum ergo nos cum Patre Suario dicimus, quo posito,

Ad argumentum respondeo Primò, Fortasse non esse necessum vt pro Sacramentis semper verba accipiantur in sua significatione, quam ptiùs habebant; ita enim multi dicunt τὸ *Baptizo* directè significari ablutionem spiritualem. Secundò tamen (quidquid de hoc sit) respondeo, Ea verba significare etiam hîc & nunc gratiam iuxta significationem humanam. Nam homines dum dicunt, *Ego tibi parco*, planè significant *Ego te in gratiam recipio vti antea eras*, seu *Restituo te in statum pristinum*. Cùm ergo homines de facto apud Deum ante commissum peccatum in gratia fuerint, idem est dicere nomine Dei (vti loquitur ibi Sacerdos) *Ego tibi condono offensam* ac dicere, *Recipio te in statum antiquum*, seu *Ego te recipio in meam antiquam gratiam*. Dixi id dicere Sacerdotem nomine Dei & vt ipsius vices gerentem; quia si suo tantùm nomine loquetetur, haud dubiè nihil de gratia habituali significaretur, sed solùm de amicitia aut affectu, qualis solet esse inter homines. Per hoc tamen neque in minimo officitur nostræ

Absolvo in certo circumstantiis, prolatum significat etiam vulgò recipere in gratiam.

39 sententiæ, Id quod ostendo euidenter in Sacramento Eucharistiæ: si enim Sacerdos nihil prorsus præmittendo, vnde determinet sua verba ad Christum loquentem, dicat supra debitam materiam cum animo seriò consecrandi, *Hoc est corpus meum*, consecrabit valide in omnium omnino sententia tamen tunc illa verba, si considerentur secundùm se, non significant corpus Christi, sed potiùs corpus ipsius consecrantis; nam τὸ *meum* in sua naturali significatione, quando nihil aliud est præmissum per quod determinatur ad significandum pro alio est vox, reciproca suprà ipsum loquentem & tamen quia ille inducitur loquens nomine Christi, iam directa significatio eius vocis *meum* non est ipsius loquentis, sed Christi. Posui autem casum quando Sacerdos nulla priora verba dixit; tunc enim habet clarissimè vim meum argumentum; si enim dixisset Christum accepisse hostiam, &c. & protulisse talia verba, tunc clarè τὸ *meum* etiam in naturali significatione ad Christi corpus referretur; quando ergo nihil additur, tunc instantia est clarissima pro me. Dico ergo, Cùm Sacerdos dans absolutionem inducatur eam dans nomine Christi, seu Dei (licet ea verba, *Ego te absolvo* si nudè considerarentur, nihil dicitur de gratia) absolutè tamen hic & nunc eam directe significare, quia Deum dicere *Ego te recipio in meam priorem gratiam*, sine dubio est significare directe gratiam habitualem & delectionem præcedentium peccatorum. Et hinc etiam apparet, quomodo prædicta forma non habeat locum, quando non præcessit vllum peccatum, quia tunc non dicitur verè *Recipio te in meam gratiam*: cùm enim eã nõ amisisset, non poterat verè dici *Restituo te in eã*. Potest tamen secundò & tertiò recipi per nouæ & nouæ gratiæ donationem.

Obiectio prima.

Contra hæc tamen potest obijci Primò, Quando confessio fit de solis venialibus, tunc non supponitur homo amisisse gratiam; ergo malè tunc dicitur *Restituo te in eam*; nemo enim restituitur in id quo non caruit. Respondeo, Venialia, etiamsi non destruant amicitiam cum Deo, causare tamen aliquam offensionem & displicentiam Dei in hominem illum; vnde meritò, dum ea remittuntur, dici potest homo recipi in antiquum statum, & in amicitiam sine næuo; vt sic dicam; hoc autem non fit à Deo nisi infundendo gratiam habitualem.

Responsio

40 *Obiectio Secunda.*

Secundò & grauiùs obijcies, Nam per hoc relabimur toti quanti in difficultates suprà tactas; quando enim homo confitetur sola peccata iam dimissa & condonata, non potest illi dici cum vero sensu, *Recipio te in antiquum statum*, nec potest dici, *Deleo iam nœuos aut maculas*, &c. ergo iam tunc illa verba non habent sensum verum. Respondeo, Me solùm dixisse, ea verba significare directè gratiam, & per eam significari remissionem peccati, de quo ille iam fuerat confessus, si adhuc non est remissum; si verò est remissum tunc verificari verba ratione infusionis gratiæ. Neque ego contendo hîc & nunc significari receptionem in gratiam & restitutionem in antiquum statum actualiter tunc factam, sed significari gratiam, quæ habeat vim illum restituendi; sensus ergo est, *Do tibi meam gratiam, quòd si hæc peccata, de quibus te accusas, non sunt adhuc extincta, extinguantur*: hæc autem verba habent sine dubio suum effectum prima erium etiam quando iam sunt extincta peccata, quia tunc infundunt gratiam; & in hoc sensu ego intelligo Diuum Thomam dum ait ea verba significare idem quòd *Sacramentum absolutionis tibi impendo*; hoc est *Tibi do gratiam eo animo vt ab his peccatis absolvaris*: etenim cùm omnia

Responsio

Quid significet Absoluo cum dens supra peccata iam remissa.

nostra

nostra Sacramenta sint collativa gratiæ, quando D Thomas ait ibi denotari, *Sacramentum absolutionis tibi impendo* per *tò Sacramentum* quod ponit loco generis, idem intelligit quod *Concedo tibi id quod omnia Sacramenta concedunt, id est gratiam*; per *tò* verò *absolutionis*, quæ est differentia, intelligit Sanctus Doctor gratiam vt absoluaris ab his peccatis, quæ commisisti, intellecta tamen conditione, *Si adhuc ea non sunt remissa.*

Obiectio tertia. Obiicies Tertiò, & sit replica contra dicta; Quia omnia Sacramenta dant gratiam habitualem, quæ est remissiua peccati; ergo nondum explicatur propria significatio eorum verborum prout pertinent ad formam Sacramenti Pœnitentiæ, Respondeo Primò, Per alia Sacramenta non concedi gratiam eo fine vt remittantur peccata, sed supponi iã remissa, & potiùs dici, *Augeo tibi gratiam.* Secundò dico, Per *tò & remitto tibi peccata*, &c. explicari propriù finem huius Sacramenti & proprium sensum eorum verborum.

Responsio prima.

Secunda.

41 *Obiectio quarta.* Obiicies Quarto & vltimò; Si admittimus eum sensum conditionatum, *Remitto tibi si adhuc indiges*, possumus etiam admittere explicationem Cardinalis Lugo, vt ea verba significent absolutionem conditionatam; nec erit necessum recurrere ad explicationem de gratia, Respondeo Licet tunc verba essent vera, quia verè diceretur, *Absolue te si non es absolutus*, non tamen posse aliunde sustineri eam explicationem, quia tunc nihil absolutè de præsenti ea verba significarent practicè; non absolutionem, quia cùm conditio illa non subsistat, non potest absolutè eam causare; non gratiam, quia eam non significant; ergo nihil significarent practicè: vt ergo aliquid in eis admittamus, circa quod verè possit ea causalitas saluari, ponimus eam significationem; Sacramenta enim nostra, quandò valida sunt, & subiectum est dispositum, debent causare quod significant, saltem inadæquatè. Neque instantia suprà allata de Episcopo consecrante Sacerdotem ac dicente, *Accipe Spiritum sanctum*, quem tamen re ipsa non accipit; vnde inferebatur, posse conferri validum Sacramentum etiam per verba, quæ absolutè non videntur vera; ea inquam nobis non obest; nam (vt dixi Tomo 7. agens, Vtrùm possit dari Sacramentum hoc validum & informe, vbi etiam hanc instantiam tetigi.) Sensus eorum verborum ibi non est de gratia habituali, seu de receptione Spiritus sancti per gratiam habitualem; quo sensu falsa tunc ea sunt; est ergo sensus de receptione Spiritus sancti in ordine ad concedendam remissionem peccatorum, ac si diceret, *Accipe virtutem Spiritus sancti in ordine ad remittenda peccata*: hanc autem virtutem omnino recipit, ideoque tunc sunt absolutè vera verba illa, & fusè eodem loco ostendi, numquam confici validè Sacramentum vllum, nisi forma, qua conficitur, absolutè sit vera. In Extrema Vnctione verba non sunt assertoria, sed deprecatoria; esse autem potest optimè tunc deprecatio, esto non sequetur vllus alius effectus.

Obiectio quarta.

Responsio.

DISPVTATIO L.

An absolutio dari possit sub conditione absenti, & simul à duobus.

1 EXPLICATA forma absolutionis oportet hæc proposita dubia explicare ad exactam intelligentiam Sacramentalis absolutionis.

SECTIO I.

Ratio dubitandi circa primum punctum & varia sententiæ.

VNIVERSALITER agentes de formis Sacramentorum diximus eas posse dari sub conditione, dummodò ea sit de præsenti aut præterito, seu quæ iam sit expleta; hoc enim modo non differtur effectus Sacramenti Conditiones verò de futuro dixi non posse opponi, quia reddunt suspensum effectum; est tamen hîc specialis difficultas, eò quòd in pœnitentia absolutio iudicis est aliquid morale, quod videtur posse pendere à conditione de futuro. Cardinalis Lugo benè discutit hoc punctum disp. 13. sect. 5. per totam, vbi suppresso nomine refert quemdam Theologum, qui asserùit speculatiuè esse probabile, quòd possit dari eo modo absolutio de futuro; vti in Sacramento Matrimonij hodie vnus coniunx dat consensum, si cras alter consenserit; altero autem consentiente eo ipso perficitur Sacramentum & habet suum effectum; vel si ambo contrahant de præsenti imponendo conditionem futuram. v.g. *Accipio te ex nunc in meam, si cras tuus parens consenserit*: ille enim contractus non sortitur rationem matrimonij, nisi cùm primùm crastina die ponetur consensus parentis.

Dupliciter huic quæstioni respondetur.

Dupliciter huic quæstioni respondetur: quidam enim dicunt, Neque in matrimonio habere locum eam conditionem de futuro. Quæ sententia (teste Thoma Sanchez lib. 8. de Matrimonio dis. 8.) est ferè omnium Theologorum cum D. Thoma: eamdem posteà secuti sunt in præsenti materia Suarez Tomo 3. disp. 13. sect. 3. Vasquez suprà art. 3. dub. 4. eamque dicit Sanchez esse probabilissimam: Ex Iuristis verò etiam adducit Couarruuias, Matienzum, Gutierrez & Nauarrum: qui vltimus etiam contrarium sentit. Hac doctrina suppositâ omnis cessat quæstio, cùm vniuersaliter eodem modo de omnibus Sacramentis discurratur, & negetur antecedens eius obiectionis.

2 Secundo modo eidem respondetur admittendo quidem id in matrimonio, negando tamen consequentiam ad absolutionem: pro quo huius solutionis Auctores conantur varias adhibere disparitates; hi sunt Thomas Sanchez suprà n. 5. Lugo ea disp. 13. sect. 6. & Coninch. dub. 1. Sanchez præterea ait eam esse communem inter Doctores Iuris Pontificij; ex Theologis citat Petrum Sotum & Paludanum. Porrò matrimonium illud esse validum probat Sanchez ex cap. *Super eo*, de conditionibus appositis: rogatus enim Pontifex, An qui per verba de præsenti contraxit sub conditione, *Si Pater voluerit*, cogendus sit impleta conditione consummare matrimonium respondet Non cogendum, nisi intercedat

tercedat voluntas Patris; supponitur ergo hac intercedente seu impleta conditione validum esse matrimonium: iudicat autem Sanchez agi in eo capite de consummatione, id est perfectione matrimonij per copulam. Ego tamen hanc probationem non iudico sufficientem, quia in casu eius capitis non dicitur eum contraxisse de præsenti, sed agitur de eo, qui in quamdam mulierem consensit; ille autem consensus videtur fuisse per modum sponsalium. Vnde Pontifex objecit sibi aliam responsionem etiam de sponsalibus datam ab Alexandro Papa &, dicit eam non esse huic contrariam; ergo vtrobique agitur de sponsalibus, & ex his decernit Papa eum cogendum ad perficiendum matrimonium. Vbi nullo modo ego copulam intelligo, quia esto matrimonium fuisset validum, non poterat ille ad copulam cogi absolutè, quia poterat fieri Religiosus ante duos menses à declarato valore matrimonij. Vnde si de copula ibi locutus fuisset Pontifex, dixisset, Cogendus, nisi ad Religionem intra duos menses transeat. Adde, Pontifices (vt modestiùs loquantur) numquam vsurpare verbum *consummare*, sed ad cohabitationem maritalem; ergo *consummare* intelligendum est de consummatione matrimonij formaliter in seipso, id est ad verè contrahendum, non de effectu secuto; ac proinde ille textus aduersæ parti potiùs fauet quàm Patri Sanchez. Eamdem probat Secundò, quia sponsalia valent cum ea conditione de futuro; ergo matrimonium valebit. Hæc tamen consequentia nulla est apud Aduersarios, quia in sponsalibus, cùm non sint Sacramentum, non est inconueniens admittere eam dependentiam à conditione de futuro. Tertiò argumentantur, quia etiam de facto matrimonium semper contrahitur dependenter à conditione futura, nempe à consensu alterius coniugis: quam rationem Lugo valdè approbat. Saluo tamen meliori iudicio, nulla omnino est; nam eo casu conditio illa futura est ipse consensus alterius coniugis; qui consensus est pars intrinseca Sacramenti: nemo autem habet difficultatem in eo, quòd non perficiatur Sacramentum antequam omnes partes intrinsecæ illius ponantur; vti in Baptismo, si ablutio præcedat aliquantulùm fortasse, non ponitur Sacramentum, nisi quando verba præferuntur; & idem est è contrario, si verba præcedant ablutionem; habetque locum id in omnibus ferè alijs Sacramentis, maximè in Pœnitentia: at nunc loquimur de conditione futura, quæ non est pars Sacramenti; ergo hæc ratio non est efficax.

3

Probabilis ratio, cur matrimonium conditionatum possit dici fortiri rationem Sacramenti impleta præcisè conditione quæ erat de futuro.

Melius ergo videtur ea sententia probari, quia Deus in hoc Sacramento non immutauit rationem contractus, sed illam assumpsit pro materia Sacramenti; atqui stando in ratione contractus, vt inducat obligationem sufficit impleri posteà conditionem; ergo nunc etiam eamdem habebit vim contractus matrimonialis. Hæc ratio est probabilior; facitque eam sententiam probabilem, non tamen conuincit, quia dicent Aduersarij, eo ipso quòd Christus pro materia huius Sacramenti posuit consensum mutuum, voluisse, vt cùm primum datur ille consensus, eo ipso debeat dari effectus Sacramenti. Cùm autem conditio futura non sit pars consensus, quia totus hic consistit in ipsius volitionibus, reliqua enim sunt extra consensum, inde fieri, vt non possit esse, quando ponitur aduentus patris, aut consensus illius; & quando ipsi contrahentes non habent iam vllum consensum, tunc primò confici ipsum Sacramentum: neque contra hoc obstet, quòd dum per Procuratores contrahunt etiam tunc Sacramentum fiat, quando non est verus consensus ipsorum; cùm tamen consensus Procuratorum non videatur esse pars Sacramenti, sed conditio ad valorem contractus sicut consensus patris: hoc inquam non obest. Primò, quia potest dici, consensum Procuratoris esse moraliter ipsorum contrahentium; id quod non potest asseri de aliis conditionibus physicis, v.g. quòd Petrus veniat, quòd Franciscus moriatur, &c. nam mors Petri non est moraliter meus consensus. Secundò, & meliùs respondetur, Ad Matrimonium præter consensum requiri etiam vt vtrique parti hic manifestetur, eam autem manifestationem fieri tunc quando Procuratores contrahunt; at conditionis positio non potest esse manifestatio consensus, vt ex se constat; ergo non potest differri Sacramentum ad illius positionem.

SECTIO II.

Proponitur nostra sententia.

PROPTER hæc, omnibus pensatis, indico probabiliorem eam sententiam Theologorum negantium, posse tunc fieri matrimonium sub ea conditione de futuro. Ne tamen ab ea opinione faciamus dependens punctum præsens, responderi cum Sanchez & alijs potest negando consequentiam à matrimonio ad hanc absolutionem, vti negatur ad cetera Sacramenta: nam vti in ceteris requiruntur necessariò verba pro forma, in hoc verò non, dicere eodem modo possumus, in hoc posse vltimum complementum illius desumi ex positione eius conditionis futuræ.

4 *Probabilius est non posse matrimonium fieri sub conditione de futuro, vt ea præcisè posita perficiatur, velsit matrimonium.*

Obijcies; Sicut Christus assumpsit contractum humanum eo modo quo fieri solet pro huius Sacramenti materia: ita absolutionem à culpa, seu offensa, prout solet conferri assumpsit pro forma Sacramenti Pœnitentiæ. Respondeo negando subsumptum: etenim sententia iudicialis potest in absentem ferri, potest scripto, potest nutu, potest per Procuratorem: nihil autem horum permittitur in absolutione Sacramentali, quæ non potest absenti dari, iuxta definitionem Clementis VIII. de qua suprà: debet item necessariò esse per verba (vt ex Concilio Florentino constat:) solùm enim excepit matrimonium, de quo dixit fieri quidem regulariter per verba, posse tamen aliquando per nutus alióve modo fieri.

Obiectio

Responsio

Dices: Hinc quidem optimè colligi, in puncto verborum à Christo fuisse aliquam differentiam constitutam inter matrimonium & alia Sacramenta, nihil tamen inde inferri de alijs conditionibus, quæ ad rationem sententiæ poterant requiri: vti enim consensus per modum contractus potest pendere à conditione futura, qua posita ille redditur validus: ita eodem modo sententia Iudicis potest pendere à conditione futura quâ posita primò tunc ea sententia reddatur valida: ergo non est adhuc assignata sufficiens disparitas. Respondeo, Propter hanc replicam, quam Auctores non tangunt, supponentes tamquam certum non valere consequentiam à matrimonio ad alia Sacramenta, reddi etiam mihi satis difficilem eam doctrinam Sanchez: quia reuerà non ad ducunt

Obiectio

Responsio.

cunt vllum sufficiens fundamentum, quo probent Deum in hoc puncto non immutasse aliquid etiam in matrimonio, quatenus est Sacramentum.

5 Fortasse aliquis cum P. Vasquez suprà num. 8. diceret non posse apponi vllam conditionem absolutioni, quia vel ea conditio est impertinens; vt *Absoluo te si eras Imperator veneris ex Germania*; & tunc non est credendum Christum dedisse Sacerdoti auctoritatem ad absoluendum sub tali conditione: vel conditio pertinet ad dispositionem; vt *Absoluo te si doleueris de peccatis*: & tunc etiam absolutio non habet locum, quia cùm sit iudicium de causa pœnitentis, supponit dispositionem cognitam, alioquin eius absolutio non est valida. Meritò Lugo dicit hanc rationem esse vndequaque debilem; Primò, quia de præterito possunt conditiones impertinentes poni: vt *Ego te absoluo si tuus pater fuit Catholicus*. Secundò, quia non est necessum vt Confessarius sciat dispositionem pœnitentis; nam si eum audiuit, & serio animo absoluit, esto ignorauerit dolorem illius, absolutio erit valida. Tertiò, quia possunt esse aliæ conditiones pertinentes, quæ non sint dispositiones: vt *Absoluo te si ieiunaueris eras*: cur enim non poterit esse absolutio suspensa donec impleatur ea conditio?

Aliter respondet idem Vasquez, Voluntatem conditionalem de futuro non esse voluntatem præsentem, sed denotare voluntatem tunc Primò ponendam quando ponetur conditio. debet ergo eras alia haberi voluntas, alioquin absolutio cras nulla erit. Verùm neque hoc sufficit, quia idem est in matrimonio. Secundo, quia falsum est, quòd ea voluntas non sit de præsenti: est enim præsentissima, & amat obiectum, sicut cùm dico *Volo eras confiteri*, est voluntas de præsenti circa obiectum tamen futurum, vt bene etiam notauit Lugo contra eundem Vasquez num. 117. Ipse autem respondet, Christum in hoc Sacramento Pœnitentiæ noluisse vt nutus aliáve signa valerent, sed verba propria & realia: verba autem conditionalia primò transeunt in absoluta quando ponitur conditio; tunc verò iam non sunt realiter, sed moraliter: præterea non per seipsa, sed per conditionem positam (quæ conditio nõ est verbum) determinantur ad significandum:

6 hoc autem est contra rationem Sacramenti. In matrimonio, verò cùm non sint necessaria verba formalia potest consensus determinari per illam conditionem posteà secutam, esto ea conditio non sit verbum. Hæc tamen solutio mihi nõ omnino satisfaci: videtur enim totam rationem disparitatis reducere solùm in defectum verborum, & non in defectum voluntatis de præsenti ipsius Sacerdotis: hoc autem est valdè difficile, quia Ministri voluntas debet maximè tunc existere, quando fit Sacramentum, existere inquam ita, vt faciat coniunctionem moralem. Quidquid verò de hac ratione sit, ideò ea solutio mihi nõ placet, quia licet Concilium Florentinum assignauerit differentiam inter Matrimonium & alia Sacramenta quoad punctum verborum & nutuum, non tamen in ordine ad eas extrinsecas conditiones de futuro, quæ nec verba nec nutus sunt, nec sunt signa voluntatis: de his enim nihil dixit Concilium; si ergo nutus seu signa (quæ iuxta Concilium sunt necessaria in matrimonio, sicut verba in aliis Sacramentis) possunt pendere à conditione futura, per quam omnino declaretur voluntas; cur quæso verba non poterunt à similibus conditionibus dependere in aliis Sacramentis? Ego in hoc puncto non putarem vllam quærendam esse disparitatem, quæ sit in natura ipsa rerum fundata, sed purè putè reducendum id in voluntatem Christi, qui pro matrimonio noluit in contractu mutationem vllam facere, voluit autem in consensu Sacerdotis vt iudicis pro absolutione Sacramentali: id autem dico me colligere (iuxta eam sententiam P. Sanchez & Lugo in Matrimonio) ex communi Canonistarum consensu, qui illud validum esse dicunt, quando deinde ponitur conditio de futuro: in Pœnitentia autem ideò de contrario constare, quia nullus planè admittit absolutionem eo modo datam de futuro esse validam. Hinc enim communis omnium sensus quoad pœnitentiam est quædam quasi certa reuelatio eius voluntatis Christi Domini, illum autem consensum è contrario in matrimonio non quidem omnium, sed tamen Canonistarum, facere probabilem alteram partem, quòd in matrimonio nihil Christus immutauerit quoad rationem contractus.

7 *Cur nequeat absolutio Sacramentalis pendere à conditione de futuro.*

Porrò quoad pœnitentiam vlteriùs id potest suaderi, quia si Clemens VIII. declarauit, dari non posse absolutionem absenti a fortiori profectò non poterit dari cum ea conditione de futuro: quia eo casu licet hodie essent prolata verba absolutionis, & hodie data esset absolutio physicè loquendo, moraliter tamen & propriè primò absolueretur homo à peccato cras quando conditio poneretur, hoc autem esset dari absolutionem & absenti, & sæpè etiam à Sacerdote mortuo. Præterea adhuc potest aliqua ratio congruentiæ satis bona: nam si eo modo poneretur conditio de futuro in pœnitentia, posset contingere, & verò ita frequenter contingeret, vt ponerentur omnes partes pro Sacramento, & tamen non fieret Sacramentum: hodie v.g. posita est confessio, dolor verus vniuersalis prout requiritur, absolutio Sacerdotis: cras etiam poneretur conditio requisita, v.g. quòd pœnitens daret eleemosynam: ecce omnes partes; & tamen si intermedio tempore ille homo iterum habuisset animum admittendi peccata illa de quibus est confessus, aut aliquod aliud mortale, absolueretur cras, quia cras complerentur omnes partes & absolueretur validè, quia esset validum Sacramentum; absolueretur autem dum esset in actuali peccato mortali, & actuali complacentia ad illa eadem peccata: id quod videtur planè absurdum. Nec potest responderi eo casu illum debere etiam manere sine nouo peccato toto eo intermedio tempore: hoc inquam responderi non potest, quia neque Concilia, neque Patres, neque Theologi pro valore confessionis requirunt, vt ille homo non peccet postquam à Sacerdote accepit absolutionem: in matrimonio autem cessat hoc periculum, quia licet per peccatum subsequens impediatur effectus gratiæ, valeret tamen matrimonium quoad coniunctionem, &c. at in præsenti non possumus concipere, validè absolui eum qui in eisdem peccatis sibi complacet dum absoluitur.

Secunda etiam ratio posset adduci quia in matrimonio non est inconueniens, quòd illud impediatur per defectum conditionis, aut per mutationem voluntatis vnius ex contrahentibus, per mutationem inquam factam dum tempus conditionis expectatur: quia cum matrimonium non sit Sacramentum ad salutem necessarium, parum est, si aliquando ob aliquam casualem mutationem non obtineatur illius effectus: at in Pœnitentia,

8

tentia, si dicamus illum primò tunc completi substantialiter, quando ponitur conditio de futuro, quia tunc censetur manere intentio Sacerdotis non retractata, sequeretur, quòd si Sacerdos eo intermedio tempore mutaret volitionem, eo ipso pœnitens maneret sine absolutione, quantumuis conditio deinde poneretur: esset autem hoc exponere hominem graui periculo salutis, dum valor absolutionis non solum fieret pendens ab intentione ministri, quando dat absolutionem, sed etiam toto tempore futuro, quousque poneretur conditio. Quòd si ideo dicatur totum Sacramentum Pœnitentiæ completum esse per absolutionem & intentionem Ministri hodie habitam, ideòque siue deinde Sacerdos mutet voluntatem siue non, eam absolutionem esse validam, effectum tamen illius non ponendum nisi primò, quando conditio ponetur, si hoc inquam respondeatur tunc habebit locum quod suprà diximus, Christum non voluisse vt postquam Sacramentum in se est complexum, possit eius effectus differri. Potest quidem Minister vnam partem Sacramenti post aliam ponere, & hoc modo effectum differre, at positis omnibus partibus non potest facere eam dilationem effectus vt inter alios bene notauit Lugo num 132. ostendens hoc secundo modo non posse differri effectum Sacramenti ad conditionis positionem.

Obiectio prima. Quòd si obiicias contra hoc vltimum, Sacerdos etiam absoluit à pœna, & tamen eius remissio differtur ad positionem satisfactionis, ergo eodem modo poterit differri absolutio à culpa: bene respondet idem Lugo, Eo casu non esse positum totum Sacramentum respectu illius absolutionis à pœna: nam illa eadem satisfactio re ipsa exercita est materialis pars eius Sacramenti, quatenus versatur circa liberationem à pœna: numquam ergo est verum, quòd totum Sacramentum sit in se completum, & effectus illius non causetur statim.

Responsio.

Obiectio secunda. Dices Secundò: Etiam sunt effectus Sacramenti auxilia specialia, & tamen hæc non dantur statim, sed suo tempore. Respondeo Primò, Fortè hæc auxilia non esse effectus certos & infallibiles Sacramentorum; nos autem loquimur solùm de illis qui sunt omnino infallibiles. Secundò respondeo, Pro eis auxiliis non esse locum, nisi quando homo est in occasione operandi benè iuxta exigentiam Sacramenti: tunc autem dicimus non vlterius differri eorum collationem.

Responsio prima.

Secunda.

SECTIO III.

Discutitur grauis obiectio.

9 *Obiectio grauis fuit tacta, quòd scilicet matrimonium contractum sub conditione de futuro videatur fore validum impleta conditione, licet alter contrahentium ante impletam conditionem voluntatem reuocasset.*

CONTRA hæc omnia ea adhuc nobis superest difficultas, quòd si Christus nihil immutauit circa rationem contractus in Sacramento Matrimonij, sequitur illud futurum validum, quando apposita est conditio de futuro, etiamsi ante positionem illius conditionis vnus ex illis mutet animum; vti si ego promitto Petro Ibrum, casu duo venerit ad me cras, non possum ego validè mutare animum antequam ille veniat. Idem est in voto: si enim facio votum Religionis si conualuero, non est mihi iam liberum etiam ante conualescentiam resilire, sed eo ipso quòd conualescam ero obligatus: ergo idem dicendum in Matrimonio; hoc autem videtur apertè falsum: ergo.

SUBSECTIO PRIMA.

Quorundam Responsio.

Solutio P. Sanchez refellit. RESpondet Sanchez in aliis promissionibus à iure suppleri defectum: in Matrimonio verò, cum nullus sit qui possit defectum supplere, posse semper reuocari. Meritò dicit Lugo hanc doctrinam esse difficillimam, quia nullum ius inuenitur, in quo id suppleatur: & in voto res est clarior, quia nec Pontifex, nec vllus alius habet potestatem obligandi me voto, si ego nolo: loquor de voto proprio & priuato: certum est autem (vt diximus) votum dandi eleemosynam, si conualuero, non posse à me retractari etiam ante conualescentiam. Et (vt verum fatear) omne votum de re futura habet eamdem difficultatem; quia licet apponam conditionem in obiecto, non minus de præsenti est obligatio tota dum dico, *Dabo si veneris*, quàm si dicerem *Dabo cras*; hoc autem vltimum non potest reuocari ante aduentum crastinæ diei: ergo neque alterum antequam Petrus aduenias. Vnde reiicitur quod docet Victoria apud Lugo suprà, Contractum conditionalem magis esse promissionem postea contrahendi quàm actualem contractum; reiicitur inquam per eam instantiam voti, quam Lugo adducit, quia reuerà qui sub conditione vouit castitatem, esto ante positam conditionem mutet voluntatem: nihilominus impleta conditione obligatur. Secundò ego addo, eamdem esse difficultatem in promissione ipsa; nam illa saltem obligat ex natura rei, esto si conditionata: cur ergo nō obligabit ipsum votum: cur non matrimonium, esto mutetur voluntas ante conditionem impletam?

10 *Solutio Card. Lugo refutata.* Lugo ex Patre Suarez Tomo 3. de Religione lib. 6. de Professione religiosa cap. 12. num. 1. & sequentibus ait, Non omnes contractus habere eamdem naturam alij enim sunt, qui dum fiunt nihil aliud ponunt quàm obligationem, non verò traditionem, & huiusmodi contractus sunt validi statim, etiam ante positam conditionem, seu in his potest poni obligatio præsens respiciendo tempus futurum: & in his non potest reuocari validè voluntas: talia autem dicit esse vota & alios contractus ordinariè loquendo. Alij autem contractus sunt, qui dum fiunt non solùm ponunt obligationem ad aliquid faciendum, sed afferunt secum essentialiter eius executionem & traditionem rei; quare non possunt fieri in solum tempus futurum aut sub conditione de futuro, talis videtur esse traditio possessionis quæ cùm sit essentialiter præsens, non potest nunc dari pro tempore solùm futuro, aut sub conditione futura, quia esset præsens executio, & non esset: & talis natura dicunt esse matrimonium, quod non est promissio solùm in futurum: vt sic enim essent sponsalia: sed est de præsenti: quòd si non adferat de præsenti eam traditionem, erit alius contractus à matrimoniali diuersus, quem homines non norunt: & talem etiam dicit Suar. esse professionem religiosam: ac proinde neque matrimonium neque professio obligant nisi posità conditione: imò addit Suarez debere positâ conditione poni secundum consensum actualē ad valorem priorum. Quod vltimum displicet Cardinali Lugo, quia vnus coniux ordinariè præstat consensum ante alterum & tamen est validum matrimonium. Id quod habet à fortiori locum quando contrahitur matrimonium per

Procuratores. Concludit ergo Cardinalis, matrimonium posteà incipere valere, quando adueniente tempore perseuerat moraliter vtriusque coniugis voluntas quia non est retractata & idem de religiosa professione, quæ per voluntatem heri habitam & hodie non retractatam, hodie completur.

11 Hæc doctrina mihi videtur difficilis, & quidem cùm professio religiosa non sit nisi vota tria adiuncta positiua Ecclesiæ solemnitate, ob quam non possunt solui nisi à Christi Vicario quæ, seclusa ea solemnitate possent solui ab ipsius Religionis Generali, sicuti possunt vota simplicia Societatis; vota autem omnia ex suo conceptu habent talem vim obligandi semel facta etiam sub conditione de futuro, ita vt licet posteà reuocetur voluntas vouentis, adhuc valeant; non facilè capio, quomodo dicatur professio religiosa talis esse naturæ, vt non possit fieri sub ea conditione; v.g. *Voueo tibi & Deo ex nunc paupertatem, castitatem & obedientiam sicut ceteri Religiosi, si cras conualuero.* Multò autem minùs capio, quomodo eadè professio non possit fieri omnino absoluta, de futuro tamen: v.g. *Voueo hodie à crastina die paupertatem, obedientiam*, &c. Quia licet de contractibus aliquibus sub conditione contingenti de futuro dubitetur, an subsistant, si ante impletam conditionem reuocetur voluntas: de absolutis tamen & solùm in futurum, v.g. post horam, post diem, *Promitto me facturum hoc post horam, voueo hoc in crastinum*, nemo vmquam dixit, quòd possint validè reuocari ante aduentum eius temporis præfixi: ergo saltem hoc modò posset professio religiosa emitti in crastinum: quòd enim de facto ita non emittatur non ideò est, quia si emitteretur hodie, in crastinam diem non obligaret, sed quia non est honesta causa faciendi eas solemnitates ante ipsum tempus, quo quis vult actu esse obligatus: quod item Religiosus per eam professionem maneat in eodem monasterio, cum eisdem vestibus, &c. in quo videtur esse aliquid de actuali traditione Patris Suarez, nihil obest his quæ diximus; Primò, quia id est valdè materiale professioni, & posset ita eam fieri, vt tamen aliquamdiu maneret in sæculo, &c. Secundò, quia illa ipsa habitatio ideò nunc statim mandatur executioni, quia fit animo obligandi se pro eo immediato tempore; vnde si voluisset solùm inchoare vna die pòst, sicuti potest quis vouere obedientiam inchoandam cras, potuisset vouere habitationem inter Religiosos, & vestitur mutationem inchoandam cras.

Promissio vel votum de faciendo re aliqua, sub cõditione tamen de futuro, re uocari non potest ante euentum conditionis.

12 In matrimonio etiam habeo ego eamdem difficultatem; nam in illo non video aliam actualem traditionẽ quàm ipsam obligationem, non enim est necessaria vlla traditio actualis physica, cùm inter absentes possit contrahi, non moralis alia distincta, vt dixi, ab ipsa obligatione mutua indissolubili; quòd enim statim vt contrahunt habeant ius in corpora, non est aliud quàm ipsa obligatio ex contractu orta; & verò etiam ad hanc in toto rigore non habent ius nisi post duos menses à contracto matrimonio, in quibus possunt deliberare de statu religioso. Deinde, licet fortasse cum conditione nunquam ad se accedendi non posset contrahi matrimonium, quia id videretur esse contra eius finem (de quo tamen iam non disputo;) certè cum hac conditione, quòd intra duos menses nolint ad se accedere, neque habeant ad id ius, possunt contrahere; tunc autem non esset ea actualis traditio.

Denique, si res benè ponderetur, omnis contractus ex se habet hoc, quòd possit statim conferre ius, nisi per voluntatem contrahentium limitetur; quando autem limitatur ad futurum, licet actu non transferat ius, obligat tamen statim, ne rescindatur nisi ex mutuo consensu: cur ergo matrimonium eo modo de præsenti quidem initum non obligabit de præsenti, licet actualem traditionem primò cras efficiat, siue iam vocetur ille contractus Matrimonialis, qualis nunc est, siue alius diuersus, de quo non multùm curo.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid sit respondendum.

FAcilius videtur posse responderi ei difficultati suprà positæ, Si dicamus nullum contractum obligare antequam altera pars acceptet, sed semper esse liberum resilire: quia antequam vtraque voluntas intercedat, non est contractus, ac proinde nulla inducitur obligatio. Et in hoc puncto nulla differentia specialis inter matrimonium & contractus alios videtur esse, vt inde singularis aliqua difficultas oriatur. Pro quo aduerte, aliud esse promissionem, aliud verò contractum onerosum. In promissione simplici obligatio tota quanta solùm cadit supra ipsum promittentem: alter verò, in cuius fauorem fit, purè acceptat; quâ acceptatione positâ statim eo ipso resultat obligatio in promittente: & huiusmodi sunt vota, siue ea conditionata fuerint, siue absoluta: illa enim Deus statim acceptat: vnde statim obligatio oritur ad tempus illud, & sub conditionibus illis, sub quibus res est vota. Aliter in contractu euenit: nam cùm in eo sit datum & acceptum; & ex contrahentibus neuter absolutè acceptet obligationem dandi v. g. equum, quousque alter se obliget ad dandam pecuniam, semper est illi liberum retractare voluntatem antequam alter acceptet, Id quod clariùs adhuc apparet in matrimonio, in quo cùm repugnet vnum obligare alteri suum corpus, nisi alter etiam obliget suum, inde fit, vt quamdiu non obligat se secundus, primus non sit obligatus, sed possit reuocare suam voluntatem: poterit quidem per modum promissionis simplicis se obligare ad manendum in hac voluntate, ideoque non poterit licitè resilire, sed debebit expectare donec alter ponat conditionem: quòd si tamen re ipsa reuocauerit, non poterit fieri verus contractus, sed manebit in ratione promissionis. Matrimonium autem vt est Sacramentum requirit essentialiter actualem contractum: ergo non poterit fieri, si qui promisit reuocet suam voluntatem antequam secundus accepter, & fiat contractus.

13 *Soluitur superior obiectio.*

Differentia inter contractum & promissionem simplicem.

Dices: Quando ego voueo religionem, aut ieiunium v.g. si sanatus fuero à morbo; etiam ineo quemdam contractum cum Deo, vt mihi ipse det sanitatem, & ego illi ieiunium; ergo antequam ille det sanitatem, ego non obligabor, sed potero resilire: hoc autem licitum non est: ergo: Respondeo, Etiam in eo casu solùm intercedere promissionem, non contractum, ac proinde non aliter tunc me obligari quàm per modum promissionis; dixi autem immediatè, eo sensu etiam posse ad contrahendum matrimo-

14 *Obiectio.*

Responsio.

nium

nium obligari, ita vt reuocare licitè voluntatem non possit in ratione promissionis : hinc tamen non licet inferre, futurum posteà verum contractum si reuocet voluntatem : quia aliud est obligari per modum promissionis, aliud per modum contractus: matrimonij autem obligatio semper est per modum contractus.

Alia solutio superioris obiectionis.

Quòd si tamen hæc solutio non placuerit, poterit Secundò cum aliis responderi ; Eò quòd contractus hic sit eleuatus ad esse Sacramenti, datum ei à Christo speciale illud priuilegium, vt si ante ipsum punctum, quo ille contractus erat perficiendus absolutè, & quo debebat sortiri rationem Sacramenti essentialiter completi, & causare gratiam, coniux resiliat, non sit validus contractus, & consequenter nec Sacramentum : quia nemo potest sacramentum vllum validè accipere contra propriam voluntatem. Aliqua quidem Sacramenta accipiuntur sine propria voluntate, vt Baptismus in infante ; & idem de Confirmatione & Ordine dici potest: at contra propriam voluntatem nullum suscipitur : ergo non fuit expediens, vt etiamsi homo nollet durare in sua voluntate, & accipere Sacramentum Matrimonij, adhuc tamen matrimonium perficeretur, & prior ille coniux omnino repugnans susciperet Sacramentum. Hanc solutionem ponit suprà Lugo : obiicit tamen contra illam, quia si semel concedatur à Christo in hoc puncto fuisse aliquo modo mutatam huius contractus naturam, possumus etiam consequenter dicere, fuisse alteratum quoad alteram partem, vt scilicet non possit compleri in esse contractus veri per conditionem futuram Nihilominùs tamen ea solutio mihi optima videtur: nam Sacramentum, quod est ex se causa tiuum gratiæ, non posse validè suscipi contra voluntatem ipsius suscipientis, est plane omnino certum in Ecclesia: neque habemus vllum prorsus fundamentum vel ab auctoritate, vel à ratione, vt ab hac regula generali excipiamus matrimonium. Benè ergo ex hoc capite colligimus Christum Dominum immutasse naturam contractus illius in hoc puncto ; ac proinde possumus omnino dicere, Inter Gentiles, & vbi hic contractus non habet rationem Sacramenti, posse omnino obligare ante positionem conditionis. Neque hinc sequitur (prout obiiciebat Cardinalis Lugo) etiam immutasse Christum Dominum naturam huius contractus in matrimonio, vt non valeat, quando posteà de futuro ponitur conditio, etiamsi coniux alter nondum retractauerit suam voluntatem: vbi tamen omnes fatentur validum esse Sacramentum. Hoc inquam non sequitur : nam in his rebus quæ sunt quasi de iure positiuo, & pendent à libera Christi voluntate, nequaquam valet argumentum ab vno ad alterum, etiamsi in vtroque videatur esse eadem ratio : quia potuit in vno pro suo libitu velle facere eam mutationem, non in altero.

Nulli Sacramentum potest confarri contra suam voluntatem.

Quòd autem ita re ipsâ contigerit, nos benè ostendimus ex auctoritate : nam vt dicamus Sacramentum nunquam perfici contra voluntatem suscipientis, habemus sensum communem Ecclesiæ docentis, nemini resistenti posse Sacramentum conferri : ex hoc enim principio colligimus, si retractet primus voluntatem antequam secundus det consensum, non perfici Sacramentum ; vt verò etiam dicamus non perfici, licet non retractet eam voluntatem, nullam habemus auctoritatem, aut rationem : ergo. Et verò cùm omnes è contrario sentiant compleri Sacramentum quando secundus acceptat, esto primus nihil tunc cogitet de nouo consensu, dummodò antiquum non retractet ; meritò colligimus nihil in hoc puncto secundo fuisse à Christo immutatum.

Addo aliam solutionem meo iudicio clariorem, dicóque, Quidquid sit de contractibus ceteris in matrimonio, esse longè aliam rationem saltem quatenus inter Christianos inito : nam cùm contrahentes sint non solùm susciptentes hoc Sacramentum, sed etiam illius ministri, certissimum autem sit de Fide requiri in Ministro intentionem, neque posse Sacramentum confici repugnante Ministro : rectissimè dicimus, eo ipso quòd vnus ex coniugibus repugnet antequam alter consentiat, ac proinde antequam Sacramentum conficiatur, non posse illud Sacramentum perfici: sicut si quis antequam baptizet habuit animum faciendi verum Baptismum, non tamen propterea verè baptizabit, si antequam re ipsa applicet materiam, mutet suam voluntatem, & habeat contrariam : ergo cùm matrimonium juxta communem sententiam inter Christianos non possit contrahi nisi sortiatur etiam rationem Sacramenti, rectissimè dicimus Christũ Dominũ non voluisse matrimonij contractum valere, si vnus ex illis repugnet, quando debuisset vltimò compleri : quia non sit Sacramentũ repugnante Ministro, quidquid sit de ceteris contractibus. Vnde & satis de ea obiectione.

17

Iam illud posset pro complemento quæri, Vtrùm si quis absoluat hoc modo, *Absoluo te, si Deus scit me cras facturum talem, vel talem rem,* sit absolutio ea iudicanda de futuro, & consequenter an sit inualida. Similem quæstionem moui Tomo præcedenti: dixíque, cùm ea scientia Dei sit actu de præsenti, esto obiectum illius sit futurum, omnino eam formam esse de conditione præsenti, ideóque esse validam.

18

Conditiones de præsenti si subsistant non reddunt absolutionem inualidam.

Obiicis;

Obiici in contrarium potest, sequi, etiam fore licitum applicare Missam pro eo, quem Deus hodiè scit mihi daturum cras eleëmosynam, aut pro eo, quem scit primò moriturum : hoc autem videtur falsum : ergo.

Respondeo;

Respondeo cum Lugo, Si necessitas, pro qua applicatur Missa, iam est de præsenti : v. g. iam est mortuus aliquis, pro quo Petrus petet à me cras Sacrum, & ego illud hodie offero pro ea persona, pro qua scit Deus Petrum cras petiturum à me Sacrum, tunc omnino fore validam oblationem, secùs si necessitas non sit de præsenti : quia (vt in materia de Satisfactione dixi) hæc non reseruatur in futurum, sed statim applicatur. Vide Cardinalem ea disput. 38. rem hanc benè explicantem: vbi tractat obiectionem quamdam ex Declaratione Cardinalium Congregationis Concilij sub Paulo V. quâ prohibetur ea applicatio Missæ anticipata pro eo qui obtulerit primus stipendium, prohibetur inquam tamquam scandalosa & periculosa: id quod videtur planè esse contra nostram hanc resolutionem : huic declarationi benè ibi respondet, Meritò prohiberi eam consuetudinem, quia eo modo sæpè potest contingere, vt necessitas, pro qua Missa offertur, nondum sit præsentis V.g. ego celebro Sacrum manè, posteà aliquis venit circa horam decimam & petit pro se celebrari Sacrum, qui maturino tempore, quando ego celebraui, adhuc erat in peccato, & primò tunc circa decimam est iustificatus : quo casu mea celebratio Sacri non potuit illi prodes-

19

Cur prohibita si Missæ applicatio pro eo qui primus stipendium obtulerit.

se quia nondum erat capax satisfactionis quando ego celebraui : idem esset, si aliquis post meum Sacrum moreretur, & tunc primò offerretur mihi stipendium pro Sacro iam facto: fortasse enim dum ego celebraui ille erat in peccato. Ob hos & similes casus consuetudo illa est prohibita: non tamen quia res eo modo, quo nos diximus non possit absolutè tam validè quàm licitè fieri.

Quæritur præterea, An si dicat Sacerdos, *Ego te absoluo à peccatis, de quibus contritus es, & quæ in confessione dixisti*, sit valida absolutio. Ratio dubitandi est, quia fortasse non habet contritionem, sed tantùm attritionem, & tunc reipsa non absolueretur: Secundò, quia non absolueretur indirectè à peccatis, quæ per inuincibilem obliuionem non dixisset. Respondeo tamen, Omnino esse validam, quia *tò contritus* sumitur non rigorosè, sed provt abstrahit à contritione & attritione. Deinde absolutio directa semper per se limitatur ad peccata quæ confessus est; vnde per illam additionem nihil impeditur de indirecta absolutione. Quod si tamen adeò requiter Confessarius ille se gereret, vt expressè coarctaret absolutionem ad casum, quo pœnitens haberet propriam contritionem, & ad sola peccata quæ pœnitens dixit, sine dubio tunc hic non absolueretur, si reipsa non habuit contritionem, aut si reipsa est oblitus alicujus mortalis, eodem planè modo, quo diximus eam posse facere dependentem absolutionem à diuersis conditionibus, quæ si non subsistant, ea sit inualida.

SECTIO IV.

An absolutio dari possit absenti.

20 IN hac quæstione post decisionem Clementis VIII. qui id speciali decreto prohibuit, & doctrinam asserentem id esse licitum damnauit non est cur multùm defatigemur. Vide Suar. disp. 19. sect. 3. vbi multos refert ex Dominicana familia, & ex aliis, qui ante eam prohibitionem docuerunt id posse fieri rationes pro sententia negante esse validam multæ afferuntur omnes tamen meo iudicio debent reduci ad solam voluntatem Christi, qui sine dubio vti permisit matrimonium contrahi in absentia per Procuratorem, potuit, si voluisset permittere vt absolutio daretur absenti: quòd autem reipsa id non voluerit, videtur colligi sufficienter ex perpetua Ecclesiæ consuetudine: nam licet in institutione eius Sacramenti nihil dixerit aliud, quàm *Quorum remiseritis*, &c. nihil præscribendo, an per verba solùm, an per nutus, an in absentia, an tantùm in præsentia dari possit absolutio, ideóque ex Scriptura nihil expressè de his punctis colligi possit, Ecclesia tamen perpetua traditione vti intellexit præscripta necessariò verba, ita etiam intellexit requiri præsentiam. Hac ratione suppositа, quæ est maximè efficax, adferuntur multæ congruentiæ, quæ patiuntur instantiam contra se in Sacramento Matrimonij: eas congerit hìc Lugo à n. 149. Prima est: Nam si eò quòd inter homines sententia iudicialis sæpè feratur in absentes, liceret inferre etiam posse absolutionem Sacramentalem conferri absenti, possemus eodem modo colligere, dari validè, posse Sacramentum Ordinis absenti, qui per Ordinem conceditur potestas; potestas autem quæcumque ex se potest concedi absenti. Secunda instantia est à simili aliorum Sacramentorum, quæ non nisi in præsentia conferuntur. Tertia ex eo, quod Sacramenta sunt cæremoniæ sacræ, quæ suo vsu consecrant homines Deo, ideóque requirunt præsentiam suscipientis dum conferuntur. Quarta, quòd absolutio est iudicialis actus: pro quo maximè requiritur, vt Sacerdos dum dat absolutionem, sciat, vtrùm homo adhuc sit ad eam dispositus: si autem absenti posset dari, fortassis dum eam dat Sacerdos, iam ille nouum commisit peccatum, per quod se reddidit indignum. Iam dixi omnes has pati instantiam in Matrimonio, maximè autem hanc vltimam, quia cùm matrimonium sit contractus, maximè illud videbatur requirere, vt eo instanti, quo contrahitur constaret de mutuo consensu, seu quòd alter non reuactauerit suam voluntatem; & tamen potest in absentia contrahi, quando ambo habuêre satis sufficiens tempus, vt possent mutare voluntatem. Non est ergo hìc aliud quærendum fundamentum, quàm voluntas Christi nobis per Ecclesiam manifestata

21

Obiicitur in contrarium factum sancti Thomæ Cantuariensis, qui per litteras petiit absolutionem ab Alexandro Papa Respondetur, Eam absolutionem non fuisse à peccatis, sed à suspensione à celebratione, quam sibi ipsemet sanctus imposuerat, eò quòd Henrico Regi visus fuisset annuere in petitione quadam, quam posteà aduertit sanctus Thomas fuisse Ecclesiæ aliquo modo nociuam.

Obiicitur factum S. Thom. Cantuariens. Respondetur

Obiicitur etiam Sanctus Cyprianus Epist. 13. vbi per epistolam præcepit aliquibus in periculo existentibus pacem dare, quam etiam petierant per litteras : pax autem illa erat absolutio. Respondetur Primò, Ibi non esse sermonem de confessione aut absolutione Sacramentali, sed de admissione ad Communionem cum aliis Sanctis: id enim petebant illi, qui ob timorem tormentorum defecerant à Fide, & resipiscentes volebant admitti in gratiam aliorum, à quâ vt apostatæ ceciderant : vnde delegatur Diaconis ea reconciliatio : id quod, si de Sacramentali absolutione intelligeretur, non potuisse vllo modo fieri, cùm soli Sacerdotes absoluere valeant. Secundò, Neque hoc ipsum effecit sanctus Cyprianus per litteras, sed mandauit, vt à præsentibus Sacerdotibus vel Diaconis fiat ea reconciliatio; nemo autem dubitat quin possit Episcopus vel alius per litteras mandare Sacerdoti, vt præsens absoluat alios etiam Sacramentaliter.

21 *Obiicitur S. Cyprianus Epist. 13. Respondetur Primò.* *Secundò.*

Tertiò denique obiicitur ex cap. *Qualis*. 30. quæst. 5. vbi præcipitur, vt adulteræ pœnitentia recipiatur per scripturam. Respondeo, Ibi non esse sermonem de absolutione danda absenti, neque confessio illa erat Sacramentalis, sed testimonium publicum de resipiscentia illius fœminæ per quod testimonium satisfieret publico fidelium scandalo.

Obiicitur Tertiò ex cap. Qualis 30. quæst. 5. Respondetur

Quomodo autem hinc non sequatur, non posse infirmum præsentem absolui, si de petita confessione alij testentur, diximus suprà fusè.

Cur absolutio data absenti sit inualida.

SECTIO

SECTIO V.

Quomodo absolutio possit simul dari à pluribus

DVBITATVR Quartò, Quomodo possit forma absolutionis proferri simul à plurib⁹ ministris. Dico *simul*, qui successiuè ab eisdem peccatis bis in confessione declaratis iam diximus suprà posse aliquem absolui; quomodo item dimidiari absolutio possit ratione peccatorum reseruatorum, aut aliorum, quæ sine graui periculo dici non possunt, est etiam superiùs declaratum. Quòd verò venialia, quæ non sunt materia necessaria confessionis, possint dici partialiter vni Confessario, & partialiter alteri, aut reticeri omnino, aut aliqua tantùm, est certum apud omnes; vnde vlteriùs fit, posse aliquem confiteri sola mortalia vni, & deinde sola venialia alteri: quia si non obligatur cum mortalibus dicere venialia, ergo poterit hæc deinde sola dicere. Et verò id habet locum in ipsis mortalibus, si tamen iam anteà de illis fuerit absolutus: nam tunc potest quæcumque ex illis secundò confiteri partem huic, partem illi, &c. Et verò si quis ex inuincibili ignorantia putaret licere etiam prima vice dimidiare sine alia causâ confessionem mortalium, haberet tamen vniuersalem dolorem etiam de illis quæ omittit, & inter duos Confessarios illam confessionem diuideret, valida esset confessio vtraque (vt benè notauit Lugo num. 159.) tunc autem in vna confessione absolueretur directè à media parte, ab alia verò media parte indirectè, in altera autem confessione è contrario directè ab his, à quibus indirectè in prima absolueretur. His ergo suppositis, tota difficultas est de absolutione simultanea supra eam dem confessionem data à pluribus.

In quo puncto certum est, si vterque Sacerdos audita confessione simul proferat verba, & simul finiat, vtrumque absoluturum. Est quidem hic modus confitendi prohibitus (vt ait Suarez disput. 9. sect 4.) & ex hoc capite peccando se reddere posset pœnitens incapacem absolutionis: id tamen non est ex ipsa natura Sacramenti: vnde si per ignorantiam excusaretur à culpa, absolutio tamen vtraque esset valida.

24 *In casu quo duo simul pronunciarēt absolutionem validè, an vterque esset causa totalis.*

Vtrùm autem tunc essent duæ causæ totales gratiæ, dubium; inde enim aliqui putant casum repugnare. Verùm alibi dixi, causas morales aliquando posse simul & semel duas reperiri adæquatas respectu eiusdem effectus. Et mitor potuisse aliquem ex hoc capite dubium mouere, cùm sit tam certa & omnibus nota instantia de Sacerdotibus dum ordinantur simul consecrantibus eamdem hostiam. Adde, sub lite esse, an non tunc producatur duplex gratia: de quo statim. Quòd si vnus post alterum absolueret, an essent duo Sacramenta, perinde ac si quis à peccatis iam remissis absolueretur denuò, pendet ex dicendis statim.

Illud ergo potiùs quæri potest, Vtrùm tunc essent duo Sacramenta. Hæc quæstio potest habere duplicem sensum: in vno erit ferè de nomine, in alio de re: de re erit, Vtrùm tunc caussetur in pœnitente duplex gratia: de nomine erit, Vtrùm si tantùm caussetur vna, & nec quidem maior quàm si ab vno solo Sacerdote absolueretur, dicendum sit vnum Sacramentum an duo. Vt quando Baptismus confertur à duobus simul abluentibus & verba proferentibus. Dixi agens de Baptismo physicè quidem ibi esse duo Sacramenta, moraliter tamen non nisi vnum: quod idem in præsenti data ea suppositione de vnica gratiæ caussatione dicendum censeo.

An ex casu caussaretur duplex gratia, effetque duplex Sacramentum.

Prima ergo de re quæstio difficilior est. Cardinalis Lugo num. 164 omnino iudicat esse eo sensu duo Sacramenta confessionis cum duplici effectu gratiæ: quæ sententia mihi etiam videtur valdè probabilis. Ratio autem est: nam Sacramentum Pœnitentiæ est iterabile etiam supra eadem peccata, & ad eius reiterationem non est necessum esse dolores duos distinctos, sed sufficit vnus idémque moraliter permanens, de quo suprà. Confessio autem etsi deberet esse duplex, iam tamen in præsenti casu est verè moraliter duplex: quia si duobus peccata illa confiteor, facio virtualiter duas confessiones, vnam vni, alteram alteri: erunt ergo tunc duo Sacramenta & duo effectus. Neque contra hoc potest adduci instantia ex Baptismo: ibi enim non datur duplex effectus, quia Baptismus non potest iterari: hinc autem colligitur illum directè instituturum non tam ad augendam gratiam quàm ad vnum finem determinatum, qui non nisi semel possit conferri. Idem de Confirmatione, idem de Matrimonio, Ordine, & etiam Extrema Vnctione intra eumdem morbum. Confirmatur, quia si quis habens solùm venialia, aut mortalia, quæ iam sit confessus, confiteretur seorsim duobus Sacerdotibus, hodie vni, & cras alteri, & posteà cras manè ab vno acciperet absolutionem, & à prandio ab altero, sine dubio acciperet duplicem gratiam; ergo eamdem accipiet, etiamsi simul & semel ab vtroque absoluatur: quia quòd successiuè vel simul duo illi dent absolutionem, est omnino per accidens ad punctum constituendi duo Sacramenta & caussandi duplicem gratiam idem ergo etiam erit quando ipsa confessio simul vtique fit: quòd enim seorsim vel simul confiteatur, esse videtur per accidens.

15

Declarat autem magis hoc ipsum ex diuerso modo, quo Pontifex solet concedere Indulgentias: aliquando enim concedit pro vna tantùm vice, vt in Bulla Cruciatæ. Vnde qui secundam & tertiam Bullam accipit, non ideò plus lucratur de Indulgentiis aut gratiis. Solet autem etiam concedere, vt toties quoties orauerit, aut audiuerit Missam, lucretur Indulgentiam. Vnde si quis simul audiat duas Missas, tunc lucrabitur bis Indulgentias. Limitat tamen hanc doctrinam ad casum, quo quis moribundus petit absolutionem, & simul superueniunt duo Sacerdotes, non enim tunc datur nisi vnicum Sacramentum & vnicus effectus: quia tunc confessio non fuit nisi vnica: alioquin quotquot superuenirent Sacerdotes possent illum absoluere sine noua confessione seu nouo signo dolotis: quod est absurdum. Ratio à priori est, quia tunc infirmus nec voluit à duobus absolui, nec volnit duobus confiteri, sed vni. Vnde consequenter etiam in his, qui sani & sibi præsentes sunt: vt quando in mari in periculo vitæ publicè confitentur audientibus multis Sacerdotibus, si nolunt nisi vnam confessionem facere, & vnam absolutionem habere, tunc esto duo aut plures ex illis Sacerdotibus darent simul vel successiuè absolutionem, non possent facere nisi vnum Sacramentum. Totum ergo hoc pendet ex intentione confitentis, qui si è contrario diceret se velle multis confiteri, & ab illis omni

16

tus absolui, iam eo ipso faceret duas confessiones, & consequenter esset capax duarum formaliter absolutionum non solùm simul, sed etiam successiuè.

27 *Obiectio.* Quòd si obijcias, sequi ex his, si simul duo absoluant moribundum, aut eos naufragantes; neutrum validè absolutorum; quia non est maior ratio de vno quàm de altero; vterque autem non potest, quia diximus infirmum & naufragantem solùm vnam petijsse absolutionem; hoc autem *Responsio.* est absurdum; ergo. Respondebit negando sequelam: Quia licet infirmus non nisi vnam petierit absolutionem, non exclusit duas, quæ pro illo hîc & nunc non sunt moraliter nisi vna, ac proinde perinde se habent illæ duæ ac si essent vna.

Plures hostiæ simul sumptæ nõ faciẽt plures Sacramẽtorum susceptiones. Dixi hanc sententiam esse satis probabilem; absolutè autem valde dubito, an tunc sit duplex, an vnicum tantum Sacramentum: moueor autem max mè instantia sacrosanctæ Eucharistiæ; nam etiam hæc est iterabilis eodem modo, quo pœnitentia; & ordinatur directè ad augendam gratiam, habetque minùs multò determinatum finem quàm Pœnitentia: hæc enim directè habet pro fine extinctionem culpæ; quæ extinctio vna videtur esse respectu eiusdem culpæ. At Eucharistia neque hanc limitationem habet; & tamen esto duæ treúve hostiæ sumantur simul, non faciunt in ordine ad gratiam susceptionem duorum Sacramentorum, neque duo Sacramenta; quia tunc iudicantur per modum vnius: & tamen longè certius est, in qual bet ex illis hostijs esse distinctum numero Sacramentum, quàm quòd in duabus illis absolutionibus circa eadem peccata simul datis reperiantur duo Sacramenta Pœnitentiæ; ergo sicut in Eucharistia, eo ipso quòd per modum vnius illa accipitur, non facit nisi vnum Sacramentum, & vnum effectum gratiæ causat, ita duæ illæ absolutiones debent planè iudicari vnum Sacramentum, seu (ne de vocibus disputemus) vnum tantùm effectum debent causare; quia reuerà etiam tunc accipiũtur tantùm per modum vnius.

28 *Obiectio.* Dices: Non possunt duæ illæ absolutiones ita conuenire in vnam, sicut sumptio duarum hostiarum reputatur per modum vnius cibi aut refectionis. Respondeo, Non minùs duas illas absolutiones posse reputari per modum vnius iudicij, seu vnius absolutionis, quàm duæ hostiæ reputentur vnum conuiuium: etenim etiam in humanis si reum aliquem audita causa duo Iudices inter se independentes illum simul absoluant, reputatur id per modum vnius iudicialis absolutionis. Patet autem id in nostro casu; nam saltem quando ipse pœnitens non nisi vnam intendit absolutionem, quantumuis tunc absoluatur à duobus, non est nisi vnicum iudicium etiam iuxta huius Auctoris sententiam; ergo etiamsi ipse pœnitens intendat duas absolutiones, adhuc tamen erit vna moraliter; quia quòd sit vna vel duplex absolutio, non videtur pendere ex ipsius intentione; vti etiam si quis velit duas illas hostia accipere per modum duorum Sacramentorum, non tamen ideò accipiet duplicem gratiam. Et potest hoc confirmari ex doctrina huius Auctoris, qui infrà agens de Indulgentijs disp. 27. num. 33. dicit; Si quis habeat duo grana benedicta diuersa, & quodlibet valeat pro vno anno v.g. remissionis, quando oratur vnum *Aue Maria*, non posse tunc simul eumdem lucrari duos annos; quia tunc moraliter tantùm sunt duo tituli ad eumdem finẽ; ergo eodem modo in præsenti illæ duæ absolutiones simul datæ, cùm videantur hîc & nunc ordinatæ ad vnicam remissionem eorum peccatorum, & sint quasi duo tituli ad eumdem fructum, non causabunt nisi vnicam gratiam.

29 Denique si semel admittatur eo casu duplex ille effectus gratiæ, profectò non potest facilè negari eum habiturum locum in casu illo moribundi, non ea tantùm ratione, quam paulò antè insinuaui, quòd ea multiplicatio effectus non videatur pendere à confitentis intentione, sed etiam quia quantumuis pendeat, debet supponi saltem habitualiter id velle infirmus ille; quia cùm id sit in bonum ipsius maximum, nec hoc adferat illi vllum penitus nocumentum, aut molestiam nec physicam nec moralem, sed parum putum duplicatum augmentum gratiæ; quis enim erit tam simplex, qui non malit eas duas absolutiones per modum duarum quàm per modum vnius? Ad similes autem effectus non est necessaria formalis & expressa intentio; sufficit enim interpretatiua; vt patet in susceptione Extremæ Vnctionis: vti enim de ea agentes diximus cum hoc Auctore, eò quòd illa non adferat vllam difficultatem aut onus, sed puram vtilitatem, censentur omnes Catholici saltem habitualiter eam velle; ac proinde eo ipso est illis sufficienter voluntaria eius susceptio, quantumuis de ea fortè tota sua vita non cogitauerint, ita idem erit nunc dicendum quoad duplicem eam absolutionem, scilicet illam esse omnibus saltem habitualiter voluntariam, ideoque, nisi ex proposito contrarium expressè velit (quod tamen explicatis terminis vix posset aliquis intendere) semper acceptorum duplicem gratiam; hoc autem est planè contra omnium sensum: nam licet sæpè contingat, vt absoluatur à duobus aut tribus superuenientibus, numquam tamen vllus dixit, illi dari duplicem gratiam

30 Hinc facilè erit respondere his quæ in contrarium obiiciebantur. Et quidem in casu illo, quo quis dimidiaret confessionem, & acciperet à duobus absolutionem, nulla est difficultas; eo enim casu sunt duæ planè distinctæ absolutiones Sacramentales supra diuersa peccata; & vna non absoluit directè ab his, à quibus alia. Quod deinde de Indulgentijs dicebatur non est minùs dubium quàm conclusio; nec possum mihi persuadere quòd Pontifex reputet auditiones distinctas Sacrorum in ordine ad distinctas Indulgentias, quando quis est præsens duobus Sacerdotibus simul celebrantibus. Quidquid tamen in hoc puncto sit respondeo, Cùm illud pendeat à voluntate Pontificis, qui potest dare eas Indulgentias sub conditionibus quibuscumque, solùm inde probari, Christum etiam potuisse eo modo instituere hoc Sacramentum; at verò ex ipsa ita illud instituisse non probat vllo modo ea instantia: vnde quoad hoc nec instantia à me è contrario ex Indulgentijs etiam allata quidquam absolute probat, nisi hoc, quòd inde tam pro nostra quàm pro contraria possit argumentum desumi. Constet ergo valdè dubium esse, quid in hoc puncto Christus instituerit; & si diuinare licet ex alijs Sacramentis, probabilius esse non dari tunc nisi vnicum effectum gratiæ.

SECTIO

SECTIO VI.

An duo simul absoluentes possint vti vnâ formâ communi, Absoluimus te.

31 PRATER Suarez Tomo 3.in 3.Part.disp.23. sectio 3.affirmat fore validum, dummodò sensus non sit vtrumque concurrere vt caussam partialem,sed solùm significare, quòd vterque causset illum effectum ;licut verum est dicere, *Nos consecravimus hanc hostiam*, quando duo simul illam consecrarunt. Contrarium sentit Vasquez & Coninch, quos refert &, sequitur Lugo suprà num. 176. quia vel per illa verba volunt significare voluntatem absoluendi tantùm partialiter cum altero,vel voluntatem absoluendi totaliter,quantum potest quilibet ex parte sua; neutro autem modo potest id validè fieri, ergo: non quidem partialiter,quia eo sensu non significaretur voluntas absoluta,sed conditionata absoluendi;nam qui potest absoluere; & non vult nisi cum alio,eo ipso non vult nisi sub conditione, quòd alius velit;quare si ille alius nondum protulit formam integram,cùm conditio adhuc non sit posita,verba illa non habebunt effectum sed neque illum habere deinde possunt, quia non potest manere suspensa efficacia verborum, nec possunt proferri sub conditione de futuro,vt dictum est.Si verò ille alius Sacerdos iam protulit formam,& conditio est posita,iam ille priùs absoluit;vnde tardè alter venit: solumque posset ille sensus excogitari verus in vno casu metaphysico,quo simul ambo absoluerent verba;non est autem credibile Sacerdotibus datam à Christo potestatem vtendi formâ, quæ significaret concursum partialem, & quæ solùm effectum haberet in vno casu (vt diximus) metâphyco.

32 Possunt quidem in eo casu ambo absoluere:id tamen debet esse per formam ordinariam , quia tunc vna forma non impedit aliam. At ea potestas operandi per specialem formam & specialia verba, quæ pro solo vno casu metaphysico deferuire possunt sine vllo fundamento dicitur cõcessa.Esset præterea ea forma noxia,quia esset periculum faciendi irritum Sacramentum,cùm si vnus præiret ; neuter absolueret,vt ostensum est.

Quòd verò neque possint illa verba accipi in sensu adæquato & totali, vt quilibet absoluat totaliter,patet;quia illa verba non sunt ad id significandum apta nisi ampliùs declarentur:quotiescumque enim dico me cum alijs hoc vel illud facere (saltem si sermo sit de actione iuridica & forensi) non significo me in solidum & independenter ab alijs id facere,etiamsi aliàs possem solus: vt si dicam, *Ego & Petrus emimus à te hanc domum*, non significo me eam voluisse emere etiam nolente Petro, sed potiùs significo consensum meum simul cum consensu Petri : ideoque Petro non consentiente ad nihil teneor. Idem est si dicam ; *Nos Petrus & Ioannes donamus vel condonamus tibi*, solùm significatur concursus partialis:ergo *nos Absolimus* significat concursum partialem. Vnde addit Lugo : Si diceretur hoc modo, *Ego Petrus te absolvimus singuli in solidum* valida esset absolutio.

33 Obiectio. Quòd si obijcias : Si Deus dispensaret cum aliquo,vt posset duas vxores simul habere,posset vir dicere, *Ego vos accipio in vxores*, & illæ responderent, *Nos te accipimus in virum*, tunc autem *nos accipimus* significaret consensum adæquatum;ergo.Varias huius argumenti solutiones ait Lugo refutari à Coninch ea quæst.67.art. 6. num.49 Ego tamen non nisi vnicam & duobus verbis insinuatam &reiectam ibi inuenio.Quidquid de hoc sit, benè idem cum Coninch respondet, In eo casu necessariò ea verba debere accipi de consensu adæquato cuiuslibet ; quia Maria non potest vt caussa principalis consentire in matrimonium Franciscæ,sed quælibet adæquatè in suum. Hæc Coninch & Lugo.

Responsio.

Probabilius est simul absoluentes posse vti communi voce Absoluimus.

Iudico tamen probabiliorem esse sententiam Suarij suprà, quæ fuerat etiam Durandi. Et tandem ipsemet Coninch coactus est fateri, hanc sententiam speculatiuè esse probabilem;eam ergo probo;Quia ea vox *Absoluimus, facimus damus*,&c.est ex se omnino indifferens ad significandum concursum totalem & partialem non minùs quam vox *canis* ad significandum cælestem & terrestrem;ergo quando à loquente vsurpatur in sensu pro Sacramentis requisito validum conficitur Sacramentum:quòd autem ea sit indifferens ad vtrumque est mihi euidentissimum. Nam quando dico *Nos te amamus, nos te odio habemus, nos curimus*,sine dubio significat caussalitatem adæquatam cuiuslibet in eam actionem ; & ea ipsa forma Sacramenti est optima, quando duo ,qui simul facti sunt Sacerdotes, referunt quid fecerint dicunt verè & verissimè de præterito, *Nos consecravimus eam hostiam*; & tamen nemo vnquam dixit illam propositionem significare concursum partialem, sed potiùs totalem cuiuslibet. Quod ergo de præterito possunt illi cum veritate referre,possunt etiam de præsenti ; & potuissent quando consecrabant (si simul tunc possent bis loqui) simul dicere, *Hoc est corpus meum*, & *Nos simul consecramus* ; &idem est si Christus Dominus pro forma consecrationis instituisset hæc verba, *Consecro hanc hostiam*; potuissent tunc illi Sacerdotes simul de præsenti dicere, *Consecramus hanc hostiam* quia omnis propositio, quæ vera est de præterito,fuit vera de præsenti pro eo instanti : si ergo in sensu adæquato verè dicunt illi de præterito, *Nos simul consecrauimus hanc hostiam*, profectò in eodem sensu potuerunt dicere de præseti,*Nos simul consecramus hanc hostiam.*

Neque vllo prorsus modo obsunt nobis instantiæ contrariæ,quia in eis ponuntur exempla in rebus,in quibus ex ipsa materia clarè colligitur,quòd non possit significari concursus totalis cuiuslibet ; vti in illo, *Ego & Petrus emimus hanc domum* repugnat enim in terminis duos simul emere vnam rem quamlibet adæquatè & independenter ab altero; quia quilibet deberet dare æquale pretium, & quilibet deberet illam facere suam adæquatè, quod repugnat.Idem est in altero exemplo,quod ibi ponitur, *Nos donamus tibi hanc rem* ; etenim cùm vna eademque res non possit in solidum & adæquatè esse duorum,quid mirum, si illa vox ibi significet inadæquatam cuiuslibet donationem,ea ergo vox pluralis ex se solùm directè significat coëxistentiam realem actionis procedentis à duabus personis; quòd autem quælibet sit caussa partialis , non verò totalis, nullo modo significat , vnde ruit fundamentum aduersæ partis, Hinc

34

An possint esse caussa part alet. absolutionis in tali casu.

Secundò dico:Esse etiam mihi valdè probabile, quòd licet velint ipsi absoluentes concursum tantùm partialem præbere id possent validè obtinere , si tamen simul formam absoluerent.

Cùm enim Christus constituerit Sacerdotes vt iudices, esto cuilibet dederit totalem iudicandi potestatem, non tamen video cur eos impedierit (sicut quando simul duo audiunt reum) quò minùs possint inter se conuenire ad dandam partialiter absolutionem: quòd si ex parte voluntatis partialis id non repugnat, verba etiam id non impedient; quandoquidem, vti dixi, sunt apta ad
35 vtrumque sensum. Respondebis, Non esse bonum argumentum in hac materia ab alijs iudicijs ad Sacramentalia; alioquin etiam liceret inde inferre, posse dari absolutionem in scripto, &c. Sed contrà, quia licet in his, quæ ex consensu Ecclesiæ scimus à Christo limitata in hoc Sacramento, non liceat nobis argumentari ab alijs iudicijs ad hoc; in his tamen, de quibus Fides nihil dicit in contrarium, non video cur ea consequentia non sit bona. Et sanè hi ipsi Auctores admittunt, dummodò quis vtatur ea forma, *Ego te absolvo*, posse validè absoluere dependenter ab eo quòd alter simul absoluat, hoc autem est absoluere partialiter; non est ergo vlla difficultas ex parte absolutionis partialis in se: vnde infero; Ergo non erit difficultas ex parte formæ id significantis. Patet consequentia: quia forma, quæ exprimit actionem Sacramentalem eo modo, quo illa fit, est maximè vera, est maximè conformis; ergo si Sacerdos habet animum absoluendi partialiter, rectè & validè dicet, *Ego te partialiter absolvo*; rectè ergo etiam diceret, *Nos te absolvimus*, quantumuis τὸ *absoluimus*, tunc solùm significaret partialem absolutionem cuiuslibet. Nec facile capio, quomodo possint re ipsa partialiter velle absoluere, & tamen forma debeat significare absolutionem totalem, cùm eo ipso forma esset falsa; animus enim diceret, *Absolvo partialiter*, & lingua *Absolvo totaliter*. Constet ergo
36 posse vtroque modo per eam formam fieri validum Sacramentum, si ambo simul absoluant. Sed quid si vnus citiùs altero? aliquis diceret, tunc nihil per priorem absolutoinem efficiendum, quia illa non potest esse suspensa, donec alter finiat suam formam; nihilominùs posset satis probabiliter dici, etiam tunc valere. Ratio est facilis; nam licet inter formam & materiam Sacramentorum requiratur physica coëxistentia, vt inter ablutionem & verba in Baptismo, non est tamen necessum vt illa coëxistentia sit omnino metaphysica, sed talis, vt moraliter iudicentur simul; & idem dico de partibus formæ. Demus enim quòd Christus requisiuisset, vt duo abluerent, & duo proferrent formam Baptismi, ad hoc vt Baptismus esset validus, profectò non propterea vllus dixisset, debere eos omnino eodem instanti abluere & absoluere prolationem verborum; quia si non est necessum, vt ablutio & verba fiant in eodem instanti, neque etiam erit necessum, vt ambo simul finiant, sed sufficiet, si habeant eam cõiunctionem, quam habent materia & forma ipsius Sacramenti: cùm ergo in eo casu illæ duæ absolutiones sint duæ partes formæ, esto vna finiatur paulò citiùs quàm altera, adhuc erit validum Sacramentum; & quidem debebit etiam tunc dici collatum per verba de præsenti: imò si res prudenter consideretur, de facto ita contingit in omnibus formis: nam dum baptizo, non solùm est pars formæ vltimum verbum, sed omnia, incipiendo ab *Ego te*, &c. & tamen non omnes; partes eius formæ proferũtur in eodem instanti, sed successiuè; ergo si dicamus ex meis verbis & ex verbis alterius Confessarij fieri vnam formam integram absolutionis, procul dubio, esto vna pars post aliam proferatur, potest dici totum fieri per verba de præsenti. Idem ostendo ex matrimonio; nam esto Christus Dominus voluisset, vt illud non contraheretur nisi in præsentia, & per verba aut actualia signa, nemo tamen ideò diceret debuisset vtrumque contrahentem simul loqui, sed sufficisset etiam tunc vnum post alterum loqui, & dare signum; neque ideò diceremus tunc magis esse formam de futuro quàm nunc fit, quando in Baptismo verba præcunt, & sequitur forma: quo casu etiam forma expectat aliquantulùm. Videsne quàm facilè totum hoc defendatur?

Iam vltimò posset in dubium verti circa hoc ipsum, An si duo absoluere velint, possit quilibet ex illis dicere, *Volo adæquatè absoluere, si alter adæquatè & absolutè absoluat*. Videtur enim id omnino repugnare propter mutuam causalitatem; nam vt Petrus absolutè absoluat, priùs debet natura absoluere Ioannes: & vt hic absolutè absoluat, debet è contrario priùs absolutè absoluere Petrus: hoc autem est impossibile. Fortasse tamen posset responderi, Non esse mutuam ibi prioritatem, sed solam coëxistentiam mutuam: non enim dicit, *Volo, si alter priùs absoluat*, sed *si simul absoluat*: vnde eo ipso quòd simul ponuntur verba vtriusque iam sibi inuicem sunt conditio sufficiens: & hoc modo puto rem esse possibilem. Si autem è contrario dicat, *Volo absoluere, si alter non absoluat*, tunc si ambo id diceren simul, repugnaret vllum ex illis absoluere, quia cùm non sit maior ratio de vno quàm de altero, vel deberent ambo absoluere, vel neuter: ambo non possunt, quia si Ioannes absoluit; ergo Petrus, qui non voluit absoluere absoluente Ioanne, non absoluit; neque item Ioannes absoluit, quia non volebat absoluere, si alter absolueret; ergo neuter tunc absolueret. Et satis de his sensibus formæ, qui possunt reperiri in quolibet Sacramento; si duo v g. abluentes dicerent, *Ego te baptizo, si alter te non baptizat*, &c. Verum quidem est in Baptismo, eò quòd actio illa abluendi non sit diuisibilis inter duos, sed necessariò quilibet debeat ponere sufficientem, eò quòd ablutio requisita ad valorem Baptismi est adeò exigua, vt non sit possibile mediam partem tantùm ab vno & mediam ab altero poni; inde fit, vt verba illa, *Ego te abluo*, non sint capacia sensus inadæquati: & idem est suo modo de Confirmatione.

37 *Effetne valida absolutio si duo simul dicerent, Ego te absoluo si alter te non absoluat?*

SECTIO VII.

De variatione eius formæ.

38 *Quando variatio formæ Sacramentum efficatur esse accidentalis tantum.*

CIRCA mutationem formæ attendendum est ad id quod diximus vniuersaliter agentes de Sacramentis in communi quando scilicet sensus idem manet, tunc mutationes esse accidentales, ideoque non obesse valori Sacramenti; vt si quis seipsum in plurali nominaret, *Nos absoluimus te*, sicut Imperator, Pontifex, Episcopus, & aliæ personæ in dignitate constitutæ solent vti plurali numero; eodem modo si è contrario diceret *Absolvo vos* loco *te*; si diceret, *Ego absolvo hunc hominem* eum designando, *Ego remitto tibi, condono tibi peccata tua*, &c. & idem est de illa forma, *Absoluatur Petrus*, si τὸ *absoluatur* non deprecatiuè, sed imperatiuè sumatur: illa item esset valida, *Placet quòd absoluaris*

saluaris, quia idem donat ac *Ego te absoluo*.

Obiectio. Quòd si obijcias, Hinc sequi, posse consecrari hoc modo, *Placet quòd hoc sit corpus Christi*, vel, *Iubeo hoc esse corpus Christi*; respondet Lugo negando sequelam, quia in Eucharistia fuerunt à Christo determinata verba, dum ipse, ostendens Apostolis quomodo deberent consecrare, dixit, *Hoc est Corpus meum*. Ab hac autem forma enuntiatiua valdè differt illa, de qua in obiectione, *Iubeo hoc esse corpus Christi*. Pro Sacramento verò Pœnitentiæ non posuit vlla determinata verba, sed præcisè dixit, *Quorum remiseritis*, &c. verè autem remittit peccata, qui dicit *Iubeo te esse absolutum*. & qui dicit *Absoluaris*, &c. Probabilis solutio: Mihi tamen videtur meliùs discurrendum, si consequenter dicamus ea verba etiam esse valida pro Eucharistia. Quòd enim Christus dixerit *Hoc est corpus meum*, non propterea probatur ipsum non voluisse facere valide consecrationem per verba æquiualentia, alioquin non possemus validè consecrare dicendo *Hoc est corpus Christi*, vel in calice dicendo *Hic est sanguis Christi*; quia ipse dixit *Hic est calix sanguinis mei*; aut si iuxta Matthæum & Marcum Christus dixit, *Hic est sanguis meus*, non possemus nos consecrare dicendo *Hic est calix sanguinis mei*: id quod apertè falsum est.

Responsio. Quod præterea dicebatur, aliud esse enuntiatiuè proferre *Hoc est corpus meum*, aliud verò iubere vt sit corpus Christi, non vrget nos; quia pro consecratione Sacerdos ita loquitur enuntiatiuè, vt simul efficiat quod dicit, ac proinde etiam loquitur auctoritatiuè, seu tamquam potestatem habens efficiendi quod dicit; ac proinde poterit iure optimo imperare, seu dicere, *Placet* seu *Iubeo vt hoc sit corpus Christi*. Denique sicuti enuntiatiuæ illi propositioni *Ego te absoluo* æquialet illæ aliæ, *Iubeo vt absoluaris*, &c. & id ò eas dicimus sufficientes; ita longè cum maiori consequentia illi enuntiatiuæ, *Hoc est corpus meum*, dicemus æquialere eas, *Hoc sit corpus Christi*, seu, *Volo, iubeo vt hoc sit corpus Christi*; eodem ergo modo de vtrisque discurrendum.

DISPVTATIO LI.

De necessitate medij & ex præcepto diuino huius Sacramenti.

EXPLICATIS omnibus quæ ad constitutionem huius Sacramenti tam ex parte materiæ quàm formæ & Ministri pertinent, solùm nunc restat de necessitate illius ad salutem disputare; & quidem lapsis in mortale post Baptismum illud esse necessarium in re vel in voto definitum est à Trident. Sess. 14. cap. 4. ideò hac de re non potest vlla esse inter Catholicos dissensio. Solùm ergo est difficultas, qualis sit ea necessitas & vnde probetur, an solùm sit necessitas medij, an etiam præcepti positiui tã diuini quàm humani. De hoc vltimo sequenti disputatione; de duobus primis punctis in hac tractabimus.

SECTIO I.

Hoc Sacramentum est necessarium necessitate medij in re vel in voto.

Quid sit necessitas medij, quid præcepti. In materia de Eucharistia explicui duas necessitates in ordine ad salutẽ, medij & præcepti; dixique ea esse necessaria necessitate medij quæ sunt causa per se positiua primæ gratiæ, aut eius recuperationis, per quam homo destinatur ad gloriam, qua gratia retenta obtinebit certò salutem; ea verò esse necessaria solùm necessitate præcepti, quæ ea solùm ratione requiruntur, ne homo cadat per peccatum ab accepta gratia. Hinc fit, vt si omittantur ex ignorãtia inculpabili ea quæ sunt necessaria necessitate præcepti, non ideò amittatur gloria; quia cùm, dixi, solùm requirantur, ne homo peccans amittat ius ad gloriam, & ignorantia inculpabilis eos excuset à peccato, fit, vt etsi omittant rem præceptam, non ideò amittant gratiam, ac consequenter nec gloriam; at si omittant ea quæ sunt necessaria necessitate medij, quantumuis id fiat ex ignorantia inculpabili, non obtinebitur salus, quia licet non peccetur de nouo in non imponẽdo eam rem necessariam, seu eam causam salutis, tamen quia non ponitur de facto, non obtinetur salus: neque enim sine causa potest existere effectus, vndecumque veniat, quòd illa causa non ponatur.

Contra hanc illationem vltimam obijciunt nonnulli, Non semper esse verum, si inculpabiliter omittantur quæ sunt necessaria necessitate medij, non obtineri salutem; nam hoc Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium necessitate medij, & tamen, si inculpabiliter omittatur, dummodò adsit contritio, potest salus obtineri. Hæc obiectio nullius est momenti; nam Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur determinatè vt medium, sed illud, vel votum ipsius, id est vel contritio; si autem vtrumque omittatur quantumcumque inculpabiliter, procul dubio non obtinebitur salus: semper ergo verum est, ea quæ requiruntur vt medium non posse omitti sine amissione finis; si requirantur determinatè, necessariò debent poni determinatè; si sub disiunctione *hoc vel illud*, debet poni *hoc vel illud*, alias actum est de salute, licet propter ignorantiam non peccetur de nouo in eorum omissione, vt dixi. Non loquor iam in sententia illorum, qui docent, aliqua Sacramenta posse facere de attrito contritum; tunc enim fatendum esset, nõ solùm contritionem vel votum Pœnitentiæ esse necessarium necessitate medij, sed debere addi vel contritionem, vel confessionis votum, vel aliquod ex illis Sacramentis in eo casu per accidens; nisi fortè eam attritionem, quæ etiam tunc est necessaria, vocemus votum Pœnitentiæ. Ex his constat, Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum non solùm esse necessarium vtcumque, sed necessitate medij in re, vel in voto; quia hoc Sacramentum, vel eius votum non requiruntur præcisè, ne peccetur de nouo, sed tamquam causa productiua primæ gratiæ, sine qua non potest gloria obtineri; ergo requiruntur v medium.

Lapsis post Baptismũ necessariũ est Sacramẽtũ Pœnitentiæ in re vel in voto.

Obijcies:

3 *Obiectio. prima.*

Obijcies Primò; Potest haberi contritio, quæ non sit votum Pœnitentiæ, vel quia ignoratur tale Sacramentum inuincibiliter ab eo qui habet contritionem; vel quia non recordatur tunc confessionis; & tamen illa contritio etiam tunc iustificabit, ergo nec votum nec Sacramentum requiritur ad iustificationem. *Responsio.* Respondeo, In eo casu non esse quidem votum explicitum de Sacramento; & hoc probatur clarè in obiectione; nego tamen non includi ibi implicitum votum, quatenus si homini sic contrito occurrat memoriæ ipsum Sacramentum, & instet tempus illius suscipiendi, necessariò vi illius contritionis tenebitur illud suscipere eo modo, quo diximus, agentes de contritione: in ipsa virtualiter includi propositum seruandi omnia præcepta, & faciendi omnia requisita ad salutem.

Obiectio secunda. Sed hinc obijcies Secundò: Ergo non magis requiritur votum Sacramenti Pœnitentiæ quam votum obseruationis omnium præceptorum; & consequenter non magis potest dici Pœnitentiæ Sacramentum necessarium in voto necessitate medij quàm auditio Sacri, aut adimpletio aliorum præceptorum. Responderi potest Contritionem esse quidem votum Pœnitentiæ, diuerso tamen modo quàm sit auditionis Sacri die festo *Responsio.* v.g. sicut enim diuerso modo concurrit ad gratiam Sacramentum quàm auditio Sacri; (hæc enim non causat primam gratiam, sed est conditio, ne iam acquisita amittatur: illud verò influit positiuè in eam primam gratiam:) ita etiam contritio diuerso modo est votum vnius quàm alterius: vnum enim respicit tamquam medium, aliud purè purè vt impediens peccatum, quod saluti contrarium est.

4 Sed contrà: quia habita iam contritione non potest Sacramentum Pœnitentiæ respici vt causans primam gratiam, quia hæc supponitur iam causata per contritionem: ergo contritio tunc præcisè respicit Sacramentum vt impediens nouum peccatum, ne scilicet, dum negligitur posteà Sacramentum, peccetur de nouo, & amittatur acquisita prima gratia eodem planè modo, quo respicitur auditio Sacri: ergo nulla est differentia in modo respiciendi Sacramentum & alia præcepta. P. Vasquez facilè concederet sequelam: sentit enim non aliter concurrere contritionem, vt est votum Sacramenti Pœnitentiæ, quàm vt est votum obseruationis præceptorum. *Quomodo cõtritio sit aliter votum pœnitentiæ aliter obseruationis alicuius præcepti* Quòd si à Concilio Tridentino docetur contritionem in vi Pœnitentiæ iustificare, solùm inde potest inferri habuisse Tridentinum occasionem specificandi votum Sacramenti propter nonnullos negantes esse necessarium illud suscipere post habitam contritionem. Probabilis solutio: adhuc tamen possumus assignare discrimen inter votum Pœnitentiæ & inter votum præceptorum: quia per Pœnitentiæ Sacramentum quasi completur solutio pretij pro nostra redemptione à peccato in contritione acquisita: vnde dari nobis remissionem in voto Sacramenti idem est ac dari nobis intuitu Sacramenti vt pretij posteà ponendi: sicut in contractibus contingit, vt de præsenti transferatur dominium alicuius rei ex vi promissionis, pretij postea soluendi. Verum quidem est esse in hoc ipso aliquam differentiam à nostro casu, quia in humanis, si postea non soluatur pretium, redit ad priorem dominum res

5 vendita, seu tradita: at licet posteà non ponatur Sacramentum, non ideò redeunt antiqua peccata. Nihilominùs licet in hoc sit differentia; est tamen similitudo magna, quòd in vtroque casu ex vi promissionis pretij soluendi etiam ante solutionem ipsam transfertur dominium, & remittuntur peccata: quo autem pacto Sacramentum Pœnitentiæ postea exhibitum sit complementum pretij, facilè in nostra sententia explicatur: dicimus enim actiones Sacramentales, quatenus factas nomine Christi, esse infiniti valoris, & condignas pro remissione peccati: quam condignitatem non habet contritio: voluit ergo Deus, etiamsi contritio non sit cõdigna pro remissione mortalis, eâ tamen positâ illud remittere, quasi in spe tamen ex vi voti seu promissionis de pretio æquali posteà in Sacramento soluendo: votum autem de præcepti obseruatione nihil simile habet, quia obseruatio præcepti non est solutio remissionis acceptæ & gratiæ infusæ, sed pura conditio requisita, ne nouum contrahatur peccatum. Vnde esto ea obseruatio præcepti sit actio mala venialiter vndequaque, sufficit tamen ad hoc, vt homo satisfaciat contritioni; si autem esset solutio pretij, deberet esse non solùm bona, sed & infiniti valoris, vti est actio Sacramentalis quatenus Christi nomine exercita. His manet explicatum, quo pacto Sacramentum hoc in re vel in voto sit medium ad salutem necessarium: nunc restat explicare, vnde hæc necessitas colligatur: in quo puncto grauior erit fortè nobis labor.

SECTIO II.

Vnde probatur hæc necessitas.

6 DIFFICVLTAS in hoc consistit: nam licet verba Christi, *Quorum remiseritis peccata*, ostendant quidem inesse Apostolis facultatem remittendi, non tamen inde infertur, non esse aliud medium pro hac remissione: potuit enim hoc Sacramentum institui vt vtile, non tamen vt necessarium, sicut aliqua alia Sacramenta. Propter hæc nonnulli Doctores apud Suarez disp. 17. sect. 2. dixêre, Hoc Sacramentum non esse medium necessarium ex Christi institutione, sed ex Ecclesiastico præcepto. Hæc tamen sententia licet sine erroris nota olim potuerit defendi post Tridentin. tamen omnino est de Fide: Sessione enim 14. c. 5. definit, Confessionem Sacramentalem mortalium esse iure diuino necessariam; nec probabile est, quòd ab Ecclesia positum fuisset tale præceptum, præsertim in ordine ad peccata interna, quæ non subiacent eius foro, nisi à Christo Domino id fuisset mandatum.

Posset ergo aliquis Secundò dicere, mandatum id fuisse à Christo, non tamen colligi ex Scriptura, sed constare ex traditione perpetua Ecclesiæ. Verùm neque hæc solutio potest sustineri, quia suprà idem Concilium hanc necessitatem confessionis intulit ex illo loco Ioannis: & asseruit inde esse iure diuino Apostolos relictos vt iudices, ad quos omnia mortalia post Baptismum deferantur.

7 *Probabilis ratio, cur pœnitentia Sacramentũ sit de necessitate medij.* Dupliciter Pater Suarez ex prædictis verbis suprà infert hanc necessitatem: Primò quia sicut aliquis Rex quando iustituit tribunal immediatum pro causis agendis non permittit eas immediatè ad seipsum deferri, sed ad Tribunal, ita etiam dum Christus instituit Tribunal confessionis pro remissione peccati, videtur ita illud instituisse, vt debeant omnes causæ ad illud deuoluì: confirmat id à simili ex alia Christi Domini

mini propositione : *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, Matthæi vltimo: in qua licet solùm affirmet se habere potestatem, an verò alij
Ioan. 5. etiam eam habeant, nihil ibi dicat: includitur tamen in eis verbis alia negatiua propositio, *Pater non iudicat quemquam*, quam ipse Christus alibi expressit: ergo similiter licet in hac propositione affirmatiua, *Quorum remiseritis peccata*, expressè solùm dicatur Sacerdotes posse remittere, non autem negetur possibilis alius modus remissionis implicitè tamen negatur. Hic discursus satis est probabilis. Exemplum tamen allatum patitur aliquam difficultatem : nam qui dicit, *Data est mihi omnis potestas*, clarè eam alteri negat : si enim alius posset iudicare, & validè absoluere, vel condemnare in lege non tenetur à voluntate Christi, profectò non haberet ipse omnem potestatem : nam damnatos vel absolutos ab aliis ipse non posset absoluere, vel condemnare: nec item posset impedire alterius iurisdictionem non ergo mirum, si ratione illius verbi: *omnis potestas* rectè inferatur ex negatiua, *Pater non iudicat quemquam*. Quando autem dixit Apostolis potestas absoluendi, non est appositum simul verbum *omnis* sed solum, *Do vobis potestatem absoluendi*, cum quâ optimè stat quòd alius modis etiam possint absoluere. Adhuc tamen possumus insistere exemplo posito, & obiectioni respondere, eo ipso quòd absolutè & sine vlla limitatione concesserit eam potestatem, perinde esse ac si posuisset verbum *omnis*, Confirmatur, quia sicut relinquebat Apostolos Vicarios sui in terris, ita etiam debebat illos relinquere cum omni potestate quam ipse habebat, id est, vt sicut omnium causarum est Christus præcipuus iudex, ita & Sacerdotes vice ipsius debeant de omnibus causis criminalibus iudicare.

8

Nihilominùs potest vrgeri contra prædictam illationem Nam potestas absoluendi & remittendi data est cuilibet Apostolo seorsim neque enim illa cadit copulatiuè supra omnes eo modo quo in Summulis licitur terminum illum *duodecim* non cadere suprà quemlibet Apostolum, sed supra omnes simul. Hæc itaque potestas cadit diuisiuè suprà quemlibet, tantum de quolibet verum sit dicere. *Habere potestatem absoluendi & retinendi* : & tamen ex hac potestate non infertur, esse necessarium ad quemlibet deferre peccata, etiâsi quilibet possit absoluere: ergo similiter ex eo, quod omnes habeant hanc potestatem, non infertur, esse necessarium deferre peccata ad aliquem ex illis. sed tolùm, quòd si deferantur, possint illi ab eis absoluere. Respondeo, Duas potestates à Christo concessas Apostolis in prædictis verbis, vnam absoluendi, aliam retinendi: potestas absoluendi est adæquatè in quolibet Cõfessario, quatenus etiam sine aliis solus potest absoluere validè, siue alij absoluant siue non: & quoad hãc partẽ concedo quod in antecedenti obiectionis supponitur scilicet potestatem absoluẽdi cadere supra quemlibet seorsim. At secunda potestas retinendi non est absolutè & adæquatè in quolibet : nam etiamsi vnus nolit absoluere, si tamen absoluat alius, non manet retentum peccatum: non ergo hæc potestas est adæquatè in quolibet sed in omnibus simul: quia nisi omnes retineant peccata, hæc non manebunt retenta. Et ex hac parte nego obiectioni quod supponebat, scilicet potestatem retinendi non esse sicut numerum duodecimum, qui non cadit supra omnes Apostolos simul; est enim quoad hanc partem idem

9 *Diffugium, cum quo data Apostolis potestas absoluendi & potestas retinendi.*

de potestate retinendi ac de isto numero. Vnde facilè respondeo obiectioni, Non esse necessarium vt deferantur peccata ad quemlibet : quia quilibet potest absoluere: esse tamen necessarium vt ad aliquem deferantur: quia nisi aliquis ex illis absoluat, erunt retenta peccata. Ideò non valet consequentia, *Ioannes habet potestatem absoluendi, ergo est necessarium ad illum ea deferre*; quia, vt dixi, non habet ipse potestatem retinendi adæquatè : id est, non sufficit quòd ipse retineat ad hoc, vt sint retenta: sicut sufficit quòd absoluat ad hoc, vt pœnitens sit de illis absolutus; non inquam valet, *Ergo non est necessum ad aliquem deferre*: nam omnes simul habent potestatem retinendi: vnde oportet vt ab aliquo ex illis non retineantur ad hoc, vt sint retenta.

Obiicies contra hunc discursum: Nam ex potestate retinendi peccata, quam habet quilibet Confessarius dum confessiones audit inferemus nos infra, Necessarium esse omnia peccata manifestare in confessione: quia reuera quãdo vnus Sacerdos negat absolutionem, illa peccata sunt verè & propriè retenta : ergo etiam in quolibet seorsim reperitur potestas non solùm absoluendi, sed etiam retinendi : ergo minùs benè inter duas has distinximus. Respondeo cõcessa ea prioris parte antecedentis, & distinguendo secundam, quando vnus Sacerdos retinet peccatum, illud est verè retentum: hoc est, nequit illud absolui ab aliis, nego: illic enim potest ad alium recurrere, qui eum absoluat, nisi hic secundus eodem modo iudicet illum pœnitentem esse incapacem absolutionis : tunc enim si ab omnibus reiiciatur, iam simpliciter dicere possumus esse retenta ea peccata : hinc autem nequaquam sequitur ex eo quòd vnus neget absolutionem, esse debere absolutè & simpliciter retẽta, sed solùm secundùm quid: in quo sensu concedo antecedens: quòd si ab alio non absoluatur ille homo, valida erit retentio illa facta ab vno solo. Vnde nego consequentiam, quòd scilicet in quolibet sit potestas absolutè ligandi sicut est absolutè absoluendi.

10 *Obiectio.* *Responsio*

Et ex hoc verbo *retinendi* colligit Secundò, P. Suarez suprà necessitatem huius Sacramenti; quia si non esset necessum venire ad Apostolos pro absolutione, sed aliis modis possent peccata remitti, quo pacto quæ ab Apostolis retinerentur absolutè essent retenta, quandoquidem aliis multis modis posset ab illis absolui; si ergo quæ ab Apostolis retinentur retenta sunt absolutè, certè ratio est, quòd alius modis nisi per Apostolos non possunt solui.

11

Contra hanc secundam ratiocinationem Patris Suarez obiicitur: nam verbum hoc *retinueritis* potest intelligi, casu quo ad Apostolos venerint peccata, & ab illis positiuè retenta fuerint iam tunc non licere aliis modis ea soluere, licet si non venissent, potuissent aliâ viâ condonari: quo pacto in humanis frequenter solent esse diuersa Tribunalia, & facultas fieri reo, vt eligat hoc vel illud; semel autem electo vno non potest ille ad aliud causam suam ferre, sed standum est sententiæ prioris. Respondeo, Etsi metaphysicè loquendo possit prædictus sensus de retentione, casu quo deferantur ad Apostolos peccata, his verbis aptari; cùm tamen sint absoluta, & non ponant vllam conditionem, non debemus ea restringere, sed prout iacent intelligere : præterquam quòd fingere sine fundamento, esse potestatem retinendi peccata in vno casu, & non in alio; omnino est ridiculum,

Obiectio.

Responsio.

cùm

cùm ex verbis potiùs vniuersalem potestatem debeamus inferre.

SECTIO III.

Variæ obiectiones contra necessitatem huius Sacramenti.

12 *Obiectio prima:*

OBIICIES Primò; Per contritionem possunt remitti peccata, etiam omnibus Confessarijs absolutionem negantibus; ergo falsum est ipsos habere potestatem absolutè illa retinendi. Huic obiectioni iam est paulò antè responsum; diximus enim non esse determinatè necessarium hoc Sacramentum, sed in re, vel in voto, Explicuimus autem qualiter concurrat votum de hoc Sactamento. Quare item sit necessarium hoc Sacramentum post habitam contritionem dictum iam est, & adhuc inferiùs magis declarabitur tractando de præcepto huius Sacramenti.

Solvitur.

Obiectio secunda:

Secundò obiicies; Sacerdotes habent potestatem absoluendi & retinendi venialia, & tamen non est necessum ea ad illos deferre; ergo idem poterit dici de mortalibus. Negant aliqui consequentiam; nàm quando instituit Christus Dominus hoc Sacramentum, non abstulit alia media, quæ erant instituta ad remissionem venialium; ergo cùm antèà multis modis possent deleri, etiam & post; ergo non obligauit vt deferrentur ad Sacerdotes. Hæc solutio nulla penitus est, quia idem prorsus deberet dici de mortalibus; nam etiam ante huius Sacramenti Institutionem mortalia poterant remitti per contritionem sine onere comparendi; & Christus non immutauit ea media (vt hi supponunt;) ergo etiam non obligauit vt deferrentur mortalia, quod est hæreticum. Melius ergo respondetur, Venialia includi sub potestate absoluendi, non verò sub potestate retinendi; nam qui dat potestatem absoluendi & condonandi graues iniurias; à fortiori dat potestatem condonandi leues; sicut qui dat potestatem famulo faciendi magnas eleëmosynas, dat etiam faciendi paruas; at non è contrario qui negat potestatem absoluendi à grauibus, ideò censetur negare potestatem absoluendi à paruis; ergo etiamsi extra Sacramentum hoc in re vel in voto non fiat potestas absoluendi à mortalibus, non ideò infertur, non esse modum alium absoluendi à venialibus. Cuius rei etiam in forensibus Tribunalibus exemplum passim reperitur: sunt enim aliqua Tribunalia, extra quæ non possunt grauiores causæ decidi; minores verò etsi in ipso possint decidi, non tamen id est necessarium, sed possunt in aliis determinari.

13 *Venialia peccata includi sub potestate absoluendi, non verò sub potestate retinendi.*

Replica: Soluitur.

Vrgebis: Verba Christi non ostendunt hanc differentiam. Respondeo, Si secundùm se præcisè considerentur, forte ita esse: debent tamen intelligi iuxta subiectam materiam, & iuxta humanum modum, quo in similibus rebus solent talia verba vsurpari: pro quo Pater Suarez affert hanc propositionem; *Nisi pœnitentiam peccatorum egeritis, eorum veniam non obtinebitis*; quæ duas alias in se includit, vnam affirmatiuam *Si pœnitentiam egeritis, peccatorum veniam obtinebitis*; & sub hac propositione dicit etiam venialia includi: si enim mortalia, quæ sunt longè grauiora, nobis remittantur per pœnitentiam, à fortiori per eamdem remittentur venialia. Alia propositio ibi inclusa est negatiua; id est, *Si non egeritis pœnitentiam, non obtinebitis veniam peccatorum*, sub qua non includuntur venialia, quia licet in hac vita non agamus de illis pœnitentiam, in altera tamen obtinebimus veniam eorum; imò & in hac, etiam sine pœnitentia, per susceptionem aliorum Sacramentorum potest obtineri eorum remissio, iuxta multorum probabilem sententiam. Et licet hæc differentia inter mortalia & venialia nequaquam contineatur expresse in ea propositione, *Nisi pœnitentiam egeritis*; suppositis tamen aliis principijs; quæ in his materijs habemus, rectè ea deducitur. Idipsum vrgetur in aliis similibus propositionibus, quæ passim reperiuntur in Scriptura; vt, *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis*; in qua necessitas pœnitentiæ, ne pereamus, solùm includit mortalia; quòd verò possent remitti per pœnitentiam etiam venialia, sine dubio ibi insinuatur. Denique ex illis verbis, *Erit ligatum & in cœlis*, colligitur (vt bene notauit Lugo disp. 15. num. 7.) non esse ibi sermonem de venialibus, quia hæc etiamsi nec per confessionem, nec alio modo remittantur nobis in hac vita, non possunt nobis claudere portas cæli, aut ligare nos, ne illuc intremus. Quæ doctrina recidit in solutionem Patris Suarez.

14

Quis sit sensus huius propositionis: Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis, *&c. mirum.*

15 *Obiectio tertia:*

Tertiò obiicies; Ex verbis Christi Domini non potest colligi datam Apostolis potestatem instar iudicij; ergo nec colligitur necessitas confessionis. Consequentia est bona ex Tridentino; hoc enim præcisè infulit necessitatem confessionis, eò quòd Apostoli sint constituti iudices, iudex verò nihil agat incognitâ causa; ergo à contrario: si Apostoli non sunt iudices, illarlo Concilij mala erit, & cessabit necessitas confessionis. Antecedens probatur; nam etiam in Baptismo datur potestas absoluendi & retinendi peccatum; & tamen non est per modum iudicij; ergo, Pater Suarez disput. 17. sect. 1. num. 27. & nonnulli Recentiores respondent, Potestatem baptizandi non esse ad retinenda peccata, quia Christus Dominus solùm dixit; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. & sicut potestas docendi non est potestas retinendi tenebras infidelitatis, ita nec potestas baptizandi est potestas retinendi peccata; quia Baptismus per se primò solùm est ad tollendum Originale. Et hinc fit, vt actus potestatis baptizandi nulla ratione possit negari infantibus, adultis verò interdum potest per accidens ex defectu debitæ dispositionis: id quod commune est omnibus Sacramentis, & oritur ex natura rei ob illud principium, *Nolite dare sanctum canibus.* Hæc solutio meo iudicio nullo modo eneruat vim obiectionis; nam idem etiam dici posset de Sacramentali absolutione, scilicet eam non posse negari benè dispositis: quòd si ex defectu dispositionis negatur, iam id orietur ex eodem principio communi omnibus Sacramentis, *Nolite dare sanctum canibus*, eodem prorsus modo, quo in Baptismo. Nec est excogitabilis casus, in quo absolutio debeat negari benè dispositis; sicut non licet negare Baptismum benè disposito: nam etsi ob malam consuetudinem & nullam emendationem possit differri absolutio, id tamen ea ratione fit, quia ille homo omnibus pensatis non censetur dispositus hic & nunc pro absolutione. Vnde potiùs videtur inferri, potestatem baptizandi esse etiam ad retinenda peccata, ideò enim potestas absoluendi est potestas retinendi,

Soluitur.

Matth. 28.

Matth. 7.

16

retinendi, quia absolutio est necessaria ad remissionem peccati, & potest negari à Sacerdote: sed etiam Baptismus est necessarius ad remissionem Originalis & aliorum peccatorum, quæ ipsum Baptismum procedunt, & potest negari à Ministro: ergo baptizans habet etiam potestatem retinendi peccata. Neque obstat, quòd tam pro adultis quàm pro infantibus solùm sit institutus Baptismus contra Originale: etenim in adultis per se etiam est institutus pro actualibus omnibus commissis ad illam diem. Exemplum verò de Prædicatoribus non satisfacit, quia prædicatio non est necessaria simpliciter ad expellendas tenebras infidelitatis neque in re, neque in voto. Inde etiamsi possit aliquis negare prædicationem, non tamen ideò potest detineri in tenebris infidelitatis: si enim ex lectione librorum, ex Martyrum exemplis, sicut in multis contigit, ad fidem aliquis conuertatur, proculdubio non detinebitur in tenebris infidelitatis: quod si prædicatio esset necessaria ad expellendas tenebras, sicut Baptismus ad expellendum peccatum, etiam videtur dicendum, potestatem non prædicandi esse potestatem detinendi in tenebris. Pater Coninch dispu. 2. dub. 1. licet non posuerit ex professo hanc difficultatem, videtur tamen insinuare duas solutiones, quæ pro illa possunt applicari. Prima est, quòd Baptismus ordinetur ad remittenda peccata, eorum qui foris sunt de quibus non iudicat Ecclesia: Pœnitentiæ verò Sacramentum ad peccata subditorum. Hæc doctrina est verissima, & traditur in Tridentino: non tamen soluit difficultatem: quia de hoc quærimus, quomodo constet ex verbis Christi hanc potestatem esse datam in vno casu tanquam suprà subditos, non verò in alio quandoquidem Christus qui vtramque potestatem dedit erat etiam iudex & Dominus tam baptizatorum, quàm nondum baptizatorum. Præterea etiam subditis possunt remitti peccata sine confessione: ergo ex eo quòd sit circa subditos, non infertur necessitas confessionis.

Secunda solutio est quòd Christus non dederit hic potestatem absoluendi quoscumque, sed eos qui essent ben dispositi: ad hoc autem oportet Confessarium scire, quæ sint peccata pœnitentis. Sed contra: quia hoc idem est in Baptismo & in omnibus aliis Sacramentis vt paulò superiùs dicebamus: non enim dedit potestatem ea administrandi nisi bene dispositis; ergo deberent omnia Sacramenta constare tamquam parte essentiali confessione peccatorum. Ratio à priori contra eam responsionem est, quia vt constet de dispositione, non videtur necessum scire peccata, sed verùm habeat serium dolorem de illis, & propositum non peccandi de cætero.

Vnde colligatur data à Christo Apostolis potestas iudicialis.

Pater Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 2. à numero 16. obscure valdè loquitur; nec videtur se determinare in modo intelligendi verba Christi, *Quorum retinueritis peccata*: & præsertim à num. 19. vbi priorem explicationem videtur iterum reuocare: dat tamen nobis ibi occasionem explicandi hanc difficultatem è Baptismo desumptam, licet eam ipse non tetigerit; ait ergo *rò retinueritis* aliquid amplius sonare quam præcisè potestatem non remittendi: nam hæc videtur concessa in verbo illo *Quorum remiseritis remittuntur*: nam cùm Christus non necessitauerit Apostolos ad dandam absolutionem, proculdubio dum ei potestatem dedit remittendi dedit etiam & non remittendi: ergo quando postea addidit, *Quorum retinueritis, retenta sunt*, aliquid amplius voluit significare. Doctrinæ acquiesco, rationem non approbo. Nam facilè responderi posset: Si solùm Christus dixisset prioria verba non iudicandam sufficienter necessitatem absolutionis Sacramentalis, sed solùm Apostolos posse absoluere, vel non absoluere; non verò ideò, si non absoluant, mansura retenta peccata: vt ergo exprimeret necessariam absolutionem, addidit sequentia, quæ tamen de confessione non ideò quidquam dicunt. Meliùs ergo probat hoc ipse ex verborum proprietate: nam *detinere* aliquid amplius est quàm *non remittere*: & vt ad præsentem materiam applicemus, Sacerdos (vel quilibet alius) non absoluens eum, qui ad se non accedit, quia non audit eius confessionem, verè non remittit eius peccata, non tamen ideò ea retinet: hoc enim significat actionem aliquam positiuam nouum vinculum causantem id quod rectè confirmat & aliis verbis Christi Domini, quæ æquiualent præsentibus *Quæcumque alligaueritis super terram*, &c. Matthæi 18. *alligare* enim procul dubio non est idem ac *non soluere*, sed significat *inijcere nouum vinculum*. Porrò *detinere* idem esse ac *ligare* expressè docuit Euthymius his verbis: *Detentionem vero intellige ligationem.*

SECTIO IV.

Amplius declaratur doctrina tradita & soluuntur aliquæ obiectiones.

Quale sit vinculum, quod Sacerdos inducit pœnitenti de timendo eius peccata.

HAc nunc est explicandum, quale sit hoc nouum vinculum, quod à Sacerdote potest imponi. Idem Pater Vasquez ait esse potestatem cogendi pœnitentem antequam ei detur absolutio, vt faciat aliqua opera vel satisfactionis, vel ad medelam in posterum; ratione cuius vinculi non solùm manent non remissa illa peccata, sed etiam de nouo ligata noua obligatione faciendi eam satisfactionem, quæ anteà non erat: & quamdiu pœnitens nolit illi obedire: non poterit iustificari: & licet accedat ad confessionem cum contritione, adhuc tamen accipiet nouum illud vinculum faciendi eam satisfactionem, & petendi posteà absolutionem ab illis peccatis. Et hic videtur fuisse mos in Ecclesia; præmittebatur enim satisfactio in publicis peccatoribus ad absolutionem. Hæc Pater Vasquez.

Satisfactio facta in peccato accedente gratia non valet.

Aliquis fortasse putaret minùs benè ab illo doceri posse pœnitentem obligari ad explendam satisfactionem antequam detur absolutio: quia tunc redderetur illa infructuosa, cùm in statu peccati non possit remittere pœnam. Nihilominùs tamen ex hoc capite non est reiiciendus Vasquez, quia esto pro tempore, quo fieret in peccato ea satisfactio, non extingueret actu pœnam, accedente tamen deinde gratia per absolutionem reuiuisceret & operaretur suum effectum; quia cum operetur ex meritis Christi (iuxta sæpè dicta) habet ea pœnitentia valorem etiam quando fit in peccato vt operetur deinde quando non habuerit impedimentum ex parte subiecti: ideoque communiter docetur illam satisfactionem expletam post absolutionem, homine tamen iam existente in peccato, esto tunc non operetur, operari tamen posteà recedente peccato de quo nos alibi. Nihilominùs tamen non potest sine virgen-

te valdè causa ea absolutionis dilatio fieri: quia in se est periculosa, si fortè interim moriatur homo ille: deinde quia ex opere operantis semper erit maior ea satisfactio facta in statu gratiæ post absolutionem quàm antè. Alia autem opera in medelam in posterum non potest Sacerdos imponere, quia, vt suprà dixi, in tantum potest ea imponere, in quantum potest imponere satisfactionem; & tunc est in manu Sacerdotis eam satisfactionem determinate ad materiam, quæ simul sit præseruatiua in posterum. Fateor Sacerdotem posse negare absolutionem quousque relinquat pœnitens occasionem peccandi, quousque habeat dolorem, &c. hoc tamen commune est omnibus Sacramentis, & oritur ex principio illo superiùs tacto, *Nolite dare sanctum canibus*, id est his qui sunt ad Sacramenta malè dispositi: hoc enim modo possum differre Baptismum quousque meliùs instruatur in Fide, relinquat occasionem peccandi, habeat serium dolorem, &c. & tamen in Baptismo non datur potestas alligandi peccata: ergo ex hoc capite illa non rectè explicatur in hoc Sacramento.

21 *Sine vrgente causa non debet absolutio differri*

Meliùs itaque dicetur eam potestatem alligandi esse in ordine ad satisfactionem imponendam, esto explenda ea sit post obtentam absolutionem. Per hanc ergo impositionem pœnitentiæ imponitur nouum vinculum, ita vt non acceptanti eam satisfactionem non remittatur peccatum; quòd si posteà illam nolit implere, peccabit. Et hoc est speciale in hoc Sacramento, quia nec in Baptismo: nec in aliis potest Minister aliquam satisfactionem imponere. Ex hoc vinculo in illis verbis explicato facilè colligitur decisio huius quæstionis: & probatur clarè, quomodo ex verbis Christi inferatur necessitas confessionis nam ad detinendum, siue ligandum, id est ad imponendum satisfactionis vinculum necessum est causam scire, aliàs non poterit satisfactio esse proportionata. Et hunc putasse Concilij Tridentini discursum, cùm ea Sessione 14. cap. 5. ex verbis Christi Domini intulit necessitatem confessionis; reddidit enim prorationem impositionem satisfactionum his verbis: *Neque æquitatem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Et videtur hæc illatio omnino conuincens: quia sine potestate imponendi satisfactiones non posset intelligi necessaria confessio explicita omnium peccatorum; nam cùm dolenti de peccatis, & emendationem proponenti, æqualiter vnum ac mille remittantur, non esset necessarium ad hanc remissionem, vt Sacerdos sciret, quot essent, & qualia, sed præcisè, quòd sciret illum dolere de peccatis seriò; ergo vnicè colligitur hæc necessitas ex potestate ligandi ea peccata, vt explicatum est à nobis per potestatem imponendi satisfactiones, quæ cùm debeant esse proportionatæ peccatis, oportet vt hæc sciantur ab imponente pœnitentiam. Ex hac etiam doctrina consequenter redditur ratio, cur adhuc sit necessum peccata, de quibus habita est contritio, posteà confiteri; quia scilicet potest Sacerdos illa ligare imponendo satisfactiones; ad quod necessum est vt deferantur ad ipsum, & subijciantur eius clauibus.

22 *Explicatur nexus vinculi impositi.*

Potestas iudicialis data Apostolis amplius explicatur, & confirmatur ex verbis Tridentini de imponenda satisfactione pœnitenti.

23 *Cur habita contritione de peccatis, confessio adhuc necessaria existat.*

Dixi paulò antè, Id vnicè à nobis colligi ex ea satisfactione: nam reipsa si voluisset Christus, dum Sacramentum hoc instituit, haud dubiè etiam sine obligatione imponendi satisfactionem vllam potuisset tamen exigere distinctam peccatorum omnium confessionem: quia liberum illi fuit exigere materiam & formam Sacramentorum pro suo libitu: nunc autem non tam agimus, quid instituerit reipsa quàm vnde id nos colligamus.

Contrà obijcies Primò; Quia verbum *remittere* est in ordine ad culpam; ergo *retinere* illi oppositum solùm etiam erit in ordine ad eamdem culpam. Respondeo, *Remittere* etiam dicere ordinem ad pœnam, quia non sola culpa remittitur sed magna pars pœnæ. Secundò respondeo, Illud *retinere* includere aliquid amplius quàm purè *non condonare*, vt suprà ostensum est, scilicet impositionem noui vinculi; quòd si non acceptet pœnitens, non poterit obtinere remissionem: hoc autem, vt suprà diximus, sola potest esse satisfactio.

24 *Obiectio prima.* *Responsio prima.* *Secunda.*

Secundò obijcies; Ergo quando quis confitetur in anno Iubilei vel in ordine ad obtinendam Indulgentiam plenariam, non erit necessarium numerum & speciem peccati explicare, quod est falsissimum. Sequela probatur; quia tunc non potest Confessarius imponere satisfactiones, qui est vnicus finis confessionis explicitæ peccatorum. Respondeo, Etiamsi in eo casu cesset finis legis, non ideo cessare legem: nam quando lex aliqua vniuersalis datur propter aliquem finem communem non ideò in vno vel in altero casu particulari cessat eius obligatio, etiãsi in eo casu per accidens cesset finis legis: id quod innumeris exemplis potest ostendi. Sic communiter dicitur, simplicem fornicationem ideò esse peccatum mortale, quòd sit in graue damnum prolis, dum parentes, quando vniti non sunt vinculo matrimonij, facilè prolem deserunt, altero in alterum illius curam reiiciente. Quæ ratio licet per accidens cesset in aliquo v. g. non ideo ei licita est fornicatio. Similiter censetur communiter materia sufficiens pro peccato mortali in ordine ad furtum, vnus aureus v.g. quia hæc censetur communiter sufficiens ad graue damnum; & tamen non ideò licet inferre, non fore peccatum mortale homini valde diuiti furari ducatum eò quòd illi non inferatur magnum damnum; nam in legibus vniuersalibus debet considerari motiuum aliquod per se commune, ratione cuius lex obliget ad omnes casus, etiam in quibus per accidens non reperitur illud ipsum motiuum legis.

Obiectio secunda. *Cur confessio in iubilæo requiratur etiã omnia peccata recensenda sint.* *Responsio.*

25

Tertiò obijcies contra necessitatem huius Sacramenti confessionis ex Patrum auctoritate: Nectarius enim Patriarcha Constantinopolitanus, vir pius, prohibuit vsum Sacramentalis confessionis: quam prohibitionem retinuit diu sanctus Chrysostomus eius successor: qui etiam videtur insinuare, non esse necesariam confessionem: ita enim tradit Homilia quarta de Lazaro post medium: idem etiam alij Patres apud Suares suprà num. 39. videntur insinuare. Pater Vasquez, quæst. 90. art. 1. dub. 3. & Suarez suprà respondent, Nectarium abstulisse Presbyterum Pœnitentiarium, qui audiebat publicos peccatores, & eorum peccata publicè posteà ex præsumpta iam licentia referebat coram populo. Ad loca verò Chrysostomi respondetur, eum solùm ibi velle persuadere, vt quàm primùm homo peccat, agat pœnitentiam: ad quod, inquit, non requiritur confessio, sufficit enim contritio: confessio enim suo tempore deinde obligat. Obijcitur etiam Ambrosius Sermone 46. & in cap. 22. Lucæ: vbi ait: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem*

Obiectio tertia. *Explicatur sancti Patres qui videtur negasse necessitatem confessionis.*

gem non lego. Respondeo eum loqui de satisfactione, id est de excusatione & defentione delicti; præmiserat etiam ibi : *Lacryma luuant delictum, quod ore pudor est confiteri*: per quod non negauit necessitatem confessionis, sed dixit eam cauſare pudorem aliquem: quod veriſſimum est.

SECTIO V.

De necessitate huius Sacramenti ex præcepto diuino.

26 *Medium necessarium ad salutem aliquando est in nostra libera potestate, aliquando non. Quæ non sunt nobis libera, nò possunt esse necessaria necessitate præcepti: quæ verò sunt libera etiã sunt necessaria necessitate præcepti naturalis.*

Dicimvs de necessitate medij veniamus iam ad necessitatem præcepti: suppono medium necessarium ad salutem aliquando posse nobis esse liberum, hoc est in potestate nostra illud exequi, licet simul cum gratia, sicut nobis est libera pœnitentia; aliquando verò non esse in nostra potestate, sed alterius sicut sunt auxilia necessaria ad ipsam confessionem, & Baptismus respectu paruulorum, quo posito.

Dico primò: Media, quæ non sunt nobis libera non possunt esse necessaria necessitate præcepti: quia hoc non cadit nisi super rem, quæ à nobis liberè possit executioni mandari.

Dico secvndò, Quæ sunt necessaria necessitate medij, & nobis libera eo ipso esse nobis necessaria necessitate præcepti saltem naturalis, quo obligamur ad prospiciendum æternæ nostræ saluti, & consequenter ad exequenda ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad eamdem salutem: vnde ille, cui constat de ea necessitate medij non solùm non obtinebit salutem omittendi voluntariè illud remedium, sed etiam nouum peccatum committet in ipsa omissione, nisi ex aliquo errore excusetur. Quod vt melius intelligas, aduerte, id quod dicitur medium necessarium ad salutem posse tale esse, & per nullum alium planè possit suppleri, aliquando verò esse quidem per se necessarium, posse tamen suppleri per aliud, vti de Sacramẽto hoc pœnitentiæ diximus posse suppleri per contritionem: si ergo medium sit primo modo rigorosissimo necessarium, tunc habet locum quod dixi de necessitate etiam præcepti naturalis: quia charitas propriè obligat nos ne voluntariè faciamus iactutam summi illius boni, & incurramus è contrario grauissima mala inferni : Quòd si illud medium est necessarium

27 secundo modo (vt suppleri per aliquid aliud possit) tunc ex sola necessitate medij non sequetur obligatio præcepti naturalis: quia si potest illius medij defectus per aliquid aliud suppleri, profectò eo ipso, quod hoc aliud applicem, iam legi charitatis in me sufficienter erit satisfactum: si ergo tale medium est necessarium necessitate præcepti, oportet hoc præceptum esse aliquid positiuum, siue diuinum, siue humanum. Quam doctrinam fusiùs discussi Tomo præcedenti. Quo posito in præsenti quærimus, An Sacramentum hoc Pœnitentiæ sit etiam necessarium ex præcepto aliquod siue diuino, siue humano, siue etiam ex vtroque. Ratio autem dubitandi est, quia benè potuit Christus constituere confessionem vt medium necessarium, & tamen non imponere præceptum vllum de illa aliunde autem non constat de tali præcepto Communis tamen & Catholica doctrina est, dari præceptum diuinum de hoc Sacramento, id quod videtur Tridentinum Sess. 14. cap. 2. definisse dum dixit, *Christum Dominum voluisse vt omnes, qui post Baptismum grauiter peccarent, se sisterent ante hoc tribunal.* Clariùs autem cap. contra illos, qui dixerunt, præceptum Confessionis à Lateranensi Concilio initium sumpsisse, ait, *A Lateranensi Concilio solum fuisse determinatum tempus, quo præceptum diuinum deberet impleri.* Quomodo autem possit præceptum hoc diuinum probari est valdè difficile. Ex Scriptura quidem non nisi institutionem huius Sacramenti possumus habere: ideò dicendum est, de eo præceptò solùm constare ex perpetua Ecclesiæ traditione, vti de multis aliis veritatibus. Eo ergo supposito, decidenda sunt varia dubia, quæ circa illud occurrere possunt.

Est Sacramẽtũ Pœnitẽtiæ necessarium necessitate præcepti.

Primum est, an obliget etiam non baptizatos 28 eo sensu, vt ratione huius Sacramenti suscipiendi teneantur suscipere Baptismum, eo modo, quo multi docent obligari præcepto Eucharistiæ etiam non baptizatos. Respondeo tamen, Eam obligationem non habere hic locum vllo modo: id quod explicatis terminis est euidentissimum; quia non tenetur ad pœnitentiam nisi ille qui peccat postquam est baptizatus: non potest autẽ vllus obligari ad peccandum post baptismum, vt eo modo quasi faciat locum huic Sacramento. Vnde colligitur clara disparitas inter illud & Eucharistiam: nam hæc non præsupponit peccatum, sed alias dispositiones bonas, ad quas potest homo obligari eo fine, vt Eucharistiam sumat: at pœnitentiæ obligatio cùm essentialiter supponat peccatum post Baptismum commissum; non potest eius obligatio, nec quidem remotè, incipere antequam existant ipsa peccata commissa post Baptismum: hæc autem ante Baptismum nõ possunt existere; ergo. Dico *nec remotè*, quia, vt immediate ante notaui, non potest esse obligatio ad ponenda peccata eo animo, vt fit locus pœnitentiæ. *Obligẽne hos præceptũ vtũ baptizatos.*

Secunda difficultas, An Apostoli, postquam 29 fuerunt baptizati, fuerint obligati ad hoc Sacramentum suscipiendum, & an re ipsa illud susceperint. Beatissimam Virginem, quæ nullum habuit, nec quidem veniale peccatum; certum est non fuisse confessam : Apostoli verò qui saltem habuerunt venialia, de illis potuerunt & sine dubio reipsa confessi sunt: illud ergo dubium. An, postquam baptizati sunt, peccauerint grauiter: & an esto illa peccata præceperint institutionem huius Sacramenti, debuerint tamen subiici clauibus pœnitentiæ. Petrus quidem post Baptismum sat grauiter peccauit; de Thoma etiam videtur certum de cæteris nihil constat. Quidquid ergo sit pro præsenti dubio supponimus eos habuisse peccata saltem venialia à Baptismo ad institutionem huius Sacramenti : & quærimus, Vtrùm ea potuerint per hoc Sacramentum remitti. Cardinalis Lugo ait, Si lex noua iuxta aliquorum sententiam) incepit à morte Christi, peccata ab eo tempore commissa pertinere debuisse ad hoc Sacramentum, esto illud deinde institutum : quia erant commissa ab homine baptizato existente intra Ecclesiam Christi, quæ iam inceperat: ergo pertinebunt ad iudices Ecclesiæ signandos postea: nam licet obligatio Sacramenti nondum tunc incepisset sufficiebat tamen, quòd peccata fierent à subdito Ecclesiæ, eo enim ipso subdebantur legibus latis & etiam ferendis: sicut ad Pontificem de nouo creatum pertinet punire delinquẽtem pro delictis commissis Sede vacante, vel an- te *An obligatio. vit Apostoli; & an illud de facto susceperint.* *Sententia Card. Lugi*

te suam electionem ; iam enim fuerunt delicta commissa intra illam Rempublicam:quòd si lex noua primò incepisset à die Pentecostes,consequenter ait peccata ante illam diem commissa non pertinuisse ad hoc Sacramentum;quia non erant commissa ab homine existente iam intra Ecclesiam,iuxta illud Pauli 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de his qua foris sunt iudicare ?* non videntur ergo per potestatem Ecclesiæ iudicanda.Quòd si ei obiicias,Saltem ex deuotione illos potuisse tunc hoc Sacramentum frequentare , sicut poterant Eucharistiam,quam,iuxta aliquos, susceperunt dum essent congregati expectantes Spiritus sancti aduentum; respondetur negando consequentiam,Quia hoc Sacramentum est per modum iudicij quod non poterat exerceri nisi à iudice & Superiore,antequam autem esset Ecclesia,non erant iudices Ecclesiæ;ergo.

30

Iudicij de ea sententia.

Ego has considerationes puto esse congruentias meras, & quidem valdè incertas: cùm enim institutio & præceptum huius Sacramenti à libera Christi voluntate emanuerit, & ille , non obstantibus consuetudinibus aliarum legum,potuerit hoc vel illo modo pro solo suo placito rem instituere,non facilè capio,quomodo statim possimus nos dicere,ea peccata tunc pertinuisse, illa verò alia non,ad hoc Sacramentum.

Delicta cõmissa ante legẽ latã nõ debẽt subiacere pœnæ per legem impositæ.

Secundò dico , Etiam attentis consuetudinibus aliis,non videri eam doctrinam certam:etenim in nulla Republica censentur delicta subiacere pœnæ per nouam legem ferendæ;sed si fertur lex,vt tales vel tales comburantur,tales suspendantur , semper id intelligitur de delictis commissis à lata lege;quia cùm ea feratur ad deterrendos homines à similibus delictis,non esset æquum,vt qui ante vllam talem impositam pœnam peccauerant, postea puniantur pœna nouæ legis : ergo etiamsi esset Ecclesia iam à morte Christi instituta,quia tamen lex de obligatione confessionis non erat lata,non poterant peccata tunc commissa subiacere ei legi.

Tertiò dico , Cùm Baptismus dicatur ianua, per quam intratur in Ecclesiam, profectò Apostoli,à quo sunt baptizati,iam fuerunt in Ecclesia Christi:vnde videtur è contrario inferri,peccata illorum ab eo tempore,etiam antequam lex obligaret, debuisse subiacere legibus latis & ferendis in Ecclesia, quæ tunc quidem erat, nondum tamen obligabat. Quod autem adducitur de delictis Sede vacante , meo iudicio nimiùm probat:etenim nouus Pontifex non solùm delicta tempore Sedis vacantis , sed etiam quæ sub præcedentibus Pontificibus commissa sunt, potest & debet punire si iam nõ fuêre iudicata;ergo Ecclesia succedens loco Synagogæ debuisset iudicare delicta, etiam quæ sub Synagoga fuêre commissa. Quòd si creationem noui Pontificis velimus initio nouæ legis comparare, tunc non deberet admitti,nisi sola delicta post electionem commissa ei subiacere ; si autem etiam sub præcedenti Papa fuit iam eadem Respublica , tunc non fuit necessarium ad Sedem vacantem recurrere,sed dicere,nouum Prætorem,Regem,Pontificem posse punire delicta sub præcedentibus commissa:inde autem inferretur nimis multum pro præsenti quæstione.

31

Denique quòd ait, Apostolos potuisse communicare ante legem inchoatam die Pentecostes, non tamen confiteri,quia adhuc non erat Ecclesia,ideoque nec iudices esse poterant,nullo modo vrget; quia reuerà iam erat Ecclesia Christi licet adhuc eius leges non essent sub obligatione; & iam erant constituti iudices à Christo,licet adhuc non esset obligatio eos accedendi , maximè cum ipse Christus perfectam haberet iurisdictionẽ pro omni lege,& potuerit eis eam facere potestatem. Vides ergo tem totam esse valde dubiam,seu omnino incertam;in qua si licet diuinare,probabile dicerem,à quo institutum est hoc Sacramentum, fuisse eius vsum licitum, non tamen sub obligatione , quousque incepit lex noua.Vtrùm autem tunc reipsa Apostoli sint confessi , videtur mihi adeò incertum , vt nihil omnino dici possit vel quidem apparenter probabile.

SECTIO VI.

Quo tempore obliget hoc præceptum diuinum.

PRAETER Suarez disp. 35.sect.3.& Vasquez q. 90. art 3.referunt nonnullos , qui putant obligare statim post commissum mortale; sunt verò hi Guilielmus Parisiensis , Angelus , Alensis,Rainerius,Bonauentura;qui tamen obligationem hanc solis Religiosis imponit. Hæc difficultas ferè relabitur in eam ; quam de Pœnitentia , prout abstrahit à Sacramento & contritione,suprà tractauimus ; in qua diximus nec obligari statim,nec etiam posse ad longum tempus differre. 32

In præsenti autem Primò dico,Sententiam Bonauenturæ de Religiosis videri omnino improbabilem ; nam Christus Dominus (cùm de Religiosis nihil penitus speciale censeatur statuisse) non potest probabiliter dici,& solos Religiosos obligasse ad eam confessionem; neque ipsi Religiosi suis votis de hac obligatione quidquam promittunt,& licet promitterent,tunc obligatio non esset ex præcepto diuino,sed ex voto.

Secundò dico , Si obligationem hanc haberent,peccarent non confitendo statim ; id quod est planè contra omnium omnino sensum & proximi : si enim esset præceptum diuinum, nemo posset illud tollere;& ex hoc ipso capite contra priorem sententiam ostenditur,nec vniuersaliter esse tale præceptum;nam si esset,nõ potuisset Ecclesia illud tollere. Cùm ergo Concilium Lateranense(id quod deinde in Ecclesia semper seruatum fuit) declarauerit, non esse obligationem confitendi nisi semel in anno , manifestè ostendit,à Christo non fuisse impositum præceptum statim confitendi post commissum peccatum.

33

Præceptũ de suscipiẽdo Sacramẽto Pœnitẽtiæ obligat inantica. lo mortis.

Dicendum ergo est, Etiam seclusso præcepto Ecclesiæ , sine dubio obligare hoc præceptum diuinum in articulo mortis,quia minùs quàm ad hoc non posset obligare;sub quo articulo includitur casus,quo quis iam habet copiam Confessarij , & conscientiam mortalis, & cognoscit,si eam occasionem negligat,se non habiturum vllam amplius in vita sua : includitur etiam periculum graue vitæ. Addit Lugo,Idem esse dicendum,si quis nunc habet peccata reseruata,& aduerterit se postea habiturum quidem Confessarium, qui à non reseruatis absoluat,non tamen à reseruatis, ait ergo, Si nunc habeat Confessarium, qui possit à reseruatis, teneri ea confiteri, quia etiam obligat præceptum ea confitendi.Ego tamen hoc nullo modo admitterem : hic enim

agimus

agimus de præcepto planè diuino, in quo de reseruatis nihil dicitur. Cùm ergo in hora mortis, in qua sola Lugo dicit obligare præceptum diuinum, quilibet Sacerdos etiam directè possit absoluere à reseruatis, non capio, cur non possit ei præcepto diuino, etiam quatenus respicit reseruata, satisfieri differendo eam confessionem ad illam horam, in qua ab eo Confessario, quem sperat se habiturum, non minùs poterit à reseruatis quàm à non reseruatis absolui.

34 *Quid sibi velit obligatio Medicis imposita de monendis infirmis vltra triduum, nisi confiteantur.*

Quâ occasione agitur de obligatione, quam Pius V. Bullâ editâ anno 1566. imposuit Medicis, vt vltra tertium diem non visitent infirmum, nisi eis constet confessum iam illum fuisse. De qua obligatione tractant Doctores, quos citat Diana Tomo 2. Tractatu 14. resolut. 41. qui omnes in eo conueniunt, quòd hæc obligatio solùm haberet locum, quando morbus est periculosus, vel timetur, ne repentè reddatur periculosus; imò addunt, si Medicus monuit de confessione, & infirmus eam negligat, non ideò eum deserendum. Et sanè praxis ita videtur eam obligationem accepisse.

Pater Gaspar Hurtadus disput. 7. difficul. 4. docet, Præceptum diuinum Christi de confessione obligare etiam extra articulum mortis; nam si Christus solùm p o morte obligasset, non potuisset præceptum Ecclesiæ de confessione annua dici determinatio præcepti diuini; addit tamen, nullum esse determinatum tempus à Christo, imò nec positiuè obligasse extra articulum mortis, sed reliquisse huius determinationem Ecclesiæ; ideóque si hæc non determinasset tempus extra eum articulum, nullo modo obligaturum præceptum diuinum extra illum.

35 Hæc doctrina non videtur satis consequenter tradita: nam si totum hoc Christus reliquit determinationi Ecclesiæ, non videtur aliter hoc præceptum Ecclesiæ esse determinationem diuini quam præceptum ieiunij, reliquaque præcepta Ecclesiastica: nam etiam ad hæc imponenda dedit Christus potestatem Ecclesiæ: quia omnis potestas Ecclesiæ vnicè prouenit à Christo. Certum est autem non eo sensu dixisse Tridentinum, præceptum annuæ confessionis esse determinationem diuini, vt fecerit tantùm illi potestatem præcipiendi hanc confessionem. Deindè non capio, quomodo cohæreat prima pars eius doctrinæ, quòd scilicet præceptum Christi etiam obliget extra mortis articulum, cum secunda, quâ dicitur Christum non mandasse positiuè, vt extra mortis articulum confiterentur; iam enim eo ipso non est verum, quòd vltra mortis articulum obliget Christi præceptum. *Obligat etiã extra mortis articulum præceptum de pœnitentia.* Quidquid tamen de doctrinæ consequentia sit, iudico, primam illam partem, quòd Christus etiam obligauerit extra mortis articulum, esse veram, & probari sufficienter ratione allata ab eodem Hurtado; quia alioquin præceptum annuæ confessionis non esset illius determinatio, sed nouum planè quid. Iudico præterea extra mortis articulum quoties ea obligatio sit, non determinasse, sed id reliquisse determinandum Ecclesiæ: quo discursu saluatur declaratio Tridentini.

36 Adhuc tamen restat difficultas: Quid si Ecclesia non determinasset vllum tempus quoties obligaret illud præceptum. Respondeo, Si Christus ipse non determinauit tempus, quomodo nos possumus illud determinare? Fortasse sufficeret semel confiteri extra illum articulum, nisi ipse Christus expressè requisiuisset, vt pluries: id quod nobis est omnino incertum, ideóque non est in eo puncto diutius hærendum: maximè cùm suppositâ determinatione Ecclesiæ tota ea quæstio sit in ordine ad praxin inutilis.

Metus obliuiscendi peccatorum non obligat ad actiuè confitendum peccatorum. Non defuere præterea aliqui, qui de facto eam obligationem etiam extra mortis periculum admittentes dixerint, Ex præcepto diuino obligari ad confitendum illum, qui timet ne peccatorum suorum obliuiscatur: ita Medina & Nunnus, quos eo Tomo 2. Tractatu 4. resolut. 151. citat Diana, qui tamen cum ceteris Theologis negat eam obligationem: eum sequitur Lugo suprà num. 41. Id quod mihi etiam placet, & probatur: quia pauci sunt, qui non se exponant periculo intra integrum annum obliuiscendi aliqua peccata: & tamen non ideò obligantur ad confessionem statim faciendam, aut ad scribenda sua peccata. Ratio autem vlterior est, quia confitendo aliqua, postea obtinebunt remissionem etiam eorum, quorum sunt obliti. Ex quo capite confirmatur id quod paulò antè dixi contra eumdem Lugo, non teneri scilicet confiteri nunc reseruata eò quòd non sit habiturus posteà aliquem, qui ab eis directè absoluat. Etenim sicut peccata, quorum quis obliuiscitur, remittentur posteà indirectè, ita etiam reseruata; & verò multò melius, quia hæc in hora mortis directè à quolibet Confessario remittuntur: at ea, quorum non recordor, non remittuntur nisi indirectè: ideóque est obligatio, si quis conualescens deinde recordetur, ea confitendi. Non igitur est ea obligatio ratione obliuionis admittenda: est tamen, si sumenda sit Eucharistia, iuxta dicta suo loco. Additur præterea alius casus huius obligationis, si scilicet confessio esset medium necessarium ad vincendas grauissimas tentationes, ita vt à non adhibitâ iudicaret homo se certò lapsurum. Hæc tamen obligatio iam non ad præceptum Christi, sed ad naturale reducenda est, si tamen detur. Caietanus quidem in Summa, verbo *Confessio.* §. *Quinta frequens*, & Petrus Soto de Institutione Sacerdotum sect. 5. de necessitate confessionis: quos refert Suarez disput. 35. sect. 3. num. 10. eorum verò verba ad longum adducit Lugo suprà numero 43. valdè dubij sunt, an non propter huiusmodi periculum sit obligatio frequentiùs confitendi quàm semel intra annum. Suarez suprà num 11. etsi valdè vrgeat argumentum hoc, quòd teneatur homo adhibere medium illud, quod iudicat esse necessarium hîc & nunc ad grauia peccata vitanda, absolutè tamen concludit his verbis: *sed tamen Auctores non imponunt hanc obligationem, & ego eam non impono.* Pro solutione autem argumenti ait Primò: Periculum ad peccatum in genere non iudicari moraliter proximam occasionem. Respondet Secundò, Moraliter vix posse contingere casum, in quo confessio sit necessaria ad vitanda noua peccata. Prima solutio Suarez à nobis suprà est reiecta; vt enim aliqua sit occasio proxima peccati, non requiritur, quòd sit certi alicuius peccati, sed sufficit, si sit alicuius in communi: vnde è contrario si confessio censeatur necessaria moraliter ad vitandum aliquod peccatum mortale in communi, non minor erit obligatio eam amplectendi, quàm si esset medium ad particulare aliquod peccatum vitandum, vt benè notauit Lugo suprà num. 45.

37 *An obligetur quis ad confessionem, si aliter non posset vincere grauissimas tentationes.*

Suarez sententia.

38

Dicendum ergo absolutè est, Non obligari commu-

communiter homines ad confitendum frequentiùs quam semel in anno. Hæc adeò est communis inter omnes Doctores, vt hi duo vel tres, qui magis difficultatem in contrarium vtserunt, non sint ausi absolutè eam obligationem adstruere, sed tantùm monuerint, vt quilibet attenderet sibi. Et sanè si ex eo quod ferè omnes, qui per annum differunt confessionem, cadant frequenter in peccata grauia, obligantur iure naturali seu diuino ad frequentius confitendum, gratis, imò periculosè dixisset Ecclesia, se non obligare ad confessionem nisi semel in anno: inde enim omnes iudicant se ampliùs non teneri: & consequenter dat illis Ecclesia grauem occasionem transgrediendi, saltem materialiter, præceptum diuinum, & grauiter errandi circa obligationem. Imò deberent Theologi & Concionatores in Cathedris & Scholis monere plebem de ea frequentiori obligatione. Habetque maiorem vim argumentum, eo quod Ecclesia non ignorat eos, qui tam rarò frequentant confessionem, mortaliter sæpè peccare: nec tamen cogit ad confessionem annuam, nisi illos qui mortalia habent: & de quibus hi Auctores dicunt, quòd frequenter cadant: ergo supponit illos ipsos non obligari nisi ad semel confitendum intra annum. Huic argumento fortassis possit responderi, Ecclesiam suo præcepto non tollere obligationem naturalem, sed præter illam imponere aliam, vt in anno semel confiteatur, siue sit periculum lapsus, siue non. Sed contra manifestè: quia hi auctores vniuersaliter insinuant esse in omnibus obligationem frequentiùs confitendi: eo autè ipso iam præceptum Ecclesiæ esset inutile, quia illi plusquam abunde satisfacerent, qui confiterentur bis vel ter, siue id facerent animo, vt impediret peccata, siue quocumque alio: neque enim Ecclesia dixit, *Confitearis semel vltra illas alias vices, quibus propter vitandum peccatum debebas confiteri.* Nihil ergo per eam solutionem dicitur, quod minuat difficultatem.

Resolvitur quæstio & sententia ne gans probatur Prim

39

Probatur Secundò.

Secundò principaliter potest ea sententia cõmunis probari; Nam vel illa obligatio confessionem frequentandi locum habet, antequam homo incidat in mortale, & quando tolùm habet venialia: vel postquam iam est relapsus in mortale aliquod: neutrum autem dici potest: ergo non primum, quia Tridentinum dixit expressè non esse obligationem confitendi venialia, neque vllus vnquam obligauit ad talem confessionem, nisi fortè in Religiosis Ordinibus, in quibus ratione regularum repetitur talis obligatio, quæ non prouenit ex Christi institutione, sed ex voluntaria acceptatione ipsorum, sicut aliæ obligationes paupertatis, castitatis & obedientiæ.

40 Confirmatur: Quia si esset ea obligatio confitendi venialia, esset obligatio sub mortali ad ea detestanda ad deferenda: ad nemo obligatur sub mortali ad detestanda venialia. Licet enim aliquando dici soleat, quòd venialia disponant ad mortale, id tamen debet intelligi valdè remote: vnde rarò est proxima occasio quasi infallibilis. Deinde suprà diximus, Etiamsi ad ipsas occasiones proximas, & quasi moraliter certas peccati mortalis vitandas non esse obligationem, si sit grauis aliqua difficultas in cessatione ab illis, cùm venialia omnia fugere sit validè difficile, esto ex illis periculum aliquod mortalis oriatur, non est propterea obligatio sub mortali ad ea vitanda.

Ne verò quæstionem præsentem faciamus dependentem ab his, à quibus ex se est independens, dico, Esto ob vitanda mortalia sit obligatio aliquando vitandi etiam venialia, inde tamen nihil inferri omnino pro quæstione præsenti; Primò, quia ea obligatio non est vniuersalis, sed quando est aliquod veniale valde vicinum mortali, & est consuetudo & potens affectus circa illud veniale; nos autem hic agimus de obligatione vniuersali.

Secundò dico: Quia inde tolùm sequeretur, quòd homo deberet fugere ea venialia, &, si vis, eorum etiam procurare remissionem: hinc tamen nihil de obligatione confessioni colligitur, quia & sine confessione potest homo venialia fugere, & variis modis diuersis ab hoc Sacramento potest remissionem illorum procurare, vt docet Tridentinum: ergo ratione venialium manifestè constat non posse talem obligationem ad frequentiorem confessionem admitti, id quod adhuc vrgebimus fortiùs statim nouo argumento.

41 *Probatur Tertiò.*

Quòd verò non possit dici secundum suprà insinuatum obligari scilicet ad confessionem post admissum primum mortale probo manifestè: & hæc sit ratio vniuersalis etiam contra obligationem confessionis venialium: quia confessio vix potest alio modo habere vim vitandi mortale, secundùm quòd timetur, quàm quia inclusit dolorem de præcedenti commisso, & propositum vlteriùs non peccandi hoc autem totum haberi potest sine ea ipsa confessione: potest enim quis de illo alteri imò & conteri, deflere illud, alias pœnitentias adhibere contra illud, &c. quæ maiorem etiam vim habeant ad frænandum hominem, quàm habeat confessio: quia hæc suprà præcedentia tolùm addit absolutionem & ipsam confessionem: confessio autem ex se non adfert illud remedium, quia tolùm potest causare aliquem pudorem dicendi alteri suum peccatum: qui pudor habet fine dubio vim aliquam retrahendi à peccato: at cùm iam loquamur, postquam commissum est peccatum, & illud siue hodie in fine anni sit declarandum Confessario, non potest me retrahere à confessione statim facienda, aut è contrario specialiter obligare vt statim confitear; vt verò fugiam secundum peccatum ob timorem illud dicendi Confessario, nihil iuuat confessio iam facta alterius commissi. Vno verbo, tota ea vis retrahendi est in ordine ad confessionem præteritam: cúmque non sit obligatio nisi semel confitendi quodlibet peccatum, non potest is pudor magis obligare ad frequentes confessiones statim prout committuntur peccata, quàm ad vnam, quà omnia simul dicuntur. Deinde absolutio præterita etsi adferat gratiam habitualem, non tamen ideò est ad intentum nostrum necessaria: Primò, quia si talis homo detestatus est mortale illud per actum contritionis, etiam accepit gratiam. Secundò, quia gratia habitualis non est simpliciter necessaria ad manendum vno anno sine peccato mortali, quod si tamen id admittatur; poterit ille homo per actum amoris Dei super omnia id compensare.

Hanc totam doctrinam confirmo meo iudicio euidentissimè: Nam ex eo quòd in lege gratiæ fuerit instituturum hoc Sacramentum confessionis, quod non fuit olim in lege veteri, non habent homines maiores tentationes ad peccandũ mortaliter quàm olim habuerint: deinde suppono eos etiam olim potuisse vitare proximam occasionem

42 *Probatur Quartò.*

occasionem peccandi, esto non habuerin hoc Sacramentum; hinc argumentor clarè; Ergo sicut in lege scripta & naturæ poterant homines siue per actum contritionis, siue amoris Dei super omnia, siue aliis viis armare se contra occasiones proximas peccati sine pœnitentiæ Sacramento; ita eodem modo poterit tunc id fieri sine receptione Sacramenti Pœnitentiæ.

Et hinc facilè respondetur ad argumentum suprà positum, Quòd qui tantùm semel in anno confitentur, cadant frequentissimè. In primis enim rogo, An id etiam olim fuerit, quando institutum non erat hoc Sacramentum: si dicant non fuisse, etiam ego dicam, neque nunc esse; quia iam ostendi ex hoc capite homines non esse nunc peioris conditionis quam fuerint priùs; dicere autem, illos etiam tunc omnes lapsos in grauia peccata, est improbabile, maximè cùm tunc non solùm frequentiùs, sed nec semel in anno potuerint tale remedium confessionis adhibere. Relinquitne ergo Deus hominès tunc in occasione quasi necessaria semper peccandi? 43 Absit. Quòd si potuère per eos actus, quos iam diximus, doloris, &c. ea omnia peccata vitare, idem dici nunc potest. Respondeo ergo absolutè, Si qui sunt de facto, qui cùm semel in anno confiteantur, sæpiùs cadant, id prouenire, quia illi magis propter formidinem, ne incidant in excommunicationem, confitentur, quàm cum serio dolore & animo emendationis. Accedit, quòd tales toto anno vix de vllo dolore, de peccatis, de vllo proposito emendationis cogitant, multò minùs de vllo amore Dei super omnia. An autem ad hunc amorem sit obligatio frequentiùs quàm semel in anno, non est huius loci; de eo dixi & Tomo de Charitate, & suprà tractando de obligatione agendi pœnitentiam per contritionem, vbi, vt longè probabiliùs docui esse frequentiorem eam obligationem. Denique in hoc puncto concludo, si eum casum metaphysicum admittamus, quòd aliquis experiatur non posse se moraliter alio modo vitare peccata mortalia quàm frequentando confessionem posset in illo admitti obligatio confitendi. In quo puncto nemo melior iudex esse debet, quàm ipse pœnitens, maximè si cetera media tentauit, & nihil sibi prodesse deprehendit, tunc ipse suam obligationem agnoscet; Confessarius autem de ea non debet ei facere mentionem, sed independenter ab obligatione hortari eum ad frequentiam confessionis; sæpè autem pro pœnitentia eam ipsam maiorem frequentiam imponere illi erit valdè vtilis praxis.

Quare sæpius peccent illi, qui valdè vereri debent

In quo casu esset admitti obligatio sæpius in anno confitendi.

SECTIO VII.

An præceptum diuinum obliget ad confessionem per interpretem

44 VETA sub hoc titulo includuntur, quæ sunt singillatim discutienda. Et primò suppono ex Christi institutione non esse, aut quòd confessio fiat publicè, ita vt non possit fieri secretò, aut è contrario, quòd fiat secretò, ita vt fieri non possit publicè, etiamsi pauci aliqui vt Scotus, Gabriel & Angelus dixerint eam non posse fieri publicè: hi tamen nullum penitus habent pro se fundamentum: E contrario autem constant, olim fuisse in Ecclesia aliquibus partibus consuetudinem faciendi aliquando publicè confessionem; & verò etiam de facto quando inmari in surgit repentè tempestas, & Sacerdos non potest omnes seorsim audire, suaderur communiter, vt singuli publicè saltem vnum peccatum dicant, vt omnes simul absoluantur. Hoc suppositio Primò quæritur, An quando Confessarius non intelligit pœnitentis linguam, possit fieri confessio per interpretem. Omnes omnino affirmant posse; patet autem clarè, nam quandocumque infirmus immediatè non potuit Confessario dare signa doloris, sed aliis præsentibus, qui postea aduenienti Confessario id dicunt, tunc fit in toto rigore confessio per interpretem; hoc autem posse fieri est satis superque à nobis suprà probatum.

In quo casu suadeatur publica confessio etiam hodie

Confessio fieri potest per interpretē.

Hoc idem probat Lugo à fortiori ex Sacramento Matrimonij, quod potest contrahi per interpretem, in quo putat ipse minùs benè locutum Thomam Sanchez, qui lib. 3. de Matrimonio disput. 39. iudicat difficilius esse, quòd Pœnitentia fiat per interpretem, quàm quòd Matrimonium. Ratio Cardinalis est, quia Parochus in Matrimonio ponitur, vt possit deinde esse testis coram Ecclesia; si autem contrahentes postea licerent interpretem mentitum, non posset ille testari contrarium: at Confessarius non debet habere notitiam, quâ possit postea apud Ecclesiam probare peccatum pœnitentis, sed talem vt possit in foro interno pœnitenti contra se loquenti credere; ad hoc autem sufficit modus ille loquendi per interpretem. Ego tamen in hoc puncto dico, nec maiorem nec minorem esse quoad hoc difficultatem in vno quàm in altero Sacramento. Et quidem quòd non sit facilius in Sacramento Matrimonij, videtur benè probatum à Cardinali: quòd autem è contrario nec difficilius in eo sit patet; quia sicut Parochus ideò constituitur vt testetur, ac proinde videatur debere ipse immediatè ipsos contrahentes audire vt certò possit testari; ita Sacerdos cùm debeat ipse esse iudex, & designare pœnitentiam, deberet ipse immediatè intelligere pœnitentem: ibi enim ego eamdem faciam interrogationem; Quid si interpres vnum peccatum pro alio supposuit, & pro reseruato dixit non reseruatum, vel è contrario, aut pro mortali veniale? Cur ergo hic non deberet iudicari magis periculosa deceptio quàm ibi circa Parochum? aut saltem cur non æqualis? quod enim ait hic Auctor, ad iudicandum in foro interno sufficere eam confessionem per interpretem, hoc ipsum est in quæstione: & reuerà (vt immediatè ostendi) æquè, si non magis posset esse periculosa deceptio in confessione quàm in matrimonio; ergo his comparationibus omissis sufficiant quæ diximus.

45

46

Secundò & præcipuè quæritur, Vtrùm non solùm possit, sed etiam ex præcepto diuino sit obligatio ad eam confessionem per interpretem, quando aliter non potest fieri. Duæ sunt sententiæ vna communis negat; pro qua stant Caietanus, Ledesma, Petrus & Dominicus Soto, Vasquez, Suarez, Coninch. & alij, quos refert & sequitur Diana; secunda ait omnino obligari; hanc tenent Syluester, Canus & alij, quos refert Suarez disput. 16. sect. 6. num. 1. quibus adhæret Lugo num. 65. licet contrariam sententiam saltem propter tantam auctoritatem iudicet pro. babilissimam. Sententia communis fundatur in eo quòd Christus noluerit obligare ad confessionem

An præceptum diuinum obliget ad confessionem per interpretem.

Fundamentū sententiæ negantis.

sionem cum eo incommodo, vt alius præter Confessarium debeat scire mea peccata: ideò enim omnes excusant ab obligatione confitendi eo ipso, quòd scirem meum Confessarium vel vni tantùm alteri reuelaturum mea peccata. Confirmatur: Quia Tridentinum Sessione 14. 47 cap. 5. dixit non esse obligationem ex præcepto diuino ad publicam confessionem: ergo non erit ad confessionem per interpretem, quia hæc est quodammodò publica. Sententia contraria af-

Fundamentum sententiæ asserentis. firmans hoc habet fundamentum, quod aliquando sit obligatio confitendi, ita vt vnus alius præter Confessarium sciat peccata: id quod maximè vrget Lugo in casibus reseruatis; vbi & Superior & Confessarius sciunt illud peccatum varias autem solutiones refert reiicitque eo loco; vbi tamen addit, eam obligationem confitendi per interpretem solùm esse circa horam mortis, non tamen ad confessionem annuam; quia ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentia & remissionibus, constat expressè, obligationem confessionis annuæ solùm esse vt pœnitens solus confiteatur proprio Sacerdoti.

Iudicium de sententia asserentis. Hæc est tota vtriusque sententiæ substantia circa hoc punctum; in quo Primò censeo sententiam Cani, Syluestri & Lugo non satis consequenter tradi. Cùm enim Lugo fateatur eam instantiam de casibus reseruatis non esse talem, vt probet obligari ad confessionem per interpretem, quoties quis obligatur ad recurrendum ad Superiorem, quando habet casus reseruatos, profectò iam gratis omnino dicitur eam instantiam probare, quòd saltem in articulo mortis homo obligetur. Etenim si instantia illa deficit 48 in vno puncto, quis determinabit posteà, an non deficiat in altero? aut vnde constat Christum voluisse obligare eo modo in articulo mortis, & non voluisse, quoties aliàs obligat præceptum confessionis Ecclesiasticum, cùm hoc sit determinatio diuini?

Ad hoc vltimum respondebis colligi, quia vt paulò antè notatum est, Lateranense Concilium expressè dixit non obligari præcepto annuæ confessionis, nisi vt solus confiteatur. Sed contrà; ergo saltem in aliis casibus, quando obligat præceptum diuinum confessionis quà diuinum, erit obligatio eo modo confitendi per interpretem: illud autem præceptum vrget, quandocumque est sumenda Eucharistia; ergo pro hoc casu non potest differentia vlla sumi ex præcepto Lateranensis Concilij, ac proinde adhuc manet ea dubitandi ratio, quam paulò antè dixi, vnde scilicet possit colligi, Christum Dominum voluisse suum præceptum diuinum obligans ad confessionem in duobus casibus positis, scilicet in hora mortis & quando est sumenda Eucharistia, obligare ad confessionem per interpretem; in confessione verò annua ad id non obligare? Certè cùm hoc totum sit ex puta puta voluntate Christi, qui haud dubiè in omnibus tribus potuit, potuit in nullo, potuit pro sumenda Eucharistia, non pro morte; & è contrario quomodo potest colligi ea differentia quam hic Auctor adstruit? quandoquidem auctoritas communis, quæ in quæstionibus à voluntate Christi pendentibus vnicum solet esse fundamentum, non est pro hoc Auctore, sed contra 49 illum, ipsomet teste? Et hinc obiter reiicitur quædam instantia, quæ fortè posset contra me adduci, quòd aliquando difficultas conficiendi, v.g. conficere sex milliaria pro confessione præmittenda ante Eucharistiam, excuset ab ipsa confessione, licet ea sit sub præcepto diuino, eadem tamen difficultas non excusat in hora mortis: teneor enim etiam à sex milliaribus Confessarium vocare. Huic inquam instantiæ facilè respondetur ex dictis, Constare nobis ex communi sensu Theologorum, Christum voluisse in eo casu ad confessionem obligare, non voluisse in altero; at pro ea differentia, quam ponit hic Auctor, nullam habemus auctoritatem, quin potiùs tota illa est contraria. Adde, in illa instantia de itinere sex milliarium meo iudicio variari terminos; nam dum de homine sano agitur, dicitur quòd non teneatur conficere sex milliaria: aliud autem est ipsum conficere, aliud mittere ad sex milliaria pro Confessario. Vnde clarè apparet differentia, nam si ego sanus mitterem pro alio, nolle ille venire; si autem infirmus mitterem, veniret; quia hic apprehenditur maior necessitas mea, cui alter cum aliquo incommodo succurret, non tam vt ego satisfaciam præcepto diuino, quàm ne ob defectum confessionis æternùm damner. Si autem ponerem, quòd ego de vita periclitans deberem ipse conficere illa sex milliaria, fortasse non cogeter ad id, sicut non cogor, quando sum communicaturus.

Adde secundam differentiam; nam si pro Communione ita excurrerem, ostenderem ferè manifestè aliis me recenter commisisse aliquod mortale, ob quo I non audeo celebrare, aut communicare sine confessione: at circa horam mortis quia agitur de æterna vita, sine vlla speciali suspicione noua mortalis alicuius, potest adhiberi diligentia tanta vocandi Confessarium, maximè propter periculum quod dixi: huic autem periculo etiam sine confessione per interpretem facilimè occurritur, si moribundus det signa doloris, & petat Confessarium, esto nullum peccatum dicat in particulari, quia tunc omnia saltem ind rectè remittentur. Vides eam responsionem ex Concilio Lateranensi non euacuare nostram difficultatem.

50 Cur sanus excusari possit ab eundo Confessario valdè procul differe ante sumptionem Eucharistiæ, non item moribundus ab eo procul arcessendo.

Secundò circa illam est mihi satis dubium, Vtrùm illa particula *solus* sit ibi posita à Concilio animo excludendi interpretem (vt ait hic Auctor) an verò iuxta phrasim, quam Tridentinum posteà tenuit ad excludendam obligationem confessionis publicæ: publicæ inquam, eo sensu quo Tridentium dixit. At hic Auctor fatetur eam confessionem per interpretem non esse confessionem publicam, de qua Tridentinum dixit non esse obligationem ex præcepto diuino; hoc enim necessariò debet admittere, vt respondeat ei definitioni: ergo eadem planè ratione possumus dicere *tò solus* ibi non intelligendum de interprete (de quo Lateranense nihil ibi videtur cogitasse) sed de publica, quæ olim solebat in aliquibus Ecclesiis esse. Vnde Patet Vas- 51 quez (licet omiserit illud verbum *solus*, in quo videtur esse aliqua difficultas, & ob quod eum reprehendit Lugo) re tamen ipsa benè docuit ea quæstione 91. art. 4. dub. 3. n. 9. contra Syluestrum, si semel dicatur obligari nos in articulo mortis ad confessionem per interpretem, etiam fore obligationem ad satisfaciendum præcepto annuæ confessionis per interpretem.

Lapsus in casum reseruatum non tenetur duobus confiteri, cùm possit immediatè adire Superiorem.

Secundò dico, Instantiam de casibus reseruatis non vrgere non solùm ex integro, quòd & Aduersarij fatentur, sed nec ex parte: quia reuerà ibi non est vlla obligatio confitendi duobus, aut duobus patefaciendi suum peccatum, sed tantùm

tantùm vni. Si enim velit pœnitens, qui per se accedit Superiorem, potest eum cogere vt audiat: nec reiicere eum Superior potest ad alterum, sed subditus ei dicere potest, *Ego nolo peccatum meum duobus dicere, tu me audiasi*, tenebitúrque eum audire: vel certè habebit ibi locum sententia, quæ docet posse tunc dimidiari confessionem, vt Prælatus absoluat ab eo reseruato mittendo subditum cum ceteris peccatis ad Confessarium ordinarium: quo casu nullum peccatum cogetur dicere duobus. Solùm tamen posset esse difficultas aliqua, si Superior non esset Sacerdos. At in eo casu dicimus posse licentiam peti per Confessarium ordinarium: & fortasse non poterit tunc obligare Superior, vt sibi etiam peccatum illud reueletur: neque obest, quòd aliquando quis possit confiteri inferiori cum onere comparendi Superiori; vt Religiosus in itinere incidens in casum reseruatum, & ille qui horâ mortis absoluitur à casibus reseruatis Papæ: tenetur enim postea se sistere saltem ratione excommunicationis: & consequenter debet duobus manifestare sua peccata: hoc inquã non obest: potest enim pœnitens in via, si vult, differre confessionem vsque dum redeat domum: & iam quoad illum erit eadem omnino difficultas, quæ in ceteris omnibus. In casu autem mortis ea obligatio non oritur ratione peccatorum, sed ratione excommunicationis; Ecclesia enim potest pro delictis aliquibus enormibus & publicis pœnam imponere, quæ non remittatur, nisi se reus sistat: in eo autem ipso casu potest petere per Confessarium eam absolutionem ita, vt non reueletur peccatum duobus. Deinde vniuersaliùs respondeo hærendo fundamento tradito paulò superiùs: dico ergo, De potestate reseruationis & excommunicationis constare nobis ex Ecclesiæ definitione & sensu eiusdem Ecclesiæ: vnde si ex eo capite sequitur necessariò, quòd debeat peccatum reuelari duobus, totum id in Christi voluntatem cognitam per Ecclesiam reducetur: at de hac confessione per interpretem nihil omnino constat: imò in contrarium ex communi sensu Theologorum: quid ergo mirum, si consequentia à reseruatis ad hanc confessionẽ per interpretem ex integro deficiat?

52

53 *Obiectio.* Dices: Illud incommodum notitiæ dandæ duobus, scilicet interpreti & Confessario, vel non est graue simpliciter (vt multi docent, qui censent non esse mortale reuelare crimen proximi occultum vni viro prudenti, qui illud non est reuelaturus:) vel certè si illud sit graue detrimentum, non est tamen tantum, vt propter illud excuseмur omnino ab obligatione præcepti de confessione saltem in mortis articulo, vt constat ex exemplis adductis. *Responsio.* Respondeo, Hanc rationem etiam probare, me in mortis articulo obligari ad confessionem, etiamsi mihi constet, quòd meus Confessarius sit reuelaturus meum peccatum vni tali viro prudenti: dicam enim eodem modo, illam manifestationem vel non esse grauem, vel non adeò, vt in mortis articulo excuset. Vbi aduerte, me hac instantia non confirmare absolutè communem sententiam, sed solùm ostendere, hanc rationem aduersæ partis nimiùm probare: id quod manifestè inde conuincitur.

Ex his concludo, Etsi in re hac tota pendente à voluntate Christi, qui (vt suprà notaui) potuit etiam cum eo incommodo nos obligare, nihil habeamus certi: ob auctoritatem tamen communem in hoc ipso puncto, & ob maiorem connexionem huius doctrinæ cum aliis doctrinis etiam communibus, quòd scilicet quando est periculum ne peccatum reueletur alteri quàm Confessario, non teneatur ad confessionem: iudico dicendum, non esse obligationem ad eam confessionem per interpretem, etiam in mortis articulo.

Probabilius est etiã in articulo mortis non teneri quem confiteri per interpretem.

Obserսo autem, meritò Cardinalem Lugo reiicere Suarium & Dianam, eò quòd dicant ad excusationem à confessione sufficere, quòd habeat pœnitens probabile iudicium de contritione: etenim qui solùm habet probabile iudicium, potest in eo errare: ac proinde si re ipsa careat contritione, damnabitur, quia probabile iudicium tunc non faciet illum contritum; non ergo sufficit probabilis coniectura. Si ageretur de re, vbi bona fides excusat, locum haberet ea probabilitas: at in casu præsenti nullo modo: deberet ergo talis tunc vel cedendo iure confiteri, vel saltem vnum mo tale aut veniale confiteri dolendo de omnibus, & se de illis accusando, vt ab omnibus absolueretur indirectè, cum onere tamen posteà, si superuiuat, ea confitendi, quando, siue interprete per seipsum immediatè possit.

54

Quid sit confiteri. si tunc moribundus haberet de sua contritione.

SECTIO VIII.

An etiam sit obligatio ad confessionem per scripturam.

55

NON loquimur in absentia; iam enim suprà diximus id non esse licitum, nec validum, sed in præsentia. Circa quod duo possunt quæri: Primò, An possit id fieri, quando pœnitens se non aliter potest explicare. Secundò, An, esto possit, valeat tamen confessio eo modo facta, aut etiam licita sit. Circa primum certum est sicut quando infirmus non potest loqui, sufficit, si nutibus se explicet; ita à fortiori sufficere, si id faciat per scripturam datam Sacerdoti. Neque in hoc potest esse vlla ratio dubitandi, cùm ea scriptura longè meliùs explicet peccata quàm nutus. Quòd si pœnitens possit loqui, negarunt aliqui fore validam confessionem per scripturam: ita Richardus, Paludanus & Soto apud Vasquez suprà dub. 4. num. 1. probari autem ea sententia posset ex Florentino, quòd docet, materiam huius Sacramenti esse confessionem oris. Hæc tamen ratio etiam probaret nec illum, qui non potest loqui; posse validè confiteri per nutum, aut scripturam, vel alia signa; quod est contra hos ipsos Auctores: sequela verò patet, quia Concilium ibi non facit vllam exceptionem inter eos casus, sed absolutè & vniuersaliter loquitur. Respondetur ergo, Ibi per oris confessionem intelligi manifestationem suorum peccatorum Sacerdoti: ita enim ipsum Concilium se explicat, & ad vitandas eas difficultates Tridentinum Sessione 14. cap. 3. solùm dixit *Confessio*: est autem rigorosa confessio delicti, quando reus scripto fatetur suum crimen.

Qui loqui nequit, potest per scripturã confiteri Sacerdoti præsenti.

56 *Etiam qui loqui potest, validè sic confiteretur, modò addat se de illis scriptis peccatis dolere.*

Dicendum ergo omnino esse validam talem confessionem, vt D. Thomas in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiuncula 2. ad 2. & quodlibero 1. art. 10. docet, & cum eo ceteri Theologi, quia Christus confessionem criminis solùm petiit pro materia; ea autem, vt dixi, fieri potest per scripturam: ergo. Maior est difficultas, an saltem

saltem præcepto aliquo humano id sit prohibitum. Nusquam habetur tale præceptum.

Obiicitur. Obiici tamen solet Augustinus lib. de Vera & falsa pœnitentia cap. 10. vbi ex historia leprosorum, quos ad Sacerdotes Christus remisit, docet, confessionem non per nuntium, non per scripturam faciendam. Respondetur tamen. Et librum illum non esse Augustini, & ibi solùm excludi scripturam absenti Sacerdoti missam, solùm enim requirit, vt præsentet se Sacerdoti; licet tamen ea prohibitio scripta non reperiatur, Suarez disput. 21. sect. 3. & Vasquez suprà numero 7. putant id non licere ex Ecclesiæ consuetudine. Dicendum tamen cum Lugo, Pœnitentem, qui datâ schedâ, in qua sunt scripta peccata, dicit Confessario, *De his me accuso, & peto absolutionem*, non peccare etiam consuetudinem
57 Ecclesiæ. Et reuerà in hoc puncto & Suarez & Vasquez non videntur consequenter locuti, vt & benè notauit idem Lugo: etenim communis sententia, quam illi duo & alij defendunt, docet, si Confessarius scit iam anteà meum peccatum, non esse necessarium vt ego illud repetam, sufficere si dicam illi, *Accuso me de eo peccato quod tu scis*; de quo puncto nos egimus suprà, dum de materia huius Sacramenti disputauimus: & idem est si Sacerdoti ego narrauì priùs omnia mea peccata, & quidem sine animo confitendi: si enim posteà mutato animo volo habere absolutionem, sufficit illi dicere, *Accuso me de omnibus illis peccatis quæ heri tibi dixi*: ergo si ex scriptura scit idem Confessarius mea omnia peccata, sufficit illi posteà dicere, *De his omnibus me accuso*: imò ad hoc non est necessarium, vt in præsentia dem illi schedam; sufficit si anteà, vel in absentia, dummodò posteà præsens illi dicam, *De illis omnibus me accuso, & peto absolutionem.* Idem denique est, quando confessus sum inualidè, & posteà me accuso de omnibus illis, quæ adhuc Confessarius memoriter retinet.

58 Addit autem Lugo, id longè meliùs intelligi, si post datam schedam dicat pœnitens Confessario, *Accuso me de his omnibus*, quàm si id dicat ante datam schedam: quia si post datam, tunc confessio completur per verba, seu per accusationem illam breuem: at si accusatio præcedat, & posteà Sacerdos legat peccata, tunc accusatio præcedens non completur nisi posteà per scripturam: vt si pœnitens diceret Sacerdoti præsenti, *Accuso me de peccatis quæ tibi posteà mittam in chartâ*, non valeret ea accusatio ad absolutionem; si tamen è contrario factum esset, valeret; ergo esto necessaria sit aliqua confessio per verba, sufficiet eo modo se accusare. Ego tamen non putarem, si vtrumque fit in vno momento quasi moraliter, vt simul det schedam dicens, *De his me accuso*, & expectet ibi donec Sacerdos legat, & tunc accipiat absolutionem: non inquam puto esse vllam prorsus differentiam; & fortè in illo ipso casu, quo diceret præsenti, *Accuso me de peccatis quæ tibi posteà mittam, & post quæ ego veniam pro absolutione*, putarem omnino sufficere: quia ille aduentus posteà iudicari deberet suppositis circumstantiis loco confessionis: & sufficeret, si diceret *Peto absolutionem de illis.*

Adhuc tamen manet proposita difficultas, Vtrum sit aliqua obligatio ex cõsuetudine saltem ad ea duo verba, *Accuso me de his.* Dicunt aliqui excusari illum, qui ob nimiam verecundiam non auderet confiteri; hoc tamen deberet intelligi, vt ore referat sua peccata; nam vt dicat, *Accuso me de his*, non potest vlla verecundia excusare: nam saltem debet dicere, *Doleo*, aut *Peto absolutionem*, aut aliquid simile: quod non magis aut minùs caussat pudorem quàm dicere, *Accuso me de his.* Alij dicunt, faciliùs id posse contingere, si quis volens secretò coram aliis confiteri daret schedam Confessario. Verùm non video quomodo, si potest ei dicere, *Do tibi vt me absolnas*, non possit dicere, *Accuso me de his*, nisi in ipsâ schedâ scribat, *Accuso me de his, & peto absolutionem*: non est ergo morale, quòd vlla circumstantia possit ab illis duobus verbis excusare. 59

Peccant qui per scriptum sic confessus, non exprimeret verbis summ dolorem de peccatis se accusandi.

Vt verò casum in toto rigore discutiamus, dico, Si nihil omnino dicat, sed solùm det scripto, & nullam habeat excusationem non proferendi ea duo verba, esse probabile quòd peccet: & quidem quòd saltem venialiter est certum, quia esset contra omnium consuetudinem eo modo confiteri, & argueret leuitatem satis magnam; an verò etiam mortaliter, magis est dubium. Benè ait Lugo non posse o tendi, quòd consuetudo sit inducta ad obligandum: quia tamen communiter ita creditur, & contemptum aliquem redolet ille modus confitendi contra Ecclesiæ consuetudinem, probabile est eum hominem mortaliter peccaturum.

Iam potest è contrario quæri, An ille qui nec loqui nec nutibus sua peccata explicare potest, teneatur scripto confiteri. Negant aliqui apud Vasquez suprà dub. 5. quia scriptura est exposita multis periculis. Communis tamen sententia docet eum obligari, quia illud periculum nullum est: potest enim ipse pœnitens monere scripto Sacerdotem, vt statim sibi restituat chartam, & eam ipse statim lacerare. Et certè de facto in his partibus Germaniæ ferè omnes scribunt sua peccata, vt ex scriptura ea legant; quòd si darent legenda, & reciperent statim, nullum ibi esset speciale periculum: quòd verò per accidens posset aliquando contingere vt veniret ad alienas manus, nihil vrget: quia etiam dum quis oretenus confitetur, potest audiri ab aliquo ibi vicino. Vide Vasquez ibi, Suarez disput. 36. sect. 6. num. 5. & Lugo 87. Ratio à priori eius sententiæ est, quia quilibet tenetur confiteri eo modo, quo potest sine graui damno: hîc autem nullum tale graue damnum est, vt diximus: ergo. 60

Qui aliter non posset, teneretur scripto confiteri.

DISPVTATIO LII.

De præcepto Ecclesiastico confessionis.

1 HVCVSQVE de necessitate confessionis ex præcepto diuino, & aliqua quæ cum ea obligatione connexa esse poterant tetigimus, iam de necessitate eiusdem ex præcepto Ecclesiastico.

SECTIO

SECTIO I.

Suppositâ certâ doctrinâ quæritur, An si Christus non præcepisset confessionem, possit eam Ecclesia præcipere.

IN cap. *Omnis* suprà citato Lateranense Concilium imposuit præceptum confessionis annuæ: Tridentinum autem Sessione 14. cap. 5. & Can. 8. expressè asserit à Lateranensi fuisse impositum tale præceptum; illudque de nouo approbat. Et ita sentiunt omnes Doctores, imò omnes Fideles: nec videtur vllus esse locus ad dubitandum de hoc puncto. Durandus tamen dist. 17. quæst. 8 & 14. subdubitat, an sit verum præceptum, eò quòd, si illud præceptum non seruetur, non possit Ecclesia transgressorem punire; si enim respondeat quis, Ideò se non confessum, quia non habebat mortale, non poterit ab Ecclesia puniri. Hæc tamen ratio nullius est momenti ad dubitandum de re adeò inter omnes certâ, patiturque instantias in aliis præceptis. 2 Nam quo modo Ecclesia conuincet Parochum, aut Sacerdotem, qui dixerit se iam secretò orasse Officium diuinum? quomodo item conuincet illum, qui acceptam ore Eucharistiam eam non deglutiuit? quomodo Ecclesia potest conuincere illum, qui Sacro interest quidem corpore, sine animo tamen illud audiendi, & sine vlla planè attentione? an propterea negabit Durandus esse vera præcepta, & in conscientia obligantia de recitatione Officij diuini, de audi ione Sacri, &c Dicendum ergo, Non semper posse Ecclesiam punire delicta quæ fiunt contra ipsius leges, quia non semper potest habere probationes sufficientes: non tamen ideò sequitur, eam non posse de illis actibus externis etiam occultis leges ferre. Dico *externis*, quia confessio etsi sit de actibus intemis, ipsa tamen est actio externa.

Ecclesia non potuisset præcipere confessionem, licet pœnitentia fuisset eloquium ad Sacramentum à Christo Domino.

Hac ergo certâ veritate suppositâ, quæritur, An si Christus non instituisset hoc Sacramentum, potuisset illud præcipi ab Ecclesiâ? dupliciter potest quæstio proponi; Primò ita: vt nec confessio tunc haberet rationem Sacramenti, seu vim sanctificandi: & tunc videtur clarissimum, fore vt Ecclesia non posset illud præcipere, sicut non potest me obligare tunc, vt mea peccata omnia ego dicam alicui sæculari: idem enim fuisset eo tempore, quo confessio nihil habuisset de ratione Sacramenti: esset enim imponere vnum onus grauissimum sine vlla vtilitate. Secundo ergo modo potest proponi ea quæstio, vt Christus quidem instituisset hoc Sacramentum cum vi iustificandi, &c. non tamen voluisset obligare ad illud, sed reliquisset alia media pro iustificatione. 3 In hoc sensu res est difficilior, quia cùm tunc fuisset Sacramentum, videtur eo ipso Ecclesia habitura potestatem ad cogendum aliquâdo ad eius susceptionem, cùm potestas circa Sacramentorum susceptionem resideat apud Ecclesiam: longè tamen probabilius est fore, vt etiam tunc non possit ob difficultatem maximam, sicut non potest Ecclesia nunc præcipere, vt homo fiat Religiosus vel Sacerdos. In hac resolutione est nobis contrarius Vasquez suprà n. 43. & Suarez disp. 35. sect. 1. Conatur autem id Suarez variè probare: Primò, quia Ecclesia potest præcipere Sacramentum Confirmationis, etiamsi ad illud Christus non obligauerit; quæ

Contrarium sentiunt Suarez & Vasquez.

enim repugnantia est, vt Ecclesia diceret, *Nolo Eucharistiam dare nisi confirmatis*? tunc autem cùm aliunde sit obligatio Eucharistiam sumendi, esset etiam & suscipiendæ Confirmationis. Hæc tamen ratio leuis est, quia Confirmatio non est Sacramentum vllius difficultatis. Deinde quod addit de eâ præmittenda ante Eucharistiam, non est ad rem, quia id non est propriè præcipere Confirmationem, sed volentibus Eucharistiam sumere apponere eam conditionem. Argumentatur præterea: Quia receptio eius Sacramenti non esset materia excedens potestatem legislatiuam Ecclesiæ: non quia sit circa actus internos: nam confessio actus est externus: non quia homo se diffamet, quia hoc nullius est momenti; talis enim infamia ferè nulla est: tum quia licet esset aliquod detrimentum, tamen respectu fructus inde secuti nullius esset momenti: nec denique propter difficultatem, quia sæpè Ecclesia præcipit res magis difficiles: tandem, quia hæc omnia habent locum in præcepto annuæ confessionis, ratione cuius sæpiùs obligatur homo ad confessionem quàm solo iure diuino.

Nihilominùs hæc argumenta non obligant nos ad defendendam eam sententiam. Et quidem quòd dicitur vltimo loco de annua confessione, non tangit quæstionem nostram: quia per hoc Ecclesia non me obligat, vt pluries idem peccatum confitear, sed vt, quod semel etam in fine vitæ facturus, omnia peccata totius vitæ dicendo vni Confessario vi præcepti diuini, ea dicam diuersis vicibus, hoc anno peccata huius anni, & sequenti sequentis: hoc autem non habet maiorem difficultatem quam illud primum: quia numquam manifesto peccatum vllum nisi semel. Quòd item addit, Ecclesiam sæpè præcipere res difficiliores, negatur à nobis: quia reuerà difficillimum præceptum Religionis Christianæ iudicio ferè omnium prudentum (etiam includo præcepta diuina, positiua tamen: nam de naturalibus non est sermo) est præceptum confessionis. Quod dicitur de vtilitate, parum vrget: nam etiam in statu Religioso est maxima vtilitas: & tamen ad illum non potest obligare Ecclesia. Quòd ait, infamiam illam nullam esse, non videtur mihi valdè consequenter dictum ad alia principia eiusdem Auctoris, imò omnium ferè. Quod scilicet etiam ipsum præceptum diuinum de eadem confessione non obliget, si ego sciam Confessarium vel vni tantùm alij reuelaturum ea peccata, hinc meo iudicio argumentor efficaciss imè: Si ex hoc capite, quòd vnus alius (quàm Christus iussit) sciturus sit mea peccata, liberor ego ab ipso præcepto diuino Christi: profectò multò minùs Ecclesia poterit me obligare suo solo præcepto, vt vel vni soli (ad quod me Christus non obligauit) ego confitear ea peccata.

4 *Satisfit vtrique rationibus.*

Vrgeo hoc, & simul totam sententiam confirmo manifestè aliâ doctrinâ, quam idem Suarez etiam tradidit: ita enim disp. 35. sect. 5. num. 6. ait se id suprà docuisse: estque ferè omnium sententia, Ecclesiam non posse obligare ad confitenda bis omnia peccata: quia iam cessat obligatio præcepti diuini: & tamen nunc in ea secunda confessione sunt omnes illæ vtilitates, & ratio Sacramenti, quæ essent eo tempore in prima confessione: ergo si nunc ad secundam obligare non potest, nec tunc posset ad primam: & sanè si nunc me obligaret, vt eidem Confessario, cui iam sum confessus, confiterer secundò, non esset vlla occasio infamiæ, cùm ille iam sciat ea peccata: ergo

5

Confirma.

Confirmatur Secundò in venialibus, quorum confessionem omnes supponunt non cadere sub Ecclesiæ obligationem; & tamen ea est Sacramentum, habetque vtilitatem illam maximam quam dicit Suarez; & aliunde, quia peccata sunt leuia, est facilior; ergo. Verùm de hac confessione venialium infrà fusiùs.

Cardinalis Lugo rem obiter valdè tangens ait, Si eo casu ad valorem confessionis esset necessarium dicere omnia peccata, Ecclesiam non habituram potestatem ad obligandum ad illam, quia esset res difficillima, si verò sufficisset dicere vnum vel alterum peccatum, posse admitti eam obligationem. Hæc limitatio est probabilis; mihi tamen magis placet vniuersaliter discurrere, quia etiam nunc nec ad vnius solius mortalis extra confessionem, aut quando Confessarius vel vnicum mortale est reuelaturus, potest Ecclesia obligare. Et de quæstione pro illo alio ordine rerum fatis.

SECTIO II.

An de facto Ecclesia possit præcipere secundam confessionem.

6 PAVLÒ antè tetigi instantiam de secunda cõfessione eorumdem peccatorum, id quod nunc tractandum magis ex proposito. Hac de re fusè agit Pater Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 7. Lugo disp. 15. à n. 92. & quæst. 43. art. 1. dub. 6. Gaspar Hurtadus disp. 11. de Pœnitentia difficult. 3. apud quos alij videri possunt. Duæ sunt sententiæ extremæ; Prima, quæ omnino negat: ita Paludanus, Almainus, Gerson, Dionysius Cistercienſis, Ledesma. Durandus, D. Tomas, Ioannes Medina, quos refert Vasquez eo primo loco citato; eis adhæret Lugo suprà, & Vasquez ipse secundo loco suprà citato. Altera sententia est, quæ absolutè affirmat: ita Ioannes Maior, Adrianus, Angelus, Alexander, Henricus apud Vasquez suprà; quibus etiam adhæret Hurtadus. Inter has duas sententias est alia media docens id posse præcipi de peccatis exterioribus, quæ possunt reseruari, non tamen de interioribus, de quibus non iudicat Ecclesia: cui sententiæ adhæserat Vasquez suprà primo loco; licet re melius considerata eam retractauerit, & primam absolutè negantem tenuerit.

Non potest Ecclesia obligare ad peccata secundò confitenda.

Quam ego etiam censeo omninò veram tum propter auctoritatem maiorem, tum propter ea quæ diximus suprà, scilicet Ecclesiam non posse obligare ad confessionem, si eam Christus sub præcepto non posuisset. Eo enim ipso quòd semel quis est confessus ea peccata, iam satisfecit præcepto diuino circa illa; ergo non potest Ecclesia eam confessionem secundam præcipere. Probatur autem meo iudicio valdè efficaciter ea sententia ex Benedicti Vndecimi Extrauag. *Inter cunctas*, de priuileg. lib. 5. tit. 8. vbi hæc verba habentur: *Nec confessi ipsis Fratribus* (Dominicanis & Franciscanis) *peccata illa, de quibus confessi sunt eis & absoluti pœnitentes, de illis Sacerdotibus proprijs teneantur* (sicut etiam non tenentur) *iterùm confiteri, non obstante Constitutione Generalis Concilij, qua sano intellectu, ne sequatur absurdum, quòd per pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor ad soluendum maneat obligatus, intelligenda est de illis qui peccata sua alijs confiteri neglexerunt.* Hæc ille ibi. In quibus pondero, quòd agens de Concilio generali Lateranensi Præside Innocentio Tertio (in quo fine dubio debebat esse potestas imperandi secundam confessionem, casu quo ea sit in Ecclesia) dicit illius mandatum fore absurdum, si intelligatur de obligatione ad secundam confessionem; ergo sensit Pontifex non habuisse Cõcilium potestatem id mandandi, quia potestas obligandi ad absurda nulla est, nec potest credi concessa à Christo; alioquin posset responderi Benedicto, Ecclesiam habere hanc potestatem honestè id mandandi, & ea vsum fuisse Concilium generale auctoritate Innocẽtij Tertij: hoc autem non admittit ibi Benedictus, dum dicit absurdum esse, debitorem liberatum manere adhuc obligatum ad secundò soluendum. Nec potest responderi, Illam Extrauagantem esse reuocatam à Clemente Quinto in Clement. *Dudum*, de Sepulturis: nam etti quoad aliqua priuilegia ibi concessa Religiosis, aut è contrario Parochis, sit reuocata, sicut possunt omnes ordinationes Pontificum reuocari; at in ordine ad eas declarationes doctrinales totam suam vim retinet. Et ita Vasquez maximè ex hoc capite inductus est ad priorem suam sententiam reuocandam.

Soluuntur obiectiones.

Nostra autem ampliùs confirmatur ex solutione argumentorum, quæ contra nos fieri solent. Primò ergo dicit Hurtadus, Contrarium non leuiter confirmari statuto quodam pro Cistercienſibus approbato à duobus Pontificibus; quo Fratres obligantur ad confitendum semel in anno suo Prælato omnia peccata, quæ per annum fuerant confessi ordinarijs Confessarijs. Hoc statutum citatur ab omnibus ferè Doctoribus vniuersaliter, & varias illi solutiones adhibent. Ei respondeo Primò, Si ad Constitutiones Religionum vellemus recurrere, etiam in nostra Societate haberi regulam faciendi confessionem generalẽ in ingressu Societatis totius vitæ; deinde singulis semestribus aut annis ab vltima. Secundò dico, Ex Regulis nihil colligi contra nostram conclusionem; nam ille qui Religionem ingreditur, vti se obligat voluntariè ad paupertatem, obedientiam & castitatem, ad quæ ab Ecclesia non potest obligari; ita potest etiam se obligare ad seruandam eam Regulam, quæ præcipit secundam confessionem eorumdem peccatorum. Cardinalis Lugo putat, etiam si Regula ad id non obligaret, posse in Religione, vbi ad maiorẽ perfectionem est obligatio, præcipi ea secunda confessio, esto pro tota Ecclesia præcipi non possit. Probabilis est hæc resolutio; ego tamen puto magis consequenter dici, Neque hoc posse; quia, vt ostendi, illud præceptum est grauissimum; si autem admitteremus posse semel eam præcipi, poterit secundò & tertiò & quartò; hoc autem quis non videat grauissimum esse onus, Nec Superior Religionis potest etiam quæcumque velit præcipere, sed debent esse iuxta Regulam. Vnde non potest Superior Dominicanus præcipere, vt incedant nudis pedibus, aut vt tota vita non comedant lacticinia. Obedientia enim quæ vouetur semper est iuxta Regulas & consuetudines Ordinis; si ergo in Regulis nihil haberetur de ea secunda confessione, non posset sine dubio præcipi.

9 *Ex quo capite Religiosi possint obligari ad reuelanda peccata secunda vitæ elapsa.*

10 Secundò obijcitur Martinus Quintus, qui in quadam Extrauaganti, quæ incipit, *Ad vberiorem fructum*, præcipit, vt hi, qui Religiosis Mendicantibus confitentur, teneantur nihilominus

nùs semel saltem in anno confiteri suis Parochis; ergo obligat Ecclesia ad secundam confessionem: & hoc ipsum alios Pontifices mandasse fertur. Respondeo Primò cum Lugo facilè, Inde nihil colligi de secunda confessione eiusdem peccati: sufficit enim si confiteantur ea peccata, quæ commiserunt ab vltima confessione. Respondeo Secundò, & magis ad rem nostram, Cùm in eo casu nullus obligaretur ad confitendum Fratribus Mendicantibus, sed pro libitu possit expectare ad annuam confessionem, profectò nulli imponitur obligatio confitendi bis: quòd si quis ex sua libertate volebat confiteri Fratribus illis cum eo onere deinde secundò confitendi, iam tunc non ex præcepto, sed ex libera acceptatione eiusdem proueniebat ea obligatio subeundi illud onus.

SECTIO III.

Digressio de facultate absoluendi cum obligatione se deinde sistendi Superiori.

11 OCCASIONE obligationis ad secundam confessionem tractari solet ab Auctoribus hæc difficultas, quia annexa illi est valde, quomodo scilicet debeat intelligi vsus quarumdam Religionum, in quibus est facultas communiter concessa ad absoluendos itinerantes in casum reseruatum incidentes (dummodò ex proposito eam occasionem non quæsierint pro peccando) cum onere tamen se posteà Superioribus manifestandi. Ratio autem dubitandi ea est, quia eo casu videntur illi Religiosi non indirectè, sed omnino directè absoluti, cùm sint absoluti ex facultate habentis iurisdictionem supra casus reseruatos: eo autem ipso (iuxta immediatè antè dicta) non videtur posse manere obligatio ad secundam confessionem.

SVBSECTIO PRIMA.

Solutio Patris Suarez.

12 SVarez disp.30. sect. 5. fusè tractat in genere, Vtrùm possit dari facultas absoluendi cum eo onere; & eadem occasione explicat, quomodo consuetudo aliquarum Religionum dandi eam facultatem pro itinerantibus licita & honesta sit: ait autem num. 7. Recentiores aliquos omnino negare id posse fieri, à quibus dicit citari pro se ex Antiquioribus nonnullos alios: ipse autem iudicat nullum ex Antiquioribus fuisse in ea sententia, si vnum Durandum excipias. De eadem difficultate agit Vasquez quæst. 91. art. 3. Coninch disp.8. num. 116. Lugo fusè disp. 15. à num. 100. Suarez ergo ait id prouenire ex speciali modo, quo superior delegat suam potestatem. Cùm enim ad absoluentem spectet castigare peccatum per impositionem satisfactionis, & curationem eiusdem in futurum, poterit Superior dare licentiam absoluendi cum ea limitatione, vt pœnitens ratione satisfactionis teneatur adire ipsum Superiorem; quod tamen non est ita intelligendum, vt immediatus Confessarius non debet aliquam imponere pœnitentiam: hoc enim repugnat integritati Sacramenti: sed quia illam eamdem debet declarare pœnitens Superiori, vt eam approbet, aut permutet. Hoc ipsum docet de altero titulo scilicet ratione curationis in futurum. Præcipuum autem fundamentum illius est, quòd non sit dubitandum, quin Christus Dominus potuerit hoc modo concedere potestatem, quam Pastores Ecclesiæ habent ad delegandam aliis suam iurisdictionem; hic enim modus est valde vtilis, vt subditi magis deterreantur à peccato: ergo.

Explicatio Suarij de facultate absoluendi Religiosos itinerantes à reseruatis cum onere se deinde sistendi Superiori.

13 Hanc explicationem fusè reuelit Coninch supra, & post ipsum Lugo à n 102. & meritò; quia reuera non potest talis diuisio pœnitentiæ fieri, vt Confessarius det absolutionem à culpa, & partem pœnitentiæ imponat: Superior autem imponat, aut posteà approbet alteram partem: id quod euidentiùs ostenditur repugnare, quando Superior non est Sacerdos; tunc enim nullam penitus habet potestatem imponendi pœnitentiam Sacramentalem. Confirmatur, Quia illa satisfactio est per modum partialis materiæ, quæ debet habere annexam suam formam Sacramentalem: si autem tunc Prælatus non potest proferre vllam formam Sacramentalem, quomodo & pœnitentiam imponere? quòd si dicatur eam impositionem pœnitentiæ vt factam à Prælato non esse Sacramentalem, tunc non obligabitur subditus ad illam: quia Sacerdos in confessione non potest pœnitentem obligare nisi imponendo ei pœnitentiam. Quòd si ideò Secundò dicatur Confessarium ipsum imponere subdito illud onus accipiendi a Superiori satisfactionem: ita vt hæc obligatio tota oriatur ab immediato Confessario, & posteà Prælatus solùm se habeat vt determinans materiam satisfactionis, reiicitur adhuc clarè Primò, quia si hoc modo res fiat; ergo si Confessarius obliuiscatur id dicere pœnitenti, iam hic non erit obligatus comparere; quod tamen nullo modo Suarez admittet. Secundò, quia posset pœnitens tunc se liberare an onere comparendi vel per Indulgentiam plenariam, vel confitendo alteri illud peccatum, cùm iam non sit reseruatum: illi autem poterit eam pœnitentiam permutare. Tertiò, quia eo modo non magis apparet, cui possit obligare pœnitentem vt recurrat ad Superiorem pro taxatione seu determinatione pœnitentiæ quàm ad quemlibet alium: hoc autem est absurdum: ergo. Sequela patet, quia cùm Superior nihil aliud efficiat quàm determinare pœnitentiam: cur quæso id non poterit quilibet alius efficere.

Reiicitur ea explicatio.

14 Quòd verò Suarez dicat, Tunc temporis necessariò debere aliquam pœnitentiam ab immediato Confessario imponi, non videtur consequenter dictum (vt benè notauit Lugo supra:) nec ratio Suarij in contrarium quidquam probat; nam licet satisfactio omnino sit de integritate Sacramenti, &c. cùm tamen in Suarij principiis Prælatus possit eam pœnitentiam saltem ex parte imponere, poterit profectò & totam; quia non minùs de integritate Sacramenti est tota quàm pars. Deinde argumentor: Si illa impositio pœnitentiæ posteà secuta complet Sacramentum: ergo esto nulla iam imponeretur à Confessario, dummodò posteà totam imponeret Prælatus, posset Sacramentum esse perfectissimum perinde, ac si consentiente pœnitente ego hodie illi darem absolutionem ita, vt eras deberet venire ad me pro pœnitentia.

15 Multò autem clariùs reiicitur illa alia pars eiusdem doctrinæ, quòd ratione curationis in futurum possit obligari pœnitens ad comparendum. Etenim (vt sæpè diximus) potestas adhibendi medicinam non est nisi ratione satisfactio-

nis; quidquid ergo ratione huius non imponitur, non potest pro medicina imponi: potest quidem Confessarius declarare pœnitenti obligationem, quam aliunde habet in futurum in ordine ad medicinam, aliam tamen imponere, nisi per modum satisfactionis, non potest.

Argumentum Suarij suprà, quòd Christus potuerit eo modo instituere Sacramentum, non habet magnam vim; neque enim omnia quæ potuit fecit. Deinde eo casu Sacramentum hoc potuisset conferri à duobus, partialiter ab vno, & partialiter ab altero; de facto autem id fieri non posse constat manifestè ex omnium sensu.

Obiectio. Dices; Superior dans Confessario potestatem absoluendi à reseruatis potest taxare pœnitentiam, quam debet imponere pœnitenti; ergo potest obligare pœnitentem, vt veniat ad se post confessionem pro pœnitentia; quia idem est eam taxare seu determinare post confessionem, ac antecedenter determinare illam. Respondeo. Hoc argumento nimiùm probari; nam Doctores possunt in Libris & Cathedris decidere, pro tali peccato debere imponi talem vel talem pœnitentiam, & per hoc quasi obligare indirectè Confessarium vt illæ ponantur; sicut Tridentinũ declarauit pro grauissimis peccatis non esse imponendas leues pœnitentias; & per hoc sine dubio obliguit ad ponendas graues: non tamen propterea potest Confessarius diuidere collationem Sacramenti, & remittere pœnitentem ad Doctores, vt illi imponant satisfactionem. Respondeo ergo, Prælatum præscribentem antecedenter pœnitentiam non exercere actionem Sacramentalem, neque ministrare Sacramentum, sed declarare modum, quo teneatur Sacerdos vti sua iurisdictione in eo Sacramento: sicut dixi de Doctore, qui diceret esse talem vel talem obligationem imponendi huic peccato pœnitentiam: ac proinde Sacerdos ipse tunc totum Sacramentum conficeret, licet ex directione Superioris: at si è contrario fieret, diuideretur Sacramentum: id quod iam diximus repugnare: nisi rursus recurratur ad alteram solutionem impugnatam, quòd Confessarius cogeret pœnitentem imponendo illi satisfactionem determinandam à Superiore, sicut si illum remitteret ad me, vt ego eam determinarem. Vnde etiam dicimus potuisse eumdem Prælatum dare Confessario potestatem ita imponendi pœnitentiam, vt posteà pro eius confirmatione aut reuocatione teneretur ipse Superiorem adire: quod facile est captu, si ipsemet Confessarius recurreret ad Superiorem dicendo, Hanc imposui, quid vobis videtur: eo enim casu reuocatio aut determinatio facta à Superiori deberet posteà vltimò compleri per ipsum Confessarium; si verò cogeret pœnitentem vt ipse iret pro ea confirmatione aut reuocatione, tunc id reduceretur ad modum immediatè antè & paulò superiùs refutatum.

Solutur.

16

SVBSECTIO SECVNDA.

Vera explicatio difficultatis.

17 CArdinalis Lugo num. 115. ait id fieri per pactum implicitum vel expressum ipsius pœnitentis: de quo pacto fusè egerat Vasquez suprà, varia contra illud argumenta congerens: quibus solutis tandem dixit illud esse possibile. Fusiùs autem eumdem modum ex multis Auctoribus tradiderat Suarez à num. 9. ad 23. qui speciatim citat Paludanum, Almainum & Medinam; à Nauarro verò ait distinctiùs id traditum. Videtur etiam Coninch id admittere, saltem in Religiosis; in alijs enim expressè ait, Si Confessarius non statim declaret eam obligationem pœnitenti, cùm primùm hic incipit confiteri, non fore hunc obligatum ad comparendum; ideoque peccaturum grauiter Confessarium, eò quòd monere neglexerit. De eo ergo pacto ita sentit Suarez, esse quidem valdè probabile, & magna ex parte sufficere ad difficultatem propositam expediendam; posteà verò circa illud aliqua notat consideratione digna. Et quidem quoad Societatem nostram res est satis clara ex declaratione facta à Patre nostro Generali Mutio Vitelleſco anno secundo sui Generalatus, hoc est, anno 1617. literis ad totam Societatem datis; de quibus Lugo suprà: in illis enim dicitur, Eam facultatem absoluendi non dari, quando ex industria seu animo peccandi facit quis iter. Quæ declaratio meo iudico (supposito tertio puncto, de quo statim) vix ac ne vix quidem fuit necessaria. Nam si Religiosus ille sic absolutus in via tenetur se deinde sistere Superiori, profectò nullam inde vtilitatem habere potest eo tempore peccando foris, quam non haberet domi peccans; domi enim nihil aliud poterat habere, quàm se Superiori debere sistere; hoc autem tunc habet; ergo. Imò si res prudenter consideretur, peiùs longè ei euenit in itinere quàm domi, nam in itinere necessariò debet manifestare se duobus, & illi cui tunc confitetur in ipsa via, & alteri, per quem posteà domi esset petiturus licentiam à Superiore, aut certè ipsi Superiori; si autem domi peccans recurrisset ad Confessarium ordinarium, qui à Superiore non declarando reum peteret facultatem, vnus solus peccatum ipsius sciret; non habet ergo magnam vtilitatem ex eo, quòd in via absoluatur, vt propterea possit eo animo facere iter, vt ibi peccet, & absoluatur, nisi dicamus eum non eo titulo voluisse in itinere peccare, quasi faciliùs esset obtenturus absolutionem, sed quia occasionem peccandi commodiorem esset habiturus. Quidquid ergo de hoc sit, Secundò ibi declarat Pater Generalis, etiam tunc non posse ad externos recurrere, si adsit aliquis è Societate. Tertiò, quod est ad rem nostram; ait obligationem illam esse conditionem, sine qua non conceditur ea licentia, ideoque eum, qui non habet animum acceptandi vel implendi, non posse absolui, & in vsu eius facultatis tacitè includi acceptationem conditionis illius, qua subditus in re tanti momenti & pro bono non Societatis maximè conducente se illi obligat. Ex hac declaratione colligit Lugo minùs benè Partem Suarez suprà num. 19. dixisse, si pœnitens bona fide existimaret se non teneri ad acceptandam illam obligationem comparendi, & ideò ad extorquendam absolutionem fingeret se illam acceptare, fore absolutionem validam; quia facultas solum requirit eam acceptationem. Hoc inquam reijcit, quia (vt ex dictis constat) Societas non dat eam facultatem nisi cum conditione, vt reuerà accepter eam obligationem. Miror tamen Cardinalem Lugo non legisse immediata verba, quæ Suar. dicit; sunt autem hæc: *Existimo illum nihilominùs manere in re ipsa obligatum ad comparendum, quia eo ipso sciens facultatem esse à Superiore tali modo datam, vult per illam absolui, re ipsa accipit obligationem sibi impositam etiamsi per ignorantiam habet illicitam voluntatem,*

Admodum R. P. Mutius declarauit quoad Societatem, sed obligationem se sistendi Superiori post acceptam absolutionem à reseruatis in itinere.

18

Obligatio se sistendi Superiori est conditio sine qua non valet absolutio à reseruatis.

16

voluntatem, vel propositum aliquo modo contrarium. Hæc Suarez ibi: quibus ex integro satisfacit intento Patris Mutij & Societatis, imò videtur Pater noster Generalis in ea declaratione attendisse directè ad sententiam Suarez, dum dixit in vsu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis. Ecce acceptationem expressam non requirit: sed docet id quod Suarez, *eum subditum, eo ipso quod sciens facultatem esse hoc modo concessam, vult absolui, per illam reipsa accipere obligationem.* Quòd verò simul dicat Suarez, *Si ex ignorantia inuincibili putaret pœnitens se ad id non teneri, validè eum absoluendum*, videtur mihi clarissimum iuxta declarationem Societatis: quia illa solùm requirit pro valore absolutionis, quòd inducatur obligatio illa. De errore autem inuincibili, dummodò per illum non liberetur pœnitēs ab obligatione comparendi, non videtur curare, cùm data ea suppositione non sit peccaminosius, & ex hac parte nullum prorsus adferat obicem valori absolutionis. Aliunde fortasse videretur reiiciendus Suarez quoad hoc ipsum punctum: quia videtur repugnare, quòd si pœnitens habet expressam voluntatem eam conditionem non acceptandi, possit nihilominùs per implicitam volitionem eam acceptare: semper enim, si ex inuincibili ignorantia contingat hominem habere duas voluntates de obiectis contrariis, illa videtur esse maioris efficaciæ, quæ est expressa, quàm quæ implicita: vtì dum de voluntate ad Sacramenta conficienda agitur) traditur communiter, nisi illa ipsa expressa corrigatur altera quasi conditionali, quæ hoc modo dicat: *Esto autem nullam me obligationem subire aduertam: si tamen reipsa est annexa huic rei, quam volo, ego illam amplector*: data enim hac reflexione potest voluntas implicita prævalere explicitæ contrariæ: at Suarez non ponit talem in præsenti: ergo non benè cohærent duæ illæ partes doctrinæ ipsius: quidquid tamen de mente eius sit, de substantia doctrinæ non est dubitandum.

Qui habet duas voluntates de obiectis contrariis, maioris est efficaciæ expressa quàm implicita, etsi tamen, nisi aliunde corrigatur.

21 Dices: Ergo si quis ignorat hanc obligationem, & absoluitur in via, non erit obligatus: patet, quia nemo censetur acceptare pactum, quod penitus ignorat. Respondet Lugo: Eo ipso quod eam rem velit, cui pactum illud implicitum est annexum, etiam velle pactum: sicut qui inter Christianos vult matrimonium, etsi nihil de Sacramento sciat, adhuc tamen habet animum implicitum Sacramenti, quia vult totum illud, quod est necessarium ad contrahendum validè. & eodem modo etiamsi de perpetuitate matrimonij nihil sciat, illam tamen contrahit: & qui suscipit Ordines sacros, etiamsi nihil sciat de voto castitatis, obligatus tamen manet. Confirmatur in eo qui ignorat obligationem implendæ satisfactionis: quam tamen incurrit eo ipso, quòd vult validè confiteri. Hæc responsio non caret magna difficultate; nam si vocibus abuti nolimus, videtur repugnare pactum implicitū circa rem, quæ est connexa tantùm casualiter actioni, quādo, qui ea actione vtitur, omnino ignorat eam connexionem. Ego v.g. qui sum Dominus pallij habere possum voluntatem, vt, quicumque eo pallio vtatur, obligetur ad mihi dandum vnum Iulium: at si Petrus id omnino ignorans petat à me gratiam hanc sibi fieri, vt dem illi commodato pallium ad vnam diem, ego illi do nihil omnino de ea obligatione significans, vtitur ille pallio nihil sciens: possúmne ego secunda die

Obiectio.

Soluitur.

22 *Non censendus est velle pactum implicitum annexum rei ei qui rē vult, de pallio nihil prorsus sciti, quando præsertim pactū est casualiter annexū.*

venire, ac dicere illi, *Tu vi implicitī pacti teneris ad dandum Iulium*? profectò nemo id dicere potest probabiliter: ergo cùm Religio potuerit itinerantibus hanc gratiam facere sine vllo onere comparendi, vt tolleret illis reseruationem, ne fortè ob viarum pericula contingeret eos moti sine absolutione: quòd autem illa voluerit hoc onus imponere, sit in præsenti casu (vt supponimus) tali homini penitus ignotum, quomodo quæso, dum ille bona fide vtitur ea absolutione, possumus dicere illum acceptasse implicitè hoc onus, & vi acceptationis ipsius eum esse obligatum? Profectò hoc ego nullo modo capio: si obligatio esset connexa actioni non ex acceptatione vtentis, sed ex præcepto, aut ex natura rei, tunc facilè intelligerem eum manere obligatum non à sua acceptatione, sed à mandato, quod caussare potest obligationem independenter ab acceptatione: at ratione obligationis in re contingenter connexa, & penitus ab operante ignorata, est omnino inintelligibile. Vnde Suarez suprà merito dixit, eum, qui scit hanc obligationem impositam esse à Superiore, eam acceptare ipso vsu, etiamsi ex errore putet reuerà non esse obligationem: quia tunc implicitè, eo ipso quòd intellexit Superiorem ita velle, & ipse vsus est actione illa, exposuit se ei obligationi, si posteà deprehenderit esse veram: licet hoc ipsum habeat difficultatem, quam tetigi suprà iuxta eumdem Suarium.

Quid si sit ex natura rei, vel ex aliquo præcepto pactum annexum.

23

Neque instantiæ allatæ sunt efficaces: nam illa de matrimonio fortè habet eamdem difficultatem: si enim contrahentes esto Christiani nihil plus sciunt de Sacramento, quàm si essent gentiles, cùm aliunde ad omne Sacramentum requiratur voluntas aliqua, saltem confusa, faciendi quidquid facit Ecclesia, aut Christus; & illi dum contrahunt non magis de re sacra nec directè nec indirectè cogitent, quàm dum faciunt contractum permutandi pecora, non est facilè explicabile, quomodo ibi reperiatur ratio Sacramenti: quoad perpetuitatem verò illius non est difficultas, quia ea est annexa matrimonio ex voluntate Dei, non ex voluntate contrahentium. Quoad votum castitatis in susceptione Ordinum res fortè est facilior, quia vix potest nunc inueniri aliquis adeò ignarus, qui nesciat Ecclesiasticos non habere vxores: deinde idipsum illis in ordinatione dicitur. Denique si aliquis eo modo omnia ignorans ordinaretur, non posset obligari ad castitatem vi voluntatis ipsius, sed eo planè modo, quo si quis ante vsum rationis fuisset ordinatus (quo casu sine dubio nullum esset votum, neque implicitus vllus consensus) obligaretur deinde saltem ex præcepto Ecclesiæ; licet hoc ipsum Diana neget, qui ait talem posse accipere vxorem, non vtendo tamen Ordinibus. Quoad obligationem denique pœnitentiæ Sacramentalis acceptandæ nulla est difficultas, cùm ea non à pacto pœnitentis, sed ex Christi oriatur voluntate.

24

Melius ergo ad obiectionem suprà positam respondetur Primò, Non esse morale, quòd ea reperiatur ignorantia in Religioso illo iter faciente; cùm enim ille iam sciat se habere casus reseruatos, séque non posse ab illis absolui nisi recurrendo ad Superiorem; cúmque in via hoc non possit, saltem apprehendit debere se posteà recurrere: ac proinde ibi habet aliquam cognitionem saltem confusam, quâ eam obligationem suscipit.

SVBSECTIO TERTIA.

Alia eiusdem difficultatis explicatio.

25 QVia diximus paulò antè, si sit omnimoda ignorantia eius conditionis, non posse interuenire vllum pactum, ac proinde nec acceptationem, & aliunde non facilè potest ostendi, cur saltè in aliquo casu nequeat interuenire aliqua inuincibilis ignorantia illius. Ego vlterius dico, Etiam in tali casu non absoluendum Religiosum ab eis peccatis directè, sed indirectè, si alia confiteatur, ac proinde eum mansurum obligatum, ad confessionem directam eorum peccatorum. Id autem vt explicem, suppono doctrinam, quam sæpè tradidimus, scilicet si Sacerdos animum haberet absoluendi Petrum sub hac aut illâ conditione de præsenti, aut de præterito, & ea conditio non subsisterit, quæcumque illa esset, non fore validam absolutionem. Hinc in præsenti dico, Superiorem dantem iurisdictionem se facultatem ad absoluendum posse apponere conditionem aliquam honestam quamcumque velit ad valorem eius absolutionis, quâ conditione de præsenti non subsistente, esto sine culpa pœnitentis, absolutio etiam posteà data non subsistet: hæc autem conditio est in præsenti acceptatio, saltem implicita eius obligationis. Vnde rectè infertur, Vbi hæc dari non potest propter omnimodam ignorantiam, cessare etiam iurisdictionem supra ea peccata reseruata. Dixi *Semper posse dari absolutionem seu facultatem absoluendi dependenter à conditione de præsenti*, vt abstraham à quæstione de conditionibus in futurum, à quibus iuxta probabiliorem sententiam non potest forma Sacramenti pendere. hinc infero, Illis verbis Patris nostri Generalis Mutij dupliciter impositam obligationem comparendi: Primò, vt immediatè explicuimus, dependenter à conditione, Secundò ratione acceptationis. Primus modus explicatur per illa verba, *Obligationem illam esse conditionem, sine qua nullo modo Societas concedit facultatem*: vbi de acceptatione nihil insinuatur, quia tales conditiones possunt imponi etiam in ipsa absolutione: neque est necessum, vt eas noscat pœnitens & licet fortè tunc ipse putet se esse absolutum, re tamen vera non est. in nostro autem casu, quia supponimus illum processisse bonâ fide, erit in directe à reseruatis absolutus perinde, ac si fuisset obligatus alicuius reseruati, & confessus fuisset cætera; debebit ergo tunc pro directa absolutione recurrere ad Superiorem

Obiectio. Dices: Hic modus non videtur sufficiens ad explicandam difficultatem. Si enim pœnitens habeat voluntatem confitendi ea peccata deinde suo Superiori iam eo ipso absolutio erit valida: cum hoc tamen propositio stat, vt postea mutet voluntatem, quando iam non posset reuocari valor absolutionis directæ. *Responsio.* Respondeo ad valorem absolutionis non requiri solam voluntatem qualemcumque confitendi deinde, sed quâ se ad id obliget pœnitens per modum pacti: vnde si hæc non ponatur, absolutio non subsistet: si ponatur, iam non poterit reuocari, quia obligatio ex pacto semel contracta non potest validè reuocari sine

27 consensu alterius partis. in cuius gratiam est facta. Hic ergo modus sufficientissimus est, ille verò, de quo subsectione 2. insinuatur illis aliis verbis Patris Generalis: *Et in vsu eius facultatis contineri tacitè acceptationem conditionis*: qui qui tamen modus propriè non habet locum vt dixi, quando est omnimoda planè ignorantia ex parte confitentis.

Vbi aduerte, per eam nostram explicationem non relabi nos vllo modo in sententiam Suarij suprà impugnatam, quòd scilicet Superior reseruet sibi vltimum iudicium: id enim nos non dicimus, sed præcisè, quòd non det facultatem ipsi Confessario, nisi dependenter ab ea acceptatione vt à conditione: vnde quando sine illa Confessarius absoluit, absoluit sine facultate, ideoque inualidè quoad directam remissionem.

Replica. Replicabis: Hi, quos dico duos modos, non sunt nisi vnicus: nam iuxta illum primum in tantum obligatur pœnitens, in quantum ex defectu acceptationis obligationis non habet Confessarius facultatem ad absoluendum: hoc autem ipsum dicimus in secundo modo: nam dicere, *Ex defectu solius acceptationis non habet facultatem*, & dicere, *Posita acceptatione habet facultatem*, in idem omnino incidunt. Respondeo Me eo sensu dixisse ibi esse duplicem modum explicandi eam obligationem, vt ostenderem illum, qui implicitè saltem consensit in pactum, esse quidem absolutum, obligationem verò comparendi habere acceptata conditione: alterum verò, qui omnino ignorauit, ideoque pactum nullo modo acceptauit, non esse absolutum directè: ac proinde in obligationem comparendi non oriri ex pacto, sed ex reseruatione præcedenti peccatorum, à quibus non est directè absolutus: vnde adhuc duobus modis explicatur ea difficultas.

Solutur.

Religiosus confitens reseruata ex facultate explicata, ignorans tamen inuincibiliter obligationem se stistì Superiori, qua erat conditio sine qua non, directè non absoluitur à reser. natis.

26 *P. Mutius dupliciter obligauit nostros itinerantes ad cõparendũ coram Superiore, si inciderent in reseruata.*

Dices adhuc: Si quis bona fide confiteatur 28 alia peccata, & postea vnum reseruatum, ante absolutionem autem admoneatur à Confessario de hac obligatione comparendi, & illam recuset, potest tam adhuc petere absolutionem, quia iam acquisiuit illius ius ad illam per confessionem factam, & non potest cogi ad confessionem secundò faciendam: ergo dicendum est eam obligationem non prouenire ex acceptatione, sed ex iurisdictionis limitatione. Quòd verò possit pœnitens non acceptare tunc illud onus, probat Suarez circa finem numeri 19. quia illud grauamen nimis tardè proponitur homini, postquam iam ipse subiit totam difficultatem cõfessionis patefaciendo sua peccata: si enim ante confessionem ea obligatio fuisset illi proposita, potuisset differre confessionem ad reditum in suum locum, vbi suo Prælato soli semel confiteretur: at post factam totam confessionem iam nimis tardè venit ea monitio. Respondeo: si res benè consideretur non esse minorem difficultatem casu quo ante confessionem ei proponeretur ea conditio: etenim etiam tunc duobus manifestaret suum peccatum nam si postquam petiit Confessarium, eique Confessarius dixit esse talem obligationem, ille nolit confiteri, profectò iam eo ipso ferè euidenter manifestat se habere casum aliquẽ reseruatum: cur enim aliàs non pergeret confiteri ei Confessario cum quo volebat incipere? deinde domi vel à Prælato immediatè vel per ordinarium Confessarium petere deberet facultatem ad hoc autem tantum in nostro casu ille obligatur, si acceptet conditionem: ergo. Deinde 29 siue hic, siue domi confiteatur, debet petere facultatem à Superiore: cur ergo iam poterit honestè recusare illud onus? si autem inique recusat, sibi imputet. Tertiò da, illum domi ignorantem se habere casum reseruatum confiteri, &

Confitens casũ reseruatum non habenti iurisdictionẽ, licet ignoret onus se stistẽdi Superiori, tenetur tamen illud subire, licet de eo moneatur primum post absolutã confessionẽ, inid.

tunc

tunc vltimò dicere illud reseruatum, haud dubiè Confessarius prudens dicet illi, *Ego te hîc non possum absoluere, debes alium quærere, qui habeat iurisdictionem*; cur ergo idem non admittemus in præsenti; Respondeo ergo absolutè, In tali casu pœnitentem non acquisiuisse ius vllum ad absolutionem recusato eo onere, quia Confessarius non habet iurisdictionem ad absoluendum. In quo sensu possumus Suario concedere id quod infert fine numeri 17. vbi prima vice proposuit hoc argumentum, scilicet ex iurisdictionis limitatione prouenire, quòd non possit absolui, quando pœnitens non acceptat pactum. Ea tamen limitatio non debet ita intelligi vt ipse explicuerit, quasi non esset immediato Confessario commissa totius Sacramenti confectio: hoc inquam modo non debet id intelligi ob superiùs dicta, sed quatenus non est data iurisdictio Confessario nisi sub conditione, quòd pœnitens acceptet eam obligationem.

30 *Absolutus à reseruato eli onere se sistè. di Superiori potest se extra confessionem sistere.*

Illud pro complemento huius puncti quæri potest, Vtrùm sit necessarium illum casum deferre ad Prælatum intra confessionem Sacramentalem, an sufficiat extra illam. Respondeo, Omnino sufficere extra illam, quia iam est data absolutio directa; & solùm desideratur, quod expleatur conditio acceptata in eo Sacramento: ea autem conditio non fuit de secunda confessione, sed de manifestatione delicti. Fortasse autem nec Prælatus poterit obligare ad secundam confessionem: vnde fit, vt sufficiat, si ipse immediatè, dicat Superiori, *Habui hunc casum reseruatum, & illum confessus sum in via*: aut si nolit per se ipsum, potest per Confessarium ordinarium eam manifestationem facere: quo tempore Confessarius non deberet sub his terminis petere licentiam: *Peto ad absoluendum*: nam reuerà tunc non absoluit in rigore, licet vtcumque dici possit absoluere: deberet ergo tantùm dicere, *Peto tuam iurisdictionem pro vno casu reseruato*: quo audito si iudicaret adhuc esse necessarium imponi aliquam pœnitentiam non per modum satisfactionis Sacramentalis, quandoquidem non fit tunc confessio, sed per modum punitionis, aut medicinæ, propter quem finem est instituta reseruatio, posset & deberet id facere.

SECTIO IV.

An possit ab Ecclesia præcipi confessio venialium.

31 *Nulli extat Ecclesia præceptum nec Christi de confitendis peccatis ve. nialibus.*

DE facto eam non esse præceptam constat manifestè, quia confessio annua, quæ est sub præcepto, solùm est de peccatis mortalibus illa enim confessio est omnium peccatorum; non potest autem id intelligi etiam de venialibus, quia obligare ad omnia venialia confitenda esset nimis graue, & ferè moraliter impossibile; ergo debet de solis & omnibus mortalibus intelligi. Deinde Tridentinum agens de eo præcepto Cõcilij Lateranensis declarauit illud fuisse determinationem præcepti diuini; atqui constat nullum præceptum diuinum esse de confessione venialium (vt ipsum Tridentinum declarauit) ergo de facto nullum est Ecclesiasticum de venialibus. Qui tamen de facto toto anno non haberet vllum mortale fortasse propter scandalum obligaretur, vt confiteretur, aut saltem declararet Parocho, cur non confiteatur.

Contra hanc resolutionem obiici solet, quod saltem Monachis S. Benedicti in Clementina de statu Monachorum præcipitur menstrua confessio: ergo si non habent mortalia, saltem debebunt de venialibus confiteri. Varia varij circa hunc casum dicunt: ego tamen primò iudico non esse ad rem, quia vt suprà in simili notaui, etsi pro Religiosis sit hoc præceptum, inde tamen nihil de tota Ecclesia infertur, qualia autem habeant specialia præcepta hi vel illi Religiosi, non est huius loci. Secundò dico, Posse illud intelligi eodem sensu quo vniuersale præceptum de confessione annua intelligitur, si sci licet habeant mortalia: vel denique erit regula sicut est in aliis Religionibus etiam ad frequentiorem confessionem: vel denique poterit ei satisfieri vnum vel alterum veniale confitendo: & hæc quoad factum. 1. *Obiectio.* *Soluitur* *Prima.* *Secunda.*

Quoad potentiam autem communis sententia affirmat posse eam confessionem ab Ecclesia præcipi, maximè si non sit de omnibus venialibus, sed tantùm de aliquibus, quæ pœnitens voluerit eligere: quia eo modo res est satis facilis, & aliunde habet vtilitatem magnam ratione fructus gratiæ. Auctores eius sententiæ vide apud Lugo disp. 11. sect. 8. & Vasq. q. 90 art. 1. dub. 2. qui vlteriùs eam sententiam affirmantem defendit: confirmatque primò ex citata Clementina pro Benedictinis. Secundò, quia potest quis se voto ad eam confessionem obligare: ergo est materia præcepti: addítque, in illius transgressione posse repetiri peccatum mortale: limitat tamen eam sententiam, vt non possit Ecclesia præcipere confessionem omnium venialium. Contrarium tamen docent Paludanus, Syluester & Sotus, quos refert Suarius ibi: eis fauet Nauarrus in Summa cap. 2. num. 9. & reuerà si ad consequentiam doctrinæ suprà traditæ vellemus respicere, aliquis hanc sententiam diceret longè probabiliorem: nam extra hoc Sacramentum Ecclesiæ non videtur habere potestatem cogendi vllum vt titulo humilitatis, & consequenter sub vtilitate gratiæ, quam ex ea humilitate esset consecuturus, dicat suum peccatum etiam veniale occultum alicui, ergo neque in Sacramento sub eo titulo vtilitatis ad gratiam. Confirmatur: Quia dicere alteri veniale auditum in confessione iudicatur grauis materia, vt peccet in ea manifestatione mortaliter Sacerdos: ergo, quia arduum est eam manifestationem facere: ergo ad illam per præceptum obligare est res ardua & vltra potestatem Ecclesiæ. 32

Nihilominùs sententia communis vt probabilior tenenda est, quia reuerà confiteri vnum vel alterum veniale est res leuissima: & passim homines nihil curant quod spargatur ipsos vnum verbum otiosum dixisse aut leuem aliquem motum choleræ passos, &c. 33 *Probabilius est posse Ecclesiam obligare ad confessionem aliquorum venialium.*

Quod obiiciebatur de Confessario reuelante veniale, & eo ipso mortaliter peccáte, non vrget, quia id non est propter diffamationem præcisè, sed quia, si ea licentia generalis fieret, valdè homines retardarentur à confessione. Illud etiam quod obiiciebatur de dicendo extra Sacramentum humiliationis causa, etiam non vrget: nam Sacramentorum vsus & præcepta circa illa magis spectant ad iurisdictionem Ecclesiæ quam alij actus virtuum. Id quod magis confirmabitur paulò pòst in solutione obiectionis.

Priùs tamen aduerto, probationes illas, quibus Pater Vasquez vtitur pro hac nostra sententia,

sionem cum eo incommodo, vt alius præter Confessarium debeat scire mea peccata: ideò enim omnes excusant ab obligatione confitendi eo ipso, quòd scirem meum Confessarium vel vni tantùm alteri reuelaturum mea peccata. Confirmatur: Quia Tridentinum Sessione 14. 47 cap. 5. dixit non esse obligationem ex præcepto diuino ad publicam confessionem: ergo non erit ad confessionem per interpretem, quia hæc est quodammodò publica. Sententia contraria affirmans hoc habet fundamentum, quod aliquando sit obligatio confitendi, ita vt vnus alius præter Confessarium sciat peccata: id quod maximè vrget Lugo in casibus reseruatis; vbi & Superior & Confessarius sciunt illud peccatum varias autem solutiones refert reiicitque eo loco; vbi tamen addit, eam obligationem confitendi per interpretem solùm esse circa horam mortis, non tamen ad confessionem annuam; quia ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentia & remissionibus, constat expressè, obligationem confessionis annuæ solùm esse vt pœnitens solus confiteatur proprio Sacerdoti.

Fundamentum sententiæ affirmantis.

Iudicium de sententia affirmante.

Hæc est tota vtriusque sententiæ substantia circa hoc punctum; in quo Primò censeo sententiam Cani, Syluestri & Lugo non satis consequenter tradi. Cùm enim Lugo fateatur eam instantiam de casibus reseruatis non esse talem, vt probet obligari ad confessionem per interpretem, quoties quis obligatur ad recurrendum ad Superiorem, quando habet casus reseruatos, profectò iam gratis omnino dicitur eam instantiam probare, quòd saltem in articulo mortis 48 homo obligetur. Etenim si instantia illa deficit in vno puncto, quis determinabit posteà, an non deficiat in altero? aut vnde constat Christum voluisse obligare eo modo in articulo mortis, & non voluisse, quoties aliàs obligat præceptum confessionis Ecclesiasticum, cùm hoc sit determinatio diuini?

Ad hoc vltimum respondebis colligi, quia vt paulò antè notatum est, Lateranense Concilium expressè dixit non obligari præcepto annuæ confessionis, nisi vt solus confiteatur. Sed contrà; ergo saltem in aliis casibus, quando obligat præceptum diuinum confessionis quà diuinum, erit obligatio eo modo confitendi per interpretem: illud autem præceptum vrget, quandocumque est sumenda Eucharistia; ergo pro hoc casu non potest differentia vlla sumi ex præcepto Lateranensis Concilij, ac proinde adhuc manet ea dubitandi ratio, quam paulò antè dixi, vnde scilicet possit colligi, Christum Dominum voluisse suum præceptum diuinum obligans ad confessionem in duobus casibus positis, scilicet in hora mortis & quando est sumenda Eucharistia, obligare ad confessionem per interpretem; in confessione verò annua ad id non obligare? Certè cùm hoc totum sit ex pura puta voluntate Christi, qui haud dubiè in omnibus tribus potuit, potuit in nullo, potuit pro sumenda Eucharistia, non pro morte; & è contrario quomodo potest colligi ea differentia quam hic Auctor adstruit? quandoquidem auctoritas communis, quæ in quæstionibus à voluntate Christi pendentibus vnicum solet esse fundamentum, non est pro hoc Auctore, sed contra illum, ipsomet teste? Et hinc obiter reiicitur quædam instantia, quæ fortè posset contra me adduci, quòd aliquando difficultas conficiendi, v.g. conficere sex milliaria pro confessione præmittenda ante Eucharistiam, excuset ab ipsa confessione, licet ea sit sub præcepto diuino, eadem tamen difficultas non excusat in hora mortis: teneor enim etiam à sex milliaribus Confessarium vocare. Huic inquam instantiæ facile respondetur ex dictis, Constare nobis ex communi sensu Theologorum, Christum voluisse in eo casu ad confessionem obligare, non voluisse in altero; at pro ea differentia, quam ponit hic Auctor, nullam habemus auctoritatem, quin potiùs tota illa est contraria. Adde, in illa instantia de itinere sex milliarium meo iudicio variari terminos; nam dum de homine sano agitur, dicitur quòd non teneatur conficere sex milliaria: aliud autem est ipsum conficere, aliud mittere ad sex milliaria pro Confessario. Vnde clarè apparet differentia, nam si ego sanus mitterem pro alio, nolle ille venire; si autem infirmus mitterem, veniret; quia hic apprehenditur maior necessitas mea, cui alter cum aliquo incommodo succurret, non tam vt ego satisfaciam præcepto diuino, quàm ne ob defectum confessionis æternùm damner. Si autem poneremus, quòd ego de vita periclitans deberem ipse conficere illa sex milliaria, fortasse non cogeret ad id, sicut non cogor, quando sum communicaturus.

Adde secundam differentiam; nam si pro Communione ita excurrerem, ostenderem ferè manifestè aliis me recenter commisisse aliquod mortale, ob quod non audeo celebrare, aut communicare sine confessione: at circa horam mortis quia agitur de æterna vita, sine vlla speciali suspicione noua mortalis alicuius, potest adhiberi diligentia tanta vocandi Confessarium, maximè propter periculum quod dixi: huic autem periculo etiam sine confessione per interpretem facilimè occurritur, si moribundus det signa doloris, & petat Confessarium, esto nullum peccatum dicat in particulari, quia tunc omnia saltem ind recte remittentur. Vides eam responsionem ex Concilio Lateranensi non euacuare nostram difficultatem. 50

Cur sanus excusari possit ab adeundo Confessarium valdè procul dissitum ante sumptionem Eucharistiæ, non item moribundus ab eo procul accersendo.

Secundò circa illam est mihi satis dubium, Vtrùm illa particula *solus* sit ibi posita à Concilio animo excludendi interpretem (vt ait hic Auctor) an verò iuxta phrasim, quam Tridentinum posteà tenuit ad excludendam obligationem confessionis publicæ: publicæ inquam, eo sensu quo Tridentium dixit. At hic Auctor fatetur eam confessionem per interpretem non esse confessionem publicam, de qua Tridentinum dixit non esse obligationem ex præcepto diuino; hoc enim necessariò debet admittere, vt respondeat ei definitioni: ergo eadem planè ratione possumus dicere τὸ *solus* ibi non intelligendum de interprete (de quo Lateranense nihil ibi videtur cogitasse) sed de publica, quæ olim solebat in aliquibus Ecclesiis esse. Vnde Pater Vasquez (licet omiserit illud verbum *solus*, in quo videtur esse aliqua difficultas, & ob quod eum reprehendit Lugo) re tamen ipsa benè docuit ea quæstione 91. art. 4. dub. 3. n. 9. contra Syluestrum, si semel dicatur obligari nos in articulo mortis ad confessionem per interpretem, etiam fore obligationem ad satisfaciendum præcepto annuæ confessionis per interpretem. 51

Lapsus in casum reseruatum non tenetur duobus confiteri, cùm possit immediatè adire Superiorem.

Secundò dico, Instantiam de casibus reseruatis non vrgere non solùm ex integro, quòd & Aduersarij fatentur, sed nec ex parte: quia reuerà ibi non est vlla obligatio confitendi duobus, 49 aut duobus patefaciendi suum peccatum, sed tantùm

tantùm vni. Si enim velit pœnitens, qui per se accedit Superiorem, potest eum cogere vt audiat: nec reiicere eum Superior potest ad alterum, sed subditus ei dicere potest, *Ego nolo peccatum meum duobus dicere, tu me audiaas*, tenebitúrque eum audire: vel certè habebit ibi locum sententia, quæ docet posse tunc dimidiari confessionem, vt Prælatus absoluat ab eo reseruato mittendo subditum cum ceteris peccatis ad Confessarium ordinarium: quo casu nullum peccatum cogetur dicere duobus. Solùm tamen posset esse difficultas aliqua, si Superior non
52 esset Sacerdos. At in eo casu dicimus posse licentiam peti per Confessarium ordinarium: & fortasse non poterit tunc obligare Superior, vt sibi etiam peccatum illud reueletur: neque obest, quòd aliquando quis possit confiteri inferiori cum onere comparendi Superiori: vt Religiosus in itinere incidens in casum reseruatum, & ille qui horâ mortis absoluitur à casibus reseruatis Papæ: tenetur enim postea se sistere saltem ratione excommunicationis: & consequenter debet duobus manifestare sua peccata: hoc inquâ non obest: potest enim pœnitens in via, si vult, differre confessionem vsque dum redeat domum: & iam quoad illum erit eadem omnino difficultas, quæ in ceteris omnibus. In casu autem mortis ea obligatio non oritur ratione peccatorum, sed ratione excommunicationis; Ecclesia enim potest pro delictis aliquibus enormibus & publicis pœnam imponere, quæ non remittatur, nisi se reus sistat: in eo autem ipso casu potest petere per Confessarium eam absolutionem ita, vt non reueletur peccatum duobus. Deinde vniuersaliùs respondeo hærendo fundamento tradito paulò superiùs: dico ergo, De potestate reseruationis & excommunicationis constare nobis ex Ecclesiæ definitione & sensu eiusdem Ecclesiæ: vnde si ex eo capite sequitur necessariò, quòd debeat peccatum reuelari duobus, totum id in Christi voluntatem cognitam per Ecclesiam reducetur: at de hac confessione per interpretem nihil omnino constat: imò in contrarium ex communi sensu Theologorum: quid ergo mirum, si consequentia à reseruatis ad hanc confessionem per interpretem ex integro deficiat?

53 *Obiectio.* Dices: Illud incommodum notitiæ dandæ duobus, scilicet interpreti & Confessario, vel non est graue simpliciter (vt multi docent, qui censent non esse mortale reuelare crimen proximi occultum vni viro prudenti, qui illud non est reuelaturus:) vel certè si illud sit graue detrimentum, non est tamen tantum, vt propter illud excusemur omnino ab obligatione præcepti de confessione saltem in mortis articulo, vt *Responsio.* constat ex exemplis adductis. Respondeo, Hanc rationem etiam probare, me in mortis articulo obligari ad confessionem, etiamsi mihi constet, quòd meus Confessarius sit reuelaturus meum peccatum vni tali viro prudenti: dicam enim eodem modo, illam manifestationem vel non esse grauem, vel non adeò, vt in mortis articulo excuset. Vbi aduerte, me hac instantia non confirmare absolutè communem sententiam, sed solùm ostendere, hanc rationem aduersæ partis nimiùm probare: id quod manifestè inde conuincitur.

Ex his concludo, Etsi in re hac tota pendente à voluntate Christi, qui (vt suprà notaui) potuit etiam cum eo incommodo nos obligare, nihil habeamus certi: ob auctoritatem tamen communem in hoc ipso puncto, & ob maiorem connexionem huius doctrinæ cum aliis doctrinis etiam communibus, quòd scilicet quando est periculum ne peccatum reueletur alteri quàm Confessario, non tenetur ad confessionem: iudico dicendum, non esse obligationem ad eam confessionem per interpretem, etiam in mortis articulo.

Probabilius est etiã in articulo mortis non teneri quam confiteri per interpretem.

Obserue autem, meritò Cardinalem Lugo reiicere Suarium & Dianam, eò quòd dicant ad excusationem à confessione sufficere, quòd habeat pœnitens probabile iudicium de contritione: etenim qui solùm habet probabile iudicium, potest in eo errare: ac proinde si re ipsâ careat contritione, damnabitur, quia probabile iudicium tunc non faciet illum contritum; non ergo sufficit probabilis coniectura. Si ageretur de re, vbi bona fides excusat, locum haberet ea probabilitas: at in casu præsenti nullo modo: deberet ergo talis tunc vel cedendo iure confiteri, vel saltem vnum mortale aut veniale confiteri dolendo de omnibus, & se de illis accusando, vt ab omnibus absolueretur indirectè, cum onere tamen posteà, si superuiuat, ea confitendi, quando, siue interprete per seipsum immediatè possit.

54

Quid sit confitentem, si tunc morbidus habeat de sua contritione.

SECTIO VIII.

An etiam sit obligatio ad confessionem per scripturam.

55

NON loquimur in absentia; iam enim suprà diximus id non esse licitum, nec validum; sed in præsentia. Circa quod duo possunt quæri: Primò, An possit id fieri, quando pœnitens se non aliter potest explicare. Secundò, An, esto possit, valeat tamen confessio eo modo facta, aut etiam licita sit. Circa primum certum *Qui loqui nequit, potest scripturâ confiteri Sacerdoti præsenti.* est sicut quando infirmus non potest loqui, sufficit, si nutibus se explicet; ita a fortiori sufficere, si id faciat per scripturam datam Sacerdoti. Neque in hoc potest esse vlla ratio dubitandi, cùm ea scriptura longè meliùs explicet peccata quàm nutus. Quòd si pœnitens possit loqui, negarunt aliqui fore validam confessionem per scripturam: ita Richardus, Paludanus & Soto apud Vasquez suprà dub. 4. num. 1. probari autem ea sententia posset ex Florentino, quod docet, materiam huius Sacramenti esse confessionem oris. Hæc tamen ratio etiam probaret nec illum, qui non potest loqui; posse validè confiteri per nutum, aut scripturam, vel alia signa; quod est contra hos ipsos Auctores: sequela verò patet, quia Concilium ibi non facit vllam exceptionem inter eos casus, sed absolutè & vniuersaliter loquitur. Respondetur ergo, Ibi per oris confessionem intelligi manifestationem suorum peccatorum Sacerdoti: ita enim ipsum Concilium se explicat, & ad vitandas eas difficultates Tridentinum Sessione 14. cap. 3. solùm dixit *Confessio*: est autem rigorosa confessio delicti, quando reus scripto fatetur suum crimen.

56 Dicendum ergo omnino esse validam talem confessionem, vt D. Thomas in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiuncula 2. ad 2. & quodlibero 1. art. 10. docet, & cum eo ceteri Theologi, quia Christus confessionem criminis solùm petiit pro materia; ea autem, vt dixi, fieri potest per scripturam: ergo. Maior est difficultas, an saltem

Etiam qui loqui potest, validè sic confiteretur, modò addat se de illis scriptis peccatis dolere.

saltem præcepto aliquo humano id sit prohibitum. Nullibi habetur tale præceptum.

Obiectio. Obiici tamen solet Augustinus lib. de Vera & falsa pœnitentia cap. 10. vbi ex historia leprosorum, quos ad Sacerdotes Christus remisit, docet, confessionem non per nuntium, non per *Soluitur* scripturam faciendam. Respondetur tamen, Et librum illum non esse Augustini, & ibi solùm excludi scripturam absenti Sacerdoti missam, solùm enim requirit, vt præsentet se Sacerdoti; licet tamen ea prohibitio scripta non reperiatur, Suarez disput. 21. sect. 3. & Vasquez suprà numero 7. putant id non licere ex Ecclesiæ consuetudine. Dicendum tamen cum Lugo, Pœnitentem, qui datâ schedâ, in qua sunt scripta peccata, dicit Confessario, *De his me accuso, & peto absolutionem*, non peccare etiam consuetudinem 57 Ecclesiæ. Et reuerà in hoc puncto & Suarez & Vasquez non videntur consequenter locuti, vt & benè notauit idem Lugo: etenim communis sententia, quam illi duo & alij defendunt, docet, si Confessarius scit iam anteà meum peccatum, non esse necessarium vt ego illud repetam, sufficere si dicam illi, *Accuso me de eo peccato quod tu scis*; de quo puncto nos egimus suprà, dum de materia huius Sacramenti disputauimus: & idem est si Sacerdoti ego narrauì priùs omnia mea peccata, & quidem sine animo confitendi: si enim posteà mutato animo volo habere absolutionem, sufficit illi dicere, *Accuso me de omnibus illis peccatis quæ heri tibi dixi*: ergo si ex scriptura scit idem Confessarius mea omnia peccata, sufficit illi posteà dicere, *De his omnibus me accuso*: imò ad hoc non est necessarium, vt in præsentia dem illi schedam; sufficit si anteà, vel in absentia, dummodò posteà præsens illi dicam, *De illis omnibus me accuso, & peto absolutionem.* Idem denique est, quando confessus sum inualidè, & posteà me accuso de omnibus illis, quæ adhuc Confessarius memoriter retinet.

58 Addit autem Lugo, id longè meliùs intelligi, si post datam schedam dicat pœnitens Confessario, *Accuso me de his omnibus*, quàm si id dicat ante datam schedam: quia si post datam, tunc confessio completur per verba, seu per accusationem illam breuem: at si accusatio præcedat, & posteà Sacerdos legat peccata, tunc accusatio præcedens non completur nisi posteà per scripturam: vt si pœnitens diceret Sacerdoti præsenti, *Accuso me de peccatis quæ tibi posteà mittam in chartâ*, non valeret ea accusatio ad absolutionem; si tamen è contrario factum esset, valeret; ergo esto necessaria sit aliqua confessio per verba, sufficiet eo modo se accusare. Ego tamen non putarem, si vtrumque fit in vno momento quasi moraliter, vt simul det schedam dicens, *De his me accuso*, & expectet ibi donec Sacerdos legat, & tunc accipiat absolutionem: non inquam puto esse vllam prorsus differentiam; & fortè in illo ipso casu, quo diceret præsenti, *Accuso me de peccatis quæ tibi posteà mittam, & post quæ ego veniam pro absolutione*, putarem omnino sufficere: quia ille aduentus posteà iudicari deberet suppositis circumstantiis loco confessionis: & sufficeret, si diceret *Peto absolutionem de illis.*

Adhuc tamen manet proposita difficultas, 59
Vtrum sit aliqua obligatio ex cõsuetudine saltem ad ea duo verba, *Accuso me de his.* Dicunt aliqui excusari illum, qui ob nimiam verecundiam non auderet confiteri; hoc tamen deberet intelligi, vt ore referat sua peccata; nam vt dicat, *Accuso me de his*, non potest vlla verecundia excusare: nam saltem debet dicere, *Doleo*, aut *Peto absolutionem*, aut aliquid simile: quod non magis aut minùs caussat pudorem quàm dicere, *Accuso me de his.* Alij dicunt, faciliùs id posse contingere, si quis volens secretò coram aliis confiteri daret schedam Confessario. Verùm non video quomodo, si potest ei dicere, *Do tibi vt me absoluas*, non possit dicere, *Accuso me de his*, nisi in ipsâ schedâ scribat, *Accuso me de his, & peto absolutionem*: non est ergo morale, quòd vlla circumstantia possit ab illis duobus verbis excusare.

Peccant qui per scripturã sic confessus, non exprimeret verbis summ dolorem de peccatis se accusandi.

Vt verò casum in toto rigore discutiamus, dico, Si nihil omnino dicat, sed solùm det scripto, & nullam habeat excusationem non proferendi ea duo verba, esse probabile quòd peccet: & quidem quòd saltem venialiter est certum, quia esset contra omnium consuetudinem eo modo confiteri, & argueret leuitatem satis magnam; an verò etiam mortaliter, magis est dubium. Benè ait Lugo non posse ostendi, quòd consuetudo sit inducta ad obligandum: quia tamen communiter ita creditur, & contemptum aliquem redolet ille modus confitendi contra Ecclesiæ consuetudinem, probabile est eum hominem mortaliter peccaturum.

Iam potest è contrario quæri, An ille qui nec 60
loqui nec nutibus sua peccata explicare potest, teneatur scripto confiteri. Negant aliqui apud Vasquez suprà dub. 5. quia scriptura est exposita multis periculis. Communis tamen sententia docet eum obligari, quia illud periculum nullum est: potest enim ipse pœnitens monere scripto Sacerdotem, vt statim sibi restituat chartam, & eam ipse statim lacerare. Et certè de facto in his partibus Germaniæ ferè omnes scribunt sua peccata, vt ex scriptura ea legant; quòd si darent legenda, & reciperent statim, nullum ibi esset speciale periculum: quòd verò per accidens posset aliquando contingere vt veniret ad alienas manus, nihil vrget: quia etiam dum quis oretenus confitetur, potest audiri ab aliquo ibi vicino. Vide Vasquez ibi, Suarez disput. 36. sect. 6. num. 5. & Lugo 87. Ratio à priori eius sententiæ est, quia quilibet tenetur confiteri eo modo, quo potest sine graui damno: hîc autem nullum tale graue damnum est, vt diximus: ergo.

Qui aliter non posset, tenetur scripto confiteri.

DISPVTATIO LII.

De præcepto Ecclesiastico confessionis.

1 HVCVSQVE de necessitate confessionis ex præcepto diuino, & aliqua quæ cum ea obligatione connexa esse poterant tetigimus, iam de necessitate eiusdem ex præcepto Ecclesiastico.

SECTIO

SECTIO I.

Suppositâ certâ doctrinâ quæritur, An si Christus non præcepisset confessionem, possit eam Ecclesia præcipere.

IN cap. *Omnis* suprà citato Lateranense Concilium imposuit præceptum confessionis annuæ: Tridentinum autem Sessione 14. cap. 5. & Can. 8. expressè asserit à Lateranensi fuisse impositum tale præceptum; illudque de nouo approbat. Et ita sentiunt omnes Doctores, imò omnes Fideles: nec videtur vllus esse locus ad dubitandum de hoc puncto. Durandus tamen dist. 17. quæst. 8 & 14. subdubitat, an sit verum præceptum, eò quòd, si illud præceptum non seruetur, non possit Ecclesia transgressorem punire; si enim respondeat quis, Ideò se non confessum, quia non habebat mortale, non poterit ab Ecclesia puniri. Hæc tamen ratio nullius est momenti ad dubitandum de re adeò inter omnes certâ, patiturque instantias in aliis præceptis. Nam quo modo Ecclesia conuincet Parochum, aut Sacerdotem, qui dixerit se iam secretò orasse Officium diuinum? quomodo item conuincet illum, qui acceptam ore Eucharistiam eam non deglutiuit? quomodo Ecclesia potest conuincere illum, qui Sacro interest quidem corpore, sine animo tamen illud audiendi, & sine vlla planè attentione? an propterea negabit Durandus esse vera præcepta, & in conscientia obligantia de recitatione Officij diuini, de audi ione Sacri, &c. Dicendum ergo, Non semper posse Ecclesiam punire delicta quæ fiunt contra ipsius leges, quia non semper potest habere probationes sufficientes: non tamen ideò sequitur, eam non posse de illis actibus externis etiam occultis leges ferre. Dico *externis*, quia confessio etsi sit de actibus internis, ipsa tamen est actio externa.

2

Ecclesia non potuisset præcipere confessionem, licet pœnitentia fuisset elevata ad Sacramentum à Christo Domino.

Hac ergo certâ veritate suppositâ, quæritur, An si Christus non instituisset hoc Sacramentum, potuisset illud præcipi ab Ecclesiâ? dupliciter potest quæstio proponi; Primò ita: vt nec confessio tunc haberet rationem Sacramenti, seu vim sanctificandi: & tunc videtur clarissimum, fore vt Ecclesia non posset illud præcipere, sicut non potest me obligare tunc, vt mea peccata omnia ego dicam alicui sæculari: idem enim fuisset eo tempore, quo confessio nihil habuisset de ratione Sacramenti: esset enim imponere vnum onus grauissimum sine vlla vtilitate. Secundo ergo modo potest proponi ea quæstio, vt Christus quidem instituisset hoc Sacramentum cum vi iustificandi, &c. non tamen voluisset obligare ad illud, sed reliquisset alia media pro iustificatione.

3

In hoc sensu res est difficilior, quia cùm tunc fuisset Sacramentum, videtur eo ipso Ecclesia habitura potestatem ad cogendum aliquâdo ad eius susceptionem, cùm potestas circa Sacramentorum susceptionem resideat apud Ecclesiam: longè tamen probabilius est fore, vt etiam tunc non possit ob difficultatem maximam, sicut non potest Ecclesia nunc præcipere, vt homo fiat Religiosus vel Sacerdos. In hac resolutione est nobis contrarius Vasquez suprà n. 43. & Suarez disp. 35. sect. 1. Conatur autem id Suarez variè probare: Primò, quia Ecclesia potest præcipere Sacramentum Confirmationis, etiamsi ad illud Christus non obligauerit: quæ enim repugnantia est, vt Ecclesia diceret, *Nolo Eucharistiam dare nisi confirmatis*? tunc autem cùm aliunde sit obligatio Eucharistiam sumendi, esset etiam & suscipiendæ Confirmationis. Hæc tamen ratio leuis est, quia Confirmatio non est Sacramentum vllius difficultatis. Deinde quod addit de eâ præmittenda ante Eucharistiam, non est ad rem, quia id non est propriè præcipere Confirmationem, sed volentibus Eucharistiam sumere apponere eam conditionem. Augumentatur præterea: Quia receptio eius Sacramenti non esset materia excedens potestatem legislatiuam Ecclesiæ: non quia sit circa actus internos: nam confessio actus est externus: non quia homo se diffamet, quia hoc nullius est momenti; talis enim infamia ferè nulla est: tum quia licet esset aliquod detrimentum, tamen respectu fructus inde secuti nullius esset momenti: nec denique propter difficultatem, quia sæpè Ecclesia præcipit res magis difficiles: tandem, quia hæc omnia habent locum in præcepto annuæ confessionis, ratione cuius sæpiùs obligatur homo ad confessionem quàm solo iure diuino.

Nihilominùs hæc argumenta non obligant nos ad defendendam eam sententiam. Et quidem quòd dicitur vltimo loco de annua confessione, non tangit quæstionem nostram: quia per hoc Ecclesia non me obligat, vt pluries idem peccatum confitear, sed vt, quod semel etiam in fine vitæ facturus, omnia peccata totius vitæ dicendo vni Confessario vi præcepti diuini, ea dicam diuersis vicibus, hoc anno peccata huius anni, & sequenti sequentis: hoc autem non habet maiorem difficultatem quàm illud primum: quia numquam manifesto peccatum vllum nisi semel. Quòd item addit, Ecclesiam sæpè præcipere res difficiliores, negatur à nobis: quia reuerà difficillimum præceptum Religionis Christianæ iudicio ferè omnium prudentum (etiam includo præcepta diuina, positiua tamen: nam de naturalibus non est sermo) est præceptum confessionis. Quod dicitur de vtilitate, parum vrget: nam etiam in statu Religioso est maxima vtilitas: & tamen ad illum non potest obligare Ecclesia. Quòd ait, infamiam illam nullam esse, non videtur mihi valdè consequenter dictum ad alia principia eiusdem Auctoris, imò omnium ferè. Quod scilicet etiam ipsum præceptum diuinum de eadem confessione non obliget, si ego sciam Confessarium vel vni tantùm alij reuelaturum ea peccata, hinc meo iudicio argumentor efficaciss imè: Si ex hoc capite, quòd vnus alius (quàm Christus iussit) sciturus sit mea peccata, liberor ego ab ipso præcepto diuino Christi: profectò multò minùs Ecclesia poterit me obligare suo solo præcepto, vt vel vni soli (ad quod me Christus non obligauit) ego confitear ea peccata.

4

Satisfit certis rationibus.

Contrarium sentiunt Suarez & Vasquez.

Vrgeo hoc, & simul totam sententiam confirmo manifestè aliâ doctrinâ, quam idem Suarez etiam tradidit: ita enim disp. 35. sect. 5. num. 6. ait se id suprà docuisse: estque ferè omnium sententia, Ecclesiam non posse obligare ad confitenda bis omnia peccata: quia iam cessat obligatio præcepti diuini: & tamen nunc in ea secunda confessione sunt omnes illæ vtilitates, & ratio Sacramenti, quæ essent eo tempore in prima confessione: ergo si nunc ad secundam obligare non potest, nec tunc posset ad primam: & sanè si nunc me obligaret, vt eidem Confessario, cui iam sum confessus, confiterer secundò, non esset vlla occasio infamiæ, cùm ille iam sciat ea peccata: ergo

Confirma.

Confirmatur Secundò in venialibus, quorum confessionem omnes supponunt non cadere sub Ecclesiæ obligationem; & tamen ea est Sacramentum, habetque vtilitatem illam maximam quam dicit Suarez; & aliunde, quia peccata sunt leuia, est facilior; ergo. Verùm de hac confessione venialium infrà fusiùs.

Cardinalis Lugo rem obiter valdè tangens ait, Si eo casu ad valorem confessionis esset necessarium dicere omnia peccata, Ecclesiam non habituram potestatem ad obligandum ad illam, quia esset res difficillima, si verò sufficisset dicere vnum vel alterum peccatum, posse admitti eam obligationem. Hæc limitatio est probabilis; mihi tamen magis placet vniuersaliter discurrere, quia etiam nunc nec ad vnius solius mortalis extra confessionem, aut quando Confessarius vel vnicum mortale est reuelaturus, potest Ecclesia obligare. Et de quæstione pro illo alio ordine rerum latius.

SECTIO II.

An de facto Ecclesia possit præcipere secundam confessionem.

6 PAVLÒ antè tetigi instantiam de secunda cõfessione eorumdem peccatorum, id quod nunc tractandum magis ex proposito. Hac de re fusè agit Pater Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 7. Lugo disp. 15. à n. 92. & quæst. 43. art. 1. dub. 6. Gaspar Hurtadus disp. 11. de Pœnitentia difficult. 3. apud quos alij videri possunt. Duæ sunt sententiæ extremæ; Prima, quæ omnino negat: ita Paludanus, Almainus, Gerson, Dionysius Cistercienſis, Ledesma. Durandus, D. Tomas, Ioannes Medina, quos refert Vasquez eo primo loco citato; eis adhæret Lugo suprà, & Vasquez ipse secundo loco suprà citato. Altera sententia est, quæ absolutè affirmat: ita Ioannes Maior, Adrianus, Angelus, Alexander Henricus apud Vasquez suprà; quibus etiam adhæret Hurtadus. Inter has duas sententias est alia media docens id posse præcipi de peccatis exterioribus, quæ possunt reseruari, non tamen de interioribus, de quibus non iudicat Ecclesia: cui sententiæ adhæserat Vasquez suprà primo loco; licet re melius considerata eam retractauerit, & primam absolutè negantem tenuerit.

Non potest Ecclesia obligare ad peccata secundò confitenda.

Quam ego etiam censeo omninò veram tum propter auctoritatem maiorem, tum propter ea quæ diximus suprà, scilicet Ecclesiam non posse obligare ad confessionem, si eam Christus sub præcepto non posuisset. Eo enim ipso quòd semel quis est confessus ea peccata, iam satisfecit præcepto diuino circa illa; ergo non potest Ecclesia eam confessionem secundam præcipere. Probatur autem meo iudicio valdè efficaciter ea sententia ex Benedicti Vndecimi Extrauag. *Inter cunctas*, de priuileg. lib. 5. tit. 8. vbi hæc verba habentur: *Nec confessi ipsis Fratribus* (Dominicanis & Franciscanis) *peccata illa, de quibus confessi sunt eis & absoluti pœnitentes, de illis Sacerdotibus propriis teneantur* (sicut etiam non tenentur) *iterùm confiteri, non obstante Constitutione Generalis Concilij, quæ sano intellectu, ne sequatur absurdum, quòd per pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor ad soluendum maneat obligatus, intelligenda est de illis qui peccata sua alijs confiteri neglexerunt.* Hæc ille ibi. In quibus pondero, quòd agens de Concilio generali Lateranensi Præside Innocentio Tertio (in quo sine dubio debebat esse potestas imperandi secundam confessionem, casu quo ea sit in Ecclesia) dicit illius mandatum fore absurdum, si intelligatur de obligatione ad secundam confessionem; ergo sensit Pontifex non habuisse Cõcilium potestatem id mandandi, quia potestas obligandi ad absurda nulla est, nec potest credi concessa à Christo; alioquin posset responderi Benedicto, Ecclesiam habere hanc potestatem honestè id mandandi, & ea vsum fuisse Concilium generale auctoritate Innocẽtij Tertij: hoc autem non admittit ibi Benedictus, dum dicit absurdum esse, debitorem liberatum manere adhuc obligatum ad secundò soluendum. Nec potest responderi, Illam Extrauagantem esse reuocatam à Clemente Quinto in Clement. *Dudum*, de Sepulturis: nam etsi quoad aliqua priuilegia ibi concessa Religiosis, aut è contrario Parochis, sit reuocata, sicut possunt omnes ordinationes Pontificum reuocari; at in ordine ad eas declarationes doctrinales totam suam vim retinet. Et ita Vasquez maximè ex hoc capite inductus est ad priorem suam sententiam reuocandam.

Solutio obiectionis.

Nostra autem ampliùs confirmatur ex solutione argumentorum, quæ contra nos fieri solent. Primò ergo dicit Hurtadus, Contrarium non leuiter confirmari statuto quodam pro Cistercienſibus approbato à duobus Pontificibus; quo Fratres obligantur ad confitendum semel in anno suo Prælato omnia peccata, quæ per annum fuerant confessi ordinarijs Confessarijs. Hoc statutum citatur ab omnibus ferè Doctoribus vniuersaliter, & varias illi solutiones adhibent. Ei respondeo Primò, Si ad Constitutiones Religionum vellemus recurrere, etiam in nostra Societate haberi regulam faciendi confessionem generalẽ in ingressu Societatis totius vitæ; deinde singulis semestribus aut annis ab vltima. Secunpò dico, Ex Regulis nihil colligi contra nostram conclusionem; nam ille qui Religionem ingreditur, vti se obligat voluntariè ad paupertatem, obedientiam & castitatem, ad quæ ab Ecclesia non potest obligari; ita potest etiam se obligare ad seruandam eam Regulam, quæ præcipit secundam confessionem eorumdem peccatorum. Cardinalis Lugo putat, etiam si Regula ad id non obligaret, posse in Religione, vbi ad maiorẽ perfectionem est obligatio, præcipi ea secunda confessio, esto pro tota Ecclesia præcipi non possit. Probabilis est hæc resolutio; ego tamen puto magis consequenter dici, Neque hoc posse; quia, vt ostendi, illud præceptum est grauissimum; si autem admitteremus posse semel eam præcipi, poterit secundò & tertiò & quartò; hoc autem quis non videat grauissimum esse onus, Nec Superior Religionis potest etiam quæcumque velit præcipere, sed debent esse iuxta Regulam. Vnde non potest Superior Dominicanus præcipere, vt incedant nudis pedibus, aut vt tota vita non comedant lacticinia. Obedientia enim quæ vouetur semper est iuxta Regulas & consuetudines Ordinis; si ergo in Regulis nihil haberetur de ea secunda confessione, non posset fine dubio præcipi.

9 *Ex quo capite Religiosi possint obligari ad eadem peccata secundò confitenda.*

7 Probatur autem meo iudicio valdè efficaciter ea sententia ex Benedicti Vndecimi Extrauag. *Inter cunctas*, de priuileg. lib. 5. tit. 8. vbi hæc verba habentur: *Nec confessi ipsis Fratribus* (Dominicanis & Franciscanis) *peccata illa, de quibus confessi sunt eis & absoluti pœnitentes, de illis Sacerdotibus propriis teneantur* (sicut etiam non tenentur) *iterùm confiteri, non obstante Constitutione Generalis Concilij, quæ sano intellectu, ne sequatur absurdum, quòd per pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor ad soluendum maneat obligatus, intelligenda est de illis qui peccata sua alijs confiteri neglexerunt.* Hæc ille ibi. In quibus pondero, quòd agens de Concilio generali Lateranensi Præside Innocentio Tertio (in quo sine dubio debebat esse potestas imperandi secundam confessionem, casu quo ea sit in Ecclesia) dicit illius mandatum fore absurdum, si intelligatur de obligatione ad secundam confessionem; ergo sensit Pontifex non habuisse Cõcilium potestatem id mandandi, quia potestas obligandi ad absurda nulla est, nec potest credi concessa à Christo; alioquin posset responderi Benedicto, Ecclesiam habere hanc potestatem honestè id mandandi, & ea vsum fuisse Concilium generale auctoritate Innocẽtij Tertij: hoc autem non admittit ibi Benedictus, dum dicit absurdum esse, debitorem liberatum manere adhuc obligatum ad secundò soluendum. Nec potest responderi, Illam Extrauagantem esse reuocatam à Clemente Quinto in Clement. *Dudum*, de Sepulturis: nam etsi quoad aliqua priuilegia ibi concessa Religiosis, aut è contrario Parochis, sit reuocata, sicut possunt omnes ordinationes Pontificum reuocari; at in ordine ad eas declarationes doctrinales totam suam vim retinet. Et ita Vasquez maximè ex hoc capite inductus est ad priorem suam sententiam reuocandam.

10 Secundò obijcitur Martinus Quintus, qui in quadam Extrauaganti, quæ incipit, *Ad vberiorem fructum*, præcipit, vt hi, qui Religiosis Mendicantibus confitentur, teneantur nihilominus

nùs semel saltem in anno confiteri suis Parochis; ergo obligat Ecclesia ad secundam confessionem: & hoc ipsum alios Pontifices mandasse fertur. Respondeo Primò cum Lugo facilè, Inde nihil colligi de secunda confessione eiusdem peccati: sufficit enim si confiteantur ea peccata, quæ commiserunt ab vltima confessione. Respondeo Secundò, & magis ad rem nostram, Cùm in eo casu nullus obligaretur ad confitendum Fratribus Mendicantibus, sed pro libitu possit expectare ad annuam confessionem, profectò nulli imponitur obligatio confitendi bis: quòd si quis ex sua libertate volebat confiteri Fratribus illis cum eo onere deinde secundò confitendi, iam tunc non ex præcepto, sed ex libera acceptatione eiusdem proueniebat ea obligatio subeundi illud onus.

SECTIO III.

Digressio de facultate absoluendi cum obligatione se deinde sistendi Superiori.

11 OCCASIONE obligationis ad secundam confessionem tractari solet ab Auctoribus hæc difficultas, quia annexa illi est valdè, quomodo scilicet debeat intelligi vsus quarumdam Religionum, in quibus est facultas communiter concessa ad absoluendos itinerantes in casum reseruatum incidentes (dummodò ex proposito eam occasionem non quæsierint pro peccando) cum onere tamen se postea Superioribus manifestandi. Ratio autem dubitandi ea est, quia eo casu videntur illi Religiosi non indirectè, sed omnino directè absoluti, cùm sint absoluti ex facultate habentis iurisdictionem supra casus reseruatos: eo autem ipso (iuxta immediatè antè dicta) non videtur posse manere obligatio ad secundam confessionem.

SVBSECTIO PRIMA.

Solutio Patris Suarez.

12 SVarez disp.30. sect. 5. fusè tractat in genere, Vtrùm possit dari facultas absoluendi cum eo onere; & eadem occasione explicat, quomodo consuetudo aliquarum Religionum dandi eam facultatem pro itinerantibus licita & honesta sit: ait autem num. 7. Recentiores aliquos omnino negare id posse fieri, à quibus dicit citari pro se ex Antiquioribus nonnullos alios: ipse autem iudicat nullum ex Antiquioribus fuisse in ea sententia, si vnum Durandum excipias. De eadem difficultate agit Vasquez quæst. 91. art. 3. Coninch disp.8. num. 116. Lugo fusè disp. 15. à num. 100. Suarez ergo ait id prouenire ex speciali modo, quo superior delegat suam potestatem. Cùm enim ad absoluentem spectet castigare peccatum per impositionem satisfactionis, & curationem eiusdem in futurum, poterit Superior dare licentiam absoluendi cum ea limitatione, vt pœnitens ratione satisfactionis teneatur adire ipsum Superiorem; quod tamen non est ita intelligendum, vt immediatus Confessarius non debeat aliquam imponere pœnitentiam: hoc enim repugnat integritati Sacramenti: sed quia illam eamdem debet declarare pœnitens Superiori, vt eam approbet, aut permutet. Hoc ipsum docet de altero titulo scilicet ratione curationis in futurum. Præcipuum autem fundamentum illius est, quòd non sit dubitandum, quin Christus Dominus potuerit hoc modo concedere potestatem, quam Pastores Ecclesiæ habent ad delegandam aliis suam iurisdictionem; hic enim modus est valdè vtilis, vt subditi magis deterreantur à peccato: ergo.

Explicatio Suarij de facultate absoluendi Religiosos itinerantes à reseruatis cum onere se deinde sistendi Superiori.

Hanc explicationem fusè reiicit Coninch supra, & post ipsum Lugo à n 102. & meritò, quia reuera non potest talis diuitio pœnitentiæ fieri, vt Confessarius det absolutionem à culpa, & partem pœnitentiæ imponat: Superior autem imponat, aut postea approbet alteram partem: id quod euidentiùs ostenditur repugnare, quando Superior non est Sacerdos; tunc enim nullam penitus habet potestatem imponendi pœnitentiam Sacramentalem. Confirmatur, Quia illa satisfactio est per modum partialis materiæ, quæ debet habere annexam suam formam Sacramentalem: si autem tunc Prælatus non potest proferre vllam formam Sacramentalem, quomodo & pœnitentiam imponere? quòd si dicatur eam impositionem pœnitentiæ vt factam à Prælato non esse Sacramentalem, tunc non obligabitur subditus ad illam: quia Sacerdos in confessione non potest pœnitentem obligare nisi imponendo ei pœnitentiam. Quòd si ideò Secundò dicatur Confessarium ipsum imponere subdito illud onus accipiendi a Superiori satisfactionem: ita vt hæc obligatio tota oriatur ab immediato Confessario, & postea Prælatus solùm se habeat vt determinans materiam satisfactionis, reiicitur adhuc clarè Primò, quia si hoc modo res fiat; ergo si Confessarius obliuiscatur id dicere pœnitenti, iam hic non erit obligatus comparere; quod tamen nullo modo Suarez admittet. Secundò, quia posset pœnitens tunc se liberare an onere comparendi vel per Indulgentiam plenariam, vel e infitendo alteri illud peccatum, cùm iam non sit reseruatum: illi autem poterit eam pœnitentiam permutare. Tertiò, quia eo modo non magis apparet, cur possit obligare pœnitentem vt recurrat ad Superiorem pro taxatione seu determinatione pœnitentiæ quàm ad quemlibet alium: hoc autem est absurdum: ergo. Sequela patet, quia cùm Superior nihil aliud efficiat quàm determinare pœnitentiam: cur quæso id non poterit quilibet alius efficere.

13 *Reiicitur ea explicatio.*

14

Quòd verò Suarez dicat, Tunc temporis necessariò debere aliquam pœnitentiam ab immediato Confessario imponi, non videtur consequenter dictum (vt benè notauit Lugo supra:) nec ratio Suarij in contrarium quidquam probat; nam licet satisfactio omnino sit de integritate Sacramenti, &c. cùm tamen in Suarij principiis Prælatus possit eam pœnitentiam saltem ex parte imponere, poterit profectò & totam; quia non minùs de integritate Sacramenti est tota quàm pars. Deinde argumentor: Si illa impositio pœnitentiæ postea secuta complet Sacramentum: ergo esto nulla iam imponeretur à Confessario, dummodò postea totam imponeret Prælatus, posset Sacramentum esse perfectissimum perinde, ac si consentiente pœnitente ego hodie illi darem absolutionem ita, vt eras deberet venire ad me pro pœnitentia.

15

Multò autem clariùs reiicitur illa alia pars eiusdem doctrinæ, quòd ratione curationis in futurum possit obligari pœnitens ad comparendum. Etenim (vt sæpè diximus) potestas adhibendi medicinam non est nisi ratione satisfactio-

nis; quidquid ergo ratione huius non imponitur, non potest pro medicina imponi: potest quidem Confessarius declarare pœnitenti obligationem, quam aliunde habet in futurum in ordine ad medicinam, aliam tamen imponere, nisi per modum satisfactionis, non potest.

Argumentum Suarij suprà, quòd Christus potuerit eo modo instituere Sacramentum, non habet magnam vim; neque enim omnia quæ potuit fecit. Deinde eo casu Sacramentum hoc potuisset conferri à duobus, partialiter ab vno, & partialiter ab altero; de facto autem id fieri non posse constat manifestè ex omnium sensu.

Obiectio. Dices; Superior dans Confessario potestatem absoluendi à reseruatis potest taxare pœnitentiam, quam debet imponere pœnitenti; ergo potest obligare pœnitentem, vt veniat ad se post confessionem pro pœnitentia; quia idem est eam taxare seu determinare post confessionem, ac antecedenter determinate illam. Respondeo, Hoc argumento minimùm probari; nam Doctores possunt in Libris & Cathedris decidere, pro tali peccato debere imponi talem vel talem pœnitentiam, & per hoc quasi obligare indirectè Confessarium vt illæ ponantur; sicut Tridentinũ declarauit pro grauissimis peccatis non esse imponendas leues pœnitentias; & per hoc sine dubio obliguit ad ponendas graues: non tamen propterea potest Confessarius diuidere collationem Sacramenti, & remittere pœnitentem ad Doctores, vt illi imponant satisfactionem. *Soluitur.*

16 Respondeo ergo, Prælatum præscribentem antecedenter pœnitentiam non exercere actionem Sacramentalem, neque ministrare Sacramentum, sed declarare modum, quo teneatur Sacerdos vti sua iurisdictione in eo Sacramento: sicut dixi de Doctore, qui diceret esse talem vel talem obligationem imponendi huic peccato pœnitentiam: ac proinde Sacerdos ipse tunc totum Sacramentum conficeret, licet ex directione Superioris: at si è contrario fieret, diuideretur Sacramentum: id quod iam diximus repugnare: nisi tursus recurratur ad alteram solutionem impugnatam, quòd Confessarius cogeret pœnitentem imponendo illi satisfactionem determinandam à Superiore, sicut si illum remitteret ad me, vt ego eam determinarem. Vnde etiam dicimus potuisse eumdem Prælatum dare Confessario potestatem ita imponendi pœnitentiam, vt posteà pro eius confirmatione aut reuocatione teneretur ipse Superiorem adire: quod facile est captu, si ipsemet Confessarius recurreret ad Superiorem dicendo, Hanc imposui, quid vobis videtur: eo enim casu reuocatio aut determinatio facta à Superiori deberet posteà vltimò compleri per ipsum Confessarium; si verò cogeret pœnitentem vt ipse iret pro ea confirmatione aut reuocatione, tunc id reduceretur ad modum immediatè antè & paulò superiùs refutatum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vera explicatio difficultatis.

CArdinalis Lugo num. 115. ait id fieri per pactum implicitum vel expressum ipsius pœnitentis: de quo pacto fusè egerat Vasquez suprà, varia contra illud argumenta congerens; quibus solutis tandem dixit illud esse possibile. Fusiùs autem eumdem modum ex multis Auctoribus tradiderat Suarez à num. 9. ad 23. qui speciatim citat Paludanum, Almainum & Medinam; à Nauarro verò ait distinctiùs id traditum. Videtur etiam Coninch id admittere, saltem in Religiosis; in alijs enim expressè ait, Si Confessarius non statim declaret eam obligationem pœnitenti, cùm primùm hic incipit confiteri, non fore hunc obligatum ad comparendum; ideoque peccaturum grauiter Confessarium, eò quòd monere neglexerit. De eo ergo pacto ita sentit Suarez, esse quidem valdè probabile, & magna ex parte sufficere ad difficultatem propositam expediendam; posteà verò circa illud aliqua notat consideratione digna. Et quidem quoad Societatem nostram res est satis clara ex declaratione facta à Patre nostro Generali Mutio Vitelleschi anno secundo sui Generalatus, hoc est, anno 1617. litteris ad totam Societatem datis; de quibus Lugo suprà: in illis enim dicitur, Eam facultatem absoluendi non dari, quando ex industria seu animo peccandi facit quis iter, Quæ declaratio meo iudico (supposito tertio puncto, de quo statim) vix ac ne vix quidem fuit necessaria. Nam si Religiosus ille sic absolutus in via tenetur se deinde sistere Superiori, profectò nullam inde vtilitatem habere potest eo tempore peccando foris, quam non haberet domi peccans; domi enim nihil aliud poterat habere, quàm se Superiori debere sistere; hoc autem tunc habet; ergo. Imò si res prudenter consideretur, peiùs longè ei euenit in itinere quàm domi, nam in itinere necessariò debet manifestare se duobus, & illi cui tunc confitetur in ipsa via, & alteri, per quem posteà domi esset petiturus licentiam à Superiore, aut certè ipsi Superiori; si autem domi peccans recurrisset ad Confessarium ordinarium, qui à Superiore non declarando reum peteret facultatem, vnus solus peccatum ipsius sciret: non habet ergo magnam vtilitatem ex eo, quòd in via absoluatur, vt propterea possit eo animo facere iter, vt ibi peccet, & absoluatur, nisi dicamus eum non eo titulo voluisse in itinere peccare, quasi faciliùs esset obtenturus absolutionem, sed quia occasionem peccandi commodiorem esset habiturus. Quidquid ergo de hoc sit, Secundò ibi declarat Pater Generalis, etiam tunc non posse ad externos recurrere, si adsit alius quis è Societate. Tertiò, quod est ad rem nostram; ait obligationem illam esse conditionem, sine qua non conceditur ea licentia, ideoque eum, qui non habet animum acceptandi vel implendi, non posse absolui, & in vsu eius facultatis tacitè includi acceptationem conditionis illius, qua subditus in re tanti momenti & pro bono non Societatis maximè conducente se illi obligat. Ex hac declaratione colligit Lugo minùs benè Patrem Suarez suprà num. 19. dixisse, si pœnitens bona fide existimaret se non teneri ad acceptandam illam obligationem comparendi, & ideò ad extorquendam absolutionem fingeret se illam acceptare, fore absolutionem validam; quia facultas solum requirit eam acceptationem. Hoc inquam reijcit, quia (vt ex dictis constat) Societas non dat eam facultatem nisi cum conditione, vt reuerà acceptet eam obligationem. Miror tamen Cardinalem Lugo non legisse immediata verba, quæ Suar. dicit; sunt autem hæc: *Existimo illum nihilominùs manere in re ipsa obligatum ad comparendum, quia eo ipso sciens facultatem esse à Superiore, tali modo datam, vult per illam absolui, vt ipsa accipit obligationem sibi impositam etiamsi per ignorantiam habet illicitam voluntatem,*

Admodum R.P. Mutius declarauit quoad Societatem obligationem se sistendi Superiori post acceptam absolutionem à reseruatis in itinere.

18

Obligatio se sistendi Superiori est conditio sine qua non valet absolutio à reseruatis.

19

voluntatem, vel propositum aliquo modo contrarium. Hæc Suarez ibi: quibus ex integro satisfacit intento Patris Mutij & Societatis; imò videtur Pater noster Generalis in ea declaratione attendisse directè ad sententiam Suarez, dum dixit in vsu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis. Ecce acceptationem expressam non requirit: sed docet id quod Suarez, *eum subditum, eo ipso quod sciens facultatem esse hoc modo concessam, vult absolui, per illam reipsa accipere obligationem.* Quòd verò simul dicat Suarez, *Si ex ignorantia invincibili putaret pœnitens se ad id non teneri, validè eum absoluendum*, videtur mihi clarissimum iuxta declarationem Societatis: quia illa solùm requirit pro valore absolutionis, quòd inducatur obligatio illa. De errore autem invincibili, dummodò per illum non liberetur pœnitès ab obligatione comparendi, non videtur curare, cùm data ea suppositione non sit peccaminosus, & ex hac parte nullum prorsus adferat obicem valori absolutionis. Aliunde fortasse videretur reiciendus Suarez quoad hoc ipsum punctum: quia videtur repugnare, quòd si pœnitens habet expressam voluntatem eam conditionem non acceptandi, possit nihilominùs per implicitam volitionem eam acceptare: semper enim, si ex invincibili ignorantia contingat hominem habere duas voluntates de obiectis contrariis, illa videtur esse maioris efficaciæ, quæ est expressa, quàm quæ implicita: vti (dum de voluntate ad Sacramenta conficienda agitur) traditur communiter, nisi illa ipsa expressa corrigatur altera quasi conditionali, quæ hoc modo dicat: *Esto autem nullam me obligationem subire aduertam: si tamen reipsa est annexa huic rei, quam volo, ego illam amplector*: data enim hac reflexione potest voluntas implicita prævalere explicitæ contrariæ: at Suarez non ponit talem in præsenti: ergo non benè cohærent duæ illæ partes doctrinæ ipsius: quidquid tamen de mente eius sit, de substantia doctrinæ non est dubitandum.

Qui habet duas voluntates de obiectis contrariis, maioris est efficaciæ expressa quàm implicita tantùm, nisi aliunde corrigatur.

21 *Obiectio.*

Dices: Ergo si quis ignorat hanc obligationem, & absolvitur in via, non erit obligatus: patet, quia nemo censetur acceptare pactum, quod penitus ignorat. Respondet Lugo: Eo ipso quod eam rem velit, cui pactum illud implicitum est annexum, etiam velle pactum: sicut qui inter Christianos vult matrimonium, etsi nihil de Sacramento sciat, adhuc tamen habet animum implicitum Sacramenti, quia vult totum illud, quod est necessarium ad contrahendum validè & eodem modo etiamsi de perpetuitate matrimonij nihil sciat, illam tamen contrahit: & qui suscipit Ordines sacros, etiamsi nihil sciat de voto castitatis, obligatus tamen manet. Confirmatur in eo qui ignorat obligationem implendæ satisfactionis: quam tamen incurrit eo ipso, quòd vult validè confiteri. Hæc responsio non caret magna difficultate: nam si vocibus abuti nolimus, videtur repugnare pactum implicitū circa rem, quæ est connexa tantùm casualiter actioni, quādo, qui ea actione vtitur, omnino ignorat eam connexionem. Ego v.g. qui sum Dominus pallij habere possum voluntatem, vt, quicumque eo pallio vtatur, obligetur ad mihi dandum vnum Iulium: at si Petrus id omnino ignorans petat à me gratiam hanc sibi fieri, vt dem illi commodato pallium ad vnam diem, ego illi do nihil omnino de ea obligatione significans, vtitur ille pallio nihil sciens: posúmne ego secunda die venire, ac dicere illi, *Tu vi implicitè pacti tenèris ad dandum Iulium*? profectò nemo id dicere potest probabiliter: ergo cùm Religio potuerit itinerantibus hanc gratiam facere sine vllo onere comparendi, vt tolleret illis reseruationem, ne fortè ob viarum pericula contingeret eos moti sine absolutione: quòd autem illa voluerit hoc onus imponere, sit in præsenti casu (vt supponimus) tali homini penitus ignotum, quomodo quæso, dum ille bona fide vtitur ea absolutione, possumus dicere illum acceptasse implicitè hoc onus, & vi acceptationis ipsius eum esse obligatum? Profectò hoc ego nullo modo capio: si obligatio esset connexa actioni non ex acceptatione vtentis, sed ex præcepto, aut ex natura rei, tunc facilè intelligerem eum manere obligatum non à sua acceptatione, sed à mandato, quod caussare potest obligationem independenter ab acceptatione: at ratione obligationis in re contingenter connexa, & penitus ab operante ignorata, est omnino inintelligibile. Vnde Suarez suprà meritò dixit, eum, qui scit hanc obligationem impositam esse à Superiore, eam acceptare ipso vsu, etiamsi ex errore putet reuerà non esse obligationem: quia tunc implicitè, eo ipso quòd intellexit Superiorem ita velle, & ipse vsus est actione illa, exposuit se ei obligationi, si posteà deprehenderit esse veram: licet hoc ipsum habeat difficultatem, quam tetigi suprà iuxta eumdem Suarium.

Quid si sit ex natura rei, vel ex aliquo præcepto pactum annexum.

23

Neque instantiæ allatæ sunt efficaces: nam illa de matrimonio fortè habet eamdem difficultatem: si enim contrahentes esto Christiani nihil plus sciunt de Sacramento, quàm si essent gentiles, cùm aliunde ad omne Sacramentum requiratur voluntas aliqua, saltem confusa, faciendi quidquid facit Ecclesia, aut Christus; & illi dum contrahunt non magis de re sacra nec directè nec indirectè cogitent, quàm dum faciunt contractum permutandi pecora, non est facilè explicabile, quomodo ibi reperiatur ratio Sacramenti: quoad perpetuitatem verò illius non est difficultas, quia ea est annexa matrimonio ex voluntate Dei, non ex voluntate contrahentium. Quoad votum castitatis in susceptione Ordinum res fortè est facilior, quia vix potest nunc inueniri aliquis adeò ignarus, qui nesciat Ecclesiasticos non habere vxores: deinde idipsum illis in ordinatione dicitur. Denique si aliquis eo modo omnia ignorans ordinaretur, non posset obligari ad castitatem vi voluntatis ipsius, sed eo planè modo, quo si quis ante vsum rationis fuisset ordinatus (quo casu sine dubio nullum esset votum, neque implicitus vllus consensus) obligaretur deinde saltem ex præcepto Ecclesiæ; licet hoc ipsum Diana neget, qui ait talem posse accipere vxorem, non vtendo tamen Ordinibus. Quoad obligationem denique pœnitentiæ Sacramentalis acceptandæ nulla est difficultas, cùm ea non à pacto pœnitentis, sed ex Christi oriatur voluntate.

24

Meliùs ergo ad obiectionem suprà positam respondetur Primò, Non esse morale, quòd ea reperiatur ignorantia in Religioso illo iter faciente; cùm enim ille iam sciat se habere casus reseruatos, séque non posse ab illis absolui nisi recurrendo ad Superiorem; cúmque in via hoc non possit, saltem apprehendit debere se posteà recurrere: ac proinde ibi habet aliquam cognitionem saltem confusam, quâ eam obligationem suscipit.

Solvitur.

22 *Non censendus est velle pactum implicitum annexum rei ei qui id vult, de pacto nihil prorsus sciti, quando præsertim pactū est casualiter annexū.*

tunc vltimò dicere illud reseruatum, haud dubiè Confessarius prudens dicet illi, *Ego te hîc non possum absoluere, debes alium quærere, qui habeat iurisdictionem*; cur ergo idem non admittemus in præsenti; Respondeo ergo absolutè, In tali casu pœnitentem non acquisiuisse ius vllum ad absolutionem recusato eo onere, quia Confessarius non habet iurisdictionem ad absoluendum. In quo sensu possumus Suario concedere id quod infert fine numeri 17. vbi prima vice proposuit hoc argumentum, scilicet ex iurisdictionis limitatione prouenire, quòd non possit absolui, quando pœnitens non acceptat pactum. Ea tamen limitatio non debet ita intelligi vt ipse explicuerat, quasi non esset immediato Confessario commissa totius Sacramenti confectio: hoc inquam modo non debet id intelligi ob superiùs dicta, sed quatenus non est data iurisdictio Confessario nisi sub conditione, quòd pœniteris acceptet eam obligationem.

30 *Absolutus à reseruato eâ onere se sistit. di Superiori potest se extra confessionem sistere.*

Illud pro complemento huius puncti quæri potest, Vtrùm sit necessarium illum casum deferre ad Prælatum intra confessionem Sacramẽtalem, an sufficiat extra illam. Respondeo, Omnino sufficere extra illam, quia iam est data absolutio directa; & solùm desideratur, quod expleatur conditio acceptata in eo Sacramento: ea autem conditio non fuit de secunda confessione, sed de manifestatione delicti. Fortasse autem nec Prælatus poterit obligare ad secundam confessionem: vnde fit, vt sufficiat, si ipse immediatè, dicat Superiori, *Habui hunc casum reseruatum, & illum confessus sum in via*: aut si nolit per se ipsum, potest per Confessarium ordinarium eam manifestationem facere: quo tempore Confessarius non deberet sub his terminis petere licentiam: *Peto ad absoluendum*: nam reuerà tunc non absoluit in rigore, licet vtcumque dici possit absoluere: deberet ergo tantùm dicere, *Peto tuam iurisdictionem pro vno casu reseruato*: quo audito si iudicaret adhuc esse necessarium imponi aliquam pœnitentiam non per modum satisfactionis Sacramentalis, quandoquidem non fit tunc confessio, sed per modum punitionis, aut medicinæ, propter quem finem est instituta reseruatio, posset & deberet id facere.

SECTIO IV.

An possit ab Ecclesia præcipi confessio venialium.

31 *Nullâ extat Ecclesiæ præceptum nec Christi de confitendis peccatis venialibus.*

DE facto eam non esse præceptam constat manifestè, quia confessio annua, quæ est sub præcepto, solùm est de peccatis mortalibus illa enim confessio est omnium peccatorum; non potest autem id intelligi etiam de venialibus, quia obligare ad omnia venialia confitenda esset nimis graue, & ferè moraliter impossibile; ergo debet de solis & omnibus mortalibus intelligi. Deinde Tridentinum agens de eo præcepto Cõcilij Lateranensis declarauit illud fuisse determinationem præcepti diuini; atqui constat nullum præceptum diuinum esse de confessione venialium (vt ipsum Tridentinum declarauit) ergo de facto nullum est Ecclesiasticum de venialibus. Qui tamen de facto toto anno non haberet vllum mortale fortasse propter scandalum obligaretur, vt confiteretur, aut saltem declararet Parocho, cur non confiteatur.

Contra hanc resolutionem obiici solet, quod saltem Monachis S. Benedicti in Clementina de statu Monachorum præcipitur mensttua confessio: ergo si non habent mortalis, saltem debebunt de venialibus confiteri. Varia varij circa hunc casum dicunt: ego tamen primò iudico non esse ad rem, quia vt suprà in simili notaui, etsi pro Religiosis sit hoc præceptum, inde tamen nihil de tota Ecclesia infertur, qualia autem habeant specialia præcepta hi vel illi Religiosi, non est huius loci. Secundò dico, Posse illud intelligi eodem sensu quo vniuersale præceptum de confessione annua intelligitur, si sci licet habeant mortalia: vel denique erit regula sicut est in aliis Religionibus etiam ad frequentiorem confessionem: vel denique poterit ei satisfieri vnum vel alterum veniale confitendo: & hæc quoad factum. *Obiectio.* *Solutur Prima.* *Secundò.*

32 Quoad potentiam autem communis sententia affirmat posse eam confessionem ab Ecclesia præcipi, maximè si non sit de omnibus venialibus, sed tantùm de aliquibus, quæ pœnitens voluerit eligere: quia eo modo res est satis facilis, & aliunde habet vtilitatem magnam ratione fructus gratiæ. Auctores eius sententiæ vide apud Lugo disp 22. sect. 8 & Vasq. q. 90 art. 1. dub. 2. qui vlteriùs eam sententiam affirmantem defendit: confirmatque primò ex citata Clementina pro Benedictinis. Secundò, quia potest quis se voto ad eam confessionem obligare: ergo est materia præcepti: additque in illius transgressione posse repetiri peccatum mortale: limitat tamen eam sententiam, vt non possit Ecclesia præcipere confessionem omnium venialium. Contrarium tamen docent Paludanus, Syluester & Sotus, quos refert Suarius ibi: eis fauet Nauarrus in Summa cap. 2. num. 9. & reuerà si ad consequentiam doctrinæ suprà traditæ vellemus respicere, aliquis hanc sententiam diceret longè probabiliorem: nam extra hoc Sacramentum Ecclesiæ non videtur habere potestatem cogendi vllum vt titulo humilitatis, & consequenter sub vtilitate gratiæ, quam ex ea humilitate esset consecuturus, dicat suum peccatum etiam veniale occultum alicui, ergo neque in Sacramento sub eo titulo vtilitatis ad gratiam. Confirmatur: Quia dicere alteri veniale auditum in confessione iudicatur grauis materia, vt peccet in ea manifestatione mortaliter Sacerdos: ergo, quia arduum est eam manifestationem facere: ergo ad illam per præceptum obligare est res ardua & vltra potestatem Ecclesiæ.

33 *Probabilius est posse Ecclesiam obligare ad confessionem aliquorum venialium.*

Nihilominùs sententia communis vt probabilior tenenda est, quia reuerà confiteri vnum vel alterum veniale est res leuissima: & passim homines nihil curant quod spargatur ipsos vnum verbum otiosum dixisse aut leuem aliquem motum choleræ passos, &c.

Quod obiiciebatur de Confessario reuelante veniale, & eo ipso mortaliter peccãte, non vrget, quia id non est propter diffamationem præcisè, sed quia, si ea licentia generalis fieret, valdè homines retardarentur à confessione. Illud etiam quod obiiciebatur de dicendo extra Sacramentum humiliationis causa, etiam non vrget: nam Sacramentorum vsus & præcepta circa illa magis spectant ad iurisdictionem Ecclesiæ quam alij actus virtutum. Id quod magis confirmabitur paulò pòst in solutione obiectionis.

Priùs tamen aduerto, probationes illas, quibus Pater Vasquez vtitur pro hac nostra sententia,

tia, non esse efficaces; non illam de Benedictinis, quia aliud longè est loqui de Religiosis, qui ex professione sua quam voluntarie subierunt, obligantur passim ad multa, ad quæ Ecclesia obligare non potest: non secundam ex voto; nam quilibet potest se voto obligare ad multa, quæ nullo modo cadunt sub Ecclesiæ præceptum; vt essent continua ieiunia, cilicia, &c. & in ipso ingressu Religionis; nam obligari non possum præcepto vt fiam Religiosus, possum tamen idipsum vouere.

34 *Obiectio.* Dices adhuc contra conclusionem nostram; Etiamsi ratione difficultatis in manifestando aliquo veniali non sit extra capacitatem Ecclesiæ imperare confessionem venialium, non continuò infertur eam posse absolutè imperare illorum confessionem; quia non omna, quæ non sunt valdè difficilia, possunt ab Ecclesia imperari. *Responsio. Potest Ecclesia imponere aliquas actiones ad cultum Dei, modò non sint valdè difficiles; & de facto multas imperauit.* Respondeo, Ecclesiam habere potestatem imperandi actiones, quæ sunt in honorem & cultum Dei, & non habent aliunde magnam difficultatem, eas maximè, quæ ad Sacramenta spectant; qualis est ea confessio. Nec video, secluſa ea difficultate, cur magis Ecclesia possit præcipere auditionem Sacri, quæ tamen non est à Christo imperata, quàm venialium confessionem. Certum autem est Ecclesiam habere potestatem ad validè obligandum ad eam auditionem, ac re ipsa obligare; & idem potest ostendi ex ieiunio, quod etiam multis diebus imperat: possuntque aliæ instantiæ adduci, quæ idipsum manifestè probant, ex quibus valdè confirmatur ea communis sententia.

An possit Ecclesia imperare cõfessionem venialium purè internorum. Hac occasione potest vlteriùs quæri; Quid si homo non haberet nisi venialia putè interna, an posset etiam tunc Ecclesia imperare confessionem illorum, cùm Ecclesia de occultis non iudicet? è contrario autem cùm ipsa confessio sit actio interior, esto habeat pro obiecto actionem interiorem, Pater Vasquez suprà articulo 5 dub 4. ait Ecclesiam habere auctoritatem in actus externos; quia in eis debet esset consonantia visibilis, quam Ecclesia potest præcipere: & hinc colligit posse ab Ecclesia præcepto merè Ecclesiastico imperari confessionem etiam actuum interiorum; quia in ea confessione, quæ est actus exterior, debet esse exterior consonantia. 35 Antequam explicem quid de substantia quæstionis sit, dicendum aduerto, hoc fundamentum Vasquez non videri admodum efficax; Primò, quia plus nimio eo probatur, scilicet posse quascumque exteras actiones præcipi ab Ecclesia ob eam consonantiam, v.g. ieiunium perpetuum, ingressum Religiosum, &c. Secundò, vt verum fatear, ego non capio, quomodo ex consonantia in actione exteriori possit ostendi obligatio confitendi interiora peccata; nam hæc obligatio supponit iam me habere peccata interiora: si enim ea non habeo, non tenebor confiteri. Quid ergo, si dicam, *Ego non confiteor interiora, quia nulla habeo peccata interiora?* turbóne per hoc consonantiam, an non? si turbo, ergo tenebor committere ea peccata, vt possim confiteri, & non turbem consonantiam; hoc autem planè esset absurdum: si verò tunc non turbem consonantiam, profectò etiam si re ipsa mentirer non turbarem illam; quia illud mendacium non posset deprehendi, cùm sit de re per se occulta. Et hinc sumitur ratio à priori contra consonantiam illam; repugnat enim Ecclesiam, quæ nequit occulta cognoscere, imperare consonantiam exteriorem; in actione tamen essentialiter pendente à concordantia interiori, quæ casualis sit, & aliunde vt dixi, non potest ab Ecclesia dignosci. Dixi *casualem*; quia si certum esset omnes habere ea peccata putè interiora, iam tunc esset quodammodò nota ea suppositio, à qua penderet illa consonantia. At cùm scirí non possit, an habeat quilibet nécne peccata omnino interiora, profectò nec potest sciri, an ille debeat seruare eam consonantiam, seu, vt meliùs dicam, eò quòd ille exteriùs non confiteatur, nihil contra illam consonantiam efficiet. Et hæc circa fundamenta Vasquez.

36 *Probabilius est non posse talem cõfessionem imperare.* Absolutè autem iudico valdè probabile, non posse confessionem talem imperari; quia licet confessio illorum peccatorum esset actio exterior, penderet tamen necessariò & essentialiter ab existentia illorum actuum interiorum, de quibus Ecclesia non potest iudicare; & quidem ita penderet, vt non nisi facta ea suppositione posset habere locum Ecclesiæ præceptum. Non videtur autem posse subiacere Ecclesiæ eam actionem, quæ nequit fieri nisi suppositâ aliâ actione, de qua iudicare non valet ipsa Ecclesia; nam si de fundamento non potest iudicare, profectò nec de ædificio superimponendo. Vbi aduerte, etsi præcipere valeat Ecclesia actus internos indirectè, id tamen ita intelligendum, vt internus præcipiatur tamquam connexus cum externo; hoc est vt externus ad hoc, vt sit honestus, seu licitus, nullam habeat dependentiam ab interiori, sed potiùs è contrario ex externo sequatur obligatio ponendi interiorem: vt cùm præcipit Ecclesia exteriorem auditionem Sacri v.g. & Officium diuinum, præcepit consequenter interiorem attentionem; de quo tamen adhuc est magna lis, vt suo loco vidimus. Non se habet sic confessio venialium; quia ea non obligat ad venialia committenda; hoc enim repugnat; sed supponit iam commissa; & nisi commissa sint, non habet locum obligatio, ergo cùm Ecclesia non possit de ea suppositione quidquam scire iuridicè, profectò nec poterit imperare iuridicè eam confessionem. Quomodo autem nihil hinc sequatur contra reseruationem peccatorum etiam interiorum, suppositâ Christi institutione, diximus suprà; nam tunc nihil præcipit Ecclesia, sed cùm habeat illa à Christi iurisdictionem in omnia mortalia, potest dicere, *Non committo illam nisi in ordine ad talia aut talia peccata, in ordine verò ad cetera mihi reseruo; ideoque qui voluerit absolui ab illis, debet ad me venire*; solùm ergo poterit præcipere confessionem eorum quæ sunt externa, & ad ipsius forum spectant. *Quo sensu possit Ecclesia imperare indirectè actus internos.*

SECTIO V.

Qualis debeat esse confessio, vt satisfiat præcepto Ecclesiæ. 37

CIRCA quod prima difficultas est, An debeat esse omnino perfecta confessio. Non defuere qui putarunt eum, qui sua peccata vero Sacerdoti diceret, esto sine vllo dolore, & sine animo suscipiendi Sacramentum, & licet à Confessario non peteret absolutionem, nihilominùs satisfacturum præcepto Ecclesiæ, eò quòd Ecclesia non possit præcipere actus internos; remissio item ipsa peccatorum, cùm sit finis præcepti, non

non cadit sub præcepto: ita Fagundez, Paludanus, Gabriel, Victoria, Alensis, Sylvester & Pitigianus, quos refert Diana Tomo 2. Tractatu 4. resol. 120. quam sententiam dicit ibi esse probabilem: contraria tamen vera est, quam tenent Suarez, Coninch, Numnus, Laymannus, Sotus, Nauarrus, Filliucius, Sà & alij, quos refert & sequitur idem Diana: Vasquez item quæst. 9. art. 3. dub. 5. & Lugo supra num. 136. negat per eam confessionem fieri satis præcepto. Et quidem si absolutio Sacerdotis non sequatur, non capio, quomodo oppositi Auctores dixerint posse satisfieri præcepto, cùm eo casu defectus sit etiam in actione externa, ad quam ipsi fatentur posse Ecclesiam obligare: ergo potest obligare vt confiteat, & absolutionem externam recipiam.

Qui sua peccata Sacerdoti diceret absque dolore, sine animo suscipiendi Sacramenti, &c non satisfaceret præcepto Ecclesiæ de annua confessione.

38 *Obiectio Soluitur.*

Dices: Absolutio non est actio ipsorum pœnitentium. Fateor: at potest eos Ecclesia cogere, vt faciant ex se id quod est necessarium ad eam actionem externam suscipiendam. Vnde si Confessarius, eò quòd videat pœnitentem iniquè accedere, & nolle ad absolutionem suscipiendam se præparare, nolit peccata nosè eam dare manifestè digno, profectò ego non video, quomodo pœnitens satisfaciat præcepto confessionis etiam quoad actionem externá præceptam. Certissimum enim est, posse Ecclesiam obligare ad actiones externas, quæ ex parte mea necessariæ sint ad obtinendam ab altero actionem aliquam illius, esto præceptum me obligans non obliget illum alterum: sic potest obligare excommunicatum, vt intra certum tempus satisfaciat, & ex se faciat omnia quæ sunt necessaria ad absolutionem ab ea excommunicatione: vnde si talis fictè ea faciat, & dicat se fictè facere ita, vt qui eum erat absoluturus, non det illi propterea absolutionem, sine dubio peccabit contra illud præceptum. Idem est si præcipiatur mihi: vt petam seriò eleëmosynam à Petro: certè si ego dicerem illi, *Omnia facio fictè, nec desidero vt des*, esto dicam, *Peto à te eleëmosynam*, nemo probabiliter dicere posset illum satisfeciisse ei præcepto de externa petitione eleëmosynæ; quia saltem potest Ecclesia talem hominem obligare, ne per vllam actionem externam impediat eam dationem eleëmosynæ, seu in nostro casu eam absolutionem; quidquid iam sit, an possit imperare actus interiores. Vnde vlteriùs infero, Posset

39 *Potest Ecclesia indirectè obligare ad perfectam confessionem & bonam.*

etiam Ecclesiam saltem indirectè obligare ad perfectam confessionem: quia si potest obligare ne homo exteriùs impediat, quò minùs absoluatur; ergo potest obligare, vt, si interrogetur à Confessario, sicut potest hic iure suo vtens interrogare, An doleat seriò de peccatis: an petat absolutionem: teneatur respondere *Doleo*, *Peto*; quia si hoc non diceret, eo ipso exteriùs impediret absolutionem: hoc autem dicere non potest, nisi ita re ipsà sit, & consequenter nisi reuerà sit dispositus pro Sacramento.

Replica.

Respondebis: Poterit ille tunc mentiri: quo casu licet peccet contra præceptum diuinum non mentiendi, non tamen peccabit contra Ecclesiasticum. Sed contrà: quia etiam Ecclesia, & Magistratus sæcularis habet potestatem ad obligandum, vt dicatur veritas, quando legitimè quis interrogatur ab habente auctoritatem; quis autem dicet Confessarium nomine Christi in confessionali sedentem non habere ius vt interroget quæ necessaria sunt ad hoc, vt ipse exerceat suam iurisdictionem? ergo ex hoc capite sal-

Soluitur.

tem tenebitur ille vi præcepti Ecclesiæ accedere cum debita dispositione ad confessionem iam.

Secundò probatur ea communis sententia; 40
quia Ecclesia per confessionis annuæ præceptum non constituit confessionem vt obligatoriam, sed determinat tempus, quo Christi præceptum obligat, seu quo debeat illi satisfieri, vt diximus suprà: atqui Christum potuisse & re ipsà voluisse obligare ad confessionem integram, & perficientem verum Sacramentum, adeò est certum, vt in dubium non possit vocari; ergo Ecclesia tunc, licet non directè, indirectè saltem obligat ad eos actus: sicut quia Christus constituit Sacramentum Baptismi vt necessarium ad salutem, tempus verò, quo obliget eius susceptio, reliquit determinandum ab Ecclesia, profectò dum hæc determinaret annum v. g. vigesimum ætatis, nemo potuisset dubitare, quin tunc non satisfieret ei præcepto solùm exteriùs exponendo se vt ablueretur, si non haberet animum interiorem suscipiendi Sacramentum; ergo tunc saltem per accidens obligaret Ecclesia ad eam volitionem interiorem. Per quod responsum est primo argumento suprà in contrarium posito: de quo adhuc statim. Secundò verò facilius respondemus, Nos non dicere, quòd ille obligetur ad remissionem, sed ad media, quæ sunt pro remissione necessaria: nam dolor & propositum emendationis, &c. non est remissio, sed media ad remissionem.

Illud posset esse magis dubium, An fiat satis per Sacramentum validum & informe, casu quo illud dari possit. Respondeo, Probabilius esse, satisfieri: quia vt Christus, dum obligauit ad Baptismum, non obligauit suo præcepto ad Sacramentum fructuosum: inde qui animo serio veri Baptismatis, sine dolore tamen peccatorum, baptizaretur, satisfaceret præcepto de suscipiendo Baptismo: ita in præsenti.

41 *Probabilius est per Sacramentum Pœnitentiæ informe (si detur) satisfieri præcepto Ecclesiæ de annua confessione.*

Secunda difficultas est, An per confessionem illam inualidam, qua diximus non satisfieri præcepto, tollatur tamen casuum reseruatio, aut saltem ea valeat, ne incurratur excommunicatio, quæ ab Ecclesia in non confitentes solet ferri. Quoad primum de reseruatione Diana suprà, referens pro se Coninch & Laymannum, ait omnino eam tolli. Malè Diana citat Coninch, qui non agit vllo modo cum ea vniuersalitate, sed quando quis bona fide accedit ad eum, qui habet potestatem absoluendi à reseruatis, & reuerà dat absolutionem; licet hæc sit ob aliquem alium defectum inualida: quod longè aliud est quàm vniuersaliter docere, quando quis sine dolore & sine serio animo accedit, ideóque absolutionem non obtinet, nihilominùs cessare reseruationem. Quidquid autem de Coninch sit, dico, quando Sacramentum est validum, informe tamen, iuxta probabiliorem sententiam, cessare eam reseruationem: quia iam illius finis est obtentus, scilicet vt habenti iurisdictionem dicantur ea peccata pro meliori directione pœnitentis: id autem totum eo casu factum est, licet remissio actualis illius peccati data non sit. Sæpè autem est obligatio referendi casum ad Superiorem non pro absolutione pœnitentiali, sed pro ea directione, vt paulò superiùs diximus de eo qui in itinere est absolutus, & posteà debet se sistere suo Superiori, siue extra siue intra Sacramentum, prout voluerit.

42 *Tollitur illa reseruatio si fiat confessio habenti iurisdictionem, licet Sacramentum sit informe.*

Secunda pars quoad censuras est difficilior, in qua Henriquez apud Dianam & Vasquez suprà

censent non incurri tunc censuram illam; quia Ecclesia non habet potestatem imponendi censuram ob defectum actionis interioris. Ergo tamen omnino iudico posse tunc incurri : id quod etiam docet Fagundez apud eumdem Dianam; & sequitur Lugo nu.138.ex contrario argumento, quòd Ecclesia possit præcipere actus internos, quando necessarij sunt ad actus externos: ita enim potest Ecclesia mandare Ecclesiasticis eleëmosynam, ad quam omnino est necessarius actus transferens dominium; alioquin si sola actio exterior dandi pecuniam in manus pauperum præciperetur, posset qui donat posteà eam accipere à paupere; quandoquidem hic non acquisierat dominium : similiter leges humanæ possunt præcipere contractus venditionis, &c. potest

Qui fictè confiteretur pro Paschate, non euaderet censuras Ecclesiæ

43 item præcipere orationem, & similia. Ego abstraho à probationibus his, quia fortè non sunt efficaces. Ad illam enim de eleëmosyna dici potest, eam obligationem, quam Ecclesiastici habent de eleëmosynis, non tam esse ex præcepto Ecclesiæ quàm ex conditione apposita ab his, qui pecunias dederunt pro Ecclesiis. Responderi Secundò potest, id quod etiam valet pro altera instantia de contractibus, In eis casibus omnino esse necessariam eam volitionem interiorem ad actionem externam, quam Ecclesia tunc mandat: obligat enim me, vt ita idem exteriùs pecuniam pauperi, vt pauper exteriùs etiam possit facere ex illa quidquid velit: hoc autem requirit eam interiorem translationem dominij; alioquin pauper non posset ea peccunia vti ad vllos vsus, multò minùs eam consumere; & cogeretur deinde ad restitutionem, quæ est etiam actio exterior. Quidquid ergo sit de hoc puncto, de quo fusè egi Tomo 4. de Legibus, clariùs & faciliùs probatur Primò nostra conclusio argumento, quod etiam tãgit ipse Lugo, scilicet hoc præceptum Ecclesiæ esse determinationem præcepti diuini, ac proinde rectè posse Ecclesiam statuere pœnam in illos qui illud non obseruant, prout est à Christo impositũ. Secundò probatur ex argumento nostro, quod paulò antè fusiùs deduxi, nimirum Ecclesiam posse præcipere, vt me disponam ad recipiendam licitè absolutionem : quæ etiam est actio exterior; eo autem ipso illa præcipit saltem inditectè eos actus interiores, qui reuerà necessarij sunt ad eam exteriorem absolutionem.

SECTIO VII.

Quas personas obliget præceptum Ecclesiasticum confessionis.

44 NON baptizatos non obligari constat ex eo quod suprà diximus, nec quidem obligari ipso præcepto diuino : Secundò, quia Ecclesiæ præceptum vt Ecclesiæ non cadit supra eos qui foris sunt. Est ergo prima difficultas circa hæreticos, An illi obligentur. Eos obligari diuino non est dubium : ac proinde obligabuntur hoc Ecclesiastico, quod est determinatio diuini. Secundò, quia vniuersaliter hæretici subiacent legibus omnibus Ecclesiæ tempiorum, auditionis Sacris &c. Lugo suprà numero 144. ait aliquos Recentiores id negasse: Primò, quia caput illud, *Omnis vtriusque sexus fidelis*, solos fideles comprehendit : hæretici autem non sunt fideles: ergo. Hæc tamen ratio leuissima est; quia ibi nomine *fidelis* intelligitur idem quod omnis baptizatus, seu Christianus; id quod fusè ibi deducit Lugo, & res est clara : quia, vt diximus, hoc præceptum est determinatio diuini præcepti; ac proinde sicut illud comprehendit hæreticos, ita & hoc.

Præceptum de annua confessione obligat etiã hæreticos.

Secundò argumentantur; Nam hoc præceptum pro hæreticis videtur esse imprudens. Respondeo, Non magis esse imprudens quàm præceptum ieiunandi, audiendi Sacrum, quod illi frequentiùs adhuc transgrediuntur, quàm hoc confessionis, quod tantùm semel singulis annis. Dico ergo, Ob nequitiam illorum non debere reuocari præcepta; ipsi sibi imputent, quia ea obseruare nolunt.

45 Secundò dubitari potest, Vtrùm ipse Pontifex obligetur hoc præcepto. Negant aliqui, quia Pontifex est supra omne ius Ecclesiasticum; communis tamen sententia dicit illum obligari; ita Suarez diput. 36. sect. 2. numero 5. Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 5. & alij apud ipsos; quorum præcipuum fundamentum est, quòd etiam Princeps obligetur suis legibus. Hæc ratio habet difficultatem sat magnam contra se; nam si potest Princeps cum aliis dispensare, poterit ergo secum eo autem ipso quòd ipse nolit eam seruare, censetur secum dispensare : de quo puncto, vti de altero huic annexo, an scilicet dispensando secum sine causa peccet grauiter nécne, egi fusè Tomo 4. in materia de Legibus. Abstrahendo ergo ab hoc puncto probari Secundò potest, quia præceptum hoc est quasi radicaliter diuinum; dum enim Christus præcepit confessionem, præcepit etiam Ecclesiæ, vt determinaret tempus illius; semel autem determinato ea tempore iam præceptum Christi obligat; ergo & ipsum Pontificem. Neque hæc ratio multum vrget: quia licet obligemur absolutè præcepto Christi; quòd tamen in hoc potiùs tempore quàm illo planè est ex voluntate Pontificis, qui sine dubio potuit præfigere diuersa tempora pro diuersis personis: potuit ergo pro se aliquid longius determinare, duorum v.g. annorum; nam & hoc modo sibi determinaret aliquod tempus, nec ideò peccaret grauiter.

An Pontif. sit obligatus ad annuam confessionem.

46 Obiicies: Ergo si intra illos duos annos non confiteretur, peccaret grauiter, quia non seruaret tempus sibi præfixum : hoc autem non videtur dictum consequenter ad nostram doctrinam : nam sicut accedente fine anni potuit dicere, *Præfigo mihi tempus duorum annorum*; ita finitis eis annis poterit dicere, *Præfigo mihi tempus trium*, & deinde vlteriùs trahere vsque ad finem vitæ : id quod videtur satis durum. Respondeo, In rigore quidem ita esse, propter scandalum tamen, quod valdè difficulter posset vitari, non excusaretur in ea nimia dilatione à ratione culpæ grauis : & verò si ille haberet peccatum graue (vt ad eam obligationem confessionis requiritur, iuxta suprà dicta) illa dilatio valdè argueret animum salutis suæ negligentem, aut contemptum confessionis. Respondeo. Secundò, Si verum est quod tradidimus suprà, præceptum confessionis à Christo impositum etiam obligare aliquando citra articulum mortis, nunc etiam obligandum ratione illius ipsum Pontificem ad non differendam illam vsque ad mortem. Video posse huic argumento responderi, Eum, cùm saltem supponatur ante Pontificatum aliquoties confessus, ex hoc capite iam

Resoluitur quæstio.

non

non peccaturum contra præceptum Christi, esto ad mortem differat confessionem; quia iam de illo verum est dicere, quòd sit confessus aliquoties extra mortis periculum; nisi quis adhuc dicat, præceptum illud ita obligare extra mortis articulum, vt qui habet mortale nouum, esto de antiquis fuerit sæpè confessus, iterùm debeat confiteri ante mortem de eo nouo mortali; vno verbo, vt post commissum mortale non differatur confessio ad mortis articulum, quo modo probabile est, non tamen certum, debere intelligi illud præceptum; ideò ex eo capite fortasse peccaret grauiter Pontifex.

47 *An publici peccatores obligentur lege de annua cõfessione, & incurrant cẽsuras transgrediendo.*

Tertiò dubitari potest de publicis peccatoribus, vsurariis, meretricibus, &c. Emmanuel Rodriguez, Viualdus & Zarola apud Fagundez fatentur quidem eos obligari, non tamen solere ob transgressionem excommunicari propter benignam Prælatorum interpretationem. Iudico tamen probabilius esse eos & obligari, & subiacere eis pœnis: ita Suarez, Vasquez & Fagundez; quos refert & sequitur Lugo num. 148. Huius ratio est clara; quia lex & pœna est generalis; de ea autem benigna exceptione, quam hi Auctores ponunt, non constat legitimè, ergo non est, cur ea admittatur.

Quãdo pueri obligentur ad confessionem annuam.

Quartò dubitatur, An pueri teneantur hoc præcepto, cùm primum habent vsum rationis. Respondeo, Verba, quibus hoc præceptum imponitur, adeò esse clara, vt omne dubium tollant: dicitur enim eo capite: *Omnis vtriusque sexus fideles cum ad annos discretionis peruenerint.* Ecce ipsum præceptum expresse includit pueros, cùm peruenerint ad vsum rationis: idem enim ibi est annus discretionis, quod annus vsus rationis; neque est specialis ratio in hoc præcepto præ aliis audiendi Sacrum, abstinendi a carnibus, &c. Nec potest obiici, quòd eodem tenore eo capite præcipiatur Communio; & tamen hæc non obliget pueros omnes habentes vsum rationis. Respondetur enim, Quoad Communionem expresse ibi addi hæc verba, *Nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Est autem iusta causa sæpè in pueris, quòd non facile agnoscant dignitatem huius Sacramenti Eucharistiæ; quæ haud dubiè difficiliùs noscitur quàm peccatum in genere, & quàm obligatio non malè operandi: quæ autem ætas ad hoc sit determinata, non potest à nobis decidi facilè; quia aliquibus citiùs, aliquibus tardiùs vsus rationis illucescit. Aliqui ponunt octauum annum; vix tamen crederem eum esse etiam vt plurimùm sufficientem. Quomodo autem in illis debeat computari tempus anni pro confessione dicetur statim; est enim eadem de illis quæ de vitris ratio quoad hoc. Aliud circa eosdem præterea quæritur, An incurrant pœnas quæ solent imponi in non confitentes Communis doctrina eos excipit: ita Thomas Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 11. num. 3. Lugo suprà num. 150. Diana eo 2. Tomo Tractatu 4 resolut. 120. vbi refert pro eadem doctrina Filliucium & Nugnum. Ratio autem est, quia ad tam grauem censuram, qualis est excommunicatio, plus requiritur quàm noscere simpliciter quid sit peccatum, maximè cùm obligatio confessionis sit à præcepto Christi, quod vniuersalius est; excommunicationis verò pœna sit solùm ab Ecclesia, & ferè in contumaces; à qua malitia longè absunt pueri, etiamsi rationis vsum iam habeant.

48

Non incurrunt cẽsuras pueri nõ cõfitentes in Paschate quãuis obligari sint confiteri.

SECTIO VII.

Quomodo debeat annus Ecclesiasticus quoad hoc præceptum computari.

DOCENT nonnulli debere computari à primo peccato mortali post confessionem. Hæc tamen reijcitur facilè, quia si quis confessus in Quadragesima v.g. anni vigesimi, non peccaret mortaliter nisi immediate ante Quadragesimam anni vigesimiprimi, & tunc inciperet computare annum pro obligatione, non teneretur confiteri nisi circa Quadragesimam anni vigesimi secundi; ideoque duos fere integros annos transegisset sine confessione, esto in quolibet peccasset mortaliter; hoc autem plurimè est contra sensum fidelium. Ideò secunda sententia docet computari annum ab vltima confessione. Verùm & hæc reijcitur facilè Primò, quia pro pueris, qui primò obligantur ad confessionem post vsum rationis, non datur vltima confessio, à qua inchoare possent suum computum. Secundò, quia lex non dicit, Ne differatur confessio vltra annum, sed, Vt fiat quolibet anno.

49

An annus pro cõfessione annua accipiendus sit à Pascate ad Pascha.

Tertia ergo & probabilior computatio est à Paschate vsque ad Pascha, includendo eos quatuordecim dies: ita Suarez disp. 39. sect. 3. Coninch disp. 5. dub. 6 & alij. Concilium item Tridentinum ita hanc consuetudinem approbat, vt videtur eam imperare; ait enim eo cap. 5. Sessione 14. in fine, *Quem morem*) hoc est confitendi eo tempore) *hac Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur tamquam pium, & merito retinendum*: quibus verbis illum ferè facit obligatorium; nam in persona quæ potest obligare idem est dicere *Hoc amplector vt retinendum*, ac dicere, *Volo vt hoc retineatur.*

50 *Obiectio.*

Lugo obijcit, Sequi hinc, quòd homo teneatur aliquando intra decem menses bis confiteri; quod est contra Concilium Lateranense: sequela patet; nam si hoc anno Dominica in Albis incidat in primam Maij, & tunc homo confiteatur, anno verò sequenti eadem Dominica incidat in vltimam Martij, iam teneretur homo intra decem menses bis confiteri. Hoc tamen argumentum debile videtur mihi; & in primis non benè facta est computatio; quia ea distantia non decem, sed vndecim mensium est, absque vno die. Addo, rarò aut numquam fieri omnino eum saltum tam grandem, sed solùm trium hebdomadarum; numquam enim Pascha vnius anni à Paschate alterius immediatè præcedentis aut sequentis distat vltra tres hebdomadas. Quidquid verò de hoc sit, respondeo, Sicut non est inconueniens eo casu obligari ad communicandum bis intra eos decem aut vndecim menses, neque id est contra Lateranense, ita neque in confessione. Præterea, quòd vno anno aliquando anticipatur, altero compensatur, ac proinde nullum omnino onus inde manus ponitur, ideò melius videtur reijci ea opinio Suarij, quia verba legis nullum omnino tempus determinant, sed tantùm dicunt *Semel in anno*; ergo non debemus nos imponere eam obligationem limitatam ad tempus

Solutio.

Opinio Suarij de codē anno reiecta.

simæ ; non ergo est pro Suarez. Secundò, illa approbatio eius motis non est mandatum ; cùm enim Concilium haberet potestatem mandandi, profectò si eam consuetudinem voluisset reddere obligatoriam, vsum fuisset claris verbis id significantibus, à quibus cùm abstinuerit, satis apertè ostendit non voluisse ad eam obligare : ideò verò eam consuetudinem probat & laudat quia cùm Communio debeat esse circa illud tempus ; pro maiori dispositione ad illam expedire videtur, vt confessio immediatè antè fiat, licet in rigore, qui anteà fuit confessus, & non habet conscientiam noui mortalis, nullo modo teneatur confiteri ante Communionem.

SECTIO VIII.

Aliqua dubia circa eam obligationem.

55

PRIMVM est, An per confessionem venialium satisfiat ei præcepto, ita vt etiamsi ante finem anni quis incidat in mortale, non tamen teneatur illud confiteri ante finem anni. Patri Suario visum est durum ad id obligare ; nihilominùs videtur id omnino dicendum cum communi sententia, nisi obligatio ea confitendi restringatur ad quatuordecim dies, quod, vt dixi, videtur esse contra omnes. Ratio huius doctrinæ inde desumitur, quia præceptum Ecclesiasticum est de confessione mortalium ; ergo cùm huic ille homo necdum satisfecerit, quia nullum mortale confessus est, debebit confiteri tunc, quando habuerit materiam : id quod debet tunc quando habuerit materiam : id quod debet intelligi tam in nostra sententia, si ante finem Decembris habeat quis mortale, quàm in sententia Suarij, si ante elapsos illos quatuordecim dies circa Pascha habuerit mortale ; & ita tandem expressè eo loco ipse Pater Suarez tradit : cùm enim sentiat non esse liberum quocumque die anni confiteri ad satisfaciendum præcepto, consequenter docuit, id quod immediatè ex ipso retulimus, teneri scilicet etiam eum, quamuis de mortalibus fuisset confessus ante eos quatuordecim dies ; (à fortiori autem si de solis venialibus ;) quia etiam iuxta principia Suarij per eam confessionem, esto de mortalibus, non erat satisfactum præcepto obliganti intra eos dies. In nostra tamen sententia, si semel intra annum de aliquo mortali confessus est, iam satisfecit præcepto, ideoque etiamsi noua deinde committat, non erit obligatus ad confessionem secundam intra eum annum.

Tenetur quis de mortalibus semel in anno confiteri si in eo inciderit, etiamsi ex alia materia esset de venialibus eo anno confessus.

Semel confessus de mortalibus non tenetur intra eumdem annum ampliùs confiteri, licet denuo peccet mortaliter : imò licet esset aliquorum oblitus inculpabiliter.

56 *Obiectio. Responsio.*

Dices : Lex præcipit confiteri omnia peccata mortalia ; atqui ille homo non est confessus omnia ; ergo. Respondeo, Legem præcipere, vt quando confitetur quis, dicat omnia mortalia quæ tunc habet ; hoc autem re ipsa ille præstitit ; de aliis verò quæ commisit postquam satisfecit præcepto, nulla ampliùs est pro eo anno obligatio : vnde consequenter dicimus, Si, quando confessus est de aliquo mortali, non occurrerent ei alia mortalia, non teneri eum posteà cùm primùm eorum recordatur, illa confiteri, vt cum communi sententia docet Diana Tomo 2. Tractatu 4. resolut. 124 Ratio est clara à fortiori ex his quæ diximus suprà, quod scilicet per confessionem validam, informem tamen, qualis est dum quis obliuiscitur inuincibiliter alicuius peccati, & habet dolorem tantùm determinatum ad ea quæ confitetur, non extendentem se ad illud cuius est oblitus, satisfaciat nihilominùs præcepto ; ergo à fortiori satisfaciet, nec secundò obligabitur, si habeat vniuersalem dolorem etiam de illis, quorum est oblitus. Et ratio est ; quia præceptum solùm exigit confessionem de mortalibus omnibus, quæ tunc occurrunt memoriæ ; iam autem hoc præstitit ; ergo non tenetur illa, quorum est oblitus, confiteri statim, sed sufficiet anno sequenti.

57 *Replicat*

Replicabis : Qui in confessione oblitus est alicuius peccati mortalis, tenetur illud confiteri statim, si recordetur ante Communionem ; ergo & hic tenebitur statim confiteri. *Soluitur.* Respondeo Primò, Forte id non esse verum ; de quo fusè Tomo præcedenti. *Primò.* Secundò negatur consequentia, quia ea obligatio ponitur ibi propter specialem reuerentiam debitam venerabili Sacramento. *Secundò.*

Secunda difficultas est ; Quòd si in ea confessione non quidem est oblitus mortalis, ob iustas tamen causas illud reticuit, tenebiturne eo anno confiteri ? Affirmat Sotus & Corduba apud Lugo num. 166. qui tamen probabile putat non teneri, eò quòd iam fecerit confessionem formaliter integram de mortalibus, & absolutus sit saltem indirectè ab eo peccato ; videturque consequenter idipsum dicendum à nobis ob ea quæ de confessione valida & informi diximus suprà, scilicet per eam satisfieri præcepto. Putarem tamen probabiliorem esse sententiam Soti ; quia obligatio præcepti diuini est de omnibus quæ occurrunt memoriæ ; de his enim quæ non occurrunt non potest esse præceptum propriè ; quia ad impossibile nemo tenetur ; impossibile autem est confiteri ea quæ quis ignorat ; vnde fit, vt qui dixit omnia quæ occurrerunt, satisfecerit absolutè & propriè præcepto : alter verò, qui ex his quæ occurrerunt non est aliquod confessus, non satisfecit ex integro ; licet ergo excusatus fuerit in ea confessione ab eo dicendo, non tamen excusabitur à dicendo illo intra eumdem annum, si habeat commoditatem : vti qui nullum aliud mortale haberet præter illud, quod potest reticere, & non confiteretur nisi de solis venialibus, non satisfaceret præcepto, excusaretur tamen ; ergo esto confiteatur alia mortalia, non satisfacit ex integro, licet excusetur ; cùm primùm igitur cessat impedimentum, tenebitur satisfacere. Dico *cùm primùm*, hoc est intra illum annum.

Qui ob iustam causam aliquod mortale reticuit, licet alia sit confessus, tenetur intra illum annum illud quod tacuit confiteri si sit eo casu.

58

Replicabis : Sicut lex diuina est de confitendis tantùm eis mortalibus quæ occurrunt ; ita eodem modo lex humana tantùm videtur esse de confitendis mortalibus quæ occurrunt, & pro quibus non est excusatio ; ergo quando ob iustam excusationem non confitetur, satisfaciet tamen præcepto non minùs, quàm dum illud peccatum omisit ex obliuione. Respondeo ex dictis negando patitatem, quia quando est obliuio, nullum est nec potest esse præceptum : vt enim diximus, ad impossibilia non est præceptum. Vnde Tridentinum ea Sessione 14. cap. 5. ita explicat præceptum diuinum, vt teneatur homo confiteri omnia peccata quæ occurrunt memoriæ, diligenti examine præmisso ; ergo si homo ille tunc confessus est ea omnia

Replicas *Soluitur.*

nia mortalia, ex integro satisfecit præcepto at respectu illorum quæ occurrunt memoriæ esto sit iusta causa in hac confessione illa tacendi, est tamen verum præceptum ea confitendi: quia illa absolutè possunt dici, & sunt omnino capacia obligationis, esto vt dixi ea causa iusta faciat hic & nunc suspensionem seu dispensationem in obligatione ac proinde quamdiu causa suspensionis durat: non est obligatio: incipit tamen cùm ea cessat: ergo debet illud præceptum ex integro impleri. Confirmatur ex doctrina Cardinalis num. 174. vbi ait eum, qui habet vnicum peccatum mortale (cuius quidem recordatur, propter iustas tamen causas non tenetur illud confiteri) non satisfacere præcepto confitendi venialia, esto tunc absoluatur indirectè ab eo mortali, ac proinde cessante ea causa reticendi illud mortale teneri confiteri. Ex hac doctrina argumentor: quia sicut obligatio confitendi vnicum quod habet, cogit ad illud confitendum intra annum, si cesset ratio illud reticendi; ita obligatio confitendi duo quorum recordatur, obligat ad confitenda duo quorum recordetur, obligat ad confitenda duo, si causa reticendi vnum ex illis cesset: nam (vt iam ostendi) confessio vnius ex illis non fuit ea, ad quam directè obligat præceptum Christi Domini. Hæc instantia non habet magnã vim nisi supposito argumento, quod paulò antè fecimus.

Quæres: Vtrùm satisfaciat quis præcepto per confessionem venialium, quando habet reipsa mortale, cuius tamen non recordatur. Paulò ante insinuaui eum non satisfacere, quia reuerà nullum mortale est confessus. 60

Obiectio. Dices: Ille iam tunc erat obligatus confiteri illud mortale: ergo dum confessus est venialia, & mortale omisit ex oblivione, iam satisfecit suæ obligationi: sicut qui ignorans esse Festum audit Sacrum, ita implet præceptum, vt non teneatur ea die aliud audire postquam rescit obligationem audiendi Sacrum. Respondeo disparitatem esse magnam, quia in nostro casu ille homo non facit reipsa id quod Christus præcepit non enim confitetur reipsa mortale, sed sola venialia. Præceptum autem non erat de confitendis venialibus etiam quando habet mortale (quod tamen non occurrit memoriæ) sed directè obligatur, vt confiteatur mortalia quæ occurrunt: hoc autem ille non impleuit: ergo At qui audiuit Sacrum die Dominica, esto non sciret esse Dominicam, re ipsa fecit id quod præceptum est; ergo ad nihil amplius tenetur.

An qui confitetur dubiũ mortale tenatur deinde confiteri, si in certũ mortale eo anno cadat, vel recordetur alicuius, quod erat oblitus. Illud Tertiò quæri potest; Quid si solùm habeat peccatum mortale dubium, illudque confessus sit, satisfecitne præcepto ita, vt esto postea alia committat mortalia intra eum annum, non tamen teneatur illa dicere? Hæc difficultas potest habere locum esto dum confessus est habuerit alia mortalia, quorum tamen oblitus est, & solùm dixit illud dubium, cuius est recordatus. Ratio dubitandi est, quia præceptum Christi est de confessione veri mortalis, supra quod possit cadere valida absolutio; si autem peccatum est dubium, fieri potest vt reipsa non extiterit, & consequenter vt absolutio nulla sit. 61 Respondeo tamen, Si semel admittatur quod communiter docetur, etiam peccata mortalia dubia ex Christi præcepto esse materiam necessariam confessionis, consequenter dicendum, Eo ipso quòd aliquis confiteatur mortale dubium, quantumuis exponatur periculo, ne ipsa absolutio sit valida, iam tamen satisfecisse præcepto Christi, ac proinde non ampliùs eum obligari: id quod Lugo docet n. 169. Ad rationem dubitandi constat ex dictis præceptum Christi non requirere eum valorem absolutionis re ipsa. Sed in casu illo dubij, siue re ipsa absolutio valida sit, siue non, obligatæ præceptum: ideoque confitendo illud peccatum esse satisfactum eidem præcepto.

Dubitatur Quartò: An qui toto anno non est confessus, teneatur inchoato nouo anno cùm primùm confiteri. Negant D. Antoninus, Tabiena, Megala & Syl. esset apud Dianam Tom. 2. Tractatu 4. resolut. 133. quod ipse cum Filliucio dicit probabile. Ratio autem videtur esse, quòd illud onus confessionis sit affixum anno, sicut onus orandi est annexum diei: & idem de ieiunio, de auditione Sacri, &c. Contraria tamen sententia est longè communior, vt ex eodem Diana ibi constat: qui tamen malè citat Valentiam pro vtraque contradictoria sententia, cùm hanc secundam solam teneat: nam eo loco disput. 7. quæst. 8. punct. 4. vnde eum citat pro priori, non agit Valentia de confessione, sed de obligatione habendi contritionem post peccatum: vnicè ergo est pro communi: cui etiam subscribit Lugo num. 167. optimum autem argumentum pro illa est, quòd intentum Concilij fuerit, ne nimiùm differatur confessio. Vnde infertur, Non fuisse illud onus ita annexum ipsi anno, vt, si semel sit neglecta confessio intra annum, iam non obliget: ergo cùm dilatio illa semper crescat, quò magis differtur confessio vltra annum, eo ipso illa maximè est contra intentum Concilij. 62 *Qui toto anno non est confessus, tenetur initio sequentis confiteri.*

An qui toto anno non est confessus, & ideò initio sequentis obligatur confiteri statim, teneatur adhuc saltem eo anno confiteri. Hinc autem oritur quintum dubium. An qui neglexit hoc anno confiteri, & confitetur posteà inchoato nouo anno, teneatur secundò eodem anno confiteri Pater Suarez, qui obligationem confitendi ponit intra eos quatuordecim dies circa Pascha, dicit eum teneri posteà circa eosdem dies Paschatis sequentis ad confessionem secundam: addit autem, si annus computetur à Ianuario ad Ianuarium, non esse talem obligationem: quam vltimam partem defendit Lugo, & est valdè probabilis: alioquin qui tribus quatuórve annis ordine confessionem neglexit, teneretur posteà vno anno quater quinquiéfve confiteri: id quod planè est contra sensum fidelium: nemo enim obligatur tunc nisi ad vnicam confessionem. Non caret tamen sua probabilitate doctrina Coninch disput. 5. dub. 8. vbi ait, Si statim ad initium anni sequentis se liberet qui ab ea obligatione, teneri tunc eo anno secundò confiteri: quia hæc confessio statim facta; v. g. prima aut tertia Ianuarij, censetur moraliter pertinere ad præcedentem annum, ideòque non valere pro sequenti. In eamdem ferè sententiam consentit Gaspar Hurtadus, qui difficultate 12. ita ait, Eum, qui neglexit anno præcedenti confiteri, ita teneri statim sequenti confiteri, vt ea vnica confessione non satisfaciat vtrique præcepto, nisi in ea confessione anni sequentis dicat aliquod mortale commissum eo anno: quia iam tunc ratione eorum mortalium & præcedentis & præsentis anni potest illa confessio iudicari duplex, ac proinde satisfacere vtrique anno. Quæ doctrina est etiam valdè probabilis. Ad id verò, quod obiiciebatur de eo, qui aliquo 63

quot annis neglexit confiteri, qui non obligatur deinde vno anno sæpiùs confiteri, vnde Cardinalis probat sufficere absolutè vnam confessionem pro vtroque anno, respondetur facilè ex ratione allata à Patre Coninch: Quando interpositum est longum tempus, non posse confessionem sequentem censeri moraliter pro anno præcedenti, ac proinde iam non satisfacere præcepto præcedentis anni, sed posse iudicari partim oriri ab eo quatenus etiam illud obligat ad non differendam illam diutiùs propriè verò ad præsentem annum, intra quem fit, hæc autem ratio cessat, quando confessio immediatè est post finem anni.

64 *An qui præuidet se per decursū anni non posse cōfiteri teneatur initio cōfiteri.*

Vltimò circa hoc quæritur, an qui præuidet fore, vt non possit confiteri in fine huius anni, teneatur initio confiteri. Respondeo in nostra sententia rem esse clarissimam: quia cùm præceptum obliget pro hac & illa die disiunctiuè, sicut præceptum audiendi Sacram die Dominica obligat pro hac vel illa hora disiunctiuè necessum est, vt qui præuidet se cras non habiturum commoditatem, teneatur confiteri hodie sicut qui scit non fore Sacrum nisi hora decima non potest expectare ad duodecimam. An autem in Officij diuini recitatione idem dicendum sit ratione consequentiæ dubium fortè esse posset: quidquid tamen de consequentia sit absolutè videtur dicendum, eum, qui præuidet fore, vt post duodecimam non sit habiturus commoditatem recitandi Vesperas, teneri eas antè duodecimam dicere: quod si tamen dicatur non esse obligationem anticipandi ante suum tempus Horas ratione debet ea adduci, quòd facultas anticipandi est priuilegium, priuilegio autem non teneor vti: at pro confessione æqualiter sunt assignati omnes dies anni, sicut omnes horæ diei Festi pro audiendo Sacro. Aduerto autem, idem cum proportione dicendum in sententia Suarij de quatuordecim diebus à Palmis ad Dominicam in Albis scilicet eum qui, prouidet se non habiturum commoditatem nisi Dominica Palmarum, teneri tunc confiteri. Sacramento Pœnitentiæ hactenus.

TRACTATVS QVINTVS,

DE

SACRAMENTIS EXTREMÆ-VNCTIONIS ET ORDINIS.

DISPVTATIO LIII.

De essentia Sacramenti Extremæ-Vnctionis.

HOc Sacramentum vocatur communiter complementum Pœnitentiæ, quia (vt Tridentinum loquitur) institutum est ad reliquias peccati tollendas, ac proinde ad complendum id quod per pœnitentiam nondum est ex integro mundatum; ideò iure merito de eo pòst Pœnitentiam erit immediatè agendum: illud tamen obseruo, non adeò multa esse quæ de illo possint in dubium verti, & verò maiori ex parte esse moralia; quæ ideò breuiter expediemus.

SECTIO I.

Extrema-Vnctio est verum noue legis Sacramentum à Christo Domino immediatè institutum.

NOMINE Extremæ-Vnctionis intelligimus vnctionem ex oleo oliuarum in sensibus infirmi periclitantis factam à Sacerdote cum verbis infrà declarandis, hanc autem esse verum Sacramentum Legis gratiæ etsi hæretici nonnulli ante recentos circiter annos & iam omnes omnino nouatores mordicus negent, & pro more suo, quod rationibus & auctoritate reiicere non possunt, irrisionibus & figmentis explodant; Catholica tamen doctrina certa id sentit. Videatur Bellarminus noster libris de hoc Sacramento, & Controuersistæ omnes. Veritas autem Catholica definita est expressè Primò in Concilio Florentino, in quo cum

tota Ecclesia Græca & Latina in eam veritatem consenserit, sufficere id debuisset ad claudenda hæreticis ora & ostendendum hunc sensum fuisse totius Antiquitatis, non apud Romanos solos, quos ipsi vocant Antichristos, sed apud Græcos, qui Antiquitatum maximè erant obseruatores. Eadem veritas est Secundò definita in Tridentino Sessione 14. Ex antiquioribus Patribus Innocentius Primus Papa circa annum 400. expressè facit mentionem huius Sacramenti Epistola 1. ad Decent. cap. 8. Chrysostomus, Augustinus, Innocentius Tertius & alij, quos referunt Bellarminus, Suarez & alij. Aliqui ex Scriptura probant eamdem veritatem, quia Marci 6. Christus misit suos discipulos vt vngerent infirmos. Hic tamen locus non est vllius efficaciæ Primò, quia tunc discipuli non erant Sacerdotes, quales debent esse ministri huius Sacramenti; Secundò, quia tunc maximè vngebantur adhuc non credentes, seu nondum baptizati, cùm tamen huius Sacramenti soli baptizati sint capaces; Tertiò, nihil est ibi de vlla forma, aut de effectu vllo gratiæ; ac deinde Tridentinum dicit eo loco tantùm fuisse insinuationem huius Sacramenti.

2 *Latini & Græci in Florentino vnanimiter definierunt Extremam Vnctionem esse verum Sacramentum.*

Vnica ergo probatio sumitur ex Epistola Iacobi c. 5. vbi ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis & materia & forma Sacramenti, & minister & effectus gratiæ per remissionem peccatorum clarè continentur.

3 *Ex Scriptura probatur esse Sacramentum Extremam Vnctionem.*

Huic testimonio clarissimo varias hæretici adhibent solutiones, tum negando Epistolam illam esse canonicam; tum dicendo ibi nomine *Presbyterorum* non intelligi nisi seniores ætate, non autem veros Sacerdotes; tum asserendo illud remedium fuisse tantùm per modum doni curationum; quæ dona non durant iam; tum vrgendo quasi ibi Apostolus loquatur cum quibuslibet infirmis etiam non periculosè ægrotantibus, cùm tamen hoc Sacramentum nequeat adhiberi (iuxta nostram doctrinam) nisi quando iam infirmus est in manifesto vitæ periculo. Verùm hæc omnia, vt contra totius Antiquitatis sensum dicta, benè refutantur ab Auctoribus. Nam Epistolam sancti Iacobi tota Antiquitas vt veram agnouit. Nomine item *Presbyterorum* numquam nisi Sacerdotes fuere intellecti. Quòd si Iacobus non veros Sacerdotes intellexisset, cur ad seniores recurrisset? debuisset enim potiùs monere, vt sanctiores vocarentur, quorum orationes apud Deum essent efficaciores. Deinde donum miraculorũ erat maximè respectu Gentilium. Iacobus autem hic clarè ostendit hoc remedium non nisi iam Christianis debere applicari; ideò ait, *Infirmatur quis in vobis?* supponit etiam ei infirmo remittenda peccata; hoc autem nec fiebat per donum miraculorum, nec priusquam Gentiles crederent, & baptizarentur, &c. Quod de grauitate morbi obiiciebatur, discutietur infrà.

Varie hæreticorum solutiones

4

Obiectio eorum prima. Responsio

Obiiciunt; Eo loco requiri plures Sacerdotes, nos autem vnum. Respondetur, Plures requiri, non pro quolibet infirmo, sed pro diuersis; vel certè numerum pluralem poni pro singulari.

Obiectio Secunda. Responsio.

Secundò obiiciunt, Non causari de facto semper sanitatem. Respondetur, Hunc effectum non esse infallibilem, sed modo à nobis explicando.

Tertiò obiiciunt, Quòd Apostolus requirat fidem in Ministro. Respondemus, Ab Apostolo vocari orationem fidei, quia solis Fidelibus potest applicari; sola fide creditur hoc mysterium: ac denique dici potest implicita oratio fidei, quia qui illud administrat per se, credit illud esse verum Sacramentum à Christo institutum, ideoque orat pro infirmo.

Obiectio tertia. Responsio.

Secundò, circa hoc Sacramentum certum est de fide fuisse illud à Christo Domino immediatè institutum, ab Apostolo verò Iacobo promulgatum; ita enim definitum in Tridentino supra: vniuersaliter etiam de omnibus aliis Sacramentis definitur ea fuisse à Christo instituta; licet non omnia ab eo promulgata.

Christus immediatè per se instituit Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Contra hanc veritatem obstat, quòd in Euangelio non fiat mentio huius Sacramenti. Respondetur, Non omnia quæ Christus instituit immediatè esse expressa in Euangelio, vti de Confirmatione & Matrimonio. Constat enim vniuersaliter ex Actis Apostolorum eis quadraginta diebus à Resurrectione ad Ascensionem Christum instruxisse Apostolos de multis rebus, quæ ad Ecclesiæ gubernationem spectant, quæ non sunt in Euangelio traditæ, sed per communẽ traditionem Ecclesiæ communicatæ. Et licet aliqui ex Antiquioribus, vt Hugo de Sancto Victore, Magister, Bonauentura, Alensis & Alissiodorensis, quos refert Suarius disput. 39. sect. 2. dixerint hoc Sacramentum non fuisse à Christo immediatè institutum, permoti eo fundamento, quòd rem tantam Euangelistæ non tacuissent, id tamen nobis non obest; hoc enim argumentum est contra hos ipsos Auctores, qui Confirmationem & Matrimonium admittunt à Christo institutum; & tamen Euangelistæ nullam de illis faciunt mentionem. Deinde cùm Sacramentum hoc vti cetera nouæ Legis, habeat vim ad gratiam causandam, hæc autem non potuerit illis tribui ab Apostolis, non potest dici Sacramentum hoc ab illis institutum: neque item potest asseri, Christum dedisse Iacobo potestatem illud instituendi; tum quia si ea potestas debuisset concedi alicui Apostolo, maximè Petro, qui erat caput omnium & totius Ecclesiæ; non enim expediebat à Iacobo institui id quod Petrus esset obseruaturus. Deinde ex eo quòd Iacobus faciat mentionem, non est cur magis id ei fuerit commissum quàm aliis. Dicere autem, quòd Petro & toti Apostolorum Collegio fuerit hæc potestas tradita, caret omni probabilitate. Denique addo, cùm certum debeat esse saltem potestatem instituendi esse à Christo immediatè concessam siue Iacobo siue Petro, ex Scriptura autem & ex ipsa Epistola Iacobi nihil constet de huius potestatis concessione magis quàm de immediata institutione, cur quæso magis sine positiuo aliquo fundamento dicemus Christum dedisse eam potestatem, quàm quòd non dando vllam potestatem illud instituerit immediatè?

5

6

Circa tempus verò institutionis, cùm neque ex Concilijs, neque aliunde quidquam colligatur, & res non sit magni momenti, non est cur de ea simus valdè soliciti: probabile non fuisse nisi post Resurrectionem, Apostolis iam constitutis integrè Sacerdotibus: cùm enim hoc Sacramentum sit completiuum Pœnitentiæ, tũc debuit institui, cùm Pœnitentiæ Sacramentum

&

& eius Ministri essent instituti.

SECTIO II.

De materia huius Sacramenti.

DVPLEX est materia huius Sacramenti, vti & ceterorum, quæ consistunt in vsu: vna remota, oleum scilicet olivarum benedictum: altera proxima, id est ipsa vnctio; sicut in Baptismo materia remota est aqua naturalis, proxima verò est ipsa ablutio: & de vtraque breuiter agendum erit: priùs tamen de remota.

SVBSECTIO PRIMA.

De materia remota.

7 CIrca illam ex sancto Iacobo solùm constat debere esse oleum: quia autem oleum absolutè solùm significat illum liquorem, qui ex oleis seu oliuis extrahitur, idcircò omnes omnino conueniunt in hoc, quòd non sufficiat, si sit ex alia materia, vt ex lino, aut cete, &c. Difficultas tamen adhuc duplex est; Prima, An necessariò debeat illud esse benedictum, & à quo: altera, an debeat esse admixtum balsamo. In primo puncto licet, vt dixi ex Scriptura, non constet de ea benedictione, Ecclesiâ tamen ex traditione perpetua docet Christum voluisse illud esse ab Episcopo benedictum: vti in simili diximus Tomo præcedenti de Chrismate pro Confirmatione: ita definitur in Tridentino & Florentino, quæ dum materiam huius Sacramenti declarât, semper dicunt debere esse oleum ab Episcopo benedictum: non potest autem id intelligi solùm de necessitate præcepti: nam etiam pro Baptismo debet de necessitate præcepti aqua esse benedicta, admixto etiam Chrismate: quia tamen id non est de necessitate valoris Baptismi, numquam dicitur aliud quàm materiam Baptismi esse aquam elementarem. Ratio autem est clara: quia in huiusmodi definitionibus Concilia intendunt tradere ea quæ simpliciter sunt de essentia Sacramenti. Hoc ipsum docuerat Innocentius Primus Epistola 5. ad Decent. suprà citata cap. 8. qui, iuxta dicta suprà, primus ex Antiquioribus expressâm fecit mentionem huius Sacramenti, & (quod grauius est) Beda in Commentario ad cap. 6. Marci expressè ait ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, vt ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato. Vnde Victoria, qui contrarium docet, refellendus omnino est. Vide Suarium disput. 40. sect. 1. Rationem necessitatis eius benedictionis ostendunt aliqui cum Diuo Thoma in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 2. quæst. 2. eò quòd materiæ Sacramentorum debeant aliquo modo eleuari ad munus adeò sacrum: ergo debuit oleum consecrari.

Oleum vnctionis debet esse ab Episcopo benedictum.

8 Quòd si obiicias, Pro Baptismo non consecrari aquam; respondebunt, Eam fuisse consecratam contactu ipsius Christi, ideóque non indigere noua consecratione. Hæc tamen congruentia duas patitur contra se difficultates: Prima est, quòd in Matrimonio nulla sit consecratio materiæ; quod enim Suarez insinuat in Matrimonio materiam esse transeuntem, ideóque non esse consecrabilem, non est satis solidè dictum: nam materia remota (de qua solùm nunc agimus: proxima enim etiam in Extrema Vnctione est trâsiens; non est transiens etiam in Matrimonio, sed permanens; hæc enim est corpora contrahentium: contractus enim qui transit, non remota, sed proxima materia est; cur ergo benedici non debuit homo ante eum contractum sicut oleum? Secunda difficultas est: nam per benedictionem vnius olei non benedicuntur reliqua: sed quodlibet in indiuiduo, in quo administranda est Extrema Vnctio, est de nouo benedicendum: ergo etiam non fuit sufficiens, quòd Christus suo contactu aliquam aquam in indiuiduo eleuauerit ad Sacramentum, seu sanctificauerit, vt propterea omnes aliæ aquæ in particulari maneant sanctificatæ. Quidquid ergo sit de his congruentiis, quæ (vt sæpè notaui) magnas patiuntur contra se difficultates, vnica eaque sufficientissima ratio desumitur ex voluntate Christi, de qua nobis, ex perpetua Ecclesiæ traditione constat. Vnde vlterius colligitur, cùm in eis definitionibus nulla fiat exceptio pro casibus aliquibus extraordinariis (vti fit quando agitur de Ministro Confirmationis) non posse benedictionem hanc committi a Pontifice ordinario Sacerdoti: si enim id posset fieri, eo ipso benedictio Episcopalis non esset absolutè necessaria: ac proinde Concilia non rectè assignassent materiam huius Sacramenti. In quo puncto minùs consequenter loquuntur Paludanus & Durandus apud Suarez suprà sect. 1. num. 7. & 8. dum dicunt posse eam benedictionem committi simplici Sacerdoti.

Obiectio. Responsio.

10 Secunda quæstio est, An sit præscripta aliqua specialis benedictio necessaria pro ea materia. Simile dubium tractaui circa Chrisma Tomo præcedenti de materia Confirmationis; & vti ibi respondi, ita nunc respondeo, Nullam in particulari esse præscriptam. Nam Ecclesia solùm docet Christum requisiuisse pro hoc Sacramento aliquam benedictionem Episcopalem: de nulla tamen determinatè quidquam docet; vnde rectè colligitur quamcumque sufficere: si enim Christus aliquam determinatè requisiuisset; haud dubiè eam Ecclesia manifestasset: alioquin exposuisset Sacramentum hoc in omnibus ferè occasionibus nullitati ob defectum eius specialis & determinatæ benedictionis: quod nullo modo potest de Christo præsumi. Hinc infertur (vti in simili diximus de Chrismate) Si semel benedictum sit illud, non posse Ecclesiam ei auferre benedictionem: quia Christus nihil aliud voluit, quàm vt semel fuerit benedictum. Hanc autem denominationem non potest ei vllus auferre: quia ad præteritum non datur potentia, ergo.

Nulla præscripta est specialis benedictio pro oleo vnctionis.

11 Hinc autem oritur quæstio tertia, Vtrùm possit ab Ecclesia determinari aliqua benedictio, omnino necessaria, ita vt reliquæ omnes non sufficiant. Cui respondeo, Duplicem esse posse sensum eius dubij: vnum, vt relictis aliis benedictionibus in esse benedictionis, possit tamen requirere Ecclesia vnam in particulari aliis exclusis. In hoc sensu respondeo, Nullo modo id posse fieri: quia non potest Ecclesia magis coarctare materiam quàm Christus præscripserit, vti non potest Ecclesia efficere, vt ad baptizandum validè sit necessaria aqua Tiberis, & non sufficiat vlla alia. Alter sensus est; an possit Ecclesia efficere, ne vlla alia verba, præter illa quæ ipsa assignauerit, iudicentur esse benedictio. In hoc sensu maior est ratio dubitandi: nam cùm

An possit Ecclesia aliquam benedictionem huius olei præscribere, qua ita sit necessaria, vt alia non sufficiat.

benedictio hæc debeat esse per signum externum per verba; ab his autem signis & verbis possit Ecclesia tollere significationem communem ad placitum, sicut potest quælibet communitas; videtur consequenter posse efficere, vt ea sola signa, quæ ipsa Ecclesia determinauit, sint vera benedictio, seu ea sola significent veram benedictionem; ergo potest determinare certa verba, seu certa signa quæ sola sint benedictio ceteris exclusis. Respondeo, In hoc sensu omnino id posse fieri; ita tamen vt planè etiam significationem communem tollat rebus aliis; nam si huic voci *Benedico* relinqueret Ecclesia suam significationem, non video quomodo tunc Episcopus dicens supra oleum, *Ego te benedico*, non deberet censeri illud benedicere; maximè cùm non constet vllo modo Christum præter benedictionem per verba factam requisiuisse aliam per alia signa quasi muta. Vnde consequenter addo, etiam per verba aut signa alia exteriora, nullo modo communiter significantia, posse quemlibet Episcopũ benedicere Chrisma; si tamen expresè reflexeque dicat se per ea velle significare benedictionem; etenim ad loquendum non est necessarium verba esse communiter significatiua; nam & per cifras solis duobus aut tribus notas verè secum scripto verbisq; loquuntur homines; ideoque si ego protestor, quandocumque proferam hanc vocem *Blitri*, me per eam velle significare Imperatorem; & statim dicam *Blitri venit Pragam*, haud dubiè debeor censeri dixisse, *Imperator venit Pragam*. Quando igitur dicimus Ecclesiam posse efficere, ne signa aliqua vel verba sint benedictio, oportet id intelligere cum limitatione hac, nisi ipse benedicens protestetur velle se nihilominùs per ea verba benedicere; quia tunc per eam reflexam loquelam iam declarat suum animum.

Obiectio. Dices fortasse vlteriùs, Minùs bene nos semper supponere, requiri benedictionem aliquam exteriorem pro hac materia: etenim Christus Dominus non aliud requisiuit, quam vt oleum sit benedictum; (quod idem de Chrismate pro Confirmatione dicendum videtur;) benedictio autem potest fieri sine vllis verbis; cur enim solo animo interiori non possum rem aliquam benedicere? *Responsio.* Respondeo, In toto rigore non colligi inde, debere esse exteriorem eam benedictionem; nihilominùs sat probabiliter id inferri: Christus enim Dominus circa Sacramenta voluit, vt, quantum fieri potest, omnia fiant per signa aut voces exteriores; meritò ergo iudicare possumus etiam voluisse vt oleum & Chrisma more humano ab Episcopo benediceretur, hoc est sensibiliter; vt per se loquendo posset Ecclesiæ constare, verè esse benedictam. Dixi *posse per se constare*, quia benè video, etiamsi per verba exteriora fiat benedictio, posse tamen priuatim ab Episcopo fieri, ita vt aliis non constet hoc tamen est per accidens, quia ex se sensibilis est ea benedictio. Quæri præterea circa hanc materiam solet, Verùm debeat esse purum oleum, an verò mixtum aliquo liquore. In quo puncto duo adhuc sunt dubia; vnum, An sufficiat si sit solum oleum: cui respondetur, Omnino sufficere, quia Concilia nihil amplius requirunt.

13 *An sufficiat purũ oleum pro materia Sacræ Vnctionis.*

Obiectio. Dices: Innocentius Primus ea citata Epistola dicit debere esse oleum sanctum Chrismatis ab Episcopo confectum; atqui Chrisma confectum significat mixtionem cum balsamo: illud enim verbum *conficio* denota aliquam mixtionem factam ab Episcopo. Respondetur, Hinc probari præcisè, quòd Chrisma sufficiat, quia est verè oleum; id quod pertinet ad secundum sensum dubij propositi; quòd tamen id sit necessarium non ostenditur. Etenim ibi solùm dixit Pontifex, Quòd possint tali oleo vngi infirmi; quando autem Florentinum & Tridentinum declararunt ex professo materiam huius Sacramenti, non aliud quàm oleum benedictum requisiuerunt. Alter ergo sensus est, An debeat esse necessariò purum oleum. Multi ita censent; dicendum tamen est, Dummodò ea mixtio balsami non sit tanta, quæ auferat denominationem olei esse omnino sufficientem. Ecclesia tamen suo præcepto purum oleum exigit, ideoque specialiter illud benedicit sine vlla admixtione; &, quod magis est, etiam sic purum vocat Chrisma. Vnde etiam responderi Secundò posset testimonio allato ex Innocentio in primo sensu quæstionis pro sententia docente, debere esse mixtum balsamo, eò quòd vocaretur Chrisma, responderi inquam potest, etiam si purum sit, vocari Chrisma frequenter ob sanctitatem extrinsecam illius.

Responsio Prima.

Secunda.

14 *In necessitate licitum est vsus olei cũ balsamo mixti pro Extrema Vnctione.*

Hinc tamen dubitari Primò potest, An in casu necessitatis, quòd nõ haberetur oleum purum, sed mixtũ balsamo, liceret eo vti? Respondeo, Si semel dicamus esse sufficientem materiam iure merito nos præsumere in eo casu necessitatis Ecclesiã forte contentam, si eo vtamur; vti in casu necessitatis è contrario permittit infantem baptizari sine aqua benedicta. Scio quidem aliquando Ecclesiam etiã in casu necessitatis non permittere confici Sacramentum, aliquod sine aliquibus cæremoniis purè accidentalibus; vti non permittit pro infirmo moribũdo consecrare Eucharistiam sine sacris vestibus & aliis Missæ cæremoniis, & extra debitũ tẽpus, &c. At in præsenti videtur hæc ratio cessare, cùm ea carentia balsami in oleo non pertineat ad maiorem cultum aut reuerentiã huius Sacramenti, sed potiùs è cõtrario ad minorem; potetit ergo licitè tunc in eo administrari.

In necessitate licet vti oleo veteri, siue elapso anno benedicto:

Tertia difficultas est, An debeat oleum esse eo anno benedictum. Respondent nonnulli, Ex præcepto Ecclesiæ debere esse recens; si tamen illud non habeatur, sed antiquum, deberi in eo administrari ob necessitatẽ infirmitis Zambranus, quem refert & sequitur Dian. Tom. 1. Tract 4. de Sacramẽtis, resol. 176. vbi tamen citat Ledesmam docentem non extare præceptum de oleo infirmorum singulis annis benedicendo; id quod etiam docet Henriq. l. 3. c. 8. qui rursus l. 12. c. 19. n. 3. ait Salmanticenses Theologos & Iuristas docuisse, non esse mortale, etiam extra casum necessitatis, veteri oleo vngere. Quam doctrinam etiam Diana iudicat probabilem: mihi quidem speculatiuè probabilis videtur; at cùm saltem Ecclesiæ consuetudo nouum requirat oleum, non facilè capio, quomodo extra casum necessitatis excusaretur ille, qui potens vti nouo vteretur antiquo; esset enim quædam species contemptus circa eam Ecclesiæ consuetudinem. Vbi noto Dianam non videri sibi satis hac in re constantem; nam cùm loco citato eam Henriquez sententiam nõ improbasset, deinde tamen Par. 5. Tractatu 3. resolut. 90. vt certum videtur supponere, peccare mortaliter Sacerdotem vtentem oleo antiquo, eò quòd in cap. *Litteris*, de consecrat. distinct. 3. expresè iubeatur oleum esse benedictum eo anno; debuisset tamen recordari tius, quod priori loco benè dixerat ex Ledesma,

Secùs si alsit necessitas.

15

non

non agi eo capite de oleo infirmorum, sed de Chrismate; vti verè non agitur; non ergo ostendit adhuc præceptum de nouo oleo. Addit hoc secundo loco ex Gauanto, Sacram Congregationem Episcoporum die vigesimâ Martij anno Domini 1590. declarasse, in casu necessitatis posse conferri hoc Sacramentum in oleo veteri quæ declaratio non videtur mihi fuisse admodum necessaria, quia omnes communiter sentiebant, & merito, esto esset præceptum de ea renouatione, nolle tamen Ecclesiam adeò illud strictè seruari, vt etiam cum periculo grani damnationis æternæ infirmi non possimus vti antiquo, cùm ea sit cæremonia exigui valdè momenti: & fortasse ab Ecclesia ideò præcisè est requisita, ne oleum illud antiquitate corrumperetur, & redderetur aliquo modo infirmis aduersum suo odore.

16 Vltima difficultas esse potest, An hæc materia sic benedicta sit ipsum Sacramentum; vnctio verò deinde secuta sit solùm vsus illius: sicut in Eucharistia dicimus Sacramentum consistere non in sumptione, sed in speciebus consecratis. Nonnulli aniqui quos referunt D. Thomas, Bonauentura in 4. distinct. 23. & alij ita sensère. Respondetur tamen certissimum iam esse apud omnes, Sacramentum hoc sicut cætera alia (excepta Eucharistia) consistere in vsu, oleum autem solùm esse materiam remotam sicut Chrisma respectu Sacramenti Confirmationis. Probatur autem Primò, quia huius Sacramenti proprius Minister est Sacerdos: consistit ergo in illa vnctione quæ fit à Sacerdote, non in benedictione facta ab Episcopo: alioquin hic solus esset proprius minister eius Sacramenti: & forma illius consisteret in Episcopi verbis: quod est contra sensum totius Ecclesiæ. Vnde vlterius sequeretur, ad validum vsum eius Sacramenti non fore necessarium Presbyterum: vti pro accipienda Eucharistia non est necessarius, sed si hæc administretur vel à Diacono, vel bona fide Laicus illam sumat (vti olim fiebat) accipiet gratiam eodem modo, quo si à Sacerdote. Et verò pro intento nostro etiamsi mala fides interueniat & peccetur in ea sumptione, tamen verè & propriè accipit Sacramentum Eucharistiæ siue fœmina sit, siue vir; est autem certum inter Catholicos nullum virum non Sacerdotem posse conferre Sacramentum Extremæ Vnctionis, multò minùs id posse fœminam, aut ipsummet infirmum, esto Sacerdos sit, posse validè seipsum vngere: ergo Vnctio non est vsus Sacramenti iam facti, sed confectio propria illius: sicut ablutio non est vsus Baptismi iam antea confecti, sed ipsum Sacramentum: & idem est de Chrismate respectu Confirmationis. Neque video cur illi Auctores discurrerint specialiter in hoc puncto de Extrema-Vnctione quàm de Baptismo, Confirmatione & Ordine; nam instantia ex Eucharistia desumpta si quidquam valet, non magis probat de Extrema Vnctione quàm de his aliis tribus, quæ etiam habent materiam benedictam, maximè in confirmatione: cur autem Sacramentum Eucharistiæ pro cæteris non consistat in vsu, dictum est suo loco fusè.

Sacramentum Sacræ Vnctionis consistit in vsu siue in vnctione ipsa & verbis, &c.

SVBSECTIO SECVNDA.

De materia proxima huius Sacramenti.

17 EA est vnctio in quinque sensibus, oculis, auribus, naribus, manibus, ore, renibus & pedibus: circa quam varia dubia moralia occurrunt breuiter expedienda: primum est, Vtrùm omnes hæ vnctiones sint necessariæ. Florentinum quidem absolutè omnes septem numerat, nihil dicendo de maiori vnius necessitate præ altera: vnde grauis ratio dubitandi desumitur: nam ex praxi communi, imò ex ipso Rituali, seu Manuali Romano, auctoritate Pauli V. confecto constat vnctionem in renibus non esse necessariam, & in feminis semper omittendam; in viris verò etiam quando est aliquod periculum ex motu corporis illius: ergo cùm non nisi ex Florentino de numero harum vnctionum constet, profecto si semel vnam imò duas dicimus non necessarias, possumus & quamlibet aliam in particulari: ex altera verò parte communis sententia docet saltem in quinque sensibus eas debere fieri. Hac de re bis agit Diana Par. 3. Tractatu 4. de Sacramentis, resolut. 168. & Part. 5. Tractatu 3. resolut. 80. Suarez etiam illam sub diuersis titulis tractat, maximè autem disput. 41. sect. 3. Coninch de Sacramentis disput. 9. dub. 4. num. 9. & 12. Gaspar. Hurtadus de Extrema Vnctione, difficultate 6. Laymannus lib. 5. Tractatu 8. cap. 3. Granadus de Sacramentis controuersia 8. Tractatu vnico, disput. 7. num. 12. Tannerus disput. 7. quæst. 1. dub. 1. & alij: apud quos videri possunt multi alij, si plures censentur necessarij. Sententia docens licitè & validè conferri hoc Sacramentum in extrema necessitate per vnicam vnctionem, fundatur tum in Manuali Mechlinienſi edito consensu Theologorum Louanienſium anno 1588. in quo dicitur id omnino licere, tum testimonio Octauij Tricarcensis Nuntij Apostolici in Germania anno 1573. qui in directione Ecclesiasticæ disciplinæ id tradit expressè: pro ea citat Diana Syluium & Chapeauillam: eam esse probabilem docet Suarez, Coninch, Granadus, Henriquez, Marchantius, & nonnulli alij.

Quot vnctiones sint necessariæ ad Sacramentum Extremæ Vnctionis.

18 Vnde dico Primò, Negari non posse saltem ob hanc tantam auctoritatem, eam esse probabilem: ac proinde licitum esse hoc Sacramentum in simili necessitate ita administrare: quia cùm licitum sit vti opinione probabili etiam in administratione Sacramentorum, quando non potest quis adhibere materiam omnino certam, non est cur idipsum in præsenti non dicamus licere. Hinc vlterius infertur, Esse etiam obligationem eo modo illud administrandi. Cùm enim aliquando pendere possit æterna salus infirmi ab hoc Sacramento: ex eo autem quod sub ea probabili opinione conferatur, nulla ipsi Sacramento irreuerentia fiat, nullámque aliunde possit timeri malum, profecto charitas in proximum obligat ad applicandum ei hoc remedium. Et hæc quidem quoad praxim.

Probabile est in graui necessitate sufficere vnicam vnctionem ad hoc Sacramentum.

Speculatiuè autem loquendo res mihi valdè dubia videtur: nam vt asserantur quinque illæ vnctiones necessariæ simpliciter, non videtur vlla sufficiens auctoritas: nam sanctus Iacobus solùm requirit vnctionem: de numero nihil dicit. Florentinum verò quod illum numerum tradit, cùm (iuxta dicta suprà) non probet magis de quinque quàm de septem, septem autem non sint essentiales in omnium sententia, non videtur pro illis quinque vlla alia auctoritas restare quàm maior Scholasticorum consensus: qui quidem ei tribuit probabilitatem: cùm tamen etiam è contrario sint multi, qui dicunt id non esse essentiale, non potest quidquam certò decidi

decidi. Concludo igitur solùm esse probabilius, eas quinque vnctiones essentialiter requiri ad valorem Sacramenti.

19 *An qualibet vnctio ex ordinariè requisitis causet specialem gratiam.*

Vbi, ne eamdem quæstionem sub diuersis terminis sæpè disputemus, aduerte, totam huius puncti difficultatem in hoc esse sitam, vtrùm quelibet vnctio habeat vim ad causandam gratiam habitualem aliquam: si enim hanc vim non habet, tunc eo ipso administratio huius Sacramenti in vnica vnctione erit illicita, vtpote nullius momenti; (non loquor de eo, qui se accommodat cõtrariæ opinioni probabili in casu necessitatis;) si autem habet eam vim tunc, si aliter non possit fieri, poterit per vnicam vnctionem, siue interim etiam dicamus per sequentes vnctiones nouam conferri gratiam, siue non: vti in Eucharistia etiam disputatur, an per secundam speciem causetur gratia distincta nécne; vtrùm autem data ea vi in qualibet vnctione ad causandam gratiam dicenda sit ea vnctio absolutè perfectum Sacramentum, est quæstio de nomine: in qua ita loquendum, vt quælibet vnctio dicatur Sacramentum completum essentialiter, non tamen integraliter; vti solemus dicere de Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis.

Non est necesse vtrumque oculum, vtramque aurem, &c. vngi, sed sufficit alterũ vngere.

Illud circa hunc numerum vnctionum aduerte Primò; Etiamsi quando non est necessitas properandi, debeant duo oculi, duæ aures, duæ manus, duæ nares inungi, id tamen in omnium sententia necessarium non esse ad valorem, sed sufficere, si vel vnicus oculus, aut manus, &c. inungatur, quia nec Florentinum quidquam amplius requirit quàm eorum sensuum inunctionem: id quod absolutè & simpliciter obtinetur in quolibet ex illis.

Secundò obserua; Si quis careat manibus v.g. debere eum inungi in parte illis maximè vicina, vt communiter omnes docent; & Rituale Romanum ita expressè præscribit. Quomodo autem tunc verificentur verba formæ dicetur infrà; vbi etiam explicabitur; an sub vna forma possint omnes hæ quinque vnctiones fieri.

20 Tertiò notandum est, Ordinẽ certum in eis vnctionibus per se loquendo non esse vllum necessarium ad valorem Sacramenti, esse tamen seruãdum illum, qui præscribitur in Cæremoniali.

An vnctiones debeant necessariò fieri in formam crucis.

Illud nunc quæri potest, An hæ vnctiones debeant necessariò fieri in formam crucis; quantæ item esse debeant. Circa primum sententia communis & certa est, id non esse necessarium ad valorem Sacramenti, vtrùm autem saltem necessitate præcepti, maiorem habet difficultatem: nam Syluester, Petrus Ledesma & Didacus Nugnus apud Dianam suprà Tomo 3. Tractatu 3. resolut. 188. omnino putant fore mortale eam crucem omittere; imò contrariam sententiam, quæ est Suarez, ait ibi Nugnus esse falsam & improbabilem. Dicendum tamen cum eodem Suario, Filliucio, Becano, Laymanno, Coninch & Zambrano, quos refert & sequitur ibi Diana, id non esse mortale; quia de ea cruce facienda nullum omnino exstat præceptum; consuetudo autem non videtur ibi tam grauem obligationem induxisse, cùm res sit non tanti momenti, nisi fortè per accidens sequeretur in præsentibus aliquod graue scandalum. Neque in hoc puncto valet argumentum à Confirmatione ad Extremam Vnctionem; Primò, quia ibi ipsa forma, *Signo te signo Crucis*, id requirit. Secundò est optima congruentia, quòd ibi homines destinantur ad defensionem Fidei Christianæ, an proinde expediens erat vt cruce signarentur, hîc autem neque forma id requirit, vt patet; quia nulla fit mentio de forma crucis. Infirmus autem vniuersaliter animatur ad tentationes maximè in aliis materiis periculosas; & licet diceretur (quod tamen non dicitur) *In nomine Patris, & Filij*, &c. nihil adhuc probaret de ea necessitate quia id etiam, in ipsa forma Baptismi vt essentiale ponitur: inde tamen nihil infertur de necessitate ablutionis per modum crucis. Vnde meritò Diana eo loco reprehendit Nugnum, quòd sine vllo solido fundamento frequenter taxet tamquam improbabiles sententias, quæ alioquin sunt probabiliores. Non constat autem ex vllo fundamento adeò illam formam crucis esse grauiter præceptam, vt eius omissio debeat iudicari sufficiens ad mortale. 21

Sufficiátne vna gutta pro qualibet vnctione?

Circa alterum punctum de quantitate vnctionis Filliucius apud Dianam resolutione 177. putat vnam guttam pro qualibet vnctione non sufficere, quia ea non videtur posse habere rationem vnctionis; Diana verò è contrario ait omnino sufficere, quia (vt ex Suario & Reginaldo constat) ea quantitas olei sufficit ad vnctionem, quæ in aqua sufficit pro Baptismo; atqui vnam guttam aquæ pro Baptismo sufficere est valdè probabile; ergo & hîc vna gutta olei sufficiet. Videtur nihilominùs dubius hærere Diana dum addit, *Sed tu Lector cogita.* Ego sanè vti dixi vna guttam aquæ nisi cum motu aliquo locali non videri propriè ablutionem, ita de vnctione dico; quòd enim vna gutta olei tangat manum, non videtur iuxta acceptionem hominum sufficere, vt dicatur homo vnctus. 22

Tempore pestis licitè confertur Extrema Vnctio lotta vngar. gutta, &c.

Circa modum denique eas vnctiones faciendi dubitari solet, an tempore pestis ob timorem contagionis possit Sacerdos vti virgula aliqua oblonga, siue argentea siue lignea ad inungendum infirmum. Respondetur, Omnino id posse fieri: ita Suarez supponit rem obiter tangens disput. 44. sect. 3. num. 20. Eamdem sententiam defendit etiam Diana Par. 5. Tractatu 3. resolut. 79. & citat Syluium, Chapeauillam, Victorellum, Marchinum, Ioannem Præpositum, Barbosam, Manciun; qui vltimus ait ita practicatum à Domino Petro de Marchis Archiepiscopo Smirnensi. Ratio est, quia interuentu virgulæ illius non impeditur, quo minùs absolutè dicatur ipse Sacerdos inungere, sicut dicitur in Baptismo lauare, etiamsi immediatè non tangat aquam, sed eam ex vase infundat supra baptizandum. Aliunde autem non fit irreuerentia Sacramento, satisfit necessitati infirmi, & consulitur vitæ ipsius Sacerdotis; ergo.

SECTIO III.

De forma huius Sacramenti.

CVM Iacobus Apostolus præter vnctionem nihil aliud requirat ex parte Sacerdotis quàm orationem: oratio autem non requirat ex se verba vlla exteriora; non videtur etiam necessaria vlla specialis forma exterior in verbis consistens. Nihilominùs ex definitione vniuersali Concilij Florentini de omnibus Sacramentis constat requiri etiam pro hoc aliqua verba, siue hæc, siue illa: de quo vltimo puncto nunc non agimus. Nec obest quod obiiciebatur ex Iacobo id non exprimente; nam etiam non expressit, quòd Christus instituerit hoc Sacramentum; 23

tum; cùm tamen ea de re inter Catholicos nullũ sit dubium: ratio est; quia (vt ostendimus suprà) non omnia sunt expressa in Scriptura, quæ ad Sacramenta pertinent: Suarez tamen putat ex Iacobo id probari, cùm loquatur de oratione, quæ sit ad solatium & leuamen infirmi; ad hoc autem requiritur, vt sit sensibilis. Hæc deductio habet suam probabilitatem, non tamen est solida; cùm ea oratio sæpè fiat in lingua quam infirmus non intelligit; ac proinde in qua non possit esse in solatium illius: deinde sufficiat, si dicatur etiam adeò demissè, vt ab infirmo non possit audiri. Tertiò ordinariè sunt extra se infirmi, & nihil penitus percipiunt. Probatio ergo tota debet reduci ad Ecclesiæ declarationem.

24 *Quænam sit forma Extremæ Vnctionis, & an sit essentialiter deprecatiua.*

Suppositâ igitur necessitate verborum, quæritur vlteriùs, quæ illa sint. Ecclesia Romana hac vtitur forma: *Per hanc sacram Vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum*, &c. Circa quam quæritur Primò, An sit essentiale, formam esse per modum deprecationis; an verò sufficiat, si dicatur assertiuè de præsenti, *Vngo te*, sicut dicitur, *Ego te baptizo*. Albertus, Richardus, Paludanus & Durandus apud Suarez disput. 40. sect. 3. putant omnino sufficere; quia in Ecclesia Mediolanensi ex sensu sancti Ambrosij ita dicebatur, *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen aëreas possis superare potestates*: similis forma adhibebatur in Ecclesia Veneta. Nihilominùs certa sententia est formam debere esse deprecatiuam; duia id videtur sanctus Iacobus insinuare per verbum *Oratio fidei, & orent super eum* ita Bonauentura, Diuus Thomas, Capreolus, Sotus, & alij communiter apud eumdem Suarium ibi num. 7 qui tamen fine numeri octaui addit; Si ita dicatur de præsenti, *Vngo te, vt Deus tibi remittat quidquid peccasti*, fore validam, quia iam ibi continetur oratio. Gaspar Hurtadus suprà difficultate 7. putat id non sufficere, quia *vt Deus* non tam significat actualem orationem quàm finem, ad quem Sacerdos ordinat vnctionem: quæ ratio etiam mihi placet. Et sanè si ob illam particulam *vt Deus tibi remittat*, &c, debet censeri in ea forma contineri deprecatio, etiam id ipsum debuisset. Suarez admittere in forma illa Mediolanensi; nam *vt possis superare*, &c. etiam videtur denotare petitionem à Deo, vt assistat ei homini.

25 Quidquid autem de consequentia vtriusque doctrinæ sit, clarum est ibi non interuenire orationem. Miror etiam, quòd cùm Suarez sine vlla dubitatione dicat eam formam esse sufficientem, infrà tamen num. 12. de hoc, *Per istam vnctionem parcat tibi Deus*; vel si vngendo dicat, *Parcat tibi Deus*, subdubitet, an sit mutatio substantialis, cùm in his verbis, *Parcat tibi Deus*, longè clariùs contineatur deprecatio, quàm per *vt tibi Deus remittat*.

Iam autem ad obiectionem ex ea consuetudine Veneta & Mediolanensi respondetur Primò, Vnam vel alteram Ecclesiam priuatam errare posse in suis ritibus, indeque nihil inferri contra veritatem Catholicam. Secundò dicimus non constare, vtrùm tunc fuêre additæ aliæ preces, quæ propriè fuerint forma eius Sacramenti,

Cur autem Christus pro hoc Sacramento magis quàm pro alio voluerit esse orationem, multæ adferuntur congruentiæ, à quibus abstineo, quia fortasse etiam in contrarium possent aliæ adferri: satis est nobis ipsa Christi voluntas manifestata per Iacobum, & per traditionem Ecclesiæ.

Hoc posito, Secundò quærimus, an sit de essentia formæ nominare vnctionem, an verò sufficiat in actu exercito vngere, & simul dicere, *per suam piissimam misericordiam*, &c. Suarez ea sect. 3. num. 12. tem breuiter tangens ait omnino esse necessarium nominare, quia formis Sacramentorum essentiale est exprimere actionem seu efficaciã Ministri. Mihi tamen res hæc valde videtur dubia: Nã in Sacramento Ordinis, quando datur potestas consecrandi, non dicitur in forma quidquam de contactu calicis & patenæ, sed absolutè, *Accipe potestatem*, &c. ea ergo propositio vniuersalis, quam assumit Suarez, non est vera: aliunde autem ex D Iacobo nihil aliud colligitur, quàm esse necessariam orationem: de ea verò reflexa declaratione materiæ nihil dicitur. Ex Concilio item & vsu Ecclesiæ nihil certi colligitur, quia Concilium æqualiter ponit ea omnia verba: ipse autem Suarez & multi alij dicunt non esse omnia illa necessaria. Vnde ergo colligit hic Auctor Florentinum sentire, magis esse necessarium *vt per hanc sanctam vnctionem*, quàm *vt per suam piissimam misericordiam*: Vnde mihi ita dicendum in hoc puncto videtur non habere nos sufficiens fundamentum ad docendum ea verba requiri, esto fortè reipsa requirantur. Vnde rursus à fortiori censeo, si dicatur *Vngo te*, & *Deus tibi parcat*, videri omnino certum esse sufficientem formam, esto non dicatur *per suam piissimam misericordiam*.

An sit de essentia formæ ipsam vnctionem nominare.

26

In quo puncto iam habemus Patrem Suarium fauentem nobis, qui num. 13. bene ait non esse vllam rationem, quæ probet eam necessitatem. Nam licet D. Thomas in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 3. in solutione ad 2. dicat ea esse necessaria, eò quòd misericordia respiciat miseriam, ideóque exprimi illa debeat in Sacramento, per quod succurritur infirmi miseriæ: nihilominùs non est necessarium vniuersaliter in forma Sacramentorum explicare causas efficientes effectus illorum: non ergo est de necessitate id addere, vt benè idem Suarez suprà, & ex eo Diana Par. 3. Tractatu 4. resolut. 180. citans pro se Laymannum, Reginaldum, Filliucium & Coninchmetitóque ibi reprehendit Nugnium, eo quòd dixerit sententiam Suarij esse improbabilem. Et sane non video quâ probabilitate Nugnius asseuerit esse necessarium in formis Sacramentorum explicare causam efficientem, cùm certissimum sit ea verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, esto in eis non dicatur quidquam de causâ efficiente, hoc est, de misericordia diuina, per quam remittitur peccatum, esse sufficientia. Idem est dum consecro, & dico *Hoc est corpus meum*: nam esto nihil permiserim de Christo, possum validè consecrare. Idem est etiam in Ordinum collatione. Vt ergo reprehenderet acriter Suarium, debuisset hic Auctor melius argumentum habere.

27

Quamuis autem ea verba essentialia non sint, qui tamen ea omitteret, grauiter peccaret: quia etiam ea, quæ sunt per modum cæremoniarum ex Ecclesiæ consuetudine præscripta in administratione Sacramentorum, debent integrè seruari, maximè si adhuc aliqua ratio subdubitandi sit circa illa, an sit de essentia Sacramenti, nécne.

28 *Est grauis peccatum cæremonias præscriptas in Sacramentorũ administratione sine necessitate omittere.*

Vbi obiter noto, Patrem Gasparem Hurta-

dum eo Tractatu, difficultate 7. ita docere, esse mortale omittere hæc verba, *& suam pijssimam misericordiam*, vt tamen addat, nisi recipiens admoneatur de periculo nullitatis: quod idem Secundò docet circa repetitionem integræ formæ ad vnctionem cuiusque sensus, addens hæc verba formalia; *At minus est necessarium necessitate præcepti & gravis, quando suscipiens non admoneatur de periculo nullitatis.* Circa quæ fateor me non capere, quid iuuet ad vitandum mortale monere tunc suscipientem de periculo nullitatis: etenim vel est vrgens necessitas ad ea verba omittenda: & tunc nullum erit peccatum ea omittere, siue moneatur, siue non moneatur suscipiens, quia (vt sæpè diximus) in simili necessitate excusamur ab vsurpatione materiæ omnino certæ, quando applicamus probabilem: si verò nulla est necessitas, erit sine dubio mortale non vti præscripta ab Ecclesia forma: id quod maximè locum habet, quando accipitur altera dubia: monitio autem suscipientis nihil valebit ad vitandum periculum faciendi irriti Sacramenti sine necessitate.

29 Hinc autem dico circa illa alia verba, *Quidquid peccasti*, non esse vllo modo ad valorem necessaria: tum quia ad intelligendam veram orationem ea non requiruntur: tunc quia (iuxta probabilem sententiam) potest administrari hoc Sacramentum adulto rationis capaci, etiamsi constet eum nullum peccatum commisisse post Baptismum: eo autem casu illa verba potiùs videntur inepta pro tali infirmo: quid enim petitur, vt Deus illi pareat quod non commisit? De hoc tamen casu infrà redibit nobis sermo.

Non est essentiale formæ Sacræ Vnctionis quinquies eam vel saltem repetere.

Vltimò hinc deduco non esse essentiale huic formæ eam quinquies eo modo repetere: tum quia suprà diximus probabile esse, per vnam vnctionem posse perfici Sacramentum hoc: tum quia, esto essent necessariæ & essentiales omnes quinque vnctiones, non est cur non sufficeret, si Sacerdos vngendo omnes sensus diceret semel, *Per has sanctas Vnctiones indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum*, &c. quia hoc modo æquiualet illis omnibus prioribus: sicut auditis confessionibus multorum dici potest, *Ego vos absolvo*, & in Baptismo, *Ego vos baptizo*.

30 *Obiectio.* Obijcies: Quandoquidem vnum peccatum mortale non remittitur sine aliis omnibus, quomodo per quamlibet vnctionem petitur partialis remissio? *Responsio Prima.* Respondeo Primò, Si dicamus Sacramentum hoc non perfici essentialiter nisi post vltimam vnctionem, non esse vllam difficultatem: quia tunc etiamsi petitiones fiant per partes, effectus tamen postea totus fit simul. *Secunda.* Respondeo Secundò: Etiamsi admittamus per primam vnctionem statim dari gratiam, nihil inde absurdi sequi: tum quia hoc Sacramentum ex institutione sua non est ordinatum ad remissionem mortalium, in quibus habet locum illud principium, quòd non remittatur vnum sine altero, sed directè ad remissionem venialium, quæ non semper omnia remittuntur simul: tum quia ea petitio non excludit remissionem aliorum, sed declarat, quòd sit integrum earum petitionum, vt scilicet fiat integra remissio peccatorum.

SECTIO IV.

De subiecto capaci huius Sacramenti.

CVm subiectum huius Sacramenti magis intrinsecè pertineat ad eius constitutionem quam effectus ipsius, priùs mihi videtur de subiecto agendum, deinde verò de effectu, qui iam supponit ex integro constitutum Sacramentum, quandoquidem ab hoc vt tali procedit. Circa quod suppono hominem mortuum non esse illius capacem, sicut nec vllius alterius Sacramenti, quia iam est extra viam. Vnde si sit dubium viuatne infirmus, non poterit dari nisi sub conditione. Suppono etiam non nisi baptizatum esse illius capacem, quia (vt sæpè diximus) Baptismus est ianua ad omnia alia Sacramenta. 31

Infantes non sunt capaces Extremæ Vnctionis, vt neque perpetuò amentes.

His positis, Prima difficultas est, An infantes sint illius capaces. Communis sententia (solo excepto Maiore apud Suarez disp 41. sect. 1.) negat illos esse capaces: hanc probat Suarez & alij communiter, eò quòd hoc Sacramentum iuxta Tridentinum sit completiuum Sacramenti Pœnitentiæ; ergo infantes, qui pœnitentiæ non sunt capaces, non erunt Extremæ Vnctionis: idque videtur suaderi ex verbis Apostoli, *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Nec potest dici hoc Sacramentum ordinari ad tollendas reliquias Originalis, quæ etiam sunt in infantibus; hoc inquam dici non potest, quia illæ reliquiæ solùm sunt fomes peccati, qui non extinguitur per hoc Sacramentum: nec etiam dici potest, quòd detur propter sanitatem corporalem; nam Sacramenta non ordinantur per se ad corporalem effectum, sed ad spiritualem. 32

Communis probatio debilis est.

Hæc tamen ratio meo iudicio valdè est debilis; nam cùm hi Auctores adulto capaci rationis admittant posse conferri hoc Sacramentum, etiamsi certò constet illum numquam nec quidem venialiter peccasse, & ille non minùs sit incapax pœnitentiæ quàm infans; ac præterea in illo tam sit otiosa illa forma, *Quidquid peccasti*, &c. quàm in infantibus: non video quomodò inde possit ostendi repugnare hoc Sacramentum infanti præ illo adulto. Quod enim aliqui ex his Auctoribus videntur tacitè respondere, Adultum fuisse saltem eius effectus capacem, mihi videtur valdè lene; nam proxima capacitas peccati, si re ipsâ non peccauit, non facit illum capacem pœnitentiæ: ergo nec Extremæ Vnctionis. Deus item non habet quod remittat ratione proximæ capacitatis, sed ratione actualis peccati: ergo inde nulla desumitur differentia. Addendum ergo est aliquid ei rationi, scilicet infantes nec esse capaces eius remissionis, neque confortationis ad resistendum tentationibus diaboli in eo morbo, cùm non habeant libertatē ad peccandum, atque proinde sint omnino incapaces effectus eius Sacramenti, & consequēter etiā ipsius Sacramenti. Hæc ratio (vt ex terminis constat) habet eodem modo locum in perpetuò amantibus: nam longior ætas per accidens est ad rem præsentem, cùm moraliter in ordine ad Deum amens ille sit quasi infans vnius diei.

Solidior probatur.

An requiratur actualis vsus rationis in suscipiente Sacram Vnctionem. 34 Secunda difficultas est, An necessum sit eum, qui hoc Sacramentum suscipit, habere actu vsum rationis. Aliqui Theologi apud Suarez suprà, inter quos est D. Thomas, omnino affirmant; fundamentum illorum est, quia hoc Sacramentum non confert suum effectum nisi mediante motu

motu aliquo bono excitato in suscipiente; huius autem motus incapax est qui caret vsu rationis. Et videtur id confirmari ex resolutione præcedentis dubij, quia in ea ostendimus, infantes carentes vsu rationis non esse eius Sacramenti capaces; ergo neque erunt amentes. Communiter tamen distinguunt Doctores: nam si infirmus aliquando habuit vsum rationis, & potuit peccare, etiamsi actu non habeat eum vsum, potest hoc Sacramentum suscipere validè; si verò perpetuò caruit ratione, dicunt non posse illud suscipere (vt ex dictis suprà constat) disparitatem eam reddunt; quòd ad effectum huius Sacramenti suscipiendum sufficiat hominem fuisse capacem peccati actualis & deuotionis, tentationis & resistentiæ, & fiduciæ in Deum; quòd verò hic & nunc sit impeditus, ne eos actus possit efficere, dicunt esse per accidens; neque ideò putant sequi, etiam perpetuum amentem esse illius capacem: etenim hic numquam fuit capax peccati actualis, ergo non indiguit nec indiget vllo modo hoc Sacramento. Confirmatur ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ maximè solet iuuare homines hoc Sacramento iam extra se planè positos.

44 *Communis ratio non conuincit.*

Ego tamen putarem rem hanc magis esse declarandam, quia multi ita indistinctè in hac materia loquuntur, vt non videantur posse satisfacere argumento paulò antè facto. Etenim (vt verum fatear) ego non capio quid faciat de præsenti præcedens capacitas peccandi & habendæ deuotionis, si de facto ea potentia non datur; nam quòd de facto non est tam nihil potest re ipsa de facto conducere, esto fuerit anteà, quàm si re ipsa numquam fuisset. Ostendo id hac instantia etiam ex materia Sacramentorum desumpta: Ad hoc vt quis ordinetur validè Episcopus, requiruntur manus; ponamus duos homines, vnum natum sine manibus, alterum qui eas habuit; sunt tamen iam illi abscissæ; quis quæso dicet hunc ideò quòd eas olim habuerit, esse nunc magis capacem hodiernæ Consecrationis Episcopalis quàm alterum, si præcisè attendatur ad potentiam efficiendi actus Episcopales? Dico, Si præcisè consideretur potentia; nam si aliæ rationes disparitatis adsint, aliunde etiam erit res decidenda. Pro quo aduerte, dupliciter posse nos concipere casum nostræ quæstionis; Primò, vt ille, qui nunc est amens, & olim habuit vsum rationis, supponatur etiam saltem probabiliter tunc temporis habuisse aliquod peccatum. Secundò, ita vt etiam tunc nec quidem venialiter peccauerit: & ad claritatem maiorem, demus per reuelationem constare eum tunc non peccasse. Hoc posito dico; Si ponamus eum nunc amentem, olim verò sui compotem non peccasse, tunc iudico, nullo prorsus modo eum fore capacem hîc & nunc Sacramenti Extremæ Vnctionis; & in hoc sensu intelligo Suarium suprà; ibi enim licet hanc distinctionem nō faciat, in probatione tamen suæ conclusionis videtur ad hoc alludere; ideò enim amentem priùs sapientem ait validè posse recipere hoc Sacramentum, quia fortè indiget hoc Sacramento; cuius effectus primarius est supplere defectum pœnitentiæ. Hæc autem ratio non habet locum, nisi quatenus possumus timere ne adhuc ille sit in peccato etiam mortali: si enim certò constaret eū nec venialiter peccasse, non posset indigere eo Sacramento; neque huic quidquam faceret, quòd hoc Sacramentum sit complectiuum pœnitentiæ; quandoquidem ille homo tunc, esto esset sibi præsentissimus, esset omnino incapax pœnitentiæ. Loquitur ergo Suarez iuxta primam nostram explicationem casus præsentis; in qua omnino fatemur eum amentem esse capacem Extremæ-Vnctionis: id quod probatur manifestè ratione pro communi sententia paulò antè allata, maximè ex vsu Ecclesiæ hoc Sacramentum conferentis etiam his, qui sunt iam omnino extra sensus: etenim quòd sit extra se ex stultitia, vel ex vi morbi, in ordine ad carendum de facto vsu rationis, omnino est per accidens; ac proinde non magis vnus quàm alter est capax huius Sacramenti. Ratio verò huius doctrinæ est, quia cùm hoc Sacramentum sit ob duos fines quasi primarios institutum, etiamsi vnus non habeat hic & nunc locum, si tamen alter habet, eo ipso potest validè applicari. Porrò duos esse fines manifestè constat ex sancto Iacobo: ait enim; *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: ecce finem alterum. Amens, seu carens libertate, non est capax prioris finis, quia illa alleuiatio debet fieri per motionem actualem contra tentationes diaboli (vt dixit D. Thomas); qui autem ex libertatis defectu non est tunc capax peccati, non est etiam huius motionis; est tamen capax secundi finis: si enim habet vel sola venialia, remitti ei possunt, insuper etiam pœna temporalis illi; respondens: imò (vt dicemus infrà) si sit in mortali, & habuit attritionē anteà, remittentur ei etiā mortalia: ergo est capax absolutè huius Sacramenti.

46 *Sacramentū Vnctionis ob duos fines est institutū: quorum alter sufficit vt licitè conferatur.*

Obijcies tamen; Ergo peccatum præcedens est pars huius Sacramenti, quandoquidem eo ablato & reliquis omnibus manentibus non erit Sacramentum, id quod videtur absurdum (vt agentes de Pœnitentia, an illius pars sit peccatum, obiter insinuauimus.) Fortasse respondebis, Posse (vt immediatè pòst dicemus) validum esse hoc Sacramentum, si homo sit capax rationis, esto non peccauerit. Sed contrà, quia saltem quando non est capax rationis, debuit habuisse anteà peccatū; ergo eo saltem casu præcedens peccatum erit pars huius Sacramenti; hoc autem etiam videtur durum; ergo. Respondeo ex solutione immediatè data, Non posse, nisi summùm quando datur hoc Sacramentum amētibus, dici, quòd peccatum præcedens sit pars illius. Responderet Secundò fortasse quis eodem ferè modo, quo diximus suprà, Eadem peccata non esse partem Sacramenti Pœnitentiæ; ita in Extrema Vnctione eā solùm esse conditionem ad hoc, vt Deus habeat voluntatem remittendi peccata eius qui vngitur; eam autem voluntatem Dei esse partem Sacramenti, ex cuius defectu illud deficit, quando homo, qui numquam peccauit, inungitur.

47 *Obiectio.*

Soluitur.

Replicabis tamen: Hoc Sacramentum validè potest conferri sine effectu gratiæ; ergo potest esse validum sine voluntate illa Dei de danda gratia; ergo quando in homine non habente peccatum non est Sacramentum Extremæ Vnctionis, plus deest quàm illa voluntas Dei; ergo ex solo defectu peccati deest tunc vera ratio Sacramenti. Respondeo, Hac obiectione ostendi instantiam è Pœnitentia non esse bonam, quia ibi non datur Sacramentum validum & informe (vt diximus suo loco;) ideoque in eo Sacramento possumus optimè per voluntatem Dei de remittendo peccato explicare totam difficultatem propositam: id quod non habet locum in Extrema Vnctione ob rationem immediatè allatam. Vnde

48 *Replicat*

Soluitur.

videtur

55

Distinctio explicatur.

videtur mihi vix posse explicari, quomodo in eo casu, quo homini carenti vsu rationis datur Extrema Vnctio validè, dicenda non sit præteritio peccati pars eius Sacramenti. Neque video in hoc vllum absurdum, quidquid sit circa Sacramentum Pœnitentiæ.

An aliquando peccatum præteritum sit pars Sacramenti Extremæ Vnctionis

Secundò principaliter dico è contrario, Si quis habeat vsum rationis, esto nullum omnino peccatum commiserit, esse capacem huius Sacramenti. Pro qua sententia Diana Par. 5. Tractatu 3. resolut. 86. refert Molfesium, Ludouicum à Sancto Ioanne, Mercerum & Ioannem Præpositum, quos ipse etiam sequitur. Ratio autem est facilis ex dictis; nam ille homo esto non habeat vllas reliquias peccati, vel peccata, quæ debeant remitti, ideoque non sit capax vnius finis, ad quem hoc Sacramentum ordinatur; est tamen capax alterius in ordine ad resistendum tunc temporis tentationibus diaboli, & ad vitanda peccata noua, quæ circa eam horam maximè sunt periculosa; quia minus temporis restat ad agendam pœnitentiam, si homo illis tentationibus succumbat.

39 *Potest Extrema Vnctio conferri homini nullū peccatum habēti, modò sit capax illius.*

Vbi aduerto, hanc nostram sententiam minùs benè probari à Ludouico de Sancto Ioanne apud Dianam ex eo, quòd hoc Sacramentum tollat reliquias peccati Originalis, nempe hebetudinem ad bonum, & facilitatem ad malum; Etenim, suprà dixi, has reliquias non tolli per hoc Sacramentum, sed solùm confortari hominé per inspirationé & auxilia actualia ad resistendum diabolo, esto nõ sit extinctus fomes peccati.

Hæc occasione potest quæri, Vtrùm Beatissima Virgo fuerit huius Sacramenti capax, cùm nec peccauerit, nec indiguerit eis auxilijs. Respondeo tamen cum Suario, Fuisse capacem, & insuper probabiliter de facto illud suscepisse: etenim licet ad peccati extinctionem non potuerit illud suscipere, potuit tamen pro eis auxiliis; nam etiam indiguit gratia Dei & auxiliis diuinis ad resistendum tentationibus, & ad tolerandam per actum supernaturalem mortem; potuit autem Deus moueri saltem partialiter, intuitu huius Sacramenti ab ipsa suscepti ad hæc auxilia illi conferenda: quia verò illa non est mortua vi morbi, & hoc Sacramentum non nisi ex infirmitate moribundis applicari potest, maior est difficultas, vtrùm illud potuerit suscipere. Benè tamen respondet Suarez, Eam mortuam ex debilitate naturæ, vti mori solent aliquando siné speciáli morbo homines maximè senes, quibus sine dubio potest hoc Sacramentum applicari.

40 *Probabile est Beatissimam Virginē suscepisse Extremam Vnctionem.*

Dices adhuc; Qua veritate potuit tunc illi dici, *Indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per auditum*, &c. Hæc obiectio habet etiam locum in casu nostræ prioris conclusionis de homine rationis compote, de quo constaret, quòd numquam peccasset: propter illam Didacus Nunnus, & Ioannes Sancius apud Dianam Par. 3. Tractatu 4. resolut. 181 omnino iudicant puero, de quo constaret Parocho ex confessione, quòd numquam peccasset, non posse administrari hoc Sacramentum; & eodem modo dicent de eo, qui in fine vitæ morbo graui laborans baptizaretur, cùm tunc non haberet vlla peccata post Baptismum. Nihilominùs tamen standum est nostra resolutione, quam ibi Secundò defendit idem Diana, citans præterea pro illa Suarium, Villalobos, Reginaldum, Petigianum, Filliucium, Coninch. & Henriquez: eamdem etiam tenet Gaspar Hurtadus contra Vasquez, citans pro se Bonauenturam, eo Tractatu de Extrema vnctione, difficultate 10. Ad argumentum ergo respondemus Primò, Ex Apostolo Iacobo constare, remissionem peccati non esse adæquatum & absolutum finem huius Sacramenti, ideò solùm conditionaliter dixit, *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Dico ergo circa Beatissimam Virginem potuisse aliam formam vsurpari ab Apostolis, quia iam dixi solam orationem esse essentialem esto nihil dicatur de remissione peccati; hanc enim formam in individuo (qua vtitur Ecclesia) probabilissimum est ab ea esse determinatam, cùm potuisset orationem aliam assignare, vt dixi suprà. Vniuersaliter autem respondeo, Verba illa, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, &c. habere similem sensum verbis absolutionis, quando iam per contritionem aut per priorem confessionem supponitur remissum peccatum: hoc est, *Donet tibi Deus gratiam ex se remissiuam peccati si illud habes, & simul confortatiuam ad resistendum fortiter tentationibus diaboli*, &c. Video contra hanc solutionem obijci posse quòd ex Cardinali de Lugo tetigimus circa formã absolutionis, scilicet verba in Sacramentis debere retinere suam significationem naturalem; horum autem, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, &c. non esse naturalem sensum. *Infundat tibi Deus gratiam.* Huic tamen obiectioni respondendum prout ibi respondimus, Etiam esse naturalem eam significationem; nam offensam condonare etiam in naturali & communi significatione denotat recipere in gratiam; quòd autem ea gratia sit habitualis, vel actualis, non est necessum, vt ea verba ex se significent clarè.

An potuerit forma ordinaria vnctionis vsurpari pro Beatissima Virgine.

42

Hinc denique dico, Si in pueris sit dubium, vtrùm iam venerint ad vsum rationis conferendum eis hoc Sacramentum sub conditione; sicut ei, de quo dubitatur an adhuc viuat, iuxta dicta suprà. Et hæc de subiecto validè capaci.

Quando dubitatur an infans vtatur ratione, potest conditio addi in collatione Sacræ Vnctionis.

SECTIO V.

Quid aliud requiratur ex parte subiecti pro hoc Sacramento.

PRIMÒ quidé de dispositione morali agendum; circa quam attendédum est, vt, quoad fieri possit, præmittatur confessio, si infirmus habeat mortalis conscientiam: nam licet in rigore ex se sufficiat cõtritio ad suscipienda licitè omnia Sacramentà, excepta Euchatistiâ, vt alibi dictum est; cùm tamen in eo periculo mortis obliget præceptum confessionis, æquum est, vt præmittatur ante hoc Sacramentum; si tamen ob aliquam causam à confessione excusatur, deberet contritione præmissa illud suscipere, nisi ignorantia adsit, quâ à contritione excusetur, & solùm habeat attritionem. Hinc fit, vt si aliquis in mortali actuali existens incidat in amentiam, aut sensus ita amittat, vt non possit probabiliter iudicari habuisse saltem attritionem, non debeat ei conferri hoc Sacramentum; quia esset planè eo indignus, & sine vlla vtilitate ei conferretur. In quo puncto omnes omnino conueniunt.

41

Extrema Vnctio non debet conferri homini, quem constat esse in actuali mortali peccato.

Idem autem esset dicendum, si quis immediatè ante amissum vsum rationis dixisset, Se nolle vllo modo hoc Sacramentum suscipere; siue enim in hac voluntate peccauerit mortaliter, siue non (de quo infrà) tunc inualidè illud conferretur; quia adultus positiuè resistens susceptioni alicuius Sacramenti non est eius capax validè, multò

44 *Nec illi, qui immediatè ante amissum vsum rationis positiuè noluit susc.*

Secundò aduertendum; Si amens sit furiosus, & aliunde iuxta dicta censeatur capax huius Sacramenti, debere eum ligari, vt possit ei conferri.

Tertiò obseruandum, Vt non expectetur cum hoc Sacramento, quousque homo sit extra se: sed debere dari, quando infirmus potest se ad illud disponere, & cum maiori fructu illud suscipere.

Obiectio. Dices contra datam doctrinam: Adulto non potest conferri Sacramentum sine positiua voluntate ipsius; ergo infirmus, qui illud non petijt, non erit etiam eius capax. *Responsio.* Respondeo, Ad Sacramenti susceptionem sufficere quòd saltem habitualiter si voluntarium; hoc autem præsumitur de quolibet Catholico respectu huius Sacramenti; quia cùm in illo non sit vllum speciale onus aut molestia, & aliunde magna sit eius vtilitas, omnis, qui positiuè illud non respuit, censetur voluntariè illud velle suscipere. de quo egi Tomo 7. tractans de voluntate ad Eucharistiam suscipiendam necessaria; vbiostendi in adultis ad Baptismum, Ordinem, Matrimonium & confessionem esse necessariam voluntatem positiuam, quia sunt Sacramenta, quæ aut mutationem status, aut Religionis, aut onera alioquin grauia sibi habent annexa: id quod in Eucharistia, Confirmatione & Extrema Vnctione non reperitur.

45 *Obiectio. Secunda.* Secundò obijcies, Si quis sciat se tantùm esse attritum, non potest licitè suscipere hoc Sacramentum; ergo neque Sacerdos sciens alterum non esse nisi attritum poterit illud ei conferre. *Responsio.* Respondeo negando consequentiam, quia ipse suscipiens tenetur elicere contritionem; at Sacerdos conferens Sacramentum, si iam non possit mèliùs disponere infirmum, cùm eo ipso cesset in infirmo obligato maioris dispositionis, poterit illud tunc ei conferre, quando videt, aut probabiliter suspicatur, infirmum habere illam dispositionem, quæ est sufficiens ad hoc, vt illud Sacramentum gratiam causset, & eum hominem liberet ab æterna damnatione.

Circa dispositionem quasi physicam ex parte subiecti requisitam certissimum est apud omnes, non quemcumque de vita periclitantem, vti reos, pugnantes in bello, &c. esse huius Sacramenti capaces, sed debere illud periculum esse ratione morbi, aut (vt paulò superiùs insinuaui) ex natura ipsa ob summam debilitatem proximè ad mortem accedente.

Quanta morbi grauitas requiratur, vt licitè conferatur Extrema Vnctio. Circa grauitatem autem morbi maior est difficultas; nam sanctus Iacobus non aliud videtur requirere, quàm quòd infirmetur quis, vtrùm autem debeat iam periclitari de vita, non explicat, Video Patrem Suarez ex verbo Græco, quod pænè deficientem significat, probare velle, à sancto Iacobo solùm fuisse actum de morbo graui ter periculoso: id quod probat Secundò ex eo, quòd dicat idem Apostolus, *Et oratio fidei saluabit infirmum*; 46 supponit ergo infirmum de salute periclitari: probat id Tertiò, quia additur, *Et alleuiabit eum Dominus*; ergo supponitur esse grauiter infirmus. Hæ tamen probationes non videntur mihi sufficientes: non prima; quia ad faciendum dogma fidei non est recurrendum nisi ad vulgatam: non secunda & tertia; nam esto non sit annexum periculum vitæ alicui morbo, habet locum in omni rigore, quòd oratio fidei eum saluet; habere etiam locum potest ea alleuiatio periculi, quia ablatio doloris cuiuslibet, esto non periculosi, est in omni rigore vera alleuiatio; vt si quis alterum liberet à podagricis doloribus, à febribus quartanis: à calculo & aliis morbis molestissimis, esto periculosi non sint, profectò meritissimè dicetur alleuasse infirmum. Tridentinum etiam videtur supponere, dari illud posse omnibus infirmis: ium enim ait, *Illis præsertim qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur*, supponere videtur, etiam posse dari his qui non sunt in eo periculo: hoc enim denotat illa particula *præsertim*. Respondeo: Vti in materia Sacramentorum habemus multa, quæ ex traditione tantùm nouimus, esto in Scriptura ea non contineantur clare, ita circa hunc statum morbi pro vnctione requisitum ex perpetua Ecclesiæ traditione & vsu constanti scimus non posse conferri hoc Sacramentum, nisi morbus constituat hominem planè in vitæ periculo. Et Florentinum expressè ait non debere illud conferri nisi infirmo, de cuius morte timetur. Vnde dicere de aliquo, quòd iam acceperit Extremam Vnctionem, apud omnes Catholicos est idem ac dicere, vix vllam esse de vita illius spem. Et sanè (vt bene notauit Suarius) si ex Christi institutione nobis per traditionem manifestata non supponeremus graue hoc periculum requiri non esset, cur alij infirmi priuarentur maxima vtilitate, quæ in hoc Sacramento esse potest. Ad locum obiectum ex Tridentino respondeo illam particulam *Præsertim* ibi non esse positam ad admittendum non periclitantem de vita: solùm enim dicit, *His præsertim qui in exitu vitæ constituti videntur*: possunt autem infirmi de vita periclitari, esto non sint iam planè in exitu illius constituti: debet igitur morbus esse talis, vt infirmum in graui vitæ periculo & proximo constituat.

Resolutio quæstionis. 47

An durante eodem morbo possit iterari Vnctio sacra Secundò quæritur, An intra eumdem morbum possit hoc Sacramentum iterari. Respondetur communiter, Durante eodem periculo vitæ non posse: quòd si tamen ita remiserit vis morbi vt euasisse iudicetur infirmus, licet non sit omnino sanatus, iterumque incidat in vicinum periculum, posse secundò inungi. Vbi adhuc noua quæstio esse potest, An ita non possit bis dari intra idem periculum, vt id sit solùm illicitum; an verò ita, vt sit etiam inualidum, seu irritum Sacramentum, ex defectu capacitatis in subiecto. Respondeo, Rem esse omnino incertam, quia de hoc puncto nihil Concilia definierunt: & potuit Christus rem vtroque modo statuere. Si tamen ex vsu Ecclesiæ discurrere velimus; deberemus planè dicere, forte omnino inualidum tale secundum Sacramentum; nam si fructuosè posset repeti sicut Eucharistia, cur quæso Ecclesia prohibuisset id fieri; certè si Eucharistia, quæ maiorem longè reuerentiam & præparationem requirit, potest singulis diebus suscipi, facilius deberet permittere frequentari hoc Sacramentum ab infirmis ob magnum solatium & necessitatem eorum; ergo supponit Ecclesia non posse tunc validè conferri secundò & tertiò. Huius autem rei (vt in similibus punctis diximus) non potest melior ratio reddi quàm voluntas Christi: nam spectatis secundùm rationem moralem principijs intrinsecis, vix vlla apparet ratio, cur Eucharistia possit repeti, non verò hoc Sacramentum quandoquidem durante etiam eodem periculo vitæ potest homo noua peccata committere, & pro nouis occurrentibus periculis indigere nouis auxilijs: id ergo totum voicè cè reducendum est in voluntatem Christi Domini cognitam vt dixi saltem probabiliter

48 *Probabilius est fore inualidam iterationem intra eumdem continuatum morbum.*

ex

ex Ecclesiæ traditione aut vsu.

49 Circa partes verò ipsas corporis, in quibus facienda est vnctio, diximus iam suprà agentes de numero vnctionum, debere esse quinque propter quinque sensus: non tamen ad videri esse omnino necessarium ad valorem Sacramenti. Dubitari tamen potest, vtrum si vnctio fieret in alia parte corporis, v.g. in fronte, adhuc esset validum Sacramentum, esto illicitè id fieret. Respondeo, Licet ex beato Iacobo nihil hac de re, vti nec de numero vnctionum, colligatur, probabile tamen esse, debere fieri in aliquo ex sensibus: sita enim semper Ecclesia tradidit: quia tamen diximus etiam esse probabile, sufficere in vna sola parte, & quælibet pars corporis potest vsurpari in rigore pro tactu forte non minùs quàm manus, vtrihi est valdè dubium, an non validè possit conferri inungendo frontem, & dicendo, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensum*, &c. Quomodo autem ei, qui perpetuo cæcus aut surdus fuit dici possit, *Quidquid peccasti per visum & auditum*, explicatum ferè est suprà, vbi ostendi sensum illorum verborum esse, *Infundat tibi Deus gratiam*, &c. quoad peccata autem actualia conditionaliter id dicitur, *Si ea habes.* Quòd si fortè careat quis manibus iam diximus illum vngendum in brachiis, aut si & his, in vicinioribus partibus.

An esset valida vnctio in sola fronte v.g. vel simili alia parte corporis.

Obiectio

Obiicies: Qui caret manibus non potest consecrari Sacerdos: ergo neque poterit recipere hoc Sacramentum. Respondeo negando consequentiam, qui ille est incapax ad celebrandum Sacrum, ad quod primariò Ordo confertur; at Extrema Vnctio non datur ob efficiendum aliquid per manus, sed ad remissionem peccatorum, & resistendum tentationibus: quæ duo locum habent etiam in eo qui caret vno aut altero sensu.

Responsio

DISPVTATIO LIV.

De causa efficiente & effectu huius Sacramenti.

SECTIO I.

De Ministro illius.

1 CIRCA Ministrum huius Sacramenti, seu circa causam efficientem, in primis certum est solum Sacerdotem seu Presbyterum posse illud conferre: ita clarè colligitur ex verbis sancti Iacobi & perpetuo sensu totius Ecclesiæ. Ratio autem à priori non potest alia esse quàm ipsa Christi Domini institutio: congruentias verò, cur non debuerit hoc reseruari Episcopis, vide apud Suarium disput. 43. sect. 1. Res est satis facilis; esset enim Episcopis moraliter id impossibile, imò physicè, quia in vno magno Episcopatu non possent assistere simul morientibus in distantissimis locis.

Solus & omnis Sacerdos est Minister Extremæ Vnctionis.

Secundò est certum nulla de causa posse alteri quam Sacerdoti conferri administrationem huius Sacramenti: sicuti neque Eucharistia, aut Pœnitentiæ Sacramentum confici potest nisi à Presbytero: quia neque Apostolus neque Concilia vllam faciunt exceptionem, sed simpliciter Sacerdotem dicunt esse Ministrum, licet hæretici (vt vidimus suprà) dicant Presbyterum tantùm significare apud Apostolum Seniorem: iam enim suprà diximus id esse plane contra sensum perpetuum totius Ecclesiæ, quæ nihil aliud vnquam per Presbyteros quàm veros Sacerdotes intellexit.

Tertiò certum est ad validè illud conferendum non requiri vllam iurisdictionem vltra Sacerdotium; non enim eius administratio est actus iurisdictionis, sicut est absolutio à peccatis: potest ergo quoad hoc validè conferri à quocumque Sacerdote, vti Ordo & Confirmatio possunt validè à quocumque Episcopo, & Eucharistia potest a quocumque Sacerdote confici. Hoc supposito varia possunt nunc in dubium verti.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid requiratur ex parte Sacerdotis, vt licitè administret hoc Sacramentum.

CIrca quod in omnium sententia Primò requiritur iurisdictio vel ordinaria vel delegata, vti requiritur ad conficienda licitè ferè omnia alia Sacramenta; nam neque Baptismus licitè confertur nisi à proprio Parocho: nec Cõfirmatio & Ordo, nisi à proprio Episcopo, &c. Ecclesia enim ob iustissimas causas administrationem Sacramentorum per se annexuit officio Pastoris proprij. Excipitur tamen ab hac regula casus necessitatis, quo infirmus periclitatur, & non adest proprius Parochus, aut non potest, vel certè non vult: quia tunc Ecclesia in fauorem infirmi ne priuetur hoc Sacramento, quod valdè est vtile, & aliquando potest esse infirmo simpliciter necessarium ad salutem: vti pro eadem hora dedit omnibus Sacerdotibus potestatem absoluendi, ita & conferendi hoc Sacramentum. Quæ doctrina etiam habet locum in Sacerdote Religioso; etiamsi hoc vltimum neget Gauantus apud Dianam Part. 5. Tractatu 3. resol. 82. vbi ipse nostram sententiam tenet, quæ etiam ferè ab omnibus defenditur: citátque ibi pro illa Suarium, Henriquez, Granadum, Sotum, Ioannem Præpositum, & Antonium Fernandez. Vbi aduertendum extra casum necessitatis Sacerdotem dantem Extremã Vnctionem sine licentia Parochi peccare grauiter; non tamen incursurum excommunicationem (vt aliqui putant (nisi sit Religiosus: quia Clementina 1. *de Priuilegijs*, vbi ea excommunicatio imponitur, non agit nisi de Religiosis. In his autem pœnis non debet lex trahi ad alium casum ob rationis similitudinem, vt Suarez benè docet, citans pro se Caietanum & Sotum disput. 44. sect. 2. quem etiam sequitur Diana suprà referens pro eadem doctrina Andream, Victorellum.

2 *An licitè differendi Sacram Vnctionem requiratur iurisdictio, nisi sit grauis necessitas.*

Conferens Vnctionem sine licentia Parochi extra necessitatem excommunicatur, si est Religiosus sæcus si non est.

Secundò potest quæri, An requiratur ne Sacerdos sit nominatus excommunicatus, aut suspensus.

pensus Pater Suarez suprà num. 6. ait excommunicatum non posse, suspensum verò posse; quia suspensio non priuat actu Ordinis. Diana hanc eamdem quæstionem eodem planè Tractatu 3. discutit bis, tum resolut. 81. tum resolut. 89. in priori referens sententiam Suarij ait illam non esse solidam: quia suspensio vel est totalis, & tunc prohibet etiam exercitium Ordinis, ac proinde Sacerdos suspensus non magis quàm excommunicatus poterit administrare hoc Sacramentum: si autem suspensio tantùm est à beneficio vel iurisdictione, tunc etiam nominatim suspensus poterit hoc Sacramentum administrare, quia suspensio à iurisdictione solùm prohibet actus qui sunt intrinsecè iurisdictionis, non verò qui sunt solius Ordinis; etiamsi requirant in Pastore iurisdictionem ad hoc vt licitè exerceantur. Vnde concludit, Quo casu suspensus ab Ordine potest hoc Sacramentum administrare, posse etiam excommunicatum.

3 *An excommunicatus suspensus, &c. validè conferat Sacram Vnctionem.*

Ego tamen, vt verum fatear: non video quare Diana reiiciat Suarium: hic enim nihil dixit de nominatim & non nominatim suspenso: sed absolutè dedit doctrinam veram, quam & Diana ipse in hac ipsâ impugnatione defendit, scilicet suspensionem non semper prohibere actum Ordinis. Vnde rectè dixit Suarez non esse eamdem rationem de suspenso, quæ est de nominatim excommunicato, quia excommunicatus nominatim excluditur tam ab Ordinis quàm à iurisdictionis actu. Quidquid verò de hoc puncto sit, Pater Suarez putat etiam in casu necessitatis nominatim excommunicatum non posse hoc Sacramentum conferre; quia videmus quòd Ecclesia prohibeat tempore interdicti dari aut suscipi hoc Sacramentum; ergo non adeò censet illud necessarium, vt permittat ministrari ab excommunicato: poterit ergo tunc Parochus excommunicatus dare alteri licentiam, quia id potiùs est permittere vt alter administret. Addit autem Suarez hæc fusiùs à se tractanda in materia de Censuris: vbi tamen rem valdè obiter tangit disput. 11. sect. 1. num. 24. & potiùs contrariam resolutionem tradit; ait enim, omnino licere, casu quo nullus alius adsit Sacerdos: quia potest pendere æterna salus infirmi à susceptione huius Sacramenti. Obiecerat autem sibi caput *Quod in te*, de Pœnitentia & remissione, in quo prohibetur dari hoc Sacramentum tempore interdicti; non tamen quidquam ad hoc respondit: & sanè cùm eodem Tomo 5. de Censuris disput. 33 sect. 1. num. 38. benè ostenderit, à prohibitione eo capite factâ non excusari ob periculum vitæ: ait enim, & quidem valdè benè, Cùm hoc Sacramentum non conferatur nisi de vita periclitantibus, eo ipso quòd prohibeat Pontifex illud dari tempore interdicti, absolutè prohibet illud, licet infirmus sit moriturus sine illo: cùm inquam hæc benè doceat Suarez, in præsenti autem Tomo 4. dicat non esse minorem rationem prohibendi, ne illud concedatur ab excommunicato nominato, quàm ne concedatur tempore interdicti, omnino debuisset vel assignare disparitatem, vel idem dicere in vtroque casu: videtur ergo duplici ex capite non discussisse constanter in hoc puncto.

4 *P. Suarez in hac re varius.*

Ioannes Præpositus, quem refert & sequitur Diana citata resolutione, putat posse tunc ab excommunicato conferri hoc Sacramentum; verùm etiam non respondet obiectioni ex Patre Suario positæ, quæ sine dubio non caret graui difficultate, quam ego hic adhuc vrgeo: Nam tempore interdicti non solùm priuantur hoc Sacramento illi, qui fuêre causâ interdicti, sed etiam qui nullam omnino ei causam dedêre, & sunt alioqui innocentes, quo casu posset illud administrari & a legitimo Ministro nullo vinculo ligato, & personæ innocenti: in qua administratione non videtur esse indecentia vlla (loquor secluſa ea prohibitione) prout est in eo, quòd administretur ab excommunicato nominato: aliunde autem quoad necessitatem infirmi eadem est ratio in vtroque casu, cùm eodem modo moriatur sine illo Sacramento, & possit de salute æterna periclitari ob eius defectum; ergo. Fortasse aliquis responderet: Leges, & maximè odiosas, non posse ob paritatem rationis extendi ad casus, de quibus non loquuntur expressè, ideóque instantiam illam non conuincere. Contra tamen adhuc vrget difficultas; quia argumentum Suarez non est hoc modo formandum: *In primo casu prohibetur, ergo in secundo*; hoc enim modo, ob immediatè dicta, sine dubio non esset bona deductio: debet ergo aliter formari: Excommunicatus nominatus per se est incapax administrandi omnia Sacramenta; quòd autem Ecclesia dispenset cum illo in Extrema Vnctione, non potest probari nisi ex præsumptione ob necessitatem morib undi: atqui hæc præsumptio non est vllo modo solida, cùm non obstante tota ea necessitate infirmi non permittat Ecclesia tempore interdicti conferri hoc Sacramentum; ergo caremus fundamento ad dicendum, quòd Ecclesia concedat facultatem eis excommunicatis illud administrandi: si hoc modo formetur argumentum Suarij, sine dubio est valdè bonum.

5

Iudico tamen adhuc posse probabiliter defendi eam sententiam Patris Præpositi; quam etiam eo secundo loco defendit idem Suarez: vbi etiam ait eam esse ex mente ferè omnium Doctorum ob illam necessitatem infirmi. Ad instantiam autem ex interdicto, quæ nos valdè vexat, potest responderi. Primo, Interdictum maximè respicere personas, quæ susceptura sunt Sacramentum illud: ponitur enim in odium, vt sic dicam, eius communitatis: & licet hic aut ille causam non dederit, lex tamen illa generalis noluit facere distinctionem vllam: at quando infirmus habet ius ad suscipiendum hoc Sacramentum, æquum fuit in gratiam ipsius facere facultatem Sacerdoti excommunicato, ne infirmi sentiant damnum ob culpam Ministri. Secundò responderi potest, Nobis aliunde constare, etiam excommunicatum nominatim posse ob necessitatem tertiæ personæ administrare Sacramenta; nam confessionem audire potest eius qui de vita periclitatur, potest in multorum sententia Eucharistiam dare, &c. ergo cùm non sit expressa lex, quæ excipiat Extremam-Vnctionem ab hac regula; nam ab altera de interdicto, vtpote in diuerso casu loquente, non licet argumentum trahere ad nostrum casum (vt diximus:) satis benè possumus inferre, Etiam licere circa Extremam Vnctionem.

6 *Resoluitur quæstio pro parte asserente tamquam probabiliore, & respondetur ad cap. Quod in te de pœnit. & rem.*

Aduerte, Dianam eo Tractatu 3. resolut. 89. non solùm defendere sententiam Suarez & nostram de Sacerdote excommunicato, sed etiam putare, tempore interdicti posse administrari Sacramentum hoc: pro qua doctrina citat Taullench in expositione Bullæ Cruciatæ ad textum

7 *An tempore interdicti licitè conferatur Sacra Vnctio.*

verò ex Innocentio in contrarium de quo suprà, nihil penitus respondet. Ego Trullenk non possum videre: cùm tamen id doceat, dum Bullam Cruciatæ explicat, & de tam efficaci textu in contrarium nihil omnino dicat, suspicor eum Auctorem id præcisè admittere pro his qui habent Bullam: quia in ea conceduntur magna priuilegia in hoc puncto. Quidquid tamen ea de re sit, quandiu textus ille non explicatur, non videtur nobis liberum contra illum tantam facere licentiam: iam enim ostendi ex Patre Suar. cùm aliàs non conferatur hoc Sacramentum nisi in casu extremi periculi vitæ, & nihilominùs Pontifex omnino prohibeat illud administrari tempore interdicti, non posse nos probabiliter per eam necessitatem infirmi interpretari in contrarium ipsius Pontificis voluntatem.

Sententia Diana asserens cū limitatione probabilis reputatur.

Video eumdem Dianam Tertiò eundem casum tractantem Tom. 3. Tract. 4. resol. 171. vbi ait hanc suam sententiam à Zambrano reputari probabilem, & præterea citari ad eodem Henriquez: multos item alios viros doctos à se consultos idem sentire: ibique tandem respondet ad obiectionem factam ex eo textu: atque illum intelligendum in casibus ordinariis, quando infirmus confessus est, & communicauit ideóque non censetur indigere pro sua salute eo Sacramento: vel certè quando commodè potest adiri iudex, qui interdictum posuit, vt det licentiam, concluditque eam sententiam in fauorem animarum omnino esse amplectendam, & impellit Parochos, eisque consulit, vt in praxi illam teneant.

8 Ego quidem, saltem ob auctoritatem, censeo etiam illam probabilem: stando tamen ratione non videtur mihi sufficienter ad textum illum esse responsum: quia non est extraordinarius, sed valdè ordinarius & frequens casus, infirmari aliquem repentè, & fieri ita extra sensus, vt non possit confiteri, possit tamen accipere hoc Sacramentum: & tamen sine vlla exceptione vniuersaliter id prohibet Pontifex: non potest ergo explicari quasi per casum non præuisum ab ipso Pontifice. Quod item dicebatur, intelligendam eam prohibitionem pro loco vbi abest iudex, nec facilè potest adiri vt dispenset mihi videtur difficile: quia aliquando imponitur interdictum in vno Episcopatu, vbi valdè difficile est pro omnibus eo tempore grauiter ægrotantibus adire iudicem, sæpè item imponitur à iudice absente: Pontifex autem absolutè prohibet dari eo tempore hoc Sacramentum: ergo comprehendit omnes hos casus: nā lex, quæ sine exceptione traditur, minimùm comprehendit omnes casus ordinarios, seu valdè frequentes.

SVBSECTIO SECVNDA.

De obligatione Sacerdotis ad conferendum hoc Sacramentum.

Parochus proprius tenetur ex charitate & iustitia dare Vnctionem alicui Sacerdoti ex charitate.

9 MVlta in hac dubitatione continentur, quæ sunt breuiter explicanda. Primò enim potest esse sermo de casu, in quod illud administraturo nullum immineat periculum, & alunde non sit alius qui velit illud administrare: tunc autem omnes consentiunt, si Sacerdos ille sit proprius Parochus, teneri ad conferendum illud tum ex charitate, tum ex iustitia, quia Pastor tenetur ex iustitia oues suas pascere iuxta modum ordinarium, quo Ecclesia vtitur: quòd si Sacerdos non sit Parochus proprius, dicunt præcisè obligandum ex charitate, non ex iustitia. Secundò ergo potest casus poni, ita vt sit periculum vitæ ex administratione, vt quando infirmus est correptus peste; aut alio morbo valdè contagioso: quo casu loqui possumus de Sacerdote non Parocho, vel certè de Parocho: de non Parocho res est facilior: omnes enim sentiunt eum non teneri: nam licet sæpè ex charitate teneatur quis proximo accurrere, etiam cū propriæ vitæ periculo, quando agitur de æterna salute proximi, cum tamen hoc Sacramentum non sit proximo necessarium ad salutem, nisi in vno casu valde raro, quo scilicet infirmus habeat attritionem solùm, & non sit capax absolutionis; de quo casu nobis constare moraliter vix potest; & verò etiamsi de eo statu constet, cùm non sit adhuc certum, quòd hoc Sacramentum possit conferre primam gratiam, videtur valdè durum obligare Sacerdotem non Parochum ad exponendam vitam suam cum tam dubia spe vtilitatis infirmi.

An teneatur Parochus cū graui periculo vitæ dare Sacram Vnctionem.

10 Quoad Parochum verò proprium maior est difficultas, quia hic multò magis obligatur suis subditis, à quibus etiam accipit stipendium: nihilominùs tamen nisi daremus eum casum (quem incertissimum esse dixi) quòd æterna salus infirmi penderet ab eius Sacramenti susceptione, non videtur obligandus cum grauissimo periculo vitæ: id quod docet Gaspar Hurtadus difficultate 12. Tannerus disput. 7. quæst. 1. numero 62. Granadus & Ioannes Præpositus, quos citat & sequitur Diana eo Tractatu 3. resol. 83. qui Secundò eam quæstionem tractat resol. 91. referens etiam Filliucium, & reiicicus Ludouicum Turrianum, qui contrarium sentit: Suarez autem ea disput 44. sect. 1. fusè rem discutiens, vtramque referens sententiam ait numero 6. in fine, Se aliquando opinatum omnino obligari Parochum etiam cum vitæ periculo ad administrandum hoc Sacramentum, nunc verò re meliùs considerata ait Primò vniuersaliter magis obligari Pastores quàm alios Sacerdotes ordinarios: id quod putat etiam habere locum respectu Prælatorum Religiosorum: vnde ait Parochos & Prælatos teneri non fugere, nec deserere gregem in similibus occasionibus; id quod transfert ad tempus persecutionis, in quo non licet fugere cum periculo gregis: quoad Episcopum autem ait eum non malefacturū, si recedat à ciuitate, vbi grassatur pestis, maximè quando eius vita est melioris mométi: Parochos verò ait non posse per se loquendo deserere populum, nisi inueniatur aliquem, qui loco sui velit adesse: ac tandem quoad Sacramentum. Extremæ Vnctionis consentit cum his quæ ex Diana diximus, Parochum scilicet non teneri, si adsit periculum illud graue: debere tamen adhibere omnia media quæ potest, ad hoc vt sine periculo administrare hoc Sacramentum possit. Quæ sententia etiam mihi placet: habet autem meo iudicio maximè locum, si non adsit alius Sacerdos tempore pestis: tunc enim Parocho mortuo cæteri manerent sine remedio etiam pro Sacramento Pœnitentiæ quod longè magis necessarium est & in cuius administratione non est tantum periculum, quia potest Sacerdos remotior esse ab infirmo, ideóque sine tanto infectionis periculo illud administrare.

SVBSEC

SVBSECTIO TERTIA.

Quomodo possit hoc Sacramentum à duobus simul administrari.

VLtimò circa Ministrum huius Sacramenti quæri potest, An conferri illud possit à duobus Sacerdotibus Respondeo, Duobus modis posse casum hunc proponi, Primò, vt vnus Sacerdos proferat verba, alter verò inungat: in hoc autem sensu videtur dicendum id nullo modo posse fieri: vt patet in omnibus aliis Sacramentis: nam qui materiam adhibet, ille debet etiam formam adhibere qui enim baptizat debet dicere, *Ego te baptizo*, & sic de aliis. Respondebis fortasse, In aliis Sacramentis id exigere ipsam veritatem verborum, quomodo enim qui non baptizat potest verè proferre *Ego te baptizo?* At in hoc Sacramento, cum forma sit deprecatoria, non repugnat vnum inungere, & alterum etiam verissime dicere: *per hanc sanctam vnctionem indulgeat tibi Deus*, &c. ergo poterit à duobus conferri. Respondeo, Etsi ex hoc capite non sit tanta ratio id dicendi in hoc Sacramento, quanta in aliis; nihilominùs etiam hic suo modo locum habere eam rationem veritatis verborum, quia ille qui ratione vnctionis, orat Deum, debet adhibere ipsam vnctionem; qui enim alium monere vult suo obsequio, debet ipse adhibere preces: habet enim se tunc ac si diceret, *Per hanc vnctionem quam ego facio te rogo*, &c. Ad quod propositum bene ponderat Suarez ea verba Iacobi Apostoli, *Et orent super eum, vngentes eum*, hoc est, vt qui vngit oret. Denique in Sacramentis, in quibus materia est actio Ministri, semper idem est qui profert verba, & qui materiam applicat. Dixi, *In his in quibus materia est actio Ministri*; quia in Pœnitentia confessio est materia, & applicatur ab ipso suscipiente: & idem est in Ordine, vbi suscipiens Ordinem tangit calicem, &c.

11 *Nullum esset Sacramentum, si alius vngeret, alius verba proferret.*

Alter sensus propositæ quæstionis est, An possit vnus Sacerdos vnam vnctionem facere dicendo verba illi respondentia: alter verò alias vnctiones; cum aliis verbis perficere. Respondeo, Etiam in hoc sensu multos sentire id nullo modo valide fieri posse. Probatur, quia Florentinum supponit Sacerdotem, non Sacerdotes, esse ministrum huius Sacramenti. Hæc tamen ratio non vrget: quia ibi solum voluit denotare qualitatem personæ: hoc est quòd debeat esse Sacerdos: an autem vnus, aut plures, ibi Concilium non determinauit. Probatur Secundò, quia Christus, qui est Auctor Sacramentorum, est vnus; ergo Minister debet esse vnus. Hoc item argumentum non est bonum quia probaret Sacramenti Matrimonij Ministrum debere esse vnum. Tertiò potest quis ratione à priori efficacius argumentari: nam vel per illam vnctionem partialem cum sua forma est confectum iam essentialiter Sacramentum, licet non integraliter: vti in consecratione specierum panis est confectum essentialiter, non integraliter, vel non: si est confectum, tunc nulla est difficultas vti non est in Eucharistia: vnus enim hostiam, alter calicem potest consecrare: quod si è contrario dicatur non esse essentialiter confectum, tunc planè videtur ea prima vnctio esse perinde ac si nihil esset adhuc factum: ergo debebit totum ab initio inchoari.

12

Nihilominus dicendum est, id omnino posse valide fieri ita enim tenent communiter Auctores, vt videre est apud Suarez ea disp. 43. sect. 2. vbi addit se non habere argumentum sufficiens, vt ab ea recedat: pro eadem refert Diana eo Tractatu 3 resol 86. Oliagauiam, Turrianum, Tannerum, & Molfesium, quos etiam ipse sequitur: inferiùs autem citat etiam D. Thomam, Durandum, Sotum Syluestrum, Sà, & Ioannem Præpositum. Aliquorum fundamentum est, quia si quis post factam vnctionem oculorum v. g. secundò eos vngeret, esset perinde, ac si suprà hostiam iam consecratam quis proferret verba consecrationis. Hæc tamen ratio meo iudicio nullius est momenti, quia in hostia supponitur iam Christus positus: ac proinde iam est factum quidquid posset per secunda verba fieri: at in nostro casu nihil factum est per eam vnctionem: pro hac enim quæstione iam dixi, nos supponere non conferri gratiam, neque confici Sacramentum essentialiter nisi per vltimam vnctionem: vnde clarè infertur, nihil effecisse priores. Meliùs ergo potest id persuaderi: quia cùm in hoc Sacramento sint materiæ partiales, & quælibet habeat suam formam, non videtur esse vlla ratio, cur non sufficiat vnam cum sua forma fieri ab vno Sacerdote, alteram ab altero.

13 *Esset validè Sacramentum, si plures Sacerdotes singuli singulas vnctiones facerent proferendo competentia verba.*

Circa quæ primùm noto, Dianam eâ resolutione 57. citare pro contraria sententia negatiua Philippum Fabrum in 4. dist. 23. quæst. vnica, disp. vnica. cap. 4. cuius ibi verba refert: quæ tamen expressè sonant sententiam nostram, scilicet validum fore Sacramentum eo modo collatum: ait enim debere Sacerdotem aduenientem prosequi vnctiones, quæ fuerint omissæ à priore: nec posse partem illam iam ab alio vnctam vngere secundò. Vnde (vt verum fatear) non capio quo sensu ibi loquatur Diana.

14

Secundò noto, extra casum necessitatis (si quæ potest esse de quo statim) fore peccatum graue eo modo conferre hoc Sacramentum: tum quia est contra communem Ecclesiæ praxim, tum quia est res dubia, an eo modo sit validum Sacramentum: quia autem sine necessitate omittit materiam certam Sacramenti & accipit dubiam peccat grauiter: quia exponit se sine causa periculo faciendi irritum Sacramentum.

Peccatum grauiter, si extrà necessitatem plures Sacerdotes eandem personam simul vngerent.

Tertiò noto, verti in dubium ab Auctoribus Vtrùm possit esse causa quæ faciat licitum eum modum conferendi Sacramentum, aliquos autem negare, alios affirmare; inter quos vltimos est Diana suprà resolutione 55. Huic duo ego respondeo Primò: si supponamus hoc Sacramentum non confici essentialiter nisi quinque vnctionibus, contingere posse necessitatem eo modo illud per duos Sacerdotes conferendi, si moreretur repentè Sacerdos, qui priorem vnctionem fecerat, & alter superueniens ob infirmum etiam iamiam morientem non haberet tempus repetendi omnes eas priores vnctiones. Respondeo Secundò: Etiam posse contingere adeò vicinum esse morti infirmum vt non possit vnus Sacerdos omnes quinque vnctiones perficere, ideóque necessum sit vt alius Sacerdos præsens simul iuuet, vt simul & semel vnus vngat oculos, alter manus, &c. quilibet autem proferat debitam formam suprà vnctionem à se factam. In hoc puncto (teste Diana suprà) contrarius est Turrianus, qui putat eas Vnctiones simul factas non esse sufficientes ad valorem Sacramenti. In qua tamen doctrina mihi videtur Turrianus non seruare consequentiam: cùm enim (eodem Diana teste) admiserit posse vali-

15

dè à duobus Sacerdotibus successiuè administrari hoc Sacramentum, vt pars ab vno, pars ab altero fiat, non capio, quâ consequentiâ dicere possit non valere, si idipsum simul faciant; nam ea coëxistentia est omnino per accidens, cùm vnus non impediat alterum; nec aliunde inueniri possit ratio, quæ petat ad valorem eius Sacramenti successionem vnctionum. Habemus etiam in hoc puncto contrarium Patrem Meratium, teste eodem Diana ibi; licet enim admittat validum esse Sacramentum sic collatum, putat tamen numquam posse occurrere occasionem, ob quam fiat licitos talis modus.

16 Ego quidem fateor ratiò posse cõtingere, vt illa necessitas sit tanta, & quòd simul adsint alij Sacerdotes parati, & vt vnus non impediat accessũ alterius ad infirmum; & verò addo, fortasse citius vnum posse omnes eas vnctiones perficere quàm duas vel tres simul. Nihilominùs physicè non est casus impossibilis; sæpè enim contingit infirmum expirare ante perfectum hoc Sacramentum; ergo ex parte infirmi potest esse ea necessitas: quòd si vnus Sacerdos sit ex vna parte lecti, alter ex altera, possunt se non impediendo vnus manus, alter oculos aut nares simul tempore inungere.

Si Sacerdos inchoata vnctione moriatur, debet alius de nouo eam inchoare, si vocat.

Quartò circa hoc noto, extra casum huius necessitatis si Sacerdos, qui inchoauit administrationem huius Sacramenti, moriatur, debere sequentem repetere eas vnctiones, vt benè ex Meratio notat Diana, & nos ex parte insinuauimus suprà: cum enim sit dubium, Vtrùm Sacramentum eo modo collatum sit validum, tenetur Sacerdos, si potest commodè, repetere eas priores vnctiones, ne forte re ipsa nullum fiat Sacramentum, neque ideò tunc faciet vllam irreuerentiam, quia potest sequi sententiam probabilem contrariam, quòd priores vnctiones tũc sint nullius momenti: deinde potest in dubio de valore præcedentis repetere eam vnctionem addendo mentalem conditionem, vti in aliis Sacramentis in casu dubij.

SECTIO II.

De ritu in administratione huius Sacramenti

17 CIRCA ritum accidentalem potest quæri, An sit peccatum mortale, si Parochus accipiat ad suam domum vesperi oleum, eò quòd putet se de nocte vocandum ad vngendum infirmum, sitque ipsi difficile de nocte ire ad Ecclesiam, & inde illud accipere. De hac quæstione agit Diana eo Tractatu 3. partis quintæ, resolutione 41. vbi nullam ex se videtur tradere resolutionem, sed ponit verba ex Barbosa, quibus significat id non esse mortale. Hæc difficultas meo iudicio non est magna; non enim possumus prudenter dicere, ex sola benedictione Episcopali tantam accrescere excellentiam illi oleo, vt si per mediam noctem non seruetur in loco sacro, eo ipso sit quis mortaliter peccaturus, cùm vix in ipso Venerabili Sacramento videamur id sufficere ad mortale: si enim ferretur ad infirmum etiam duabus tribúsve horis antequam posset ei dari, & ibi in mensa cum candelis seruaretur, non videtur indecentia ad mortale nec ad veniale sufficiens; in oleo autem, quod

Non est peccatum vllum si sacerdos per noctem v. g. seruet decretoreo apud se sacrũ Oleum, si causa aliqua subsit, v. g. vt sit tantò citius paratus pro infirmo, quem nouit periclitari

18 à Venerabili Sacramento infinitè distat, profectò id multò minùs erit peccatum. Rituale quidem præcipit illud seruari in loco decenti & ornato, id autem intelligitur de loco constanti, ne fortè effundatur, aut alia in ipsum fiat irreuerentia. At quòd eo modo deportetur à Sacerdote in domum, & ibi in loco aliquo decenti seruetur de nocte ob causam suprà positam, meo iudicio neque veniale quidem est. Imò quia sæculares vocant sæpè quando iam infirmus est planè in extremis; & si de nocte Parochus primò deberet pro Oleo sancto ire ad Ecclesiam, dum se induit, dum it, &c. posset infirmus mori, fortasse esset expediens modo dicto illud apud se habere, quando ipsi constaret de aliquo infirmo grauissimè periclitãte, pro quo putaret se ea nocte vocandum. Confirmo id meo iudicio euidentissimè; nam hoc sactum Oleum portari solet per puntilos etiam simplices die Iouis sancto, dum post benedictionem illius simul cũm Chrismate per Parochias Episcopatus distribuitur, vt die Sabbati sancti conficerari possit fons Baptismatis; eo autem tempore iam in hoc sacro Oleo est tota quanta ratio cur debeat reuerenter tractari. Neque ex eo, quòd infirmus iamiam sit eo vngendus, debetur illi oleo maior reuerentia; ergo si ab eis nuntius (quia tunc est aliqua necessitas) licitè sine vllo vel venali peccato portatur sine solemnitate, cur, quæso, quòd à Parocho (qui tamen iam est decentior persona quàm baiulus) portetur secretò ad domum suam, decenter tamen, & ob eam necessitatem, esto sine vlla solemnitate, dicere probabiliter possumus, eum committere in eum liquorem irreuerentiam adj venialiter peccandum sufficientem; taceo autem vt peccet mortaliter.

SECTIO III.

De effectu primario huius Sacramenti.

19 HAc de re fusissimè agit Suarez disput. 41. per totam; meo tamen iudicio res est facilior, quam vt tam longum exigat discussionem. Et verò Suarez occasione huius effectus aliqua tractat sub diuersis terminis bis; aliqua item, quæ ad aliud punctum spectant. Primò ergo multi, quos ille refert sect. 1. putant esse institutum pro remissione venialium; nam verba, quibus conficitur, denotant ordinari ad remissionem peccati; non potest autem id de mortalibus intelligi, quia est Sacramentum viuorum, ac proinde ex institutione sua supponit gratiam in suscipiente; ergo debet intelligi de remissione venialium. Dicunt verò hi Auctores in tantum per illud remitti venialia, in quantum excitantur motus aliqui pij in ipso homine. Hanc tamen sententiam D. Thomas & ex eo Suarez ibi reijciunt; quia Sacramentum Pœnitentiæ est per se ordinatum primariò ad eam remissionem; non fuit autem necessarium aliud Sacramentum ad id instituere; ergo. Secundò, quia si hic esset primarius finis, non deberemus expectare tempus morbi; sed quando homo haberet multa venialia, posset illud suscipere. Huic tamen argumento facilè responderi posset, finem quidem primarium eius Sacramenti esse eam remissionem, tempus tamen pro eo suscipiendo fuisse præscriptum à Christo, vt non nisi quando homo

Varia sententia de effectu primario Sacr. Vnctionis recitantur. Primo.

20

homo

mo grauiter ægrotat illud suscipiat, & per fieri, vt non coincidat cum Sacramento Pœnitentiæ; maximè cum hoc non nisi his qui signa dant doloris & confessionis. Extrema verò Vnctio etiam aliis possit administrari. Meliùs ergo ex dicendis declarando effectum huius Sacramenti refutabitur hæc sententia; ad argumentum autem pro illa ex verbis formæ dicimus hoc Sacramentum delere quidem peccata de quo statim (non tamen ideò inde inferri, Primarium finem adæquatum illius esse eam deletionem. Quod item dicebatur de remissione per motum bonum excitatum in homine videtur omnino falsum, cùm passim hoc Sacramentum conferatur, quando suscipiens nullum potest habere motum, quia est extra sensus.

Secunda.

Ex his reiciuntur alij, qui dicunt effectum huius Sacramenti esse quidem delere venialia, ea tamen solùm ratione, quatenus hæc impediunt ingressum in cælum; reiciuntur inquá Primò, quia venialia quoad culpam non impediunt eum ingressum; nam (vt alibi docui) si quæ sint adhuc in morte non condonata, condonantur in primo instanti mortis per actum contritionis aut amoris, quem iustus tunc elicit; solùm ergo retardant, quatenus pœna pro eis in Purgatorio luenda adhuc restat, ergo ex hoc capite potius deberet Extrema-Vnctio ordinari ad remissionem pœnæ quàm culpæ. Secundò, quia (vt immediatè antè dicebatur contra primam sententiam) Sacramentum Pœnitentiæ ordinatur maximè ad eam remissionem pœnæ per ipsam satisfactionem

21 Sacramentalem.

Aliter argumentatur contra eam doctrinam Suarez; Primò, quòd ex ea sequatur in omni articulo mortis, etiam sine morbo (vt quando quis vltimo afficitur supplicio) debere suscipi hoc Sacramentum. Iam tamen in simili dixi paulò antè hoc inconueniens inde non sequi; quia licet finis ille haberet etiam tunc locum, Christus tamen non nisi in morbo graui permisit applicari hoc Sacramentum. Secundò argumentatur, Quia sequeretur non esse illius capacem nisi eum qui venialiter peccauit. Verùm sequelam multi alij concedunt, quidquid tamen de ea sit, responderi posset Secundò, Etiam Beatissimam Virginem suscepisse Baptismum, cùm tamen non habuerit Originale: certum est autem præcipuum effectum Baptismi esse, delere Originale: Huic instantiæ, quam ipse tetigit, conatur Suarez respondere; eò quòd Originale per se ineat omnibus; ideoque etsi aliquis illo careat, debet hoc reputari accidentarium: at venialia non insunt per se omnibus. Hæc tamen disparitas videtur mihi nullo modo sufficiens, quia si intrinsecus finis non est possibilis in Beatissima Virgine, profectò nec locum habebit Baptismus, si ratio facta bona est; vti etiam non habuit locum pœnitentia in eadem Beatissima Virgine, vndecumque prouenerit in carentia peccati, cùm ad huius remissionem vnicè pœnitentia ordinetur. Secundò ea disparitas ideò non est bona, quia non est necessarium etiam per se vt qui ad Baptismum accedunt, habeant Originale, cùm possint adulti per contritionem priùs illud delere; & tamen adhuc sunt capaces Baptismi; per accidens autem est, quòd inter Christianos administretur hoc Sacramentum ante

22 Meliùs ergo idem Suarez ex Paludano argumentatur vrgendo ipsa verba Iacobi Apostoli vbi ait: *Et si in peccatis sit, remittentur ei* quibus hunc effectum non ponit absolutè, sed conditionatè: effectus autem primarius absolutè & per se debet conuenire Sacramento. Verùm & contra hanc rationem obiici potest ex eodem Baptismo, cui non absolutè, sed conditionatè conuenit remittere Originale, si illum inueniat in subiecto. Quidquid ergo de his omnibus argumentis sit, sufficiant quæ contra eam sententiam diximus paulò antè.

Tertia sententia variè à variis explicata.

Alij ergo dicunt communiter ordinari hoc Sacramentum ad tollendas reliquias peccati tam actualis quàm Originalis tam venialis quàm mortalis: sic D. Thomas, Albertus, Capreolus Antoninus, Soto, Ledesma, Viguera, Victor, Syluester, Armilla, & Carthusianus apud Suarez n.8. &, quod grauius est, Tridentinum expressè ita loquitur ea Sessione 14. cap.2.

Prima explicatio recitatur.

In hac tamen sententia explicanda magna est Auctorum dissensio; nam quidam eas reliquias dicunt esse peccata aliqua, quæ interdum relinquuntur in anima etiam quoad culpam post suscepta alia Sacramenta; siue quia per inaduertentiam omissa sunt, siue quia deinde sunt commissa; vnde dicunt sub eo nomine frequentiùs comprehendi venialia quàm mortalia. Hæc explicatio meo iudicio vix potest sustineri; quia peccata quæ per inaduertentiam sunt omissa in Sacramento Pœnitentiæ, censentur comprehensa in filo, si de mortalibus loquamur: quæ autem posteà committuntur, non possunt dici reliquiæ eius Sacramenti; & præterea per se requirunt nouum Sacramentum Pœnitentiæ. Quòd

23 si de venialibus loquamur, iam dixi non esse effectum primarium huius Sacramenti eorum remissionem. Adde, data hac remissione non debuisse dici ordinari ad reliquias Originalis tollendas; nam Baptismus perfectè & ex integro tollit omnes Originalis reliquias, quatenus culpæ Vnctionem. Ideò alij reliquias peccati intelligunt pœnam temporalem; verùm pro remissione huius pœnæ nullum ordinatur Sacramentum: alij intelligunt prauos habitus ad peccatum inclinantes; cuius sententiæ meo iudicio est etiam D. Thomas, quem pro altera sententia citat Suarez; ait enim per reliquias intelligi promitatem ad peccandum torporem & difficultatem ad bonum: hæc autem omnia formalissimè & fere vnicè prouenient à malis habitibus. Dixi *ferè vnicè*; quia ab ipso naturali appetitu habet homo multum de ea inclinatione. Hæc etiam sententia difficilis est eo ex capite, quòd Extrema Vnctio eos habitus nullo modo tollit.

Secunda explicatio reiecta Vti & tertia.

Primarius effectus Sacræ Vnctionis saltem partialis est impetrare auxilia alterna contra tentationes &c.

Dicendum ergo est Primò, effectum huius Sacramenti primarium saltem partialem esse impetrare auxilia actualia, quibus homo resistat tentationibus diaboli ea hora mortis occurrentibus; & vt patienter toleret morbi labores, ac vt natura vi infirmitatis debilitata confortetur ad actus bonos. Ita videtur expressè definire Tridentinum ea Sessione 14. in Proœmio de hoc Sacramento: nam licet non vtatur verbo *effectus primarius*; alt tamen in hoc Sacramento Christum instituisse firmissimum præsidium contra insidias diaboli, maximè circa horam mortis homines oppugnantis. Et idem tradit Colonienſe Concilium Par.7. cap.40. Hunc etiam habere sensum illa verba Iacobi, *Et alleuiabit eum Dominus*, est certissimum, quia ea confortatio est maximum leuamen infirmi.

Dices; Ergo hoc Sacramentum non deberet dari his qui sunt amentes; nam in his non habet locum hic primarius effectus: quo pacto argumentabatur Suarez contra præcedentes explicationes. Propter hanc obiectionem dixi ego suprà, illum hominem, qui est extra vsum rationis, & non potest probabiliter saltem iudicari, quòd anteà habuerit aliquod peccatum actuale, non esse capacem huius Sacramenti, esto aliquando habuerit vsum rationis: vti communiter dicunt Auctores, eum qui numquam eum vsum habuit, sicut & infantes, non esse illius capacem: quòd enim aliquando habuerit vsum rationis dummodò tunc non peccauerit, si illum nunc non habet, dixi esse planè per accidens pro capacitate præsenti eius effectus formalis. Addidi autem illam limitationem, *Nisi supponatur probabiliter aliquando peccasse*: cuius vlteriorem rationem eam esse dixi, quòd hoc Sacramentum habeat duos effectus primarios: vnus est, quem immediatè explicuimus: alter, delere peccata, si quæ sint: huius secundi est capax infirmus carens vsu rationis, esto non sit illius prioris. Et hinc respondetur argumento facto: ac tandem iuxta hunc sensum de effectu primario partiali possunt in bono sensu sustineri illæ sententiæ, quòd ordinetur hoc Sacramentum ad remissionem venialium, seu ad tollendas peccati reliquias: videturque id ex verbis formæ quibus conficitur, & ex sancto Iacobo colligi. Necessarium autem omnino iudico id admittere, alioquin obiectio à me suprà facta non facilè posset solui: ac proinde non puto in hoc puncto Patrem Suarium consequenter discurrere, dum priorem sententiam impugnat ex eo, quòd iuxta illam non deberet dari hoc Sacramentum ei, qui non peccauit venialiter: eò quòd Sacramentum non detur ei, qui non est capax illius effectus primarij: aliunde autem admittit illud administrari posse stultis, si habuerunt aliquando vsum rationis: iam autem ostendi talem etiam esse incapacem eius effectus adæquatè primarij, quem solum Suarez ponit. Vt ergo discurratur consequenter, debet duplex effectus partialis poni eo modo, quo nos diximus. Non ergo secundariò tantùm, sed etiam primariò, partialiter tamen ad hoc ordinatur. Suarez hunc effectum explicat per præparationem hominis ad gloriam remittendo peccata. Dixi paulò antè, Si de remissione venialis præcisè quoad culpam loquamur, id non habere locum sub ea ratione præparationis ad gloriam: quia per hoc Sacramentum non magis præparatur, cùm ea venialia, esto in hac vita non sint remissa, remittantur tamen in ipso instanti mortis quoad culpam: ergo ad ingressum in cælum nihil iuuat ea remissio. Debet ergo id intelligi vel ratione mortalis, vel ratione pœnæ temporalis; est ergo valdè probabile remitti per illud pœnam debitam, quæ maximè retardat ingressum. Pœnam dico, non totam, sed aliquid: quantum autem sit, solus Deus nouit. Dixi non ordinari ad remissionem venialium sub ea præcisè ratione, quâ impediunt ingressum in gloriam; nam absolutè ad eorum remissionem etiam quoad culpam ordinari, & quidem primariò, constat ex dictis: ad mortalium enim remissionem nequaquam potest dici ordinari primariò, nisi sub limitatione, de qua statim: si ergo ordinatur ad remissionem peccati primariò, & non mortalis, necessum est vt ordinetur ad remissionem venialis & quoad culpam & quoad pœnam. Neque incommodum est in hoc effectu illud conuenire cum pœnitentia, quia in partiali effectu, etiam primario, benè possunt duo Sacramenta inter se conuenire, licet in hoc ipso effectu detur diuersitas statim declaranda.

Alter effectus partialis primarius est delere peccata.

25

26

In partiali primario effectu possunt plura Sacramenta conuenire.

SECTIO IV.

An per accidens remittatur mortale per hoc Sacramentum.

27 SIT ergo secunda & præcipua huius materiæ difficultas, Vtrùm (iuxta immediatè dicta) aliquando per hoc Sacramentum remittantur mortalia. Si enim hoc concedatur, tunc intelligitur facilè, quomodo ordinetur ad disponendum animam pro ingressu in gloriam, qui maximè impeditur per mortale non dimissum. Pater Vasquez quæst. 87. art. 3. secutus Scotum, Bonauenturam, Richardum, & Durandum negat; nam licet nomine *peccatorum* videantur omnia significari, quia tamen nemo nisi viuus vngitur, viuus autem supponitur carere peccato mortali, & solùm habere venialia, non potest hoc Sacramentum ad mortalia extendi. Hæc tamen ratio videtur summè debilis: nam eodem modo dicerem, Nec per Baptismum remitti mortalia: quia tam nemo abluitur nisi viuus, quàm non vngitur nisi viuus: idem de absolutione Sacramentali, quia nemo loquitur propriè nisi cum viuo Respondeo ergo, Hoc Sacramentum supponere hominem viuum physicè: vnde de remissione mortalis nihil inde colligitur. Adde, esto per se supponatur viuus spiritualiter, non tamen ideò inferri, Non posse per accidens remittere mortalia, si quæ præter intentionem sint in eo homine.

28 Contraria ergo sententia affirmans, per hoc Sacramentum remitti mortalia, est communissima: eam tenet Suarez suprà, Coninch disp. 19. dub. 5. Tannerus de Extrema Vnctione quæst. 5. dub 2. Laymannus Tractatu 5. cap. 5. Gaspar Hurtadus difficultate 8. & eam supponit vt certam Diana, dum ait sæpè hoc Sacramentum esse necessarium ad salutem: videturque efficacissimè probari ex verbis Iacobi, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*: quia (vt benè hi Auctores probant) Primò nomine *peccati* & *peccatoris* absolutè intelliguntur mortalia: Secundò, quia diuus Iacobus ponit conditionalem illam, *Si in peccatis sit*, qua supponit non semper hominem esse in peccatis: at si loqueretur solùm de venialibus, cùm hæc iuxta Apostolum Ioannem etiam inueniantur in maximè iustis: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est*: & septies dicatur in die cadere iustus: non fuisset ita conditionaliter locutus. Denique verba ipsa formæ, *Quidquid deliquisti per visum, auditum*, &c. cùm vniuersalia sint, debent necessariò intelligi etiam de mortalibus.

Per Extremam Vnctionem dimittuntur aliquando mortalia.

1. Ioan. 1.

Nunc restat explicandum, An hæc remissio mortalium possit dici effectus primarius huius Sacramenti saltem partialis. Video multos id acriter negare, ac putare ita ab omnibus Doctoribus sentiri: imò vix id non dicunt esse contra fidem, eò quòd si hoc Sacramentum primariò ordinaretur ad eam remissionem, sequeretur, pro illo suscipiendo non requiri statum gratiæ, sicut non prærequiritur pro pœnitentia: hoc autem est falsum: ergo. Secundò, quia pœnitentia ordinatur ad eam remissionem primariò: ergo id non conuenit Extremæ Vnctioni: pro vno enim eodémque

29

demque effectu non ordinantur primariò duo ; Sacramenta. Nihilominùs puto optimo iure id posse concedi. Et sanè Tannerus & alij, qui maximè videntur contrarij, re ipsa id docent; licet verbis non videantur id audere fateri clare dicunt enim: Etsi non sit effectus primarius, valdè tamen ad illum accedere, esseque medium quid inter primarium & secundarium effectum. In quo autem ea ratio medij consistat, non explicant, neque ego facilè capere possum; ergo absolutè iudico esse primarium, partialem tamen. Ad argumenta autem in contrarium facilè respondeo, & verò ferè vnicâ responsione vtrique. Dico ergo; Etiamsi & Pœnitentia & Extrema Vnctio primariò ordinentur ad remissionem etiam mortalium, non continuò sequi, inter se conuenire, multò minùs quòd possit homo cum conscientia mortalis ad Extremam Vnctionem accedere, sicut accedit ad Pœnitentiam. Ratio disparitatis est clara; nam Pœnitentia ita ordinatur primariò ad eam remissionem, vt tamen Christus fuerit contentus, esto homo ad illam accedens agnosceret se adhuc esse in peccato mortali, seu adhuc non habere nisi attritionem de peccatis; Extremam Vnctionem verò ea ratione ipse primariò instituit ad remissionem etiam mortalium non quorumcumque, sed eorum quæ homo se habere non agnoscit, aut de quibus putat se habere contritionem, esto non habeat nisi solam attritionem. Et in hoc sensu potest sustineri ea sententia, quæ dicit Extremam Vnctionem ordinari ad reliquias peccatorum tam mortalium quam venialium: nam reuera ab illis mortalibus, quæ homo ignorat, aut de quibus putat per contritionem, aut per Pœnitentiæ Sacramentum se esse liberatum, interim tamen ex aliquo defectu inuincibiliter ignorat se ea habere: liber non est; ideoque iure merito dici possunt ea peccata reliquiæ peccatorum aliorum. Est ergo Extrema Vnctio ordinata à Christo primariò ad remittenda peccata, quæ homo ipse putat iam sibi remissa, aut quæ ignorat, dummodò de illis habeat attritionem. Pœnitentia verò ordinatur ad mortalia remittenda; etiamsi non cantur vt actu adhuc durantia. Hi autem duo fines valdè sunt inter se diuersi, vt ex terminis patet. Hinc autē facilè & clarè respondetur secundo argumento, quòd scilicet possit homo eam vnctionem accipere, esto agnosceret se esse in peccato; negamus enim sequelam; nam ex Christi institutione contrarium requiritur, vt scilicet accedat homo ad illud putans se iam esse in gratia; quòd si contrarium faciat, iam eo ipso peccabit grauiter. Vides quàm facilè non coincidendo cū Pœnitētia explicetur hic primarius finis partialis Extremæ Vnctionis.

Remissio mortalis potest dici effectus primarius partialis Extremæ Vnctionis.

30 Differentia inter Sacram Vnctionem & Pœnitentiā in ordine ad delenda mortalia.

Dices Primò : Quid est, cur tam sim solicitus ad probandum eam remissionem esse effectum primarium huius Sacramenti, cùm sufficiat eam illi tribuere quomodocumque siue primariò siue secundariò ? Respondeo Primò, Me id docere propter verba formæ huius Sacramenti; nam ex forma maximè colligitur eius effectus; hæc autem forma minimùm exigit, vt dicamus eam remissionem esse partialem primarium effectum, cùm in ea nihil aliud petatur quàm remissio peccati. Deinde, quia per hoc saluo id quod communiter docent Auctores, & ipsum Tridentinum, hoc Sacramentum ordinari ad tollendas reliquias peccatorum. Respondeo Secundò, Me suprà etiam ostendisse, non nisi hac doctrina tradita posse saluari duas illas alias doctrinas communes in hac materia ; quarum vna est, quòd nemo sit capax alicuius Sacramenti, nisi capax sit effectus primarij illius : altera est, quòd ille, de quo potest præsumi, quòd aliquando peccauerit, sit capax huius Sacramenti; qui autem semper caruit vsu rationis & pueri ante eumdem vsum non sint capaces Extremæ Vnctionis: suprà enim ostendi, in ordine ad effectum primarium excitationum ad resistendum diaboli tentationibus, non magis esse de facto capacem illum qui olim habuit vsum rationis, si illo actu caret, quàm si illum numquam habuisset; ergo si ea excitatio bonorum motuum est totalis effectus primarius huius Sacramenti, non magis erit capax illius, qui habuit olim vsum rationis, quàm qui numquam illum habuit, si de facto æqualiter illo ambo careant. Si autem dicamus hanc remissionem esse partialem effectum etiam primarium modo explicato, facilè assignamus differentiam; nam qui semper fuit stultus, non est capax vllius effectus formalis huius Sacramenti; non remissionis peccati, cùm nullum potuerit habere; non confirmationis ad resistendum diabolo, quia in stulto actuali id non habet locum. Secundus autem effectus habet locum: in eo qui olim habuit vsum rationis, & qui supponitur probabiliter habuisse peccatum, esto non habeat locum prior ille effectus Et idem est non solùm quoad stultos, sed quoad illos qui vi morbi iam non sunt capaces rationis, nam etiá hi de facto non sunt capaces eius prioris effectus; nisi fortè dicatur posse illos ad se redire, & tunc fore vt indigeāt talibus auxiliis. Quæ ratio in amentibus non videtur habere locum; quia naturaliter non possunt tunc ad se redire: vel certè si hoc in amentibus planè confirmatis, qui olim habuere vsum rationis, admittatur, potest admitti in his, qui semper eo caruerunt. nam ille vsus ante multos annos breui tempore durans non facit nunc magis naturalem reditum vsus rationis eo maximè tempore, quo alioquin vi morbi etiam in sapientissimis hominibus solet ille turbari.

31 Curia qui semper caruit vsu rationis, nō est capax Extremæ Vnctionis, si verò qui aliquādo eū habuit, licet dudum perdiderit.

Secundò dices, Eo modo quo diximus remissionem mortalium esse effectum primarium partialem huius Sacramenti, possumus idem dicere de omnibus aliis Sacramentis: nam iuxta sententiam probabiliorem, omnia illa possunt causare gratiam in homine, qui inuincibiliter illa suscipit cum sola attritione de mortali; in hoc enim solo casu illud remittet Extrema Vnctio, ergo nihil speciale de illa præ alijs Sacramentis dicimus Respondeo, Verissimum quidem esse, eo modo re ipsa remitti mortalia per Extremam Vnctionem, quo diximus probabiliter remitti per omnia alia Sacramenta: negamus tamen inde sequi quidquam contra nos: etenim differentiam non ponimus nos in modo diuerso remittendi, sed in intentione, quàm ordinauit Christus hoc Sacramentum ad eam remissionem: licet ergo non plus in vno quàm in altero requisierit, vnum tamen directè pro eo fine instituit, alia non, sed pro aliis, licet simul eis concesserit eamdem vim Et verò dissensio inter me & contrariam sententiam non est de modo remissionis, sed de ordinatione extrinseca Christi ad eam remissionem; ergo obiectio hæc, quæ solùm probat conuenientiam in modo remittendi, non verò in voluntate Christi, non est contra me. Explico id ex sententia multorum (quæ pro præsenti puncto admitti potest, etiamsi alioquin in se sit falsa) qui dicunt etiam pro valore Sacramenti Pœnitentiæ

33 Obiectio secunda.

Responsio. Qua sit differentia inter Extremā Vnctionem & alia Sacramenta viuorū in ordine ad remittenda mortalia.

31 Obiectio prima.

Responsio prima,

Secunda.

nitentiæ requiri contritionem saltem existimatam. Certè eo supposito pœnitentia non aliter re ipsa remitteret mortalia, quàm nos dicimus remitti per Extremam-Vnctionem, & per alia Sacramenta; non tamen ideò negandum esse Sacramentum Pœnitentiæ præ ceteris directè institutum ad remissionem mortalis: idem dicimus in præsenti. Colligimus autem eam intentionem Christi in Extrema Vnctione ex ipsis verbis formæ, quæ (vt suprà notaui ferè denotant vnicum primarium finem huius Sacramenti esse eam remissionem; ex forma autem Sacramenti rectissimè colligitur eius finis. Secundò idem constat ex verbis Iacobi, qui id ipsum satis insinuat; Tertiò ex modo loquendi ferè omnium, & quo etiam vtitur Tridentinum; quòd scilicet primariò ordinetur ad reliquias peccati tollendas, & ad præparandum hominem pro ingressu in cælum. Denique congruentia optima est, quia cetera Sacramenta viuorum conferuntur ante periculum mortis, & ex hoc capite non fuit necessarium illa ordinari ad supplendum defectum pœnitentiæ; quia semper post illa potest pœnitentia sumi: at Extrema Vnctio adhibetur quasi per se eo statu, in quo iam homo non potest rursus confiteri, ideoque est vltimum Sacramentorum. Expediens igitur fuit, vt Christus Dominus illud institueret eo fine, vt, si aliquod adhuc mortale latet cum sola attritione, illud remittatur per hoc Sacramentum; hoc autem est partialiter primariò illud ordinari ad hanc remissionem.

34 *Vnde colligatur Christum dixisse Sacrã Vnctionem à delicta peccata mortalia.*

35 *An reuiuiscat Sacra Vnctio recedente fictione.*

Nunc vlteriùs quæri posset, An hoc Sacramentum recedente fictione causet gratiam. Suppono illud posse valide suscipi, etiamsi peccaminosè suscipiatur, vtl cetera Sacramenta (excepta Pœnitentia;) à fortiori autem erit validum, si suscipiatur bona fide, esto homo non habeat attritionem necessariam ad eum effectum. In quo puncto differt Pœnitentia à ceteris Sacramentis, & consequenter ab hoc, quòd, vt diximus suo loco, non potest illa valide & infructuosè suscipi, ideoque in ea non est locus reuiuiscentiæ; quod enim numquam extirit non potest reuiuiscere; at in ceteris, quia valida fuêre, potest esse etiam locus: vt de eis dubitetur, an causent postea suum effectum. Vniuersaliter Tomo præcedente docui Primò in Baptismo id esse ferè certum ex communi sensu Theologorum, ex Augustino. Secundò in his Sacramentis, quæ imprimunt characterem, esse probabile: in quo puncto licet non ita conueniant Auctores sicut in præcedenti, multi tamen conueniunt; in his verò, quæ non imprimunt, non esse id adeò probabile; quia adhuc pauciores pro ea sententia stant esse tamen absolutè probabile. Vno verbo, vniuersaliter in omnibus id esse dicendum ibidem ostendi. In Extrema autem Vnctione, quia non potest durante eo periculo repeti, & eius effectus est valdè necessarius, tunc aliqui, etiam ex his qui eam reuiuiscentiam alijs Sacramentis negant, concedunt huic. Vtrùm autem ea ratio, quòd iterari nequeant, bona sit necnè, ibidem discussi. Vide ibi dicta.

SECTIO V.

De tempore, quo causatur effectus huius Sacramenti; & quid de sanitate temporali.

CIRCA primum punctum, quando hoc Sacramentum caussat suum effectum, dico pendere solutionem ab his quæ dicta sunt suprà circa necessitatem vnctionum: si enim concedatur in vnaquaque vnctione consistere totam essentiam Sacramenti, tunc omnino erit dicendum positâ primâ vnctione conferri gratiam; si verò dicatur omnes quinque esse essentialiter requisitas, tunc absolutâ vltimâ caussabitur ille effectus. Ratio autem generalis est, quia effectus Sacramenti tunc causatur, quando illud perficitur essentialiter; an autem in instanti, an in tempore, quæstio est generalis omnibus Sacramentis in vsu consistentibus, de qua suo loco. Illud tamen nunc potest inquiri, An si admittamus essentialiter perfici hoc Sacramentum vna vnctione, ideoque gratia statim conferatur per primam vnctionem, sit nihilominus admittendum per quamlibet vnctionem ex sequentibus conferri nouam gratiam, an tantùm per primam. Est autem ratio dubitandi ex vtraque parte; nam quòd non debeat conferri probat instantia è Sacramentò Eucharistiæ, in quo diximus non conferri gratiam nisi per vnam speciem; nec videtur huic Sacramento maior virtus tribuenda quàm Eucharistiæ. Ex alia verò parte in Ordinis Sacramento, quod constat partibus integrantibus, datur diuersa gratia in Subdiaconatu, Diaconatu, &c. ergo & in hoc. Respondeo, Omnibus pensatis apud me maiorem vim habere primam instantiam ex Eucharistia, ideóque non debere admitti, per has diuersas vnctiones conferri diuersam gratiam habitualem: etenim omnes hæ constituunt in toto rigore vnum numero Sacramentum non minùs quàm species binæ Eucharisticæ; licet autem videantur diuersam significare remissionem peccatorum, iuxta diuersos hominis sensus, per quos peccatur, & iuxta diuersas eas formæ precationes; quia tamen non constat esse necessarias etiam pro integritate eas diuersas partes, esto vnctiones ipsæ sint de integritate; (fortè enim integerrimum erit Sacramentum, si solùm dicatur in omnibus illis, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*; nihil explicando in particulari de sensibus; (in Eucharistia autem certissimum sit ad integritatem illius esse necessarias diuersas species, & diuersas formas, maior adhuc vnitas est in Extrema Vnctione quàm in Euchatistia. Idem Secundò constat; nam remissio mortalium licet significetur particulariter per diuersa verba, re ipsa tamen non conceditur nisi indiuisibiliter; ergo non est maior ratio, sed fortasse minor, vt Extremæ Vnctioni tribuatur duplex effectus gratiæ, vnus vni Vnctioni, alter alteri, quàm vt id concedamus Eucharistiæ. Quod obiicebatur ex Sacramento Ordinis non vrget; nam ita Ordines illi distincti integrant illud Sacramentum, vt tamen quilibet possit independenter ab alio concedi, vti re ipsa maiores Ordines conceduntur; at in Extrema Vnctione omnes simul & per modum vnius administrantur: in ordine etiam ad munia, quæ respiciunt illi Ordines, habent longè maiorem independentiam inter se quàm partiales vctiones, quæ

36

37 *Probabilius est nõ cõferri per singulas Vnctiones partiales gratias, itaut qualibet vnctio seorsim producat suã gratiam.*

vnicè hoc respiciunt, vt hominem confortent horâ mortis, & ei peccata remittant. Non est ergo cur datâ eâ sententiâ tribuatur cuilibet vnctioni diuersa causalitas gratiæ, sicut tribuitur cuilibet Ordini.

38 *Nō est in potestate Ministri differre pro arbitrio effectū Sacræ Vnctionis sicut nec aliorū Sacramentorum.*

Circa quod denique aduerte, si dicamus quamlibet vnctionem esse essentialiter Sacramentum, non fore tunc in potestate Sacerdotis illud administrantis differre eum effectum gratiæ ad vltimam vnctionem, vt nonnulli minùs benè dixerunt, casu quo quis vellet adhibere etiam sextam & septimam vnctionem, tunc scilicet non conferendam gratiam post illas quinque, sed primùm post septimam. Aduerte inquam, hoc minus benè dici; nam, vt sæpè notaui, non est in potestate Ministri conficientis Sacramentum differre illius effectum vltra punctum, quo illud essentialiter conficitur. Cùm ergo in omnium sententia Extrema Vnctio essentialiter conficiatur per solas quinque vnctiones, non erit in potestate administrantis differre effectum gratiæ ad sextam vel septimam; idem autem erit dicendum, si admittamus neque omnes illas quinque esse necessarias essentialiter, sed sufficere vnam solam. Ratio à priori est, quia licet valor Sacramenti quoad substantiam suam pendeat ab intento Ministri, ideóque, nisi hic velit conficere Sacramentum, seu facere quod facit Ecclesia, nullum Sacramentum conficiatur; si tamen semel valide illud conficiat, non requiritur amplius vlla ipsius intentio circa effectum Sacramenti.

39 *Obiicitur.*

Dices: Ergo poterit saltem hoc modo differre effectum ad vltimam vnctionem, si dicat, *Nolo conficere Sacramentum vsque ad vltimam*: tunc enim Sacramentum non conficietur antè, & consequenter neque causabitur effectus. Sed contrà, quia vel priorem vnctionem applicat cum debita intentione faciendi per eam quidquid fieri potest, vel non: si explicat, tunc neque ipsum valorem seu substantiam Sacramenti potest differre vlteriùs, quia posuit materiam & formam sufficientem cum debita intentione; ergo non potest impedire essentiam Sacramenti; vti si proferat verba consecrationis specierum panis cum debita intentione faciendi quidquid potest per ea fieri, seu quod per ea facit Christus, aut quod facit Ecclesia, non potest impedire, quò minùs statim ponatur Christus, & sit ibi verum Sacramentum essentialiter loquendo: quòd si non habeat intentionem faciendi per eam primam vnctionem eiusque formam id quod Christus fieri voluit, tunc concedo non dandum effectum nisi in fine: at tunc temporis ea prior vnctio non erit pars Sacramenti, sed plane perinde se habebit ac si adhibita non fuisset; vnde eo casu in rigore non erit nisi vna vnctio, illa scilicet vltima, in qua sola consistit Sacramentum. Et hæc de proprio effectu huius Sacramenti; nam per illud causari gratiam habitualem, sicut per cetera Sacramenta, certum est; nec in eo puncto aliquid singulare occurrit dicendum.

Solvitur.

40 *Sanitas corporis nō est infallibilis effectus Extremæ Vnctionis.*

Restat tunc corporalis effectus, nempe sanitas corporis, circa quam in primis certum est illam non esse certum & infallibilem effectum, alioquin nullus, qui hoc Sacramentum acciperet, posset mori, si semper reciperet sanitatem. Secundò certum est eam aliquando conferri per hoc Sacramentum; id enim requirunt verba Apostoli Iacobi. Ex his autem oritur difficultas grauis, sub quibus scilicet conditionibus intelligendus sit causari hic effectus; si enim dixerimus (vt multi insinuant) solùm causari quando ea sanitas expedit spirituali bono infirmi, tunc in contrarium est, quòd multi sanantur, quibus expediuisset tunc mori. Secundò (vt benè Suarez obiicit) si contingeret quòd Deus in aliquo præuideret semper eum futurum meliorem, teneretur semper illi conferre sanitatem, ideóque numquam posset talis mori, nisi morbus grauis illum extingueret, antequam possit ei applicari Extrema-Vnctio. Tertiò, aliquando posset expedire ea sanitas bono spirituali, & tamen vis morbi tanta est, vt sine miraculo homo sanari non possit; non videtur autem credibile, effectum infallibilem Sacramenti esse actionem eam miraculosam. Quòd si propterea dicatur cum Soto effectum huius Sacramenti non esse nisi auxilium quoddam ad sanitatem recuperandam; quod quia non semper est tantum quantum re ipsa ad eam sanitatem requiritur, ideò eam actu non semper confert, facilè hoc ipsum reiicietur cum Suarez cit. disput. 41. sect. 3. quia non potest dici vniuersaliter dari tale auxilium, cùm sæpè infirmo expediat tunc mori; non est autem probabile per Sacramentum conferri id quod est animæ contrarium, cùm Sacramenta directè ordinentur ad bonum animæ. Addo ego, non posse facilè explicari quid intelligat Sotus per auxilium ad vincendum morbum; an auxilium ad actus ipsos hominis; hoc autem non potest esse infallibile, cùm homo sæpè tam vi morbi sit penitus extra se: nec potest dici auxilium illud esse aliquam qualitatem physicam contrariam morbo, quia id iam esset recurrere ad miracula, quæ hic Auctor maximè fugit; qualitas enim naturalis quomodo tunc naturaliter in eo infirmo à solo Deo produceretur?

41

Quādo sanitas est nociua bono spirituali, nō consequitur ab Extrema Vnctione.

Dicendum ergo est vno verbo cum communi, Hunc effectum Primò non esse quando sanitas est nociua bono spirituali. Neque hoc impugnatur, eò quòd multi conualescant, quibus melius fuisset tunc mori; etenim non constat nobis illam conualescentiam fuisse tunc ratione Sacramenti, & non per alias causas naturales. Adde, forsasse de præsenti profuisse bono animæ, etiamsi deinde suo vitio id ipse homo corruperit. Non est autem necessum vt vtilitas spiritualis, quam afferunt Sacramenta, sit perpetua; alioquin, qui semel fructuosè Eucharistiam aliúdve Sacramentum suscepisset, non posset malè finire.

42 *Confert Sacra Vnctio auxilia ad patienter ferendos dolores morbi, cùm suscipitur integris sensibus.*

Secundò dicendum est, In omnibus, qui sunt sibi præsentes, causari infallibile auxilium ad tolerandum alacriùs vim morbi, ac proinde ad alacritatem aliquam, quâ vis morbi leuior reddatur etiam physicè. Aduertendum tamen, quod vniuersaliter de omnibus Sacramentis docui, non semper ea specialia & efficacia auxilia, quæ per Sacramenta conferuntur, esse efficacia, alioquin nullus, post susceptam v.g Confirmationem, posset negare Christi fidem, nullus in matrimonio eius onera iniquè ferret, &c. quòd si ea auxilia efficacia non sint semper, consequenter non est necessum, vt actus illi boni, ad quos ea Sacramenta ordinantur, reperiantur de facto in his qui ea suscipiunt. Vnde nec necessum est, vt semper post susceptam Extremam Vnctionem sequatur ea lætitia, quâ morbus reddatur leuior. Ratio ergo auxiliorum est infallibilis Sacramen-

to, ipsi autem actus hominis, qui liberi sunt, non sunt infallibiles.

Sanitas corporis sub cõditione, quòd sit vtilis causatur ab Extremo Vnctione.

Tertiò dicendum est, Sanitatem ipsam corporis concedi sub conditione, quòd ea sit infirmo vtilis iuxta varias consideraciones, quas Deus habet, & nobis sunt occultæ; & propterea non possumus eas determinate, aut dicere certò, quando est conferenda sanitas per hoc Sacramentum. Neque id impugnatur ratione suprà facta, quasi inde sequeretur non posse aliquos mori post susceptum hoc Sacramentum, eò quòd illi semper sint meliores futuri si viuant. Respondetur enim in primis, Hoc ipsum esse incertum, an sint futuri meliores. Secundò, esto essent futuri meliores, forsasse cum alicuius imperfectionis grauis interuentu, ob quam vitandam Deus illis non vult dare hõc oré vitã Deinde potest Deus etiam ad aliorum vtilitatem spiritualem attendere, ob quam omnibus pẽsatis expediat hos mori.

Nullũ extat præceptum de suscipienda Extrema Vnctione.

Dicendum tamen est cum communi sententia, nullum esse præceptum de hoc Sacramento: ita D. Thomas in 4. distinct. 23. art. 1. quæst. 3. ad 1. Paludanus, Dominicus Sotus, Supplementum Gabrielis, Sylvester, Nauarrus, Caietanus, Armilla, Victoria, Richardus, & Couarruuias, quos refert & sequitur Suarez: idem etiam docet Diana eo Tractatu 3. resolut. 47. & Tannerus disput. 7. quæst. 1. dub. 3. referens Valentiam & Henriquez: idem etiam tenet Gaspar Hurtadus difficult. 11. Ratio autem est, quia de tali præcepto nulla est in iure Canonico mentio, neque ex consuetudine inducta est ea obligatio, non ergo debet admitti. Vnde concludit Diana ibi, Absoluendum esse moribundum, esto nolit hoc Sacramentum recipere; quia si non teneatur sub mortali, cur ei nolenti illud accipere negabitur absolutio, perinde ac si peccaret mortalite? Hoc tamen negari non potest, cum hoc Sacramentum nullam in sui susceptione difficultatem habeat, nullum anexum distinctum onus, difficillimum esse infirmum sibi præsentem, & monitum de hoc Sacramento, qui tamen illud recipere nollet, non peccare; eo enim ipso illud contemnere videretur: & sanè præsentibus esset maxima occasio scandali; quod benè notauit Ludouicus de Sancto Ioanne apud Dianam ibi: in toto tamen rigore illud nolle accipere, seclusis aliis circumstantiis, non est mortale; imò cum nullum sit præceptum, nec etiam erit veniale.

Vix potest excusari à peccato, qui sanis sẽsibus nõvult suscipere Sacrã Vnctionẽ, si sciat se esse in periculo mortis.

Circa quod addendum præterea, non esse obligationem præmittendi Eucharistiam, licet id communiter fiat. De Sacramento verò Pœnitentiæ iam diximus non esse necessum illud præmittere; nam licet Extrema Vnctio non debeat suscipi cum conscientia mortalis, potest in primis homo catere mortali; & tunc non obligabitur ad præmittendam confessionem, potest etiam elicere actum contritionis, & id sufficiet vti pro aliis Sacramentis: sola enim Eucharistia requirit præmitti confessionem ab his qui conscientiam habent mortalis. Et hæc nobis de Sacramento Extremæ Vnctionis sufficiant.

Nõ est obligatio præmittẽdi Eucharistiã ante Sacrã Vnctionẽ.

SECTIO VI.

De præcepto huius Sacramenti.

43 CIRCA hoc præceptum vix alia est difficultas quàm, Vtrùm sit obligatio illud sumendi, ita vt, qui voluntariè illud negligit, peccet mortaliter, etiamsi id non faciat ex vllo contemptu. Affirmat Petrus Soto apud Suarez disput. 44. sect. 1. apud Dianam verò etiam Scotus, Richardus & VValdensis videntur idem sentire: eos saltem ideò Diana pro ea sententia inducit, quia putant Sacramentum Confirmationis esse sub obligatione; & quia eadem videtur esse ratio de Extrema Vnctione; Ludouicus autem Turrianus apud eumdem probabile iudicat dari talem obligationem circa Extremam Vnctionem: videturque hæc fuisse sententia Magistri in 4. distinct. 23. vbi ait esse peccatum illam omittere vel ex contemptu, vel ex negligentia; & comparat obligationem illam suscipiendi obligationi sumendæ Eucharistiæ; idque insinuant & Concilium Colonense anni 1536. Par. 7. cap. 5. & Senonense in decretis Fidei, decreto decimo.

DISPVTATIO LV.

De Ordine, an sit Sacramentum; & quot habeat partes.

1 CIRCA Sacramentum Ordinis vix aliquid occurrit vlla speculatione dignum; sed fere omnia sunt cõtrouersistica, vel certè ex pura auctoritate aut coniecturis aliquibus dependentia ideò me ab illis breuiùs expediam. Nomine autẽ Ordinis intelligimus in præsenti consecrationem qua aliquis specialiter incipit destinari ad Sacramentum Altaris conficiendum; id quod ex dicendis magis declarabitur.

SECTIO I.

Ordo est Sacramentum à Christo Domino institutum.

2 NOSTRI temporis hæretici omnium primi inceperunt negare, Ordinem esse verum Sacramentum; non tamen in eo omnes conuenêre; nam Caluinus & Melanchthon (teste Bellarmino de hoc Sacramento cap. 1. & Tannero disput. 7. quæst. 1.) num. 1. senserunt contrarium. Quidquid verò ea de re sit, Catholica & certa doctrina docet esse verum & proprium Sacramentum; & ita est à Tridentino, expressè definitum Sessione 23. capite & Canone 3. Insinuatur autem ea veritas in Scriptura 1. ad Timoth. 4. & 2. ad eumdem cap. 1. vbi Paulus hortatur eum ne negligat gratiam sibi datam per impositionem manuum Presbyterii; & ne alicui citò manus imponat; hoc est, ne Ordines sacros ei conferat. Idipsum ex variis antiquioribus Conciliis & Patribus fusè deducit Bellarminus cap. 2. & 3. & ex eo breuiter Tannerus; fusè autem Vasquez Tomo 3. in 3. Par. disput. 232. per totam. Nobis sufficiat vnum adducere Augustini

gustini locum, quo eam veritatem indubitatam esse in Ecclesia docet: libro ergo 2. contra Parmenionem cap. 13. ait: *Ipsi Donatista explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti: & Sacramentum ordinati possit amitti: si enim vtrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud*, &c. Nota ea verba, *quod nemo dubitat*, ergo totius Ecclesiæ sensus tunc fuit Ordinem esse Sacramentum. Cui ergo nunc credendum est magis, vni hæretico id neganti sine vllo penitus positiuo argumento, sed solùm eò quòd in Scriptura non dicatur expressè illud esse Sacramentum; an Augustino & toti Ecclesiæ ea de re nec quidem dubitanti? Certè cùm hæretici admittant Baptismum esse Sacramentum, esto Scriptura nihil dicat de ratione Sacramenti, vel de caussalitate gratiæ, non video quâ fronte negare possint Ordinem esse Sacramentum.

Ordinem esse Sacramentū, indubitatum esse apud omnes asseruit iam olim S. Augustinus.

Quando institutum sit Sacramentum Ordinis.

Circa tempus verò, quo illud à Christo Domino est institutum, ferè omnes conueniunt (vt videre est apud Tannerum suprà) partim in cœna, partim post resurrectionem: hoc tamen vltimum intelligendum videtur de Ordine, quatenus dicit potestatem absoluendi à peccatis; de qua primò fit mentio post resurrectionem quoad potestatem enim conficiendi Corpus & Sanguinem omnino in cœna Apostolos fecit Sacerdotes, dum eis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: vtrùm autem tunc alios Ordines, Diaconatum, Subdiaconatum, &c. instituerit, res est dubia: ex vna enim parte ibi non fit vlla mentio illorum; nec id omisisset Euangelista, si tunc Christus quidquam ea de re dixisset; ex altera verò parte cùm Sacerdotium præsupponat, per se loquendo, omnes alios minores Ordines, non videtur Christus illud dedisse ante ceteros. De Episcopatu, facilius est credere primò post resurrectionem fuisse institutum. 3 Verum res est parui momenti, & valdè incerta. Mihi in re dubia probabilius videtur eos omnes, excepto Sacerdotio, fuisse illi primò post Resurrectionem declaratos & collatos. Neque mirandum est, si ipse Christus tunc potestate sua, quâ instituit Sacramenta, vsus, mutauerit aliquo modo ordinem temporis in ea collatione, cùm non fuerit tunc in cœna occasio conferendi tunc alios Ordines, sicut fuit pro Presbyteratu: & fortasse voluit hoc ipso ostendere, eos priores Ordines non esse essentialiter requisitos ad susceptionem Sacerdotij. Quòd autem non fuerit tunc vsus Christus Dominus vlla speciali cæremonia in collatione Sacerdotij, non probat, vt obiicit Kemnitius, non fuisse Sacramentum: potuit enim ex ea potestate, quam habebat ad instituenda Sacramenta & designandas materias solis illis verbis illud conficere. Adde, interuenisse traditionem calicis & hostiæ. Vtrùm autem colligatur eam traditionem esse essentialem materiam, dicam infrà explicando materiam singulorum Ordinum.

SECTIO II.

Quot sint Ordines qui sint vera Sacramenta.

Vpposita certa doctrina contra hæreticos, controuertitur inter Catholicos, qui Ordines sint verum Sacramentum: pro quo supponendum nouem esse, de quibus hæc quæstio potest agitari: prima tonsura, quatuor minores Ordines, tres maiores & Episcopatus.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de prima tonsura & quatuor minoribus Ordinibus.

VT ergo à minoribus incipiamus, Primò dubitatur, an prima tonsura sit Sacramentum. Affirmant Angelus, Maior, Panormitanus, Ancharemus, & Echius apud Tannerum disp. 7. num. 20. Communis tamen sententia oppositum docet; pro qua idem Tannerus citat Magistrum, D. Thomam, Bonauenturam, Richardum, Durandum, Paludanum, Gabrielem, Antisiodorensem, vtrumque Sotum, Vasquez, Valentiam & Henriquez. Idem tenet Gaspar Hurtadus difficul. 9. vbi pro contraria præter citatos refert Ayalam. Probatur autem Primò, quia nec in Pontificali ea tonsura vocatur Ordo, neque Tridentinum ea Sessione cap. 2. dum enumerat distinctè & ex professo Ordines Ecclesiasticos, ponit primam tonsuram: vnde etiam ab omnibus doctis & indoctis semper condistinguitur ab Ordine: & solùm dicitur prima tonsura: deinde alij quatuor dicuntur Ordines minores: alioquin debuisset absolutè dici quinque minores ordines. Rationem aliqui assignant: quia per illam non euehitur quis supra vllum clericum, sed est quasi fundamentum, supra quod alij Ordines cadunt. Mihi tamen hæc ratio non placet, quia si Ecclesia hanc tonsuram non instituisset, tunc primus ex quatuor minoribus Ordinibus non discerneret Ecclesiasticos inter se, neque esset gradus, sed quasi fundamentum: & tamen esset Sacramentum etiam tunc: ergo ex hac ratione nihil colligitur. Dixi sæpè, in his rebus, quæ pendent à sola Christi voluntate, non esse multùm de rationibus agendum. Non est ergo aliter hæc certa sententia probanda quàm ex communi sensu, & quòd nullum penitus habeamus fundamentum ad dicendum illam esse à Christo institutam, sed potiùs pro contrario: quandoquidem à Conciliis omittitur, dum Ordines numerantur. 4

Prima tonsura non est Ordo.

Secundò ergo quæritur circa ipsos quatuor minores Ordines, An sint verum Sacramentum. Hac de re fusè agit Pater Vasquez disp. 237. per totam, cap. autem 2. & 3. totus est, vt probet eos non esse Sacramenta, neque à Christo Domino institutos, sed ab Ecclesia. Fundamentum autem illius est, quòd non videatur esse sufficiens ratio ad dicendum esse Sacramenta: qua sola ratione nos immediatè antè reiecimus primam tonsuram à ratione Sacramenti. Id autem probat Primò, quia ab initio Ecclesiæ non fuit mentio facta Acolythorum & Exorcistarum: nam licet Exorcistæ fiat mentio, non tamen quatenus est Ordo, sed quatenus includebat gratiam gratis datam eiiciendi dæmones. Secundò, quia è contrario olim fuère inter Ordines numerati Cantores & Fossores: quos vltimos nunc vocamus Vespillones: qui tamen re ipsa non sunt Sacramenta, & de facto non computantur inter Ordines: imò hoc vltimum officium exercent homines vilissimi. Si autè nomine *Ordinum* intelligeremus semper eos tantū, qui vera sunt Sacramenta à Christo Domino instituta, nulla eorum mutatio in Ecclesia successu temporis esset facta. Alia verò argumenta minoris momenti, quæ pro eadem sententia à nonnullis adducuntur, ibidem reiicit idem Vasquez: citat autem pro sua Magistrum, 5

An quatuor minores Ordines sint Sacramenta.

fundamentum ; vt decideret eos Ordines esse Sacramentum ; & in confirmationem adducit, quòd dum Tridentinum eo canone 6. dixit *esse in Ecclesia ex divina institutione Hierarchiam*, solùm nominauit Ministros, per *Ministros* intelligens Diaconos; atque se non dubitare ceteros Ordines consultò prætermissos ; quòd nullum fundamentum haberet ad damnandum eos, qui dicerent Hierarchiam iure diuino illis non constare. Hæc solutio nullo nixa est fundamento, imò (vt paulò antè dixi) ex eo loco desumitur valde efficax pro nobis argumentum. Cùm enim Concilium anteà nomine *Ministrorum* expressè posuerit omnes sex Ordines, ego non capio quo fundamento Vasquez dicat, per vocem illam *Ministros* solùm intelligi à Tridentino Diaconum & Subdiaconum, & non potiùs omnes illos, quos antea idem Concilium intellexerat; debuitque hic Auctor afferre valdè efficax fundamentum positiuum pro eâ æquiuoca vsurpatione vocis illius. Nam dicere, *Ego non dubito*, nullo modo sufficit ; nos enim maioti sanè iure dicimus, Nos non dubitamus, quin idem intellexerit Concilium in vtroque loco per illam eamdem vocem: cùm nec minimum signum posuerit, ex quo colligatur eius limitatio. Et sanè nemo potest dubitare magis esse fundatam hanc
11 nostram non dubitationem, quàm illa sit. Sed iam ad ipsius argumenta soluenda veniamus. Ad primum, quo dicitur ab initio Ecclesiæ non fuisse omnes hos nominatos, iam dixi contrarium expressè & expressissimè à Tridentino doceri. Secundò dico, Esto non fuerint nominati, sicut nec est nominatus Subdiaconatus (ipso Vasquez teste) non ideò quidquam inferri in contrarium; vti nihil infertur contra Subdiaconatum. Quam solutionem optimè tradidit Tannetus suprà. Quòd item Cantores & Fossores, seu Vespillones, aliquando fuerint nominati Ordines, non vrget; quia potuit illa vox *Ordo* tunc latiùs vsurpari. Fortasse Cantores vocabantur Acolythi, quatenus hi respondebant Sacerdoti celebranti, quia frequenter Sacrum fiebat cantando; & ideò etiam fortasse non fuit ab initio facta mentio distincta Acolythorum. Quod item dicit Exorcistas non significare nisi habentes donum pellendi dæmones, afferitur ab ipso, non probatur; potuit ergo aliquando pro vno, aliquando pro altero vsurpari. Constet igitur, si non omnino certum, longè saltem probabilius esse, eos etiam quatuor Ordines esse verum Sacramentum à Christo institutum.

SVBSECTIO II.

Quid de tribus maioribus.

12 INter quos infimus est Subdiaconatus ; de quo etsi aliqui dissentiant (vti & de Diaconatu Caietanus & Durandus) quos refert Vasquez disput. 248. cap. 5. nihilominùs à fortiori ex dictis de quatuor minoribus Ordinibus constat vtrumque illum esse verum Sacramentum; & præter Auctores, qui de quatuor minoribus Ordinibus id dixerunt in Subdiaconatu id docet Vasquez cap. 2. citans etiam Michaëlem Medinam. Hinc à fortiori colligitur Diaconatum esse verum Sacramentum; id quod Vasquez adeò fortiter affirmat, vt planè putet esse de fide, eò quòd citato canone 6. Tridentinum dixerit Hierarchiam ex Presbyteris & Ministris esse de iure diuino ; ad minimum autem nomine *Ministrorum* intelligi debent Diaconi & Subdiaconi. Vnde ibi mitatut viros non vulgatiter doctos aut decretum Concilij Tridentini non legisse, aut planè non intellexisse. Hæc tamen occatio admirationis non est adeò solida, vt benè notat Pater Tannetus num. 40. qui ait ex hoc loco nihil certi de fide colligi; quia aliud est, quòd ex diuina institutione Subdiaconatus pertineat ad Hierarchiam Ecclesiasticam; id quod ibi Concilium docet; aliud verò, quòd ille sit Sacramentum verum ; alioquin, inquit Tannetus, cùm constet certò Episcopatum esse de iure diuino, deberet etiam inferri de fide illum, prout à Sacerdotio distinguitur, esse verum Sacramentum; quod tamen non est certum. Meliorem potuisset instantiam adhibere Tannetus in Papatu, qui sine dubio est de iure diuino, & tamen non est vllo modo speciale Sacramentum, vt omnes omnino sentiunt sine vlla ratione dubitandi; & idem posset etiam dici de officio Parochorum, quod iuxta multos est de iure diuino.

Vbi tamen obiter fortasse contra nos obijcies; 13 *Obiectio.*
Ergo non benè sumus argumentati supra, dum ex eodem canone voluimus probare, quatuor minores Ordines esse verè Sacramenta, quia de iure diuino pertinent ad Ecclesiasticam Hierarchiam. *Soluitur Primo.* Respondeo in primis, Nos non voluisse ibi dicere, id esse de fide, sed longè probabilius; hanc autem maiorem probabilitatem etiam Tannerus & nos admittimus colligi ex eo loco ; solúmque contra Vasquez dicimus id non esse de fide. *Secundò.* Secundò respondeo ibi ex præcedentibus, in quibus Tridentinum absolutè sub Sacramento Ordinis sine distinctione enumerat eos quatuor Ordines, & addiderat posteà eos esse de iure diuino, satis probabiliter inferri, voluisse dicere, illos etiam esse Sacramentum ; quod argumentum à fortioti probat de Subdiaconatu. Quidquid verò sit, vtrùm ex eo loco res sit de fide, certè temeratium mihi nunc videretur illud negare, maximè ob Florentinum; & quia (vt paulò antè dictum est) in illa doctrina capitum valdè clarè Subdiaconatus à Tridentino sub nomine Sacramenti comprehenditur. *Temerarium esse negare Subdiaconatum & Diaconatum esse Sacramenta.*

Contra hanc sententiam aliqua obijcit Durandus minoris momenti, quæ fusè discutit Vasquez eo loco ; vt ; quòd sequeretur esse plura quàm septem Sacramenta. Verùm de hoc nos infra. Secundò quòd, Diaconatus, & à fortiori Subdiaconatus, & alij Ordines tantùm sint per modum cæremoniarum in ordine ad Sacerdotium. Verùm hoc quâ facilitate dicitur, eâdem negatur. Tertiò, quòd potestas Ordinis vt est Sacramentum, debet esse ad conficienda Sacramenta, & ad id, quod nec validè potest fieri sine eo Ordine ; atqui Diaconatus & Subdiaconatus nullam talem dant potestatem; ergo. Rectè Vasquez falsitatem eius maioris propositionis ostendit ex Sacramento Confirmationis, in quo imprimitur Character; & tamen non est necessarius ad validè vlla conficienda Sacramenta, imò neque ad vllam aliam actionem Sacram, sed ordinatur ad resistendum Tyranno; id quod & validè & licitè sine eo Sacramento potest fieri. Quartò quòd Anacletus Papa epistola 3. cap. 1. nominatim Episcopis & Presbyteris dicat, *Amplius quàm isti duo Ordines Sacerdotum nec nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt.* 14
Respondetur tamen communiter, Ibi Pontificem

de Sacerdotum Ordinibus agere; agebat enim contra Chorepiscopos, qui quasi tertium genus Sacerdotum constituere putabantur. Hæc quidem argumenta vniuersaliter sunt contra alios Ordines; specialiter autem contra Diaconatum & Subdiaconatum obijci potest, quia si essent vera Sacramenta, haberent certam materiam à Christo præfixam sicut alia Sacramenta; atqui eam non habent; nam olim pro Diaconato videbatur esse manuum impositio (vt ex Concilio Cathaginensi IV. cap. 4. constat;) in Concilio autem Florentino ponitur traditio libri Euangeliorum. Deinde non est vlla in Scriptura mentio eorum Ordinum; nam Diaconi illi, de quibus in Actis Apostolorum est sermo, non ad ministerium, ad quod nostri ordinantur, sed ad assistendum mensis designati sunt. De obiectione circa formam huius Sacramenti multa dixi Tomo 7. & infrà in propria sectione rursus agetur. Quod de Scriptura dicitur non obest, quia etiam in eâ non fit vlla mentio, quòd matrimonium sit Sacramentum; & tamen non ideò Durandus dicet illud non esse Sacramentum. Idem patet in Confirmatione, de qua multò minor mentio fit in eâdem Scriptura. Ratio est inter Catholicos clara, quia per traditionem multa vt de fide constant, in quibus in Scriptura nihil habetur. Secundò respondetur, magnam adhuc esse disceptationem, vtrùm eo loco Actorum non sit sermo de Diaconatu, quatenus est Sacramentum; multi enim graues Auctores id affirmant; quia ratione eius electionis semper tota Ecclesia sanctum Stephanum vt verum Diaconum eo sensu agnouit, quo nunc Diaconi vsurpantur: fortasse enim *ministrare mensis* vsurpatur ibi pro ministratione etiam Venerabilis Sacramenti. Quidquid tamen de hoc sit (negant enim alij non pauci idipsum, esto fateantur vel simul tempore, vel paulò pòst illos septem fuisse constitutos Diaconos veros) negari certè non potest frequentem esse mentionem Diaconorum: & quidem cùm ordinatiè coniungantur Episcopis & Presbyteris, vt ad Philip. 1. & 5. ad Tim. 3. bis formatur duplex argumentum valdè efficax. Primùm, quia si Diaconi non spectarent ad Sacerdotium, prout nunc spectant, sed tantùm essent quasi procuratores aut dispensatores temporales, profectò nulla esset ratio eos cum Episcopis iungendi. Secundum, cum eo loco Paulus *pudicos & vnius vxoris viros* esse debere doceat, de his tantùm agit, qui ad ministerium Ecclesiasticum destinati erant; pro sæcularibus enim procuratoribus non erat specialis ibi vlla ratio, quàm pro omnibus alijs & mercatoribus, & famulis, & Dominis, vno denique verbo, qu m pro Christianis omnibus. Non est ergo vllum fundamentum ad hanc certam veritatem non admittêdam.

De Presbyteratu minimè dubitatur: in hoc enim omnes omnino Catholici cònueniunt, quia illum maximè Concilia & Patres & Scriptura declarant, ordinatúrque ad duo præcipua munia, nempe ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi Domini, & ad remissionem peccatorum. Vltima ergo restat difficultas circa Episcopatum.

SVBSECTIO III.

Quid de Episcopatu.

16 DE quo Pater Vasquez fusè valdè disput. 240. vbi cap. 1. refert errorem Aërij, qui docuit Episcopatum solo iure humano differre à Presbyteratu; pro quo errore ait immeritò citari Vvaldensem, fuisse tamen in eo Marsilium de Menandrino, Viclefum & Lutherum; licet hic etiam circa alios Ordines errauerit. Addit autem Vasquez ibi contra Michaëlem Medinam, Catholicos, qui Episcopatum esse de iure diuino negarunt, non fuisse locutos in sensu hæreticorum; hi enim dicunt ita ab Ecclesia eam differentiam introductam, vt iniustè id fit factum; Catholici verò docent id fuisse omnino necessarium ad bonam eiusdem Ecclesiæ gubernationem. Ex his ergo primus est Hieronymus in magnis Commentarijs Epist. ad Titum, & in Epistola ad Euagrium, quæ est 85. citatur etiam Auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem, & Auctor Commentariorum in Epist. ad Ephesios apud Ambrosium; Tannerus tamen contra Vasquez ex Bellarmino & Azorio excusat Hieronymum ab hac doctrina, & ostendit illum solùm esse locutum de iurisdictione Episcoporum, dum dixit non nisi iure humano differre à Sacerdotio; nam quoad ordinationem Episcopi & potestatem Sacerdotes ordinandi, & quidé ex Christi institutione, nullo modo negat Hieronymus, imò expressè illa ipsa citata Epistola fatetur eos differre à Sacerdotibus dum ait; *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter?* Hoc eodem modo excusat Tannerus etiam Auctorem Epistolæ ad Rusticum Quidquid autem de his sit, eam sententiam 17
clarè tenuit Armacanus lib. 11. de Quæstionibus cap. 6. & 3. Alij denique etsi Episcopatum à Christo dicant institutum, negant tamen esse Sacramentum; id quod defendit Dominicus Soto, Cardinalis Turrecremata, S. Thomas, Richardus, Capreolus, Albertus, Bonauentura, Scotus, Argentinas, Abulensis, Syluester & Ferrariensis; citat etiam pro eadem sententia Pater Vasquez Magistrum Sententiarum & Alexandrum. Probari autem ea potest Primò, quòd alioquin essent octo Ordines; Secundò, quia Sacramentum Ordinis solùm constituitur per respectum ad consecrationem Corporis Christi, ad quam per accidens se habet Episcopatus; Tertiò, quia non imprimit Characterem; si enim imprimeret, sequeretur validè posse in Episcopum consecrari eum qui non esset Sacerdos: id quod est omnino falsum. Præterea non esset necessarius Character Sacerdotalis, quia hic contineretur eminenter in Episcopali. Quartò, quia Ordines conferuntur diebus Sabbati, Episcopatus verò diebus Dominicis. Quintò denique, quia in consecratione Episcopi non apparet vlla materia & forma, prout ad rationem Sacramenti requiritur; ergo.

Quo sensu dicant Catholici aliqui ab Ecclesia Episcopatum esse institutum.

Dicendum tamen Primò est, Episcopatum 18
esse de iure diuino, & institutum à Christo Domino. Ita Durandus, Paludanus, Supplementum Gabrielis, Almainus, Nauarrus. Maior, Petrus Soto, Michaël Medina, Caietanus, Vvaldensis, quos Vasquez refert & sequitur num. 23. & seqq. Coninch disp. 20. dub. 6. vbi Bellarminum & Valentiam citat, Tannerus suprà num. 32. & Gaspar Hurtados, qui difficultate 4. præter citatos refert Sebastianum Cæsarem, atque communiter id à Catholicis doceri. Probatur autem manifestè ex Tridentino, quod expressè ea Sessione 23. canone 6. ait Hierarchiam Ecclesiasticam iure diuino constare ex Episcopis, Presbyteris & Ministris; idem priùs docuerat Anacle-

Episcopatus est iure diuino institutus.

tus Papa Epistola 4. cap. 1. *Sacerdotum Ordo*, inquit, *bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Neque contra hanc veritatem militant obiectiones suprà factæ, de quibus in secunda conclusione. Aliquid autem aliud non occurrit, nisi quòd aliquando videantur eadem personæ in Scriptura nominati iam Presbyteri, iam Episcopi, aliquando verò solùm Presbyteri & Diaconi. Cui obiectioni facillimè respondetur, Id ideò factum, quia vox *Presbyter*, quæ significat seniorem, vsurpabatur olim vniuersaliter tam pro Episcopis quàm pro simplicibus Sacerdotibus; & fortasse ad initium Ecclesiæ ob personarum paucitatem omnes, qui eligebantur in Sacerdotes, etiam consecrabantur Episcopi.

19 *Quando institutus sit Episcopatus.*

Secundò dicendum est, Longè probabilius videri, fuisse simul à Christo id Sacramentum institutum: ita Vasquez suprà, & Gaspar Hurtadus difficultate 7. citans Medinam, Bellarminum, Valentiam, Becanum, Coninck, Tannerum, & Sebastianum Cæsarem; & videtur esse communis Scholasticorum sententia; mihique videtur à Tridentino clarè expressa: nam cap. 4. agens de Sacramento Ordinis ita illud inchoat; *Quoniam verò in Sacramento Ordinis*, &c. additque paulò pòst, Episcopatum ad hunc Ordinem pertinere, esseque Superiorem Presbyteratu; cúmque de eo multa dixisset, concludit caput, *Hæc sunt quæ generatim Sacra Synodo visum est de Sacramento Ordinis docere*: quibus manifestissimè (ne æquiuocationem grandem Concilio tribuamus) admittere debemus illud, dum Episcopatum dicit esse Ordinem, loqui de Ordine vt est Sacramentum, quo sensu eam vocem initio & fine eius capitis protestatur se loqui. Secundò sub ordinatione sacra; per quam dicit gratiam conferri, comprehendit etiam Episcopatum. Idipsum videtur à Paulo traditum, quia 1. Timoth. 4. ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij*; vbi agi de ordinatione illius in Episcopum communiter sentiunt Auctores: cùm ergo ibi dicat Paulus per eam ordinationem datam esse gratiam, id quod proprium est Sacramentis, consequenter docet eam ordinationem esse Sacramentum. Hoc idem probant aliqui, eò quòd Tridentinum dicat Hierarchiam constantem Episcopis & Presbyteris esse de iure diuino. Verùm iam dixi suprà hanc consequentiam esse probabilem, in toto tamen rigore non esse bonam; nam valdè ea duo differunt, esse de iure diuino, & esse Sacramentum, vt ex Pontificatu summo (qui est de iure diuino, non tamen ideò est Sacramentum) ibi ostendi.

20 Priùs autem quàm suppositis argumentis respondeam, aduerto Patrem Vasquez numero 43. dicere, Etiamsi inter omnes suprà citatos Auctores constet Episcopatum esse Sacramentum, inter eos tamen non conuenire, vtrùm sit Sacramentum, & Ordo diuersus à Sacerdotio, an non; & vtrùm eius cõsecratio imprimat Characterem diuersum; de quibus punctis ait se actorum in solutione argumentorum. Circa hoc igitur ego puto duo debere distingui: Primum est, An Episcopatus imprimat Characterem diuersum à Presbyteratu. Secundum est, An sit Sacramentum distinctum. De primo quidem admitto Patri Vasquez libenter posse Auctores suprà citatos inter se non conuenire; nam licet priùs dixerint esse Sacramentum, non continuò sequitur, quòd imprimat Characterem, cùm de essentia Sacramenti non sit eum Characterem imprimere. De secundo verò ingenuè fateor me non posse capere, quomodo, suppositò quòd Auctores dicant Episcopatum esse Sacramentum, possint dubitare, an sit Sacramentum distinctum à Sacerdotio: dum enim illi dicunt Episcopatum esse Sacramentum, loquuntur de ipsa ordinatione Episcopi: est enim hoc Sacramentum in fieri: atqui illa ordinatio est distincta saltem numero ab ordinatione Sacerdotis; ergo si illa, vt de nouo nunc adueniens, est Sacramentum, debebit esse Sacramentum saltem numero aut partialiter distinctum à Sacramento Sacerdotij iam olim collati. Adde, 21 neque posse esse dubium quin sit etiam specie diuersum ab illo saltem partialiter: nam Sacerdotium datur ad diuersissimos effectus, id est ad Corporis & Sanguinis Christi consecrationem, & ad absolutionem à peccatis; Episcopatus verò solùm ad consecrandos Sacerdotes & Episcopos, & ad Confirmationis Sacramentum conferendum; ergo debent ea Sacramenta differre specie. Dixi *saltem partialiter*, quia non disputo, vtrùm inter se integrent vnum Sacramentum, sicut consecratio vnius speciei cum alterius consecratione, de quo statim. Constet ergo, admisso semel quòd Episcopatus sit Sacramentum, non posse dubitari, an sit distinctum saltem partialiter à Sacerdotio.

Qui admittit Episcopatum esse Sacramentum, necessariò *debet esse saltem partialiter distinctum à Sacerdotio.*

Quo posito ad argumenta contraria suprà posita, ad Primum, quòd sequeretur esse octo Ordines, dico, Eò non tam probari non esse Sacramentum, quàm non esse Ordinem: illum autem esse Ordinem est expressè definitum à Tridentino, & Anacletus dixit illum & Presbyteratum esse duos Ordines. Secundò dico, Multos Auctores, quos ibi citat Vasquez, putare esse octo Ordines, id quod meo iudicio ad modum loquendi pertinet. Ipse tamen Vasquez ait non esse Ordinem distinctum, sed maiorem perfectionem Sacerdotij, hoc est, quòd Episcopus sit Sacerdos magis perfectus. Hæc tamen solutio mihi non valdè placet, nam eo sensu, quo Episcopatus dici potest facere magis perfectum Presbyterum, possemus etiam dicere, Presbyteratum facere Diaconum magis perfectum, ac proinde etiam non esse duos Ordines distinctos. Consultò 22 vsurpaui eam vocem *Presbyter*, non verò *Sacerdos*, quia Sacerdos est vox communis ad vtrumque gradum, vnde per illam videtur habere locum illa maior perfectio, quam ponit Vasquez: at eo sensu possum etiam ego accipere vocem *Ecclesiasticus*, quæ est communis ad Diaconum & Presbyterum, & per eam dicere, Presbyteratum non esse distinctum Ordinem à Diaconatu, quia solùm facit Ecclesiasticum magis perfectum: debent ergo vsurpari propriæ voces, vt sunt Presbyter & Diaconus. Numquam autem auditur, quòd Episcopatus aliter faciat magis Presbyterum, aut perfectiorem Presbyterum, quàm possit dici, quòd Presbyteratus faciat magis Diaconum, aut perfectiorem Diaconum. Et verò considerato fine eorum Ordinum, longè maior conuenientia videtur esse inter Diaconum & Sacerdotem, cùm ambo ordinentur directè ad consecrationem, seu ad celebrandum, quàm Presbyteratus & Episcopatus, qui non ordinantur ad vnum quid, sed ad omnino diuersa Absolutè putarem posse dici octauum Ordinem; quòd autem communiter solùm dicantur septem ideò fit, quia tunc est sermo de his, qui ad celebratio-

Potest dici quòd Episcopatus sit octauus Ordo; & cur ordinariè non ita dicatur.

nem Sacrorum per modum cauſſæ principalis & Miniſtrorum ordinantur; ad quod punctum Epiſcopatus vt talis non ordinatur.

23 Ad ſecundum, quòd Sacramentum Ordinis ſolùm conſtituatur per reſpectum ad conſecrationem Corporis Chriſti, reſpondemus, Id ſolùm eſſe verum quoad modum magis ordinarium loquendi, quando dicuntur ſeptem Ordines; non tamen abſolutè ſecundùm rigoroſam ſignificationem, vt ex Tridentino conſtat.

Ad tertium dè Charactere in primis dico valdè malè eo modo formari argumentum; *Si Epiſcopatus imprimeret Characterem, non penderet à Presbyterato*: etenim Confirmatio & Ordo ipſe Sacerdotij imprimunt Characterem; & tamen eſſentialiter pendent à Baptiſmo, qui etiam imprimit Characterem; cur ergo, quæſo, eſto Epiſcopatus imprimat Characterem, non poterit pendere eſſentialiter à Sacerdotio? aut quid quæſo facit Character ad eam dependentiam aut independentiam eſſentialem? Secundò reſpondeo. Eſto dicamus per illum non imprimi Characterem, non continuò nos cogi ad dicendum non eſſe Sacramentum.

An Epiſcopatus imprimat Characterem ſpecialem.

Abſolutè autem quidam putant non imprimi diuerſum Characterem, ſed extendi eumdem phyſicè, ſicut extenditur habitus ad varias concluſiones. Quam doctrinam Vaſquez putat veram, ſi Character ſolùm ſe habeat per modum potentiæ phyſicæ; quia verò ipſe putat ſolùm eſſe per modum potentiæ moralis, ait nec vllum nouum addi, nec antiquum phyſicè extendi, ſed per extrinſecas denominationes deſtinari ad nouos terminos. Ego tamen Primò iudico, Eſto Character ſe haberet in genere phyſico per modum potentiæ, non poſſe concedi eam extenſionem, quam Vaſquez ponit: vel enim aliquid phyſicum additur illi (& idem planè dico de habitibus in ordine ad concluſiones) vel non: ſi nihil; quomodo ergo iam eſt phyſicè patentior quàm fuerit anteà? ſi additur aliquid phyſicum; iam illa additio erit ſaltè partialis nouus Character: & eodem modo diſcurri in Tomo Philoſophico de habitibus, quæ non oportet hìc repetere. Secundò dico, Cùm Concilium agens de Ordine ſine vllâ planè limitatione aut diſtinctione aſſerat per illum imprimi Characterem, & nullum aliunde ſit argumentum, quod poſitiuè impugnet productionem huius Characteris, longè probabiliùs & conſequentiùs aſſeri illum omnino produci; maximè cùm ad probandum non eſſe iterabilem hunc Ordinem ea impreſſio Characteris valdè iuuet iuxta illationem Tridentini. Quòd præterea circa eumdem Characterem obijcitur, fore vt non eſſet neceſſarius Character Sacerdotalis, negatur conſequentia Primò, quia ſaltem eſt neceſſarius in his, quos Eccleſia nõ vult in Epiſcopos, ſed in ſimplices Sacerdotes eligere. Secundò, quia cũ illi Characteres ſint in ordine ad diuerſa munia, profectò vnus non poterit ſuppleri per alterum. Quod quarto loco obijcitur, Ordines conferri diebus Sabbati, Epiſcopatũ die Dominicâ, nullius planè eſt momenti; quia id totum eſt ab Eccleſia inſtitutum ob maiorem ſolemnitatem Ordinis Epiſcopalis: ſicut è cõtrario quatuor minores Ordines conferuntur etiam die Veneris quatuor Temporum, nec tamen ideò hi Auctores dicent illos non eſſe vera Sacramenta. Ad vltimum, quòd in conſecratione Epiſcopi non appareat materia & forma, dicetur in explicatione materiæ & formæ ſingulorum Ordinum.

24

SECTIO III.

Quid de eorum numero.

CIrca numerum Ordinum, præter ea quæ præcedenti ſectione diximus, ea eſt difficultas, quòd videantur eſſe plura quàm ſeptem Sacramenta, contra definitionem & ſenſum communem Eccleſiæ. Diuus Thomas in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 2. ait Ordinem eſſe totum poteſtatiuum, cuius eſſentia eſt, vt ſecundùm completam rationem reperiatur in vno, in alijs verò ſit aliqua participatio illius. Tota enim plenitudo huius Sacramenti, inquit Diuus Thomas, eſt in vno Ordine, nempe in Sacerdotio; in alijs verò eſt quædam participatio; & ideò omnes Ordines ſunt vnum Sacramentum. Pro quâ Vaſquez citat Bonauenturam, Argentinam, Capreolum, Paludanum; Syluestrum, & Albertum; ipſe verò iudicat ex hac doctrina inferri, alios Ordines non eſſe abſolutè Sacramenta, ſed ſolùm ſecundùm quid; ſicut partes poteſtatiuæ iuſtitiæ non ſunt verè & propriè iuſtitia: vnde addit concedendum Durandi argumento, vel alios Ordines non eſſe propriè Sacramenta, vt ille docet, vel eſſe plura Sacramenta quàm ſeptem, ſi ſecundùm ſpecies infimas loquendum ſit. 25

Admitto libenter Patris Vaſquez diſcurſum; neſcio tamen, an in eo conſequentiam teneat. Nam Sacramenta antiquæ Legis fuêre vera Sacramenta; & tamen ipſe eâ ſola ratione id explicuit, quatenus fuêre ſigna noſtrorum; ergo potuêre benè quoad hoc citati Auctores dicere, Ordines alios eſſe vera Sacramenta, quantumuis per reſpectum ad Sacerdotium dixerint habere eam rationem Sacramenti. Quidquid verò de hoc ſit, mihi placet, quòd ipſe ait Ordines eſſe vnum Sacramentum genericè. Vnde dicendum abſolutè, quando Concilia docent eſſe tantùm ſeptem Sacramenta, loqui de illis in genere, non ſecundùm ſpecies infimas. Eſt tamen adhuc contra hoc obiectio grauis; nam cùm alia Sacramenta accipiantur ſecundùm ſpecies infimas, deberet etiam Ordo ſecundùm illas accipi; alioquin poſſet aliquis dicere, non eſſe niſi duo Sacramenta accipiendo duo genera, vnum ſcilicet genus pro Sacramentis viuorum, alterum pro Sacramentis mortuorũ, vt dici ſolet: eodem modo poſſent varij numeri illorum poni ſub vno genere comprehendendo tria, relinquendo autem alia quatuor ſecundùm infimas ſpecies; vnde ſolùm diceremus quinque Sacramenta: hoc autem eſt abſurdum; ergo. Pro ſolutione huius obiectionis, quæ ad modum loquendi videtur pertinere, poteſt iuuare modus ille diſcurrendi D. Thomæ, quòd ſcilicet Ordines alij ſint quædam participatio Sacerdotij. Ad argumentum ergo in formâ reſpondeo negando debere Ordinem accipi eodẽ modo quo alia Sacramenta. Diſparitas eſt manifeſta; nam alia Sacramẽta nullo modo ordinãtur ad vnũ quid, ratione cuius reſpectus debeant explicari ſub vno termino generico, & deberẽt dici vnum Sacramentũ, vti omnes Ordines explicantur, alia enim Sacramẽta inter ſe, & reſpectu huius Ordinis habẽt ſe quaſi diſparatè, at Ordines deſtinãtur omnes ad conſtituendũ Miniſtrũ Sacramẽti altaris, ac proinde comprehendi debent ſub vno termino. Vt autẽ hanc diuerſitatẽ ex eo modo loquendi deſumptam explicemus, non eſt neceſſum multas de re ipſâ quærere diſparitates.

26 *Quomodo Sacramentum Ordinis dicatur vnum Sacramentũ.*

DISPV

DISPVTATIO LVI.

De muneribus, materiâ & formâ Ordinum.

SECTIO I.

Quid de prima tonsura & quatuor minoribus Ordinibus.

EST quidem de prima tonsura iam diximus suprà eam non esse Sacramentum à Christo institutum, sicut sunt reliqui superiores Ordines: ex hoc principio facilè inferimus, cur illa non numeretur inter Ordines. Quæ est sententia planè communis, vt videre est apud Vasquez disput. 236. n. 1. & ex eo loco inquendi omnium Catholicorum idem constat. Dixi, ex eo quòd prima tonsura non sit Sacramentum, clarè colligi rationem communis sententiæ, cur nō sit Ordo; quia nempe *Ordinis* intelligimus eum gradum, qui est vere Sacramentum. Auctores verò, qui etiam quatuor minores Ordines negant esse Sacramentum, varias congerunt rationes, vt explicent, cur illa non sit Ordo: quæ vix subsistunt. Quidam dicunt illam esse dispositionem ad Ordinem. Verùm etiam Subdiaconatus & Diaconatus est dispositio ad Presbyteratum; & tamen est Ordo. Alij Secundò dicunt, ad nullum speciale ministerium, seu ad nullam specialem actionem hominem per eam destinari. Verùm etiam hæc disparitas non placet: quia saltem specialiter per illam constituuntur à Laicis; & præ illis destinantur ad Dei laudes canendas, aut certè fimus capaces beneficiorum Ecclesiasticorum. Pater Vasquez ait Ordinem in præsenti accipi pro gradu aliquo eminenti; cùm ergo in prima tonsura omnes sint æquales, non potest dici gradus. Hæc item ratio ex ea parte habet difficultatem, quòd inde sequeretur, si Ecclesia non instituisset hanc tonsuram (vt potuit non instituere) tunc primus Ordo ex quatuor non esset dicendus Ordo, quia in eo omnes Ecclesiastici essent æquales: hoc autem videtur absurdum, habetque locum maximè hæc ratio in sententia Vasquez, qui omnes eos quatuor Ordines dicit ab Ecclesia institutos, ac proinde si Ecclesia nullum ex illis instituisset, tunc Subdiaconatus (quia in eo omnes Ecclesiastici forent æquales) non esset dicendus Ordo; quod videtur absurdum. Habet secundò ea ratio difficultatem; nam prima tonsura verè & propriè est gradus, non quidem quo Ecclesiastici differunt inter se, sed quo differunt à Laicis: qui Laici etiam pertinent ad Ecclesiam. Et reuera cùm per primam tonsuram fiat quis capax beneficij Ecclesiastici, & exemptus à iurisdictione Secularis, non video, quare dici non debeat gradus. His ergo rationibus relictis, satis constat iuxta nostra principia vera differentia, cur præ alijs quatuor non dicatur Ordo prima tonsura; de qua nihil amplius occurrit dicendum.

3 *Quare quatuor minores*

Quod Ordines verò ipsos minores adueniat eos non vocari *sacros*, non quia in se non sint aliquid sacrum, sed quia non habent annexum votum castitatis: quo sensu Subdiaconatus olim etiam non numerabatur inter Ordines sacros. Dicuntur etiam *minores* respectiuè ad illos tres, qui magis immediate concurrunt ad celebrationem Sacri: inter illos primus est Ostiarij, seu Ianitoris templi, ad similitudinem illorum qui in templo Salomonis vocabantur Ianitores: cuius officium communiter dicitur esse, custodire res templi, seu depositas Ecclesiæ, vel admittere ad templum solos dignos, reijcere verò è contrario indignos, maxime non fideles. Materia autem illius est traditio clauium; forma illa, *Sic agite, quasi reddituri rationē Deo pro his rebus, quæ his clauibus includuntur.* Tribuitur etiam illi in Pontificali pulsare cymbalū, seu campanam, & librū aperire ei qui cōcionatur: quod vltimū nō est in vsu.

Ordines non vocati sacri.

Materia & forma Ordinis Ianitoris.

Secundus Ordo est Lectoris: cuius munus variè explicatur a diuersis (vt videre est apud Vasquez eo capite secundo;) omnes tamen conueniunt in hoc, quòd sit ad legendam sacram Scripturam; circa quam verò illius partem est differentia: nam alij ad lectiones Prophetarum; alij ad lectiones librorum Moysi; alij ad Euangelia extra Sacrum; alij ad Epistolas pro Sacro quidem, solùm tamen in Choro, aut ad altare in superpelliceo. Attribuitur etiam ei aliud officium, nempe benedicere panem & nouos fructus terræ. Materia huius Ordinis est traditio libri; forma autem illa verba, *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & vtiliter impleueritis officium vestrum, partem cum his, qui verbum Dei ministrarunt.*

Materia & forma Ordinis Lectoris.

Tertio loco Exorcista: cuius officium est per impositionem manuum pellere dæmonem ab energumenis, & dicere populo, vt qui non communicat det locum alteri. Materia huius Ordinis est traditio libri Exorcismorum, quem tangendum Episcopus singulis præbet; forma autem est, *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos:*

4 *Materia & forma Exorcistæ.*

Quartus Ordo est Acolythi: cuius munus est duplex; vnum, deferre cereos ante Presbyterum, & accendere luminaria Ecclesiæ; alterum est, vinum & aquam in vrceolis ad Eucharistiam ministrare. Materia illius est candelabri cum candela extincta & vrceoli vacui traditio; forma autem, *Accipite Cerofurarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini, Amen, & accipite vrceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini, Amen.*

Materia & forma Acolythi.

SECTIO II.

Quid de muneribus maiorum Ordinum.

INTER illos infimo loco est Subdiaconatus. cuius munus est aquam ad ministerium altaris præparare, eamque Diacono ministrare, pallas altaris & corporalia abluere, calicem & patenam in vsum Sacrificij Diacono porrigere, oblationem populi suscipere, & super altare ponere, &

5 *De officio Subdiaconi*

epistolam in Missâ cantare. Circa quæ munia multa habet Vasquez ex antiquorum Auctoribus toto cap. 3. quæ autem sit materia & forma huius Ordinis paulò pòst dicetur.

Circa Diaconos moueri potest dubium, Vtrùm illi septem, qui in Actis Apostolorum electi sunt, fuerint Diaconi in sensu, de quo nunc agimus; an solum per modum dispensatorum secularium circa pauperes. De quo puncto agit fusè Pater Vasquez cit. disputatione citata cap. 4. & 5. quæ tamen quæstio magis pertinet ad Scripturistas quàm ad nos. Siue enim hoc, siue illud dicatur, iam suprà ostendi, de facto Diaconatum, esse verum Ordinem, eiusque munus esse, ministrare Sacerdoti in altari, cantare Euangelium, concionari & baptizare, prout in Pontificali habetur. Quæ autem sit forma & materia, sub quibus conferatur, statim dicetur. Vtrùm autem omnia hæc munia conueniant Diaconis ex diuina institutione, an aliqua ex ordinatione Ecclesiæ, dubium esse potest; quod fusè discutit Vasquez cap. 7. & 8. Ego breuiter dico rem esse valdè dubiam, cùm præcisè ex traditione constet in genere hunc Ordinem fuisse institutum à Christo; quæ verò munia ei ipse attribuerit, nobis sit omnino incertum. Mihi ex Concilio Tridentino, docente alios Ordines esse institutos ad ministrandum Sacerdoti, videtur certum, primum ac præcipuum eius munus esse, ministrare Sacerdoti in altari; vbi includitur cantare Euangelium; de quo in Pontificali, secundum esse prædicationis Euangelicæ, tertium baptizandi; quia per hæc valdè Sacerdotes iuuantur. Alia minoris momenti videri possunt apud Vasquez, quæ maiori ex parte iam non sunt in vsu, nisi fortè in absentia Sacerdotis; vt ministrare Eucharistiam, &c.

6 *Quod sit officium Diaconi.*

De officio Sacerdotis.

Quæ sint munia propria Sacerdotum & Episcoporum, res est adeò uota, vt noua non egeat explicatione. Vide Vasquez cap. 9. & 10. vbi de nominibus, quibus olim Episcopi & Presbyteri vocabantur. Nobis nunc restat solùm explicare materias & formas horum trium Ordinum maiorum & Episcopatûs.

SECTIO III.

Quædam suppositio pro intelligentia huius materiæ valdè necessaria.

7 EA autem est, quam tradidi Tomo præcedenti vbi dixi, communiter quidem ab Auctoribus ita sentiri, vt materiæ & formæ horum Ordinum sint omnino determinatæ à Christo in specie; vnde valdè sunt soliciti, vt concilient aliquos antiquos textus, in quibus videntur præscribi materiæ & formæ diuersæ valde ab his, quæ nostris temporibus sunt in vsu; laborant item valdè, vt explicent, quomodo, antequam esset libet Euangeliorum, potuerit Ordo Diaconatûs conferri per traditionem Euangeliorum. Vbi Vasquez putat Christum dispensasse tunc cum Apostolis, vt per solam impositionem manuum illum conferrent, quamdiu Euangelia non essent scripta; postea verò semper per horum traditionem, ac proinde iam non posse Ecclesiam nisi per eam traditionem hunc Ordinem conferre; id quod consequenter eodem modo dicit de alijs materiis Ordinum, quæ iam sunt in vsu. Confirmari autem id videtur principio illo inter Theologos fere omnes recepto, quòd circa materias & formas Sacramentorum Ecclesiâ nihil omnino possit immutare: vnde solent esse soliciti, vt explicent, quo pacto potuerit Tridentinum reddere inualida matrimonia clandestina, cùm id videatur mutatio materiæ eius Sacramenti à Christo institutæ.

8 *Christus non determinauit ceremonias neque verba circa collationem Ordinum.*

Contra hanc positionem communem ostendimus eo Tomo ex Cardinali Bellarmino, Petro Arcadio, & Cardinali Lugo, Christum Dominum non determinasse in particulari vllam ceremoniam, nec vlla verba circa collationem Sacramenti Ordinis, sed solùm in communi præscripsisse, vt Ecclesia vteretur aliqua actione externâ, & aliquibus verbis, quibus significaret collationem eius potestatis, quæ per Ordinem datur. Id quod probatur manifestè ex casu Ecclesiæ Orientalis, seu Græcæ, quæ Romæ in præsentia ipsius Summi Pontificis ordinat Presbyteros non per traditionem calicis & patenæ cum hostiâ & vino, vti Ecclesia Latina; nec per ea verba, quibus Latina Ecclesia vtitur, sed per impositionem manuum cum his verbis: *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ de sunt supplet, creat, seu promouet N. N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum*: quæ forma & materia fuit semper in vsu in Ecclesiâ Græcâ; Latina verò iudicat vt veros esse & fuisse Sacerdotes eo modo consecratos: vnde dubitari sine temeritate non potest, quin ea sit valida ordinatio.

Verba quibus Græci Sacerdotum conferunt.

Hinc autem colligitur, vt dixi, euidenter, Christum non determinasse eam traditionem patenæ & calicis pro huius Sacramenti materiâ, sed reliquisse rationem eius signi in Ecclesiæ potestate; Græcam autem assumpsisse pro signo impositionem illam manuum cum dictis verbis, Latinam verò traditionem calicis & patenæ cum verbis aliis.

Hinc Secundò colligitur posse Ecclesiam Latinam relictâ hac traditione calicis vti eadem materia, qua vtitur Ecclesia Græca; imò & alia omnino distincta, quam accipiat per modum signi ad placitum eius collatæ potestatis. Id quod multò antè tradidisse videtur Innocentius Quartus, ante Pontificatum vocatus Sinibaldus de Flisco, in Commentario cap. *Presbyter*, vbi ita ait, Vnde credimus, quòd nisi essent formæ postea inuentæ, sufficeret ordinatori dicere, *Sis Sacerdos*, vel alia æquipollentia verba; sed in subsequentibus temporibus formas, quæ seruantur, Ecclesia ordinauit. Citato autem loco solui difficultatem, quæ poterat circa ea verba Innocentij occurrere, quasi nimis multum eis probaretur.

9 *Posset Ecclesia Latina vsurpare alia verba, &c. in consecratione Sacerdotis.*

Tertiò infertur, non esse, cur simus valdè soliciti, vt conciliemus vsum modernum conferendi hos Ordines cum vsu antiquo; qui videtur in aliquibus Canonibus insinuari. Vno enim verbo respondetur, Potuisse tunc Ecclesiam ad conferendos eos Ordines habere diuersum signum, ac diuersa verba ab his quæ nunc habet, sicut de facto Latina habet diuersa à Græca. Tota ergo quæstio præsens debet reduci ad explicandum materiam & formam, sub quibus de facto conceditur hoc Sacramentum.

Patet Tannerus disp. 7. quæst. 2. num. 64. hanc nostram suppositionem refert tamquam sententiam singularem nostri Nicolai Serarij, & nonnullorum, quos ibi non nominat, miror tamen, quòd eam in Bellarmino non legerit: illam autem reiicit valdè obiter ex eo, quòd videatur absurdum posse Ecclesiam mutare has materias. Infrà verò num. 102. agens, pro Sacerdotio fu-

10

ficiat

ficia: contactus calicis sine vino, dum mox hostia sit in patena, obijcit tibi hunc ipsum ritum Græcorum, de quo à principio variè respondet; Primò, tibi de eo non constare, quia nullus Auctor vel Doctor eum refert: verum iam nos contrarium manifestè ostendimus. Secundò respondet, Si ea fuisset diuersitas inter Græcam & Latinam Ecclesiam, fore vt non potuerit dissimulari id in Concilio Florentino, cùm de rebus minoris momenti, in quibus Ecclesiæ dissidebant, mouerint quæstionem. Tertiò cùm in eodem Concilio in Decreto Fidei pro Armenis, qui alioquin Græcam fidem sequuntur, expressè declaratum fuerit materiam Presbyteratûs esse calicis & patenæ contactum, & in puncto Fidei consenserint Græci cum Latinis, non potest, inquit, credi eos quoad hoc punctum antèà discessisse à Latinis. Quartò, quia Græcos recentiores non ordinare sola manuum impositione constat ex libro Græco de Sacramentis Gabrielis Metropolitæ Philadelphiensis, edito Venetijs anno 1600. Verùm neque hæ solutiones satisfaciunt: non hæc vltima, quia contraria praxis est, quæ etiam nunc obseruatur à Græcis Pontifice ipso Romano vidente & consentiente, vt diximus præcedente Tomo, quidquid sit de eo Rituali. Prima ratio, quòd ea differentia fuisset discussa, etiam non vrget; quia male supponit fuisse in eo puncto aliquam differentiam. Conueniebant enim omnes fuisse à Christo relictam liberam determinationem eius materiæ, ideóque nec Græci obiecerunt Latinis, quòd elegissent diuersam materiam à suâ, neque Latini è contrario Græcis, quolibet manente cum sua determinatione, cùm hoc non esset vllum dissidium in materia Fidei tantùm in actuali determinatione materiæ, quæ libera erat illis relicta à Christo.

Quod secundo loco obijciebatur soluitur ex immediatè dictis. Fatemur ergo illud decretum quoad Fidei puncta fuisse vniuersale tam pro Latinis quàm pro Armenis, quàm pro Græcis. Quòd verò in explicandâ materiâ Ordinis Pontifex recurrerit non ad Græcam, sed ad Latinam Ecclesiam, fuit potiùs exempli caussa, quàm quòd vellet ad id obligare etiam Græcos: nec sine mysterio Pontifex maiori ex parte se in eis declarationibus remisit ad Pontificale: nam & Græci suum habebant Pontificale, & illos etiam permisit ad illud recurrere. Constet ergo suppositionem illam optimam esse, & sententiam nostram in ea fundatam bene subsistere.

SECTIO IV.

De materia Subdiaconatûs.

12 AD Subdiaconatum ergo, vti executione primum, Primò veniamus; circa illam autem nonnulli dixerunt materiam esse traditionem libri Epistolarum. Et videtur ea sententia probari, quia ita se habet Subdiaconatus ad Epistolam, sicut Diaconatus ad Euangelium: atqui Diaconatus confertur per traditionem libri Euangeliorum, ergo & Subdiaconatus per librum Epistolarum. Verba etiam, quæ in eâ traditione dicuntur, videntur habere rationem formæ. Alij tamen dixerunt, Omnes actiones, quæ fiunt ab Episcopo circa Subdiaconatum, esse materiam eius Sacramenti. Communis autem sententia docet calicis & patenæ vacuæ traditionem esse materiam, & quidem saltem partialem: id quod viderur omnino certum, cùm Eugenius Quartus in eo decreto Fidei post Concilium Florentinum id definiat illis verbis: *Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem*: id quod Concilium Carthaginense quartum cap. 3. etiam docuit. Pro quo vltetius citat Vasquez sanctum Isidorum, Rabanum, Hugonem de Sancto Victore, Magistrum, aliósque multos Scholasticos. Quam sententiam ego etiam iudico veram ob illud testimonium Eugenij. Alioquin paritas illa de libro Epistolarum cum libro Euangeliorum, & similitudo etiam in verbis formæ mihi omnino persuasissent ibi conferri hunc Ordinem: sed quia paulò antè diximus, in potestate Ecclesiæ fuisse eas actiones externas, quas voluit, pro signo traditæ potestatis potuit in Diaconatu assumere traditionem Euangeliorum, pro Subdiaconatu verò non vsurpare traditionem libri Epistolarum. *Materia Subdiaconatus.*

Aduerte autem, simul tunc ab Archidiacono 13
tradi vrceolos vini & aquæ tangendos; id autem Vasquez non admittit esse materiam, quia hæc debet fieri ab ipso conferente Ordinem: Archidiaconus autem non confert eum Ordinem. Ego hanc rationem non iudico omnino efficacem; nam traditio est quædam actio moralis, quæ potest fieri per interpositam personam. Nam si famulus meo nomine dat pecuniam pauperi, in omni rigore dicor ego illam dare, & tradere. Posset ergo dici, ibi Archidiaconum nomine Episcopi tradere, ideóque etiam ipsum Episcopum dici in rigore tradere. Quidquid ergo de ea ratione sit, ea traditio vrceolorum ideò non debet dici materia. Primò, quia non est vllum fundamentum ad id asserendum; neque enim omnia quæ in collatione Ordinum fiunt, sunt materia, sed multa spectant ad cæremonias. Secundò, quia vrceolorum tactus etiam interuenit in ordine Acolythorum; neque est credibile eamdem materiam esse eius vtriusque Ordinis.

Iam circa formam huius Sacramenti Pater Vasquez ait num. 50. se nullum legisse qui eam explicet, ideò dicit se respondere prout excogitauerat ante 28. annos, quódque haud paucis vehementer placuit; scilicet ea verba, quæ Pontifex dicit omnibus simul, postquam calicem, &c. tetigerunt: *Videte, cuiusmodi ministerium vobis traditur; ideò vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt possitis placere*: atque non obesse, quòd ea verba dicantur, post quam omnes tetigerunt calicem; quia humano modo ea duo satis sunt coniuncta. *Forma Subdiaconatus.*

Ego hanc doctrinam Vasquez omnino censeo veram: miror tamen quòd iudicauerit hanc quæstionem adeò difficilem, vt fuerit necessum diu cogitare de ea forma, saltem iuxta Pontificale, quod nunc habetur, & ab anno 1595. excusum est: nam in eo ea verba non dicuntur postquam omnes tetigere; sed prout in collatione Diaconatus, dum ordinati tangunt librum, Pontifex eis dicit, *Accipite potestatem legendi*, &c. eodem planè modo in Subdiaconis; ita enim Pontificale habet: *Quem* (calicem) *successiuè singuli tangunt Pontifice dicente*. Si ergo ex Eugenio Quarto constat eam traditionem esse materiam, facilè erat dicere, illa verba, quæ tunc dicuntur, esse formam, sicut ea quæ Episcopus etiam dicit, dum Diaconi tangunt librum, sunt forma Diaconatûs. Fortasis in antiquiori Pontificali ea verba erant separata ab eo tactu, ideóque potuit Vasquez sentire eam difficultatem: quando 14

tamen pro impressione disposuit hoc punctum, erat anno 1604. iamque à nouem annis exibat Clementis Pontificale, in quo ab eam coniunctionem eodem modo sicut in Diaconatu vix poterat esse ratio dubitandi, quin verba ea fuerint, & sint forma. Et verò quæ paulò antè dixi non solùm habent instantiam ex Diaconatu, sed etiam in aliis Ordinibus: nam in ordinatione Ostiarij eo ipso modo dum illi tangunt, Episcopus dicit, *Sic agite quasi reddituri Deo rationem*, &c. & idem tenor est in aliis tribus Ordinibus.

15 Possit autem specialiter exemplum in verbis Ostiarij, quia inde etiam apparet non habere locum aliam rationem dubitandi Patris Vasquez, quòd scilicet in eis verbis pro Subdiaconatu non expresse declaretur ipsa actio Episcopi; nam idem est in ea forma Ostiariorum ac *Sic agite quasi reddituri Deo*, &c. vbi non magis exprimitur actio ipsius Pontificis conferentis quàm in eis verbis pro Subdiaconatu; ac proinde non est specialis ibi ex hoc capite dubitandi ratio. Et hæc circa discussim Patris Vasquez.

Obiectio. Contra ea verò, quæ circa materiam huius Ordinis diximus, obicies, His solùm probari, eum contactum Calicis esse materiam partialem huius Sacramenti. Cur enim quæso non dicemus traditionem libri Epistolarum esse etiam partialem materiam, vt eo modo respondeamus ad instantiam suprà allatam de Diaconatu? Respondeo, In omni quidem rigore posse verba Eugenij intelligi de materia partiali; quia tamè si eo tempore traditio libri Epistolarum simul esset materia, non esset ratio vlla, cur Pontifex magis faceret mentionem vnius quàm alterius; & quia in similibus definitionibus Pontificum debemus intelligere adæquatam potiùs explicationem rei de quâ agitur, quàm ad inadæquatam confugere, nisi aliunde cogamur aliter discurrere; ideò longe probabilius est declaratam ibi fuisse adæquatam eius Ordinis materiam. Quid autem sit ad instantiam illam de libro Euangeliorum pro Diaconatu respondendum iam dixi paulò antè, in his quæ à liberâ voluntate Ecclesiæ pendent, non esse bonam consequentiam ex vnâ materia ad alteram re ipsa similem.

Solvitur.

SECTIO V.

Quid de materia Diaconatûs.

16 MINOR in hac materia videtur esse difficultas; Eugenius enim ex vna parte eo loco supra citato definit illam esse traditionem Euangeliorum; vbi coniunguntur statim verba quæ præ se ferunt rationem formæ: deinde vix est in Pontificali alia materia, de quâ possit dubitari. Vnde ferè omnes in hoc puncto conueniunt, vt videre est apud Vasquez supra num. 35. qui paulò inferiùs probat hoc ipsum ex Gregorio in cap. *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis; vbi dicitur, *Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manuum impositionem tactu corporali vim ab Apostolis introducto recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos cautè supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.* Ex hoc loco colligi videtur, eam manuum impositionem (de quâ solâ poterat dubitari, an esset materia; & ob quam dixi cum limitatione, vix aliud esse in Pontificali cui ratio materiæ applicetur) non esse à Christo instituram, sed ab Apostolis, ac proinde esse ritum, non materiam essentialem, deinde si esset materia essentialis, ergo ex illius defectu Sacramentum fuisset omnino nullum; ergo debuisset posteà ex integro repeti, nec sufficisset seorsim eam materiam adhibere.

An impositio manuum sit partialis materia Diaconatus.

Hic tamen textus mihi non admodum efficax 17
videtur, Primò, quia cùm supposuerimus Christum reliquisse Ecclesiæ liberum determinare signum; quo conferatur ea potestas, ipsumque nullum præcepisse in particulari, clarissimè intelligitur, quo sensu dicat ibi Pontifex eum ritum fuisse ab Apostolis introductum, esto illi eo vsi sint pro materia essentiali, vti dicere possumus ritum conferendi Sacerdotium in Ecclesia Græca per ea verba, *Diuina gratia creat, seu promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum*, &c. esse ritum introductum ab Ecclesia Græca, & tamen in ea habet se ea verba per modum formæ essentialis. Quod præterea dicebatur, si illa impositio manuum esset materia essentialis, debuisse posteà repeti ex integro totum Sacramentum; eius contrarium ibi decernit Pontifex; hoc etiam non urget; quia inde solùm sequitur eam impositionem eò esse totalem materiam: si enim esset totalis, tunc eius defectus fecisset ex integro imperfectum Sacramentum; at si sit partialis, tunc non est necessum repetere aliam partialem materiam, si prior fuit adhibita cum formâ sibi debita: nam licet inter materiam & formam requiratur coniunctio physica, aut certè talis, quæ moraliter reputetur perinde, ac si esset physica; quando tamen sunt duæ materiæ partiales cum suis partialibus formis, si desit vna materia cum sua forma, non efficit, quò minùs altera materia, quæ extitit cum sua forma, non valeat ad hoc, vt repetita posteà altera materia, quæ defuit, cùm propria forma non sit integrum Sacramentum, vt patet manifestè in Extrema Vnctione: nam communis sententia docet omnes quinque vnctiones esse essentiales Sacramento; & tamen eadem communis sententia docet, si fiat vna vnctio cum suâ formâ, & Minister moriatur, ac deinde etiam post aliquot dies veniat alter, qui perficiat, non esse necessum repetere eam priorem vnctionem, sed sufficere adderet quamnor alias, quæ fuêre desideratæ: idem ergo in præsenti dici posset. Et verò si illa impositio manuum solùm fuisset pura cæremonia, fuisseque inculpabiliter omissa, non esset ratio, cur Pontifex esset tam solicitus de eâ suo tempore repetenda. Licet enim aliquando, si conferatur Sacramentum quoad essentialia sine cæremonijs soleat Ecclesia præcipere, vt posteà suppleantur illæ cæremoniæ, id tamen rarum est & in solo Baptismo; imò in illo id non præcipit, nisi quando omnes cæremoniæ fuêre omissæ: nam si vna defuit, v. g. impositio salis ad os, ceteræ verò omnes sunt applicatæ, non præcipit Ecclesia, vt illi adulto sic baptizato apponatur posteà sal ad os; ergo cùm in eo casu eius capitis *Presbyter* solùm fuerit desiderata ea impositio manuum, cetera verò tam substantialia quàm cæremonialia supponantur adhibita, vix fuisset Pontifex adeò solicitus de supplenda ea impositione, si iudicasset eam esse puram putam cæremoniam, & non potiùs partialem materiâ essentialè: ergo ex hoc loco probari potiùs videtur cõtraria sententia quàm nostra.

Quando Sacramentum constat diuersis materijs, & formis partialibus.

non est de essentia, vt simul conferantur omnes materiæ cum suis formis.

Nihilominùs adhuc manendum in nostrâ 19
sententia quoad Diaconos; nam de Presbyteratu paulò post dicemus. Ad hanc ergo obiectionem

à nobis

à nobis factam dicendum est, Pontificem, eò quòd ritus ille sit adeò solemnis, & antiquus, ab ipsis Apostolis obseruatus, voluisse vt supplereturetiamsi non pertineret ad materiam essentialem Diaconatus.

Obiectio fundam.

Secundò tamen potest obijci: Nam Episcopus imponens manus Diacono vtitur verbis, quæ planè significant tunc conferri Sacramentum, ait enim; *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus eius.* Certè in sola Sacramenti collatione videtur dici cum veritate posse, *Accipe Spiritum sanctum.*

Resp. prima.

Respondeo Primò, Hoc argumento probari nimis multùm, scilicet adæquatam materiam esse eam manuum impositionem: nam gratia non confertur, nisi quando Sacramentum essentialiter est completum; hoc autem dici nequit, quia Eugenius Quartus expresse docet traditionem Euangeliorum esse materiam: id quod saltem requirit eam esse materiam partialem. Respondeo Secundò; Etiam dum Diaconis imponit stolam & dalmaticam, vtitur Episcopus talibus verbis, quæ ostendunt eis tunc dari gratiam sanctificantem, cùm tamen constet vestimentorum collationem in nullo Ordine esse materiam essentialem. Respondeo Tertiò absolutè; Pontificem, cùm eas omnes actiones & cæremonias eo fine faciat, vt paulò pòst conferat Sacramentum, iure merito per illas quasi inchoatiuè dicere, *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus eius.* Quæ verba non tam denotant acceptionem gratiæ sanctificantis quàm auxiliorum, quibus resistitur diabolo; ideóque ea verba habent se per modum puræ orationis, quâ pro altero obtinemus à Deo similia auxilia. Denique in Baptismo, vbi certissimum est adæquatam materiam esse ablutionem, olei autem inunctionem esse puram cæremoniam; nihilominùs dum inungit baptizans infantem, dicit, *Vngo te oleo salutis, vt habeas vitam æternam.* Quæ verba videntur etiam significare gratiam habitualem non minùs quàm verba Confirmationis; ergo inde nihil colligitur, quòd ea impositio manuum supra Diaconum sit partialis saltem materia eius Ordinis.

Secunda.

Tertia.

20 *An Ecclesia Anicensis non debeat, liber Euangeliorum Diacono.*

Obijcit præterea Durandus, Ecclesiam Anicensem, vbi ipse fuit Episcopus, non solitam tradere librum Euangeliorum pro consecratione Diaconi; non videtur autem credibile eam Ecclesiam errasse tamdiu, aut id à Romanis Pontificibus ignoratum, nec monitos de illo errore eius loci Episcopos. Vasquez respondet, Cùm eo tempore res non fuerit omnino liquida in Ecclesia (adhuc enim non extabat definitio Eugenij) facilè potuisse eam Ecclesiam sequi aliquam opinionem tunc probabilem, licet re ipsa falsam. Nos iuxta nostra principia, quòd hæc determinatio materiæ relicta sit Ecclesiæ à Christo, facilùs respondemus, Potuisse pro illa Ecclesiâ admitti solam manuum impositionem tamquam signum potestatis cum verbis proportionatis; vti de facto à Græca Ecclesia in ordinatione Presbyteri ad hæc tempora seruatur. Non tamen ideò vllo modo nego posse aliquam Ecclesiam priuatam errare; at cùm ea Ecclesia sit in Italia, & modus ille ordinandi fuisset adeò singularis, vix est morale, quòd ad aures Pontificis non peruenerit: quòd si peruenit, & toleratus est, profectò iã videtur ille sufficiens. Facilior ergo est nostra solutio.

21

Denique obiciunt; In Concilio Carthaginensi IV. cap. 4. non fieri mentionem vllam traditionis Euangeliorum. Respondet Vasquez, Ibi non agi de materia essentiali; alioquin cùm neque pro Presbytero fiat mentio traditionis patenæ cum hostia, & calicis cum vino, sequeretur hanc traditionem calicis non esse materiam Sacerdotij: id quod tamen est contra ipsum Durandum, qui hac obiectione vtitur. Mihi quidem hæc responsio non videtur ad modum sufficiens: iam enim diximus, fortasse olim non fuisse concessum Sacerdotium per eam traditionem patenæ, &c. sed per solam manuum impositionem, vti nunc conceditur in Ecclesia Græca; ac proinde esto id, quod pro absurdo Vasquez infert, admitteretur à Durando, nihil tamen re ipsa absurdi concederetur. Respondeo ergo absolutè, & consequenter ad dicta hucusque, Eò quòd tempore Concilij Carthaginensis sola impositio manuum cum diuersis verbis esset materia vtriusque Ordinis (id quod non leuiter ex eo Concilio videtur suaderi) non ideò inferri, Eam esse de facto materiam, aut è contrario, traditionem Euangelij non esse nunc materiam; quia potuit Ecclesia eam mutare iuxta hucusque dicta.

SECTIO VI.

De materia Presbyteratûs.

CIRCA illam potest Primò quæri, An impositio manuum sit saltem partialis eius materia. Dico *saltem partialis*; nam traditionem patenæ & calicis cum vino & hostia esse saltem partialem materiam manifestè constat ex Eugenio Quarto eo loco sæpè citato. Solùm ergo potest esse dubium, An ea impositio manuum sit simul partialis materia. Hanc tamen quæstionem ego discussi Tomo 7. disp. 6. Sect. 2. duasque impositiones manuum ibi distinxi; vnam in fine Missæ, quam dixi ex omnium ferè sententia esse partialem materiam quoad potestatem absoluendi: altera impositio manuum fit ab initio ferè ordinationis Presbyteri; & fit ab omnibus Sacerdotibus præsentibus simul cum Episcopo. Hanc autem cum Vasquez & communi dixi non esse neque partialem materiam Presbyteratus; etsi contrarium sentiat Cardinalis Lugo, quem ibidem reieci; ac discussi etiam testimonium suprà insinuatum ex Sinnibaldo de Fliseo; seu Innocentio Quarto. Solùm nunc restat scrupulus aliquis circa ea verba Pontificalis; dum enim agit de impositione manuum supra Diaconum, ita ait, *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui illum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Ex hac enim causali videtur inferri, per eam impositionem manuum fieri Sacerdotis consecrationem, alioquin ineptè redderetur ratio non impositionis manuum, eò quòd Diaconus non consecretur ad Sacerdotium. Respondeo, Cùm constet apud omnes, quòd etsi Sacerdotes præsentes debeant imponere manus supra Presbyterum, non tamen ipsi sint vllo modo Ministri, nec quidem partiales eius Sacramenti, sed posse solum Episcopum etiam nullo alio Sacerdote præsente valide conferre Sacerdotium, clarè colligi, eam impositionem manuum non posse esse materiam essentialem, nec quidem partialem consecrationis, & consequenter ex hoc capite nihil deesse Diacono de materia Sacramenti, quodque habeat Presbyter. Constat etiam illud verbum, *Quia non consecratur ad*

22

23

Sacerdotium

Sacerdotium, non debere intelligi de consecratione, quæ fiat per ipsam manuum impositionē, sed idem esse ac si diceret, Minor cæremonialis solemnitas est adhibenda pro Diaconi consecratione quàm pro Presbyteri; quia ordinandus est ad ministerium, non ad Sacerdotium.

Circa traditionem verò calicis cum vino & patenæ cum hostia moueri potest dubium, quod fusè & benè discutit Tannerus suprà à numero 90. occasione cuiusdam defectus, quem in ordinationibus Sacerdotum semel contigisse extra Germaniam ibi refert; quod scilicet Archidiaconus fuerit oblitus ponere in calice vinum; quæsitum ergo fuit, An contactus ille sufficiens
24 fuerit ad valorem eius Ordinis. Quâ occasione rursus quæsitum fuit Primò, An illi, qui repetierunt eum Ordinem, incurrerint censuras. Secundò, An è contrario qui non repetierunt, & ad altiores Ordines, id est Episcopatum, ascenderunt, ac in illo ministrarunt, incurrerint aliquas alias censuras. Ad hæc tamen duo vltima dubia vno verbo respondeo: Cùm in prædicto casu tam qui repetierunt, quàm qui omiserunt, processerint bona fide, eò quòd illi iudicauerint non fuisse validam consecrationem, alij verò è contrario crediderint se validè ordinatos, non posse esse dubium, nullam illos incurrisse censuram.

An sufficiat ad Presbyteratum dare sub disiunctione vel patenam cum hostia, & calicem sine vino, vel hunc cum vino, & illam sine hostia.

His ergo duobus dubiis vt facilioribus, & minùs ad nos pertinentibus, omissis, circa præcipuum, dicendum est cum eodem Tannero, Incertum valdè esse, Vtrùm ea collatio Ordinis sit valida. Quia cùm Eugenius Quartus (vt diximus suprà) & vinum in calice & hostiam in patena requirat, videtur planè requisiuisse vtrumque æqualiter, ac proinde ex illo defectu partiali etiam Sacramentum non fuisse collatum; nec è contrario vllum vel leue fundamentum adducatur ad dicendum, sufficere, si vel calix habeat vinum, vel patena hostiam. Vnde clarissimè infertur, Esse obligationem repetendi saltem sub conditione eum Ordinem, si quis velit actus illius exercere. Nam cùm in dubiis huiusmodi non faueat probabilis sententia in ordine ad valorem re ipsa eius Sacramenti, perfectò, ne ille se exponat periculo semper invalidè consecrandi, & (quod grauius est) etiam absoluendi invalidè, cum grauissimo periculo salutis pœnitentium, necessum omnino est illam Ordinis susceptionem repetere saltem sub conditione. Dixi, *Si velit exercere eos actus*; nam si nolit eos exercere, sed manere ac si esset laicus, non est, cur obligetur ad eam receptionem.
25

Secundò dicendum est, speculatiuè loquendo, probabilem fortasse esse sententiam dicentem, validam fuisse eam consecrationem; id quod docet Henriquez lib. 10. cap. 6. num. 5. vbi materiam hanc Sacerdotij solùm sub disiunctione ponit; ait enim, *Traditio vasis cum alterutra specierum*. Ratio autem videtur esse, quia potestas consecrandi vnam speciem etiam dicit potestatem consecrandi alteram; ergo sufficienter explicatur potestas Sacerdotalis per vnius speciei contactum. In quo etiam puncto statim apparet differentia à contactu Subdiaconi; nam pro illo tam patena quàm calix debent esse vacua. Habetque hæc ratio maiorem vim in nostris principiis, quòd materiæ hæ non sint determinatæ in particulari à Christo Domino, sed Ecclesiæ liberam relictam eam determinationem per aliquod sensibile signum potestatis collatæ; hoc autem signum videtur planè sufficiens esse, si alterutra species sit in calice aut patena, ob rationem datam, quòd qui potest consecrare vnam speciem, potest & alteram; ergo.

Hoc argumentum probat, omnino Ecclesiam potuisse ita disponere, vt ea tradito sufficeret; an verò re ipsa ita voluerit valdè dubium est; imò cùm ea ratio probet, etiamsi nec vacuus quidem calix tangendus offerretur, sed sola patena cum hostia, aut è contrario solus calix cum vino, sine patena & hostia, id fore sufficiens ad valorem ordinationis; quia vna species sine altera non consecratur: dicere autem, quòd, si solus calix tangendus proponatur, sufficiat ordinato, sit plane contra sensum omnium, consequenter dicendum est, hanc rationem nimis multum probare. 26
Melius fortassis, saltem indirectè, posset ostendi probabilitas illius sententiæ, eò quòd fundamentum pro opposita ex Eugenio desumptum non videatur omnino conuincere; quia ponit in eo Decreto multa, quæ non videntur esse omnino essentialia pro materia Sacramentorum; vt quando dicit Sacramenti Extremæ Vnctionis materiam esse septem vnctiones, cùm tamen omnes sentiant sufficere quinque. Hæc ratio maiorem habet apparentiam, semper tamen relinquit dubium hoc punctum, cùm, nisi aliunde habeamus valdè vrgens argumentum; quale hîc sine dubio non est, debeamus asserere, Pontificem eo loco de materia necessaria pro Sacramentis fuisse locutum, In Extrema Vnctione saltem illæ duæ vnctiones sunt integralis pars Sacramenti. Deinde ibi in contrarium stant omnes Auctores, & declaratio ipsorum Summorum Pontificum in Rituali, vbi eas duas vnctiones omitti debere in feminis dicunt, sæpè etiam in vitis. Constet ergo manere semper intra rationem resolutionis valdè dubiæ, Vtrùm valida sit ordinatio illa, ideoque, vt primo loco diximus, eam esse omnino repetendam.

27
Materia Presbyterij in Ordine ad absoluendi facultatem est manuum impositio.

Et hæc quidem quoad materiam huius Ordinis, quatenus dat potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi; quatenus verò etiam per Sacerdotium datur facultas absoluendi, estque quasi noua partialis ordinatio, dicendum est eius ordinationis materiam esse impositionem manuum, quæ fit in fine Sacri cum illis verbis; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. id quod reiectis varijs opinionibus probat benè Vasquez disp. 239. cap. 2. & seqq. vbi ostendit Sacerdotes nequaquam accepisse potestatem absoluendi à peccatis in cœna, sed post resurrectionem eam eis concessam. Id quod Tridentinum videtur definijsse Sessione 14. c. 3. vbi ait, Dum Christus post resurrectionem insufflauit in discipulos dicens, *Accipite Spiritum sanctum*, potestatem remittendi & retinendi peccata Apostolis & eorum legitimis successoribus concessam fuisse; additque eum esse consensum omnium Patrum. Non ergo potest in dubium verti, quin duas eas potestates consecrandi & absoluendi, quæ etiam in se videntur disparatæ, diuersis vicibus & sub diuersis materiis tradiderit Christus. Ex quo capite cùm Ecclesia duas diuersas materias pro illis retineat, & simul duas diuersas formas; quarum vna vnam potestatem; altera alteram significat; eodem etiã modo dicendum ab Ecclesia duabus illis vicibus eas concedi; vnam primo; alteram secundo loco: ac proinde improbabiliter planè illi discurrunt, qui dicunt, Eo ipso quòd quis accipit consecrandi potestatem,

Qui habet potestatem consecrandi, non habet eo ipso absoluendi.

potestatem, habere simul absoluendi, etiam antequam Episcopus in fine Missæ per illam manuum impositionem dicat ei, *Accipe potestatem remittendi*, &c. Vtrùm autem aliquis partialis Character tunc imprimatur, an verò solùm concedatur potestas illa (quæ in suo conceptu essentiali non indiget vllo Charactere (est alia quæstio, quam suprà tractaui, vbi dixi longè probabilius videri, omnino infundi nouum partialem Charactere m.

SECTIO VII.

De materia & forma Episcopatus.

28 RESTAT nunc explicare materiam & formam Ordinis Episcopalis, quem suprà diximus esse Sacramentum partialiter à Presbyteratu distinctum. Patet Vasquez disput. 240. art. 56. tractat hanc quæstionem, vbi docet impositionem libri Euangeliorum supra ceruices non posse esse materiam consecrandi, cùm hæc debeat applicari ab ipso conferente Sacramentum; liber autem Euangeliorum imponitur non ab Episcopis consecratoribus, sed ab vno ex Capellanis, vt dicitur in Rubrica Pontificalis; & antiquitùs fiebat à Diaconis, vt expressè tradit Clemens lib. 8. Constitutionum cap. 2. Mirot tamen hæc à Patre Vasquez ita affirmari: etenim in Pontificali horum temporum (nescio quid fuerit in antiquioribus) edito nouem annis antè quàm hic Auctor componeret hoc opus; (ait enim ipse disp. 238. num. 51. se ante 28. annos, hoc est anno 1576. docuisse in Scholis hanc materiam; vnde infero, Ergo dum eam pro impressione composuit, debuit esse annus 1604. Pontificale autem est editum anno 1595. nouem ergo annis ante materiam hanc compositam; in eo inquam Pontificali expressè præscribitur, vt omnes tres Episcopi imponant librum suprà ceruicem & scapulas electi; quem tamen posteà tenere debet vnus ex Capellanis electi. Quod itaque ibi præcipitur de retentione, Patet Vasquez transtulit ad impositionem; ergo ex hoc capite benè potest ea impositio, vtpote facta ab omnibus tribus Episcopis, esse materia huius Ordinis. Quod verò de Clemente asseritur non vrget; quia sicut ibi nihil dicit, quòd Episcopi debeant imponere librum; ita nihil dicit, quòd debeant imponere manus supra caput electi: in qua tamen impositione Vasquez ponit adæquatam materiam; Clemens autem ibi videtur adæquatum modum consecrandi in Episcopum tradere; ergo ex eo loco nec pro se, nec pro nobis quidquam infert Vasquez; imò cùm impositionis libri fiat mentio, impositionis verò manuum non, procliuius est vt dicamus impositionem libri fuisse materiam, quàm vt id de impositione manuum asseramus.

29 *Omnes tres Episcopi debent librum Euangeliorum imponere, seruatis ritibus ordinandi.*

Probabile est manuum impositionem esse materiam partialem Episcopatus.

Iudico ergo Primò, in hoc puncto valdè probabile esse, eam impositionem manuum esse materiam saltem partialem: & in hoc acquiesco Patri Vasquez, qui alios etiam ibi pro ea citat; & videtur esse valdè conformis his, quæ Paulus 1. Tim. 4. ait; *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij*: quo vltimo verbo significari Episcopos ad eam impositionem concurrisse docent multi Recentiores. Neque est, quod in contrarium magnopere vrgeat, nisi quòd per ea verba, *Accipe Spiritum sanctum*, & per eam impositionem manuum, nullum speciale ministerium Episcopi designetur, ac proinde non videatur esse apta forma & materia esse pro Episcopatu. In qua difficultate soluenda laborat Pater Vasquez ibi; ait autem denotari, quòd Episcopi illi accipiant electum ad suum ordinem eo ipso, quòd tres conueniant ad eam impositionem. In Diaconatu autem dum Episcopus etiam imponendo manus dixit, *Accipe Spiritum sanctum*, nulla est ratio, cur asseratur Diaconum accipi ad consortium Episcopi, cùm vnus Episcopus tam sit Minister Ordinis Sacerdotij & Subdiaconatus quàm Diaconatus; è contrario verò tres Episcopi solùm sint Ministri Episcopatus. Hæc solutio mihi nullo modo placet; primò, quia potest ex dispensatione saltem Pontificis vnus Episcopus conferre Episcopatum; quo casu eadem deberet esse materia & forma illius, maximè iuxta patris Vasquez sententiam, qui putat eam esse omnino determinatam à Christo. Atqui tunc nullo modo ea impositio manuum quidquam magis denotaret de consortio illo quàm in Diaconatu, cùm fieret etiam ab vno Episcopo; ergo ex hoc capite nulla sumitur differentia. Secundò, quia materiæ & formæ significatio debet ex ipsa rerum significatione desumi, non ex extrinsecis circumstantiis; alioquin ego dicam, Cùm pro Diaconi Ordinatione supponatur iam ille esse Subdiaconus, & immediatus ascensus sit ad Diaconatum, non ad Presbyteratum, aut Episcopatum, eo ipso in iis circumstantiis τὸ *Accipe Spiritum sanctum* solùm significare Ordinem Diaconatus.

Quidquid ergo de ea ratione sit, nos faciliùs respondemus Primò, Inde solùm sequi, eam impositionem manuum non esse adæquatam materiam; id quod ego libenter admitto (vt constabit statim.) Secundò respondeo iuxta dicta suprà, Christum reliquisse Ecclesiæ determinationem signi collatiui Ordinis Episcopalis; Ecclesiam autem eam impositionem manuum cum eis verbis constituisse pro signo ad placitum collationis Ordinis Episcopalis; in signis autem ad placitum non esse necessariam similitudinem physicam: vt stupa ante domum pendens est in multis locis signum venalis vini, cùm tamen nullam habeat cum venditione vini physicam similitudinem. Neque instantia ex Diaconatu quidquam vrget; nam ibi sunt alia verba, *Accipe Spiritum sanctum ad resistendum*, &c. potuit autem Ecclesia illa verba non nudè prolata, sed simul cum traditione libri & cum aliis verbis adiunctis vsurpare pro signo Diaconatus collati; eadem tamen prolata sine vlla limitatione, quia videntur plus significare de gratia Spiritus sancti, accipere pro signo collati Ordinis Episcopalis. 31

Secundò dico, Impositionem libri esse etiam partialem materiam huius Ordinis. Quæ est sententia Ostiensis, Antonini, Caroli Bouij & Turriani apud eumdem Vasquez suprà num. 61. quia reuerà maximè est proportionata ad significandum Episcopum esse quasi doctorem populi. Vnde Ecclesia in Officio de Communi omnium Sanctorum Confessorum Episcoporum in Responsorio sexto: *Et omnis terra doctrina eius replata est.* Adde, illam impositionem fieri ab omnibus tribus Episcopis, vt ostendi contra Vasquez; nihil est ergo quod illi desit ad rationem materiæ. 32 *Impositio libri est materia partialis Episcopatus.*

30 Tertio iudico vnctionem capitis & manuum esse

Vnctio capitis & manuum est etiam partialis materia Episcopatus.

esse vltimam partialem materiam huius Sacramenti cum suâ partiali formâ, quæ tunc ab Episcopo profertur. Id mihi videtur valdè iuxtà sensum Pontificis: nam in Pontificali ante vltimam vnctionem manuum semper vocatur *Electus*; finitâ verò manuum consecratione iam non *Electus*, sed *Consecratus* dicitur; ergo Ecclesia supponit eum nondum esse essentialiter consecratum ante eam vnctionem manuum; ergo ea est saltem partialis materia essentialiter ad huius Ordinis collationem requisita. Nec deest valdè probabilis ratio; nam Episcopus quasi ex munere proprio consecratur ad actiones, quæ manuum ministerio debent fieri; qualis est consecratio Sacerdotum, Diaconorum per impositionem manuum, & Confirmationis per Chrisma; ergo ea manuum consecratio maximè est apta ad significandum hunc Ordinem.

Fortasse aliquis diceret, Etiam Sacerdotem constitui ministrum Extremæ Vnctionis, quæ
33 per vnctionem adhibetur. Respondeo Primò, etiam esse ex hoc capite aliquam congruentiam, vt potuerit ea inunctio manuum in Sacerdotio assumi pro partiali materia eius Ordinis; Ecclesiam tamen non voluisse, sed aliam diuersam. Secundò respondeo, Plura esse in Episcopo, ad quæ ordinatur per vnctionem manuum, nempe ad Ordines conferendos, & simul ad Confirmationem; vnde ibi potuit assumi maiori cum fundamento.

Fortè argumento nostro ex modo loquendi Pontificalis desumpto respondebis; Ideò post consecrationem manuum vocari iam non *Electum* sed *Consecratum*, quia iam sunt finitæ omnes etiam cæremoniæ, Sed contrà; Quia adhuc restat traditio annuli, baculi Pastoralis, & Mitræ; & tamen vocatur *Consecratus*; ergo non ratione absolutarum iam cæremoniarum, sed ratione substantialis consecrationis finitæ vocatur ab eo puncto *Consecratus*: adhuc ergo nostra deductio habet magnam probabilitatem.

Aliter respondet Tannerus huic confirmationi, scilicet eum diuersum modum loquendi non esse tribuendum Ecclesiæ, sed illi qui Pontificalis Rubricas composuit; additque eis verbis non significari plus, quàm Episcopum nondum plenè esse consecratum. Hæc tamen solutio in primis non est conformis doctrinæ eiusdem Tanneri, qui num. 53. ex simili modo loquendi Pontificalis probat traditionem libri Epistolarum esse materiam essentialem partialem Ordinis Subdiaconatus; debuisset ergo hîc similem Rubricam
34 approbare. Secundò ea responsio dat occasionem, vt ad omnia, quæ ex Cæremoniali adferantur, respondeamus solùm fuisse eum sensum componentis Rubricas; hoc autem valdè durum est. Tertiò, quando Tannerus dicit ex ea Rubrica solùm colligi, ante vnctionem capitis & manuum non esse Episcopum consecratum perfectè, rogo, quid per hoc velit dicere: an quòd non sit perfectè essentialiter, an verò solùm accidentaliter? In hoc secundo sensu iam ea solutio est reiecta paulò antè; quia etiam post vnctionem illam non est omnino consecratus accidentaliter: si autem ideò dicat primum, iam habeo intentum, scilicet eam vnctionem partialiter essentialiter esse materiam huius Ordinis; adhuc ergo ea nostra probatio habet suam vim. Et ita hanc sententiam tenet Syluius & Fornierus apud eumdem Tannerum, quā etiam ipse probabilem dicit. Eam vltimò probo ex cap. vnico de sacra Vnctione, in quo Innocentius Tertius mandauit, vt Episcopus Braccarensis, quii non fuerat inunctus, inungeretur Romæ ab Episcopo Albanensi adstantibus duobus Episcopis secundùm morem Ecclesiæ Romanæ. Vnde sic argumētor: Si fuisset ea vnctio pura cæremonia, haud fuisset solicitus Pontifex eam post tam logum tempus supplere. Deinde toto eo capite multus est Innocentius, vt ostendat essētialiter & necessariò requiri eam Vnctionem; vbi inter alia hæc habet: *Manus inunguntur, vt ostendatur accipere potestatem consecrandi & benedicendi.* 35 Non dixi, *Vt ostendatur quod acceperit*, sed *Quòd accipiat potestatem*; ea autem potestas consecrandi Sacerdotes & Episcopos sine dubio pertinet essentialiter ad potestatem & Ordinem Episcopalem; ergo hanc accipit per eam vnctionē. Ibi præterea Pontifex duas distinguit vnctiones, vnam visibilem, alteram inuisibilem; & illam dicit signum huius. Vnde meo iudicio efficaciter argumentor: Nam cùm per inuisibilem intelligat gratiæ vnctionem, eo ipso videtur exteriorē vnctionem facere signum gratiæ sanctificantis; in qua practica significatione communiter constituitur ratio Sacramenti; ergo illam vnctionem insinuat esse Sacramentum.

Inuitatio Tertium iussit addi vnctionem manuum & capitis Episcopo Braccarensi Romæ, omissam in consecratione illius.

36 Fortè dices, Hunc textum esse contra me, cùm in titulo capitis dicatur, *Ecclesiam Græcam seruare in consecrationibus & ordinationibus vnctionem manuum, quam seruat Ecclesia Romana*: Atqui diximus suprà Ecclesiam Græcam validè consectare per diuersam materiam & formam ab ea, qua vtitur Ecclesia Romana. Respondeo, Ita quidem in titulo ei capiti præfixo dici, me tamē in toto capite nihil videre, quod de Ecclesia Græca quidquam velleuiter insinuetur; imò cùm agat de Episcopo Braccarensi, qui Episcopatus est in Lusitania, & ibi dicat Pontifex moris esse apud eos ad quos scribit, consecrare sine vnctionibus, non possum aliud suspicari, quàm ipsum ad Lusitanos scripsisse; eum autem, qui titulum capitis præfixit, putasse Braccarā esse in Græcia, ideoque dixisse, Pontificem præcipere Græcis. Glossa videtur sensisse hanc difficultatē circa eum locum, ideóque respondet legendum *Brandiribanfim*, eò quòd ibi agat Pontifex de quodam Episcopo Græco. Verùm hæc solutio non subsistit; quia in ea supponitur id, quod ex eo capite nequaquam potest probari; & cùm textus retinuerit *Braccarensis*, non video, cur aliter res sit explicanda.

37 *Obiicitur*

Obiicies adhuc, In eo capite & infrà adduci cum emphasi testimoniū Anacleti Papæ origine Græci, qui iussit vt Episcopi vngerentur; si autem non ageret Pontifex cum Græcis, quid fuisset ei necessarium dicere reflexè, Anacletum fuisse Græcum? Respondeo, Potuisse id adferri ad maiorem efficaciam argumenti, ostendendo simul etiā in eo puncto cōsentire Græcos cum Latinis.

Soluitur.

Altera obiectio:

Secundò tamen obijcies: Ibi Pontifex ait ex præcepto diuino Catholicam Ecclesiam tenere eam consuetudinem vngendi Episcopum: vnde quidem: Primò pro nobis infertur, Illam vnctionem esse Sacramenti partem; nā cæremonias Sacramentorum nemo dicit fuisse à Christo determinatas. Secundò tamen contra nos infertur, Christum Dominum determinasse materiā Ordinis, non autē reliquisse id liberum Ecclesiæ; ac proinde argumentum quod ita suprà vrsimus ex Ecclesia Græca aliter ordinante, non esse efficax. Respondeo, Etsi Pontifex loquatur de præcepto diuino, non tamen dixisse *de Præcepto Christi*; ipse enim Pontifex se explicat, statim probando illud

Soluitur Primò.

illud præceptum; ait enim: *In Exodo quippe legitur præcepisse Dominus, vt Aaron & filios eius ungeret.* &c. Non ergo agit de præcepto proprio nunc Ecclesiam obligante, sed olim lato; quodque Ecclesia iuste etiam nunc obseruat per modum cæremoniæ in Episcopi consecratione.

38 Vnde potiùs ego efficaciter in contrarium argumentor, Nam si Pontifex credidisset id fuisse à Christo verè imperatum, non recurrisset ad solum præceptum Moysi impositum; sed id probasset maximè ex Christo Domino. Neque obest, quòd præcepta antiqua iam non habent vim præcepti, ac proinde non possit dici Ecclesia Catholica id seruare ex præcepto diuino. Hoc inquam non obstat; respondetur enim valdè facilè, Pontificem dicere id Ecclesiam seruare ex antiquo præcepto, non quia iam obligetur illo, sed quia se vult illi accommodare; vt patet in eo quod ibidem addit, etiam id Ecclesiam tenere ex consuetudine Apostolorum; certum autem est consuetudinem Apostolorum non esse præceptum obligans Pontificem, neque Ecclesiam, nisi ipsa Ecclesia per Pontificem confirmet eam consuetudinem; Apostoli enim non habuerunt maiorem potestatem quàm habeat Pontifex, nó sit ergo, cur ex eo modo loquendi quidquam inferatur. Secundò respondeo, *Secundo.* Nos suprà solùm adduxisse vsum Ecclesiæ Græcæ in consecratione Sacerdotis, non verò in Episcopi; potuit autem fieri quòd Christus pro Episcopi consecratione determinauerit eam vnctionem tamquam rem valdè mysticam, pro aliis verò Ordinibus nihil determinauerit; ac proinde obiectio suprà posita tota erit pro nobis, quatenus probat hanc vnctionem esse partialem materiam Episcopatus; quod nos dicimus; & quatenus ex altera parte non debilitat argumentum præcipuum nostrum, quòd materiæ ferè omnes Ordinum sint relictæ à Christo determinandæ ab Ecclesia. Quidquid tamen sit, An ex eo præcepto quidquam inferatur pro nobis, negari sanè non poterit totũ illud caput valde efficaciter probare, vnctionem Episcopi reputari ab Innocentio Tertio materiam essentialem saltem partialem eius Ordinis.

39 Vrgebis tamen adhuc, Ad absolutè probandum eam vnctionem non esse materiam; quia ea fit tantùm ab vno Episcopo; cùm tamen etiam alij duo assistentes sint ministri huius Sacramenti. Respondeo Primò; esto dicamus ex Christi institutione requiri tres Episcopos pro cõsecratione Episcopi, de quo infrà; non tamen inde inferri, eos omnes esse ministros illius, vt communiter sentiunt Auctores. Vt enim post Tridentinũ ad valorem matrimonij interesse debent duo testes & Parochus; non tamen propterea illi sunt ministri eius Sacramenti; ita idem de assistentia duorum Episcoporum dici debet. Et sanè id videtur modo loquendi totius Ecclesiæ valde conformet numquam enim duo illi Episcopi dicũtur Consecrantes, sed Assistentes; solus autem ille qui celebrat, & reliqua facit, dicitur Consecrans: si autem æqualiter omnes tres Ordinem conferrent, non video sanè cur non deberent dici omnes tres Consecrantes: non est ergo cur ex eo capite reijciamus eam vnctionem manuum à ratione partialis materiæ. Secundò respondeo; Satis esse, quòd illi duo adhibeant aliquam partialem materiam, qualem esse diximus impositionem manuum & libri. Vt enim aliquis dicatur conficere Sacramentum aliquod, sufficit si partialem materiam & formam adhibeat; id quod patet manifestè in hoc ipso Ordine, de quo agimus: etenim si alij duo Episcopi sint partiales illius Ministri, vt obiectio supponit, profectò necessum est, vt illa ipsa impositio libri, aut manuum, quæ fit ab Assistentibus Episcopis, sit etiam materia partialis & essentialis eius Sacramenti; atqui ea quæ fit à duobus non fit ab Episcopo consecrante; & quæ ab hoc fit, non fit ab Assistentibus; & quæ ab vno Assistente, non fit ab altero; ergo nullus adhibet totam materiam & formam; & tamen qui adhibent partialem, dicuntur in hac obiectione Ministri huius Sacramenti; ergo etiamsi ego dicam illam manuum vnctionem esse partialem materiam, profectò esto ea non adhibeatur à duobus Episcopis assistentibus, non ideò cogor excludere hos à ratione Ministri; cùm tribuatur illis partialis materia & forma omnino essentialiter requisita ad subsistendi eius Sacramenti. Vides ergo quàm consequenter omnia soluãtur? Concludo ergo, Tripliciter esse materiam & formam pro collatione huius Ordinis, Impositionem libri, Impositionem manuum, ac Vnctionem Episcopalem tam capitis quàm manuum. Et de materia huius Ordinis, prout omnes octo partes includit, hactenus.

An omnes tres Episcopi sint Ministri Episcopatus.

DISPVTATIO LVII.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

1 HÆc est vna ex præcipuis huius materiæ difficultatibus, circa quam aliqua sunt certa, aliqua dubia: Primò certum videtur, Ordinarium Ministrum omnium horum Ordinum solùm esse Episcopum, ita vt simplex Sacerdos non solùm non licitè, sed nec validè vllum Ordinem conferre possit, nisi saltem adsit Summi Pontificis dispensatio; certum item è contrario, quemlibet Episcopum consecratum esse sufficientem Ministrum illius, saltem quoad septem Ordines; nam vtrùm pro Episcopatu esse debeant tres Episcopi, paulò pòst dicemus.

SECTIO I.

Quid de Episcopis excommunicatis, suspensis & hæreticis.

ILLVD autem verti potest in dubium. Vtrùm per excommunicationem, suspensionem, aut etiam degradationem amittat Episcopus potestatem validè ordinandi, & non solùm licitè. Scholastici quidem & Summistæ (teste Vasquez disput. 243. num. 3.) sentiunt, per excommunicationem & suspensionem nequaquam eam potestatem tolli. De hæreticis ipse Vasquez ait id esse tam certum, quàm quòd Baptismus ab eis collatus sit validus; quod vltimum videtur esse de fide. Ego tamen non iudico hanc rationem esse admodum efficacem. In principijs quidem Vasquez & communioribus putantium à Chri-

sto Domino immediatè fuisse determinatas eas materias & formas, optima ea est; nam Ecclesia non habet potestatem efficiendi, vt materia & Minister à Christo assignatus non sit sufficiens ad valorem Sacramenti: & ibi habet locum instantia tum ex consecratione specierum, tum ex Baptismo: neque enim potest Ecclesia efficere, vt Sacerdos verus non conficeret validè, neque vt quis non baptizet validè per formam à
2 Christo institutam. In nostra tamen sententia, quâ diximus relictam fuisse à Christo Ecclesiæ determinationem eorum signorum collativorum talis Ordinis, posset aliquis dicere, Liberum etiam fuisse Ecclesiæ determinare, vt signum adhibitum ab excommmunicato, aut hæretico, non sit verum signum ad placitum; vti adhibendo has vel illas accidentales solemnitates effecit Ecclesia, vt contractus clandestinus non esset verus contractus; ac proinde nec sufficiens materia matrimonij. Ratio à priori & vniuersalis est; quia in signis ad placitum potest Republica exigere has vel illas conditiones, quibus ablatis cesset in eâ re ratio signi: potuit ergo Ecclesia requirere, vt Episcopus eas voces proferens, & manus imponens, non sit hæreticus, vel excommunicatus, ad hoc, vt illa exteriora signa sint verè signa collati Episcopatus. Simile quid docuimus Tomo 7. cum Cardinali Lugo circa benedictionem Chrismatis, potuisse scilicet Ecclesiam efficere, vt nulla benedictio Episcopi excommunicati esset benedictio vera, sed potiùs exceratio; ac proinde nulla sufficeret, vt Chrisma sic benedictum esset apta materia Confirmationis. Quæ doctrina maximè habet locum in signis, quæ non sunt voces, quia illa minùs expressam habet vim significandi; verba enim exempligratia *Benedico te*, si relinquantur cum sua significatione, quam habent in lingua Latina, non possunt nō significare benedictionem etiam prolata ab hæretico, aut excommunicato. At in aliis
3 signis, qualia sunt impositio manuū, facilè ea significato ad placitū potest mutari. Nam ea impositio (vt & suprà ad aliud propositum notaui) potest diuersissimè vsurpari vel pro signo absolutionis à peccatis, sicut multi Confessarij antequam dent absolutionem facere solent; vel pro maledictione; sic è contrario senes illi, vt Susannā ostēderent eam manus illi supra caput imposuerunt. Potest ergo Ecclesia efficere, vt impositio manuū ab Episcopo hæretico nō sit signum ad placitum collati Ordinis Sacerdotalis; &c. Et qu dē de possibili ego nullo modo dubito. Neque propterea putandum est nos Sacramentorum collationē facere dependentē à bonitate vel malitia Ministrorū; qui fuit error quorumdam: longè enim absumus à tali errore. Dicimus enim, Eo ipso quòd debita forma & materia applicetur, & subiectum sit capax, validum confici Sacramentum, siue Minister sit bonus, siue malus. Solùm ergo docemus in casu nostræ quæstionis non adhibendam veram materiam, quia non adhibetur verum signū ad placitum; vti contractus sine Parocho & testibus, quia non est humanus contractus postquam Ecclesia petiit eam solemnitatem, non est vera materia pro Sacramento Matrimonij.

4 Et verò satis plausibiliter aliquis dicere posset, Id esse valdè conforme sacris Canonibus; quorū plurimi expressè dicunt ordinationes factas ab Episcopis in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarij esse irritas (à fortiori autem id debet intelligi de factis ab excommunicatis & suspensis); ita habetur quæst. 2. caus. 4. cap. 1. quod est Calixti cap. 2. cap. 6. & bis repetit. & 7. specialiter autem de hæreticis causa 1. quæst. 6 5. de excommunicatis; itē causa 9. quæst 1. cap. 2. ita habetur: *Excōmunicati manus illicitè imponunt, quia potestatem ordinādi non habent.* Ne autem intelligeretur id tantum de potestate licitè faciendi, addit: *Vnde reiterari necesse est, quod minimè probatur esse collatū.* Et ferè habet cap. 1. & cap. 3. His duobus testimoniis ex cap. 1. & 2. respōdet Vasquez, Esse quidem clarè pro ea sententia, nō tamen illas esse vllius auctoritatis, quia sunt solius Gratiani & Palcæ, aut cuiusdam Recētiori Cardinalis. Ad tertium quod est Damasi, respondet, Damasum ibi non loqui de ordinatis ab excommunicatis, sed de ordinatis à Chorepiscopis; (de quibus paulò pòst dicemus, fuerint nécne veri Episcopi;) illa verò loca, quæ de Episcopis in aliena Diœcesi sine licentia ordinantibus adduximus, ipse non affert; habent tamen magnam difficultatem propter vocem illam *irritam*, quæ omnino videtur significare fuisse inualidam ordinationem.

Nihilominùs tamē non est propter illa recedē- 5
dum à communi sententia. Dico igitur, Ex eodē titulo, capite vltimo, constare manifestè, validos censeri ab Ecclesia tales Ordines; nam in eo Vrbanus Papa ita ait: *Quos contra statuta Canonū ab alterius Parochia Episcopis ordinatos literarū tuarum significatione monstrasti, cum graduum suorum honore recipere religionis tuæ prudentia poterit si eos aliàs canonicè & sine prauitate aliquā ordinatos constiterit.* Ecce Vrbanus admittit validam fuisse eā collationē, si cetera seruata fuēre: ergo dum in aliis canonibus dicitur, Tales ordinationes nō esse ratas, non significatur eas validas non fuisse. Respondendum ergo, In illis non agi de valore Ordinum secundùm se, sed vel idem intelligi per *non ratas*, atque per *illicitas*; vel certè (quod mihi magis arridet; nam eas fuisse illicitas extra controuersiam erat; nec fuit necessum eā de re Pontificem interrogare, aut eum quidquam dicere) ne reputentur validæ, hoc est, non permittantur sic ordinati exercere eos Ordines, non aliter quàm si fuissent inualidæ ordinationes. Quæ solutio ideò est mihi magis probabilis, quia est conformis illi vltimo capiti Vrbani & aliis, in quibus, quando ipsi qui ordinati sunt accessèrè bona fide, aut postea valdè benè se commendarunt, permittuntur seruire in suis gradibus acceptis. Potest 6
etiam Tertiò responderi, Eò quòd olim huiusmodi ordinationes fiebant quasi applicando Presbyterum & Episcopū ad hanc vel illam Ecclesiam, ideò Pontificem eas applicationes, quæ ad ius positiuum pertinent, dixisse esse irritas. Dici denique Quartò potest, Aliquando illos hæreticos; maximè cùm separati essent ab Ecclesia, noluisse etiam seruare in Ordinationibus ea signa, quæ Ecclesia determinauit, ne proinde eos non fecisse validum Sacramentum; est autem summè probabile eos in hoc puncto sæpè errasse. Dicendum ergo est, Licet Ecclesia potuerit efficere modo dicto, vt hæretici & excommunicati Episcopi non possent valide consecrare; de facto tamen non esse sufficiens fundamentum ad asserendum ita re ipsa fecisse. Vnde omnino iudico, Episcopos, & hæreticos, & excommunicatos validè conferre Ordinem. Et ita in Ecclesia videtur semper fuisse in praxi, vt Episcopi & Sacerdotes ab hæreticis ordinati, seruato alioquin debito ritu, non ordinarentur iterùm.

Republica potest requirere certas conditiones in signis ad placitū, sine quibus nihil significent.

Potest Ecclesia facere vt manuum impositio ab Episcopo hæretico non sit signum collati Ordinis.

Episcopi excommunicati, & hæretici valide conferunt Ordines.

ferùm. Et ita sentiunt D. Thomas, Albertus, Richardus, Bonaventura, Argentinas, Durandus, Capreolus, Almainus, vterque Soto, Sylvester, Supplementum Gabrielis, & Angelus, quos refert & sequitur Vasquez suprà num. 8. licet (vt dixi paulò antè) ex minùs bono fundamento, quòd putet ea signa, seu materiam omnino fuisse determinata à Christo. Quæ in contrarium ex aliquibus textibus possent obiici, soluta sunt paulò antè.

SECTIO II.

Quid de degradatis, & non habentibus inferiores Ordines.

7 CIRCA primam partem tituli, de degradatis maior est difficultas quàm circa suspensos & excommunicatos. Nam Richardus apud Vasquez cap. 2. asserit quosdam sensisse, Ordines ab illis collatos esse omnino inualidos, id quod probant ipsi; nam Christus dedit Summo Pontifici facultatem auferendi his potestatem & gradum totum Episcopalem, licet non auferendi Sacerdotalem potestatem consecrandi. Hæc tamen sententia omni caret fundamento suppositis principiis certioribus, quòd Episcopatus sit verum Sacramentum, & imprimat Characterem; imò Concilium Tridentinum, dum definit Ordinem iterari non posse, videtur planè definire, non posse eam potestatem Episcopalem auferri; nam si auferri ea posset, eo ipso posset secundò conferri. Non debet igitur illa doctrina vt sit probabilis fundari in eo principio, quòd degradati non possint validè consecrare, sed in eo, quòd diximus de defectu materiæ, quatenus Christus voluit, vt non nisi ea impositio manuum, aut traditio libri, aut signum illud, quod Ecclesia instituerat esset materia sufficiens. Diximus autem paulò inferius Ecclesiam in his signis ad placitum posse requirere conditiones pro suo libitu; inter quas vna poterat esse, ne ea impositio manuum fieret ab Episcopis degradatis.

8 *Episcopus degradatus validè confert Ordines.*

Nihilominùs tamen dicendum est, Etiam Episcopos degradatos posse validè cõferre ordinationem. Ratio à priori est; quia Ecclesia per eorum degradationem nihil omnino videtur innouare circa determinationem materiæ & formæ ordinationis, sed potè potè circa personas ipsas Episcoporum, eis, in quantum potest, auferendo potestatem licitè eas ordinationes faciendi, & ostendendo se, si posset, velle ab eis etiam potestatem propriam & intrinsecam eorum auferre; eodem planè modo, quo facit cum simplici Sacerdote, quem degradat; vbi tamen certissimum est, non auferre illi potestatem consecrandi validè Corpus & Sanguinem Christi Domini; ergo Episcopi sic degradati, si velint applicare materiam, quæ est determinata ab Ecclesiâ, poterunt validè ordinare, etiamsi si licitè id faciant.

Differentia inter potestatem conficiendi Corpus Christi & conferendi Ordines.

Video huic discursui responderi posse ex differentia inter consecrationem Corporis Christi, & inter ordinationem; nam quoad consecrationem ita est materia & forma à Christo instituta, vt Ecclesia non possit eam vllo modo mutare, seu eam aliter determinare; ac proinde cùm Ordo in ipso Sacerdote existens tolli nequeat, non potest Ecclesia efficere, vt Sacerdos supra eum panem proferens formam illam, *Hoc est*, &c. non consecret valide; ergo per degradationem Sacerdotis Ecclesia nihil aliud intendit quàm ostendere suum animum auferendi ab illo, si posset, eam potestatem; simul autem reddit illi illicitam eam celebrationem. 9

At quoad ordinationem alia longè est ratio. Cùm enim ostenderimus posse Ecclesiam determinare materiam, potest eo ipso requirere, vt illa materia sit à Ministro non degradato: vnde si vult, quantum in se est, auferre illi Episcopo potestatem validè ordinandi, profectò id efficiet re ipsa. Neque ad hoc requiritur fieri ab Ecclesiâ mutationem aliquam in ipsa materiâ, sufficit enim si fiat in Ministro. Id quod ostendi potest validè clarè in Sacramento Matrimonij; nulla enim de nouo facta mutatione in materiâ, potest Episcopus efficere, ne Petrus & Maria v. g. validè contrahant coram Antonio eorum Parocho, & coram duobus aliis testibus; (cùm alioquin valide possint;) potest inquam id efficere, si ab Antonio iustas ob causas tollat titulum Parochi: iam enim eius præsentia nihil efficiet ad valorem eius matrimonij; quia cùm ad rationem contractus, prout est materia matrimonij, non sufficiat ex Ecclesiæ determinatione præsentia Antonij, quâ Antonius est, & quâ Sacerdos est, sed quâ est Parochus, ablata per Episcopum ab illo ratione Parochi, nulla alia in ipsa materia facta mutatione, iam non est sufficiens partialis materia ipsius præsentia. Ita eo ipso quòd impositio manuum Episcopalium non sit ex voluntate Ecclesiæ signum ad placitum traditi Ordinis, nisi Episcopus ille non sit degradatus; (quia in huiusmodi signis iam diximus posse has vel illas conditiones exigi;) profectò eo ipso quòd Ecclesia degradet Episcopum illum nulla penitus facta mutatione in materia, iam impositio manuum eius Episcopi degradati non erit signum ad placitum collati Ordinis, ac proinde nec erit materia Ordinis, quam Christus requisiuit in genere, id est signum ad placitum Ecclesiæ collatiuum talis vel potestatis; ergo non est necessum vllam ipsa materia fieri mutationem ad hoc, vt intelligamus Episcopum degradatum non posse validè conferre Ordinem. Respondeo, Probari manifestè hoc argumento, discursum suprà à me factum non omnino conuincere, & Ecclesiam potuisse ita statuere, vt in hac obiectione dicitur. Addo tamen, vt id re ipsa faceret, debuisse hoc ipsum explicare, dum constituit, seu determinauit, quæ essent futuræ Ordinum materiæ; vti Tridentinum determinauit circa matrimonium, quando dixit ad valorem illius requiri præsentiam Parochi & duorum testium: nihil simile fecit circa materias Ordinum; non enim aliud dixit quàm impositionem manuum Episcopi, aut traditionem libri, &c. esse materiam; nihil addidit, quòd deberet Episcopus esse non degradatus; ergo nos rectè inferimus, Eam non-degradationem non esse de facto conditionem essentialem ex parte materiæ ad hoc, vt illa libri traditio, impositio manuum, &c. sint re ipsa signa ad placitum traditæ potestatis: quòd si hoc non requiritur, cùm aliunde potestas ex parte ipsius Episcopi non possit auferri, eo ipso ille validè per eam traditionem libri, aut calicis, aut per impositionem manuum ordinabit. 10 11

Iam circa secundum dubium in titulo sectionis positum quæri potest, An requiratur ex parte

natum eam commissionem extendunt, id probant ex eo, quòd Chorepiscopi, quorum valdè multi olim in Ecclesia fuêre, quique non erant Episcopi consecrati (vt probat fusè Vasquez disput. 235. cap. 7.) conferebant olim Subdiaconatum, vt ex Conciliis, Ancyrano, Antiocheno, Meldensi & Hispalensi probat idem Vasquez disput. 243. num. 19. vbi etiam adducit Gelasium Papam & Isidorum. Secundò probatur; quia Victoria in Summa num. 235. ait se vidisse Bullam Pontificis, quâ concedebatur Abbatibus Cistercien sibus, vt Subdiaconatum conferre possent, Ioannes item Maior apud eumdem Vasquez meminit alterius Bullæ, quâ iisdem concedebatur amplior adhuc potestas. Qui verò ad Diaconatum etiam extendunt facultatem hanc, vtuntur eodem argumento de Chorepiscopis & Bulla Innocentij Octaui, quam Vasquez ait se vidisse in nostra Bibliotheca Complutensi, in qua expresse Abbati cuidam, & aliis quatuor, quos ibi non nominat, facit Pontifex potestatem conferendi Diaconatum & Subdiaconatum suis Monachis, ne vagari cogantur extra Monasterium. Denique qui id etiam ad Presbyteratum extendunt, id probant ex Chorepiscopis, quibus in Concilio Antiocheno solùm prohibetur, ne Presbyterum ordinent absque conscientia Episcopi proprij. Id quod etiam insinuauit Concilium Ancyranum; quod ibidem citat Vasquez.

17 Contrariam sententiam absolutè etiam quoad minores Ordines, vt suprà diximus, tenet Adrianus in 4. quæstione de Sacramento Confirmationis, & Maior in 4. distinct. 7. quæstione vnica. Quoad maiores verò solos Sanctus Thomas, Paludanus, Richardus, Syluester, Capreolus, & Couarruuias apud Vasquez num. 3. vbi etiam citat Sotum & Durandum; Tannerus verò addit Valentiam & Azorium. Aliqui ex his Auctoribus cum Diuo Thoma ideò excludunt Ordines maiores quia dicunt, Christum non voluisse vt Pontifex posset conferre simplici Sacerdoti potestatem conferendi illos Ordines, qui proximè referuntur ad Corpus ipsum Christi; quales sunt Presbyteratus, Diaconatus & Subdiaconatus; esto permiserit vt minores Ordines, etiamsi sint Sacramenta, possint à simplici Sacerdote ex commissione Pontificis conferri: quam propositionem non probant vlteriùs, sed supponunt vt omnino certam, cùm tamen in ea ipsa sit tota quanta difficultas præsentis quæstionis.

SECTIO II.

Quid sit in hoc puncto dicendum.

18 CIRCA hanc quæstionem dico, Cùm illa purè purè pendeat à voluntate Christi, non nisi ex auctoritate nobis quidquam de illa constare posse, auctoritatem autem vix videri sufficientem esse, vt in alteram partem propendeamus sine dubitatione. Iudico ergo Primò rem esse valdè dubiam ob immediatè dicta; Secundò, Auctores ferè omnes, qui ex Concilio Florentino affirmant posse eam commissionem fieri simplici Sacerdoti, loqui minùs consequenter, nam aliqui illorum solùm admittunt minores Ordines, alij Subdiaconatum, alij Diaconatum, alij denique Presbyterarum, nullus admittit ipsum Episcopatum: atqui Concilium vniuersaliter loquitur de Ministro Ordinis, nulla penitus facta distinctione vllius Ordinis in particulari; ergo vi eius Concilij vel admittendi sunt omnes Ordines, vel certè nullus. Habet autem hæc ratio vim maiorem contra eos, qui solos minores admittunt: nam cùm illi sint respectiuè ad maiores quasi solùm secundum quid Ordines, & verò in multorum sententia nec quidem sint Sacramenta, non videtur posse dici, Concilium, quando de Ministro Ordinis dixit *Ordinarium esse Episcopum*, solùm locutum de minoribus Ordinibus, quòd si etiam maiores includit, certè circa illos habebit vim discursus suprà factus, quòd non gratis posuerit Pontifex illam vocem *Ordinarius*: non potest ergo ex illo loco quidquam deduci, nisi vel vniuersaliter affirmando, vel è contrario negando vniuersaliter. Posietque dici, Pontificem ibi vsum fuisse ea voce *Ordinarium*, vt abstraheret à quæstione, quæ adhuc erat sub lite inter Auctores, ac proinde nihil in vllam partem inde colligi. Illa autem disparitas, quam ex D. Thoma inter maiores & minores Ordines posuimus, cùm solùm sit congruentia quædam, nec aliunde ostendatur Christum illa fuisse re ipsa permotum ad eam differentiam inducendam, quam D. Thomas intendit, non potest nobis esse sufficiens fundamentum ad ipsius sententiam tenendam.

Tertiò dicendum censeo, Esse valdè probabile, Diaconatum & Subdiaconatum posse conferri à simplici Sacerdote ex commissione Pontificis, quia reuerà Bullæ illæ, quibus ea facultas concessa dicitur, referuntur à viris grauissimis quos non possumus iudicare fuisse aut mentitos aut deceptos; multò autem minùs possumus asserere, Pontifices eam facultatem concedentes errasse. Cùm enim ea dispensatio sit in Ordine ad rem grauissimam de administratione Sacramentorum, non possumus dicere, in ea errasse Pontificem. Et verò si semel aperiatur porta, vt dicamus Pontifices in talibus Bullis errasse; quæ erit quæso ratio ad non dicendum, errasse etiam Pontifices in aliis Bullis responsoriis, quæ sunt in corpore Iuris collectæ, cùm illæ non habeant suam auctoritatem ex eo, quòd ibi sint positæ, sed quòd à Pontifice sint datæ? Ideò omnibus pensatis hæc pars mihi probabilior videtur.

19 *Probabile est simplicem Presbyterum ex commissione Papæ posse conferre Subdiaconatum & Diaconatum.*

Vbi aduertendum est, per Concilium Tridentinum esse reuocata huiusmodi priuilegia, & solùm relictam Abbatibus potestatem concedendi minores Ordines; per quod tamen nullo modo infertur, inualidas fuisse priores concessiones.

Circa probationem autem huius sententiæ obseruo, me non vti eo argumento ex Chorepiscopis sumpto; Primò, quia licet probabilius sit (vt Vasquez, Tannerus, & alij probant) eos non fuisse veros Episcopos; est tamen id adhuc sub lite aliis contrarium probabiliter sentientibus. Secundò, quia (vt ex Bellarmino ait Tannerus dub. 3. num. 75.) esto Chorepiscopi ex eo officio non fuerint necessariò veri Episcopi consecrati; non est tamen improbabile, imò valdè verisimile, sæpè fuisse veros Episcopos vti nunc Vicarij Episcoporum quà tales non sunt Episcopi consecrati, sæpissimè tamen re ipsa, &, vt sic dicam, materialiter sunt Episcopi. Et verò fuit olim consuetudo (vti in Diuo Augustino constat) Episcopos consecrare suos successores, eisque committere administrationem Episcopatus

20 *Probabile est multos Chorepiscopos fuisse veros Episcopos, licet forte non fuerit necesse ex vi officij.*

magna ex parte; illi ergo potuerunt sæpè etiam in numerum Episcoporum computari. Suppositâ autem hac doctrina, quæ verosimillima est, clarissimè explicatur, quare aliqua Concilia cauere potuerint, ne Chorepiscopi ordinarent Diaconos, Subdiaconos & Presbyteros sine licentia Episcopi; non quia id potuerint facere validè, si simplices tantùm essent Sacerdotes; sed ne id facerent, etiamsi re ipsa essent materialiter, vt dixi, Episcopi consecrati. Non enim volebant Concilia eas Ordinationes à Vicariis fieri sine licentia proprij Episcopi; vti seuerissimè prohibent, ne alterius Episcopatus homo ordinetur etiam à verissimo Episcopo sine licentia proprij, adeò vt aliqui Canones dicant eam ordinationem esse irritam; cùm tamen, si facta est à vero Episcopo, esto non proprio, validissima sit iuxta communem omnium sententiam; ergo ex ea prohibitione Conciliorum, ne Chorepiscopi sine licentia Episcopi conferant Ordines illos, nihil penitus infertur, quòd potuerint à simplici Sacerdote concedi.

21 Confirmo id meo iudicio efficaciter; nam quicumque dicunt posse eam facultatem fieri simplici Sacerdoti; addunt tamen non posse nisi ex solius Summi Pontificis auctoritate: atqui ea Concilia Prouincilia non agebãt cum Chorepiscopis habentibus talem commissionem & facultatem à Papa, sed electis ab ipsis priuatis Episcopis in Vicarios quasi rurales, seu villaticos; ergo quando prohibebant, ne tales ordinarent sine licentia Episcopi, loquebantur de illis, qui independenter ab ea commissione Papæ id poterant validè facere; hoc autem non habebant, nisi qui erant veri Episcopi consecrati: ergo ea limitatio Conciliorum non concernebat omnes Chorepiscopos, aut officium Chorepiscopi quâ tale, sed eos, qui fortè re ipsa vltra illud officium haberent verum Ordinem Episcopi titularis, seu annularis, vt solent vocari.

Obiectio. Sed dices contra hunc meum discursum: Si sermo ibi habebator ad Chorepiscopos verè consecratos, profectò non solùm debuisset illis prohiberi, ne conferrent Presbyteratum, sed etiam ne Episcopatum; quia tales verè consecrati Episcopi etiam poterant Episcopatum validè conferre. *Solvitur.* Respondeo negando necessariam fuisse prohibitionem hanc. Ratio autem est meo iudicio manifestissima; nam non consecrare Episcopos non solùm erat prohibitum Chorepiscopis, sed ipsis etiam Episcopis in suo Episcopatu: ad eam enim consecrationem necessaria erat licentia Primatis, seu Archiepiscopi, & vt tres Episcopi simul conuenirent ad eam consecrationem, iuxta paulò pòst dicenda; quæ non poterant moraliter fieri sine notitia Episcoporum, quorum subditi erant illi qui consecrabantur; ideóque non fuit necessaria noua prohibitio. Debuerte autem Concilia esse solicita, vt in Chorepiscopis impedirent eam collationem aliorum Ordinum, quæ poterat & solebat fieri magis priuatè ab vno solo Episcopo; qualis erat collatio etiam Presbyteratûs. Adhuc ergo videtur benè ostendi; ex Chorepiscopis nihil pro re præsenti probari.

22 *Probabilius est, non posse Papam committere Simplici Sacerdoti consecrationem Presbyteri.* Circa Presbyteratum iudico longè probabilius, non posse illum à simplici Sacerdote etiam ex commissione concedi, Ratio desumitur ex dictis; quia in eo cessat totum fundamentum quod pro Diaconatu & Subdiaconatu habemus, nempe Bullæ illæ à Pontificibus concessæ; quia nulla planè pro Presbyteratu adfertur. Aliunde item nullum adducitur fundamentum; non ergo debemus id concedere. Multò autem minùs id debet extendi ad collationem Episcopatûs; nam hunc omnes omnino Auctores docent nõ posse à simplici Sacerdote concedi: & fauet ratio; quòd cùm simplex Sacerdotium sit infra Episcopatum, neque illum contineat, nõ videtur ille posse à simplici Sacerdote concedi.

Aliqua, quæ circa licitam administrationem Ordinum statuuntur in Tridentino, vide apud Vasquez cap. 6. vbi ea collegit ex Paludano. Ferè autem reducuntur ad hoc, vt nullus Episcopus siue titularis siue realis ordinet alienum subditum sine licentia seu dimissorialibus proprij Episcopi, si ordinandus sit sæcularis; si verò sit Regularis dare eam licentiam spectat de facto ex priuilegij Religionum ad Superiores Regulares.

Potest Episcopus familiarem suum non subditum post triennium in familia existentem, licet nondum promissum, ordinare, modò postea si promineat.

Secundò in eodem Tridentino præcipitur, ne Episcopus familiarem suum non subditum ordinet, nisi per triennium fuerit cum ipso commoratus: quam prohibitionem ita explicat ibi Vasquez, vt ratione familiaritatis eius triennalis possit Episcopus eum ordinare, etiamsi non habeat adhuc vllum beneficium, dummodò ei post ordinationem prouideat de aliqua congrua sustentatione; ideò autem hanc explicationem addit Vasquez, quia alioquin ex iure communi licet cuilibet Episcopo ad Ordines promouere etiam non familiarem suum, neque subditum, neque etiam apud se per triennium iam commorantem, dummodò de beneficio ei prouideat.

Tertiò statuitur in eodem Concilio, ne ille, cui à proprio Prælato fuerit interdictus ascensus ad sacros Ordines etiam extraiudicialiter, possit ab alio etiam maiore quàm sit proprius Prælatus validè accipere dimissoriales, sed illæ iudicentur subreptitiæ, nisi fortè declaret sibi id esse interdictum; ideóque ille Prælatus altior habens etiam in inferiorem auctoritatem cẽsentur tunc relaxare eam prohibitionem.

Quartò statuitur, ne Episcopus aut eius Ministri quidquam accipiant pro collatione Ordinum.

Circa pœnas verò à Tridentino Sessione 3. cap. 10. de reformat. determinatas in eos, qui aliter faciunt, videatur idem Vasquez ibi. Nobis satis sit hæc breuiter insinuasse.

SECTIO IV.

An Episcopatûs Ordo possit minùs quàm à tribus Episcopis concedi

23 AD ceteros Ordines inferiores sufficere vnum Ministrum probatum est; nunc de Episcopatu quærendum, An id ipsum sufficiat. Supponendum tamen vt omnino certum, non minùs quàm à tribus Episcopis, saltem licitè, posse Episcopum consecrari: vtrùm autem ita tres requirantur, vt si ab vno solo ordinetur, inualida sit ea ordinatio, magna est difficultas. Paludanus, Antonius, Sylvester & Armilla apud Vasquez eo 6. capite putant non esse ad valorem necessarium nisi vnum Episcopum; id quod Vasquez ibi docet placere Recentioribus nonnullis: idem sentit Henriquez libro 10. cap. 24. num. 1.

Secunda sententia docet, Trium Episcoporum assistentiam esse necessariam de iure diuino ad electio

An Episcopus vnicus ex commissione Papæ possit alium consecrare.

electionis valorem; dedisse tamen Christum Dominum potestatem Summo Pontifici, vt possit id etiam vni soli committere. Pro vtraque hac sententia varia adferuntur loca meo iudicio non admodum efficacia, maximè pro hac secunda, quam defendit Vasquez cap. 6. & pro qua citat Glossam, Hugonem & Raymundum: eam probat num. 7. ex Ioanne Tertio, qui Epistola vnica in 1. Tomo Conciliorum hæc habet: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant illum non esse Episcopum, qui minùs quàm à tribus Episcopis auctoritate etiam Metropolitani fuerit factus.* Hic tamen locus vel nimium, vel nihil probat. Requirit enim ibi Ioannes Pontifex eodem modo licentiam Metropolitani, quo præsentiam trium Episcoporum; cum tamen extra controuersiam omnino sit, si tres Episcopi etiam sine vlla Metropolitani licentia, imò contra eius prohibitionem, aliquem consecrent in Episcopum, validam omnino fore eam electionem; ergo Ioannes non potest ibi intelligi de necessitate ad

Aliqua argumenta pro parte negante parum efficacia refelluntur.

24 valorem electionis. Eadem de caussa puto debile etiam esse aliud testimonium desumptum ex Concilio Rhegiensi cap. 1. cuius hæc sunt verba: *Itaque ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, neque expetitis Comprouincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod Episcopum faceret, ostensum est.* Hic inquam locus eodem laborat vitio quo præcedens; non enim alio modo requirit ad valorem Ordinationis litteras Metropolitani quàm pro præsentiam trium Episcoporum; dixi autem eas solùm esse necessarias vt licitè fiat, non vt validè. Respondendum ergo est, His locis solùm denotari, non debere vllo modo Episcopum sic ordinatum admitti ad officium Episcopi exercendum. Et sanè Vasquez ipse & alij fateri debent, ea verba, *nullam esse & irritam esse Ordinationem*, sæpè vsurpari ab antiquis Patribus pro eodem ac *non acceptari sic ordinatum ad vsum eius Ordinationis.* Etenim nos suprà agentes de forma & materia Sacerdotis adduximus aliquot loca, quibus de ordinato in Sacerdotem à vero Episcopo, sine licentia tamen proprij, expressè dicitur *eam ordinationem esse nullam, irritam, inualidam*, &c. cùm tamen apud hos omnes Auctores omnino sit extra controuersiam, eam ordinationem fuisse re ipsa validam; quia licentia proprij Episcopi requiritur quidem, vt licitè ordinetur Sacerdos, non tamen vllo modo vt validè. Vti ergo ibi *inualidum irritúmque* vsurpant pro *suspenso*; cur non licebit nobis eodem modo vsurpare in præsenti? Ego quidem eò loci insinuaui, ibi posse accipi ea verba in omni rigore, quia ostendi posse Ecclesiam determinare in particulari signa ad placitum, per quæ conferatur Ordo; inter conditiones autem essentiales eorum signorum potuit etiam requirere licentiam proprij Episcopi, sicut pro valore matrimonij requirit præsentiam Parochi proprij & duorum testium: quo sensu etiam nunc dico potuisse requirere non solùm præsentiam trium Episcoporum, sed etiam eas litteras Metropolitani, ad hoc vt ordinatio esset valida; hoc tamen non admittitur à Vasquez. Deinde non agimus nunc propriè de hac determinatione, sed, An à Christo Domino fuerint requisiti determinatè tres Episcopi ad valorem huius ordinationis. Constet ergo illa duo loca non esse efficacia.

Nullum irritum, inualidum, &c. sæpè ab antiquis accipitur pro illicito, aut suspenso, &c.

Adducit etiam Damasum, qui inde probat Chorepiscopos non fuisse veros Episcopos; quia ab vno Episcopo tantùm ordinari consueuerunt. *Quòd enim* ait *Episcopi non sint, qui minùs quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet; quoniam, vt benè nostis, prohibitum à sacris Patribus est, vt qui ab vno vel duobus sunt ordinati Episcopis, neque nominentur Episcopi, nomen non habent; qualiter officium habebunt?* Vrget autem hunc locum Vasquez, quia Chorepiscoporum ordinatio tolerabatur; ergo cùm Damasus dicat eos non esse Episcopos, non de suspensione eorum ab officio Episcopi intelligendus est; voluit ergo ostendere eos sic ordinatos non esse re ipsa veros Episcopos, eò quòd ab vno solo essent ordinati. Hic etiam locus meo iudicio non est efficax; Primò, quia eo potiùs insinuat totum hoc esse de iure Ecclesiastico, cùm solùm dicat à sacris Patribus prohibitum; de Christi autem institutione (de quo solo puncto nunc agimus) nihil penitus Damasus dicit. Secundò, ea auctoritas non est efficax; quia (ipsomet Vasquez teste disp. 138. num. 71.) supponit Damasum etiam locutum de Chorepiscopis, qui tempore Concilij Antiocheni consecrabantur à pluribus Episcopis: ergo ratio, cur illi non essent Episcopi, non poterat esse, quòd solùm ab vno ordinarentur. Nec potest responderi, In illis aliis etiam fuisse alium defectum, ob quem non fuêre veri Episcopi; vnde non sequitur eos, qui à solo vno Episcopo consecrati sunt, ex eo capite non reijci sufficienter à ratione Episcopi: hoc inquam responderi non potest; quia duæ aliæ rationes, quas affert Damasus pro inualiditate, nullatenus eam probant in omnium sententiâ. Vna est, quòd sint ordinati sine titulo alicuius Ecclesiæ; certissimum autem est id non requiri ad valorem consecrationis. Secunda est, quòd pro villâ, aut pago, aut exigua ciuitatula sint consecrati, vbi nullo modo conuenit Episcopum esse. Hæc etiam ratio sine dubio non efficit electionem inualidam. Cùm ergo his duabus rationibus adiungat eam de defectu trium Episcoporum, clarissimè videtur inde concludi, eum maximè negare Chorepiscopis illis iurisdictionem Episcopalem, quam sine dubio poterat Ecclesia illis auferre, seu quam illis non voluerat conferre, & quam ipsi affectabant; quasi aliquod medium efficerent inter simplices Sacerdotes & proprios Episcopos. Et sanè hoc præcisè videtur tota illa Epistola Damasus intendere; semper enim inculcat non esse in Ecclesia nisi duos Ordines, Episcoporum scilicet & Presbyterorum, respondentes septuaginta Discipulis & duodecim Apostolis: vnde semper vrget, vt dicant, quod sit illud medium, quod illi Chorepiscopi affectant.

Quid voluerint Chorepiscopi affectando aliquid medium inter Episcopos & Presbyteros.

Hinc meo iudicio argumentor efficacissimè ostendendo non esse sermonem de Ordine ipso vt est Sacramentum, sed de aliqua iurisdictione media. Nam si illi contendissent se in veros Episcopos ordinatos, respondissent, Se nihil medium affectare, sed habere verum Ordinem, qualem habent Episcopi; ideóque se esse altiores Presbyteris: habuissent ergo facilem responsionem; & ad hoc illæ duæ rationes Damasi fuissent planè inutiles. Erat ergo dissensio ratione iurisdictionis, quia medium aliquod in Ordine ad subiectionem, ad gubernationem animarum, &c. inducere volebant in Ecclesiam; id

quod Damasus ait non esse admittendum. Et confirmatur Primò, quia Concilium Antiochenum, quod ibi Damasus citat, manifestè supponit aliquos saltem ex illis fuisse ordinatos veros Episcopos; ait enim: *Qui in villis & vicis constituti sunt, tametsi manus impositionem ab Episcopis susceperunt, & vt Episcopi sint consecrati*, Certè illa reduplicativa *& vt Episcopi*, & *ab Episcopis* clarè ostendit, illos non vt Presbyteros, sed vt veros Episcopos fuisse consecratos: medium autem quoad consecrationem non agnouit Ecclesia inter Presbyteros & Episcopos, multò minùs id toleravit vnquam. Vnde ego retorqueo argumentum Patris Vasquez, quo paulò superiùs dicebat ab Ecclesia fuisse toleratam ordinationem illorum Chorepiscoporum. Hinc enim ego infero: Ergo illa non fuit medium quid in genere Ordinis & Sacramenti, quia hoc medium numquam toleravit Ecclesia; ergo medium illud debuit esse in Ordine ad iurisdictionem Episcopalem: in quo puncto sine dubio potuit Ecclesia aliquid tolerare, quia ea diuisio iurisdictionis tota pendet ab ipsa Ecclesia.

27 Confirmatur Secundò; Nam post ea verba Concilium Antiochenum addit; *Tamen placuit Sanctæ Synodo stare eos, oportere modum proprium retinere.* & paulò pòst; *Constituere autem his permittitur Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas.* Vides clarissimè Concilium non agere de Ordine, sed de iurisdictione; nam in Ordine non est, cur illis inculcaretur *debere modum tenere*, cùm Ordo sit indiuisibilis, vt sic dicam: modus ergo debet in iurisdictione esse, quia sibi arrogabant facultatem sine licentia Episcoporum etiam Presbyteros ordinandi, & attribuendi illos Ecclesijs, &c. cùm ipsi subiecti essent Episcopo proprio. Ex quibus obiter concludo, esse valdè probabile illos fuisse tunc temporis quoad Ordines veros Episcopos. Et sane Vasquez hanc quæstionem tractans eâ sect. 7. non videtur se determinare in vllam partem, sed solùm ponit fundamenta vtriusque sententiæ; & quidem pro negante solùm ferè ex verbis Ayalæ: vnde non debuisset tunc tam certò supponere ex Damaso eos non fuisse veros Episcopos, eò quòd non nisi ab vno Episcopo essent consecrati.

Argumentatur præterea; Nam Anacletus Epistolâ 2. decretali cap. 1. ait Beatum Iacobum, fratrem Domini, à Petro, Iacobo & Ioanne ordinatum esse Episcopum Hierosolymitanum; atque eos dedisse formam, vt non minùs quàm à tribus Episcopis reliquisque omnibus assensum præbentibus vllatenus Episcopus ordinetur. In initio verò capitis insinuat Anacletus hanc formam ordinationis à Christo traditam, dum ait, *Prout Dominus tribuit.* Et idem videtur Anicetus Papa docere in Epistola vnica ad Galliæ Episcopos, agens de eadem Iacobi ordinatione; vbi hæc habet: *Patet profectò eos*
28 *formam instituente Domino tradidisse.* Ego circa hæc duo loca primam habeo difficultatem, quod multorum sit sententia, omnes Apostolos immediatè fuisse ordinatos non solùm Sacerdotes, sed & Episcopos à Christo Domino post resurrectionem: alij verò, vt noster Turrianus apud eumdem Vasquez disput. 241. num. 62. dicunt eos omnes in die Pentecostes fuisse factos Episcopos: ergo Anacletus & Anicetus non debent intelligi de ordinatione Iacobi in sensu in quo nunc disputamus, id est de susceptione Sacramenti Ordinis, sed fortasse tunc diuiserunt sibi Apostoli Ecclesias, & Iacobo assignata est cum ea solemnitate Ecclesia Hierosolymitana. Secundò habeo difficultatem circa ea loca, quòd Anacletus eodem modo requirit, vt reliqui omnes Episcopi assensum præbeant; hoc autem non est necessum vllo modo pro valore consecrationis. Tertiò, non constat ex eis locis illam præsentiam trium Episcoporum esse à Christo requisitam pro valore consecrationis: potuit enim requiri solùm, vt licitè ea fieret. Non enim omnia, quæ Christus requisiuit, eo ipso sunt de valore; multa enim requisiuit solùm, vt licitè Sacramenta administrarentur; vt patet in confessione Sacramentali ante Eucharistiam, in statu gratiæ ad Sacramenta viuorum, &c. Adde, neque ex Anacleti loco colligi quidquam de institutione Christi: ea enim verba, quæ ponderat Vasquez, *Prout Dominus tribuit*, non denotant quidquam de institutione; sed cùm Pontifex dixisset se propter morbum & alias oppressiones non potuisse respondere, addit breuiter, *Prout Dominus tribuit*; sicut solemus dicere *Deo dante*, seu, *Prout Dominus dederit mihi commoditatem breuiter respondebo*: ex quo nihil de institutione. Clariùs loquitur Anicetus: quia ait, *Instituente Domino eam formam Apostolis traditam*: ibi tamen habent locum priores expositiones immediatè antè factæ.

Alia loca similia adducit Vasquez ex diuersis Patribus & Conciliis, quæ denotant, non posse Episcopum consecrari nisi à tribus Episcopis; ea tamen omnia non ostendunt id esse de valore ordinationis: non enim (vt paulò antè notauimus) minùs rigidè loquuntur, dum dicunt, non posse in Presbyterum ordinari nisi de licentia proprij Episcopi; & tamen id in omnium sententia non est necessarium ad valorem consecrationis. Ratione id probat, quia tres Episcopi non adhibentur vt testes, vt aliqui ex oppositæ sententiæ Auctoribus dixerunt, sed adhibent formam & materiam; ergo sunt veri Ministri eius Sacramenti. Respondeo Primò, Ferè contrarium colligi ex modo loquendi Ecclesiæ; nam duo Episcopi solùm dicuntur Assistentes, non Consecrantes; vnde neque illi celebrant tunc, neque ab illis prærequiritur ieiunium in vigilia consecrationis, sicut à Consecrante: ergo illi propriè non sunt Ministri. Secundò, esto simul sint Ministri, non sequitur, ideo eos esse necessarios ad valorem consecrationis, sed propter maiorem solemnitatem adhiberi, vt patet manifestè, quando Sacerdotes ordinantur: consecrant enim omnes simul cum Episcopo; non tamen tunc ad valorem illius consecrationis sunt omnes necessarij. Ex his omnibus concludo eam sententiam, etsi probabilitatem habeat, non tamen talem, quæ vllo modo cogat ad sui defensionem.

29

Pro opposita verò, quæ dicit id non esse necessarium, stant aliqua loca etiam non valdè efficacia, vt ex Canone 1. Apostolorum, in quo solùm dicitur, *Vt à duobus vel tribus Episcopis consecretur Episcopus.* Verùm hîc locus etsi non requirat tres, saltem innuit duos esse debere; quod tamen Auctores huius secundæ sententiæ negant: & idem dico ad alterum locum, qui affertur ex Concilio Arausicano; ibi enim agitur de ordinato à duobus. Idem dicendum est de

30 *Argumenta quædam pro sententia docente vnicum Episcopum ex commissione Papæ posse alterum consecrare refelluntur.*

aliis

aliis duobus testimoniis Clementis, in quibus saltem duo Episcopi requiruntur. Ille tamen solus habet aliquam difficultatem, quo dicit Clemens, Simonem Chananæum statuisse, vt si quis ab vno tantùm Episcopo ordinaretur, deponerentur ambo: inde enim videtur inferri validam esse ordinationem; alioquin debuisset dici, *Deponatur ordinans, alter verò vt non ordinatus reijciatur.* Non caret probabilitate hic locus, quem etiam Valquez iudicat sufficientem ad probandum ex commissione posse vnum Episcopum conferre Episcopatum; ponderat enim quòd Simon dixerit: *Quòd si necessitas coëgerit vt ab vno*, &c. *offeratur decretum commissionis.* Ego tamen adhuc iudico, per ea verba *ostendatur commissio*, non iuuari sententiam Vasquez: etenim non dixit Simon, *Ostendatur commissio Summi Pontificis*, sed *commissio plurium Episcoporum.* At Auctores omnes qui exigunt eam commissionem, dicunt illam solùm posse à Papa concedi; ergo non loquitur ibi Simon ad mentem Vasquez & aliorum; sed potiùs nobis fauet, & consonat iis quæ ex variis historiis scimus, Apostolos & alios viros Apostolicos sub Ecclesiæ initium, qui soli per orbem discurrebant, vt Thomas, Matthæus, Bartholomæus, & alij, multos ordinasse Episcopos; vbi non poterant sine dubio tres Episcopi interuenire: hinc enim valdè confirmatur sententia hæc secunda: neque constat eos id fecisse ex speciali commissione Petri vt Summi Pontificis; ergo dicendum est, eos sensisse id non
31 esse necessarium ad valorem. Quod autem pro cæremonia requirebatur omiserunt illi necessitate compulsi; quæ enim ad valorem sunt necessaria, non possunt validè vlla de causa omitti; secùs quæ tantùm requiruntur vt licitè fiat: vt Baptismus sine aqua nequit dari in vllo casu; at si necessitas vrgeat, omnes cæremoniæ possunt omitti. Dixi non constare eos id fecisse ex speciali licentia Petri, quia benè video responderi posse, Eos habuisse eam licentiam, quia tamen asserentis est probare, & pro ea commissione nullum argumentum adducitur, stat semper præsumptio, pro altera verò parte constat validè factum ab vno, & non constat id ex commissione: ergo ea commissio non est necessaria ad eum valorem. Ex his in re valdè dubia magis propendeo in hanc secundam sententiam.

Pontifex per specialem commissionem potest indulgere vt vnicus Episcopus alterum consecret.

Secundò dico, Quod ex commissione id possit tribui à Papa vni soli Episcopo, videtur omnino certum, & ita id defendunt Vasquez suprà & Tannerus dubio 2. num. 36. & alij: probatúrque ex facto Gregorij magni, qui in responsione ad quæstionem sancti Augustini, Anglorum Apostoli, capite 5. concessit eidem, vt ille solus consecraret Episcopos, ita tamen vt cùm primum essent iam plures, nullus nisi à tribus ordinaretur. Nec potest vllo modo dici, Gregorium in ea commissione erasse; ergo. Et satis de Ministris necessariis ad conferendos Ordines, circa quos, vt ex dictis constat, omnia ferè sunt incerta.

SECTIO V.

Quomodo Ministri Ordinis influant in effectum huius Sacramenti.

Diuus Thomas in 4. distinct. 24. artic. 1. quæst. 4. putat Sacerdotium v.g. quod confertur ab Episcopo, produci ab ipso Sacerdotio Episcopi, & idem de Charactere dici potest: pro qua opinione Vasquez refert Albertum, Aureolum, & Dominicum Sotum. Addunt autem hi Auctores ex hoc capite prouenire, quòd Episcopus consecrans vtatur forma imperatiua, *Accipe potestatem*; *Accipe Spiritum sanctum*, &c. quâ formâ non vtitur in aliis Sacramentis.

Contra hanc sententiam agit Vasquez ea disput. 243. cap. 7. maximè autem conatur probare ex eo, quòd Episcopus habeat Characterem similem ei quem confert, non rectè inferri, eum debere vti in forma Sacramenti verbis imperium sonantibus.

Ego circa illam doctrinam DICO PRIMÒ, iuxta ea quæ de materia & forma huius Sacramenti tradidimus suprà, omnino ruere totum discursum eorum Auctorum. Ostendimus enim Christum non determinasse materiam & verba, idcóque Ecclesiam Græcam validè consecrare per formam à nostra valdè diuersam, quæque non est imperatiua, sed assertiua; *Diuina gratia*, &c. *promouet hunc venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus*, &c. Potuit ergo Ecclesia Latina similem formam retinere, vbi eo ipso non haberet locum discursus ille D. Thomæ & aliorum pro ea sententia citatorum.

SECUNDÒ DICO, In aliis Sacramentis etiam posse applicari formam imperatiuam, imò Græcos de facto vti simili in Baptismo; *Baptizetur seruus Christi*; ibi autem non habet locum ea similitudo potestatis.

TERTIÒ DICO, eadem ratione dicere deberent illi Auctores, Characterem Episcopi confirmantis producere similem in confirmato: non enim est maior ratio, cur Character Sacerdotalis sit productiuus alterius Characteris sibi similis, quàm vt id nó habeat Character Confirmationis.

Respondebis fortè, Episcopum, esto confir- 33
matus non sit, posse validè confirmare; vnde *Obiectio.*
rectè infertur, Characterem Confirmationis non esse requisitum sicut requiritur Character Sacerdotij; ac proinde neque influere de facto in Characterem Confirmationis. Sed contrà Primò, *Soluitur Primò.*
quia eodem modo, esto Episcopus non acceperit alios Ordines, excepto Sacerdotio & Episcopatu, potest conferre Diaconatum, Subdiaconatum & quatuor minores, ergo ad horum productionem non est necessarius Character similis illi, per quem producatur, & tamen quando re ipsa ille Character Diaconi est in Episcopo, dicunt hi eum producere alterum sibi similem, ergo idem de Charactere Baptismali & Confirmationis dicere eodem modo possent. Denique ea *Secundò.*
ratio non valet, quia si Christus voluisset, haud dubiè potuisset constituere Ministros Ordinum etiam non ordinatos, sicut constituit pro Baptismo non baptizatos, & pro Confirmatione non confirmatos. Vnde conficitur ratio à priori contra eam sententiam, quia cùm hæc omnia sint moralia, & à solâ voluntate Christi pendentia, non est recurrendum ad similitudinem aliquam physicam, per quam fiant physicè hæ productiones, sed putè ad moralem causalitatem, ratione voluntatis ipsius Christi instituentis.

Ergo dicendum est, Episcopum moraliter tan- *Episcopus moraliter tantùm influere in Ordinem.*
tùm influere in Ordinem, quem confert, Characterem verò, qui in ipso præsupponitur, solùm se habere per modum conditionis, quam

pro

pro valore eius Ordinationis Christus Dominus requisiuit; & fortasse etiam vi præsentis decreti non esse eum characterem omnino necessarium; sed si poneremus Deum ab Episcopo iam ordinato auferre Characterem tantùm physicum, mansuram nihilominùs adhuc in illo potestatem ordinandi. Verùm hæc consideratio cùm sit de casu, qui de facto nec datur, nec potest dari naturaliter, est omnino incerta; quia nescimus, quid pro eo casu decreuerit Christus: id quod ex solutione sequentis dubij clarius constabit.

34 *An amisso Sacramento caussare gratiam physicè idem possit dici de Sacramento Ordinis respectu alterius Ordinis.*

Rogabis ergo, An si admitterentur Sacramenta concurrere physicè ad caussandam gratiam, deberemus eodem modo admittere, Sacramentum Ordinis concurrere physicè ad productionem alterius Ordinis. Respondeo, In Sacramento Ordinis duo posse considerari: Vnum est, Character productus, qui est qualitas physica (vt aliunde suppono ex principijs generalibus de Charactere; de quibus Tomo præcedenti:) alterum est potestas moralis consecrandi & absoluendi; si autem de Sacramento Ordinis Episcopalis loquamur, etiam potestas conferendi Ordines potest in illo pro præsenti puncto venire in dubium. Si fermo sit de Charactere, dico rectè posse ex parte ipsius habere locum caussalitatem physicam; quia omnia physica possunt physicè producere. An autem ex alio capite ea caussalitas repugnet, constabit statim.

Potestas consecrandi Presbyterum v.g. est distincta à Charactere, qui est in consecrante.

Si autem loquamur de ipsa morali potestate consecrandi & absoluendi, quæ sine dubio est quid distinctum à Charactere Sacerdotali; nam & Christus habuit illam totam potestatem sine vllo Charactere; & potuit etiam eam potestatem concedere Sacerdotibus nullo in eis requisito Charactere: quà enim probabilitatis apparentia dici potest, Christum non potuisse dare potestatem absoluendi à peccatis nisi productâ physicè qualitate Characteris? & idem est de potestate ponēdi corpus ipsius sub speciebus panis & vini. Est ergo hæc potestas omnino distincta à Charactere, & ex se etiam ab eo independens: si ergo de illa loquamur, certissimum est eam non posse produci physicè ab Episcopo; quia non est in se res physica, sed moralis quædam denominatio ex ea voluntate Christi Domini, quæ fuit dum Sacramentum hoc instituit. Imò non solùm ea potestas oritur ex voluntate humana Christi Domini, sed multò magis ex voluntate ipsa Dei; nam si Deus non concessisset Christo Domino facultatem, vt posset conferre potestatem absoluendi à peccatis, profectò ipsa humanitas non potuisset eam habere. Est etiam ea denominatio desumpta ex voluntate ipsius Episcopi consecrantis; aut (vt meliùs loquar) pendet de facto ab ea voluntate, & ab ea ordinatione vt à conditione. Hinc clarè patet quod diximus, scilicet non posse eam potestatem nec quidem diuinitus physicè ab Episcopo produci, quia hic non potest producere voluntatem Dei, neque voluntatem humanitatis Christi, quæ iam præteriit ante mille sexcentos annos; à quâ sola pendet probabiliter potestas Sacerdotalis: nam etiamsi nullam de nouo Christus habeat, videtur sufficere ea quæ tunc fuit. Quidquid tamen de hoc puncto sit, quod alibi discussi, satis est, quòd ex alijs capitibus ea physica productio repugnet. Vnde vlteriùs infero, Neque ipsum Characterem physicum Sacerdotalem v.g. qui mihi collatus est ab Episcopo, potuisse ab illius potestate Episcopali produci physicè; quia potestas illius non est quid physicum in Episcopo ipso, vt ex immediatè dictis patet; est enim denominatio à voluntate Dei, quâ voluit se obligare, vt ad illius ordinationem produceret talem & talem Characterem: ergo potestas Episcopalis consecrandi, vt denominat ipsum Episcopum, nihil physicè potest producere, sed solùm moraliter, quatenus Deus mouetur ad volendum producere in eo, qui ordinatur, eum Characterem. Neque in hoc puncto maius est quærendum mysterium.

35 *Episcopus consecrans Presbyterum non producit in eo physicè Characterem.*

SECTIO VI.

De effectu gratiæ quam hoc Sacramentum caussat.

INter effectus huius Sacramenti præcipuus est gratia; in hoc tamen ita conuenit cum aliis Sacramentis, vt vix sit aliquid amplius in præsenti circa illud dicendū vltra ea quæ Tomo præcedenti, dum de Sacramentis in communi egimus, dicta sunt, quia nescimus in quo gradu ea gratia producatur, an sit minor, an maior, an æqualis cum eâ quæ à reliquis Sacramentis producitur. 36

Quo posito notandum est Primò, sicut vniuersaliter diximus de alijs; Si quis inuincibiliter accedat cum attritione in mortali, putans se esse in gratiâ, probabile esse remitti tunc peccatum mortale, & caussari primam gratiam; ita de hoc Sacramento idem esse dicendum.

Secundò notandum, Etiam esse probabile vti de aliis omnibus diximus, Si suscipiantur peccaminosè, ideóque tum non caussent gratiam, nihilominùs postea recedente fictione reuiuiscant, illámque caussent, idem huic Sacramento conuenire.

Circa hunc tamen effectum gratiæ moueri potest specialis difficultas propter aliquos Ordines, qui videntur habere duplicem partialem materiam & formam, vt Sacerdotium quoad potestatem consecrandi & absoluendi; imò etiam in Episcopatu, Diaconatu & Subdiaconatu diximus suprà probabiliter habere duplices partiales materias & formas. Pro intelligentia huius quæstionis aduerte, duobus modis posse defendi, quòd aliquis Ordo constet duplici materia & forma: Primo modo, vtraque sit essentialis omnino ita, vt ante secundam nihil detur de potestate vlla morali, & hoc sensu planè videtur dicendum, nihil de gratia aut Charactere conferri per applicationem primæ, sed dum secunda perficitur, tum Sacramentum perfici essentialiter, ideóque eius effectum tunc vnicè produci, vt si instituisset Christus tres ablutiones necessarias pro materia Baptismi, ita vt vna non sufficeret, eo ipso nihil in prima daretur de gratia, sed solùm in vltima.

Ordo aliquis potest dici habere duplices materias & formas partiales.

Alio modo possumus concipere eam duplicem materiam ita, vt quælibet cum sua forma habeat suum peculiarem, licet partialem, effectum, vti diximus, dum consecratur Sacerdos, Primò conferri potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, deinde in fine Missæ alteram potestatem absoluendi. Si de hac duplici materia fermo sit, videtur longè probabilius dari duos effectus partiales gratiæ, sicut datur diuersa per Diaconatum ab ea, quæ per Subdiaconatum, esto etiam hi duo Ordines integrent vnum Sacramentum. 37

Obiici in contrarium fortasse posset, *Quòd *Obiectio.*

com

communicanti sub vtraque non detur gratia noua per speciem secundam, licet illæ in se sint saltem partialiter distincta Sacramenta: (id quod tanquam probabilius defendimus suo loco:) ergo idem erit in Ordine dicendum. Respondeo neg. ad consequentiam: quia hîc datur duplex potestas in ordine ad diuersos actus, ideóque per se videtur cuilibet partiali Sacramento annexa partialis infusio gratiæ. At in sumptione vtriusque speciei idem Christus suscipitur & per modum vnius conuiuij & refectionis, nec in ordine ad vllos effectus moraliter distinctos, ratione quorum debeat esse diuersus effectus gratiæ.

Soluitur.

In Ordine Episcopali non confertur species gratiæ à singulis formis, & materiis partialibus nec in aliis Ordinibus.

Iam ex his dico, Neque in Ordine Episcopi, neque in alijs, etiamsi sit duplex partialis materia & forma, duplicem concedi gratiam. Ratio est manifesta, quia materia ea duplex ordinatur præcise ad vnum Sacramentum etiam moraliter indiuisibile conficiendum, eo modo quo contingeret si Christus (vt paulò antè dicebamus) requirit vllet pro Baptismo trinam immersionem quo casu non fuisset collata nisi vnica gratia, & verò probabiliter nullo modo maior quàm iam confertur. Ea autem indiuisibilitas apparet ex eo, quòd Ordo Episcopalis non habeat nisi vnicam tantùm potestatem conferendi Ordines: cetera enim sunt illi cum Sacerdotio communia; ergo nihil est ibi, vnde ostendatur duplex partiale Sacramentum; ideóque neque est vlla ratio duas gratias ibi ponendi. Confirmatur; Quia (vt diximus suprà) probabilius est Christum Dominum non determinasse materiam huius Sacramenti in particulari, sed eam reliquisse determinandam ab Ecclesia. Certum præterea est, per hanc determinationem relictam Ecclesiæ non dedisse Christum potestatem efficiendi, vt maior minórve gratia conferretur per Sacramentum, ex eo quòd Ecclesia ponat duas partiales materias, aut è contrario vnam, ergo ex eo quòd Ecclesia assumpserit pro signo seu materia & forma duas res, & non vnam, non ideò aliter causabitur gratia. Vnde in Ecclesia Græca, quæ paucioribus cæremoniis suos ordinat, non ideò minor gratia confertur quàm in Latina.

38

Hinc tamen replicabis contra ea quæ primo loco diximus; Ergo neque in ordine Sacerdotij conferetur duplex gratia per eam duplicem materiam & formam; quia Ecclesia Græca sub vna materia & forma ordinat Sacerdotes quoad duas eas potestates; tunc autem non dat nisi vnicam gratiam; ergo nec Latina conferet duas. Dupliciter respondeo; Primò, Mihi non constare, an non etiam Græci potestatem absoluendi à peccatis conferant sub distincta materia & forma ab ea, qua conferunt potestatem consecrandi; non enim habeo eorum Rituale; neque alibi de hoc puncto quidquam lego tractatum: quod autem suprà diximus de differentia illius ab Ecclesia Latina, maximè fuit in ordine ad traditionem calicis & patenæ cum hostia & vino ratione prioris potestatis consecrandi. Quidquid tamen de hoc sit, respondeo Secundò, Me iam ostendisse in Sacerdotio duas conferri potestates, seu duos partiales Ordines ex conceptu suo inter se realiter independentes; propter quas diximus etiam conferri duas partiales gratias; per accidens autem est, quòd illæ duæ simul conferantur (vt obiectio dicit conferri ab Ecclesia Græca) aut quòd è contrario per partes vt à Latinâ; eo enim ipso dicimus in Ecclesia Græca conferri vna vice totam illam gratiam, quæ duabus vicibus confertur in Latina; vti in sententia eorum, qui docent duas species panis & vini conferre maiorem gratiam, per accidens omnino ad hoc punctum est, quòd ambæ simul sumantur, hostia scilicet tincta in sanguine; aut quod è contrario vna post aliam. Vt autem in aliis Ordinibus, qui non dant diuersas potestates, dicamus vere diuidi gratiam per duas illas materias, vel in vna dari duplicem gratiam, non habemus vllum omnino fundamentum magis, quàm si Ecclesia pro suo libitu determinasset vnam indiuisibilem materiam pro Ordinibus his conferendis; quo casu nemo haberet maius fundamentum ad duplicem eam gratiam, quàm re ipsa habeamus ad dicendum, in Baptismo aut Confirmatione conferri duplicem gratiam. Et ad hoc intentum attuli eam rationem ex materiæ determinatione, quàm liberam Christus reliquit Ecclesiæ.

39

Cur in Sacerdotij Ordine detur gratia duplex pro duplici forma & materia.

SECTIO VII.

De Charactere Ordinis.

40

SEcundus effectus Ordinis minúsque communis cùm aliis Sacramentis (per eum enim differt à quatuor aliis, & solùm conuenit cum Baptismo & Confirmatione) est Character; de quo in genere fusè egi eo Tomo septimo de Sacramentis. Quando dico conuenire hoc Sacramentum in Charactere cum Baptismo, &c. non ideò dico. Eiusdem speciei Characterem ab omnibus tribus his Sacramentis produci. Licet enim ex Conciliis nihil aliud habeamus, quàm quòd ea tria Sacramenta imprimant Characterem; qualis autem rationis ille sit, an eiusdem in omnibus tribus, an diuersæ, nihil penitus certò dicere possimus; nihilominùs tamen probabilius longè videtur illos esse diuersos iuxta diuersitatem Sacramentorum, à quibus producuntur: siue enim dentur per modum signi, siue per modum virtutis, siue per modum ornatus, iuxta varias sententias de natura Characteris, connaturalius est, vt, quia loquendo sigillant diuersos status hominis Christiani, vel ad diuersas operationes seu actus ordinantur, sint etiam in se diuersi physicè; eos autem in particulari magis declarare non possumus, quia non habemus ad id illa penitus principia.

Probabilius est differre specie Characterem Baptismi, Confirmationis, Ordinis tum Ordinem ipsorum, &c.

Illud aduerte circa hunc effectum, eum semper produci, quando Sacramentum est validum, etiamsi ob peccati obicem non habeatur effectus gratiæ; id quod etiam est commune Charactèri Baptismi & Confirmationis.

Characterem producit Sacramentum Ordinis, licet propter obicem gratiam non producat.

Secundò aduerte, quòd suprà contra Patrem Vasquez docuimus, probabilius esse, per quemlibet Ordinem in particulari partialem Characterem produci; nam cùm nouam extensionem antiqui Characteris sine productione nouæ physicæ alicuius qualitatis non facilè possimus percipere, & in rigore ea non tam sit productio & impressio Characteris, vt requirit modus loquendi Conciliorum, quàm quædam denominatio extrinseca; qualis etiam potest dici esse in coniugibus post contractum matrimonium: (quæ tamen longè valde distat à ratione Characteris:) nam licet illa denominatio coniugis non sit perpetua, sed pereat mortuo quolibet ex illis; hæc tamen

men minor perpetuitas nihil videtur facere ad excludendas eas denominationes morales à ratione Characteris.

14 Maius circa hos Characteres potest esse dubium, An illis inter se dependeant, v. g. Diaconatus à Subdiaconatu, Sacerdotium à Diaconatu, & omnes à Charactere Confirmationis. De Charactere Baptismali non disputo, quia certissimum est illum esse necessarium ad reliqua Sacramenta validè suscipienda. De Confirmationis Sacramento dicimus nullum penitus esse fundamentum, vt dicatur illud requiri ad valorem sequentium Ordinum; imò nec de præcepti necessitate, saltem sub graui peccato, facile probari posse esse necessarium, sed solùm ad maiorem congruentiam. Agentes enim de Confirmatione diximus nullum esse præceptum graue quod obliget ad illius susceptionem; speciale autem præceptum pro his, qui sunt suscepturi Ordines, non potest ostendi.

Accipere Ordines ante Confirmationem ex se non est mortale.

Dices: Concilium Tridentinum Sessione 23. cap. 4. de Reform. ait, Vt nullus ante Confirmationem ordinetur, etiam prima tonsura; ergo à fortiori non poterit altioribus Ordinibus. Respondeo, Hoc capite non obstante, communiter Auctores negare, peccare mortaliter qui contrarium faceret: ita Nauarrus in Manuali cap. 22. num. 9. Vitaldus in Candelabro de Confirmatione num. 41. Victoria de Sacramento Ordinis num. 232. Suarez Tomo 3. disput. 35. sect. 1. Coninck quæstio. 72. art. 9. Reginald. in Praxi lib. 28. n. 24. & Tannerus disput. 7. quæstio. 2. num. 113. vbi solùm ex congruentia dicit debere præmitti Confirmationem. Ad locum ergo Tridentini respondemus, Ibi nullum poni præceptum; non enim omnia quæ ordinat præcipit, sed aliqua ad maiorem decentiam.

42 *Character altioris Ordinis non pendet à Charactere inferioris.*

Circa Characterem verò Ordinum inter se etiam dicimus eos non habere vllam dependentiam. Id quod manifestè constat ex sensu Ecclesiæ. Nam si aliquis suscepit altiorem Ordinem ante inferiorem, solùm illi prohibetur exercitium altioris, donec inferiorem suscipiat, vbi supponit priorem ordinationem validam omnino fuisse, nec indigere iteratione, quæ sine dubio foret necessaria, si talis esset dependentia essentialis Ordinum.

Episcopatus tamen Character pendet à Sacerdotij Charactere.

Excipitur ordo Episcopalis, qui omnino pendet iuxta certam sententiam à Sacerdotali. Ratio huius exceptionis est valdè bona. Nam ordo Episcopalis in hoc præcisè differt à Sacerdotali, quòd possit consecrare Sacerdotes: quæ potestas minor est, si secundùm se consideretur, quàm potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi. Hinc colligitur Episcopalem potestatem quà talem non continere Sacerdotalem vllo modo, ergo vt fiat Episcopus, hoc est potens facere Sacerdotes, debet priùs accipere eam potestatem Sacerdotalem; quia nullus potest dare quod non habet. Et hinc sumitur disparitas inter hos duos Ordines inter se & inter illos respectu Diaconatus, & aliorum Ordinum inferiorum; nam Episcopatus & Sacerdotium eminenter continent quidquid Diaconatus & Subdiaconatus, & a fortiori quidquid minores Ordines, id óque possint conferri sine his; imò (vt D. Thomas obseruat quæst. 35 art. 5.) in primitiua Ecclesia aliquando ordinabantur in Presbyteros illi, qui inferiores Ordines nondum susceperant; inferiores ergo de facto solùm necessitate præcepti debent præmitti; ex naturâ autem rei per modum congruentiæ prærequiruntur 1. vt ascendatur à minoribus ad maiores, & homo primùm reddatur paulatim aptior ad maiora. Et sic Christus ordinauit priùs Apostolos Sacerdotes quam Diaconos.

43 *An potestas absoluendi in Sacerdote pendeat à potestate consecrandi.*

Iam tantùm restat difficultas de duobus illis Characteribus, qui in Sacerdotio conferuntur, An potestas absoluendi pendeat à potestate consecrandi. Affirmat Vasquez (vt supra vidimus;) Tannerus verò supra num. 125 ait, Cùm hæ duæ potestates in suo conceptu sint disparatæ (aliud enim est Corpus Christi consecrare, aliud à peccatis absoluere) se non videre, quare vnam debeamus dicere essentialiter pendentem ab altera; vnde putat posse quamlibet ex illis primo loco conferri. Res hæc meo iudicio est planè incerta, quia nobis non constat, quid Christus circa hoc disposuerit; videntur tamen omnes Auctores communiter supponere potestatem absoluendi pendere à potestate consecrandi: id quod satis probabiliter deducere possumus ex facto ipso Christi, nam licet in futurum promisisset Apostolis potestatem absoluendi à peccatis ante passionem, noluit tamen eam de præsenti dare, quousque illos in cœna constituit Sacerdotes; quasi per hoc denotaret Sacerdotem esse debere eum, qui possit absoluere: quapropter post resurrectionem primò de præsenti insufflans in eos dedit eis Spiritum sanctum & vim absoluendi. Et sanè cùm Sacerdos quà talis propriè & in rigore constituatur in ordine ad Sacrificium, quod in Corporis & Sanguinis Christi consecratione consistit, absoluendi verò potestas non sit Sacerdotium, vt ex se constat, Tridentinum autem & omnes Auctores dicant, solos Sacerdotes posse sacramentaliter absoluere, manifestè videntur supponere, non posse validè conferri potestatem absoluendi, nisi simul cum Sacerdotali, vel post illam.

Quod autem suprà in contrarium dicebatur eas potestates esse ex conceptu suo disparatas, est quidem verum; inde tamen nihil infertur contra nos: quia Christus Dominus potuit nihilominùs facere illas inter se modo dicto dependentes, id quod ex sensu Ecclesiæ videtur colligi re ipsa factum; potuisset è contrario facere potestatem absoluendi independentem à potestate consecrandi, hanc verò ab illa pendentem. solùm ergo attendendum, quid re ipsa voluerit, id quod iam diximus satis probabiliter inferri ex sensu Ecclesiæ.

SECTIO VIII.

De vltimo effectu Ordinis.

44 TERTIVS effectus, in quo etiam cum aliis omnibus Sacramentis conuenit, sunt specialia auxilia ac exequenda rectè munia Ordinibus annexa; de quibus nihil speciale nunc occurrit dicendum, præter illa quæ de similibus auxiliis in aliis Sacramentis vniuersaliter traduntur, ea scilicet non dari, nisi quando est occasio exercendi illa munia, v. g. celebrandi Sacrum, audiendi confessiones, &c.

Non semper datur auxilium efficacia.

Dubitari autem potest, an semper infallibiliter in illis occasionibus detur. Non semper dari efficacia omnino est certum; alioquin numquam in eis muneribus exercendis peccaretur; quod est manifestè falsum, & contra nimis claram experientiam.

rientiam: an verò saltem sufficientia, & quidem maiora quam darentur aliàs, si nunquam fuisset susceptum Sacramentum (non enim est idem auxilium esse physicè intensius & maius, & illud habiturum effectum) mihi quidem satis est dubium, quia non habemus vllum fundamentum pro ea infallibilitate asserenda (loquor vniuersaliter de omnibus Sacramentis in ordine ad ea auxilia:) quia tamen Auctores communiter sentiunt semper ea auxilia modo prædicto maiora concedi, idipsũ vt probabilius ego etiã defendo.

Specialiora tamen semper dantur.

Quartus & vltimus effectus proprius huius Sacramenti est potestas spiritualis moralis in ordine ad actus eius Ordinis, vt Sacerdotis ad cõsecrandum Corpus & Sanguinem Christi, & ad absoluendum Sacramentaliter, Episcopi vlteriùs ad conferendos Ordines: in Diacono & inferioribus Ordinibus non conceditur vlla potestas ad aliquam actionem valide exercenda, quæ sine eo Ordine validè exerceri non possit: datur tamen ad aliquas faciendas licitè, vt ad assistendum immediatè Sacerdoti celebranti; in Diacono ad baptizandum, porrigendam Eucharistiam, &c. in aliquibus casibus: & idem cum proportione in aliis inferioribus.

Circa quam potestatem illud posset in dubiũ verti, An si quis sacerdos suscitaretur à mortuis, retineret adhuc easdem potestates Ordinis, quas ante habuerat, an verò sicut matrimonium omnino dissoluitur per mortẽ, ita ea potestas: ideóque deberet de nouo talis in Sacerdotem ordinari? Respondeo; Etsi ea de re nihil sit diffinitum, videri tamen è sensu fidelium omnium talem potestatem omnino duraturam. Id quod inde probari solet: nam Character, quem habuit in in vita, manet post mortem; ergo & potestas quæ illum Characterem consequitur. Hæc tamen probatio meo iudicio non omnino conuincit; nam animæ etiam separatæ retinent eundem Characterem; & tamen separatæ non possunt validè consecrare aut absoluere. Potest ergo adhuc dici, quòd ex Charactere, & simul ex eo, quòd ille suscitatus iterum iam sit homo, & humano modo possit administrare Ordines, colligatur sufficienter permanentia eius potestatis.

Si Sacerdos à mortuis susciteretur, hoc ipso esset vt ante Sacerdos.

SECTIO IX.

Cætera quæ de Sacramento Ordinis desiderantur.

45 PRo instituto nostro suffecissent quæ diximus de hoc Sacramento: cætera enim quæ discuti possent sunt purè Casuistica: ne tamen huic Tractatui vel ea ipsa desint, breuissimè illa perstringam.

SVBSECTIO PRIMA.

Quinque priora dubia.

Episcopus extrahit matrimonium spirituale cum sua Ecclesia.

PRimum est, An Episcopus contrahat spirituale matrimonium cum Ecclesia, cui in ordinatione præficitur; & an inde efficaciter inferatur, eum non posse ad alium Episcopatum transire. De his dubijs fusè agit Vasquez tota disputatione 244. Quoad matrimonium ita Euaristus Papa Epistola 2. loquitur, Christum esse sponsum Ecclesiæ, Sacerdotes verò eius loco succedere, ideóque Episcopis iungi Ecclesiam, vnicuique pro portione sua. Ex quo capite intulit Innocentius Tertius in cap. *Inter Corporalia*, de Translatione Episcoporum, Christum suo iudicio reseruasse dissoluendum eam vnionem. Quod etiam dici debet de his quæ in titulares Episcopos consecrantur: nam licet in iis Ecclesiis, quarum titulum accipiunt, quia occupatæ sunt ab hostibus residere nequeant: ita tamen illis sunt obligati, vt, si potestas fieret, teneretur illis præesse, & in eis residere. Vbi aduertendum, cũ possit quis esse Episcopus confirmatus, non tamen consecratus, matrimonium propriè consistere in confirmatione seu translatione iurisdictionis; consecrationem autem esse quandam quasi solemnitatem: hancque posse manere, etiamsi quis renunciet omnibus Ecclesiis: vt quando aliquis Episcopus fit Religiosus, aut degradatur, retinet Ordinem Episcopalem, non tamen vllum matrimonium.

46 *Quo iure sit prohibita translatio Episcopi ab vna ad aliam Ecclesiam.*

Circa secundum verò, quòd insinuauimus, de translatione Episcopi ex vnam aliam Ecclesiam, dicendum est eam esse prohibitam iure positiuo vt non fiat sine speciali licentia Pontificis. Id quod constat ex multis Canonibus, qui videri possunt apud Vasquez supra cap.2. An autem sit de iure naturali diuino maior est difficultas. Affirmat idem Vasquez cap.3 secutus Dominicum Sotum. Mihi tamen res est valdè dubia. Nam cùm in institutione huius Sacramenti & iurisdictionis Ordinis Episcopalis omnia penitus ex voluntate Christi Domini pependerint, planè non video, quomodo possimus probare, eum ex natura rei fuisse obligatum ad tam strictè coniungendum Episcopum cum Ecclesia, vt non posuerit ad certum tempus, v.g. ad quadriennium, sexennium, &c. id determinare: aut omnino dare facultatem, vt si alius sufficiens substitueretur, posset prior ille renuntiare. Neque ea similitudo Matrimonij spiritualis quidquam vrget: quia ea est allegorica, & tota pendẽs ex ipsa Christi voluntate, qui cum potuit extendere vel coarctare. Sufficit ergo, si dicamus ex iure positiuo diuino ipsius Christi eam inseparabilitatem prouenire.

Quæ tamen intelligenda est sine vrgenti causa, & sine Summi Pontificis licentia: quæ autem sint sufficientes causæ pro ea mutatione non possumus nos vniuersaliter decidere: pendet enim ab indiuiduantibus circumstantiis: possunt tamen in communi assignari ex parte ipsius Episcopi quòd fortè eo in loco vix posset, ob morbum aliamve causam manere: vel quia alibi magis est necessarius, vel si fortè est adeo eis subditis ingratus, vt nullum ibi fructum facere possit. Vide Vasquez ea disp.cap.7.

47 *Secunda difficultas: quomodo Cardinalatus ad Sacramentum Ordinis pertineat.*

Secunda præcipua difficultas est: Quomodo ad hoc Sacramentum pertineat dignitas Cardinalitia. De hac dignitate & eius priuilegiis ac prærogatiuis varij varia dixerunt. Breuiter nos diximus Primò Cardinalatum non esse partem Ordinis, ideóque illum ex hoc capite esse inferiorem Episcopatu, imò Presbyteratu, Diaconatu, &c. esse tamen dignitatem quandam, cui est annexa vox actiua ad electionem Pontificis. Sũt item Cardinales intimi & secreti Pontificis ad Ecclesiæ administrationem Consiliarij, ob quæ in maiori longè sunt honore quàm Episcopi. Secundò, non puto vllo modo eorum institutionem quoad munera dicta esse de iure diuino, sed solùm Pontificio. Olim enim erant tantùm Parochi Romani: Paulatim autem creuit eorum honor & æstimatio. De quo videatur Vasquez

disp. 142. & alij ab ipso citati. Nobis hæc libasse sufficiat, quia res est extra institutum nostrum, & alioquin omnibus ferè nota, vti de distinctione Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum inter se.

Tertia difficultas, de electione & vocatione Ministrorum

Tertia difficultas est de electione & vocatione Miuistrorum. Hæc tamen ad Controuersistas spectat contra hæreticos nostri temporis, qui dicunt Ministros, id est Sacerdotes & Episcopos, vel à Deo immediatè per instinctum Spiritus sancti, vel à tota communitate eligendos. Hi tamen errores, si res diligenter examinetur, non sunt fere distincti ab errore circa auctoritatem Papæ. Nam si semel regimen Ecclesiæ statuatur Monarchicum, visibile, residens in Papa, profectò neque ipsi hæretici negabunt ad Summum Pontificem pertinere per se immediatè vel per suos ministros prouidere de Sacerdotibus, &c. Vti in quolibet Regno vbi Princeps habet auctoritatem supremam, ad illum spectat designare Proreges, Gubernatores, Præsides, &c. Vide hac de re Patrem Vasquez disp. 144. apud quem alij citantur Auctores.

48

Quarta difficultas circa subiecta capacia Ordinis

Quarta difficultas est circa subiecta capacia Ordini; de quo idem Vasquez disput. 241. & Tannerus quæst. 3. dub. 5. In hoc puncto certum est neque Angelos neque feminas esse capaces Ordinum: de Angelis patet, quia Sacramenta sunt signa corporea visibiliter exhibenda, pro quibus Angeli naturâ suâ inuisibiles non sunt per se capaces: de feminis est certus sensus totius Ecclesiæ contra hæreticos Cataphrygas, seu Montanistas, & alios, vt videre est apud citatos. Quod verò solet obijci in contrarium de Diaconissis, quæ olim fuêre in Ecclesia, fusè dissoluitur à Vasquez eâ disput. c. 3. vbi & de qualitate & ætate illarum & cæremonijs, quibus eligebantur, agit; probatque ex variis Auctoribus antiquioribus earum officium fuisse, vel instruere alias feminas de his rebus, quas volebant eum Presbyteris & Episcopis agere; vel vt priuatim informarent feminas, quæ baptizari volebant: ostendit etiam Tannerus eò quòd aliquando Diaconi & Presbyteri habuerint vxores, eas accepisse illa omnia non ab officio suo, sed maritorum.

Quinta difficultas circa ætatem ordinandorum.

Quinta difficultas est circa ætatem ordinandorum. Res tamen facilis est, constat enim pro Subdiaconatu requiri vigesimum primum completum, vigesimum secundum pro Diaconatu, & vigesimum quartum pro Presbyteratu. Vbi Pater Vasquez disputat, an priuilegium concessum ab Innocentio Octauo Religioni Minorum, vt Generalis possit dispensare ad suscipiendum Presbyteratum impleto vigesimo secundo anno, valeat etiam post Tridentinum. Aliquos ait affirmare quia Pius Quintus motu proprio voluit, vt Mendicantes vterentur gratis & priuilegijs suis non obstante Tridentino. Negant alij, quia Gregorius Decimustertius reuocauit eam concessionem, & omnia reduxit ad dispositionem iuris communis. Et licet Cardinales Concilij dicant iterùm concessa in foro conscientiæ ea priuilegia ab ipso Gregorio; tamen esto id verum sit, quia in ipsis Dimissorialibus debet Superior Religionis testari de ætate, iudicat Vasquez non posse hoc priuilegium pro solo foro conscientiæ datum vsui esse iis, nisi casu quo Religiosus aliquis bona fide fuisset ordinatus ante ætatem legitimam, vt posset ex concessione Prælati in eo Ordine ministrare. Quæ doctrina videtur certa, maximè autem hoc tempore, quo ab Vrbano Octauo sunt ablata omnia priuilegia viuæ vocis; quale hoc erat.

Dicta autem hæc sunt de licita susceptione; nam quod valorem, dummodò quis sit baptizatus, etiam in infantili ætate possunt concedi; licet Durandus apud Vasquez disput. 246. cap. 1. & alij antiquiores dixerint eos, qui vsum rationis non habent, non esse capaces validè eorum Ordinum. Communis tamen & vera sententia probatur ex capite vnico *de Clerico per saltum ordinato*; vbi Innocentius Tertius supponit minores Ordines datos ante vsum rationis esse validos. Quod autem aliqui dicant, inde nihil inferri de maioribus, non satisfacit; quia si semel admittamus Sacramentum Ordinis non requirere vsum rationis, non est vlla ratio assignabilis, cur id dicatur de maioribus. Ratio huius (quæ generalis est ad omnia ferè Sacramenta) debet desumi ex sola voluntate Christi, de qua nobis ex consensu Ecclesiæ constat. Excepto enim Sacramento Pœnitentiæ, vbi debet esse dolor, & Matrimonio, vbi debet esse contractus, cetera voluit Christus dari posse validè etiam infantibus, vt in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia constat: & idem est de Ordine. Et sanè si ad mutationem quasi status, & ad obligationes, quas homo subit, attendere deberemus, longè magis requirendus videretur vsus rationis, vt aliquis baptizaretur validè, quàm vt iam baptizatus fieret Sacerdos; maximè cùm, qui eo modo esset Sacerdos, non cogeretur statim quidquam exercere; ideoque posset accipere vxorem, & renuntiare statui Clericali. De quo vide Vasquez suprà cap. 3. Ex his facilè respondetur quibuscumque obiectionibus, quæ in contrarium fieri possunt; desumuntur enim ex eo, quòd non videatur decens infantibus validè concedi Ordines; dicimus autem, in re, quæ vnicè pendet à voluntate Christi, solam eam voluntatem requirendam esse: de hac verò iam dixi nobis constare ex Doctorum communi sententia & ex sensu Innocentij Tertij. 49

SVBSECTIO SECVNDA.

Quinque vltima difficultates.

50

Sexta difficultas, de qualitate ordinandorum.

SExta difficultas est de qualitate ordinandorum, quæ distinctè explicatur eâ Sessione 23. Tridentini in variis capitibus. Prima est probitas vitæ cum testimonio Episcopi; Secunda, doctrina pro prima tonsura, vt sciat fidei rudimenta, legere & scribere; & vt probabiliter putetur non sæcularis iudicij fugiendi caussa eam tonsuram suscipere. Pro quatuor minoribus Ordinibus, vt intelligat linguam Latinam. Subdiaconi debent esse instituti litteris, & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent; nec magis declaratur, quales debeant esse illæ litteræ. De Diaconis nihil speciale dicitur. Pro Sacerdotio, vt possint docere populum ea quæ necessaria sunt omnibus ad salutem: item vt sciant administrare Sacramenta. Vbi non intelligitur Sacramentum Pœnitentiæ; alioquin iam factus Sacerdos non indigeret nouo examine pro audiendis confessionibus; quod est contra ipsum Tridentinum; sufficit ergo, si sciat administrare Baptismum, Eucharistiam & Extremam Vnctionem, quæ sunt faciliora. Debet autem de doctrina constare Episcopo per examen, nisi aliunde habeat per probabilem notitiã, & velit in eo dispensare.

Occurrit

Difficultas circa Regulares.

Occurrit autem difficultas circa Regulares, An hoc examen debeat ab ipsorum Superioribus, an ab Episcopo fieri. Respondetur iuxta praxim communem de vita debero dari testimonium à Superioribus: de scientia per examen Episcopi: & in primis debere interuenire examen Episcopi est nimis certum: nam Concilium Trid. citata Sess. 14. cap. 12. expressè dixit, *Non sine diligenti Episcopi examine.* Hoc autem debet intelligi de examine quoad doctrinam; quia de hac potest formari iudicium ex ipso examine. Quoad mores autem non expedit, vt illud faciat Episcopus, sed Superior Religiosi, cui de eius vita optimè constat.

Putat autem Vasquez ea disput 246. n. 57. per priuilegium Gregorij XIII. esse exemptos Societatis nostræ Religiosos ab hoc examine: hoc tamen non videtur solidè dictum: nam in Bulla, quâ Gregorius priuilegium nobis concessit, incipitque. *Pium & vtile*, expressè ponit ea, de quibus non possumus ab Episcopo examinari, scilicet de cantu, de cæremoniis, de natalibus, &c. de doctrinæ autem examine nullum penitus verbum facit. Vnde in hoc puncto ferè vbique examinantur nostri.

51 Præter mores autem & doctrinam requirit Tridentinum ad maiores Ordines suscipiendos titulum mensæ, vt habeant vnde honestè sustententur, ne Ministri Ecclesiæ cogantur cum dedecore & indecenter viuere; siue titulus hic sit ex aliquo beneficio Ecclesiastico pacifice possesso, siue ex pensione aut patrimonio sufficienti; de quibus omnibus debet constare Episcopo ordinanti. Additque, non fore liberum sic ordinato eum titulum mensæ à se abalienare, nisi alium sufficientem loco illius acquirat. Variæque imponuntur pœnæ in eos, qui in his punctis deliquerint.

Septima dif. ficultas est circa tempus ordinationũ.

Septima difficultas est circa tempus Ordinationum, de quo tamen omnibus notum est esse Quatuor Tempora, ita vt maiores conferantur die Sabbati: minores etiam solent conferri pridie, & diebus Dominicis & Festis per annũ: possunt vni aut alteri idem minores Ordines conferri. Quid aut in intelligatur nomine diei festi dicam statim. Conferuntur etiam vniuersaliter Sabbato *Sitientes* ante Dominicã Passionis, & in Vigilia Paschatis: per priuilegia verò conferuntur iuxta tenorem ipsorum priuilegiorum: est autem ordinarium vt diebus Dominicis aut festis.

Illud tamẽ generaliter in dubium verti potest cùm in priuilegijs conceduntur, vt diebus festis Ordines maiores concedi possint, an sint intelligenda Festa fori, an verò sufficiat Festum, quod in Officio sit duplex: & quidem in communi iure nihil est hac de re; solùm enim de minoribus Ordinibus dicitur c. 3. *De eo autem*, de temporibus Ordinationum Episcopis licere Dominicis & aliis festis diebus vnum aut duos ad minores Ordines promouere. Subdiaconatũ autem nulli licear conferre extra ea tempora suprà assignata nisi soli Summo Pontifici. Ex hoc Canone inferunt Auctores, quando à alicui conceditur facultas ordinandi diebus festis, debere intelligi ea verba eodem modo, sicut de iure communi de minoribus. Vnde eodem modo in vtroq; casu discurrendum, nisi magis distinctè concedatur id in priuilegiis particularibus. Secundò possunt adduci priuilegia specialia Religionum, in quibus agitur de hac re: ita in Bulla Gregor. XIII. incipiente *Pium & vtile* conceditur Religiosis Societatis, vt etiam extra tempora possint ad maiores Ordines tribus diebus festiuis etiam continuis promoueri. Diana Part. 5. Tract. 14. 58
Miscell. valdè multos Auctores citat, vt ostendat minores Ordines posse conferri diebus Dominicis & festiuis. Verùm pro hac re non fuit necessaria vlla Auctorem citatio cum Ius ipsum Canonicum, quòd attulimus expressimè id concedat. Secundò ergo magis ad rem pro sententia docente debere eos dies esse Festum fori citat valdè multos Auctores, additque se putare illos priores, qui dixerunt absolutè posse concedi Ordines diebus Dominicis & festiuis, esse etiam pro puncto hoc secundo de intelligentia illius vocis *Festum*, id est fori nihilominus addit probabilem esse sententiam contrariam: pro qua citat Fagund. Ioannem Propositum, Homobonum, Tannerum, & Gauantum. Quæstio hæc non est magnæ speculationis, multæ autem diuinationis circa significationem eius vocis *dies festus*. Ego autem sic iudicarem esse respondendum: Primò, attentis verbis Iuris communis circa minores Ordines & Bullæ Gregorij pro Societate, nullo modo posse dici sufficere Festum duplex non fori: etenim in eis non dicitur in Sanctis duplicibus, vel in Festis duplicibus, sed in diebus festis aut festiuis, nulla facta mentione duplicium. Certissimum autem est à tota Ecclesia hanc vocem absolutè prolatam *Dies festus, dies festiuus*, denotare Festũ fori. Vnde sine vlla limitatione, quando agitur de præcepto audiendi Sacrum, dicitur teneri nos audire Sacrum diebus Dominicis & festis: vbi nemo cogitauit intelligi dies, in quibus de Festo duplici agitur. Vnde vt verum fatear, nescio quomodo P. Ioannes Præpositus in 3 Part. D. Thom. quæst. vnica de sacris Ordinibus, dub. 5. dixerit Diem festum esse Festum Chori; nam quidquid sit, quando dicitur *diebus festiuis duplicibus*, certè dum sine verbo *Duplex* dicitur tantùm *Festum*, non potest id ad Festum Chori applicari. Nam Chori etiam est Festum illud, quod est tantum semiduplex, quia etiam festa semiduplicia sunt propriè & in rigore Festa Officij seu Chori: ergo si nomen *Festũ* accipitur pro Festo Chori, cùm in eo textu nihil dicatur, quod illud Festum debeat esse duplex, profectò sufficiet semiduplex. Hoc autem est plane absurdum ergo ea sententia vt aliquam habeat probabilitatẽ, non debet eo modo probari. Secundò id ostendo argumento quod tangit Diana ei tamen non respondet. Nam quando in Trident. dicitur in denuntiationes matrimonij esse faciendas in diebus festiuis, communiter omnes intelligunt dies Dominicos vel festos fori: ergo idem erit de Ordinibus. Id quod magis adhuc constabit retorquendo argumenta quæ in contrarium fiunt. Ratio à priori huius nostræ solutionis est: nam licet vox *Festum*, quando iungitur cum altera voce *Duplex*, possit intelligi de duplici Chori: quando tamen absolutè ponitur dies festus, repugnat intelligi de Festo solius Chori, alioquin etiam semiduplicia intelligi deberent: quia etiam sunt propriè Festa Chori: & tam absolutè dicimus celebrari in Choro Festum S. Agathæ quàm S. Agnetis: esto vnũ sit duplex, alterum semiduplex. Imò & de simplici dicimus, Celebratur hodie Festum S. Remigij in Choro. Hinc addo confirmationem nouam: nam in Bullis, in quibus agitur de re non pertinente immediatè ad Chorum, qualis est collatio Ordinum, promulgatio eorum qui volunt contrahere ma- 59

trimonium, & similia, vox *Festum* absolutè prolata, aut festiuus dies, solùm significat Festum, prout communiter omnes Catholici illud accipiunt, etiam hi qui nihil de Rubricis Breuiarij sciunt; tunc autem propriè significat Festum, quod ab omnibus celebratur, id est fori; ergo si loquendum sit iuxta terminos illos Iuris communis, profectò non potest dici licere conferri eos Ordines extra Festa fori.

Secundò dico Maiorem esse dubitandi rationem propter Cæremoniale Romanum, quod dicit posse minores Ordines conferri diebus festiuis duplicibus. Idē habet priuilegium quoddam citatum à Fagundez pro Hieronymianis, in quo dicitur, vt possint tribus diebus festiuis duplicibus accipere tres maiores Ordines. In his locis maior est difficultas, quia illa vox *Duplex* non videtur posse applicari ad Festum fori: pro hoc enim sufficisset dixisse Festum. Deinde omnia Festa fori sunt duplicia exceptis Dominicis; ad quid ergo additum est suprà festiuis duplicia, nisi vt contradistinguatur à festis semiduplicibus; ergo in duplicibus etiam Chori possunt hi Ordines conferri. Propter hanc rationem fit
54 probabilis hæc sententia. Nihilominùs adhuc puto standum esse his quæ diximus paulò antè Moueor, quia hæc specialia priuilegia videntur vsurpare vocem illam in eodem sensu in quo antiquiora iura sunt locuta: nam quoad minores Ordines nullum nouum priuilegium concessêre, sed repetiere antiquum; quoad maiores verò Ordines videntur concessisse eis diebus, quibus antea solum minores Ordines concedebantur, hoc est diebus festis & Dominicis, in quibus solus Pontifex poterat dare eos Ordines, iuxta ea quæ in citato 1. capite de temporibus Ordinationum continentur. Et confirmatur, quia reuerà eò videtur collimasse Ecclesia, vt Ordines hi dētur publicè & solemniter: ad quod multum facit esse Festum fori, quòd homines in eo magis expediti sunt ad concurrendum in Ecclesiam. Ad hæc autem quid quæso facit, quòd in Choro repetantur Antiphonæ integræ ante Psalmos, & quòd non dicantur plures Orationes in Officio, & omittātur preces, in quo solo consistit differentia duplicis Chori à semiduplici; Vnde ob eam causam ponit Ecclesia Dominicas, vt in ei conferantur hi Ordines, cùm tamen Dominicæ non habeant Officium duplex; ergo quando addūtur Festa, intelligi debent ea quæ conueniunt cum Dominica in ea ratione, sub qua Dominica. At qui in ratione duplicis Chori Dominica non conuenit cum iis diebus duplicis; conuenit autem cum Festis fori in solemnitate; ergo hæc Festa intelligi debent adiungi Dominicis, non verò Festa solius Chori.

Obiectio. Dices; Dominicæ ponuntur in honorem spécialem Christi Domini, Festa verò Duplicia, quia solemniùs ab Ecclesia celebrantur. Sed contrà, quia hæc solemnitas maior omnino videtur esse per accidens ad intentum Ecclesiæ, quæ, vt dixi de publicitate Ordinum est maximè solicita; iam autem ostendi eam diuersitatem, quòd ad initium Psalmorum repetantur Antiphonæ, vel non, in quo consistit maior solemnitas duplicis, esse valdè per accidens ad eam solemnitatem, quam intendit Ecclesia in collatione Ordinum. Vnde dico, Non ea ratione, quâ Dominica est quasi dies Christi, concedi facultatem ordinandi; alioquin infra Octauas omnes, Christi Domini Natiuitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, &c. quia illi dies sunt Christi, possent conferri Ordines; quod tamen falsum; est ergo. Confirmo id magis in Dominica post Natiuitatem; sæpè enim Officium de illa fit extra ipsam diem Dominicam; & tamen etiamsi tunc cōmemoratio Christi; fit die. v.g. Iouis, & sit tūc ea solemnitas Chori, quæ est aliis Dominicis per annum, non tamen ideò possunt conferri tunc ij Ordines; ergo quòd in alijs conferatur, non tam est Officij solemnitas quàm fori; vnde è contrario etiamsi aliquando Vigilia Epiphaniæ incidat in diem Dominicam, & hæc dicatur vacare, quia de Officio illius nulla fit mentio; quia tamen retinet etiam tunc solemnitatem fori, conferri possunt non minùs quàm si Officium totum esset de Dominica; ergo dum dicitur *festiuis duplicibus*, intelligendum id est de festiuis propriè conuenientibus in ea solemnitate cum Dominica. 55

Restat nunc explicare, cur in nouis priuilegiis addatur illa particula *duplicibus* Respondeo Primò retorquendo argumentum sic: Si omnia duplicia etiam solius Chori sufficiant, ergo gratis additur *tò festiuis*, sed sufficeret dicere diebus duplicibus: sicut ergo ego debeo reddere rationem, cur addatur *tò duplicibus*, ita obijciens tenetur è contrario dicere cur ponatur *tò festiuis*; ergo me non premit specialiter obiectio. Secundò respondeo, Non dici in eis priuilegiis *in Festis duplicibus*, sed *in festiuis duplicibus*; hæc autem vox *festiua dies* magis adhuc declarat solemnitatem fori quàm illa *Festum duplex*; vnde potiùs est pro communi sententia locus hic. Tertiò absolutè respondeo, Esse positam eam particulam ornatûs causâ, quia omnes ferè dies festiui in foro sunt duplices: quòd si aliquando contingat intra Hebdomadam sanctam, id quod anno sequenti in festo Annuntiationis B. Virginis cōtinget, aut intra hebdomadam Paschæ & Pentecostes incidere Festum fori, quod tamen non sit duplex, quia de eo non fit Officium; profectò iuxta hos Actores, qui Festum duplex volunt ibi præcisè intelligi, non poterunt tunc concedi Ordines; quod tamen non puto vllum asseruturum. Iuxta meam autem explicationem, quòd dies festiui intelligantur fori, clarè constat non minùs tunc posse concedi, quàm si Officium esset duplex, ac proinde dixi ferè semper omnes festiuos esse duplices; ideoque meritò coniuncta sunt illa verba, quæ è contrario non possunt in aduersa sententia coniungi per se, quia nec per se duplicia Chori sunt festiua, vt ea vox significat. Constet ergo, si standum sit acceptioni vocis & intento Pontificum, non posse eos Ordines conferri extra Festa fori, licet ob auctoritatem extrinsecam eorum quos antea citauimus, possit in praxi Episcopus se ei opinioni accommodare. Hoc tamen addo, minùs fideliter à Diana citari pro se Tannerum quasi expressè senserit idem esse festiuus duplex ac duplex Chori: etenim eo Tomo 4. disput. 7. quæst. 3. n. 44. nec quidem tangit dubium, sed purè purè repetit verba Pontificalis in diebus festiuis duplicibus; qui autem sint hi dies, an duplices Chori, an fori, nō discutit: fortasse eodem modo loquuntur alij, quos pro se citat, & quos videre non potui. 56

Cur in nouis priuilegiis addatur illa particula duplicibus.

Octaua difficultas est circa interstitia circa quæ Tridentinum Sessione 23. de Reformatione c. 11. requirit, vt post minores Ordines seruent interstitia ante maiores. Multi tamen sunt Actores qui in remissionibus Concilij referuntur, qui dicunt non esse peccatum simul cum minoribus accipere

Octaua difficultas est circa interstitia.

accipere Subdiaconatum:& sanè in multis locis ea est consuetudo. Inter ipsos autem maiores Ordines semper requiruntur interstitia vnius anni, qui debet computari Ecclesiasticè ab Ordinibus ad Ordines, siue interim desint aliqui dies ad annum Solarem, siue superflui sint propter Festa mobilia : in his tamen interstitiis dispensare potest Episcopus ob merita ordinandi, & ob necessitatem Ecclesiæ. Religiosi præterea priuilegium habent vt non teneantur ea expectare.

57 *Nona difficultas de voto castitatis maioribus Ordinibus annexo.*

Nona difficultas est de voto castitatis maioribus Ordinibus annexo : de quo fusè valdè agit Vasq. tota disput.247.vbi benè probat, neque ex intrinseca natura Ordinum neque ex voluntate Christi, sed ex Ecclesiæ præcepto apud Latinos prouenire, ne possint qui habent vxores, & sacros Ordines suscipiunt, vti licitè Matrimonio: videatur ibi : vbi multa curiosa ex antiquitate adfert: licet in aliquibus eum reiiciat, Tannerus, maximè in eo quod probet ex Paphnutio Episcopo in Concilio Nicæno, Sacerdotes libetè potuisse habere vxores. Quidquid tamen de ea historia sit, satis est nobis, quòd iam ex Ecclesiæ voluntate ea obligatio sit maioribus Ordinibus annexa in Ecclesia Latina: in Græca verò licitus sit coniugij vsus. Quo autem tempore inceperit in Ecclesia Latina hæc continentia, tractat disput.248.

Quo iure vetitum sit Sacerdotes de nouo contrahere matrimonium.

Vtrùm autem lege diuina sit prohibitum, ne Sacerdotes de nouo contrahant matrimonium discutit idem Vasq. fusè contra aliquos id asserentes tota disputatione 249.quæ valdè longa est : ostenditque tantùm iure Ecclesiastico id esse prohibitum tam in Ecclesia Græca quam in Latina à tempore Apostolorum: id quod valdè efficaciter inde putat probari : quia si à Iure diuino ea prohibitio proueniret, non posset Pontifex dispensare, vt Sacerdos aliquis acciperet vxorem, cuius contrarium aliquoties fecere Pontifices. Hoc tamen argumentum meo iudicio non est admodum efficax : quia voti obligatio sine dubio est de Iure diuino, & tamen potest Pontifex in ea dispensare. Ratio est: quia Christus Dominus constituens Pontificem Vicarium suum censetur illi reliquisse potestatem dispensandi aliquando etiam in rebus, quæ sunt de
58 Iure plusquam humano in his enim non solùm dispensare, sed ea etiam abrogare potest. Melius ergo putarem posse eam veritatem suaderi, quia de hoc Christi præcepto nulla est mentio in Patribus aut Conciliis. Vnde in Concilio Tridentino disputatum dicitur, Vtrùm lege generali posset permitti Sacerdotibus habere vxores. Si autem id supponeretur esse de præcepto Christi, non potuisset Ecclesia eam legem absolutè abrogare. Quidquid verò de hoc sit idem Tridentinum Can. 9. sessionis 24. damnat eos, qui dicunt Sacerdotes posse licitè accipere vxores, non alius impedimenti mentionem facit quàm legis Ecclesiasticæ pro Sacerdotibus, & voti pro Religiosis professis : supposuit ergo non esse præceptum Christi. Vide ea de re etiam Tannerum disput. 7. quæst. 4. dub. 2. Bellarminum de Clericis lib. 1. cap. 18. Valentiam Tomo 4. disput.9. Quæ verò hæretici contra hanc legem obiiciunt, quasi matrimonium damnetur, & quod impossibile sit seruare castitatem, sunt ridicula, & nullius momenti : quia neque Ecclesia matrimonium reiicit, sed cum Paulo præponit illi virginitatem & continentiam ; hanc autem requirit pro eo statu. Continentiam autem esse possibilem manifestè supponit Paulus. Quod item olim aliqui Sacerdotes habuerint vxores, probat quidem id non esse contra Ius diuinum : inde tamen non colligitur Ecclesiam non potuisse hanc conditionem deinde requirere in Sacerdotibus propter maiorem altaris reuerentiam. Vide citatos Auctores : res enim est facilis. An autem Apostoli habuerint vxores, easque retinuerint, tractat Vasquez hac ipsa disputatione cap. 8. & Tannerus suprà; res est extra nostrum intentum.

Decimò & vltimo posset & de immunitate Ecclesiastica & de collatione beneficiorum Ecclesiasticorum disputari: sed hæc omnia plane sunt independentia à Sacramento Ordinis : de quo nos nunc tractamus, & fusiorem requirunt discussionem. Vide Tannerum qui eà quæst.4. clarè & dilucidè ex variis Auctoribus moralibus totam substantiam harum difficultatum complexus est. Et hactenus de tribus his Ecclesiæ Sacramentis, Pœnitentia, Extrema-Vnctione & Ordine, quæ hoc octauo Tomo complexi sumus. Faxit Deus ter Optimus Maximus, vt quæ pro meliori horum cognitione tradidimus ad maiorem in eorum susceptione & administratione reuerentiam & deuotionem Lectorem promoueant, & in eam ad quam à Seruatore nostro instituta fuêre, æternæ felicitatis faciliorem consecutionem deducant, in eius tandem gloriam nobis nostrisque omnibus actionibus cedentibus, à quo sumpsêre principium.

FINIS.

INDEX

Et Ordo Tractatuum, Disputationum, Sectionum & Subsectionum huius Octaui Tomi Theologici.

TRACTATVS I.

De Pœnitentia Virtute.

PROEMIVM. Pag. 1.

DISPVTATIO I.

Quædam faciliora explicantur. pag. 2

SECTIO I. IN quo conueniat Pœnitentia virtus cum Sacramento: & quos actus propriè Pœnitentia includat, ibid.
II. *Quis ex eis actibus sit propriè Pœnitentia.* 3
III. *Quo pacto Pœnitentia supponens peccatum possit esse virtus: vbi de pudoris honestate.* 4
SVBSEC. I. *Respondetur Aristotelis testimonio, & examinantur rationes Vasquez & D. Thomæ circa honestatem pudoris.* ibid.
II. *Examinantur rationes quorumdam Recentiorũ.* 6
III. *Concluditur quæstio, & aliqua alia obiectiones contra honestatem Pœnitentiæ soluuntur.* 8

DISPVTATIO II.

De obiectio formali Pœnitentiæ. p. 9

SECTIO I. EXaminatur sententia quorumdam Recentiorum de bono cõpensationis. ibid.
SVBSEC. I. *Vtrum Pœnitentia, qua de facto datur, habeat pro motiuo eam honestatem compensationis.* 10
II. *An bonum compensationis differat moraliter à carentia peccati.* 11
III. *Proponitur sententia Cardinalis Lugo circa terium punctum, Vtrum scilicet possit Pœnitentia odio habere peccatum, ex cuius præteritione compensatio constituitur in esse honesta.* 13
IV. *Quid in hoc puncto dicendum.* 15
V. *Respondetur obiectionibus in contrarium.* 16
SECT. II. *Varia aliorum sententia de eodem obiecto formali Pœnitentiæ.* 17
III. *Examinatur sententia docens contrarietatem cum natura rationali esse motiuum detestandi peccata.* 18
IV. *Examinatur sententia Patris Francisci Amici.* 20
V. *Nostra sententia proponitur.* 22
VI. *Satisfit aliquibus obiectionibus.* 23
VII. *Replica grauis contra immediatè dicta.* 25
VIII. *Noua replica, & reliqua obiectiones soluuntur.* 27

DISPVTATIO III.

Variæ quæstiones pro maiori declaratione virtutis Pœnitentiæ. pag. 29

SECTIO I. TRes priores quæstiones. ibid
II. Expeditur quarta difficultas. 30
III. *An habitus Pœnitentiæ possit circa suum obiectum formale incipere tam ab amore, quàm ab odio.* 32
SVBSEC. I. *Non omnis dolor est formaliter amor: & ad quam virtutem spectet purum odium carentiæ boni honesti.* ibid.
II. *Ex voluntate rectè suadetur intellectum posse habere purum dissensum.* 34
III. *Noua obiectio contra dicta soluitur.* 35

DISPVTATIO IV.

De obiecto materiali Pœnitentiæ. p. 36

SECTIO I. AN *Aliena peccata sint obiectum Pœnitentiæ.* 37
II. *De peccato Originali, habituali, ac de reatu pœnæ.* 39
III. *Quid de peccatis venialibus.* 41
IV. *Quid de imperfectionibus moralibus.* 42
V. *Quid de actibus solùm materialiter malis.* 44
VI. *De obiecto materiali prosecutionis Pœnitentiæ.* 45

DISPVTATIO V.

Declarantur in particulari actus qui ad virtutem Pœnitentiæ spectant. p. 46

SECTIO I. STatuitur certa conclusio. ibid.
II. *Quo pacto detestatio peccati præteriti sit efficax.* 47
III. *Quomodo ea detestatio procedat à pœnitentia.* 48
IV. *Vtrum Pœnitentia habeat aliquem actum exteriorem.* 50

DISPV

DISPVTATIO VI.

An ad iustificationem obtinendam extra Sacramentum sufficiat aliquis actus, qui non sit Charitatis. p. 51

Sectio I. *Quadam supponuntur.* ibid
II. *An sit probabilis sententia docens motivum inferius charitate sufficere ad iustificationem.* 53
III. *Solus dolor ob motivum charitatis iustificat extra Sacramentum.* 55
IV. *Occurritur cuidam obiectioni: & an aliunde probari possit nostra sententia.* 57
V. *Magis declaratur hic actus ad iustificationem extra Sacramentum necessarius: vbi, An amor Dei super omnia imperatus ab inferiori virtute sufficiat ad eam iustificationem.* 59

DISPVTATIO VII.

An ad iustificationem extra Sacramentum sufficiat solus amor Dei super omnia sine dolore, aut dolor sine amore. pag. 62

Sectio I. *Vtrùm amans Deum super omnia & peccati memor teneatur de hoc dolore.* ibid.
II. *Vtrùm, casu quo amor ille sit solus, sufficiat ad iustificandum.* 63
III. *An dolor sit necessarius saltem necessitate præcepti.* 66
IV. *Vtrùm è contrario sit necessarius amor formalis: an verò solus dolor ob Deum offensum sufficiat ad iustificationem.* 67

DISPVTATIO VIII.

Quomodo amor Dei debeat esse super omnia. pag. 69

Sectio I. *In quo differat maior amor intensium à maiori appretiatiuo: & vnde probetur ad iustificationem requiri maximum appretiatiue.* 70
II.
Svbsec. I. *Respondetur quæstioni.* ibid.
II. *Examinatur replica difficilis.* 71
Sectio II. *Vtrùm amor super omnia debeat esse expresse comparatiuus.* 73
III. *An & quomodo contritio debeat detestari peccatum supra pœnam æternam.* 75
Svbsec. I. *Discutitur primum dubium.* ibid.
II. *Discutitur alterum dubium.* 76
Sectio IV. *Vtrùm etiam huiusmodi amor Dei super omnia debeat detestari peccatum supra malum intrinsecum Dei.* 78

DISPVTATIO IX.

Qualis debeat esse contritio quoad alias circumstantias. pag. 80

Sectio I. *An qui detestatur vnum peccatum propter aliquod motivum, detestetur eo ipso saltem virtualiter omnia quæ illud participant.* ibid.
Svbsect. I. *Proponuntur duæ extremæ sententia.* ibid
II. *Prima pars nostræ sententiæ.* 81
III. *Altera pars nostræ sententiæ.* 82
Sect. II. *An contritio perfecta debeat cadere supra omnia peccata in particulari.* 85
III. *Quomodo se debeat voluntas gerere in concurrentia peccatorum inæqualium, & in affectu conditionali circa illa.* 87
IV. *Vtrùm contritio magis detestetur peccatum Originale proprium quàm actuale proprium.* 89
Svbsect. I. *Respondetur prioribus comparationibus.* ibid.
II. *Quid de comparatione in ordine ad electionem.* 90
III. *Respondetur obiectio. Et quid de simplici desiderio.* 91
Sect. V. *Quomodo quis debeat magis detestari proprium quàm alienum.* 93

DISPVTATIO X.

Cætera quæ de contritione desiderantur. p. 95

Sectio I. *De intensione & duratione contritionis.* ibid.
II. *Quomodo ad contritionem requiratur propositum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.* 96
III. *Quomodo contritio debeat habere propositum non peccandi de cætero.* 97
Svbsect. I. *Statuitur vera doctrina.* ibid.
II. *Duæ singulares opiniones reiiciuntur ex dictis.* 98
III. *Respondetur argumentis oppositis.* 99

DISPVTATIO XI.

De Attritione. pag. 101

Sectio I. *Quæ pœna sufficiant, vt ex earum fuga concipiatur attritio vera.* 102
II. *Quid de turpitudine peccati vt est contra solam naturam rationalem.* 103
III. *Attritio ex timore pœnarum est honesta.* 104.
IV. *Respondetur in forma difficultati in contrarium positæ.* 106
V. *Aliquæ difficultates de attritione.* 108
VI. *An attritio possit in contritionem transire.* 110
VII. *Appendix de ordine actuum Pœnitentiæ.* 112
Svbsect. I. *Quid circa mentem D. Thomæ.* ibid.
II. *Quid re ipsa in hac quæstione dicendum.* 113

DISPVTATIO XII.

De subiecto & effectu Pœnitentiæ. pag. 114

Sectio I. *De subiecto huius habitus.* 115
II. *An perfecta contritio semper habeat adiunctam remissionem mortalis.* 117
Svbsect. I. *Reiicitur hæc sententia.* ibid.
II. *Respondetur argumentis Sylvij.* 119
Sect. III. *Vtrùm verus actus Pœnitentiæ possit quacumque & qualitate & numero magna peccata delere.* 121
IV. *Vtrùm sit aliquod vel qualitate adeò graue, vel numero adeò magnum peccatum, vt Deus deneget propter illud auxilium ad veram Pœnitentiam.* 124
Svbsect. I. *Proponitur sententia negans.* ibid
II. *Prima pars nostræ sententiæ.* 125
III. *Altera pars nostræ doctrinæ.* 126
Sect. V. *Vtrùm mortale remittatur de facto, aut saltem possit remitti partialiter.* 127
Svbsect. I. *Quid de diminutione per condonationem extrinsecam.* ibid.
II. *Quid de diminutione per satisfactiones partiales.* 329

DISPVTATIO XIII.

De volitione Dei condonantis peccatum. p.131

Sectio I. *Quid de constitutivo peccati habitualis.* ibid.
Subsec.I. *An privatio gratiæ possit partialiter admitti pro constitutivo habitualis saltem indeterminatè.* ibid.
II. *Discutitur breviter hac occasione, quomodo in Sacramento Pœnitentiæ peccatum remittatur per gratiam.* 133
Sec.II. *Aliqua circa nostram sententiam de objecto condonationis divinæ notantur.* 135
Subsec.I. *Quid de carentia ody.* ibid
II. *Replica contra dicta solvitur.* 137
III. *Aly duo modi explicandi idem objectum condonationis.* 138
Sect.III. *Discutitur breviter alia ejusdem objecti explicatio.* 141
IV. *An Deus possit remittere peccatum sine retractatione peccatoris.* 142

DISPVTATIO XIV.

De Pœnitentia pro remissione venialis. p.143

Sectio I. *Proponitur difficultas materiæ & varia sententia.* ibid.
II. *Veniale non remittitur nisi per actum supernaturalem & augmentum gratiæ.* ibid.
III. *Quomodo contritio aut attritio sint æquales remissionis venialis.* 145
IV. *An relicta, & quomodo tollantur venialia per contritionem aut attritionem.* 146
V. *Digressio de remissione venialium per Sacramentum.* 149
VI. *Quid de remissione venialis post hanc vitam tum in justis quam in reprobis.* 150

DISPVTATIO XV.

Vtrùm peccata revivisçant de facto, aut saltem divinitùs possint revivisçere. p.153

Sectio I. *Status quæstionis, & varia sententia circa remedium peccatorum dimissorum.* ibid.
II. *Proponitur certa & communis sententia cum redditu negativo: ubi de reditu pœnæ sensus.* 156
III. *Quid de reditu pœnæ damni.* 159
IV. *Vtrùm peccata semel dimissa possint divinitùs redire quoad culpam.* 161
Subsec.I. *Proponitur affirmativa sententia.* ibid.
II. *Respondetur argumentis contrariæ doctrinæ.* 163
III. *Examinantur aly modi defendendi nostram sententiam.* 165
IV. *Aliqua alia difficultates circa nostram doctrinam.* 168

DISPVTATIO XVI.

Vtrùm merita & gratia per peccata interrupta resurgant per Pœnitentiam. pag.169

Sectio I. *Gratia data per merita revivisçit.* 170
II. *Ea gratia revivisçit secundum omnes antiquos gradus.* 172
III. *Opportuna digressio, quâ ostenditur merita non esse dispositionem physicam ad gratiam.* 174
IV. *Recentior quidam, Baïes sententiam confirmans, rejicitur.* 175
V. *Nova illius objectiones solutæ: unde clarius ea sententia rejicitur.* 177
VI. *Rejiciuntur varia limitationes sententiæ communis.* 179
VII. *Unde hic redditus proveniat.* 181
Subsec.I. *Referuntur varia sententia: & quædam pro decisione notantur.* ibid.
II. *Quid de quæstione.* ibid.
Sect.VIII. *An redeat gratia data sine meritis* 184.

DISPVTATIO XVII.

De obligatione faciendi Pœnitentiam. p.186

Sectio I. *Datur ea obligatio.* ibid
II. *Explicatur difficilis locus D. Thomæ in contrarium.* 188
III. *Quomodo ea obligatio agendi pœnitentiam probanda sit.* 190
Subsec.I. *Examinantur duo fundamenta.* ibid.
II. *Tertia ratio de charitate in seipsum.* ibid.
Sect.IV. *Explicatur magis hæc obligatio Pœnitentiæ, ubi, An Deus possit in ea dispensare.* 192
V. *An obligatio Pœnitentiæ cadat aliquando determinatè supra actum contritionis.* 193
Subsec.I. *Quid de quæstione extra articulum mortis.* ibid.
II. *Quid de obligatione determinata contritionis in articulo mortis, etiam suppositâ confessione cum sola attritione.* 194

DISPVTATIO XVIII.

Quoties & pro quo tempore obliget præceptum Pœnitentiæ. pag.196

Sectio I. *Vtrum hoc præceptum obliget ad sæpè agendam Pœnitentiam.* ibid.
II. *An hoc præceptum obliget statim post admissum peccatum.* 198
Subsec. I. *Propositis argumentis sententiæ affirmantis, statuitur negativa.* ibid.
II. *Respondetur aliquibus ex objectionibus.* ibid.
III. *Replica contra dicta, ubi An ex periculo de novo peccandi oriatur obligatio agendi quam primùm pœnitentiam.* 201
IV. *Respondetur aliis duabus objectionibus.* 205
V. *Satisfit instantiæ de correptione fraterna.* 205
Sec. III. *Pro quo tempore sit ea obligatio.* 206
Subsec.I. *Quid sit in hac quæstione dicendum.* ibid.
II. *Unde sit ea obligatio probanda.* 207
Sec. IV. *Vtrùm ex præcepto positivo sit determinatum tempus pœnitentiæ.* 210
V. *Appendix de obligatione agendi pœnitentiam pro remissione pœnæ.* 211

TRACTATVS II.

De Pœnitentia vt comparata cum remissione Pœnæ vbi de suffragijs.

DISPVTATIO XIX.

Prævia ad satisfactionem pro pœna: An & quomodo Deus eam condonet remissâ culpâ pag.213

Sectio I. *Statuitur Catholica veritas, non semper totam pœnam cum culpa remitti.* ibid.

II. *Quomo*

II. *Quomodo pœna æterna communicetur in temporalem.* 215
III. *Expeditur dubium quoddam ex præcedenti resolutione ortum.* 216
IV. *Duo alia dubia expediuntur.* 218

DISPVTATIO XX.

An possimus habere satisfactionem pro pœna; & quid ad eam requiratur. – p.219

SECTIO I. *QVadam supponuntur.* ibid.
II. *Statuitur certa doctrina.* 221
III. *Explicatur condignitas nostrorum operum cum ea remissione pœnæ.* 222
IV. *An per actus naturales & obligatorios possimus satisfacere pro pœna.* 223

DISPVTATIO XXI.

An in omni actu interno, an in solo externo formaliter consistat ratio satisfactionis. pag 226

SECTIO I. *VTrùm ad satisfactionem sufficiat quilibet actus internus etiam non pœnalis.* ibid.
II. *Vtrùm in actu purè interno possit esse satisfactio.* 228
SVBSECT. I. *Proponitur & reiicitur sententia tribuens omni actui pœnali interiori eam vim satisfactiuam.* ibid.
II. *Reiiciuntur aliqua enasiones.* 230
III. *Quid sit in hoc puncto probabilius.* 231
IV. *Brevis digressio de merito aut demerito nono actionis exterioris.* 232
SECT. III. *Vtrùm quando existit actio exterior satisfactoria, debeat necessariò existere actus, à quo significatur.* 234
IV. *An si quis sit in mortali, vel in Purgatorio, dum existit actio pœnalis, possit per illam satisfacere.* 235

DISPVTATIO XXII.

Explicantur cetera quæ ad satisfactionem sunt necessaria. pag.238

SECTIO I. *VTrùm ad illam requiratur acceptatio Dei.* ibid.
II. *Quomodo satisfaciamus per pœnas à Deo immissas.* 240
SVBSECT. I. *Discutiuntur aliquæ explicationes huius sententiæ, & respondetur obiectionibus contra illam.* ibid.
SVBSECT. II. *Aliqua dubia circa præsentem doctrinam.* 241
SECT. III. *Quomodo per orationes satisfaciamus.* 243
SVBSECT. I. *Sententia negans proponitur.* ibid.
II. *Defenditur sententia affirmans.* 245
SECT. IV. *Vtrùm eadem passio exterior magis satisfaciat, si à nobiliori actu & maiori gratia subiecti significetur.* 246

DISPVTATIO XXIII.

De satisfactione pro aliis, siue de suffragiis. pag.247

SECTIO I. *DE possibilitate & existentia huius satisfactionis.* ibid.
II. *Explicantur aliqua dubia circa hæc suffragia.* 249
III. *Alia difficultates circa hanc satisfactionem.* 251
IV. *Quæ conditiones requirantur ex parte illius, pro quo quis applicat suas satisfactiones.* 253
V. *Quid requiratur ex parte applicantis satisfactionem.* 255
VI. *De suffragiis pro defunctis.* 256
SVBSECT. I. *Statuitur certa doctrina, & an suffragia sint infallibilia.* 257
II. *Quomodo animæ Purgatorij iuuentur per bona opera hæredum.* 258

TRACTATVS III.

De satisfactione pro pœna temporali per Indulgentias.

DISPVTATIO XXIV.

Explicatur quid sit Indulgentia, cuius potestatis, & quem effectum habeat. p.260

SECTIO I. *QVid nomine Indulgentiarum significetur: An detur: vnde id probetur: & an earum vsus sit honestus.* ibid.
II. *Qualis potestatis sit concessio Indulgentiarum.* 261
III. *An concessio Indulgentiarum sit per modum absolutionis.* 263
SVBSECT. I. *Id sit per modum solutionis.* ibid.
II. *Respondetur argumentis oppositis.* 265
SECT. IV. *De effectu Indulgentiarum.* 266
SVBSECT. I. *Quid de remissione culpæ.* ibid.
II. *Per Indulgentias remittitur pœna Purgatorij.* 267
SVBSECT. III. *Quam pœnam Purgatorij deleant Indulgentiæ.* 268
SECT. V. *An Indulgentia tollant obligationes Pœnitentiæ Sacramentalis.* 271
VI. *Explicatur quid sit Indulgentia plena, plenissima: & quid denotent dies, menses, anni, pro quibus conceduntur Indulgentiæ.* 272

DISPVTATIO XXV.

Quid sit thesaurus Indulgentiarum; & quibus rebus hæ concedi soleant. p.274

SECTIO I. *OStenditur per thesaurum Ecclesiæ nihil absonum intelligi.* ibid.
II. *Declarantur aliqua quæstiones circa hunc thesaurum.* 275
III. *Quomodo hic thesaurus dispensetur.* 277
IV. *De illis quibus conceduntur Indulgentiæ.* 279

DISPVTATIO XXVI.

De conditionibus ad obtinendas Indulgentias necessariis. pag.280

SECTIO I. *DE statu gratiæ ad Indulgentias consequendas necessario.* 281
II. *De necessitate confessionis ad Indulgentias obtinendas.* 282
III. *Quale debeat esse opus, quo quis lucratur pro se Indulgentias.* 284
IV. *An possit quis per tertiam personam explere quæ requiruntur pro Indulgentia.* 286
V. *Opportuna digressio circa Bullam Cruciatæ.* 287
VI. *An eodem opere possit quis lucrari diuersas Indulgentias: vbi, quid denotent Indulgentiæ concessæ ad longum tempus.* 289
VII. *Quam sit infallibilis effectus Indulgentiarum.* 291

SVBSECT. I. *Explicato hoc testimonio probatur vera sententia.* ibid.
II. *Obiectio difficilis soluitur : vbi, An per diligentias ex parte lucrantis possit suppleri defectus causse eas concedendi.* 293

DISPVTATIO XXVII.

De caussa, durationc & cessatione Indulgentiarum. pag.294

SECTIO I. *DE caussa concedente Indulgentias.* ibid.
SVBSECT.I. *Quid de motiuo ad valorem Indulgentiarum necessario.* ibid.
II. *De proportione eius caussa cum Indulgentiis.* 296
III. *De personis quæ possunt concedere Indulgentias.* 298
IV. *Sub qua forma debeant & soleant concedi Indulgentiæ.* 300
SECTIO II. *Quomodo sit interpretanda concessio Indulgentiæ.* 301
III. *De duratione & cessatione Indulgentiarum.* 302
IV. *Quibus modis debeat ea reuocatio fieri.* 304.
V. *Quomodo pereat Indulgentia ex defectu subiecti, aut per alteram Indulgentiam incompossibilem.* 306

DISPVTATIO XXVIII.

De Indulgentiis pro defunctis. p.307

SECTIO I. *DAri possunt tales Indulgentiæ, & variæ explicationes circa modum quo id fit.* 308
II. *Vera explicatio eius differentiæ.* 309
III. *Quid in hoc puncto senserit Cardinalis Lugo.* 311
IV. *Quid requiratur ad lucrandas Indulgentias pro defunctis.* 312
V. *Appendix de Catechumenis.* 314

DISPVTATIO XXIX.

De Iubileo. P.315

SECTIO I. *AN possit absolui quis virtute Iubilei à peccatis commissis, etiam elapso Iubilei tempore.* ibid.
II. *An qui confessus est animo obtinendi Iubilei quod tamen deinde non lucratur, relabatur in antiquam reseruationem.* 318
III. *An omnia peccata ante Iubileum commissa, esto non occurrant memoriæ, desinant esse reseruata in intendente lucrari Iubileum.* 319
IV. *Quomodo regularibus prosit Iubileum ad absolutionem à casibus, & ad eligendam Confessarium.* 320
V. *Cætera quæ de Iubileo desiderari possunt declarantur.* 321

TRACTATVS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DISPVTATIO XXX.

De institutione efficacia & partibus in genere huius Sacramenti. 324

SECTIO I. *QUo, & quomodo sit institutum Sacramentum.* ibid.
II. *An hæc potestas sit Ordinis, an iurisdictionis.* 325
III. *Quomodo hæc potestas dicatur clauis.* 326
IV. *Verùm potestas absoluendi sit quoad culpam, an tantum quoad pœnam.* 327
V. *Aliquæ obiectiones soluuntur.* 329
VI. *De partibus in genere Sacramenti Pœnitentiæ.* 330
VII. *An omnes partes huius Sacramenti causent gratiam.* 332
VIII. *Quæ ex his partibus dicantur in recto* 334

DISPVTATIO XXXI.

Explicatur in genere, quæ peccata sint materia necessaria, quæ verò contingens Sacramenti Pœnitentiæ. p.335

SECTIO I. *VTrùm peccata commissa ipso instanti Baptismi sint materia confessionis.* ibid.
SVBSEC.I. *Proponitur vera sententia.* ibid.
II. *Quæ fuerit D. Augustini & D. Thomæ mens in hoc puncto.* 338
SECT.II. *Quomodo peccata quæ iam semel sunt in confessione dicta, sint materia confessionis.* 339
III. *Quid de peccatis dubijs.* 341
IV. *Examinantur aliæ probationes communis sententiæ : & respondetur obiectionibus contra illam.* 343
V. *Appendix ad dicta.* 344
VI. *Quid si peccatum sit dictum vt dubium, & deinde deprehendatur vt certum.* 348
VII. *An sit mortale dicere peccatum falsum in confessione.* 354
SVBSEC.I. *Quid de veniali ficto, aut si illud sine dolore dicat.* ibid.
II. *Respondetur obiectionibus.* 355
III. *Quid de mortali ficto.* 357

DISPVTATIO XXXII.

De obligatione confitendi circumstantias aggrauantes : vbi aliquid in particulari, quæ sint mutantes speciem. pag.358

SECTIO I. *PRoponuntur duæ oppositæ sententiæ: in quo sit substantia difficultatis.* ibid.
II. *Amplius confirmatur sententia affirmans.* 360
III. *Amplius confirmatur precedens discursus.* 361
IV. *Aliorum argumenta pro eadem sententia: & quæ sit iudicanda circumstantia notabiliter aggrauans.* 363
V. *Explicantur breuiter aliquæ circumstantiæ mutantes speciem quæ debent in confessione manifestari.* 364
SVBSEC. I. *Proponuntur aliqui casus circa obligationem confitendi eas circumstantias.* ibid.
II. *Alij casus explicati.* 366
III. *Alia circumstantia, quæ debent explicari.* 367
IV. *An in desiderio de malo proximi sit declaranda specifica differentia mali optati.* 369
V. *Cæteri casus declarantur.* 370

DISPVTATIO XXXIII.

Quibus casibus possit aut debeat in confessione reticeri peccatum aut circumstantia illius. pag.372

Sectio I. *Nonnulli casus traduntur.* ibid.
II. *Quid si nullum aliud damnum timeatur ex ea confessione, quàm quòd persona complicis innotescat Confessario.* 374
Subsec. I. *Propositis duabus extremis sententiis declaratur, in quo sit Quæstionis difficultas.* ibid.
II. *Examinantur alia argumenta pro secunda sententia: & quid tandem tenendum.* 375
Sect. III. *Aliqua dubia circa casum præcedentis sectionis.* 377
IV. *An extra casum integritatis confessionis possit esse obligatio manifestandi alienum delictum.* 379

DISPVTATIO XXXIV.

De obligatione dicendi actionem externam peccati & peccatorum numerum. pag.381

Sectio I. *An sufficiat confiteri voluntatem interiorem efficacem effectu non declarato.* ibid.
II. *An si quis ex errore peccauit, satisfaciat dicendo se peccasse, an debeat dicere id factum ex errore.* 383
III. *Quid si dicatur vnum peccatum non commissum loco alterius commissi, eiusdem tamen rationis.* 385
IV. *Quomodo sit in confessione explicandus numerus peccatorum* 386
Subsec. I. *Quid sit de numero peccatorum externorum.* 387
II. *Quid de actibus impudicis præcedentibus & subsequentibus copulam.* 389
III. *Quomodo explicandus numerus volitionum internarum.* 390

DISPVTATIO XXXV.

An aliquando sit obligatio idem peccatum bis confitendi. pag.392

Sectio I. *Aliqui casus clariores proponuntur.* ibid.
II. *Quid sit dicendum, quando pœnitens est excommunicatus.* 395
III. *Quid si Sacerdos ante absolutionem obliuiscatur peccatorum.* 396
Subsec. I. *Explicantur varij sensus quæstionis, & aliquorum sententia proponuntur.* ibid.
II. *Decidituir quæstio.* 399
III. *Qualis debeat esse ea memoria peccatorum, vt sit necessarium peccata repetere.* 402
Sectio IV. *Vltima difficultas circa confessionis repetitionem.* 403
Subsec. I. *Prior pars vera sententia.* ibid.
II. *Altera pars vera sententia.* 406

DISPVTATIO XXXVI.

De integritate confessionis in casu necessitatis. pag.407

Sectio I. *Quid si vnum tantùm peccatum aut nullum plane determinatè dici possit.* ibid.
II. *Aliqua dubia circa casum præcedentem.* 409
III. *De infirmo, nullum dante doloris signum.* 410
Subsec. I. *Sententia affirmans proponitur.* 411
II. *Examinantur aliqua argumenta huius Auctoris.* 412
III. *Alia argumenta pro eadem sententia.* 414
IV. *Opposita sententia defenditur.* 416
V. *Tria dubia annexa soluuntur.* 417
Sect. IV. *An confessio in absentia facta sit valida.* 418
Subsect. I. *Proponitur sententia negans & præcipuum eius fundamentum.* ibid.
II. *Explicatur Clementis testimonium, & defenditur affirmatiua sententia.* 420

DISPVTATIO XXXVII.

De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito. pag.423

Sectio I. *Vtrùm dolor de peccatis sit pars huius Sacramenti.* ibid.
II. *Quando debeat hic dolor existere.* 424
III. *An vnus dolor sufficiat pro distinctis confessionibus.* 425
IV. *Vtrùm dolor de peccatis ad confessionem necessarius debeat ex confessionis intentione oriri.* 427
V. *An ad valorem confessionis sufficiat dolor reflexus de carentia doloris: vbi de dolore pro confessione venialium.* 428

DISPVTATIO XXXVIII.

An requiratur ad confessionem propositum non peccandi de cætero: vbi de obligatione vitandi occasionem peccati. pag.430

Sectio I. *Quid circa propositum non peccandi.* ibid.
II. *Quale propositum requiratur pro confessione venialium.* 431
III. *Obiectio quædam grauis dissoluitur.* 433
IV. *Duo dubia circa eum dolorem de venialibus.* 435
V. *An aliquando ob consuetudinem peccandi sit alicui neganda aut saltem differenda absolutio.* 436
Subsec. I. *Declaratur in quo sit præsens difficultas.* ibid.
II. *Decidittur quæstio.* 437
III. *Quædam limitatio huius doctrinæ.* 438
Sec. VI. *An ei qui semper redit cum iisdem peccatis debeat differri absolutio.* 440
VII. *An possit confessio oriri ex malo fine.* 442

DISPVTATIO XXXIX.

De Ministro huius Sacramenti in casibus non reseruatis. pag.444

Sectio I. *An potestas absoluendi pendeat à potestate consecrandi.* ibid.
II. *An omnis Sacerdos in articulo mortis habeat iurisdictionem absoluendi.* 445
Subsec. I. *Datur in eis ea potestas; & vnde proueniat.* ibid.
II. *Quomodo debeat intelligi ea potestas quoad casus reseruatos.* 446
III. *Quid de mortalibus non reseruatis: vbi de obligatione se sistendi, si conualescant.* 448
Sect. III. *Quis possit à venialibus, & à iam in alia confessione remissis mortalibus absoluere.* 450
Sect. IV. *Quis sit ordinarius Minister huius Sacramen-*

Sacramenti. 451
SECTIO V. *De Ministro delegato.* 453
SVBSEC. I. *Duo priora dubia discutiuntur.* ibid.
II. *Quomodo ex voluntate præsumpta obtineatur iurisdictio.* 454
III. *Aliqua ex dictis deducuntur.* 455

DISPVTATIO XL.

De reseruatione casuum, & de Ministro potente ab eis absoluere ex iurisdictione ordinaria. pag 4,7.

SECTIO I. *Varia dubia circa hanc reseruationem expediuntur.* 458
II. *Quid de reseruatione peccati dubij, & alia quæstiones de reseruatione.* 459
III. *De potestate Superioris Religiosi ad reseruanda peccata.* 461
IV. *De eo qui potest à reseruatis absoluere directè ex potestate ordinaria.* 463
V. *Explicantur aliqui casus circa absolutionem à reseruatis.* 465
SVBSECT. I. *Quid de peregrinis habentibus reseruatum.* ibid.
II. *An propter reseruata possit dimidiari confessio: vbi, An possit à reseruatis in casu aliquo necessitatis indirectè absolui.* 466

DISPVTATIO XLI.

De ablatione indirecta reseruationis; & de Ministro delegato pro reseruatis. p.469

SECTIO I. *Quid de primo casu.* 470
II. *Discutitur alter casus.* 472
III. *De Ministro delegato pro reseruatis.* 473
SVBSECT. I. *An, quando datur facultas absoluendi, comprehendatur ipse Sacerdos petens: & quam extendatur licentia pro vna vice data.* ibid.
II. *An virtute Bullæ Cruciatæ delegetur potestas absoluendi Religiosos à casibus reseruatis.* 474
SECT. IV. *Varia dubia circa absolutionem à reseruatis tam peccatis quam excommunicationibus.* 476
V. *De obligatione Superioris dandi licentiam pro hac absolutione, & subditi ad se sistendum, quando ea negatur.* 478

DISPVTATIO XLII.

De approbatione requisita ex parte Confessarij ad audiendas confessiones. pag.480

SECTIO I. *Aliquot dubia circa eam approbationem.* ibid.
II. *Respondetur aliquibus obiectionibus contra dicta: & tres alia quæstiones discussæ.* 482
III. *A quo Ordinario debeat esse approbatio.* 483
SVBSEC. I. *Propositis variis sententijs vera statuitur.* ibid.
II. *Respondetur obiectioni cuidam ex declaratione Cardinalium desumpta.* 485
SECT. IV. *Quomodo teneatur Episcopus dare approbationem: an possit eam renocare, limitare, &c.* 487

DISPVTATIO XLIII.

Quæ alia in Confessario requirantur. p.489

SECTIO I. *Quæ scientia sit in eo necessaria.* ibidem.
II. *Quomodo Confessarius obligetur ad audiendas confessiones.* ibid.
III. *Quomodo debeat Confessarius se gerere in ipsa confessione.* 491
IV. *Quomodo Confessarius teneatur ignorantiam pœnitentis tollere.* 493
V. *Examinantur aliqua limitationes huius doctrinæ.* 494
VI. *Obiter aliquid de obligatione Confessarij in casibus vitæ & necis: & de Confessarijs Principum, seu Iudicum.* 496

DISPVTATIO XLIV.

Quid faciendum Confessario in casu opinionis probabilis, & ad defectus, confessionis supplendos. pag.497

SECTIO I. *Quid de casu opinionis probabilis.* ibid.
II. *Quomodo debeat Confessarius supplere defectum essentialem in confessione admissum.* 498
III. *Quid faciendum, quando error non est contra valorem Sacramenti.* 501

DISPVTATIO XLV.

De sigillo confessionis. pag.503

SECTIO I. *Vnde oriatur obligatio huius secreti.* ibid.
II. *Quas personas obliget hoc secretum.* 506
SVBSECT. I. *Quid de consiliario & interprete.* ibid.
II. *Qui alij obligentur eo secreto.* 507
SECT. III. *De materia huius sigilli.* 510
IV. *Aliqua notatu digna circa præsentem materiam.* 512

DISPVTATIO XLVI.

Quomodo possit Confessarius loqui ad vitandam reuelationem confessionis. pag.513

SECTIO I. *Quid de primo puncto.* ibid.
II. *Quid de secundo puncto.* 515
III. *Quomodo possit Confessarius vti scientia confessionis.* 516
SVBSECT. I. *Proponuntur duæ sententiæ circa obligationem secreti in Prælato.* 517
II. *Quid sit in hoc puncto dicendum.* 519
III. *Inferuntur hinc aliqui casus morales.* 520
IV. *Alia dubia circa hoc ipsum expedita.* 522
SECT. V. *Quomodo è contrario liceat vti scientia confessionis.* 524
SVBSECT. I. *Examinantur aliqui casus magis dubij.* ibid.
II. *Quomodo sit loquendum ex licentia pœnitentis.* 525
SECT. V. *De pœnis contra violatores sigilli.* 527

DISPVTATIO XLVII.

De satisfactione Sacramentali, quid causset, qualis debeat esse, & an necessariò imponenda. pag.528

SECTIO I. *Vtrùm hæc satisfactio causset aliquam gratiam ex opere operato.* 529
II. *Quomodo causset remissionem pœnæ.* 530
III. *De conditionibus requisitis ex parte huius satisfactionis.* 531
SVBSECT. I. *Quid de satisfactione ante absolutionem expleta, ans postea in statu peccati* ibid.
II. *Quid de satisfactione peccaminosa.* 532

SVBSECT. III.

III. *De intentione requisita ad satisfactionem.* 537
IV. *De obligatione imponendi pœnitentiam.* ibid.
V *An possit pœnitentia relinqui ad arbitrium pœnitentis.* 538
VI. *De proportione satisfactionis cum peccatis.* 539
VII. *Quæ possint imponi in pœnitentiam.* 540

DISPVTATIO XLVIII.

De obligatione pœnitentis circa satisfactionem: & an à quóve ea possit mutari. p. 541

SECTIO I. *AN teneatur pœnitens accepiare satisfactionem sibi impositam.* ibid.
II. *An pœnitens possit perfecta confessione Sacramentali pœnitentiam detractare ante absolutionem.* 543
III. *An teneatur per se implere pœnitentiã.* 544
IV. *Aliqua alia quæstiuncula circa eam satisfactionem.* 545
V. *Vtrùm ipse pœnitens possit in melius suam pœnitentiam permutare.* 547
VI. *An saltem à Confessario possit ea permutatio fieri.* 549
SVBSEC. I. *Quid possit efficere Confessarius qui eam satisfactionem non imposuit.* ibid.
II. *Quid de eo qui pœnitentiam imposuit: & an per secundam confessionem inscio Confessario possit fieri ea permutatio.* 551

DISPVTATIO XLIX.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ. p. 552

SECTIO I. *PRo forma huius Sacramenti sunt omnino necessaria verbã.* ibid.
II. *Quid de his verbis,* Ego te absoluo à peccatis tuis. 553
III. *Quid de illis* In nomine Patris, &c & Ab omnibus peccatis tuis. 556
IV. *Soluitur obiectio quædam, & an solum verbum* Absoluo *sufficiat sine* te. 558
V. *An saltem ea verba concurrant ad effectum absolutionis.* 560
VI. *Quem sensum habeant ea verba.* 561
SVBSEC. I. *Propenuntur varie sententiæ.* ibid.
II. *Discutitur sententia Cardinalis Lugo.* 562
III. *Quid sit tenendum in præsenti.* 565

DISPVTATIO L.

An absolutio dari possit sub conditione absenti, & simul à duobus. p. 566

SECTIO I. *RAtio dubitandi circa primũ punctum, & varie sententiæ.* ibid.
II. *Proponitur nostra sententia.* 567
III. *Discutitur grauis obiectio.* 569
SVBSEC. I. *Quorundam responsio.* ibid.
II. *Quid sit respondendum.* 570
SECTIO IV. *An absolutio dari possit absenti.* 572
V. *Quomodo absolutio possit simul dari à pluribus.* 573
VI. *An duo simul absoluentes possint vti vna forma communi,* Absoluimus te. 575
VII. *De variatione eius formæ.* 576

DISPVTATIO LI.

De necessitate medij & ex præcepto diuino huius Sacramenti. p. 577

SECT. I. *HOc Sacramentum est necessarium necessitate medij in re vel in voto.* ibid.
II. *Vnde probetur hæc necessitas.* 578
III. *Variæ obiectiones contra necessitatem huius Sacramenti* 580
IV. *Amplius declaratur doctrina tradita, & soluuntur aliquæ obiectiones.* 581
V. *De necessitate huius Sacramenti ex præcepto diuino.* 583
VI. *Quo tempore obliget hoc præceptum diuinum.* 584
VII. *An præceptum diuinum obliget ad confessionem per interpretem.* 587
VIII. *An etiam sit obligatio ad confessionem per scripturam.* 589

DISPVTATIO LII.

De præcepto Ecclesiastico confessionis. p. 590

SECTIO I. *SVppositâ certâ doctrinâ quæritur, An si Christus non præcepisset confessionem, possit eam Ecclesia præcipere.* 591
II. *An de facto Ecclesia possit præcipere secundam confessionem.* 592
III. *Digressio de facultate absoluendi cum obligatione se deinde sistendi Superiori.* 593
SVBSEC. I. *Solutio P. Suarez.* ibid.
II. *Vera explicatio difficultatis.* 594
III. *Alia eiusdem difficultatis explicatio.* 597
SECT. IV. *An possit ab Ecclesia præcipi confessio venialium.* 597
V. *Qualis debeat esse confessio, vt satisfiat præcepto Ecclesiæ.* 598
VI. *Quas personas obliget præceptum Ecclesiasticum confessionis.* 600
VII. *Quomodo debeat annus Ecclesiasticus ad hoc præceptum computari.* 601
VIII. *Aliqua dubia circa eam obligationem.* 603

TRACTATVS V.

De Sacramentis Extremæ-Vnctionis & Ordinis.

DISPVTATIO LIII.

De essentia Sacramenti Extremæ-Vnctionis. pag. 605

SECTIO I. *EXTREMA-Vnctio est verum nouæ Legis Sacramentum à Christo Domino immediatè institutum.* ibid.
II. *De materia huius Sacramenti.* 607
SVBSECT. I. *De materia remota.* ibid.
II. *De materia proxima huius Sacramenti.* 609
SEC. III. *De forma huius Sacramenti.* ibid.
IV. *De subiecto capaci huius Sacramenti.* 611
V. *Quid aliud requiratur ex parte subiecti pro hoc Sacramento.* 614

DISPVTATIO LIV.

De causa efficiente & effectu huius Sacramenti. p. 616

SECTIO I. *DE Ministro illius.* ibid.
SVBSEC. I. *Quid requiratur ex parte Sacerdotis, vt licitè administret hoc Sacramentum.* ibid.
II. *De obligatione Sacerdotis ad conferendum hoc Sacramentum.* 618
III. *Quomodo possit hoc Sacramentum à duobus simul administrari.* 619

II. *De ritu in administratione huius Sacramenti.* 620
III. *De effectu primario huius Sacramenti.*
IV. *An per accidens remittatur mortale per hoc Sacramentum.* 622
V. *De tempore quo causatur effectus huius Sacramenti & quid de sanitate temporali.* 624
VI. *De precepto huius Sacramenti.* 626

DISPVTATIO LV.

De Ordine, an sit Sacramentum: & quot habeat partes. p.626

SECTIO I. *QVid est Sacramentum à Christo Domino institutum.* ibid.
II. *Quot sint Ordines qui sint vera Sacramenta.* 625
SVBSEC. I. *Quid de prima tonsura & quatuor minoribus Ordinibus.* ibid.
II. *Quid de tribus maioribus.* 629
III. *Quid de Episcopatu.* 630
SECT. III. *Quid de eorum numero.* 632

DISPVTATIO LVI.

De muneribus, materia & forma Ordinum. pag. 633

SECT. I. *QVid de prima tonsura & quatuor minoribus Ordinibus.* ibid.
II. *Quid de muneribus maiorum Ordinum.* ibid.
III. *Quedam suppositio pro intelligentia huius materia valde necessaria.* 634
IV. *De materia Subdiaconatûs.* 635
V. *Quid de materia Diaconatûs.* 636
VI. *De materia Presbyteratûs.* 637
VII. *De materia & forma Episcopatûs.* 639

DISPVTATIO LVII.

De Ministro Sacramenti Ordinis. p.641

SECTIO I. *QVid de Episcopis excommunicatis, suspensis, & hereticis.* ibid.
II. *Quid de degradatis, & non habentibus inferiores Ordines.* 643
III. *De Ministro Ordinis ex delegatione.* 644
SVBSEC. I. *Quid de minoribus Ordinibus: & varia sententia circa maiores.* ibid.
II. *Quid sit in hoc puncto dicendum.* 645
SEC. IV. *An Episcopatus Ordo possit minus quàm à tribus Episcopis conferri.* 646
V. *Quomodo Ministri Ordinis influant in effectum huius Sacramenti.* 646
VI. *De effectu gratia quam hoc Sacramentum causat.* 650
VII. *De Charactere Ordinis.* 651
VIII. *De vltimo effectu Ordinis.* 652
IX. *Catera qua de Sacramento Ordinis desiderantur.* 653
SVBSEC. I. *Quinque priora dubia.* ibid.
II. *Quinque vltima difficultates.* 654

INDEX

INDEX

Rerum quæ Octauo hoc Tomo continentur.

Prior numerus Paginam, Secundus numerum marginalem notat.

A

Absolutio.

ABSOLVTIO Sacramentalis debet verbis exprimi. pag 552 num.1

Pronomen *Ego* non est de essentia formæ absolutionis.553.n.4

Forma absolutionis non debet esse deprecatoria.554. num.6

Sitne valida forma, *Absoluatur seruus Christi.* ibid. num.8

Verba *In nomine Patris*, &c. Item, *à peccatis tuis* non sunt de essentia formæ absolutionis.556.n.15

Absolue determinatur à circumstantiis & confessione ad significandam remissionem peccatorum. 557.n.18

Probabile est sufficere alt formam absolutionis *Absoluo.* 559.n.23

Quando concurrant ad effectum absolutionis illa verba à *peccatis tuis*, &c. 560 n.26

Variæ sententiæ de sensu verborum absolutionis reiectæ. 561.n 28

Verus sensus verborum formæ absolutionis Sacramentalis. 565.n.38

Absolue, in certis circumstantiis prolatum significat etiam recipere in gratiam. ibid.eod.n.

Quid significet *Absolue* cadens sup à peccata iam remissa. ibid.n.40

Absolue, id est *Confero gratiam.* 134.n.13

Non sufficit sola iurisdictio ad absoluendum. 325. num.6

Potestas absoluendi ex duobus constatur.ibi.eod.n.

Sine iurisdictione ab Ecclesia concessa nec potest Sacerdos à venialibus absoluere. 326.n.9

Absolutio Sacerdotis provt præcedit voluntatem Dei de peccato remittendo,est actio Christi Domini. 332.n.28

Absolutio pendet aliquo modo à Confessario. 356. num.18

Differentia inter materiam absolutionis & consecrationis,respectu suarum formarum, & eas proferentis 357.n.59

Quis sit sensus absoluentis à peccatis iam indirectè remissis. 409.n.7

An possit aliquis habere potestatem seipsum absoluendi,aut ligandi. 265.n.15

Quomodo Papa possit absolui. 325.n.5

Absolutio Sacramentalis non potest dari absenti. 567.n 4

Cur illa sit inualidâ. 572.n.26

Cur nequeat absolutio Sacramentalis pendere à conditione de futuro. 568.n.7

Conditiones de præsenti si subsistant,non reddunt Absolutionem inualidam. 571.n.18

In casu quo duo simul pronuntiarent absolutionem valide an vterque esset causa totalis gratiæ.573. n.24

An in tali casu causaretur duplex gratia, essetque duplex Sacramentum. ibid.eod.n.

Probabilius est duos simul absoluentes posse vti communi voce *Absoluimus.* 575.n.33

An possint esse causa partiales in tali casu.ibid.n.34

Absolutio esset inualida,si duo simul dicerent,*Ego Absoluo te*,si alter te non absoluat. 576.n.37

Sine vrgenti causa non debet absolutio differri. 580.n.21

Potestas absoluendi à peccatis venialibus & mortalibus iam semel remissis prouenit ab Ecclesia.450 num.16.

Quid de mortalibus iam anteà in confessione dictis. 451.n.29

Absolutio ab illis non est conditionata. ibd.eod.n.

Absolutio data præsenti ob confessionem factam absenti est valida. 411.n.49

An possit absolui, qui vi morbi oppressus nullum potest peccatum specificare. 408.n.2

An infirmus, qui nullum planè dedit doloris signum possit absolui. 411.n 14 & seqq.

An materialiter hæreticus tunc possit absolui. 414. num.26

An qui anticipatè petit absolutionem pro hora mortis. 416.n.32

An sub dubio dari possit absolutio. 417.n.34

An possit dari absolutio vi prioris confessionis perfectè sano qui repente incidit in apoplexiam.ibid. num 36

Sententia negans,posse absolui ægrum, qui in præsentia Sacerdotis nullum potest dare signum doloris,licet ante dederit. 418.n.39

Explicationes variæ bullæ Clementis VIII.quæ pro hac sententia citatur. 418 n.40.& seqq.

Testimonium Armacani Episcopi super mente Clementi

Clementi VIII. 419.n.42
Sententia asserens ægrum absoluendum qui absente Patrocho signa doloris dedit, etsi iam careat sensibus, defenditur. 421.n.49
Ad talem absoluendum sufficiunt mediati testes, qui mentem eius Confessario explicent. 422.n.55
Non debent esse in præsentia ægri dum mentem eius Confessario explicant. ibid.
Sufficit etiam vnicus testis. ibid.
Licet Confessarius sentiat contrarius, tenetur in praxi absoluere talem infirmum, cum aliqua tamen limitatione. ibid.
An æger iste absoluendus sit sub conditione. ibid.
Quando debeat esse intentio obtinendæ absolutionis. 418.n.20
An Sacerdos moriens possit pœnitentem absoluere non audita integra eius confessione. 409.n.9 & seq.
Si dicta confessione generali Sacerdos vel Minister in Sacro caderet in periculum mortis, an vi illius confessionis possit absolui. 410.n.11
In periculo naufragij, incendij, &c. potest quis absolui non præmissâ integrâ confessione. ib.n.12
Etiam qui tantùm solùm veniale in communi confiteretur; & sic de infante de quo dubitatur an sit rationis capax. ibid.
Infirmus etiam, qui dedit signa doloris, licet non petierit expresse Confessarium. ibid.n.13
Cur absolui possit æger, qui coram laicis ante duos dies v. gratia dedit signum doloris petens Confessarium, postea sensibus captus est, non item sanus, qui integrè confessus erat absque absolutione nisi nouum dederit doloris signum. 499.n.23
An per interpretem vel litteras absenti confessus possit deinde à præsente Sacerdote absolui absque noua confessione, vel saltem signo doloris. 400.num.24
Desiderium confessionis vt desiderium est, non sufficeret ad absolutionem obtinendam. 410 num.44
Expedit aliquando negare absolutionem relapso 440.num.40
Cum cautela tamen ibid.
differentia inter *dono* & *absoluo*. 557.n.18

Actio humana.

Quid faciendum cùm actio aliqua humana pendet ab occulta conditione fallibili. 272.n.40

Actio necessaria.

Actiones necessarias esse materialem offensam Dei implicat. 44.n.32
Non tamen materiale malum. ibid.

Actus in communi.

Potest aliquis actus implicitè dolere de sui existentia. 11.n.8
Pro actibus raris & extraordinariis non assignantur habitus supernaturales. 20.n.43
Quando impero aliquem actum, sufficit, si eo tempore vel signo videam futurum obiectum actus imperati. 237.n.14
Non repugnat reflexio inadæquata aliquorum actuum super se. 139.n.30
Obiectiones Cardinalis Lugo contra reflexionem inadæquatam. ibid.n.30.& seq.
Non est opus vt actus efficax habeat vllam causalitatem in suum obiectum. 140.n.33.
Disparitas inter actus intellectus & voluntatis. 81. numero 7.

Actus bonus.

Quo pacto non quilibet actus bonus amat plus quod est honestius. 431.n.6

Actus Diuinus.

Actus Diuinus potest honestè odio haberi. 28.n.74

Actus exterior.

Duobus modis dicitur aliquis actus exterior respectu virtutis. 50.n.14
Quomodo actus externus sit satisfactorius. 231 num.10
Cur actus externus sit confitendus. 233.n.18
An actus externus sit necessariò explicandus in confessione. 381.n.1
An solùm effectus dicendus sit voluntarius, quando subest actu libertati nostræ. ibid.n.2
Probabilius est confitendos esse effectus secutos ex caussa liberè data. 382.n.5
Multò magis confitendæ sunt actiones ipsæ externæ. ibid.n.6
Si actus externus peccaminosus sit multiplex, debet id in confessione explicari. 229.n.20
Actus externus nihil confert ad meritum aut demeritum. 232.n.24

Actus honestus.

Potest actus honestus supponere culpam. 4.n.10
Quòd aliquis actus posset inducere indirectè ad peccandum, non obstat eius honestati. 109 num.10.&.seq.
Quæ possum honestè facere proximo, possum & mihi. 101.n.14
Dantur multæ actiones honestæ, quæ nullam habent difficultatem. 238.n.45

Actus imperans.

Actus imperans habet totam bonitatem actûs imperati. 61.n.38.& seq.
Si actus liber imperans non præuidit pœnalem fore talem, vel tamdiu duraturum, &c. non significat illum, vel durationem eius ad satisfaciendum. 234.n.32

Actus interior.

Qui actus dicantur propriè interiores in ordine ad satisfactionem. 228.n.7
Proponitur sententia docens omnem actum internum esse satisfactorium. ibid.n.8
Vnde habeat actus quod sit meritorius & satisfactorius. 230.n.17
Actus interior non est satisfactorius, nisi habeat annexam pœnalitatem. 231.n.19.
Si actus interni peccaminosi respiciant diuersa obiecta externa, sunt diuersa peccata. 387 n.18
Quando interruptio actuum internorum est breuis, dicuntur vnum peccatum, secùs si sit magna. ibid.num.19
Si res volita peccaminosa sit multiplex, licet vno actui sit volita, id in confessione explicandum. Si breues fuerunt interruptiones volitionum internarum, satis est dicere tempus, quo simul omnes duraruntur. 393.n.32

Actus malus.

Actus materialiter mali qui sint. 44.num.30
Actus materialiter malis possunt esse obiectum indirectum Pœnitentiæ. 45.n.32

Actus meritorius.

Qui actus meritorij sint satisfactorij. 214.n.6
Per quos actus pœna temporalis deleatur. 218 num.18.
Quomodo discurrendum circa actus meritorios: 233.n.25.
In actu meritorio necessaria est libertas, non in satisfactorio. ibid.n.26.
Quid in actu meritorio considerare debeat præmiandus. ibid.n.27

Index Rerum.

Vide Opera bona.

Actus pœnalis.

Vnde accipiat proportionem cum pœnis Purgatorij actus noster pœnalis. 231.n.21

Quomodo cum actu pœnali concurrat meritum internum ad satisfactionem. 232.n.22

Actus pœnalis perseuerat satisfacere pereunte actu imperante. 234n.30

Dolore de futuro acceptati in gratia non satisfaciunt si superueniant in statu peccati mortalis. 335.n.36

Quid si pœna partim toleraretur in gratia, partim in peccato. ibid.

Quid si actus pœnalis vel pœna acceptata à viuo superueniat mortuo. 236.n.38

Cur non satisfiat per pœnas Purgatorij acceptatas ante mortem in gratia. ibid.n.40.

Affectus.

Affectus, alius est conditionatus in existentia sui, alius conditionatus quoad obiectum. 48.n.6

Amor.

Amor totius non amat necessariò omnes partes sed vt eas conditiones præcognitas supponit 16.n.28.

In amore alicuius totius complexi illæ partes solæ terminant amorem quæ sunt bonæ. 17 num.32.

Obiectum amoris proprij est dum aliquis quid sibi amat. 37.n.1

Amor dupliciter est maior, intensiuè & appretiatiuè. 70.n.1

Amor qui se non extendit ad omnia, non est amicitiæ. 81.n 8

Non semper amor efficax est simpliciter maior quàm omnis simplex complacentia. 83.n.14

In quo consistat quòd amor vnus sit maior altero. ibid.n.15

In quo consistat appretiatio amorum. 84.n.16

Amor Dei.

Amans Deum super omnia & peccati memor; tenetur de hoc dolere. 61.n.1

Amor Dei super omnia in eo qui recordatur suorum peccatorum iustificat. 63.n.6

Cur ad amicitiam diuinam requiratur amor super omnia, & non ad amicitiam humanam. 65. num.13.

Amor Dei non potest diei efficax eo sensu, quo dicitur efficax odium inferni. 71.n.6

Non omnis amor Dei est affectus amicitiæ. 72. num.7

Imò nec amor Dei super omnia. ibid.n.8

Cur possim ex amore Dei velle tantùm aliqua bona positiua, & non detestari tantùm aliqua peccata. ibid.n.10

Ad amorem Dei super omnia non requiritur, vt veniente tentatione non possit homo ab eo cessare. 73.n.11

Amor Dei super omnia non cogit ad faciendos omnes actus bonos. ibid.n.12

Nec ad excludenda omnia venialia. ibid.

Probabilius debet esse expressè comparatiuus. 74.n.15.

Non tamen requiritur comparatio distincta in particulari. ibid.n.19

Si esset amor Dei super omnia sine proposito cõfessionis, sufficeret ad iustificationem 96.n.5. & seqq.

Amare in actu exercito aliquid plus quàm Deum non est malum. 106.n.17.& seq.

Annus Iubilei.

Quomodo tempore anni Iubilei cessent aliæ Indulgentiæ. 306.n.43

Anno Iubileo non cessant Episcopales Indulgentiæ. 307.n.45

An tempore anni Iubilei cesset facultas absoluendi à reseruatis. ibid.n.46

Vide Iubileum.

Apostolus.

Apostoli omnes simul cum Ordine accepetunt à Christo iurisdictionem, quam S. Petrus non poterat reuocare. 326n.8

Apprehensio.

Apprehensio nullum habet motiuum à se distinctum. 35.n.25

Articulus mortis.

Quid intelligendum nomine articuli mortis 446.n.6

In articulo mortis cessat omnis reseruatio. ibid. num.11.

Attritio.

Attritio debet esse honesta. 101.n.1

Supernaturalis. ibid.

Non ex motiuo charitatis. ibid.

Pœnæ Purgatorij sufficiunt, vt ex earum fuga concipiatur vera attritio. 102.n.2

Etiam pœnæ huius vitæ, prout à Deo infliguntur. ibid.n.3

Pœna Iudice infligenda probabiliter non sufficit pro attritione. 103.n.6

Motiuum turpitudinis peccati vt est contra solam naturam rationalem, probabiliter sufficit pro vera attritione. ibid.n.7

Quæ possint esse extraordinaria motiua attritionis. 104.n.10

Attritio ex timore pœnarum est honesta. 105. num.11

Attritio quæcumque potest esse occasio amoris Dei. ibid.n.12

Sine spe beatitudinis potest esse attritio. 105 num.13.

Attritio nec indirectè inducit ad peccatum. 108. n.22.

Attritio secum non compatitur actum peccaminosum. ibid.n.23

Attritio ex motiuo pœnarum aut fœditatis peccati, potest esse supernaturalis. 109.n.35

An attritio à charitate impetata iustificet. 59. num.32

Attritio coniuncta actui charitatis non debet vocari contritio. ibid.eod.n

Diuisio attritionis sufficienter est tradita à Concilio Tridentino. 106.n.26

Ex attritione potest sequi propositum non peccandi, quod est necessarium etiam in Sacramento vt effectu Sacramenti sequatur. 110. n.29.

Non omnis attritio sufficit ad gratiam, aut vt sit vera pars Sacramenti, licet habeat motiuum aptum. ibid.n.30

Impossibile est vt ille actus, qui fuit aliquando attritio, fiat deinde contritio. 111. num.31

Attritio accedente amore Dei super omnia, non est dicenda contritio. ibid.n.33

Totum tamen complexum ex attritione & amore Dei super omnia potest dici contritio. ibid. n.eod.

Cur attritio, licet non mereretur gratiam, non posset adhuc dici mereri remissionem venialis de congruo. 145.n.9

Attritio quænis non acceptatur probabiliter à Deo ad remissionem omnium venialium. 147.n.15
Attritionem infallibiliter sequitur remissio aliq; qua venialium. ibid.n.17
Qui attritionem, quando confitetur, differret ad instans quo est absolutio, peccaret grauiter. 146.& seq.n.25

B

Baptismus.

BAptismus non potest delere peccatum quod cum ipso existit. 337.n.8
In instanti quo Baptismus perficitur, homo est fidelis & subditus Ecclesiæ. 336.n.7

Bonum, Bonitas.

Bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu, quo sensu verum. 16.n.28.29
Non omnes res, quæ concurrunt ad constituendam bonitatem, constituuntur etiam ipsæ bonæ. 17.n.31
Bonitas compensationis vnde desumatur secundum Cardinalem Lugo. 13.n.18
Ostendit eam non desumi à conscientia peccati 14.n.19.
Reiicit eos qui dicunt bonum compensationis esse ipsam bonitatem illius obsequij vt voliti. ibid.n.20
Concludit bonitatem illam desumi à præteritione peccati, & peccatum aliquo modo amari. ibid.n.21
Non tamen amari absolutè. ibid.
Explicatur qnomodo possit amari compensatio quin ametur peccatum. 16.n.27
Odium carentiæ boni honesti ad quam virtutem spectet. 32.n.17
Negatio boni non est tam mala quàm bonum est ipsum bonum, cuius est priuatio. 160.n.26

Bulla Cruciata.

Finis Bullæ Cruciatæ. 187.n 26.27
An Bullæ Cruciatæ Indulgentias obtineat is pro quò alius soluit, ipso tamen inscio seruante reliqua in Bulla requisita. ibid.n.26
Non peccat contra votum paupertatis Religiosus permittens aut rogans alterum pro se soluere pretium pro obtinenda Bulla Cruciata. 288. n.27.& seqq.
An Bullam Cruciatam pro me petitam, mihi tamen inutilem possim alteri applicare. ibid. n.30.
Si alius pro me emat Bullam Cruciatam, non possum illius ius abdicare, licet possim non vti actu. ibid.n.31
An repudiante Bullam eo pro quo est data pecunia possit Bulla alteri applicari ex consensu soluentis & acceptantis pretium. 289.n.32
Bulla Cruciata pro defunctis non requirit statum gratiæ in eo qui eam accipit. 213.n.20
Vi Bullæ Cruciatæ non habent Religiosi facultatem generalem eligendi Confessarios quoscumque. 467.n.18
Quis sit Societatis sensus in hoc puncto. 475
Vi eiusdem Bullæ non possunt ordinarij Confessarij absoluere Religiosos à reseruatis. ibid. n.22.
Neque Religiosi eligere Confessarium possunt pro non reseruatis. 476

C

Cæremonia Ecclesiasticæ.

ESt graue peccatum præscriptas cæremonias in Sacramentorum administratione sine necessitate omittere. 611.n.28

Cardinalis.

Cardinali alicui recenter creato quid sit dati antiquitatem decem annorum. 167.n.48

Cardinalatus.

Quomodo Cardinalatus ad Sacramentum Ordinis pertineat. 633.n.47

Castitas.

Castitatem seruare, & compensare pro peccato commisso contra castitatem, diuersa sunt. 18. n.37.

Catechumenus.

An possit concedi Catechumenis Indulgentiæ. 314.n.23.
Non sunt capaces satisfactionis ex opere operato qui sunt extra Ecclesiam. ibid.

Christus.

Cur Christus Dominus dicatur noster Redemptor. 222.n.12
In Christo non erat habitus Pœnitentiæ sub ea conditione sicut in nobis est. 38.n.7

Chorepiscopus.

Probabile est multos Chorepiscopos fuisse veros Episcopos, licet fortasse non fuerit necesse ex vi officij 645.n.20
Quid voluerint Chorepiscopi effectantes aliquid medium inter Episcopos & Presbyteros. 646. n.26.

Clauium potestas.

Quid significet potestas clauium primò & per se. 326.n.10.
Potestas clauium consistit in Ordine & iurisdictione 327.n.12

Compensatio.

Vide Bonitas.

Condonatio eius obiectum.

Quid significet *tò condonatio.* 132.n.8
Condonatio Diuina à nobis apprehenditur quasi physicè destruens peccatum. 28.n.75
Potest condonatio diuina explicari per specialem actum huius naturæ. 138.n.29
Condonatio potest esse gaudium de ipsa. 140. n.34.
Potest Deus peccatum condonare absolutè, ita tamen vt seruet sibi ius sub conditione odium resumendi 162.n.43
Licet illa condonatio sub illo casu non sit perfectissima, est tamen perfecta & vera. 163.n.35
Licet item non posset illa condonatio stare cum vnione hypostatica, posset tamen stare cum gratia. ibid.
In illo casu non maneret peccatum alta mente repostum. 164.n.36
Quamuis tunc ex parte esset verum, quòd homo sit restitutus in statum antiquum, falsum tamen esse quòd Deus sibi reseruarit ius odij. ibid.
An homo posset orare vt illa condonatio transiret perfectè in absolutum. 165.n 40
Carentia condonationis diuinæ non potest à nobis retractari. 40.n.15

Possumus tamen de illa dolere. ibid.
Si Deus essentialiter odit peccatum, potest esse obiectum condonationis carentia odij peccati. 155.n.17
Præter illam carentiam odij potest pro obiecto condonationis assignari quoddam iudicium dicens, *Hic homo mihi iam nihil debet.* 158. n. 29

Confessarius.

Confessarius nomine Christi concurrit ad Sacramentum Pœnitentiæ, & quomodo. 354.n.35
Quid faciendum Confessario, si pœnitens incertus numero certo addat plus minùs. 354. n.51
Quomodo se debeat habere in absolutione venialium. 356. n58
An debeat posse determinare materiam, supra quam profert absolutionem. 356 & 375.n.59
An possit audire personam cum qua peccauit. 373 n.1
An possit adigere pœnitentem ad prodendum peccatum alienum extra casum complicis. 379.n.20
Non debet ferre iudicium de speciebus naturæ, sed de moribus. 386.n.16
Non habet ius obligandi pœnitentem ad vitanda peccata futura, sed ipse ad hoc obligatur ex natura rei. 271.n.37
Audiens confessiones in peccato, tot peccata committit, quot personas absoluit. 388.n.22
Secùs, si distribuat Eucharistiam. ibid.n.21
Non debet esse nimiùm minutus in examinando, maximè sexto præcepto. 394.n.34
Debet imponere pœnitentiam sub obligatione. 539.n.43
Consultum est imponere pœnitenti orationes pro animabus Purgatorij. 540.n48
Potest pro pœnitentia prohibere Communionẽ ibid.n.49
Potest item præcipere. ibid.eód.n.
Potest permittere vt pœnitentia pœnitenti imposita ab ipso per alium suppleatur. 544 n.11
Quid velit Tridentinum requirens in Confessario notitiam diuersitatis peccatorum. 396.n.6
Confessarius idiota licet validè, illicitè tamen administrat Sacramentum Pœnitentiæ. ibid. n.7
Confessarius, qui imposita pœnitentia distulit absolutionem, non debet recordari deinde peccatorum quando absoluet. 396 & 397.n.15
Quid si caruisset iurisdictione, quando audijt, & posteà acquisiuisset, quando est danda absolutio. 397.n.16
Quid faciendum, si confessio fuit vitiosa, & Confessarius non recordetur illius, nec pœnitentia sit imposita. ibid.n.16
An ob solam ignorantiam Confessarij sit repetenda confessio. 393.n.4
Confessarius ad absoluendum pœnitentem nuper confessum non imposita ei pœnitentia, habere debet eam peccatorum memoriam, vt possit prudenter competentem pœnitentiam imponere. 400.n.25
Quando Confessarius absoluit, non est opus vt clarè recordetur omnium peccatorum, modò possit prudenter pœnitentiam dare. 401.n.27
Confessarius datâ nuper competenti pœnitentia potest iam absoluere pœnitentem, licet sit oblitus confessionis penitus, & fuerit casus reseruatus in ea, pro quotunc non habebat iurisdictionem. ibid.n.28
Qualis debeat esse memoria nuperæ confessionis, vt confessarius possit absque repetitione dare pœnitentiam, & absoluere. 402.n.30
Confessariorum Castrensium praxis. 421.n.15
Quem sensum habeant verba illa Sacerdotis absoluenti, *Quidquid boni feceris & mali*, &c. 510.n.8
Confessarius in foro pœnitentiæ potest imponere actus internos. 535.n 29
Non potest mutare pœnitentiam ab alio impositam extra confessionem. 549.n.24
Sic verò in confessione, ibid.n.25
Debet tamen prior confessio reperi vt possit mutari pœnitentia ab eo qui eam imposuit. 550.n. 27
Quid faciendum Confessario si interrogetur de auditis in confessione. 513.n.2
An possit Confessarius dicere se non absoluisse personam quam audiuit confitentem. 515.n.7
An possit dare schedam confessionis ei quem non absoluit, si eam petat. ibid.n.8
An possit dicere pœnitentiam quam pœnitenti imposuit. 516.n.10
Potest pœnitentiam præseruatiuam permutare. 550.n.29
Inferior nihil potest circa pœnitentiam datam à Superiore Confessario pro casibus reseruatis. 551.n.30
Confessarius habens memoriam statûs sui pœnitentis, potest etiam post longum tempus pœnitentiam in aliam mutare extra confessionem. ibid.n.31
Quo sensu Sacerdos exerceat verum iudicium absoluendo. 555.n.9
Sacerdos absoluens debet vti verbis quæ indicent eum esse iudicem. 556.n.14
Differentia inter ordinarium Confessarium quoad casus reseruatos, & non Sacerdotem qui ad ordinaria peccata audienda, in ordine ad absolutionem, quando posteà acquirent competentem iurisdictionem. 402.n.29

Confessarij approbatio.

Quid Tridentinum requirat in ordine ad approbationem requisitam ex parte Confessarij. 480 n.1
An approbatus pro pueris aut idiotis tantùm, possit nihilominus alios etiam absoluere. 481 n.5.
An valeat exterior approbatio Episcopi sine interiore. 483.n.11
An approbatio simoniaca sit valida. ibid.
Non sufficit approbatio cuiusuis Episcopi ad audiendas vbiuis confessiones, & quotumuis. 483.n.13
An nomine Ordinarij approbantis Confessarium intelligi possit Ordinarius ipsius pœnitentis. ibid.n.15
Approbans debet esse Sacerdotis Ordinarius. ibid.n.17
Explicatur responsum Congregationis Concilij circa Ordinarium approbantem. 485.n.18
An possit Ordinarius approbare Confessarium pro certis Episcopatibus, non pro aliis. 487 n. 26
In quo fundari debeat limitatio approbationis Confessarij. ibid.n.27

Potest quis approbari ad certum tempus tantùm. ibid.
Si Episcopus neget approbationem Sacerdoti dignissimo, an possit nihilominùs excipere validè confessiones. ibid.n.28
Episcopus negans approbationem Religioso, qui ea dignus est, peccat contra iustitiam. 488 n.29.
In quibus casibus possit approbatio semel data reuocari. ibid
Semel data non potest sine caussa reuocari. ibid.n.30.

Confessario scientia necessaria.

Quanta scientia requiratur in Confessario. 489 n.1.
Non est opus vt Confessarius sit tam doctus pro hominibus eruditis atque pro idiotis. ibid. n.2
Non est opus vt comparationes inter peccata calleat. 393.n.5

Confessarij obligatio.

Sacerdos non Parochus tenetur ex charitate in extrema necessitate cum vitæ periculo confessionem excipere. 491.n.8
An etiam sic in graui necessitate. ibid.
An præstet vt Confessarius interroget pœnitentem statim, quando non satis sua explicat, an verò vt differat ad finem confessionis. ibid. n.9
Teneaturne Confessarius examinare pœnitentem postquam sua peccata dixit. ibid n.10
Quid faciendum Confessario quando nouit pœnitentis peccatum, de quo tamen ille se non accusat. 492.n.11
Quid faciet Confessarius, si pœnitens neget peccatum, quoad certò scit ab ipso commissum, ne id esse confessum. ibid.n.12
Quid faciendum Confessario cum persona inuincibiliter putante se coniugem, negante tamen debitum; si Confessarius sciat nullum eius esse matrimonium. 494.n.14
Debet ignorantiam vincibilem à pœnitentè tolerare. 493.n.14
Item conscientiam erroneam ex qua pœnitens peccat, ibid.n.15
Item ignorantiam inuincibilem, si sit spes profectus. ibid,
Quid si ignorantia inuincibilis sit contra ius Diuinum. 494.n.18
Quid si in præiudicium tertij. ibid.
Quid si speretur fructus aliquis, sit tamen remedium difficile valde & periculosum. ibid.
Quid si probabiliter putet Confessarius eam ignorantiam inuincibilem ab alio Confessario posteà tollendam, debetne præuenire sine spe emendationis. ibid.n.20.
Quid si pœnitens Confessarium in ea materia consulat. 495.n.21
Quid si ignorantia illa vergat in graue damnum commune. ibid.n.23
Quid si spes sit pœnitentem non statim quidem, sed post aliquod tempus se emendaturum. ibid.
Quid si sit dubium par in vtramque partem de emendatione & non emendatione secutura. 496
An possit aut teneatur Confessarius monere Iudicem aut Principem, cuius audit confessiones, de puniendis reis in vita. ibid.n.25.
An possit reum monere vt Iudici peccatum fateatur ex quo mors ei imminet. ibid.n.26
Quid si reus bona fide peccatum neget. ibid. n.27
Debet monere Principem de iniqua collatione beneficiorum, electione Ministrorum, &c. ibid.
An Confessarius teneatur in confessione sequi opinionem probabilem sui pœnitentis, si contrariam ipse sentiat probabiliorem. 497.n2
Quid si contrariam putet certam, & pœnitentis improbabilem & falsam. ibid.n.3
Audita confessione debet semel itetumque absoluere talem pœnitentem. 498.n.6

Confessarij defectus.

Quomodo Confessarius debeat corrigere suum errorem, ex quo Sacramentum nullum fuit. ibid num.7
Non sufficit si de sua culpa doleat, & pœnitentem relinquat in bona fide quasi esset absolutus. 499.num.10
Tenetur monere pœnitentem de errore, nisi fortè rursus ei confiteatur, &c. 500.n.11
Quid si ex monitione graue periculum ei immineat. ibid.n.12
An magis obligetur Confessarius ad errorem tollendum qui culpabiliter cum admisit, quàm qui sine culpa. ibid.n.14
Ad quid teneatur Confessarius, qui neglexit monere pœnitentem de restitutione, vel si monuit cùm non debit, & ille suum alteri dedit. 501.num.15
Quid si ista sine culpa fecit, ibid eod.n.
Quid si purè emisit. ibid.
Quid si defectus à Confessario commissus sit tantùm accidentalis, tenetúrne corriger. 501. num.18.& seqq.

Confessarij electio.

Quinam possint sibi eligere Confessarium. 452 num.31
Dubium speciale de hoc circa Societatem Iesu. ibid.num.32
An in priuilegio eligendi Confessarium includatur Vicarius Episcopi. ibid.
An Prælati omnes. ibid.n.33
Vix illa antiqua priuilegia iam sunt in vsu, ibid,

Confessio.

In confessione non requiritur dolor distinctus de quolibet peccato. 86.n.14
Propositum de futuro, quod fundatur in detestatione peccati, numquam ampliùs admittendi ea peccata, requiritur pro confessione. 403.n.4
Ad confessionem venialium requiritur dolor, qui sit propositum non peccandi de cetero. 432.n.9
In confessioe non attenditur physica indiuidualitas; sed moralis in actibus. 385.n.14
Sufficit speciem peccati dicere tacita indiuiduatione. 386.n.15
Dicere vnum indiuiduum pro altero non est peccatum mortale. ibid.
Qui reticendo aliquid in confessione peccauit mortaliter, licet ex errore, tenetur confessionem repetere, ac sequentes omnes mala fide factas. 393.n.2

Index Rerum.

Si Confessarius planè sit oblitus confessionis ante impositam pœnitentiam, repetenda est confessio. 399.n.22

Confessio præterita debet saltem aliquo signo doloris repeti ante absolutionem, vt hæc sit valida, etiamsi data iam esset pœnitentia. ibid. n.22.

An sufficiat confessio, quâ pœnitens dicit se habere eadem planè peccata quæ habuerat in vltima confessione, posito quòd Confessarius vltimæ confessionis benè recordetur. 402.n.31

Quid si tantùm habeat confusam notitiam prioris confessionis. 403.n.33

Quo sensu confessio & dolor pœnitentis dici possint actiones Christi 333.n.34

In confessione vtiliter explicantur actiones morales. 335.n.2

An faciens confessionem generalem teneantur dicere quæ peccata non sit anteà confessus. 340. n.22.

Qui iudicat probabiliter se non grauiter peccasse non tenetur ad confessionem. 341.n.24

Quid si sciat se peccâsse dubitet autem, an sit confessus, iudicando probabiliter quòd sic. ibid n.25.

An dubius de peccato admisso teneatur illud confiteri. ibid.n.26

Dubitans an sit confessus peccatum certò patratum, tenetur confiteri. 342.n.27

Dubitans an peccauerit grauiter, tenetur ad confessionem. ibid.n.28

An in omni casu quo tenebantur ad contritionem in Lege veteri, teneamur in noua ad confessionem. 343.n.31

Dari potest dubium de confessione. 345.n.36

An eo casu danda absolutio cum expressa conditione. 349.n.36

Vnde orta sit praxis confitendi dubia. 347.n.44

Qui numerum incertum pro certo dixit, non tenetur repetere confessionem, si postea certum resciat. 348.n.45

Confessus peccatū subdubio non tenetur denuò confiteri, licet sciat pro certo se deinde peccasse. ibid.n.46

Confitendum est peccatum prout est in mente confitenti dum confitetur. 355.n.47

Non omnia quæ faciunt ad grauiorem pœnitentiam sunt necessariò in confessione explicanda. ibid.n.48

Confessus peccatum cum omnibus circumstantiis, ignorâs tunc tamen esse mortale, resciens deinde fuisse mortale, an teneatur denuò confiteri. ibid.n.49

Confitens peccatum aliud pro alio solo numero distincto, in validè confiteatur. 385. n.13.

An confessus se occidisse Petrum, cum occiderit Paulum, teneatur repetere, cum suum errorem deprehenderit. 384.n.10

Qui confessus est reseruata bona fide non habenti iurisdictionem, debet illa sola repetere, non alia mortalia, nisi & pro his caruisset iurisdictione Confessarius. 393.n.1

Non tenetur peccata rursus confiteri qui oblitus est pœnitentiæ. ibid.n.3

Si confitens resciat dormitasse Confessarium audiendo confessionem, an teneatur totam vel saltem partem confessionis repetere: 394.n.8

Confitens per interpretem debet esse præsens Confessario, & interpres etiam. 419.n.41

Valor confessionis non impeditur per mendacium pœnitentis circa individuationem peccati. 405.n.39

Nullum periculum potest facere, vt vnum peccatum pro altero confitear. ibid.n.37

An liceat in eadem confessione dividere peccatum, dicendo, semel peccati substantiam, & aliquibus interiectis addere, quòd peccarit contra votum v.g. in re graui. 405. numero 41

Si communicaturus habeat vnicum peccatum mortale quod ob iustas causas non debeat confiteri, an saltem venialia debeat confiteri ante Communionem. 407.n.1

Ad bonam confessionem non est opus vt pœnitens dicat aliquid ignotum Confessario. 408. num.3.

Cur absolutus non factâ integrâ confessione teneatur deinde, si possit, integrè confiteri ibid.num.4

Confessionem posse fieri absenti non est prohibitum à Clemente VIII. 421.n.49.

Cur vna confessio non sufficiat ad duas absolutiones. 426.n.14

Dilatio confessionis an sit graue peccatum. 432 num.12

Confessio tripliciter potest imperari à malo fine. 442.num.46

Potest confessio esse bona, quamuis imperata sit ab actu venialiter malo. 443.n.47

Quomodo possit dimidiari confessio in plures Confessarios. 573.n.23.

Explicantur sancti Patres, qui videntur negasse necessitatem confessionis. 582.n.25

An obligetur quis ad confessionem si aliter non posset vincere grauissimas tentationes. 585 num.37

In quo casu suadeatur publica confessio etiam hodie. 587.n.44

Confessio potest fieri per interpretem. ibid.

An præceptum Diuinum obliget ad confessionem per interpretem. ibid.n.46.& seq. *Vide Ecclesia.*

Quare sæpiùs peccent illi, qui valdè ratò confitentur. 587.n.43

Peccaret, qui per Scripturam confessus, non exprimeret verbis suum dolorem de peccatis se accusando. 590.n.59

Qui aliter non posset teneretur scripto confiteri. ibid.n.60

Quid intelligatur nomine confessionis Sacramentalis. 590.n.19

Probabilius est etiam in articulo mortis non teneri quem confiteri per interpretem. 589. num.53

Quid sit consultum si tunc moribundus dubitet de sua confessione. ibid.n.54

Qui loqui nequit potest per Scripturam confiteri Sacerdoti præsenti. ibid.num.55

Etiam qui loqui potest, validè sic confiteretur, modò addat se de illis scriptis peccatis dolere. ibid.n.56

In quo casu posset admitti obligatio sæpiùs in anno confitendi. 587.n.43.

Ex quo capite Religiosi possint obligari ad eadem peccata sæpiùs confitenda. 592.n.9

Cur sanus excusari possit ab adeundo Confessario valdè procul dissito ante sumptionem Eucharistiæ, non item moribundus ab eo procul accersendo. 588.n.50

Con-

Index Rerum.

Confessio annua.

An annus pro confessione annua accipiendus sit à Paschate ad Pascha. 601.n.49
Non tenentur fideles semel in anno suis Parochis confiteri, si adsint Mendicantes. 456 n.48
Qui sua peccata Sacerdoti confiteretur absque dolore, sine animo suscipiendi Sacramentum, &c. non satisfaceret præcepto Ecclesiæ de annua confessione. 599.n.37
Qui ficte confiteretur pro Paschate, non euaderet censuras Ecclesiæ. ibid.n.41.
Præceptum de annua confessione obligat etiam hæreticos. 600.n.44
An Pontifex obligetur ad annuam confessionem ibid.n.45
An publici peccatores obligentur lege de annua confessione, & incurrant censuras transgrediendo. 601.n.47
Quando pueri obligentur ad confessionem annuam, ibid.n.47
Non incurrunt censuras pueri non confitentes in Paschate, quamuis obligati sint confiteri. ibid.n.48
Tenetur quis de mortalibus semel in anno confiteri, si in ea incidat, etiamsi iam aliquoties esset de venialibus eo anno confessus. 603. num.55
Semel confessus de mortalibus non tenetur intra eumdem annum ampliùs confiteri licet denuò peccet mortaliter; imò licet esset aliquorum oblitus inculpabiliter. ibid.eod.n
Qui ob iustas causas id quod mortale reticuit, licet alia sit confessus, tenetur intra illum annum illud quod tacuit confiteri, si sit occasio. ibid.n.57.& seq.
An qui confitetur dubium mortale teneatur denuò confiteri, si in certum mortale eo anno cadat, vel recordetur alicuius, quod erat oblitus. 604.n.60
Qui toto anno non est confessus, tenetur initio sequentis confiteri. ibid.n.62
An qui toto anno non est confessus, & ideò initio sequentis confitetur statim, teneatur adhuc semel eo anno confiteri. ibid.
An qui præuidet se per decursum anni non posse confiteri, teneatur initio confiteri. 605 num.64

Confessionis scientia.

Non potest Confessarius vti scientia confessionis in ordine ad gubernationem pœnitentis, si vsus sit odiosus pœnitenti. 517.n.16
Probabilius est prohibitum esse à Christo vsum scientiæ confessionis in ordine ad gubernationem pœnitentis. 519.n.22
Aliquis vsus talis scientiæ pœnitenti fauorabilis non est illicitus. 520.n.24
An possit Confessarius fugere, si ex scientia confessionis intelligat sibi paratum aliquod malum. ibid.n.25
Quid faciendum Confessario, si ex scientia confessionis intelligat sibi periculum spirituale imminere, audiendo rursus eamdem personam volentem sibi confiteri. 521.n.29.
Non potest Confessarius negare votum ei, quem ex sola scientia confessionis nouit indignum beneficio. 522.n.32
Quid faciendum Confessario, si ex sola confessione sciat suum Confessarium non esse Sacerdotem, vel non habere iurisdictionem, &c. ibid.n.33.
An teneatur Confessarius vitare intra confessionem quem ex ea intelligit esse excommunicatum. 523.n.34
Quid si resciat ex confessione Ecclesiam, in qua solet celebrare, esse violatam, potestne porrò celebrare in illa? ibid n.36
An possit interpres, factus postea Confessarius, agere cùm pœnitente in confessione de peccatis illius, quæ fuerat interpretatus. 524.n.38
Quid dicendum de consulto, cui deinde pœnitens confitetur, ignarus eum esse consultum à priore Confessario. ibid.n.39
Pœnitens dans facultatem Confessario loquendi de suis peccatis, non debet ei eam repetere extra confessionem. 526.n.46.
An pœnitente negante facultatem Confessario loquendi secum de auditis in confessione, possit nihilominùs aliquid loqui. 527.n.49

Confessionis sigillum.

An ex præcepto positiuo Christi oriatur sigillum confessionis. 504.n.3
Poterat Christus minùs rigorosum facere secretum confessionis. ibid.n.5
In violatione sigilli confessionis sunt ordinariè duæ malitiæ. 505.n.9
Aliquæ obiectiones contra sigillum. ibid.n.10
Quando incipiat obligatio sigilli. 514.n.40
Sigilli violati pœnæ. 527.n.51
Quo modo probari possit violatum esse sigillum confessionis. ibid.n.52

Quinam obligentur ad sigillum.

Interpres, quando per illum fit confessio, tenetur ad sigillum confessionis 506.n.12.
Item consultus à Confessario super alterius confessione, 507.n.15.
Etiam Prælatus requisitus pro facultate absoluendi a reseruatis. ibid.n.18
Item qui ex Confessario talem notitiam intellexit, & quicumque ex confessione talem notitiam habet. 508.n.19
Item qui se Confessarium finxit cùm non esset. ibid.n.20
Quid si pœnitens confiteatur absque animo consequendi absolutionem, aut Sacerdoti nolenti eum audire nec absoluere, an tunc Confessarius ad sigillum teneatur. ibid.n.21
An repertor scripturæ confessionis teneatur ad sigillum. 509.n.24

Materia sigilli.

Peccatum mortale est materia huius sigilli. 510. num.26
Reuelatio peccati venialis ex confessione est mortale. ibid.
Non licet etiam peccatorum circumstantias reuelare. ibid.n.27
Licetne defectus naturales cognitos in confessione reuelare. ibid.n.28
An liceat peccatum aliunde publicum, etiam ex confessione intellectum, reuelare? 511 num.31
An possit peccatum reuelari tacendo personam. ibid.n.32
An detur paruitas materiæ in violatione sigilli confessionis. 512.n.35

Connotata.

Quo sensu admitti possint connotata in ordine ad compo

compositionem alicuius tertij. 333.n.31

Consecrare.

Cur somnians non consecret, licet verba proferat supra materiam. 235.n.34
Potestatem consecrandi dedit Christus in Cœna, non absoluendi. 325.n.4

Contemptus.

Ad contemptus in transgressione aliqua repertus opponatur eidem præcepto cui ipsa transgressio. 462.n.21

Contraria.

Omnis repugnantia contrariorum non est nisi pro eo tempore quo existunt. 73.n.11

Contritio.

Ad contritionem an requiratur amor. 51.n.2
Quid significet *τὸ contritio*. 52.n.5
Contritio sola præstat securitatem animæ. 59. n.21.
Quod optimè & vnicè probatur ex Concilio Tridentino. 57.n.23
Vtrùm contritio ab inferiore virtute imperata iustificet. 60.n.33
Contritio inefficaciter imperata iustificat. ibid. num.35
Sic imperata à virtute inferiore vt perdat libertatem, non iustificat. 61.n.36
Imperata item à virtute inferiori pro instanti indeterminato non iustificat. 62.n.40
Cur ad contritionem requiratur amor summus appretiatiuè. 70.n.2
Contritio debet esse honesta, & quoad substantiam supernaturalis. 80.n.1
Ad veram contritionem sufficit quælibet duratio & intensio. 65.n.1
Non potest esse contritio sine proposito confessionis implicito. 96.n.4
Potest esse sine proposito confessionis expresso. ibid.n.4
Contritio melius oritur ex amore, quàm ex iustitia. 99.n.12
Maior est humilitas in quæ ea oritur ex amore, quàm quæ ex affectu iustitiæ. 100.n.17
Ad contritionem non requiritur motiuum gloriæ. 110. n.27
Supponitur, contritionem solùm ob acceptationem Dei delere peccatum. 117.n.10
Variis modis reiicitur doctrina Syluij quoad contritionem ibid.n.11.& seqq.
Contritio est adæquata satisfactio pro veniali. 145.n.10.
An contritio de pluribus peccatis sit nobilior, quàm de vno. 146.n.12
Contritio de facto non tollit venialia per mœqualis satisfactionis. ibid.n.14
An de facto acceptetur à Deo ad deletionem omnium venialium. 147.n.14
Suarez & alij putant contritionem esse condignam pro omnibus venialibus, supra quæ cadit, & modò ea omnia delere. ibid.n.17
Licet contritio esset omnino par veniali, Deus tamen non tenetur acceptare eam pro remissione venialis. 146.n.23
Deus acceptat contritionem post hanc vitam, vt condignam satisfactionem pro pœna, quia est magis connaturale. 151.n.26
Nec esset liberalior Deus, si eam acceptaret tantùm vt conditionem. ibid.eod.n.
Cur contritio post hanc vitam non tollat etiam reatum pœnæ. ibid.n.30
An omnis contritio sicut in hac vita vt in altera vita tollat aliquid de pœna temporali. 152. num.31.
Cur contritio non deleat totam pœnam temporalem. 214.n.4
Contritio in se præcisè considerata non est satisfactoria. ibid.n.6
An contritio præter pœnam æternam deleat aliquid etiam de temporali, in quam illa est mutata. 216.n.11
An contritio nondum dignificata à gratia exigat deleri aliquid de pœna temporali, in quam fuit mutata æterna 217.n.15
Nondum dignificata à gratia aliter se habet in ordine ad gratiam promerendam, aliter ad delendam pœnam temporalem. ibid.n.16
An per contritionem plus remittatur de pœna temporali in noua quam in veteri Lege. 218. num.19.
Contritio ratione sui immediatè non est satisfactoria. 237.n.44
Quomodo contritio sit aliter votum Pœnitentiæ, aliter obseruationis alicuius præcepti. 578. num.4.
Cur habita contritione sit adhuc necesse confiteri. 582.n.23

D

Delectatio.

DElectationes quædam sub conditione non sunt licitæ, licet essent licitæ posita illa conditione. 88.n.30

Delictum.

Delicta commissa ante legem latam non debent subiacere pœnæ per legem impositæ. 584.n.30

Defunctus.

An obsit defuncto negligentia hæredis in exequenda illius voluntate. 259.n.37
An prosint defuncto pia opera hæredis spontanea. 260.n.39

Desiderium.

Non omne desiderium alicuius rei dicitur spes propriè, sed inuenitur in omni virtute. 116 num.8.

Deus.

Quomodo Deus magis amet salutem nostram quàm media ad illam. 83.n.15
Declaratur quomodo Deus amet inefficaciter finem, media verò efficaciter. 89.n.17
Deus non potest à nobis magis auerti, quàm nos auertamus ab eo. 91.n.42
Deus sæpè amat obiectum nobilius propter aliud minùs nobile. 107 n.19
Deus in dandis auxiliis non vtitur miraculis, sed accommodat se causis naturalibus. 125.n. 38.& seq.
Deus antequam possit peccatorem odisse, debet se reflexè determinare ad ndlendam carentiam odij. 147.n.22
Odium peccatoris non causat in Deo aliquam afflictionem. 204.n.25
Qui Deo diffidit, iudicat implicitè saltem ipsum esse mendacem. 205.n.28
Deum non posse errare, nec mentiri credunt omnes hæretici. 415.n.27

Diffamari.

An sit leue apud vnicum diffamari in re graui 175.n.8.

Differentia.

Differentiæ quæ per negationes explicantur à nobis, non ideò sunt purum nihil, sed prædicata positiua. 391.n.24

Index Rerum.

Dolor.

Dolor de peccatis est honestus. 3.n.4
Possibilis est habitus ad eliciendum solum dolorem de præterito determinatus. 13.n.16
An eodem habitu doleamus de præteritis,& cauteamus futura peccata. 29.n.1
Verùm habitu Pœnitentiæ doleamus de iniuriis factis proximo. ibid.n.4
Potest idem habitus de proprio & alieno peccato dolere & satisfacere. 37.n.3
Non potest alienum retractare. ibid.eod.n.
Dolor de malo morali est possibilis. 46.n.1
Dolor oritur ex detestatione. 47.n.4
Solum dolorem ob motiuum charitatis iustificare extra Sacramentum probatur. 55m. 18. & seqq.
An dolor de peccatis vltra amorem Dei super omnia sit necessarius necessitate præcepti.66. n.16.& seqq.
Confirmatur non esse necessarium vltra amorem Dei super omnia. 67.n.19
Solus dolor ob Deum offensum non sufficit ad iustificationem. 68.n.22.& seq.
Quo sensu dolor pœnitentis, & confessio dici possint actiones Christi. 333.n.34
Dolor de peccatis necessarius est ad Sacramentum Pœnitentiæ. 423.n.1
Est intrinseca pars illius. ibid.
An hic dolor sit pars per accidens. ibid.n 3
Non est necesse vt dolor præcedat ipsam confessionem. 424.n.5
Consultum est tamen illum præmittere. ibid. num.7
Debet absolutionem necessariò procedere. ibid.
Cum vno dolore moraliter durante possunt fieri plures confessiones de iisdem peccatis. 425. n.9
An debeat physicè durare, an solùm moraliter. ibid.& seqq.
Dolor potest sat longo tempore procedere absolutionem. 427.n.15
Non est opus vt dolor de peccatis oriatur ex intentione confitendi. ibid.n.17
Dolor de carentia doloris de peccatis, moraliter loquendo, est sufficiens pro hoc Sacramento. 428.n.22
Non voluntas de eliciendo eras dolore præcisè in se spectata. 429.n.23
De peccatis venialibus quæ dicuntur tanquam materia confessionis est etiam necessarius dolor. ibid.n.24
An sit mortale non dolere de omnibus venialibus quæ quis confitetur. 453.n.14
An dolens de omnibus venialibus vnius speciei, & ea in genere tantum confitetur, ab omnibus absoluatur. 435.n.23
Quid si venialia inter se sint inæqualia. 436. num.25
Quid si venialia sint inæqualia.ibid. eod.n.
Si admittatur veniale,maximè graue, ex integro retractatur dolor. ibid.
An dolor de certis peccatis ex communi motiuo censeatur retractatus & insuffic ens ad cõfessionem, si superueniat peccatum aliud cõtra ipsum motiuum militans. 435.n.24
Dolor de peccatis ex motiuo vniuersali est propositum non peccandi de cætero. 430.n.4
Dolor efficax de peccato præterito est propositum vitandi futurum planè simile. 433.n.25
An dolor sub ratione generali de omnibus venialibus, sit vel trahat secum propositum deinceps vitandi. ibid.n.16.& seqq.
Intentio venialiter mala non impedit dolorem pro confessione requisitum. 443.n.47

E

Ecclesia.

Ecclesia non potuisset præcipere confessionem; licet pœnitentia fuisset eleuata ad Sacramentum. 591.n 2
Non potest obligare ad peccata secundò confitenda. 592.n.6
Nullum extat Ecclesia præceptum nec Christi de confitendis peccatis venialibus.597. n.31
Probabilius est posse Ecclesiam obligare ad confessionem aliquorum venialium. ibid.n.33
Potest Ecclesia imponere aliquas actiones ad cultum Dei, modo non sint valdè difficiles: & de facto multas imperauit. 598.n.34
An possit Ecclesia imperare confessionem venialium purè internorum. ibid.eod.n.
Probabilius est non posse. ibid.eod.n.
Quo sensu possit Ecclesia imperare indirectè actus internos ibid.eod.n.
Potest Ecclesia indirectè obligare ad perfectam confessionem & bonam. 599.n.38

Ecclesiæ thesaurus.

Thesaurum Ecclesiæ dari docet perpetua traditio. 275.n.2
Hæretici sibi contradicunt, dum negant thesaurum Ecclesiæ,ex quo indulgentiæ sumuntur. 274.n.1
Explicatur locus Extrau. *Vnigenitus.* de pœnit. circa constationem thesauri Ecclesiæ. 275. num.5
An aliqua merita damnatorum veniant in thesaurum Ecclesiæ. 260.n.2
Differentia inter opera Christi & Sanctorum in ordine ad thesaurum Ecclesiæ. 267.n.23
An thesaurus Ecclesiæ confletur etiam ex satisfactionibus reproborum. 276.n.4.& seqq.
Satisfactiones,prædestinatorum seruantur in thesauro Ecclesiæ etiam cùm sunt in peccato graui. ibid.n.7
Cur Deus reponat Sanctorum satisfactiones in thesauro Ecclesiæ cum Christi sufficiant.277 num.8
In lege veteri fuit thesaurus Ecclesiæ. ibid.
An absque thesauro Ecclesiæ possit dari indulgentiæ. ibid.
Tam passiones quàm merita Christi spectant ad thesaurum Ecclesiæ, illæ tamen magis propriè. ibid.n 10
An thesaurus Ecclesiæ aliter dispensetur quam per Indulgentias solas. 278.n.14

Eleemosyna.

Eleëmosyna imperata in viuis & data post mortem est animæ pœnalis. 236.n.41
An dans famulo pecunias in eleëmosynas, hic verò vel retineat,vel perdat,ni hilominùs dominus satisfaciat. 237.n.42
Eleëmosynæ,restitutiones,&c. possunt dici pœnales defunctis. 240.n.36
Cur negare eleëmosynam pluribus extremè egentibus sunt plura peccata; dare autem simul pluribus non sint plures actus eleëmosynæ. 362.n.12

Episcopus.

Non potest Episcopus in sua quidquid Pontifex in tota Ecclesia. 198.n.15
An possit Episcopus absoluere subditos suos extrasuam Diœcesim. 452.n.34

Vnde

Vnde Pontifex possit coarctare iurisdictionem Episcoporum. 458.n.2
Quo sensu olim Episcopi non habuerint casus reseruatos nisi soli Papæ. 464.n.28
Episcopus contrahit matrimonium spirituale cùm sua Ecclesia. 653.n.45
Quo iure sit prohibita translatio Episcopi ab vna ad aliam Ecclesiam. ibid.n.46

Episcopatus.

Vide Ordo.

Eucharistia.

Plures hostiæ simul sumptæ non faciunt plurium Sacramentorum susceptionem. 574.n.27

Eunuchus.

An eunuchus peccans contra castitatem teneatur eam circumstantiam confiteri. 366.n.24

Excommunicatio.

Cur excommunicatus aliqua Sacramenta validè suscipiat, non tamen Sacramentum Pœnitentiæ, nisi oblitus excommunicationis bona fide accedat. 395.n.11
An excommunicatus, ignorans suum statum bona fide confitens, absoluatur ab excommunicatione per formulam absolutoni Sacramentali præmitti solitam. 396.n.13
Non potest laicus absoluere ab excommunicatione in articulo etiam mortis. 445.n.5
Potest Episcopus extra mortis periculum absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ. 477.n.27
Si Nuntius Apostolicus adsit, vel Legatus, adeundus præ Episcopo. ibid.n.29

Extrema Vnctio.

Extremam Vnctionem esse verum Sacramentum definitum est in Concilio Florentino. 606.n.2
Probatur item ex Scriptura. ibid.n.3
Christus immediatè per se instituit Sacramentum Extremæ Vnctionis. ibid.n.4
Consistit in vnctione ipsa & verbis, &c. 607.n.16
Extrema Vnctio non requirit vt partem essentialem actum aliquem exteriorem infirmi. 415. num.29
Infantes non sunt capaces Extremæ Vnctionis, neque perpetuo amentes. 611.n.31
An requiratur actualis vsus rationis in suscipiente sacram Vnctionem. ibid.n.33
Sacramentum Vnctionis ob duos fines est institutum; quorum alter sufficit vt licitè conferatur. 613.n.36
An aliquando peccatum præteritum sit pars Sacramenti Extremæ Vnctionis. 614.n.38
Potest conferri Extrema Vnctio homini nullum peccatum habenti, modò sit capax illius. ibid. num.39
Probabiliter Beatissima Virgo suscepit Extremam Vnctionem. ibid.n.40
Quando dubitatur an infans vtatur ratione, potest conditio addi in collatione sacræ Vnctionis. ibid.n.42
Non debet conferri homini quem constat esse in actuali mortali peccato. ibid.n.43
Nec illi qui immediatè ante amissum vsum rationis positiuè noluit inungi. ibid.n.44
Quanta morbi grauitas requiratur vt licitè conferatur Extrema Vnctio. 615.n.45
An durante eodem morbo possit iterari Vnctio sacra. ibid.n.47
Probabilius est fore invalidam iterationem intra eumdem continuatum morbum. ibid.n.48
An valida esset vnctio in sola fronte v.g. vel simili alia parte corporis. 616.n.49
An tempore interdicti licitè conferatur sacra Vnctio. 617.n.7
Differentia inter sacram Vnctionem & Pœnitentiam in ordine ad delenda mortalia. 613 nm.30.
Item inter eam & alia Sacramenta viuorum in ordine ad remittenda mortalia. ibid. num.33
Cur is qui semper caruit vsu rationis, non est capax Extremæ Vnctionis, sic verò qui aliquando eum habuit, licet dudum perdiderit. ibid. num.32
Nullum extat præceptum de suscipienda Extrema Vnctione. 626.n.43
Vix potest excusari à peccato, qui sanis sensibus non vult suscipere sacram Vnctionem, si sciat se esse in periculo mortis. ibid.n.44
Non est obligatio ante eam præmittendi Eucharistiam. ibid.n.44

Eius materia remota.

An sufficiat purum oleum pro materia sacræ Vnctionis. 608.n.13
In necessitate licitus esset vsus olei cum balsamo mixti. ibid.n.14
Item vsus olei veteris, siue elapso anno benedicti; ibid.cod.n.
Secùs si absit necessitas, ibid.cod.n.
Oleum debet esse ab Episcopo benedictum. 607 num.7
Pro oleo nulla præscripta est specialis benedictio. ibid.n.10
An Ecclesia possit aliquam benedictionem huius olei præscribere, quæ ita sit necessaria, vt alia non sufficiat. ibid.n.11

Proxima.

Quot vnctiones sint necessariæ ad hoc Sacramentum. 609.n.17
Probabile est in graui necessitate sufficere vnicam vnctionem. ibid.n.18
An quælibet vnctio ex ordinariè requisitis esset specialem gratiam. 610.n.19
Non est necesse vtrumque oculum, vtramque aurem, &c. vngi, sed sufficit alterum vngere. ibid.cod.n.
An vnctiones debeant necessariò fieri in formam crucis. ibid.n.20
Sufficiatne vna gutta pro qualibet vnctione. ibid.n.21
Tempore pestis licitè confertur hoc Sacramentum lamella v.g. argentea, &c. ibid.n.22

Eius forma.

Quænam sit forma Extremæ Vnctionis; & an sit essentialiter deprecatiua. 611.n.24
An sit de essentia formæ ipsam vnctionem nominare. ibid.n.25.& seqq.
Non est essentiale formæ sacræ Vnctionis quinquies eam vel sæpiùs repetere. 611.n.29
An potuerit forma ordinaria vnctionis vsurpari pro Beatissima Virgine. 614.n.44

Eius effectus.

Variæ sententiæ de effectu primario sacræ Vnctionis reijciuntur. 620.n.19.& seqq.
Primarius effectus sacræ Vnctionis saltem partialis est impetrare auxilia actualia contra tentationes, &c. 621.n.23
Alter effectus partialis primarius est delere peccata. 622.n.24
In partiali primario effectu possunt plura Sa-

cramenta conuenire. ibid.n.26
Per hoc Sacramentum dimittuntur aliquando mortalia. 644.n.28
Remissio mortalis potest dici eius effectus primarius partialis, ibid.n.29
Vnde colligatur Christum ordinasse sacram. Vnctionem ad delenda peccata mortalia.624 num.34
An remaneat sacra Vnctio recedente fictione. ibid.n.35.
Probabile non est conferri per singulas vnctiones partiales gratias. ibid.n.37
Non est potestate Ministri differre pro arbitrio effectum sacræ Vnctionis sicut nec aliorum Sacramentorum, 625.n.38
Sanitas corporis non est infallibilis effectus Extremæ Vnctionis. ibid.n.40
Quando sanitas est nociua bono spirituali, non causatur ab Extrema Vnctione ibid.n.41
Causat sacra Vnctio auxilia ad patienter ferendos dolores morbi,cùm suscipitur integris sensibus. ibid.n.42
Sanitas corporis,sub conditione quòd sit vtilis, causatur ab Extrema Vnctione. 626

Eius minister.

Solus & omnis Sacerdos est Minister Extemæ Vnctionis 616.n.1
Ad licitè conferendam sacram Vnctionem requiritur iurisdictio,nisi sit grauis necessitas ibid.n.2.
Conferens vnctionem sine licentia Parochi extra necessitatem excommunicatur, si est Religiosus;secùs si non est. ibid.eod.n.
An excommunicatus suspensus, &c. valide conferat sacram Vnctionem. 617.n.3
Resoluitur pro parte asserente tamquam probabiliore, & respondetur ad cap *Quod in te.* de Pœnit. & rem. ibid.n.6
Parochus proprius tenetur ex charitat & iustitia dare vnctionem;alius Sacerdos ex charitate. 618.n.9
An teneatur Parochus,cum graui periculo vitæ dare sacram Vnctionem ibid.n.10
Nullum esset Sacramentum, si alius vngeret, alius verba proferret. 619.n.11
Esset validum Sacramentum, si plures Sacerdotes singuli singulas vnctiones facerent proferendo competentia verba. ibid.n.15
Peccarent graviter si extra necessitatem plures Sacerdotes eamdem personam simul vngerent ibid.n.14
Si Sacerdos inchoata vnctione moriatur, debet alius de novo eam inchoare,si vacat.620.n.16
Non peccat Sacerdos per noctem seruare v.g. decenter apud se sacrum Oleum,si causa subsit. ibid.n.17

F

Famelicus.

MOderata comedendi cupiditas in famelico non est mala. 227.n.5

Fideles.

Fideles non sunt subditi Pontifici quoad omnem pœnam. 264.n.24
Non tenentur fideles semel in anno suis Parochis confiteri,si adsint Mendicantes,&c. 456.n.48.

Fideles & Spes.

Virtutes infusæ Fdei & Spei manent in peccatore;& cur. 117.n.9

Forma.

Eadem forma potest dare diuersas & fortè oppositas denominationes. 24.n.62
Potest forma bona producere malum effectum formalem, & contrà. ibid.n.62
Aliud est formam aliquam opponi infinitis aliis, nullique ex illi dare locum subiecto,dum ipsa in eo est; & aliud habere tantam perfectionem æquiualenter,quantam omnes formæ oppositæ simul sumptæ. 146.n.11

Furari.

Qui est simul furatus centum, an satisfaciat dicendo in confessione se bis furatum quinquaginta, quasi duabus vicibus fuisset furatus. 405.n.40

G.

Gloria.

DVplex est in nobis ius ad gloriam. 181. num 46
Ius ad gloriam non tollitur per peccata non finalia. 183.n.48

Gloriatio de peccato.

An gloriatio de peccato opponatur virtuti quæ illud peccatum prohibet. 371.n.38

Gratia.

Gratiæ habitualis priuatio non potest dici partialiter,constituere peccatum habituale indeterminatè. 131.n.3
Falsum est per eam gratiam tolli peccatum quæ gratia sit formaliter peccati remissio.ibid.n.4
Quando infusio habitualis gratiæ interuenit in condonatione peccati, requiritur volitio Dei remittentis peccatum. ibid.eod.n.
Licet gratia essentialiter pugnaret cum peccato in eodem subiecto,adhuc eius infusio non esset ipsa formalis condonatio,aut sublatio peccati. 132.n.5
Licet opponeretur essentialiter peccato, adhuc eius infusio & condonatio peccati essent separabiles. ibid.n.6
Licet sit pulchritudo animæ, non tamen in ea consistit carentia peccati. ibid.n.7
Voluntas infundendi gratiam non est condonatio,sed ipsa infusio gratia est actualis condonatio. ibid.n.8
Gratiæ secundarius effectus non est expellere peccatum. 133.n.9
Quomodo possit gratia esse prior remissione peccati. 134.n.13.& seq.
Gratiæ infusio non est causa remissionis venialium. 145.n.9
Posset Deus absolutè infundere gratiam habitualem alicui,non acceptando illam ad gloriam 149.n.23.
Posset Deus ob imperfectiones negatiuas negare suas gratias;quod tamè de facto non fit.44 n.29
An gratia extinguat pœnæ reatum connaturaliter. 168.n.51
Gratia non petit physicam dispositionem. 279. num.33
Ostenditur disparitas inter formas physicas alias, & inter gratiam per merita acquisitam. 182. num.44
Gratia non videtur naturâ suâ exigere condonationem omnis pœnæ.183.n.49
Exigit tamen condonationem pœnæ sensus. ibid.eod.n.
Gratia habitualis ex natura sua petit remissionem

sionem pœnæ æternæ. 220.n.4
Gratia non petit præcisè auferri æternitatem pœnæ debitæ peccato mortali ibid.n.6
Probabile est gratiam, remissa culpa mortali, exigere, ne pœna temporalis vltra certam aliquam durationem se extendat, nec admodum longam. 221.n.7
Si gratia finalis dat ius ad beatitudinem, tenetur Deus remittere veniale. 149.n.23
Probabiliter gratia finalis causſat absolutè ius ad beatitudinem. ibid.
Cur gratia iustificans petat remitti pœnam æternam, non item temporalem. 219.n.2
Vide opera bona.

Gratiæ reuiuiscentia.

Vide Meritorum reuiuiscentia.

H

Hæreticus.

IN quo consistat malitia hæretici. 376.n.26
Disparitas inter hæreticum & Catholicum moribundum in ordine ad absolutionẽ. 414.n.26

Homicidium.

An sit futurum peccatum homicidij occidere hominem quem scio resurrecturum. 191.n.14
Quare singula homicidia in confessione explicanda. 361.n.11

Homo.

Homines condonando concipunt se aliquod ius resultans destruere, quod non potest dici de Deo, 138.n.28

I.

Identitas.

NOn est idem cognoscere identitatẽ duorum inter se & iudicare duo esse idem inter se. 36.n.38
Indentitas aliqua de facto respondet nostris iudiciis ex parte obiecti. ibid.n.29

Idiota.

An idiota factus doctior teneatur repetere in confessione quæ agnoscit se minus clarè explicasse. 394.n.34
Non est consultum idiotas à confessionali remouere vt melius se præparent, sed potiùs examinandi. ibid.eod.n.

Imperfectio.

Imperfectio est duplex negatiua & positiua. 41 num.25
Possibilis est vnus habitus respiciens imperfectiones simul & peccata. 43.n.26
Possibiles item sunt distincti. ibid.eod n.

Indiuidua.

Prædeterminatus ad alterum è duobus indiuiduis solo numero distinctis nihil meretur, hoc præ illo eligendo. 385.n.14

Indulgentia in genere.

Datur in Ecclesia potestas Indulgentiarum. 260 num.1
Vnde probetur origo Indulgentiarum. 261.n.3
Indulgentiæ nec sunt contra iustitiam, neque contra perfectionem. ibid.eod.n
Potestas Indulgentiarum non est solius Ordinis. 262.n.3.
Ne quidem Ordo ad eam necessarius. ibid.eod.n.
Requirit hæc potestas iurisdictionem. ibid.
An concessio Indulgentiarum sit actus iurisdictionis rigorosæ. ibid.n.6
An ea concessio sit per modum absolutionis. 263 num.8
Indulgentiæ fiunt per modum solutionis. ibid. n.9.& seqq.
Facultas concedendi Indulgentias est fauorabilis, & non stricti iuris. 302.n.26
Differentia inter Indulgentias, & absolutionem Sacramentalem 264.n.12
Explicatur cap. *Quod autem.* de Indulgentiis, an illæ sint absolutiones. 265.n.17
Quo sensu Indulgentiæ vocentur absolutiones. 266.n.18
Modus loquendi Pontificis dantis Indulgentias probat eum nõ absoluere, sed soluere. ib.eod.n.
Largiri Indulgentias est officij Pastoris, non Iudicis, licet supponat iurisdictionem. ibid. eod.n
Quomodo Indulgentiæ datæ ab Episcopo sint intelligendæ de iniunctis pœnitentiis. 270 num.33
Existens in peccato mortali an possit reddi capax per contritionem Indulgentiæ quæ est pro pœnis iniunctis. ibid.eod.n.
Quid intelligatur per Indulgentiam mille aut decem millium, &c. annorum. 272.n.43
Resoluitur dubium de pœna quæ remittitur per Indulgentiam vnius anni, decem annorum, mille, &c. 273.n.45
Quali annuæ pœnitentiæ respõdeat Indulgentia vnius anni. 274.n.46
Maiori peccatori potest contingere maior Indulgentia ceteris paribus. ibid.n.47
Iuxta quam deuotionem accipiendum sit opus pœnale remittendum per Indulgentiam. ibid. num.47
Quo sensu dicantur fideles per Indulgentias trahi ad iustitiam. 275.n.3
An Indulgentiæ semper concedantur ex satisfactionibus Christi & Sanctorum simul. 277 num.11
Probabilius est non posse Pontificem modò ex Christi solius, modò ex solorum Sanctorum satisfactionibus dare Indulgentias. 278. num.13
An acquirat Indulgentiam templo v.g. concessam, qui non potest intrare, sed tantùm accedere: vbi de visitatione altarium. 279.n.16
An diruto vetere templo, & nouo ædificato, in hoc maneant priores Indulgentiæ. ibid. num.17
An requiratur specialis honestas vt Papa applicet Indulgentias huic templo numismati. &c. ibid.eod.n.
Indulgentiæ non obtinentur nisi conditiones ad eas requisitæ exactè seruentur. 280.n.19
Quandonam causſetur effectus Inulgentiæ, in tempore, an in instanti. 281.n.2
Papa facere nequit vt Indulgentiæ reuiuiscant ibid.n.3.& seq.
Potest lucrari Indulgentias ille qui posset alio facilè modo satisfacere pro pœnis ex peccato remisso debitis. 285.n.18
An repetito opere, v. g. Indulgentia obtineatur toties quoties. 290.n.38
Duobus modis conceduntur Ecclesiis Indulgentiæ, ibid.n.38
Quomodo intelligẽda Indulgentia concessa templo v.g. in perpetuum, pro singulis vel saltem statis diebus 291.n.39
Quid de Indulgentia concessa in Festo aliquo & per Octauam eius sentiendum. ibid.n.40

Index Rerum.

An qui explet omnia requisita à Papa infallibiliter consequatur Indulgentias. ibid.n.41
Explicatur Extrau. *Aliquorum.* occasione Indulgentiarum. ibid.n.42
Quid sibi velint *plus mereri & efficaciùs consequi Indulgentiam.* ibid.n.42
Posset Papa concedere Indulgentias maiores & minores pro dispositione lucrantis. 293.n.47
Possent obtineri Indulgentiæ peccando venialiter in opere requisito. ibid.eod.
Vnde oriri possit quòd pauci Indulgentias obtineant. ibid.n.48
Papa sibi soli potest dare Indulgentias. 280 nu.10.
Cur in Sacramentis crescat gratia ex meliore dispositione, non sic Indulgentiæ pro meliore dispositione sint maiores. 293.n.46
An pœnitens excusetur à pœnitentia Sacramentali facienda, quando Indulgentia est nulla. 295.n.5
Differentia magna inter concessionem Indulgentiarum & administrationem Sacramentorum. 296.n.6
Concessiones annecti solitæ Indulgentiis valent, licet Indulgentiæ fortè non subsistant. bid. num.7
Quo sensu Indulgentiæ proportionentur thesauro Ecclesiæ. 296.n.9
Potest eadem Indulgentia ab vno minore labore multò quàm ab alio acquiri. 297..n11.
In dubio Indulgentiæ sunt laxè explicandæ, quia fauorabiles. 302.n.28
Indulgentias potest Pontifex reuocare pro arbitrio, etiam perpetuas. ibid.n.29
Non cessant etiam morlente eo, qui concessit. 303.n.30
An possit Indulgentia semel concessa sine caussa licitè reuocari. ibid.eod.n.
Vt cesset per reuocationem, debet hæc sufficienter esse promulgata. 304.n.34
Non est tamen opus vt reuocatio singulis innotescat. ibid.eod.n.
An per solum actum internum possit Indulgentia reuocari. ibid.n.35
Cur facultas assistendi matrimonio specialiter reuocari debeat vt cesset, non item Indulgentiæ. ibid.n.37
Cur ad concessionem Indulgentiæ requiratur actus exterior, non item ad reuocationem. eod. n.305.n.39.
An cesset vna Indulgentia superueniente altera. 206.num.42
Pontifex, largiendo Indulgentias, non potest facere vt hominis actio censeatur ipsius Christi actio. 311.n.12
Differentia inter Indulgentias & suffragia. 309. num.6
Cur requiratur status gratiæ ad sibi lucrandas Indulgentias, non item ad luctanda defunctis suffragia. 313.n.18

Indulgentia pro defunctis.

Vnde probetur dari posse Indulgentias pro defunctis. 308.n.2
Indulgentiæ & suffragia non benè per hoc differunt, quod illæ sint absolutio, hæc verò solutio. 309.n.3
Vera differentia inter Indulgentias & suffragia. ibid.n6
Quomodo Pontifex, concedendo Indulgentias pro defunctis, dicatur pascere oues suas. 311. num.13
Cur non possint fideles passim omnes Indulgentias defunctis, vel etiam aliis viuis applicare 312.n.15
Cur Indulgentiæ defunctis concessæ vocentur suffragia, & viuis concessæ absolutio. ibid. num.15
Vide Suffragia.

Indulgentia plenaria.

Indulgentia plenaria tollit per se obligationem imponendi pœnam confitenti. 271.n.36.
Quando causa dandi Indulgentiam plenariam. non subsistit pro toto, potest pro parte subsistere. 272.n.41
Quid significent dies vel anni, superadditi Indultiæ plenariæ. ibid.n.n.42
Vnde intelligatur an Indulgentia sit plenaria, necne. 273.ibid.

Indulgentiarum capaces.

An soli baptizati sint capaces Indulgentiarum 279.n.15.
An amens baptizatus sit capax. ibid.eod.n.

Indulgentiarum caussa.

An sit caussa necessaria ad dandas validè Indulgentias. 294.n.1
Pontifex debet habere caussam iustam, vt validè concedat Indulgentiam. 292.n.43
Habita iusta caussa dandi Indulgentias non tenetur Pontifex aliquod opus iniungere pro illis obtinendis. ibid.n.44
An defectus iustæ caussæ dandi Indulgentias supleri possit ex parte lucrantis. 293.n.49
Dupliciter potest esse defectus caussæ ex parte Pontificis pro dandis Indulgentiis. ibid.eod.n.
Quomodo Pontifex possit supplere defectum caussæ dandi Indulgentias. 294.n.50.& seq.
Poterat Christus Dominus nullam caussam requirere pro valida concessione Indulgentiarum. 295.n.2
Vnde probetur requiri caussam ad validam concessionem Indulgentiarum. ibid.n.4
Pontifices agnoscunt se sine caussa non posse dare Indulgentias. ibid.
Probabille est quòd Pontifex inuincibiliter errans in sufficientia caussæ Indulgentiarum, validè eas concedat. ibid.n.5
Caussa Indulgentiarum debet esse proportionata. 296.n.8
Quo sensu ea caussa pro Indulgentiis requiratur. ibid.n.9
Si caussa non sit adæquata toti Indulgentiæ, tum acquiri potest Indulgentia minor ei caussæ proportionata. 297.n.10
Pro Indulgentia vniuersali requiritur caussa vniuersalis, non item pro priuata. ibid.n.12
Sufficit caussa temporalis ad dandas Indulgentias, modò habeat respectum aliquem ad spiritualia. ibid.n.12
Cessante caussa, non ideò cessat Indulgentia. 307 num.47

Conditiones pro Indulgentiis obtinendis.

Qui vult lucrari Indulgentias, debet esse in gratia, saltem dum implet vltimum requisitum. 281.n.1
An ponens omnia requisita ad Indulgentias in statu peccati, eas nihilominùs acquirat postea vbi statum mutauerit. ibid.n.3
Ad consequendas Indulgentias non est necessaria confessio ex natura rei. 281.n.6
Potest eam Papa vt conditionem necessariam.

ponere

ponere etiam venialium tantùm. ibid eod.n.
Quando ponitur à Pontifice *confessis & contritis*, an sit necessaria tunc confessio, vt conditio sine qua non. ibid.n.6
Nihil iuuat, licet bona fide omissa fuerit confessio, vel ob impotentiam, &c. ibid.n.8
Non semper requiritur confessio ad Indulgentias, quando Cómunionio requiritur. 284.n.9
Si confessus recidat in mortale ante positam vltimam conditionem pro Indulgentiis, tenetur denuò confiteri. ibid.n.10
An oblitus inculpabiliter confiteri aliquod mortale, deinde memor illius fiat ante expletas omnes conditiones, teneatur denuò confiteri. ibid.
An sufficiens ad Indulgentias confessio valida informis si daretur. ibid.n.12
An ad Indulgentias necessaria sit confessio venialium. 284.n.14
An opus requisitum pro Indulgentiis vitiatum peccato veniali sufficiat. ibid.n.15
Quando requiritur oratio, eleëmosyna, &c. quantæ debeant esse. ibid.& seq.
Vtrùm oratio debeat esse vocalis. 285.n.17
An sufficiat si oratio fiat ad Sanctum quando requiritur ad Deum. ibid.n.18
An lucretur partem Indulgentiarum, qui solùm partem requisitorum facit. ibid.n.19
An omittens leuem partem operis præscripti, lucretur tamen Indulgentias. ibid.n.20
Opera realia pro Indulgentiis iniuncta possunt per alios fieri, cùm limitatione tamen: personalia verò non possunt. 286.n.22
An dominus obtinebit Indulgentias, cuius famulus retineat v g. eleëmosynam. ibid.eod n.
In lagitione Indugentiarum non videtur Pontifex nimis subtiles considerationes curare. ibid.n.23
Sufficit aliquando votum faciendi opus iniunctum ad obtinendas indulgentias. 287.n.14
Indulgentiæ consecutionem non impedit eleëmosyna facta pauperi ficto. ibid.n.25
Probabilius est non posse plures Indulgentias obtineri per opus quod est pro singulis requisitum. 289.n.34
An vna Communio & confessio sufficiant ad plures Indugentias eodem die lucrandas quarum singulæ eas requirunt. 290.n.36
Per Communionem nobiliùs quis disponitur ad Indulgentias quàm per confessionem. ib.n.37

Indulgentiarum effectus.

Peccata mortalia non remittuntur de facto per Indulgentias. 266.n.20
An Indulgentiæ possint impetrare auxilium existenti in mortali vt pœniteat. 267.n.21
An remittantur venialia per Indulgentias. ibid. eod.n.
Indulgentiæ non delent pœnam nisi sit remissa culpa: & qualemnam pœnam extinguant. ibid. num.14
An possent dari Indulgentiæ quæ solùm extinguerent pœnam in confessione. 238.n.26
Variæ sententiæ referuntur de pœna Purgatorij quam delent Indulgentiæ. ibid.n.28.& seqq.

Potestas concedendi Indulgentias.

Concilium non habet ius dandi Indulgentias 298.n.14
Nec Episcopus. ibid.n.14
Pontifex dedit limitatam potestatem Episcopis dandi Indulgentias. 299.n.18
Non est opus consecutione vt possit Episcopus dare Indulgentias. ibid.n.19
Potest Archiepiscopus dare Indulgentias in Episcopatibus sibi subiectis. ibid.n.19
Legati Pontificij & Cardinales non habent ordinariam potestatem dandi Indulgentias. 300
Pontifex potest delegare potestatem dandi Indulgentias cuicumque. ibid.n.21
Non item Episcopus. ibid.
Differentia inter concedentem Indulgentias & applicantem suas satisfactiones alteri. 301 num.23
Quomodo Pontifex possit dare Indulgentias prò hora mortis, & per quem possit applicari. ibid.n.24
Quis intelligatur nomine Confessarij pro Indulgentiis impertientis in hora mortis. ibid. num.25
In quo consistat potestas clauium Pontificis quoad Indulgentias largiendas. 331.n.11

Indulgentiarum forma.

Nulla est certa forma concessionis Indulgentiarum. 300.n.22
An opus sit exteriore signo ad concessionem Indulgentiarum. 301.n.23

Intellectus.

Intellectus potest habere purum dissensum. 34: num.21
Contrarium docet Lugo. ibid.n.22
Intellectus ad iudicandum accipit suum obiectum ab apprehensionibus præuiis, non autem per præuia iudicia. 35.n.25
Quomodo in intellectu possit esse summa adhæsio alicuius obiecti sine vlla comparatione. 74.n.15

Iubileum.

Quid Iubileum habeat præ Indulgentia plenaria. 272.n.41
Quomodo intelligendus Pontifex mandans tempore Iubilei pœnitentias imponi. 271. n.38
Duplicer potest Pontifex in Iubileo requirere impositionem alicuius pœnitentiæ. 272.n.39
Vi Iubilei potest absolui à reseruatis, qui in ea incidit spe absolutionis per ipsum Iubileum obtinendæ. 315 n.1
Non potest absolui à reseruato vi Iubilei commisso post acquisitum Iubileum, licet tempus nondum expirauerit Iubilei. ibid.n.2
Secùs est, si possit adhuc omnia opera requisita repetere, & putet se probabiliter non obtinuisse prima vice. ibid.
Non potest quis Iubileum bis lucrari. 316
An differens confessionem ex voluntate Confessarij post elapsum Iubileum possit tamen vi illius absolui à reseruatis. ibid.n.4
Animus obtinendi Iubileum debet esse quando datur absolutio à reseruatis, vt hæc sit valida 317.n.5
Licet his animus cesset ante obtentum Iubileum, non tamen redit reseruatio. ibid.n.6
Quid olim lleuerit in reseruatis commissis inter tempus Iubilei & dilatæ confessionis inter tempus Iubilei & dilatæ confessionis ex arbitrio Confessarij. ibid.
An deponens animum lucrandi Iubilei post confessionem, reincidat in reseruationem. 318.n.8.
In Iubileo duo spectantur, liberatio à pœnis Purgatorij, & bona opera: hæc autem sunt præcipuus finis, non illa. ibid.n.9
An vi Iubilei absolutus à reseruatis, & posteà deponens animum illud consequendi, peccet grauiter. ibid.n.10

An lucratus Iubileum oblitus inculpabiliter peccati reseruati, possit elapso Iubileo ab illo per quemcumque Confessarium absolui. 319 num.11
Quid si non sit lucratus Inbileum. ibid.n.13
Intentum Pontificis in concedendo Iubileo & facultate eligendi Confessarium. 320. numer.14
An concipiens animum lucrandi Iubilei vltimo vel penultimo die, & tum confitetur, reliqua deinde facturus, possit absolui à reseruatis. ibid. n.15
An vi Iubilei possit Religiosus eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, modò sit à suo Prælato approbatus. 321.n.16
An Dominica sequens possit reputari pro hebdomada præcedente in Iubileis, ibid. n.17
An possit quis requisita ad Iubileum partiti in duas hebdomadas, 322.n.18
Ieiunia pro Iubileo seruanda iuxta morem patriæ. ibid. eod. n.
Ieiunium pro Iubileo debet esse cum abstinentiâ à carnibus. ibid.n.19
Potest obtineri Iubileum per ieiunia quæ alioquin sunt ex obligatione. ibid. n.20
Quomodo Religiosi possint facere eleëmosynam pro Iubileo. ibid.eod.n.
An qui ex ignorantia Iubilei permisit tempus elabi possit illud postea obtinere. 322.n.21
Quid si vltima die resciens confiteatur & communicet, cetera pòst peracturus. 323.n 22
An possit quis efficere partem requisitorum pro Iubileo in vno loco,& partem in altero. ibid. eod. n.
Valent pro obtinendo Iubileo confessio & Communio factæ paulò ante promulgationem illius. ibid. n.23
Quis Confessarius intelligatur in Bulla pro votis commutandis. ibid. eod. n.

Iudex.

Differentia inter Iudicem fori Pœnitentiæ, & inter Iudicem humanum. 376.n.10

Iustus.

An omnis iustus se ad mortem præparans moriatur in contritione. 151.n.30

L.

Laicus.

AN laicus tentans absoluere à peccatis incurrat irregularitatem, 444.n.4
Non potest absoluere ab excommunicatione in articulo etiam mortis. 445.n.5

Lex.

Respectu quorum lex aliqua debeat dici odiosa vel fauorabilis. 344.n.34
Quomodo Deus oderit transgressores Legis, quin oderit ipsam Legem. 15.n.23

M.

Maius & minus.

NON semper concedit minus qui maius concedit. 269.n.31

Malo.

An eligens è duobus malis id quod est peius, peccet mortaliter. 87.n.28
An sit opus speciali virtute quæ prohibeat desiderare malum proximo. 370.n.35
Difficilius est desideria mali proximi, quàm volitiones efficaces eiusdem refrænare. ibid.eod.n.
Potest malum physicum honestè amari sub aliqua ratione honesta; non tamen malum morale. 9.n.27

Mandatum.

An facere contra mandatum Dei & hominis plus habeat malitiæ, quàm facere contra solius Dei mandatum. 368.n.31

Matrimonium.

Contrahentes matrimonium per interpretem debent esse præsentes Parocho dum eorum mentes explicat interpres. 419.n.41
Probabilis ratio,cur matrimonium conditionatum possit dici sortiri rationem Sacramenti impleta præcisè conditione quæ erat de futuro. 567.n.3
Probabilius est non posse matrimonium fieri sub conditione de futuro, vt ea præcisè posita perficiatur,vel sit matrimonium. ibid.n.4

Medicus.

Quid sibi velit obligatio Medicis imposita de non adeundis infirmis vltra triduum,nisi confiteantur. 585.n.34

Meritum.

Meritum oritur ex operis honestate, satisfactio verò ex pœnalitate eiusdem à gratia dignificati. 230.n.16
Forma dignificans meritum non est meritum. 231.n.22
Quæ consuetudo minuat meritum & satisfactionem, & quæ non minuat. 238.n.46
Quomodo Christus sua merita nobis applicuerit. 213.n.3
An ex meritis Christi nostræ satisfactiones accipiant suum valorem. ibid.eod.n.
Probatur merita non esse dispositionem physicá ad gratiam, sed tantùm moralem. 174.n.15
Merita sæpè non existunt dum datur gratia. ibid. n.17
Reiicitur Thomas Huttadus docens merita esse dispositionem ad gratiam. 175.n.21.& seqq.

Meritorum reuiuiscentia.

Idem est redire gratiam ac redire merita præcedentia. 160.n 2
Merita perfectè redeunt. ibid.eod.n.& seqq.
Probatur ex D. Paulo. ibid.n.4
Item ex Tridentino. 171.n.6
Redire merita non est tantùm dari nouam gratiam etiam intuitu antiquorum meritorum. 172.n.11
Quidam dicunt merita non reuiuiscere nisi in fine vitæ. 180.n.37
Meritorum reditus non prouenit ex pura misericordia Dei. 181.n.39
Quidam docent si peccata remittantur per gratiam, merita reuiuiscere ex natura rei, non verò si remittantur per conditionem. ibid. n.42
Merita reuiuiscunt ex misericordia & iustitia simul. 184.n.50. & seq.
Gratiam datam sine meritis reuiuiscere, variè probatur. ibid.n.53.& seqq.
Homo post peccatum ad maiorem gratiam resurgit quàm habuerit ante peccatum. 185. n.55
Eodem modo dicendum de redita gratiæ in Adamo ac de peccatoribus. ibid.n.56
Probabiliter noua gratia priùs infunditur quàm antiqua. ibid.

Probabiliter

Probabiliter etiam vtraque simul infunditur. 186.n.57
Quomodo componantur in subiecto antiqui & noui gradus gratiæ. ibid.n.58

Moralia.

In rebus moralibus non attenditur differentia numerica. 385.n.15

Mori.

Multi moriuntur cum solo Originali peccato & venialibus. 152.n.33

Motiuum.

Sufficit ad motiuum honestum, si aliqua peccata ex eo cauere possint. 7.n.20

N

Necessitas medij & præcepti.

NEcessitas medij quid sit, quid præcepti. 577. num.1
Probabilis ratio cur de necessitate medij sit Sacramentum Pœnitentiæ. 578.n.7
Quæ non sunt nobis libera, non possunt esse necessaria necessitate præcepti. 583.n.26
Quæ verò sunt libera, etiam sunt necessaria necessitate præcepti naturalis. ibid.

Negligentia inculpabilis.

An negligentia inculpabilis in procuranda pace cum Deo sit obiectum pœnitentiæ. 44.n.31

Nolle.

Aliud est nolle aliquid esse, aliud odio prosequi. 15.n.23

Nullum.

Nullum, irritum, inualidum, &c. sæpè ab antiquis accipiuntur pro illicito aut suspenso, &c. 669. n.24

Numisma cum Indulgentijs.

An qui habet diuersa numismata v.g. possit lucrari plures Indulgentias per idem, vel quasi per idem opus. 289.n.33
An possit amisso numismati v.g. cum indulgentiis aliud substitui. 306.n.41
Quid si amissum deinde reperiatur. ibid.
An substitutio illa possit fieri solo actu interno. ibid.n.42

O

Obiectum.

IN obiectis ipsis non est falsitas propriè. 34. n.22.& seq.
Non totum quod dicitur obiectum tangitur ab actu. 17.n.33
Ex parte obiecti multa videntur terminare actum, quæ tamen tantùm denotant modum cognoscendi. 35.n.27
Ex parte obiecti affirmatio, vel negatio nihil est, sed tantum modus est modus agnoscendi. ibi.
Deus sæpè amat obiectum nobilius propter aliud minùs nobile. 107.n.19
Malitia obiecti etiam materialiter tantùm amata contrahitur. 370.n.36
Aliqua obiecta mala potest Deus sua voluntate reddere licita. 375.n.7
Omnia ferè obiecta honesta habent simul rationem vtilitatis. ibid.eod.n.

Odium.

Odium negationis Dei spectat ad Charitatem Theologicam. 33.n.18
Adfertur ratio cur quædam possint odio haberi. ibid.n.19
Odium Theologicum vtrùm iustificet. ibid n.20
In odio peccati alieni, & proprij eadem est honestas. 37.n.3

Offensa.

Magis differunt inter se offensa Dei & creaturæ quam eorum cultus & amor. 30.n.5
Offensa in humanis cur possit per partes dimitti. 130.n.57

Opera bona

Per bona opera potest tolli vel satisfieri pœnæ temporali debitæ post remissam culpam. 221. num.9.
Opera bona hominis iusti sunt causa meritoria remissionis pœnæ, non pura cõditio. 222.n.11
Cur opera in mortali facta non satisfaciant pro pœnis Purgatorij. ibid.n.13
Cur opera in mortali facta non reuiuiscant accedente gratia postea. 223.n.14
Opus satisfactorium debet esse liberum. ibid. n.15
Reiicitur P. Suarez probans opus satisfactorium debere est supernaturale. 224.n.17
Opus bonum naturale habet proportionem ad merendum de condigno aliquod præmium naturale. ibid.eod.n.
Probabilius est opera naturalia non satisfacere pro pœna Purgatorij. 225.n.21
Sententia asserens per bona opera ad quæ tenemur ex præcepto, satisfieri, communis est & vera. ibid.n.22
Omne opus bonum non est satisfactorium. 226 n.1.
Sed solùm opus pœnale. ibid.n.2
An omne opus bonum sit pœnale. ibid.n.3
Non omne opus bonum habet annexam pœnalitatem, neque annexum malum aliquod positiuum. 227.n.4
Neque consequenter est satisfactorium. ibid.n.5
Explicatur Augustinus negans Gentiles vllum opus bonum fecisse. ibid.n.6
Pia opera hæredum, imperata à testatore pro sua anima, eidem prosunt dum fiunt. 253.n 33
Aliqua opera Sanctorum pœnalia manserunt irremunerata. 248.n.2
Opera externa Sanctorum non sunt proportionata ad obtinendam remissionem peccati. 267.n.22
De operibus bonis factis in statu peccati Beati habebunt gaudium accidentale. 172.n.9

Opinio probabilis.

Quid requiratur vt opinio aliqua sit probabilis. 498.n.5

Oratio.

Per orationes potest immediatè impetrari remissio pœnæ. 245.n.24
Orantes pro viuis plus petimus, quam orantes pro defunctis. ibid.n.26
Quem valorem habeant orationes Missæ, quando Sacerdos est in peccato mortali. 255.n.25

Ordo.

Ordinem esse Sacramentum indubitatum esse apud omnes asseruit iam olim S. Augustinus. 627.n.2
Quando institutum sit Sacramentum Ordinis ibid.eod.n.
Prima tonsura non est Ordo. ibid.n.4
Quomodo Sacramentum Ordinis dicatur vnum Sacramentum. 632.n 26
Christus non determinauit cæremonias neque verba circa collationem Ordinum. 634.n.8

Index Rerum.

Potestas conferendi Ordines à potestate consecrandi Corpus Christi quomodo differat. 643. n.8

An admisso Sacramentum caussare gratiam physice, idem possit dicit de Sacramento Ordinis respectu alterius Ordinis. 650.n.34

Ordo aliquis potest dupliciter habere plures materias & formas partiales. ibid.n.36

Accipere Ordines sine Confirmationes ex se non est mortale. 652.n.41

Ordo non est radicaliter iurisdictio. 325.n.6

Solus Ordo reddit proximiorem ad absoluenquàm sola iurisdictio. 326.n.7

Non semper dantur cum Ordine auxilia efficacia ad rectè exequenda munia Ordiuibus annexa. 652.n.44

Specialiora tamen dantur. ibid.

Ordines minores, & eorum forma & materia.

An quatuor minores Ordines sint Sacramenta. 627.n.5

Probabilius est sic esse. 628.& seqq.

Temerarium esset negare Subdiaconatum & Diaconatum esse Sacramenta. 629.n.13

Quatuor minores Ordines non vocantur sacri. 633.n.3

Materia & forma Ianitoris. ibid.eod.n.

Lectoris. ibid.

Exorcistæ. Ibid.n.4

Acolythi. ibid.

Ordines maiores, & eorum forma & materia.

Materia & forma Subdiaconi. 633.n.5. & 635. n.22.& seq.

Diaconi. 634. n.6

An impositio manuum sit partialis materia Diaconatús. 636.n.16

In Ecclesia Anicensi non dabatur liber Euangeliorum Diacono. 637.n.40

Potest Ecclesia facere vt manuum impositio ab Episcopo hæretico non sit signum collati Ordinis. 642.n.3

Sacerdotium, & eius forma & materia.

In consecratione Sacerdotis non datur integra facultas absoluendi. 325.n.5

Verba quibus Græci Sacerdotium conferunt 634.n.8

Posset Ecclesia Latina vsurpare alia verba, &c. in consecratione Sacerdotis. ibid.n.9

An sufficiat ad Presbyteratum dare sub disiunctione vel patenam cum hostia & calicem sine vino, vel hunc cum vino,& illam sine hostia. 658.n.14

Materia Presbyterij in ordine ad absoluendi facultatem est manuum impositio. ibid.n.27

Qui habet potestatem consecrandi,non habet eo ipso absoluendi. ibid.

Cur in Sacerdotij Ordine detur gratia duplex pro duplici forma & materia. 651.n.39

An potestas absoluendi in Sacerdote pendeat à potestate consecrandi. 650.n.19

Si Sacerdos à mortuis susciteretur,hoc ipso esset vt antè Sacerdos. 653.n.44

Quo iure vetitum sit Sacerdotes de nouo contrahere matrimonium. 657.n.57

Episcopatus.

Quo sensu dicant Catholici aliqui ab Ecclesia Episcopatum esse institutum. 630.n.16

Episcopatus est iure diuino institutus. ibid.n.18

Quando sit institutus. 631.n.19

Qui admittit Episcopatum esse Sacramentum, necessariò concedere debet esse saltem partialiter distinctum à Sacerdotio. ibid.n.20

Potest Episcopatus dici octauus Ordo;& cur ordinariè non ita dicatur. ibid.n.22

An Episcopatus imprimat Characterem specialem. 632.n.23

In Ordine Episcopatus non confertur specialis gratia pro singulis formis & meteriis partialibus, nec in aliis Ordinibus. 573. n. 37. & seq.

Eius materia & forma.

Omnes tres Episcopi debent librum Euangeliorum imponere ceruicibus episcopandi. 639. n.29

Probabiliter manuum impositio est materia partialis Episcopatus. ibid.& seqq.

Impositio libri est materia partialis Episcopatus. ibid.n.32

Vnctio item capitis & manuum. ibid.

Innocentius III. iussit addi vnctionem manuum & capitis Episcopo Braccarensi Romæ, omissam in consecratione illius. ibid.n.34

An omnes tres Episcopi sint Ministri Episcopatus. 641.n.39

An Episcopus vnicus ex commissione Papæ possit alium consecrare. 647.n.23

Argumenta quædam pro sententia docente vnicum Episcopum ex commissione Papæ posse alterum consecrare refelluntur 648. numer.30

Pontifex per specialem commissionem potest indulgere, vt vnicus Episcopus alterum consecret. 649.n.31

Ordinis Character.

Episcopus consecrans Presbyterum non producit in eo physicè Characterem. 650.n.35

Potestas consecrandi Presbyterum v. g. est distincta à Charactere qui est in consecrante.ibid. num.34

Probabilius est differre specie Characteres Baptismi, Confirmationis, Ordinis, item Ordinum ipsorum, &c. 651.n.40

Characterem producit Sacramentum Ordinis, licet propter obicem gratiam non producat. ibid.eod.n.

Character altioris Ordinis non pendet à Charactere inferioris. 652 n.42

Episcopatus tamen Character pendet à Sacerdotij Charactere. ibid.eod.n.

Ordinis Minister.

Ordinarius Minister Ordinum solùm est Episcopus consecratus. 641.n.1

Episcopi excommunicati,& hæretici validè conferunt Ordines. 642.n.6

Degradatus validè conferret Ordines. 643. numer.8

Episcopus modo sit Sacerdos, validè confert Diaconatum & inferiores Ordines, licet eos numquam acceperit. 644.n.12

Episcopus moraliter tantùm influit in Ordines. 649.n.33

Cardinales Presbyteri possunt conferre quatuor Ordines minores. 644.n.14

Item Abbates suis subditis. ibid.

Probabiliter simplex Presbyter potest ex commissione Papæ conferre Subdiaconatum & Diaconatum. 646.n.19

Probabilius est, non posse Papam committere simplici Sacerdoti consecrationem Presbyteri. 647.n.22

Potest Episcopus familiarem suum non subditum post triennium in familia expletum,licet nondum

dum prouisum,ordinare,modòpostea ei prouideat. 646.n.22

Requisita ad Ordinem.

Ad quem spectet electio & vocatio Ministrorum. 654.n.47
Quod sit subiectum capax Ordinis. ibid.n.48
Quæ requiratur ætas ad Ordines. ibid.
Quæ qualitates in ordinandis exigantur. ib.n.50
An & quomodo Regulares examinandi.655.ibid
Quæ sint tempora Ordinationibus destinata.ibid. n.51
Quomodo Castitas Ordinibus annexa. 657.n.57

P

Papa.

QVomodo Papa possit absolui. pag.325. num.5

Parochus.

An possit Parochus absoluere subditos suos extra suam Diœcesim. 452.n.34
An ob inscitiam Parochi sui possit pœnitens alium Confessarium eligere. ibid.n.35
Ad quos alios defectus extendatur hæc doctrina. 453.eod.n.
Parochus non potest dare iurisdictionem Sacerdoti non approbato in suas oues ad audiendas confessiones. 480.n.2
Nec etiam illi qui aliquando habuit tale beneficium ibid.n.3
An possit committere suas oues absoluendas Sacerdoti approbato ab alieno Episcopo. 481. eod.n.
Tenetur sæpiùs in anno audire confitentes, si ipsi id exigant. 489.n.3
Quoties ad id teneatur. 490.n.4
Si Parochus prouiderit suis de alio Confessario, an adhuc teneatur eos audire, si ipsi malint confiteri. ibid.n.6
In articulo mortis tenetur Parochus suos audire cum vitæ periculo,si non est aliter eis prouisum. 491.n.9.

Pars constitutiua.

Quid dicatur pars constitutiua alicuius. 330.n.22

Pastores Ecclesiæ.

Christus dedit Pastoribus Ecclesiæ facultatem remittendi peccata. 324.n.2

Peccator.

Quid fieret cum peccatore, qui ex ignorantia perplexus eligeret potiùs infernum quàm peccatum. 75.n.22
Doctrina Card. Lugo, cur peccator difficulter vitet peccatum. 202.n.18
Deus antequam possit Peccatorem odisse,debet priùs se reflexè determinare ad nolendam carentiam odij. 137.n.22
Maior sanctitas,cæteris paribus, non facit peccantem minore dignum pœna. 246.n.29
Quid faciendum de peccatore qui lõgo tempore mansit in statu peccati, siue semper paratus ad peccandum oblata occasione. 393.n.33
Metus obliuiscendi peccatum non obligat peccatorem ad statim confitendum. 587.n.36

Peccandi occasio.

Occasio peccandi duplex, remota & proxima 436.n.26.
Quid remota,quid proxima. ibid.eod.n.537
Non est obligatio vitandi occasionem remotam. 437.n.28.
Maior ratio est negandi absolutionem perseueranti in occasione proxima, quàm relapso in priora peccata. 438.n.30
Neganda aliquando absolutio non vitanti proximam occasionem. ibid.n.32
Nisi graue periculum incurratur euitandi istam occasionem. ibid.n.34
Quid ad casum de eo qui sciret se damnandum, si in talem occasionem se immitteret.439.n.37

Peccatum.

Peccata velle compensare & impedire,est idem moraliter. 12.n.12
Explicatur similitudine, ibid.
Discursus Lugo, quomodo peccatum absolutè ametur,reiicitur. 16.n.25
An remisso peccato sit locus pœnitentiæ. 31.n.5
Ius quod habet Deus ad me odio habendum,nihil est ab ipso peccato distinctum. 25.n.62
Peccatum ipsum per se est malum & dissonum homini. 36.n.29
Peccatum non potest odio haberi sine præuio amore alicuius personæ. ibid.eod.n.
Pro peccatis alienis & meis potest esse diuersus habitus, qui tamen ratione honestatis in obiecto non differrent specie. 34.n.4
Peccati detestatio, vt spectat ad charitatem, debet esse formaliter amor Dei. 52.n.4
Peccatum vt est contra Deum potest dupliciter odio haberi. 51.n.2.&.52.n.5
Secundus modus pertinet ad charitatem. ibid.
Quis ex illis duobus modis sit cõtritio. ib.eod.n.
Homo tenetur magis fugere peccatum etiam veniale,quàm infernum vel carentiam mali.75. n.20
Peccatum non sit licitum ob vitandum infernum & peccata in eo æternùm committenda. 76. n.24
Non teneor desiderare dari mihi nunc occasionem, ne fuerit peccatum præteritum, etsi ad hunc finem deberem infernum eligere.ibid.n. 25 & seqq.
Si daretur tale desiderium,esset bonum. 78. n.30
Si per impossibile ex omissione peccati sequeretur Deo intrinsecum aliquod graue malum, ideoque ad vitandum illud esset necessarium admittere graue aliquod peccatum,id foret licitum. ibid.n.31
In casu isto peccatum non esset peccatum. ibid.
Cur liceret mendacium ad vitandum malum Dei intrinsecum,& non ad vitanda infinita peccata. ibid.n.21
Pro quolibet peccato non requiritur distincta detestatio. 85.n.20
Non est necessarium in contritione in vllo casu omnia peccata distinctè recogitare. ibid.n.22
An in memoria plurium peccatorum sufficiat vnum tantum detestari. 86.n.25
Inter duo peccata minus est eligendum. 87.n.27
Excessus vnicus peccati præ altero quantus sit non potest sæpè solidè sciri, 88.n.26
Quando excessus coniunctus cum altero peccato puniatur pœna æterna, & faciat peccatum mortale. ibid.n.30
Si excessus inter peccata sit notabilis, & se solo sufficiens ad mortale, tunc foret peccatum mortale. ibid.n.31.
Quid sentiendum de illa propositione, *Si essem futurus hæreticus, mallem esse Atheus quam Lutheranus.* 89.n.32
Quid per desiderium speculatiuum magis optandum,

dum,præseruati à proprio peccato leui, an à mortali Originali. 92.n.42
An actio peccaminosa possit cessare esse peccatum. 93.n.44
Permittenda potiùs sunt aliorum peccata grauissima, quàm leue proprium faciendum. 94. n.45.& seq.
Ad vitandum alienum peccatum non teneor, possum tamen honestè subire omnes pœnas. p.95.n.48
Peccatum non desumitur immediatè ex ipsa Lege vt in se existente, sed vt iudicata existere. 123.n.19
An sit possibile peccatum essentialiter irremissibile. 122.n.29
Si actus intellectus non potest reflectere supra se, non datur peccatum essentialiter irremissibile. 123.n.31
An possit aliquis actus peccati pendere ab hac reuelatione vt existente. ibid.n.32
De peccato essentialiter irremissibili posset dari pœnitentia. ibid. eod.n.
Nullum est peccatum tam graue, vt de eo non possit dari Pœnitentia fructuosa. 124.n.33
An post quamlibet peccatorum multitudinem sit possibilis Pœnitentia. ibid.eod.n.
Proponitur & reiicitur sententia negans. ibid. n.34.& seqq.
Nullus est de facto numerus peccatorũ ob quem Deus regulariter neget auxilia ad veram Pœnitentiam. 125.n.37.
Si cui esset reuelata sua damnatio & obstinatio, posset dolere de peccatis. 126.n 41
Non tamen de peccatis ex ipsa reuelatione ortis. ibid.eod.n.
Non potest Deus remittere partialiter peccatum. 127.n.47
Odium peccati grauis non tam penes intensionem, sed specie differt ab odio venialis. ibid.
Odium peccati graue non potest mutari in leue intra eiusdem peccati genus. 128.n.49
Potest autem intra genus peccati mortalis. ibid.
Peccatum graue non dat æquiualenter ius pro odio leui. ibid.n.50
Non potest peccatum partialiter deleri pe partiales satisfactiones. 129.n.51
Expellere peccatum differt tantum penes denominationem extrinsecam ab eo, quod est impedire ius ad odium Dei. 133.n.10
Sicuti existentia continuata, seu conseruatio. ibid.
Peccatum hodiernum triplicem potest mereri pœnam. 135.n.18
Potest Deus peccatum remittere sine retractatione peccatoris. 141.n.41
Non potest odio haberi peccatum sine odio ipsius peccatoris. ibid.n.42
Peccatum commissum potest interrumpi. 165. n.42
Peccatum expellit gratiam non solùm per modum demeriti, sed per modum contrarij. 182 n.43
Quo respectu dicantur peccata directè vel indirecte remitti. 409.n.6
Ex sola Christi voluntate oritur, quòd peccata indirectè remissa debeant explicari in confessione. ibid.eod.n.
Remissio peccati non potest fieri posita solius Sacerdotis voluntate. 555.n.12
Deus non odit omnia quæ peccatum constituunt. 333.n.31
Peccata omnia debent per Baptismum vel Pœnitentiam directè deleri posse. 337.n.8.
An peccatum commissum in Baptismo sit hominis Christiani. ibid.n.10
Explicatur S. Augustinus de peccatis in Baptismo commissis. 338.n.12
Item S.Thomas. ibid.n.13
Quid intelligat D.Thomas per peccata coëxistentia Baptismo. 339.n.15
Vtrùm iam in confessione deleta sint dicenda cum ea circumstantia, quod fuerint clauibus subiecta. ibid.n.18
Qui confitetur peccata iam semel ritè expiata, non tenetur ea de re monere Confessarium. 340.n.19
An ex Tridentino probari possit esse confitenda peccata dubia. 343.n.32.
Vnde peccatum dicatur dubium. 344.n.34
An licitè reticens peccatum teneatur de illo conteri. 373.n.3
An proxima occasione teneatur illud confiteri. ibid.eod.n.
An teneatur confiteri, si nullum aliud mortale habeat. ibid.n.4
Non semper secundum peccatum est ex eo grauius. 434.n.20
An post remissum peccatum quoad culpam & pœnam maneat adhuc aliqua in homine indignitas, quæ per sequentes absolutiones tollatur. 561.n.30
Quando Deus peccatum integrè condonauit, nihil amplius iuris habet in hominem ratione illius peccati. 563.n.35

Peccatum habituale.

Peccatum habituale duo includit, scilicet præteritionem physicam peccati, & negationem seu carentiam compensationis. 25.n.63
Obseruatio circa peccatum habituale. 40.n.14
Peccatum habituale in quo consistat. 131.n.2

Vide Gratia habitualis,

Mortale

Possibilis est habitus qui sola peccata mortalia detestetur. 41.n.18
Peccatum mortale magis detestandum quàm Originale. 89.n.33
Licet de peccato mortali per bona nostra opera aliquid minueretur, non tamen ideò veniretur ad finem vt totum deleretur, quamuis peccatum non sit infinitum. 129.n.52
Non debet ad hoc decrementum concipi descensus per partes determinatas. ibid.n.53
Non potest, intra peccata mortalia manendo, deponi ob satisfactionem nostram partialem gratiæ odium, & assumi leuius. 130.n.56
Ob satisfactionem Christi posset.ibid.eod.n.
De facto non tollitur mortale partialiter.ibid.n. 57
Multa possunt & in suo genere tam grauia mortalia dari, vt eis vna contritio non æquiualeat in sententia Vasquez. 145 & 146.n.11. & 12
An peccatum mortale aliquando remittatur quoad culpam & pœnam æternam, remanente integra pœna temporali, in quam illa erat permutata. 217.n.14
Peccatum mortale non remittitur nisi per gratiam constituentem filium adoptiuum. 328. num.16
Fingere peccatum mortale in confessione est peccatum graue. 357.n.61

Index Rerum.

Quid si fingens addat se illud peccatum iam fuisse confessum. ibid.eod.n.

Originale.

Peccatum Originale non potest propriè rectificari. 39.n.10
Probabiliter peccatum Originale est grauius veniali, ideoque magis vitandum. 91.n.38

Veniale.

Probabiliter implicat dari habitum qui sola venialia detestetur, 41.n.18
Quid de peccato veniali collato ad Originale. 89.n.33
Non licet ad vitandum peccatum Originale, vti nec vmquam aliàs, peccare venialiter. ibid. num.34
Peccatum veniale fugiendum est præ Originali habituali, seu maculante. 89.n.34
Peius est peccatum veniale, quàm dilatio Pœnitentiæ de peccato graui. 90.n.35
An præstet eligere manere æternum Dei hostem, quàm peccare venialiter. ibid.eod.n.
Qui committeret peccatum veniale ad cauendum Originale, tali casu non peccaret. 92. num.40
Peccata venialia non opponuntur gratiæ sanctificanti. 145.n.1
Concilia parum loquuntur de remissione venialium. ibid.
Veniale nunquam de facto remittitur quin simul infundatur gratia habitualis. ibid.n.3
Ad remissionem venialis non sufficiunt actus naturales. ibid.eod.n.
In pura natura non posset veniale tolli per æqualem satisfactionem. 146.n.4
An in pura natura veniale posset facilius quàm nunc remitti. ibid.eod.n.
Ratio cur veniale non possit tolli per actus naturales. ibid.n.5.& seq.
An possit tolli veniale, quin simul infundatur gratia. 147.n.7
An remissio venialis sit effectus secundarius attritionis. ibid.
Cur D. Thomas concedat animabus Purgatorij meritum remissionis venialium, non verò meritum gratiæ & gloriæ. ibid.n.8
Veniale potest extra Sacramentum tolli per attritionem. ibid.n.9
Possunt dari tam multa & in suo genere tam grauia venialia, vt eis vna contritio non æquivaleat. ibid.n.10
An Deus potuisset non acceptare satisfactionem pro veniali, adeoque ob veniale excludere iustum à beatitudine. 148.n.21
Etsi ob veniale non remissum posset homo æternùm priuari cælo, adhuc veniale differret à mortali. ibid.n.22
Quomodo remittantur venialia in confessione. 149.n.25
Delentur etiam venialia per alia Sacramenta. 150.n.26
Veniale in iustis post hanc vitam remittitur per contritionem, vt condignam satisfactionem. ibid.n.28
An qui in venialibus moritur, peccet. 151.n.30
Veniale nunquam remittitur damnatis quoad culpam. 152.n.33
Si verò quoad pœnam. ibid.
Non iis qui habent Originale. ibid.
Per accidens potest esse obligatio confitendi venialia. 345.n.37
An sit mortale dicere peccatum veniale fictum in confessione, vel verum sine dolore. 354. num.53
Aliud est non posse vitare omnia omnino venialia, aliud, non posse ea quæ commisit. 435. num.22
An dolens de omnibus venialibus vnius speciei, & ea in genere tantùm confitetur, ab omnibus absoluatur. ibid.n.23
Peccata venialia includuntur sub potestate remittendi, non verò sub potestate retinendi. 580.n.13

Peccati carentia.

Carentia præcisa peccati an sit satisfactoria. 49. num.10
Disparitas inter actus externos & carentiam peccati. ibid.eod.n.
Carentia pura peccati non est bona obiectiuè. ibid.n.11
Carentia peccati est duplex, negatiua & priuatiua. ibid.n.12
Priuatiua est honesta. 50.eod.n.

Peccati complex.

Si pœnitens potest peccatum integrè confiteri non prodendo complicem, peccat eum prodendo. 374.n.5
An quando periculum est prodendi complicem, possit peccatum vel aliqua circumstantia reticeri. ibid.n.6
Potuit Christus velle vt complex detegatur, potuit nolle. 375.n.7
Peccans cum alio ità vt peccatum confiteri is nequeat nisi reuelando complicem, an det implicitè facultatem vt reuelet. ibid.n.9
An faciat ad proximi vtilitatem prodere complicem. 376.n.11
An Christus voluerit Fideles sua peccata confiteri integrè, nulla habita suæ aut proximi famæ ratione. ibid.n.12
Disparitas inter pœnitentem & complicem in fructu ex Sacramento consecuto. ibid.eod.n.
An Sacramentum Pœnitentiæ secum trahat necessitatem reuelandi complicem. 377.n.13
An in Pœnitentiæ institutione sustulerit Christus obligationem non diffamandi complicem. ibid.n.14
An casu quo licitum sit prodere complicem, sit etiam necessarium. ibid.n.15
Dato quòd teneat in peccato mortali prodere complicem, an teneat etiam in veniali, si id velim confiteri. 378.n.16
Si peccatum aliter explicari nequeat, an debeat tertiæ personæ non complicis prodi naturalis defectus aut peccatum. ibid.n.17
Quantam industriam facere debeat quærendo alium Confessarium pœnitens ne prodat complicem. 379.n.18
Qui complicem diffamauit in confessione an teneatur ad famæ restitutionem. ibid.n.19

Peccati circumstantia.

Circumstantia vt sit materia necessaria confessionis, debet addere speciem nouam moraliter malam. 358.n.1
Proponitur sententia negans confitendas tantum circumstantias aggrauantes. ibid.n.2
Asserens vt probabilior defenditur. 359.n.4
An circumstantiæ notabiliter minuentes sint explicandæ in confessione. 359.n.6
Circumstantias notabiliter aggrauantes confitendas esse probatur ex Tridentino. 360.n.7

An

An qui furatus est à pluribus, debeat eam plurium circumstantiam confiteri. 362.n.14
An reddens se incapacem ad legendas Horas debeat confiteri singulas vices quibus omisit postea. ibid.n.15
An vnico consilio inducens plures ad peccandum debeat eam pluralitatem explicare. 363
An verum sit illud, Non tenetur pœnitens omnia sponte dicere, quæ tenetur interrogatus. ibid.n.16
Quanta debeat esse circumstantia aggrauans, vt quis eam teneatur confiteri. ibid.17
An circumstantia intentionis sit in confessione explicanda. 364.n.18
Quid dicendum de duratione. ibid.eod.n.
An circumstantia grauitatis personæ sit confitenda. 366.n.25
Ignorantiæ circumstantia confitenda. ibid.eod.n.
An circumstantia consuetudinis peccandi sit confitenda. 367.n.27
An interrogatus teneatur eam consuetudinem confiteri. ibid.n.28
An circomstantia virginitatis violatæ sit explicanda. ibid. eod.n.
An violans duo præcepta in eadem materia teneatur ad ipsum confiteri. ibid.n.29
An circumstantiæ annexæ excommunicationis sit confitenda. 369.n.31
An qui optat proximo malum debeat malum ipsum specificare. ibid.n.33
An qui se iactauit de peccato commisso, debeat illud peccatum explicare. 370.n.37
Qui laudauit alium de peccato graui, tenetur illud specificare, licet eo absente eum audauerit. 371.n.39
An is qui neglexit fraternam correctionem teneatur, confiteri in qua specie peccati neglexerit. 365.n.21
An is qui præbet scandalum, debeat numerum personarum, quibus dedit confiteri. ibid. num.13
An sponsa teneatur suam circumstantiam confiteri si peccauit in sponsalibus. 366.n.24
Blasphemiæ in Deum vel Sanctos sunt specificandæ. 371.n.40
Sic etiam diuersitas specifica in hæresi. 272. eod. n.
An apostasia à Fide specificanda. ibid.n.41
An obiectum delectationis morosæ in materia veneréa sit specificandum. ibid.eod.n.
Pœnitens timens malum Confessario vel sibi vel alteri potest peccatum reticere. 373.n.2
Quo ęsu tenetur alium Confessarium quærere. ibid.
An tunc possit dimidiare confessionem si alium habeat confessarium. ibid.eod.n.
Quando periculum est ob solam circumstantiam, an substantia peccati, sit confitenda tacitâ circumstantiâ. ibid.n.3
An liceat reticere si damnum sequatur ex purâ malitia Confessarij. 374
An circumstantia loci sit confitenda. 383.n.7
Quid circa alias circumstantias. ibid.
Qui peccauit ex errore, non tenetur errorem explicare, modò peccatum confiteatur. ibid.n.9, & seq.
Immeritò separant aliqui quæstiones de externis & internis peccatis. 387.n.19
Qui vno actu vult totum Breuiarium omittere, facit vnum peccatum; secùs si pluribus actibus velit plures partes omittere. 388.n.20
An sæpiùs iurans, blasphemans, &c. in eadem ira debeant numerum explicare. ibid.n.23
An cessans à comestione carnis illicitæ, moxque mutato animo rursus comedit, debeat vt duplex peccatum confiteri. 392.n.28
Oblitus circumstantiæ mutantis speciem non tenetur ipsum peccatum repetere, si absque repetitione potest circumstantiam confiteri. 403. num.35
Quando circumstantia omissa non potest explicari sine peccati repetitione, tum ipsum peccatum reperendum est. 406.n.42
Circumstantia voti & sacrilegij pari passu ambulant in ordine ad confessionem. ibid.

Peccatorum reuiuiscentia.

An peccatum actuale post remissionem redire possit, saltem diuinitus. 153.n.1
Licet idem peccatum actuale reproduceretur, non tamen diceretur moraliter redire antiquum peccatum. ibid.n.2
Sententia Hortadi, Peccata de facto non reuiuiscere neque quoad pœnam, neque quoad malitiam, neque quoad offensam. ibid.n.3
Quidam dicunt, certas quatuor peccatorum species reuiuiscere. 155.n.9
Peccata semel dimissa non amplius redire, ferè inter omnes Scholasticos est certissimum. 156.n.14
Si peccatum tollatur per æqualem satisfactionem, non potest redire. 161.n.29
Item si Deus condonet peccatum absolute. ibid. num.30
Item si Deus promittat condonationem sub conditione futura. 162.eod.n.
Si Deus absolutè condonet, ita tamen vt seruet sibi ius sub conditione odium resumendi potest peccatum redire. ibid.n.31

Peccata reseruata.

Dari in Ecclesia potestatem reseruandi, est de Fide. 457.n.1
Quomodo Episcopus possit reseruare peccata. 458.n.2
Quorum peccata possint reseruari. ibid.n.4
An sit necessaria notitia reseruationis vt incurratur. ibid.eod.n.
Quæ peccata possint reseruari. ibid.n.5
Purè interna possunt reseruari. ibid.eod.n.
Quomodo ex actione externa reseruatio peccati sit agnoscenda. 459.n.6
Quomodo reseruato peccato externo reseruentur actiones externæ ad illud ordinatæ. ibid.n.7
Obseruatio pro meliori intelligentia reseruatorum. ibid.n.8
An peccata dubia sint reseruata. ibid.n.9.& seq.
Quæ de facto peccata reseruentur. 460.n.11
Quid, quando reseruatur peccatum habens annexam censuram. ibid.n.12
An possit ita reseruari peccatum, vt ne quidem indirectè possit absolui. ibid.eod.n.
An possit Episcopus pro arbitrio peccata reseruare. ibid.n.13
Si non coarctetur ea potestas à Papa, possint Episcopi reseruare omnia. ibid.eod.n.
An si confitens habenti iurisdictionem in reseruata obliuiscatur reseruatum confiteri, nihilominùs absoluatur ab eo, tollaturque reseruatio. 470.n.1. & seqq.
Ablatio reseruationis non est actus Sacramentalis propriè loquendo. 471.n.5
An absolutio inualida habetis iurisdictionē in reseruata tollat nihilominùs reseruationē. 472.n.9

Non

Non debet de Superiore præsumi voluntas minùs perfecta circa absolutionem à reseruatis. ibid.n.11
Si per confessionem inuincibiliter inualidam tollatur reseruatio tenetur pœninitens iniunctam pœnitentiam implere. ibid.& seqq.
Probabile est eo casu obligari à Superiore Cófessarium ad imponendam pœnitentiam. 173. n.13
An solus pudor grauis se manifestandi Superiori sufficiat,vt is teneatur dare facultatem alteri. 479.n.34
Quomodo possit absolui subditus nolens confiteri,nisi detur facultas,&c. ibid.n.36
Non sunt ideò reseruata peccata, quòd Confessarius non sit sufficienter ad imponendam pœnitentiam instructus. 398.n.20
In articulo mortis cessat omnis reseruatio. 446. num.11
Quo sensu olim Episcopi non habuerint casus reseruatos nisi soli Papæ. 464.n.28
Quid ex Extrauaganti *Inter cunctas* inferatur ad rem nostram. 465.n.29
An & quomodo possint peregrini absolui à reseruatis. ibid.n.32
Propter reseruata non est dimidianda confessio sine graui necessitate. 466.n.35
In necessitate communicandi potest pœnitens tacitis reseruatis alia peccata confiteri, & absolui. 467.n.36
An reseruata vna specie peccati reseruentur etiam quæ sunt in ea peccata mortalia per accidens. 462.n.19
An Confessarius ipse possit intelligi cùm petit facultatem absoluendi à reseruatis. 473 num.14
An facultas absoluendi à reseruatis, quam dat Superior, extendat se etiam ad futura paulò post. ibid.n.15.& seqq.
Non potest Prælatus inferior Papa casum aliquē ita reseruare, vt subditus in mortis periculo ab eo absolutus teneatur Superiori se præsentare,si conualescat. 476.n.13
Aliter sentiendum de absoluto ab excommunicatione reseruata in simili periculo.ibid.n.24
Admonendi in hora mortis hi qui habent reseruata de obligatione comparendi coram Superiore si conualescant. 477.n.26
Lapsus in casum reseruatum non tenetur duobus confiteri,cùm possit immediatè adire Superiorem. 588.n.51
Tollitur reseruatio,si fiat.confessio habenti iurisdictionem,licet Sacramentum sit informe.599 num.42
Religiosus confitens reseruata ex facultate inexplicata,ignorans tamen inuincibiliter obligationem se sistendi Superiori,quæ erat conditio sine quâ non,directè absoluitur à reseruatis. 594.n.25
Confitens casum reseruatum non habenti iurisdictionem,licet ignoret onus se sistendi Superiori tenetur tamen illud subire, licet de eo moneretur primùm post absolutam confessionem. ibid.n.28
Absolutus à reseruato cum onere se sistendi Superiori potest se extra confessionem sistere. ibid.n.30
An absolutus in articulo mortis à non habente aliàs facultatem teneatur se sistere legitimo si conualescat. 596.n.24
Admodum R.P.Mutius declarauit quoad Societatem obligationem se sistendi Superiori post acceptam absolutionem à reseruatis in itinere. 594.n.17
Ea obligatio se sistendi Superiori est conditio sine qua non valet absolutio à reseruatis. ibid.n.18
Itinerantes Religiosi Societatis ad comparendum coram Superiore obligantur, si inciderent in reseruata. 596.n.26

Minister pro reseruatis.

Confessarij approbati in Iubileo sunt ministri delegati pro reseruatis. 473.n.14
An in articulo mortis præsente Sacerdote habente iurisdictionem pro reseruatis possit nihilominùs alius adhiberi. 446.n.10
Quid possint prælati Religionum in reseruatione peccatorum. 461.n.16
Quid in censuris ferendis sibi reseruatis. 462. num.18
Qui potest reseruare peccata, potest ordinariè ab iisdem absoluere,si est Sacerdos. 463.n.23
An Superior Religiosus possit dare alteri facultatem se absoluendi à reseruatis. ibid.n.24
Quid in nostra Societate. 464.n.25
Si Superior auditis reseruatis remittat pœnitentem cum aliis peccatis ad ordinarium Confessarium non tenetur reseruata confiteri huic. 468.n.42
Audita confessione pœnitentis non potest Superior absoluere à reseruatis v.g.& pro aliorum absolutione remittere ad Ordinarium. 469.n.45
An possit Episcopus tantum in peccatum reseruatum Papæ sine censura, quantum potest in excommunicationem & peccatum cui ea est annexa. 477.n.28
An quando non potest facilè adire Episcopus, possit alius Sacerdos absoluere à peccato ei reseruato. ibid.n.29.& seqq.
Superior regularis potest remittere Sacerdoti non approbato ab Episcopo absolutionem ad absoluendum à casu reseruato. 479.n.33
An,si Prælatus iniustè neget facultatem absoluendi subditum à reseruatis, possit ille nihilominùs absolui. ibid.n.34
An Superior negans facultatem hanc irrationabiliter peccet contra iustitiam simul & charitatem. ibid.n.35
Superior potest negare facultatem aliquando imò & subinde tenetur ibid.eod.n.
Imprudenter agit Superior dicendo, *Do facultatem absoluendi*,&c. nisi sit sæpiùs relapsus. ibid.n.36

Pharao.

Augustinus sentit probabiliter, Pharaonem in fine vitæ caruisse libertate. 124.n.35
Dicit illam obdurationem fuisse supplicium peccatorum eius. ibid.eod.n.

Pœna.

Quid sit propriè pœna. 4.n.8
Duplex est pœna pro peccato. 40.n.5
Quid circa reatum pœnæ. ibid.
Pœna reatus quale sit malum. ibid.n.16
Honestum est velle se liberare à pœnis inferni. 106.n.15
Item ad id præstandum eligere pro medio fugam peccati. ibid.eod.n.
Quo sensu Ecclesia petat liberari animas à pœnis infernj. 144.n.22

Index Rerum.

Quid de reditu pœnæ sensûs. 157.n.16
Concluditur pœnam non reuiuiscere. ibid.eod.n.
Si contritio de condigno extinxit pœnam æternam, vix potest ostendi quomodo restet pœna temporalis. 158.n.18
Potest manere reatus pœnæ ablata culpa. ibid. num.20
Gratia vt sanctificans non tollit reatum pœnæ. ibid.eod.n.
An possit reuiuiscere pœna. 168.n.51
An possit tunc dici pœna illa verè & absolutè remissa. ibid.eod.n.
An reatum pœnæ extinguat gratia connaturaliter. ibid.n.52.& & seqq.
Non semper remittitur omnis pœna cum culpa. 219.n.2
Explicatur commutatio pœnæ æternæ in temporalem in remissione culpæ. 215.n.9
Cur remissa pœna æterna Deus adhuc temporalem sibi reseruet infligendam. 216.n.10
An Deus statuerit certam pœnam temporalem peccatis mortalibus remissis quoad culpam & pœnam æternam. ibid.n.11
An pœnæ æternæ debitum posset manere in homine, cui Deus culpam condonaret absque gratia iustificante. 218.n.10
An toties aliquid tollatur de pœna, quoties remittitur culpa venialis. 219. n.2
Pœnæ reatûs temporalis remissa mortali culpa, prouenit ab ipsa culpa, non à gratia. 220. num.5
An quò peccatum est grauius ex natura rei, respondeat ei grauior pœna temporalis sublata æternitate pœnæ per gratiam. ibid.eod.n.
Quid attendat Deus in permutatione pœnæ æternæ in temporalem. 221.n.8
An carentia pœnæ Purgatorij sit bonum spectans ad ordinem supernaturalem. 224.n.18
In pœnis à Deo nobis inflictis nobis libera est honesta acceptatio earum. 225.n.23

Pœna damni.

Pœna damni variè potest considerari. 159.n.21
Per nouum peccatum redit tota pœna damni obiectiua, non tamen vt pœna priorum peccatorum. ibid.n.22
Peccator addens nouum peccatum non incurrit nouam pœnam damni. 159.n.22
Qui plura habuit merita, acquirit peccando maiorem priuationem visionis beatificæ proximam. ibid.n.23
Priuationem verò remotam acquirunt omnes æqualem. ibid eod.n.
An pœna damni non infligatur peccato, nisi quatenus bonus fuisset actus illi peccato contrarius, & in quantum gloriam fuisset promeritus. 160.n.24
An cuilibet mortali debeatur vt pœna priuatio omnis beatitudinis est incertum. ibid.n.25
Carentia visionis infinitè intensæ non est infinitè mala. ibid.n.26
Inæqualiter affliguntur damnati ex pœna damni ob inæquales apprehensiones. ibid.n.27
Ex peccato nouo non redit pœna damni vt afflictiua est. 161

Pœnitens.

An hodie pœnitentes obligentur ad illas graues pœnas, quæ solebant olim iniungi pœnitentibus. 270.n.32
Tenetur pœnitens independenter à confessione aliqua peccata aliena manifestare. 380.n.21
Non tenetur ea sub sigillo confessionis manifestare, nec potest ad hoc obligari. ibid.eod.n.
Quando possit & debeat pœnitens talia peccata Confessario manifestare, & quomodo. ibid. num.22
Pœnitens non potest dicere delictum alterius Confessario præcisè vt proeo feruentiùs oret Confessarius. ibid.n.23
Non tenetur præcauere omnes errores Confessarij, licet præuideret illos secuturos ex suo loquendi modo. 404.n.36
An, & quando pœnitens teneatur explicare malam consuetudinem peccandi. 441.n.42
Quid obseruandum à pœnitente in periculo mortis, si adsint plures Sacerdotes. 449.n.20
Vnde cognoscendum in pœnitente quòd ignorantia sit vincibilis. 493.n.14
Quando pœnitens relinqui possit & debeat in ignorantia inuincibili. ibid.n.16
Pœnitens satisfacit explendo impositum opus, licèt reflexè hic & nunc nollet satisfacere. 537.n 36
Pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam. 541. num.1.
Absoluta confessione non potest æquam pœnam detrectare ante absolutionem sine caussa. 543. num.5
Debet per se pœnitentiam absoluere. 544.n.9
Nisi Confessarius permittat per alium fieri. ibid.n.11
Non tenetur per alium, quando per se non potest, satisfactionem implere, nisi pœnitentia imposita sit sub disiunctione. 545.n.13
Qui tempore præfixo non potest pœnitentiam implere, debet alio sequenti. 546.n.14
Pœnitens non potest mutare pœnitentiam in melius pro suo arbitrio. 548.n.20
Probabilius est non posse pœnitentem dissimulata priore confessione eadem peccata repetere vt aliam pœnitentiam accipiat. 551.n.32
Cur confitens in Iubileo teneatur etiam omnia peccata recensere. 582.n.24

Pœnitentia obiectum.

Pœnitentia an habeat obiectum malum. 8.n.27
Pœnitentia non est aggregatum omnium virtutum. 9.n.1
Pœnitentiam pro motiuo habere bonum compensationis negat Cardinalis Lugo. 10.n.3
Sententia docentes Pœnitentiam esse charitatem, aut iustitiam vindicatiuam, aut religionem, reiiciuntur. 17.n.34. & seqq.
Rationes probantes Pœnitentiam esse virtutem detestantem peccata vt rationi contraria. 19. num.39
Ostenditur hanc sententiam non distingui ab ea quæ ponit compensationem pro obiecto Pœnitentiæ. 19.n.40
Sententia, statuens obiectum Pœnitentiæ esse peccatum, vt contrarium regulæ supremæ nostrarum actionum, reiicitur. 20.n.44
Pœnitentia est iustitia commutatiua. 22.n.50
In sententia Lugo Pœnitentia habet pro obiecto formali condonationem diuinam non tantùm disiunctiuè, sed etiam determinatiuè. 26.n.69
Pœnitentiæ obiectum sunt peccata propria grauia. 36.n.1
Pœnitentiæ obiectum materiale est reatus pœnæ. num.16
Pœnitentiæ obiectum non possunt esse actus materialiter mali. 44.n.10

Index Rerum.

Indirectum verò possunt esse. 45.n.32
Pœnitentiæ obiectum prosecutionis materiale est duplex proximum vel remotum. ibid.n.33
Pœnitentiæ obiectum non sunt actus interni, si planè sine libertate fiant. ibid.n.35
Pœnitentia potest circa suum obiectum habere omnes illos actus quos alij habitus habent circa sua obiecta. 46.n.2
Pœnitentia si respiceret solam compensationem, probabiliter non posset elicere detestationem vllius peccati, nisi solius impœnitentiæ. 48.n.9
Habet pro obiecto omnem fugam exteriorem peccati. 50.n.15
Item opera bona exteriora. ibid.eod.n.

Pœnitentia virtus.

Deriuatio vocis *Pœnitentia*. 4.n.8
Pœnitentia virtus & Sacramentum quomodo differant. 2.n.1.& ibid.n.3
Differentia inter Pœnitentiæ Sacramentum & contritionem. 2.n.2
Quos actus includat Pœnitentia. ibid.n.3
Pœnitentia quæ respicit bonum compensationis potest dolere de peccatis. 10.n.6
Potest dari Pœnitentia naturalis detestans omnia peccata. 13.n.15
Illato quorundam Recentiorum, Pœnitentiam non posse dolere de peccato commisso, nec detestari futurum. 9.n.2
Pœnitentia amans compensationem non necessario deberet gaudere peccatum præcessisse. 17.n.33.
Pœnitentia an sit virtus Theologica. 13.n.56
Pœnitentiæ intentum non est, vt Deus sciat ab ea poni satisfactionem. 26.n.66
Pœnitentiam agere esset honestum, licet Deus peccata nollet condonare. 28.n.76
Ad Pœnitentiam quòd de facto faciliùs inducantur, hoc oritur à Spe. ibid.eod.n.
Pœnitentia est virtus reflexa. ibid.n.77
Pœnitentiæ habitum habuit Christus, licet non fuerit denominatus Pœnitentia. 29.n.3
Remisso peccato non erit locus Pœnitentiæ quoad effectum compensandi. 30.n.6
Erit tamen locus quibusdam actibus Pœnitentiæ. ibid.n.6
Pœnitentiæ habitus an possit esse naturalis. 30. num.9
Examinatur doctrina negantiũ & soluitur, quæstio pro parte affirmatiua. 31.n.10.& seqq.
Pœnitentiæ habitus potest circa suum obiectum formale incipere ab odio. 31.n.16
Pœnitentiæ habitus naturalis est diuersus pro peccatis alienis. 38.n.8
Possibiles sunt diuersi habitus Pœnitentiæ. 39. num.11
Idem Pœnitentiæ habitus respicit peccatum Originale, actuale, habituale. ibid.eod.n.
Pœnitentia non vult ipsam pœnam declinare, sed citò eam subeundo se à debito eius expedire. 41.n.17
Pœnitentia, quatenus respicit offensam Dei, non respicit directè imperfectiones morales. 43 num.14
Pœnitentiæ habitus non extendit se directè ad omnes imperfectiones morales. ibid.n.28
Indirectè tamen respicit imperfectiones positiuas, quia possunt esse causa peccati. ibid.
Pœnitentiæ quis sit proprius actus. 47.n.4
Est detestatio. ibid.n.4
Pœnitentia nullum habet actum exteriorem proprium non communem aliis virtutibus 50.n.14
Pœnitentiæ actuum ordinarius ordo. 113.n.39
Pœnitentia aliquando incipit à timore pœnarum. ibid.eod.n.
Aliquando ab amore beatitudinis. ibid.n.40
Aliquando ab odio peccati vt est contra rationem. ibid.eod.n.
Aliquando ab odio peccati vt est contra Deum summè bonum. ibid.
Pœnitentiæ vlterior ordo. 114.n.41
Posset quis pœnitere sine actu spei, & obtinere veniam. ibid.n.42
Vix potest dari Sacramentum Pœnitentiæ sine actu Spei. ibid.eod.n.
Datur Pœnitentia in Christo si ea sit idem cum iustitia. 115.n.2
Si verò distinguatur, & respiciat sola peccata commissa, tunc non datur, nec in Angelis. ibid. eod.n.
Quoad beatam Virginem ac infantes est dubium. ibid.n.3
Pœnitentiæ habitus non est, vbi non est futurus eius actus 116.n.5
Pœnitentiæ habitus si est determinatus ad solos actus de peccatis præteritis, non datur in beata Virgine, Angelis, infantibus morituris ante vsum rationis. ibid.eod.n.
Oritur à gratia, sed iuxta exigentiam subiecti. ibid eod n.
Si Pœnitentia versatur etiam circa futura peccata, datur in Christo, B. Virgine, Angelis, infantibus. ibid.n.7
An habitus Pœnitentiæ maneat in peccatore. ibid.& seqq.
Vera Pœnitentia potest quæcumque & qualitate & numero magna peccata delere. 121.n.26
Probatur diuersimodè. 122.n.27.& seq.
Deus sæpè non dat peccatoribus locum Pœnitentiæ. 125.n.38
Multi pereunt, quia non excitantur eis species de Pœnitentia. ibid.n.39
Si cui tamen excitentur illæ species, Deus nunquam negat auxilia sufficientia. 126.n.40
Dantur aliqui homines moraliter impotentes pœnitere. ibid.n.42
Probabile est aliquos homines nec mediatè esse moraliter potentes pœnitere. ibid.n.43
Licet possent ponere alia bona opera, illa tamen non inferunt necessariò Pœnitentiam. ibid.eod.n.
An pœnitentia vnius anni in hac vita æquiualeat Purgatorio vnius anni. 273.n.44
Quid intelligatur per pœnitentiam vnius anni. ibid.eod.n.
Iurisdictio ad imponendam proportionatam pœnitentiam habet se per accidens. 398.n.19
Quis sit sensus huius propositionis, *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis*, & similium. 580.n.14

Pœnitentia præceptum.

Datur Pœnitentiæ præceptum. 187.n.2. & seqq.
Variè probatur. ibid.eod.n.
Præceptum de Pœnitentia & de SS. Eucharistia quomodo differant. ibid.n.3
Ad quod præceptum spectet hæc obligatio. 192.n.18
An ea obligatio sit naturalis purè. ibid.n.18
An possit Deus in hac obligatione dispensare. ibid.n.19

Præceptum naturale non cadit determinatè ſupra contritionem. 193.n.22
Si Deus nulli actui remiſſionem annexuiſſet,adhuc probabiliter obligaremur ad contritionem ſimul & amorem. 194.n.23
Etiam in pura natura. ibid.n.24
In articulo mortis eſt obligatio ad contritionem,etiam ſuppoſità pœnitentiâ cum ſola attritione. ibid.n.25
Non tamen ſimul ad amorem. 195.n.26
Pœnitentiæ præceptum non obligat ad ſæpè agendam pœnitentiam. 196.n.1
Si quis non poſſet prudenter iudicare ſe fuiſſe contritum tenetur ſecundò confiteri.197.n.3
Sententia Tanneri,iuſtificatum per amorem, teneri ad contritionem. ibid.n.4
Præceptum Pœnitentiæ obligare ſtatim poſt admiſſum peccatum eſt ſpeculatiuè probabile. 98,n.8
Negatiua ſententia eſt probabilior. ibid.n.8.& ſeqq.
Quando teneamur ſtatim ſatisfacere. 203.n.22
An ſaltem ratione charitatis in Deum teneamur ſtatim pœnitere. ibid.n.23
Faciliùs poſſet concedi in humanis obligatio ſtatim ſatisfaciendi quàm in Diuinis. 204.26
Diuus Thomas & alj docent non eſſe Pœnitẽtiæ obligationẽ niſi in mortis articulo. 206.n.32
Contraria ſententia eſt communior. ibid.n.33
Varij caſus in quibus eſt illa obligatio. 207. eod.n.
Nullum poteſt tempus determinari,quo per ſe teneamur ad pœnitentiã ante mortem.207.n.36
Probatur ea obligatio ex charitate propria,& ex verbis Chriſti. ibid.n.37
Quò quis ſenior,tantò periculoſiùs differt pœnitentiam. 208.n.39
Vltra quod tempus obligemur non differre pœnitentiam. 209.n.43
Non eſt obligatio ſingulis Feſtis faciendi pœnitentiam. 210.n.45
Nec etiam ſingulis annis. 211.n.46
Nullum eſt præceptum poſitiuum de Pœnitentia intra certum tempus faciendi. ibid.eod.n.
Non datur obligatio agendi pœnitentiam pro remiſſione pœnæ. ibid.n.48
An præceptum Pœnitentiæ obliget non baptizatos. 583.n.28
An obligauerit Apoſtolos. ibid.n.29
Pœnitentiæ præceptum obligat in articulo mortis. 584.n.33
Etiam extra articulum mortis. 585.n.35

Pœnitentia Sacramentum.

Sacramentum pœnitentiæ eſt à Chriſto poſt reſurrectionem inſtitutum. 324.n.3
Chriſtus voluit in inſtitutione huius Sacramenti,vt determinatè ſignificetur perſona cui hoc Sacramentum confertur. 559.n.23
Docuêre aliqui in Sacramento Pœnitentiæ non remitti culpam. 327.n.13
Contraria ſententia eſt certa. 328.n.14
Voluntas remittẽdi peccata non cauſatur à toto Sacramento Pœnitentiæ. 332.n.29
Quid dicat Sacramentum Pœnitentiæ in recto. 334.n.36
Ad Pœnitentiæ Sacramentum ſpectant peccata in baptiſmi inſtanti commiſſa. 336. num.5.
Sacramentum confeſſionis,etiamſi de ſolis venialibus ſit,eſt res grauiſſima. 432.n.11
Intra Sacramentum Pœnitentiæ delentur venialia etiam quæ quis non confitetur, nec de illis dolet;dummodò ſibi in eis non placeat. 149.n.24
Sed non vi abſolutionis. ibid.
Lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium eſt Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto. 577. n.2
Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate præcepti. 583.n.27
Probabilius eſt per Sacramentum Pœnitentiæ informè(ſi datur) ſatisfieri præcepto Eccleſiæ de annua confeſſione. 586.n.41

Eius partes conſtitutiua.

Partes Sacramenti Pœnitentiæ. 330.n.12
An peccata præterita dici debeant pars conſtitutiua Sacramenti Pœnitentiæ. 331.eod.n.
An ſolùm conditio extrinſeca, ibid.n.25
An iuriſdictio Sacerdotis ſit magis conſtitutiua Sacramenti Pœnitentiæ,quàm præteritio peccati. ibid.eod.n.
An admiſſo peccata præterita eſſe partem conſtitutiuam, ſequatur ea cauſſare gratiam quatenus componunt Sacramentum. 332.n.30
Quænam partes Sacramenti cauſſent gratiam. 333.num.33

Eius materia.

Quomodo peccata præterita ſint materia huius Sacramenti. 330.n.23

Eius Miniſter.

Solus Sacerdos eſt Miniſter huius Sacramenti 444.n.1
Quo ſenſu dictum ſit, abſente Sacerdote in caſu neceſſitatis confitendum laico. ibid.n.3
In articulo mortis quilibet Sacerdos eſt Miniſter Pœnitentiæ. 445.n.6
Vnde profluat ea facultas. ibid.eod.n.
Quid intelligendum nomine articuli mortis. 446.n.9
An poſſit in articulo mortis abſoluere quiuis Sacerdos à mortalibus non reſeruatis,ſi adſit habens poteſtatem legitimam. 448.n.18

Eius Miniſter ex iuriſdictione delegata.

Quæ ſint certa circa hanc iuriſdictionem. 453. n.46
An delegatam habens poteſtatem abſoluendi poſſit ſub delegare. ibid.
An qui abſoluit, debeat ſcire ſuam iuriſdictionem. ibid.n.26
Præſumpta voluntas Superioris de futuro dandi facultatem abſoluendi non ſufficit ad abſolutionem de præſenti. 454.n.40
Nec præſumpta de præſenti, niſi de ea certò conſtet. ibid.n.42
Quid ſi probabiliter tantùm præſumatur voluntas. ibid.
Negante Parocho etiam peccanimoſè facultatem alteri confitendi, nulla eſſet abſolutio. 455 n.46
Delegata iuriſdictio non expirat cum delegante neceſſariò. 456.n.48
Poteſt concedi ea poteſtas,vt non expiret morte concedentis. ibid.n.49
Quid dicendum de iuriſdictione delegata in fauorem abſoluentis;autiu fauorem pœnitentis. 457.n.50

Qui dat facultatem absoluendi Petrum, facit eo ipso gratiam Petro. ibid.n.52

Possibile.

Possibile habet duplex significatum. 250.n.9

Præceptum positiuum.

Aliquod præceptum positiuum potest obligare sub periculo vitæ etiam in omni casu, nisi dispensetur in illo. 518.n.18

Predicata superiora.

Prædicata superiora sæpè non continent in se æquiualenter propriè inferiora. 128.n.50

Prælatus.

Cautela pro Prælatis qui suorum confessiones audiunt. 380.n.23

Præmium.

Præmium non producitur à merito, sed à præmiante. 173.n.14
Malè à Thoma Hurtado præmium accidentale vocatur essentiale. 179.n.32
Differentia inter promerentem præmium & illud dantem. 334.n.35

Pretium.

Non fit iniuria, si pretium, etsi condignum cum re emenda, non acceptetur. 181.n.40

Promissio.

Promissio de facienda re aliqua, sub conditione tamen de futuro, reuocari non potest ante euentum conditionis. 570.n.11
Differentia inter promissionem simplicem & contractum onerosum. ibid.n.13

Propositio copulatiua.

Quando propositio copulatiua est falsa vel damnata, non sequitur idem dicendum de partibus disiunctiuè sumptis, sed nec sequitur esse veras aut non damnatas vtrasque, aut alteram. 420.n.47

Purgatorium.

Cur in Purgatorio non detur satisfactio pro pœna. 223.n.15
Cur diutiùs hæreant in Purgatorio, qui in vita neglexerunt defunctis prodesse. 258.n.32
Quo sensu animæ Purgatorij non sint in statu satisfaciendi. ibid.n.35
An protrahatur pœna Purgatorij donec hæredes satisfaciant pro iniurijs factis ab anima purgante. 259.n.38
Cur pœnæ Purgatorij patienter toleratæ non sint satisfactoriæ. 241.n.11
Non est opus animas Purgatorij scire vel acceptare suffragia. 314.n.22

R

Religio.

Religio non amat suum obiectum per modum substantiæ, sed accidentis. 53.n.11
Ad quid obliget Religio. 204.n.27
An Religio respiciat magis bonum alienum quàm obedientia. 368.n.29

Religiosus.

An Religiosus violans præceptum Superioris committat duplex peccatum. 365.n.13
An Religiosus habens limitatam facultatem à suo Superiore ad confessiones audiendas virorum tantùm, possit vi habilei etiam feminas audire. 481.n.9

Respublica.

Respublica potest requirere certas conditiones in signis ad placitum, sine quibus nihil significent. 642.n.2

S.

Sacerdos.

Quo sensu sententia Sacerdotis in absoluendo dicatur præcedere, & sequi sententia Dei. 329.n.20
Vide Ordo.

Sacramentum.

Non omnia quæ sunt in Sacramento mouent Deum ad dandam gratiam. 333.n.32
In Sacramentis non sufficit desiderium ponendi materiam, sed debet realiter poni. 419. numer.43
Vt Sacramentum aliquod sit nouum, non requiritur vt omnes illius partes sint nouæ. 425. num.11
Sacramenta non requirunt semper omnes partes physicè existentes. ibid.eod.n.
Sacramentum aliquod incipere, & sine causa graui non perficere, est peccatum graue. 543. num.7
Verba Sacramentorum habent diuersas significationes. 562.n.31
Nulli Sacramentum potest conferri contra suam voluntatem. ibid.eod.n.
Quando variatio formæ Sacramentorum censeatur esse accidentalis tantùm. 576.n.39
Quando Sacramentum constat diuersis materiis & formis partialibus, non est de essentia, vt simul conferantur omnes materiæ cum suis formis. 636.n.17

Salus.

Non tenemur vti medio salutis tali quod potest alio medio suppleri, nisi cogat positiuum præceptum. 67.n.18
Quomodo Deus magis amet salutem nostram quàm media ad illam. 83.n.15
In necessariis ad salutem tutior pars est eligenda. 415.n.28
Medium necessarium ad salutem aliquando est in nostra libera potestate, aliquando non. 583.n.26

Secularis.

Sæculares facilè in peccata mortalia consentiunt. 414.n.25

Satisfactio pro peccato.

Satisfactio consistit in indiuisibili. 30.n.7
Nulla datur æqualis satisfactio pro mortali. 100. num.15
Idem est satisfacere de condigno pro peccato, & mereri remissionem de condigno. 229.numer.13
Patiens dolores in somniis potest per eos satisfacere. 235.n.35
In satisfactione nostra requiritur acceptatio Dei. 248.n.2
Satisfactio non obligat ad reddenda dona quæ ante peccatum erant merè gratuita. 239.n.2
Variæ sententiæ de satisfactione per flagella à Deo inflicta. 240.n.7
Quomodo afflictiones à Deo immissæ sint satisfactoriæ. ibid.eod.n.
Quo sensu dicantur afflictiones à Deo immissæ proprie patienter eas toleranti; & vnde fiant satisfactoriæ.

satisfactoriæ. ibid.n.9
Cur flagella à Deo immissa sint magis satisfactoria quàm pœnæ voluntariæ ceteris paribus 241.n.10
Quamdiu duratio dolorum sit satisfactoria.ibid. num.12
An flagella ex causis secundis profecta sint etiam satisfactoria,si patienter ferantur. 242. num.13
An ad maiorem satisfactionem conducat maior gratia ceteris paribus. 246.n 28
An actus nobilior eleuet pœnalitatem ad maiorem satisfactionem ceteris paribus. 247.n.30
Inefficax probatio Suarez per orationes nos non satisfacere pro pœnis temporalibus. 243.n.16.
Item & Cardinalis Lugo. ibid.n.17
An Sancti queri possent, si per orationes fieret satisfactio. ibid.& seq.
An satisfactio & meritum sint duo genera disparata se inuicem non impedientia. 148.n.14
Licitum est satisfactionem suam alteri applicare. 211.n.48

Satisfactio Sacramentalis.

Satisfactio Sacramentalis non causat gratiam ex opere operato. 529 n.2
Præcipuus finis satisfactionis est delere pœnam peccato debitam. 530.n.6
Satisfactio Sacramentalis tollit aliquid de pœna ex opere operato. num.9
Non semper extinguit omnem pœnam peccato in Purgatorio debitam. 531.n.11
Satisfactio, quæ à Sacerdote indicatur æqualis culpæ, non extinguit totum debitum pœnæ. ibid.n.14.
Cur satisfactio non extinguat omnem pœnam tam magnam quàm paruam sicuti Indulgentia plenaria,si conditio impleatur. 532.n.17
Satisfactio est maioris virtutis,si melior sit pœnitentis dispositio. 531.n. 61
Facta ante absolutionem non habet suum effectum. ibid.n.20
Satisfactio licitè expletur in peccato mortali. ibid.n.21
Nec venialiter peccat qui eam in peccato graui absoluit. 532.n.23
Satisfactio peccaminosa non est satisfactio.ibid. num.35.
Facta in statu peccati nihil operatur ex opere operato, donec status ille auferatur.535.n.30
Peccaminosa non reuiuiscit. 536.n.34
Non est necessaria actualis intentio satisfaciendi ad pœnitentiam implendam. 537.n.35
An & quomodo pœnitentia grauiter infirmis imponenda. ibid.n.37
An possit pœnitentia imponi tempore Iubilei. ibid.n.38
An eunti ad martyrium debeat imponi pœnitentia. ibid.eod.n.
Pœnitentiam non imponere pro leuibus peccatis non est peccatum graue. 538.n.39
Potest imponi satisfactio sub disiunctione.539. num.45
Vnde æstimanda proportio satisfactionis cum peccatis pœnitentis. ibid.n.46
An omittere aliquam circumstantiam satisfactionis sit graue peccatum. 557.n.18.& seqq.
Satisfactio facta in peccato accedente gratia reuiuiscit. 595.n.20
Publica pœnitentia non potest imponi pro peccatis occultis. 541 n.50
Sic verò pro publicis. ibid.eod.n
Possunt etiam imponi actus utrè interni. ibid. n.51
Opera item alioquin præcepta. ibid.n.52
In quorum omissione esset duplex malitia.ibid.
Pœnitentiam grauem pro solis venialibus imposita omittere est graue peccatum. 542.n.3
Pœnitentia per alium facta habet etiam vim ex opere operato. 543.n.12
Pœnitentia in plures dies dispensata non potest vna die absolui, ne quidem anticipando. 546 num.15.
Aliquanto tamen tempore anticipare vel differre pœnitentiam non est mortale. ibid.n.16
Quantum temporis requiratur vt dilatio satisfactionis siue pœnitentiæ sit graue peccatum. 547.num.18
Vide Suffragia.

Satispassio.

Cur Deus teneatur acceptare pœnas in inferno toleratas pro venialibus in satispassionem,non autem afflictiones huius vitæ pro mortalium aliqua satispassione. 239.n.5
Satispassio reperta in afflictionibus huius vitæ est valdè exigua,ac proinde recurrendum ad satisfactionem ortam ab actu supernaturali.240.n.8
An & quomodo dari posset satispassio in hac vita cum impatientia tolerantis. 242.n.14
Quid si impatientia illa sit peccatum mortale. ibid.n.15

Scriptura sacra.

Verba Scripturæ debent intelligi in proprio & naturali sensu,nisi aliquod sequatur absurdum manifestum 412.n.19

Sigillum confessionis.

Vide Confessionis sigillum.

Suffragia.

Quid intelligatur nomine suffragiorum.247.n.1
Possibilis est satisfactio per suffragia.ibid.eod.n.
Datur satisfactio vnius pro altero siue per suffragia. 248.n.2
An ex vnitate Ecclesiæ benè probentur suffragia. ibid.n.3
Optima probatio suffragiorum ex traditione.249. num.5
Item ex Symbolo Apostolorum. ibid.
Congruentius fuit dari communicationem in satisfactione quàm in meritis. ibid.n.6
Satisfactio per suffragia non est solùm impetratio auxilij,vt reus pro se satisfaciat, aut remissionis pœnæ. ibid.n.7
Probabile est legem de acceptandis suffragiis esse vniuersalem ac infallibilem. 250.n.8
Satisfactio per suffragia est ex iustitia. ibid.n.9
Non sufficit voluntas satisfaciendi pro altero,vt hic liberetur,sed requiritur satisfactio actualis. ibid n.10
Satisfactio non potest abdicari ab operante,ita vt nec illi prosit,si indigeat,nec alteri,si pro illo offert. 251.n.11
Satisfactio ex opere operato Sacramenti non potest alteri applicari, nec martyrij. ibid.n.12
Potest ex opere operato Sacrificij. ibid.n.13
Probabilius est non posse quem applicare tertio satisfactionem ab alio applicatam. 252.n.16
Tantum prodest satisfactio ei cui applicatur, quantum profuisset suo subiecto applicanti alteri. ibid.n.17
An satis sit applicantem satisfactionem esse in gratia,

gratia, an verò etiam is cui applicatur. 254. n.20
An debeat remitti culpa etiam venialis ei cui applicantur suffragia. ibid.n.21
Quid fiat de satisfactione, quando is, cui applicantur, illa non eget. ibid.n.22
An requiratur acceptatio illius cui suffragia applicantur. ibid.eod.n.
An satisfactionem mihi ab alio aplicatam possim alteri applicare, casu quo ea non egeam. ibid. n.23
Quid fiat de satisfactione Sacramentali, si pœnitens deleuit pœnam peccatis debitam per dolorem. 255.eod.n.
Suffragia prosunt ei qui posset alioquin satisfacere. ibid.n.24
Applicans alteri suffragia debet esse in gratia, vt valeant ex opere operantis. ibid.n.25
Quæ intentio requiratur in offerente suffragia pro aliis. ibid.n.26
Quando debeat existere intentio applicantis. 256 eod.n.
Non suspenditur applicatio satisfactionis, quando ipsa existit satisfactio. ibid.
Quando valor operis est diuisibilis, debet esse intentio initio operis, vt applicet totum valorem, secùs si sit indiuisibilis. ibid.n.28
An habitualis intentio sufficiat pro applicatione suffragiorum. ibid.eod.n.
Æqualitas satisfactionis eadem est, siue pro viuis, seu pro defunctis offeratur. 257.n.29
Ad suffragia pro defunctis requiritur diuina acceptatio. ibid.n.30
An satisfactio pro defunctis, sicut & pro viuis pertineat ad iustitiam, quæritio est de sola voce. ibid.eod.n.
Probabilius est suffragia pro defunctis infallibiter acceptari de facto à Deo. ibid.eod.n.
Quorum suffragiorum sint capaces catechumeni. 258.n.31
Quid conferant defunctis heredum satisfactiones. ibid.n.35
An periculum sit statim euacuandi Purgatorij, si orationes Sanctorum pro animabus satisfaciant. 244.n.20
Explicatur locus D. Thomæ obscurus de satisfactione per orationes Sanctorum. ibid.n.21
Probabile est ad nostras preces vel Sanctorum pro purgantibus animabus illis applicati Christi satisfactionem. ibid.n.23
An suas superfluas satisfactiones Beatus possit applicare animæ in Purgatorio. 246.n.27
An id possit iustus viator. ibid.
An suffraga pro defũctis sint infallibilia. 308.n.3
Quo sensu suffragia dicantur fieri propria viuentis, qui ea defuncto applicat. 310.n.8
Applicatio suffragiorum defunctis non differt ab applicatione satisfactionum nostrarum illsdem facta. ibid.n.9
Refellitur Lugo in explicandis suffragiis. 311. n.12.
Quo sensu possit Pontifex ipse applicare defunctis suffragia. 312.n.14
An ad suffragia lucranda pro defunctis debeat viuus, qui ea lucratur, esse in gratia. ibid. n.17
An ieiunans v.g. pro lucrandis defuncto suffragiis debeat etiam illi satisfactionem ex opere operantis applicare. 313.n.20
Non est opus animas Purgatorij scire vel acceptare suffragia. 314.n.22

Superior.

An non obedire Superiori aliquid eidem detrahat. 368.n.30

T

Tactus impudici.

TActus ante & post illicitam venerem sunt explicandi in confessione. 391.n.24
Tactus turpes integrant vnum ens morale cum copula, quando non distant nisi modico tempore ab illa. ibid.n.25
Si fiant sine intentione copulæ, quæ tamen posteà sequatur, etiam sunt in confessione explicandi. 392.n.27

Thesaurus Ecclesiæ.

Vide Ecclesiæ thesaurus.

Totum complexum.

Totum coplexum secundùm Cardinalem Lugo non potest amari, quin amentur partes eius omnes; potest verò odio haberi quin odio habeantur singulæ partes. 14.n.21
Eodem modo de odio totius complexi discutiendum, vt de amore. 17.n.30

V

Verecundia.

VErecundia an sit virtus. 4.n.11.& seqq.
Verecundia vt est actus lib. r voluntatis, est virtus. 8.n.26
Tollit non tantùm actum externum, sed etiam internum affectum. 7.n.20
Non obest virtuti verecundiæ, quòd non habeat motiuum vniuersale. 8.n.26

Vinculum.

Quale sit vinculum quod Sacerdos iniicit Pœnitenti detinendo eius peccata. 581.n.20
Explicatur noui vinculi impositio. 582.n.22
Non magis potest solui à vinculo spirituali, qui non est ligatus spiritualiter, quàm à corporali, qui non est corporaliter ligatus. 594. n.36

Virtus.

Non obest virtuti, quod eius motiuum aliquando inclinere ad malum. 5.n.12
Possibilis est virtus quæ habeat pro motiuo bonum compensationis. 10.n.3
Examinatur & ostenditur duplex virtus possibilis. 12.n.10
Possibilis est virtus detestans peccata vt rationi contraria. 18.n.38
Nulla virtus præter charitatem præfert annihilationem sui subiecti bono à se amato. 54.n.12
Non obstat rationi virtutis Theologicæ, quòd habeat pro obiecto formali aliquid diuini sub disiunctione. 26.n.68
Vt virtus aliqua sit Theologica, non sufficit, si tangat aliquid diuinum illud respuendo. 28 n.74

Volitio.

Potest volitio libera Dei, imò necessariò debet esse reflexa indæquatè supra se. 139.n.32
Vnde desumatur malitia volitionis comedentis carnes v.g. die vetito. 383.n.
Diuersitas magna opinionum de volitionibus internis versantibus circa idem obiectum an sint plura peccata dicenda néne. 387.n.18

Index Rerum.

Nil volitum quin præcognitum. 140.n.34

Voluntas.

Quomodo voluntas sibi actus imperet. 60. n.33

Dictamen Dei pro rebus faciendis non obligat nostram voluntatem. 21.n.45

Volendo quod Deus vult, conformamur diuinæ voluntati, non intellectui. 20.n 44

Vt voluntati placeat existentia amoris, non est opus eam existentiam iam productam præcognosci, sed tantum possibilem. 140.n.35

In rebus pendentibus à voluntate non valet argumentum à paritate. 295.n.5

Qui habet duas voluntates de obiectis contrariis, maioris est efficaciæ expressa quàm implicita tantùm, nisi aliunde corrigatur. 595. num.20.

Non censendus est velle pactum implicitum annexum rei is qui rem vult, de pacto nihil prorsus sciens quando præsertim pactum est casualiter annexum. ibid.n.22

Quid sit ex natura rei vel ex aliquo præcepto pactum annexum. ibid.eod.n.

Cur sortiatur effectum voluntas testatoris legantis indeterminatè vnum ex seruis, fundis, &c. non item constituentis vt ex duobus Titiis alter sit tutor. 558.n.19

Votum.

Qui violauit votum in re graui, an teneatur ipsam rem siue materiam explicare in confessione. 406.n.44

An Religiosus peccans contra castitatem satisfacit confitendo solùm votum se violasse. 364. num.19

Obstrictus voto castitatis suadens alteri peccatum luxuriæ non peccat contra suum votum. ibid.n.20

An non teneatur suasor id confiteri si persuasus habuit etiam votum. ibid.

Obstrictus voto castitatis peccans cum alia persona etiam obstricta illa illi voto debet vtrumque explicare. ibid.eod.n.

Pontifex, quando hic & nunc in aliquo voto prudenter dispensat, licet causa non subsistat, valet dispensatio, modò fraus non interuenerit. 532.n.18

F I N I S.